BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 O
14

DE DIVINA PROVIDENTIA

ſiue gubernatione Mundi

TRACTATVS ABSOLVTISSIMVS.

ET OMNI DOCTRINA REFERTISSIMVS:

Auctore Admodum Reuerendo Patre F. LACTANTIO DOMANINIO Carmelita Theologo, ac Philoſophò præſtantiſſimo.

QVATVOR IN LIBROS DISTINCTVS.

Acceſſit bipartitus Index, longè vberrimus; alter quidem rerum memorabilium, alius verò locorum Sacræ Scripturæ, quos Author ipſe ad dogmata Sanctorum Patrum expoſuit, & declarauit.

AD SERENISS. D., D. VINCENTIVM GONZAGAM, MANTVÆ, ET MONTISFERRATIS DVCEM, &c.

DE LICENTIA S. INQVISITIONIS.

14.7.K.21

IN HOC SVNT



DIVITIAE MEAE.

4
3 Q
14.

Domus Probat. Romae Schol. Piarum

VERONÆ,
Apud Hieronymum Diſcipulum.
M D XCVI.

SVMPTIBVS ANDREAE PALATIOLI.

14-3-Q-14

emptus Anno 168[illegible]

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
D. VINCENTIO GONZAGAE,
MANTVAE ET MONTISFERRATI
DVCI CLEMENTISSIMO, &c.
Domino ſuo benigniſsimo,

FRATER LACTANTIVS DOMANINIVS Mantuanus, in Congregatione Mantuana ordinis Carmelitarum, Sacræ Theo. profeſſor, omne felicitatis genus exoptat à Chriſto JESV.

APVD maiores noſtros ſæpiſſimè legi; Sereniſſime Princeps; quòd hominibus, malorum eſca voluptas eſt, quodq. iucundam ac dulcem voluptatum conſuetudinem, triſtis admodum & amarus conſequitur euentus. E regione verò, ꝙ bonum ciuem decet, in omni ſua voluntate, quid rationes publicæ ferant, animo ſpectare ſemper, atque intueri. Inde propterea factum eſt, vt ego nunquam aliquid non legerem, ita vt mea legendi ſitis nunquam extingueretur; præſertim in his, tam duris, infauſtis, & alienis ab omni virtute diebus; in hacũe tam miſera, & infelici temporum conditione. Quando ſcilicet impudentiſſima illa hæreticorum, ſæuiſſimæ huius noſtræ tempeſtatis calumnia, qua Sanctam Romanam Eccleſiam, ſacrilego ore proſcindere, ac lacerare non verentur, admodum viget. Ea igitur occaſione, cùm non ſolùm doctores Scholaſticos, verùm etiam veteres illos, ſanctiſſimosq. Patres ſtudioſè, accurateq. euoluerem, mox illud in manibus habui, quod ſuos eremitas, beatiſſimus docebat pater Auguſtinus; nempe quòd nihil Dei ſeruis ocioſitate peius; quoniam nil aliud ocium eſt, niſi viui hominis ſepultura. Per ocioſitatem enim accendimur frequenter ad malum, per hanc

animamur ad ſuperbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè paſci, per hanc ſuffocamur prætioſè veſtiri, per hanc ad ſuperfluum trahimur domuncularum noſtrarum ornatum, & ad nimiam loquacitatem inducimur, necnon & ad verba ſecularia libenter audire. Hæc eſt illa ocioſitas peſſima, quæ frequenter ſanctorum conuentus deſtruit, nutriens in eis gulam, ſeminans inter eos zizaniam, generans inter eos homicidia, & omnia quæ ſunt opera carnis. A quibus vt ego declinarem, in hanc decreui incumbere curam, illudque ſum amplexatus literarium ocium, quo de Diuina PROVIDENTIA ſtruerem verba, libroſq. componerem. Opus quidem perarduum & difficilimum; ob idq. in duas meruit ſecari principes partes; peritiam nempe, atque rei ſcientiam. Quarum primam, tum ad Eccleſiæ Sanctæ vtilitatem, tum in amicorum, necnon & ſtudioſorum gratiam, eorumq. maximè, qui ſunt noſtræ ſacroſanctæ Religionis, & Mantuanæ Congregationis alumni, Typis committere ſtatui, in lucemq. proferre. Ea enim difficilius pereunt, quorum memoria pluribus in locis reſeruatur, quàm quæ ab vnico domino poſſidentur. Et quia fieri ſolet, vt cùm inſigne & præclarum alicuius nomen apparet nouo alicui operi inſcriptum, cui ſit ipſum dicatum, nonnulli admirabili quodam ſtudio perquirant, in deſiderioq. ſint, & audire aueant, quid cauſæ in Authore fuerit, vt illud ſuum dicaret opus. Propterea ego, qui omnibus his (ſi qui erunt) omnia cupio ſecunda, non minus quàm cognatis & amicis, principio eis ſatisfacere decreui. Huiuſmodi ergo quatuor libros, ſub titulo de Diuina PROVIDENTIA nouerint eſſe confectos, vt Celſitudini tuæ multis de cauſis dedicatos emitterem.

Primò quidem pro innumeris, opportunis, ac frequentibus beneficijs, huic noſtræ Mantuanæ Congregationi, ab Anteceſſoribus tuis magnificè, ac religioſè collatis: Etſi enim eorum ſtudio & opera, hinc ſuum genus duxerit & originem, Mantuana hæc Reſpub. noſtra; ob id tamen nunquam ceſſarunt, quin vbi ſe offerebat occaſio, nobis præſtò eſſent, & ſua in patres noſtros ſtudia ſemper extarent; vnde vſqueadeò illorũ exoptabant decus & laudem, vt pro eis contentionem ſuſciperent, atque certamen; quare demum perditorum hominum impetum, ſuæ mentis acumen, & vis eximia debilitauit, & irritum fecit. Sed quot in eorum ditionem fuerũt erectæ domus, ſtructa, atq; ditata monaſteria? Hoc præcipuè,

quod

quod ſub titulo Beatiſſimæ Virginis MARIAE de Monte Carmeli, Mantuæ laxè continenter habitamus, vt alia miſſa faciam ſuburbana. Vnde Vincentius Barſius Mantuanus, Philoſophus & Poeta noſter, ita cecinit:

Tireſiæ Manto, ſuperis hoc munere, vati,
Gonzaga, Heliadum debet vtriſq; domus.

Tu quoque, Sereniſſime, ac Religioſiſſime Princeps, in omnibus & per omnia, maiorum tuorum imitator exiſtens, ſtudia tua nunquam deſiderauimus, ſed potius iampridem eis tibi nos deuixiſti, quia continuo patrocinio fouere non ceſſas. Nam ſi iuxta doctoris & Saluatoris noſtri CHRISTI ſalutare conſilium, tenemur ijs etiam, qui nos oderunt benefacere; quantum, quæſo, ijs debemus, qui nos non ſolùm amant, ſed etiam maximo ſtudio complecti non deſinunt? Verùm quid de tua in me ſingulari benignitate, incredibiliq. liberalitate dicam? non ea quidem res eſt, quæ paruo negotio & leui labore effici poſſit, de his omnibus agere, ea qua decet breuitate. Propterea hoc vnum pro omnibus ſufficere volui, quòd tu, Benigniſſime Princeps, nullam omnino rem, quæ ad mei vtilitatem & honorem ſpectaret, vbi ſe obtulit occaſio, infectam reliquiſti. Quapropter tua erga me merita, nulla vnquam apud me delebit obliuio; ſed eorum vigebit in me perpetua, & nunq̃ interitura memoria.

Secundò, has catholicas elucubrationes propterea etiam Sereniſſimæ Celſitudini tuæ dedicare volui, quia CHRISTI religio, à qua ſalus noſtra pendet, tibi qui omnibus in rebus ducem Deum ſequeris, animumq. tuum, cogitationes, necnon & conſilia ad Deum, eiusq. ſanctos perpetuò refers, prorſus cordi eſt; & eam pietatem, eamq. religionem, quæ DEO, & Beatiſſimæ Virgini Deiparæ MARIAE debetur, præſtas in templo. Vnde ſi dicebatur olim, eam Rempublicam beatam eſſe, in qua aut philoſophi Principes ſunt, aut Principes philoſophantur; nunc dicimus nos, Rempublicam illam verè beatam & florentem eſſe, quæ non tam opibus ac præſidio regitur, quàm pietate, religioneq. Principis rectè adminiſtratur. Quare etiam atque etiam nobis profectò lætandum eſt, cùm diuina te PROVIDENTIA, ad huius noſtræ Mantuanæ Patriæ, res adminiſtrandas elegerit. Cuius quidem religionem, prudentiam, iuſtitiam, animi fortitudinē, liberalitatem, vitæ denique rationē prorſus inculpatam, ſummo cū applauſu admirantur omnes; teq. ipſum vt numen obſeruant, venerantur & colunt. In tuo ſiquidem pub-

 dem pub-

dem publico munere, id ſolùm perpetuò ſpectas, quid iuſtitia poſtulet, ratio præcipiat, cōſcientia proponat. Vnde quò diligentiùs & accuratiùs hæc omnia in animo voluo, & mecum ipſe perpendo, mira voluptate me perfundunt, & immortaliter gaudeo, ſimul atque vehementer cupio, vt hanc animi mei voluptatem, cordisq́. lætitiam, omnibus, præſertim verò tibi palàm faciam, & vt meam quoque gratitudinem, aliquali argumento humilimè declarem. Hæc igitur literarum monumenta, quæ dimidium ſunt ſuſcepti à me laboris, teſtimonium dicant locupletiſſimum, de mea in te obſeruantia. Ego autem hoc interim ſpatio operam dabo, quò reliquum operis, omni feſtinatione in lucem proferam. Tu verò, Princeps ſacerrime, hoc qualecunque ſerui tui munuſculum, læto animo, vt tui moris eſt, hilariq. fronte ſuſcipere digneris. Et ne te multis morer, quod olim mihi Humilis, tibi nunc humilis dico:

Cùm nequeam pauper tibi te dare munera digna,
Ne tibi nil donem, cor tibi dono meum.

Vale igitur ſemper incolumis ac felix; & Lactantium Domaninium; non multæ quippe authoritatis, ſed excellentis amoroſæ fidei; diligentem dilige. Datæ Mantuæ, ex Aedibus noſtris de Carmelo, die .15. Septembris, Anno Domini 1592.

LACTAN-

LACTANTIVS DOMANINIVS CANDIDO LECTORI SALVTEM DICIT.

EA perpetuò fuit apud Sapientes, & quæ ſemper Ariſtoteli ſummoperè placuit, famoſiſſima enunciatio; prudentiſſime & candide Lector; ꝙ omnes homines naturà ſcire, aut cognoſcere deſiderant. Et meritò quidem, iureq; optimo; quandoquidem ignorantia, dementia quædam eſt animæ, quæ dum ad veritatem nititur, intelligentia ipſa præuaricatur; dicebat in ſophiſta diuinus Plato. Qui & animam ignorantem, inconcinnam & deformem appellat. Hanc igitur deformitatem vt pro viribus euaderem, aduerſus ignorantiã meam & ocium iam diu murmurante conſcientia, tam arduum, grande, & perdifficile de Diuina Prouidentia ſcriptum ſum aggreſſus. Non quidem vt alios ſimpliciter doceam, at quò magis alij me doceant ignorantem. Si enim corpore laborantes, & morbo affecti, qui vitam in diſcrimen adducat, ſtudioſè ſanari procurant; quantò magis qui nomen philoſophi, atq; theologi conſequi deſiderat, ignorantiam, erroremq; formidare debet? Quantò ſiquidem humanus animus ſuo corpore præſtat, tantò ſanitatem ſuam antecellit. Quod igitur meum eſt quæſiui, non quod eſt alienum. Illud præ oculis habens, quod in ſuo Phædro ait Plato; ridiculum nimirum eſſe, cùm quis ſua ignorat, aliena ſcrutari nitatur. Hæc ſi ex noſtratibus, quidam omnium imperitiſſimi annotaſſent doctorelli, mihi haudquaquam grauiſſimè obtrectarent, deq; mea exiſtimatione multum detrahere minus conarentur. Id quod tamen faciunt, quia hoc eſt eis naturà tributum, vt turpia atq; inhoneſta in alios conferant, peſſimeq; omnibus dicant. Sed valeant; quia de numero eorum ſunt, quæ ſemel ſata, pluribus annis reſtibili fertilitate proueniunt. Et ſciant ꝙ ex ignorante audacia, omnia mala pullulare, in ſua .7. epiſtola docebat Plato; & ſanctiſſimus Gregorius Nazianzenus inquit, ꝙ vtile eſt lapſum in loquendo cauere. Vt enim plerunq; inſomnia vana, ſic etiam pleraq; verba. Propterea omni ratione fugiendum eſt turpium verborum profluuium. Ob id tamen correctionem ſubterfugere nolo; quinimmo ſi quid pijs & prudentibus lectoribus,

toribus, in his noſtris elucubrationibus viſum fuerit correctione, aut apertiore exaratione dignum, mox libenti animo corde & ore ad vtrunq; paratus ero. Nam incorrupta ratio dictat, non ſolùm non eſſe ſequendos qui malè quid aut docent, aut faciunt; verùm etiam ſtudio veritatis, modis omnibus iuſtè facienda, dicendaq; omnia, contempto vitæ periculo, ſi quis mortem minetur. Sed & ratio dictat, verè pios ac philoſophos, ſolam veritatem honore, amoreq; dignari; neglectis veterum opinionibus, ſi vitioſa fuerint. Sic me docuit beatiſſimus pater Iuſtinus, philoſophus & martyr. Eo igitur inceſſi recto tramite, phaleratum & ambitioſum ſermonem explodens; ne fortè ſermonis inſolentia, & ſuperbo dicendi faſtu, magis ex verbis faſtidium, quàm ex re ipſa conſolationem, mi lector, accipias. Te nihilominus etiam atque etiam rogatum eſſe velim, vt priuſquàm ad huius operis lectionem accedas, inſigniora typographiæ menda, quæ impreſſorum diligentiam fugerunt, quæue ad finem colligi curaui, prout illic emendata ſunt, ſuis locis emendanda cures. Sic enim optimè, ſecurus, ſine lapſu, & abſque vlla offenſione, hac noſtra ſcripta percurres. Interim benè vale, & tuis nos ad Deum pijs orationibus iuuare digneris; vt quæ aliubi polliciti ſumus, felici exitu præſtare valeamus.

LACTAN-

LACTANTIVS DOMANINIVS MANTVANVS, CARMELITA,

SVIS DILECTISSIMIS CARMELITIS ſalutem aſcribit.

SALVE Sancta Carmeli & antiqua Propago, iſq; qui cuncta
ex nihilo excitauit, & finxit, quiúe omnia regit, gubernat,
temperat, ſimul atque moderatur, tibi in omnibus præſtò
ſit,& opem ferat;quò præſertim filij tibi ſint,qui multum ex
ijs hauriant libris,vnde ſacroſanctæ manat,diuinæq; theolo-
giæ cognitio. Magna ſiquidem voluptate ſunt parenti,qui
moribus & doctrina excellunt filij; ex aduerſo autem, qui
ſunt omnium imperitisſimi,& maximè rudes,non ſemel atque iterum,verum
ſæpe labuntur,alijsq; ſummam calamitatem,ac peſtem important;& ſi ſint eis
in Repub. imperia credita,atque commiſſa,id ei detrimenta parit,damnaq; nõ
parua infert,& incommoda.Quamobrem Sapiens quidam antiquus dicere ſo-
litus erat, Niſi Magiſtratus & ſubditi philoſophentur,non fore ciuitates for-
tunatas.Vitæ nanque par eſt ſtudiorum vtilitas,ſtudijs ſecundæ res ornantur,
aduerſæ adiuuãtur;ecquæ dies vtilitatem ſtudiorum extinguit,aut imminuit?
Inde naſcitur,atque alitur moderatio vitæ,rectaq; viuendi ratio,& omnis ordo
manat. E diuerſo autem,non eſt ocium niſi corporis mors & animæ;quia ni-
hil ocioſus agere poteſt,niſi opera carnis. Quandiu enim Dauid exercitauit *2.Reg.11*
ſe in militia,non inſultauit ſibi luxuria, inquit Auguſtinus;ſed poſtquam in
domo remanſit ocioſus,laborauit adulterio, & homicidium commiſit. Samſon *Iudi.16.*
dum cum Philiſtæis pugnauit,ab hoſtibus capi non potuit;poſtquam autem
dormiuit in ſinu fœminæ,& ocioſè cum ea remanſit,mox ab eis capitur,& ex-
cæcatur.Salomon dum occupatus eſſet in ædificatione templi,ſalacitatem mi- *3.Reg.11*
nimè ſenſit;verùm ab opere recedens,confeſtim perſenſit inſultum laſciuiæ;&
deficiens, fœmina inſtigante ad idola, adorauit in thalamo vitulum aureum.
Eia ergo,dilectisſimi Carmelitæ,verè filij ſanctorum prophetarum Eliæ & Eli-
ſæi,ocioſitatem omnem expellite,ad bonarum literarum præclara ſtudia in-
cumbite,& ſemper aliquid boni facite;quia nec ſanctiores Dauid,nec Samſo-
ne fortiores, nec Salomone ſapientiores vos eſſe cognoſco. Cur, oro, in deli-
ciarum paradiſo,loco tam amœno,tam tuto,tam tranquillo,tot mala dicuntur
ſumpſiſſe principium?Reſpondet magnus Baptiſta noſter,id fortè eueniſſe,vt
oſtenderetur, opulentiam & ocium, delicias & gaudium eſſe incitamentum vi-
tiorum,radicem & fomitem,quæ ſolent oſcitantium eſſe ſolatium. Vnde hinc
facilè patere poteſt,quàm verum ſit illud,Commoditas omnis,ſua fert incom-
moda ſecum. Fuit igitur hoc prius in cauſa,vt ad huiuſmodi perdifficile opus
me accingerem. Non meæ quidem gratia laudis,at quò magis ac magis hu-
ius ſacræ noſtræ religionis concinnitas audiatur,& colluſtretur.Sunt nanque
è Philoſophis nonnulli,qui aſſerunt mala adeò bonis eſſe annexa in rerum na
tura,vt diſſociari nequeant;ſed poſito vno,dandum eſſe alterum,quod ſit illi
contrarium;aliter neutrum extaret.Proptereaquòd dulce non erit,niſi ſit ama
rum;nec calidum,niſi ſit frigidum;in muſicis concinnum non haberemus,niſi
quid eſſet diſſonum;non agnoſceretur temperatũ aliquid & iuſtũ in moribus,
niſi altera ex parte intemperatum,& iniuſtũ appareret.Non poſſumus dicere

corpus

corpus aliquod eſſe ſanum, niſi ad aliud quod ſit morboſum reſpiciamus; nec pulchrum, niſi ſit deforme; nec rectè figuratum quid eſſe dixerimus, niſi reſpicientes ad monſtroſum. Ob id ſunt in vniuerſo homines quidam moroſi, atq; difficiles, quibus nulla elegans videtur facies, cui næuus non inſit, quamuis corporis ſit macula næuus. Sunt enim multa fœda in partibus, quæ tamen placent compoſita, & ipſi toti collata. Velut in pictura, ſi nigrum tantùm in ea colorem ſpectemus, vix ſpectare poterimus, adeò indecens quid videbitur; at ſi totam inſpexerimus picturam, tunc placere incipient nigra illa, & vmbroſa; quoniam per ea magis eminent ipſa colorum lumina. Quid in cantu tam abſurdum & inconcinnum, quàm vox illa ſeptima? idcirco eam abominantur aures; verùm dum ſola eſt; nam alijs immiſta, cæterarum choro probatur, dum ſua ipſius aſperitate, nimiam aliarum temperat dulcedinem.

In hoc autem ſacroſancto Carmelitarum coetu, cùm tot ſint philoſophi acutisſimi, theologi præclarisſimi, poetæ nobilisſimi atque ornatisſimi, quamplurimiq; alij omni diſciplinarum genere exculti; acceſſi & ego iſtius candidi inſtituti paruulus næuus, & ſuauisſimo cōcentui addita, & permiſta ſeptima; vt per illum, huius noſtræ familiæ magis emineat candor; & per iſtam, nimia aliorum contemperetur ſuauitas. Quemadmodum igitur dulcitate amarum, calido frigidum, diſſonum concinno, pulchra facie næuus temperatur, & oculis redditur gratus; ita & mea, ratione doctrinæ imperfectio, & nimia verborum aſperitas, ſit profundisſima doctrina, & mira veſtra ſuauitate contemperata, vt inde laudabilis reſultet in hac alma religione concentus, & harmonia. Non enim artifex, omnia quæ in animali ſunt efficit oculos, neque ratio fecit omnia Deos,
Lib. 2. de Prouidentia Dei, cap. 11. Plotinus ait. Pictor autem vnicuique parti quod eam decebat attribuit; & ciuitates benè inſtitutæ non æqualiter in omnibus diſponuntur. Quiſnam, ait, comœdiam, tragœdiamq; vituperet, quòd non omnes in ea ſint heroes, ſed interſit & ſeruus, & ruſticus aliquis, rudiori voce pronuncians? Nequidem poema erit pulchrum, ſi quis inde tollat deteriores. Optimè igitur inſtituta manet Reſpub. noſtra, cùm in ea tot tantiq; ſint heroes, & etiam ſerui, rudiori voce pronunciantes, vnde illorum magis excellentia illuſtratur & virtus. Quiſquis ergo veſtrū, o mei Carmelitæ, eſt hæc mea ſcripta lecturus, eruditionē, eloquentiā, compoſitumq; modum in eis ne quærat, obſecro. Veritatem nanque ſynceram, ſuo candore & formoſitate, non vllo quæſito colore ornatam vobis offero. Dedignatur etenim ob ſuam ſimplicitatem & proprium decus, hiſce fucis colorari, atque oculis ſapientum perſpici, illis picta phaleris, quibus eius hoſtis infenſa potisſimùm captioſa gaudet falſitas. Niſi nempe iſta talibus pigmētis, ſiue fraudibus incederet, in conſpectumq; hominum veniret, non eſſet à quo apprehenderetur. Quis enim, ſi non aliqua dulcedine tegatur, atrox venenum ſumit? Aequè ſi ſit abſque impoſturis, quibus veritatem ſimulat ſe eſſe mendacium, quis eum acceptauerit, eiq; credet? Oblatam igitur hanc in ſuo candore veritatem, nullo modo fucatam, de Diuina Prouidentia, eo quo vobis offertur & datur, puriori animo ſuſcipite, & benè in Domino valete.

Innominati

INNOMINATI AVTHORIS
AD LACTANTIVM DOMANINIVM
CARMEN.

PRISCA fides taceat veterum praecepta virorum,
Priſcorum & valeant Numina falſa Deum.
Namq; hæc ſacriloqui excellunt oracula Vatis
Minciadæ, auriferi littora fulua Tagi.
Diuitias ſuperat Cræſi, Lybiæq; lapillos
Hic, dum voce ſacra dogmata celſa canit.
Theſauros quos cœlum habeat, quos terra recludat
Hic aperit, cupiens poſſe iuuare viros.
Hic quæ ſit ſuperum Domino prudentia pandit,
Quidq; ferat Sophiæ regula ſacra docet.
Impia Caluini contundit dicta profani,
Qui mentes hominum fallere doctus erat.
Multa quidem idcirco debes huic Mantua alumno,
Quòd tua reddit opus mœnia clara ſuum;
Aurea, Lactanti, ſunt hæc tua munera: ſed nos
Quæ dabimus meritis præmia digna tuis?

EIVSDEM AD LECTOREM
EPIGRAMMA.

HVNC librum crebrò voluas ſi cura ſalutis
Eſt tibi, diuinus cordaq; tangit amor.
Hinc diſcas, lector, ſedes penetrare ſupernas,
Eſt vbi nulla putris ſedula cura ſoli.
Submotum hinc animo poteris percurrere Olympum,
Qua via ſecurum Lactea monſtrat iter.
Non tàm collucent fulgentia ſydera cœlo,
Quàm tua, Lactanti, dogmata ſacra ſolo.

Diuerſorum

DIVERSORVM AD AVTHOREM EPIGRAMMATA.

ARDVA Cœlicolùm qui ſcandere regna paraſti
Hos lege; & extemplò ſemita mollis erit.
Hos lege, nanque tibi pandent ex ordine libri
Aetherias cœli, candide lector, opes.
Perlege diuino loquitur Lactantius ore,
Hunc diuina vnum & Lactea verba decent.
Diuinis præcepta bibes e fontibus hauſta,
Dogmata quæ fugias quæq; ſequaris habes.
Ergò magna tibi debetur gratia, per te
Docte Pater, Superùm noſcere cuncta licet.

ALIVD.

LVCIDA ſupponens noſtris Lactantius aſtra
Luminibus, mira texuit artis opus.
Peruia iam Superùm via, iam æquat hic ima ſupremis,
Mens huius cœlum ſola ſolumq; capit.
Numine (quid mirum) impleuit tua pectora ſacro
Ipſe Deus, greſſus ſacra Minerua regit.
Fœlix ſorte tua es, toto celeberrimus orbe,
O Pater, inuidiæ tela nec vlla times.
Durus erit pro te Natæ armipotentis alumno
Thorax, terrifici tum Patris ægis erit.

ALIVD.

QVISQVIS diuina hæc & dogmata digna theatro
Legerit, ambroſiam nectar & ore bibet.
Non maiora vides miracula, ſummus vterque
Tanti opifex operis eſt Deus, author homo.

ALIVD.

SI qua fides veri, præferri hac aurea poſſunt
Scilicet antiquis ſæcula temporibus.
Quando magis licuit ſanctos legiſſe libellos?
Os mortale Deum quando magis coluit?
Certa ſalus nobis, coelo via recta, latentes
Iam ſecura fides detegit inſidias.
Frangit hic innixus vero deliria, lapſus
Corrigit illorum qui ſacra contemerant.
Iam fera monſtra precor (fuerit nec gloria parua)
Cedite iam tantis vocibus & calamis.

ALIVD.

V*os, quibus ad verum minus aptè expreſſa decorem*
Librorum ſeries eſt grauis vſque dolor.
Deſinite in varias culpam hanc diffundere cauſas,
Summaq. ſit cunctis ſenſibus vna ſatis.
Naturæ toties ingens quæ viribus inſtat
Nulla parem ars potis eſt æmula ferre gradum.

ALIVD.

CONCIPIT *ingenio, arte animat, Lactantius ore*
Immortale parit quod manus auget opus.
Iam meritò ridete ſophi miracula Diuum,
Non fluit e cerebro tanta Minerua Iouis.

ALIVD.

PRO *tonitru vocem, calamum pro fulmine vibras*
Hinc fragor, inde faces, hinc ſonus, inde dolor,
Nam tua plus metuunt, Lactanti, ſcripta rebelles,
Quàm Iouis irati cùm furit igne manum.

:M. :A. .B:

AD AVTHOREM·

LACTANTI, *cum lacte Fluas, ſcribensq́. docensq́,*
Quis neget hoc meritò nomen ineſſe tibi?
Scilicet & noſtris oculis ſubſternis Olympum,
Naturæ & mira detegis arte vices.
Cedite facundi ſcriptores, cedite docti,
Nemo eſt, qui ſcribat, tam benè, quiue ſciat:

AD LECTOREM.

CAETERA *iam tutus depone volumina, lector,*
Hoc vnum verſes, aſſidueq́ legas.
Hoc vnum quidquid veteres ſcripſere magiſtri
Continet; Hoc vnum dogmata cuncta docet.
Concluſos libros omnes miraris in vnum?
Mundi omnes partes, at capit vnus homo.

F. IO: PETRI CHIZZOLAE RIPAROLENSIS
Carmelitæ ſac. Theol. Doct. Diſtichon.

QVANTA *ſit æterni Prouidentia mira Tonantis,*
Hoc oſtendit opus: gloria tanta Dei.

Τίτος Πρέσπερος μαρτίνεγγος μοναχὸς Κασινάτης.

Εἰς Λακτάντιον Δομαῖνον θεολόγον ἐξαίρετον, τοῦ τὰ βιβλία ταῦτα συγγράψαντα.

Ὅττις λιτὸς ἀνὴρ ζαθέην εἴσιτε προνοίην
Εὖ κτιδέην, ἠδ' αὖ μήδεα τοῦδε ζάθεα.
Ἥπερ ἅπαντα νοεῖ, τελέει δ' ἐσπευστὸ, καὶ αὔξει,
ὅσσα τε γαῖα τρέφει, οὐρανὸς ἀμφιέπει.
Ὅσσα θ' ὁρατὰ βροτοῖσι, καὶ ὁππόσ' ἄδερκτα τέτυκται,
ὅσσα τε γίγνονται τ', ἠδ' ἐγένοντο πάρος.
Εἰμὶ θεῖος ἐλών, καὶ πάνσοφος ἔξοχον ἄλλων,
καὶ νόον ὑψίστου κτίσορος οἶδε θεοῦ.
Ὅς τεύχει τάδε πάντα, καὶ ἃ κατὰ κόσμον ἀγειρεῖ,
ἠδ' ἀσημοσύνην πᾶσι δόμεν δυνάται.
Τοῖος ἔφυ λόγιος Λακτάντιος, ὃς τάδ' ἔταξε
βιβλία θεσπεσίης μετὰ θεοφροσύνης.

Nomina

NOMINA ET CATHALOGVS
DOCTORVM CATHOLICORVM, ET CONCILIORVM, HVMANAEQ. PHILOSOPHIAE AVTHORVM, ET POETARVM;

Ex quorum doctrina & ſcientia, opus hoc Author ipſe conflauit, præter ea, quæ ex propria eius habentur officina.

A

D. Ambroſius.
Ambroſius Catharinus, ord: prædi.
Adam Sasbout; ord: minorum.
Ambroſius Nolanus.
D. Auguſtinus.
Arnobius.
Auguſtinus Eugubinus.
Albertus de Saxonia.
Albertus Pighius.
Aulus Gellius.
Albertus Magnus; ord. præd.
Alexander de Ales; ord. minorum.
Alexander Aphrodiſienſis.
Ambroſius Eremita; ord. D. Augu.
Apuleius
Antonius Ricius; ord. Carmelitarũ.
Anto. Bernardus; Epiſcop. Caſertæ.
Alphonſus Toletanus; ord. D. Augu.
Ariſtoteles.
Auerroes.
Ammonius.
Auicenna.
Anto. andreæ; ord. minorum.
D. Anſelmus.
Auguſtinus Sueſſanus.
Armandus ordinis prædicatorum.
Auempace.
Alpharabius.
D. Athanaſius.
Andreas Vega, ordinis minorum.
Antonius Trombeta, ordinis mino.
Anaxagoras.
Alcinous.
Atticus.
Andreas Veſalius.
Abubeter
Antonius Monchiacenus.
Alphonſus Thoſtatus.
Alphonſus de Caſtro, ord. minorũ.
Aloyſius Lipomanus.
D. An. Archiepiſco. Florẽ. ord. prædi
Ambroſius Camaldulenſis.

B

D. Baſilius.
Boetius.
Bartholomeus Caualcantes.
Bartholomęus Camerarius.
Baptiſta Mantuanus Carmelita.
D. Bonauentura ord: minorum.
Bartholomęus Medina ord. prædi.
Benedictus Pererius.
Beda Venerabilis.
D. Bernardus.
Bartholomęus Fumus, ord: prædica.
Blondus.
Berardus Bonioannes.
Burcardus Epiſcop. Vormatientis, ordinis Sancti Benedicti.

C

Claudius Guilliaudus.
Clemens Alexandrinus.
Cicero.
Concilium Tridentinum.
Concilium Mileuitanum.

Concilium Toletanum.
Concilium Arauſicanum.
Concilium Foroliuienſe.
Concilium Florentinum.
Concilium Nicenum.2.
Concilium Carthaginenſe.1.
Concilium Vienenſe.
Chryſoſtomus Iauellus, ord: prædic.
Chriſtianus Maſſæus.
Conciliator.
Caſsiodorus.
D. Cyprianus.
Clemens Monilianus, ord: minorū.
Chriſtophorus de capite Fontium, ord: mino:
Claudius Seyſellus.
Cornelius Ianſenius.
D. Cyrillus Epiſcop. alexandrinus, Carme.
D. Clemens, Romanus.
Columella.
Crantor.
Chalcidius Platonicus.
Chryſippus.
Clemens. 6., Pontifex maximus.
Carolus quartus Imperator.
Catechiſmus Romanus.
Conradus Clingius, ord. minorum.
Clicthoueus.

D

Donatus Acciaiolus.
Dantes.
D. Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Carthuſianus.
Dominicus Bannes, ord: prædicat.
Dieguus Payua.
Dominicus Flandren. ord. prædica.
Daniel Barbarus.
Dominicus Soto, ord. prædicatorū.
Durandus, ordinis prædicatorum.
Didacus Stella, ordinis minorum.
Diogenes Laertius.
Dominicus de Dominicis.
Druſianus.
Dominicus Nanus.

E

Euſtratius.
Aegidius Romanus, ord: D. Augu.
D. Eucherius.
Euſebius, Epiſcopus Cæſarien.
Euclides.
Euthimius.
D. Epiphanius.
D. Ephræm.
Euripides.
Eutropius.
Euſebius Alexandrinus.

F

Franceſchinus Vicedominus, ord: minorū.
Frāciſcus Toletus, Ieſuita.
Franciſcus de Sylueſtris, ord. præd.
Franciſcus Lychetus, ord. minorum
Franciſcus Carthagena.
Franciſcus Mayro, ordinis minorū
Franciſcus Vicomercatus.
Franciſcus Turrianus.
D. Fulgentius.
Franciſcus Horantius, ord. minorū.
Flaminius Nobilius.
Franciſcus Georgius, ordinis mino.
Franciſcus Alumnus, Ferrarienſis.
Franciſcus Feuardentius, ord. min.
Franciſcus Pegna.
Felicianus Capitonus, ord. ſeruorū.

G

D. Gregorius.
Gaſpar Caſalius.
Georgius Vercellenſis. ord: prædic.
Gregorius Ariminēſis ord: D. Augu.
Gerardus odonus, ordinis minorū.
Gabriel Biel.
D. Gregorius Nazianzenus.
Galenus.
Gabriel Prateolus.
Gaetanus de Thienis.
D. Gregorius Nyſſenus
Gaſpar Contarenus.
Gloſſa ordinaria.

Gloſa

Gloſſa interlinearis.
Guilhelmus ocham ordinis mino.
Gratiadeus, ordinis prædicatorum.
Gennadius presbyter.
Gloſſa decreto.
Gelaſius papa.

H

Hugo de ſctō Victore, cano: regu:
Herueus, ordinis prædicatorum.
D. Hieronymus.
Hieronymus de Piſtorio, ord. capu:
D. Hilarius.
Hieronymus Balduinus.
Haymo.
Hector Pintus, Hieronymianus.
Heſiodus.
Homerus.
Hieronymus Dela Rua.
Hiſtoria magna.
Henricus de Gandauo.

I

Ioannes Arboreus.
Ioannes de Baccone, ord. Carmeli.
Ioannes Scotus, ordinis minorum.
Ioannes Grammaticus.
Iacobus Stapulenſis.
Ioannes Brucherius.
Ioannes Capreolus, ord. prædica.
Iulius Sirenius, ordinis D. Hieron.
Ioannes de Gerſon.
D. Irenæus.
D. Iuſtinus martyr.
Ioannes Viguerius, ord. prædicato.
D. Ioannes Chryſoſtomus.
Ioannes de Ianduno.
Iacobus Zabarella.
Ioãnes Vuolphius, Hersbrugienſis
D. Ioannes Damaſcenus.
Io: Maria Verratus, ord. Carmelita.
D. Iſidorus.
Ioannes bap. Capuanus, cano. regu.
Ioannes Roffenſis.
Ioannes Driedo.
Ioannes de Turrecremata, ord. præ.
Iamblicus.
Iacobinus Bargius, ordinis mino.
Ioannes iacobus Paueſius.
Ioannes Picus.
Iſidorus Clarus.
Ioannes Trithemius.
Iacobus Pamelius.
Iacobus de Voragine, ord. prædic.
Ioannes Caſsianus.
Iſychius.
Ioannes Canonicus, ord. minorum.
Iuuenalis.
D. Ioannes Rusbrochius.
Ioſephus hiſtoricus, & Iudæus.
Ioannes Lucidus.
D. Ignatius.
Iacobus philippus de Bergomo, or. D. Augu.
Iuſtinus hiſtoricus.
Ioannes Tarchagnota.
Iacobus de Valentia.
Ioannes Ganeius.
Ioannes bap. Rubeus, ord. Carme.
Innocentius Papa .I.
Ioannes Nouiomag.
Iodocus Badius Aſcenſius.

L

Lactantius Firmianus.
Ludouicus Granatenſis, ordinis prædicatorum.
Lucius Bellantius.
Lucillus Philathæus.
Landinus.
Lelius Bali onius ordinis ſeruorum
Ludouicus Buceaferreus.
Laurentius Dauidicus.
Liuius.
Ludouicus Cartarius.
Landulfus, Cartuſienſis.
Ludouicus Dulcius.
Leo Tertius, Pontifex Maximus.
Leo Nonus, Pontifex Maximus.
D. Leo Papa.
Lucretius Tyroboſcus, ord. Carm.

M

Marcusantonius Nata.
Marcusantonius Flaminius.
Marcusantonius Zimara.
Marſilius Ficinus.
Marſilius Inguen.
Michael de Bononia, Carmelita.
Martinus Eiſengrein.
Melchior Canus ordinis prædicato.
D. Methodius martyr.
Magentinus.
Marcus Manlius.
D. Maximus.
Marius Aequicolus.
Martinus ab Azpilcueta, Nauarrus.

N

Nicolaus de Lyra, ordinis minorum
Nicolaus Tignoſius.
Nicolaus Cuſanus.
Nicolaus Fymericus, ord. prædicato.
Nicolaus Granierius.

O

Origenes.
Olympiodorus.
Ouidius.
Osbertus Anglicus, ord. Carmelitarũ

P

Plotinus.
Plato.
Petrus Mantuanus.
Petrus Pomponatius, Mantuanus.
Petrus Aureolus, ordinis minorum.
Proclus.
Petrus Emorte.
Paulus Sonciuas, ordinis prædicato.
Philippus Mocenicus.
Petrus Lombardus.
D. Proſper.
Petrus Fonſeca Ieſuita.
Petrus de Palude, ordinis prædicato.
Petrusaurelius ſanutus, ord. D. Augu.
Plutarcus.
Primaſius.
Prolemæus.
Petrus Trauerſinus, Carme. Mantu.
Philippus Zaffirus.
Petrus Caniſius.
Porphyrius.
Phylo Iudæus.
Petrus Victorius.
Paulus peruſinus, ordinis Carmeli.
Petrus Gauaſſetus de Nuuolaria, ordinis Carmelitarum.
Petrus de Aluernia.
Paulus Oroſius.
Pius ſecundus pontifex maximus.
Platina.
Paulus Florentinus, ordinis Sancti Spiritus.
Petrus de Natalibus.
Paulus Manutius.
Philocorus.
Paulus de Palacio.

R

Richardus de Mediauilla, ord. min.
Ropertus olchot, ordinis prædica.
Ropertus Abbas, ord. S. Benedicti.
D. Remigius.
Raynerius de Piſis, ordinis prædic.
Rabbi Samuel.
Rabbi Moſes Aegiptius.

S

Sebaſtianus Medices.
Simplicius.
Sixtus Senenſis, ordinis prædicato.
Seneca.
Stanislaus Hoſius.
Sanctes Pagninus, ord. prædicatorũ
Strabo.
Simon Portius.
Seuerus.
Saluianus.
Simon de Caſsia, ord. D. Auguſtini.
Sixtus. 4., Pontif. Max. ord. minorũ.
Silueſter de Prierio, ord. prædicat.

Sirianus.

Sirianus.
Saxus hiſtoricus.

T

D.Thomas Aquinas,ord.prædica.
Thomas Vvaldenſis, Carmelita.
Thomas Caietanus,ord.prædicatorũ
Thomas Anglicus,ord.prædicatorũ.
Thomas de Argentina,ord.D.Augu.
D.Theodoretus.
Tertullianus.
Themiſtius.
Theophylactus.

Theſaurus linguæ ſanctæ.
Taurus platonicus.
Titianus Syrius.
Thomas Beauxamis, Carmelita.
Theophraſtus.
Textus canonici.

V

Vincentius Barſius, Mantuanus, ordinis Carmelitarum.
Vitruuius.
Velutellus.
Vuilhelmus Lindanus.

AVTHORITATES SACRAE SCRIPTVRAE, QVAS IN HOC OPERE AD MENTEM SANCTORVM PATRVM, & aliorũ catholicorum doctorum explicat Author, ordine Biblico adunatæ.

Ex Geneſi.

Cap.1.

In principio creauit Deus cœlum & terram. pag. 340.16.

Dixitq. Deus, Fiat lux, & facta eſt lux. 357.45.

Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona. 146 17.

Germinet terra herbam virentem, &c. 338.37.

Protulit terra lignum faciens fructum 339. 5.

Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. 339 41.

Creauitq. Deus cete grandia, &c. 339 31.

Producat terra animam viuentem in genere ſuo, &c. 340. 2.

Creauit Deus hominẽ ad imaginem ſuã 342.7.

Fecit Deus duo luminaria magna, &c. 875. 5.

Cap.3.

Serpens decepit me, & comedi. 323. 25.

Mulier quam dediſti mihi ſociam, &c. 323.35.

Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, &c. 583. 22.

Inimicitias ponã inter te & mulierẽ, &c. 699.3

Cap.4.

Suſcitauit mihi Dominus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. 665. 9.

Quare iratus es? & cur concidit facies tua? pag. 787. 4.

Cognouit quoque adhuc Adam vxorem ſuã, & peperit filiũ; vocauitq́. nomẽ eius Seth. 858.23.

Cap.6.

Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. 857.10.

Cap.8.

Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. 855.36.

Cap. 18.

Si inuenero in Sodomis quinquaginta iuſtos. pag. 353.13.

Cap.20.

Venit Deus ad Abimelech per ſomnium nocte. 322.33.

Cap.22.

Nunc cognoui quia timeas Dominũ. 880.30.

Ex Exodo.

Cap.20.

Non concupiſces. 694.28.

Cap.35.

Omnis voluntarius & prono animo, offerat Domino aurum & argentum, &c. 784.44.

Ex Leuitico.

Cap 10.

Iratus Moſes contra filios Aaron, qui remanſerant. 322.39.

Cap.13

Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, &c. pag. 801.29.

Ex libro Numerorum.

Cap.30.

Mulier, ſi quippiam vouerit, & ſe conſtrinxerit iuramento, &c. 786.37.

Ex Deuteronomio.

Cap 30.

Cùm ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, &c. 780.21.

Si mandata diuina trangreſſus, in maledictiones incideris, &c. 783.44.

Ex libro Iudicum.

Cap.11.

Iepthe voto ſubito coactus, filiam ſuam ſacrificauit. 323.3.

Ex lib. 4. Regum.

Cap.12.

Omnem pecuniam ſanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, &c. 801.18.

Ex libro

Ex libro Iob.

Cap. 3.
Pereat dies in qua natus ſum. 656. 8.
Cap. 14.
Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſerijs. 656.15
Cap. 28.
Non dabitur aurum obrizum pro ea. 850.7.
Cap. 38.
Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra? 621.31:

Ex libro Pſalmorum.

Pſal. 6.
Laboraui in gemitu meo, &c. 906.3.
Pſal. 18.
Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. 710.16.
Pſal. 20.
Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. 878.23.
Pſal. 24.
Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. 863.24.
Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, &c. 835.22.
Pſal. 31.
Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata 720.40.
Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã, Domino, &c. 905.31.
Pſal. 33.
Benedicam Dominũ in omni tempore. 346.35.
Prohibe linguam tuam à malo; & labia tua ne loquantur dolum. 788.24
Pſal. 50.
Tibi ſoli peccaui, & malũ coram te feci. 322.28.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. 655.24.
Cor mundum crea in me Deus, &c. 870.26.
Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. 721.36.
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c. pag. 905.30.
Pſal. 55
Pro nihilo ſaluos facies illos. 928. 2.
Pſal. 56.
Incuruauerunt animam meam. 884.23.
Pſal. 80.
Dilata os tuum & implebo illud. 972.35.
Pſal. 83.
Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. 905.26.
Pſal. 86.
Fundamenta eius in montibus ſanctis. 316.26.
Pſal. 88.
Beatus populus qui ſcit iubilationem. 349.32.
Pſal. 103.
Omnia in ſapientia feciſti; impleta eſt terra poſſeſſione tua. 257.40.
Pſal. 118.
Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. 691.8
Septies in die laudem dixi tibi. 346.34.
Non dominetur mei omnis iniuſtitia. 693.20.
Pſal. 138.
Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. 730.26.
Pſal. 142.
Non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in cõſpectu oĩs viuens. 849.44.
Pſal. 144.
Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. 643.28.
Pſal. 146.
Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. 771.11.

Ex libro Prouer.

Cap. 1.
Fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. 788.8.
Cap. 6.
Cõſerua, Fili mi, pcepta patris tui, &c. 793.14
Cap. 16.
Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; etiam impium ad diem malum. 864.41.

Ex lib. Eccleſiaſtæ.

Cap. 7.
Fecit Deus hominem rectum. 638.4.
Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. 849.33.

Ex Cantico Canticorum.

Cap. 1.
Trahe me, poſt te curremus. 904.16
Cap. 3.
In lectulo meo per noctes quæſiui quẽ diligit anima mea, &c. 900.21.

Ex lib. Sapien.

Cap. 1.
Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. 6 3.25.
Cap. 11.
Sed omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. 344.37.
Diligis omnia, & nihil odiſti eorum quæ feciſti 691. 9.

Ex lib. Eccleſiaſti.

Cap.15.
Deus ab initio fecit hominem,& reliquit illum in manu conſilij ſui. 643.10.
Cap.18.
Qui viuit in æternum,creauit oïa ſimul.641.1.

Ex Iſaia.

Cap.1.
Omne caput languidum, & omne cor mœrens. 630.7.
Lauamini mundi eſtote, &c. 788.37.
Cap.2.
Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. 630.42.
Cap.26.
Omnia opera noſtra operatus es in nobis. pag. 872.33.
Cap.40.
Suſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. 859.32.
Omnis caro fœnum &c. 861.34.
Cap.47.
Stent nunc & ſaluent te augures cœli. 621.34.
Cap.49.
Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor. 789.2.
Cap.64.
Facti ſumus immundi oës nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ. 848 43.

Ex Hieremia.

Cap.6.
State ſuper vias & videte.&c. 789.7.
Cap.10.
Iuxta viam gentium nolite diſcere. 621.20.
Scio,Domine,quoniam nō eſt hominis via eius; nec viri eſt,vt dirigat greſſus ſuos. 862.16
Cap.18.
Ecce ſicut lutum in manu figuli,ſic vos in manu mea,domus iſrael. 869.1.

Ex Ezechiele.

Cap.11.
Et dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum. 866.4.
Cap.18.
Poſt concupiſcentias tuas non eas. 698.10.
Aïa quæ peccauerit,ipſa morietur, &c.790.13.
Conuertimini,& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris. 866.44.
Cap.36.
Aſſumam vos de gentibus, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, &c. 690.34.

Ex Daniele.

Cap.13.
Anguſtiæ ſunt mihi vndique,&c. 790.35.

Ex Oſea.

Cap.13.
Perditio tua,Iſrael,ex te eſt,&c. 842.26.

Ex Michæa.

Cap.7.
Reuertetur,& miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras,&c. 722.10.

Ex Abachuc.

Cap.2.
Iuſtus ex fide viuit. 887.31.

Ex Matthæo.

Cap.3.
Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. 714.20.
Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum. 897.3.
Cap.5.
Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur. 850.27.
Cap.6.
Fiat voluntas tua ſicut in coelo & in terra. pag. 879.29.
Cùm ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. 905.9.
Cap.7.
Non poteſt arbor bona fructus malos facere. 834.6.
Cap.9.
Non veni vocare iuſtos,ſed peccatores ad pœnitentiam. 771.4.
Cap.10.
Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. 246.19.
Cap.11.
Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis,& ego reficiam vos. 657.33.
Et etiam. 896.26.
Cap 13.
Simile eſt regnū coelorum fermēto,&c.709.6.
Cap.16.
Quem dicunt homines eſſe filium hominis? pag. 791.26.
Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, &c. 791.34.
Cap.18.
Domine, quotiens peccabit in me frater meus & dimittam ei? Vſque ſepties? 345.36.

Cap.

Cap.19.
Sinite paruulos venire ad me. 657.45
Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? 792.19.
Cap.23.
Nolite vocare vobis patrē ſuper terram. 711.8.
Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, &c. 794.34.
Cap.24.
Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. 625.24.
Cap.26.
Et hymno dicto, exierunt in Montem oliueti. pag. 348.15.

Ex Marco.

Cap.16.
Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. 657.37.

Ex Luca.

Cap.2.
Cùm factus eſſet IESVS annorum duodecim, &c. 899.3.
Cap.5.
Non egent qui ſani ſunt medico. 771.3.
Cap.7.
Rogabat IESVM quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo 320.9.
Cap.10.
Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Hierico, &c. 706.40.
Cap.13.
Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, &c. 761.30.
Cap.14.
Et compelle eos intrare, vt impleatur domus mea. 884.7.
Homo quidam fecit coenam magnam, & vocauit multos. 919.35.
Cap.21.
In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 837.32.

Ex Ioanne.

Cap.3.
Qui credit in Filium habet vitam æternā. 657.7
Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natū eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. 881.15.
Cap.5.
Pater meus vſque modo operatur. 91.29.
Cap.6.
Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. 883.7.
Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet &c. 902.45.
Cap.8.
Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. 641.25.
Cap.10.
Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. 650.13.
Cap.13.
Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet. pag. 690.43.
Cap.14.
Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, &c. 797.14.
Cap.15.
Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt, &c. 709.32.
Sine me nihil poteſtis facere. 864.34.
Ego ſum vitis vera, & vos palmites, &c. 871.27

Ex Epiſtola ad Romanos.

Cap.1.
Reuelatur ira Dei de coelo, &c. 304.4
Non enim erubeſco Euangelium, &c. 887.11.
Cap.2.
Gentes naturà faciunt quæ legis ſunt 886.5.
An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, &c. 799.4.
Cap.4.
Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. 720.11.
Cap.5.
Propterea ſicut per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, &c. 647.35.
Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum. 648.23
Non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. pag. 650.16.
Omnes in Adam peccauerunt. 651.11.
Per vnum hominem peccatum introiuit in mūdum. 652.44.
Cap.6.
Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. pag. 641.19.
Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. 670.13.
An neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, &c. 693.34.
Et etiam. 752.12.
Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, &c. 839.16
Cap.7.
Velle adiacet mihi, perficere autem bonū non inuenio. 641.40.
Lex enim ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtū, & bonum. 648.26.
Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem, &c. 699.20
An ignoratis, fratres, (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? 724.3.
Peccatum ſine lege mortuum erat. 727.41.

Scimus

Scimus enim quòd lex ſpiritualis eſt; ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. 729.20
Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio. 730.19
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 732.18.
Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei; carne autem, legi peccati. 732.32.

Cap. 8.

Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus 246.10.
Et ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, &c. 641.30.
Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto IESV. 689.12.
Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. 756.37.
Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, &c. pag. 844.33.
Prudentia carnis mors eſt, &c. 881.34.

Cap. 10.

Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam volentes ſtatuere, &c. 909.37.

Cap. 11.

Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 929.11.

Cap. 12.

Obſecro itaque vos, Fratres, per miſericordiã Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, &c, 704.34

Cap. 15.

Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt. 899.19.

Ex prima ad Corinthios.

Cap. 4.

Quid habes quod non recepiſti? 875.29.

Cap. 6.

An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? 688.6
Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, &c. regnum Dei poſſidebunt. pag. 744.25.
Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, &c. pag. 845.45.

Cap. 9.

Nunquid de bobus cura eſt Deo? 245.42

Cap. 10.

Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. pag. 687.29.

Cap. 12.

Deus in omnibus omnia operatur. 870.11.

Cap. 15.

Virtus peccati lex. 631.27.
Gratia Dei ſum id quod ſum, &c. 759.34.

Cap. 16.

Omnia veſtra in charitate fiant. 845.44.

Ex ſecunda ad Corinthios.

Cap. 3.

Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. 641.18.

Cap. 4.

In omnibus tribulationibus patimur, ſed non anguſtiamur, &c. 705.26.

Cap. 5.

Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. 696.21.

Cap. 9.

Qui parcè ſeminat, parcè & metet. 785.15.

Cap. 13.

Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali &c. 873.33.

Ex Epiſtola ad Galatas.

Cap. 2.

Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. 879.1.

Cap. 3.

Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto. 648.32.

Cap. 5.

Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. 725.14.

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Cap. 2.

Dei factura ſumus, creati in Chriſto IESV in operibus bonis, &c. 870.8.

Cap. 4.

Renouamini ſpiritu mẽtis veſtræ, induitæ nouum hominem. 867.17.

Cap. 6.

Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius. 625.26.

Ex Epiſtola ad Philippen.

Cap. 2.

Itaque chariſſimi mei, ſicut ſemper obediſtis, nõ vt in præſentia mea tantùm, ſed multo magis nunc in abſentia mea, &c. 868.22.

Ex epiſtola ad Coloſſen.

Cap. 2.

Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam. 304.13.

Ex epiſtola .2. ad Theſſalonicen.

Cap. 2.

Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, &c. 757.2.

Ex Epiſtola prima ad Timo.

Cap. 1.

Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſē. pag. 838.42.

Lex eſt iniuſtis poſita. 891.12.

Ex Epiſtola 2. ad Timo.

Cap. 2.

Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. pag. 687.17.

Cap. 4.

Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, &c. 838.6.

Ex Epiſtola ad Titum.

Cap. 3.

Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, &c. 690.9.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap. 12.

Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, &c. 702.11.

Cap. 13.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, &c. 915.11.

Ex Epiſtola Iacobi.

Cap. 1.

Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. 687.12.

Beatus vir qui ſuffert tentationem, &c. 687.15.

Ex Epiſtola. 2. Petri.

Cap. 1.

Fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem. 683.35

Cap. 2.

A quo enim quis ſuperatus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. 643.20.

Ex Epiſtola. 1. Ioannis.

Cap. 1.

Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. 695.31.

Cap. 3.

Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & ſimus. 690.4.

Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit pag. 691.7.

Cap. 5.

Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verū Deū, &c. 644.11.

Omnis qui credit quoniam IESVS eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. 716.25.

Ex Apocalypſi.

Cap. 3.

Ego ſto ad oſtium & pulſo, &c. 792.44.

Ecce quos amo arguo & caſtigo, &c. 895.29.

Cap. 7.

Ioannes vidit. 144. millia ſignatos. 345.32.

Cap. 21.

Angelus menſus eſt muros Ieruſalem. 144. cubitorum. 345.14.

Multo plures inueniet Candidus Lector; quoniam ſi omnes demonſtrare voluiſſemus, re vera indicis limites tranſgredi oportebat. Multæ nihilominus citantur iuxta Sanctorum Patrum interpretationem, ne in recitandis eorum teſtimonijs, aliquid immutaretur.

INDEX
LVCVPLETISSIMVS
RERVM NOTABILIVM
QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR,
ORDINE ALPHABETICO DIGESTVS.
CVIVS QVIDEM PRIMVS NVMERVS
paginam, ſecundus verò lineam indicabit.

A

ABSOLVTA in Deo ſola diſtinguuntur intelligentiæ ratione. 106. 6.
Abſtrahere à tempore contingit dupliciter. 190. 5.
Abſtractum per indifferentiam reijcitur ab Authore. 494. 19.
Abuſiuè dicimus Angelos eſſe in loco 598. 2.
Accidens omne alicui per ſe innititur. 34. 32.
Accidens proprium, per proprium ſubiectum debet definiri. 579. 23.
Accidentia non ſunt entia mobilia, niſi quatenus ad corpus mobile attributionem habent. 582. 42.
Accidẽtia quomõ conſiderentur in Metaphy. 483. 11.
Actus eſt duplex. 189. 23.
Actio ſicuti duplex eſt, ità etiam duplex eſt finis; per ſe, & per accidens. 39. 2.
Actiones non diuerſantur, niſi per eſſentias diuerſas. 344. 12.
Actiones creaturarum & operationes, non ita ſunt à diuina voluntate decretæ, ſicuti natura. 245. 5.
Actus meritorius habet efficatiam excedentem naturalem virtutem. 876. 5.
Adã quomõ fuerit forma et ſimilitudo Xp̃i. 649. 38
Adam non ſolùm imitatione, ſed et generatione reos nos conſtituit culpæ. 651. 21.
Adam quomodo imitantur homines. 651. 45.
Adam fuit creatus in gratia & iuſtitia ſimul originali. 639. 34.
Adam peccans fecit ex libertate neceſſitas. 828. 44
Adã ſi non peccaſſet, in Dei gratia fuiſſent proles creatæ. 733. 41.
Adam fuit factus in ætate virili. 243. 13.
Ad productionem cuiuslibet effectus corporalis neceſſarius eſt actualis cœli concurſus. 77. 35.
Ad rationem imperij rationis practicæ, tria concurrunt. 256. 44.
Adueniente Sole, generatio eſt; recedente autem, corruptio, inquit Ariſtoteles. 87. 25.
Ad vnitatem ſcientiæ ſufficit vnitas ſubiecti, ſaltem analogica. 607. 5.
Adæquatum ſubiectũ primarũ paſſionũ naturaliũ, eſt adæquatũ ſubiectũ philoſophiæ Naturalis. 572. 28.
Aegidius non intellexit opinionem D. Tho. de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 601. 25.
Aeterna quæ propriè ſint, diſſidium inter Philoſophos atque Theologos. 90. 10.
Aeternitas coexiſtit toti tẽpi, ſed non Aeuũ. 188. 13.
Aeternitas tota ſimul exiſtens, ambit totum tẽpus. pag. 178. 15.
Aeternitas quomodo ambiat totum tempus, exemplum duplex. 180. 1.
In æternitate nihil eſt præteritum, aut futurum; ſed omnia ſunt præſentia. 206. 22.
Aeuum eſt totum ſimul, non autẽ res æuiterna. 186. 22
Agens virtuale modo naturæ, adhoc quod effectus producat diſtinctos, quantum ſit ex parte ſui, diſtinctos producendi modos minimè requirit. 126. 45.
Agens naturale, ſiue vniuerſale, ſiue particulare ſit, ad orbis vniuerſi perfectionem & conſeruationem agit. 57. 12.
Agens naturale non eſt alterum, ſed aliud ab agente à propoſito. 61. 18.
Agens & materia non ſunt niſi propter finẽ. 58. 1.
Agens non eſt agens niſi propter aliquid. 58 6.
Agens naturale, cur dicatur agẽs neceſſariũ. 63. 42.
Agens naturale duplex. 51. 2.
Agentia hæc inferiora mouentur & gubernantur à cælo. 31. 35.
Agere & facere quomodo differant. 274. 29.
Agnus paſchalis q̃re ĩmolabatur ad veſperã. 356. 6
Agnus paſchalis cur quartadecima luna comedebatur in Veteri Teſtamento. 355. 32.
Agnus paſchalis cur ſumebatur. 10. die mẽſis. 355. 30
Alberti opinio de triplici corpe reprobatur. 562. 12.
Albertus Pighius ineptè redarguit Augu. 670. 39.
Alexander de Ales deficit in quæſtione de diuina præſcientia. 214 19
Alexander Aphrodiſien. ſubſcribit ſententiæ Ariſto. de Dei ſcientia. 98. 39.
Alexandri ſententia de contingentibus. 10. 6.
Alexandri ſent. aperitur de Dei cognitione reſpectu contingentium, contra Pomponatium. 112. 13.
Aliud eſt hominem habere liberum arbitrium, & aliud habere liberum liberatum arbitrium. 841. 2.
Ammonij ſententia, qua probatur, Deum hæc omnia intelligere inferiora. 109. 35.
Ambroſij authoritates inducuntur pro libero hominis arbitrio. 817. 30.
Analogia tripliciter accipitur. 484. 18.

Analoga

Analoga cùm ennumerantur, primum ad quod omnia referuntur non debet connumerari. 485.2
analogum non eſt medium inter vniuocum & æquiuocum. 485.32.
Angeli plures intellectiones menſurantur tempore diſcreto. 186.28.
angeli non cadunt ſub ſubiecto Naturalis diſciplinæ; contra Scotiſtas. 596.23.
angeli quòd moueantur non cadit ſub lumine naturali. 596.41.
angeli non phyſicè mouentur 597.5.
angeli nõ ſunt cõpoſiti ex materia & forma. 597.11.
angeli ſunt in loco definitiuè. 597.16.
anima rationalis quomodo coinquinetur in humano corpore, cùm generatur homo. 663.39.
anima rationalis ex cõiunctione illius ad corpus, quo modo contrahat labem. 666.10.
anima intellectiua, ita eſt principium operationum, ac ſi eſſent in homine, tres animæ. 117.4.
anima non eſt ſubiectum in libris de anima Ariſtotelis. 551.21.
animam cùm recipit homo non peccat, ſed concipitur in peccato. 674.35.
anima quomõ inficiatur in generatione hoïs. 735.13.
animalia bruta voluntariè operantur. 766. 9.
animalium corpora oſtendunt prouidentiam. 3.28.
animalia bruta, nec pueri ſunt felices. 71.9.
anima in generatione hominis non inficitur illa morbida qualitate, quam ſunt nonnulli immaginati. pag. 735.15.
Anſelmi doctrina de libero arbitrio. 820.7.
Antichriſtus quatenus ſubeſt diuinæ ſcientiæ, & eſt præſens in æternitate, eatenus eſt in actu. 236.44.
antiqui philoſophi ſunt redarguendi; quia nullam fecerunt de fortuna mentionem. 32.27.
Anto. andreas reprehenditur de ſubiecto Metaphyſicæ. 489.26.
Ant. andreæ opinio de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 595.15.
Antonius Mirandulanus volebat vnicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam. 356.27.
Ant. Trombeta opinio de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 594.29.
Annus quiſque ſeptimus eſt periculoſus. 345.26.
annus quadrageſimus nonus vitæ noſtræ eſt periculoſus. 346.29.
appetitus ſenſitiuus cur ſolus apud Theologos nomẽ habeat ſenſualitatis. 681.44.
appetitus ſenſitiuus in duas ſecatur partes. 682.12.
apud Deũ nõ datur fuit, vel erit, ſed tantũ eſt. 114.13.
approbatio præſupponit iudicium, iudicium autem apprehenſionem. 146.19.
arbor prædicamenti ſubſtantiæ, ex ſacra pagina deſcriptus, & formatus. 341.
architectura quid ſit, ſecundùm Vitruuium. 481.42.
argumenta cõtra regulam. D. Tho. de præſcientia Dei diſſoluuntur. 260.6.
Ariſtoteles dicendo fortunam eſſe in ijs quæ rarò eueniunt, ſeu in ijs quæ nec ſemper, nec frequenter ſunt; contingens ad vtrumlibet includere minimè intendebat; nec ob id eius diuiſio eſt inſufficiens, contra Auicennam. 47.17.
Ariſtoteles nõ ſibi contradicit in libello de bona fortuna; & in. 2. phy., vbi agit de ipſa fortuna. 73.29.
ariſtoteles cur in Ethicis de Dei cognitione videatur loqui dubitatiuè. 108 43.
ariſtoteles cùm ait, Deum omnia à ſeipſo intelligere, ob id non ponit in Deo varias imagines; contra Caſertanum. 114.39.
ariſtoteles ſi aliud ſenſit in Ethicis, & aliud locutus eſt, deceptor eſt, malus atque bilinguis, ac demum ſtultus. 107.41.
ariſtoteles vult Deum res humanas curare. 107.30.
ariſtoteles vult Deum omnia intelligere diſtinctè & ſpeciatim. 114.16.
ariſtoteles & Auerroes negant, intellectum diuinũ habere exemplar mundi à propria forma. 121.4.
ariſtoteles fuit primus logicæ inuentor. 326.15.
ariſtotelis verba ponderantur ab Authore, quæ habẽtur. 2. phy. particula. 48. & deinceps. 63.2.
ariſtoteles & Albertus dant monſtrorum cauſas generales & remotas, non autem particulares, proximas, & immediatas. 64 13.
ariſtoteles nullam in Deo fatetur Ideam, niſi diuinã eſſentiam. 126.41.
ariſtoteles multa de Deo concludit, atque determinat. 98.4.
ariſtoteles & eius aſſeclæ de contingentia optimè ſenſerunt. 22.3.
ariſtoteles fortunam definiuit & caſum, per relationẽ non ad primam, ſed ad ſecundas cauſas. 73.32.
ariſtoteles, in quo ſenſu loquatur de fortuna in. 2. phy., & in libello de bona fortuna; opinio Aegidij. 69 40.
ariſtoteles & vniuerſi philoſophi, beatitudinem noſtram ſitam eſſe volunt in ſapientiæ operatione, & in altiſſimarum cauſarum contemplatione. 109.13.
ariſtotelis fuit ſententia, quòd omnia appetunt participare diuinum eſſe, eo modo quo poſſunt. 126.38.
ariſtoteles agit de triplici genere contingentium in primo priorum. 10.3.
ariſtoteles cùm ait, quòd Perſpectiua conſiderat lineã non vt mathematicam, ſed vt phyſicam; quomodo intelligatur. 468.11.
ariſtoteles quando dicit, quod tot philoſophiæ partes ſunt, quot ſubſtantiæ; quomodo intelligatur. pag. 455.7.
ariſtoteles quomodo ponebat in Deo ſcientiam. 98. 37
ariſtoteles arbitrabatur, Deum, quæ ſunt extra ſe intelligere, & cognoſcere. 104.33.
ariſtotelis doctrina de contingentia fuſius declaratur. 6.40.
ariſtotelem in negotio de contingentia, non ſibi conſtare dicebat Scotus. 17.28.
ariſtotelis cuiuſdam dicti expoſitio, in libro de Mundo. 113.9.
ariſtoteles reſpiciendo remotiſſimam cauſam, fortunã dixit eſſe Deum benedictum. 73.34.
ariſtoteles cur modò à fine, modò ab obiecto, diſtinguat practicas diſciplinas. 287.45.

Ariſtoteles cum ait, Metaphyſicam agere de ente quatenus ens eſt, quomodo intelligatur. 487.37.
ariſtoteles cur aliquando diſciplinas methodus appellat. 423.3.
ariſtotele diſputat de contingentibus. 9.6.
ariſtoteles in quo ſenſu loquatur de fortuna l.2.phy. et in libello de bona fortuna; opinio Ianelli. 70.17.
ariſtoteles in Ethicis non loquebatur populariter, cõtra Zimaram 107.36.
ariſtotelis authoritas in.6.Meta., cùm ait illam eſſe de ſeparabilibus à materia, exponitur. 495.18.
ariſto. affirmat fortunam, cauſam eſſe diuinã. 73.10.
ariſtoteles in.2.phy. & in moralibus, in eodem ſenſu loquitur de fortuna. 71.10.& 21.
ariſtotelis doctrina in Meta. & in Ethicis, optimè conſonat. 108.32.
ariſtoteles vult Deum vnica voluptate gaudere, quia vnica eſt eius eſſentia, atque ſimpliciſſima contemplatio. 114.27.
ariſtoteles nunquã aſſeruit, cognitionem & prouidentiam in diuinis aequè procedere; ſententia Sirenij, ab Authore reprobatur. 111.17.
ariſtoteles quid intelligat cum ait; Deum ſeipſum tantummodo intelligere. 114.37.
ariſtoteles dicit quòd contemplatiua felicitas, eſt ſuprema beatitudo. 108.20.
ariſtoteles cur prius tractauerit de partibus animalium quàm de anima ipſa. 533.1.
ariſtotelis libri paruorum naturalium, quem ordinẽ adinuicem habeant. 534.22.
ariſtoteles cum ait, in ordinatione doctrinae ab vniuerſalioribus eſſe inchoandum, quo pacto intelligatur. 534.38.
ariſtoteles cum ait, omnem demonſtratiuam ſcientiã, circa tria verſari, quomodo intelligatur. 548.1.
ariſto. in 6.phy. nõ probat mobile eẽ corpus. 584.10
ariſtoteles optimè omnia pertractauit, quae poſſunt conuinci lumine naturali. 598.11.
ariſtoteles quid intelligat per ens in potentia in definitione motus. 586.1.
ariſtoteles cur in naturalibus agat de fortuna & caſu 608.32.
ariſtoteles cur tractet de uacuo & infinito in naturalibus. 608.36.
ariſtote. cur addiderit mobile naturali in primo phy. tex. 11., contra Parmenidem & Meliſſum. 608.40.
arithmetica datur in ſacra pagina. 343.39.
ars et potẽtia opantur ad imperiũ uolũtatis. 257.20.
ars omnis, duas habet partes. 291.38.
ars reſpectu artificiatorum non habet niſi rationem dirigentis. 257.7.
artes liberales habentur in ſacra pagina. 314.5.
artes omnes à Deo ſunt. 303.19.
artes effectrices ſunt donum Dei. 314.21.
artium, ſiue ſcientiarum ſubiecta quomodo diſtinguãtur, & conueniant. 464.37.
artifex in ſuo artificio procedit modo reſolutorio pag. 292.6.
artificioſa eloquentia quibus partibus cõſtet. 317.11
arti conuenit ordo reſolutiuus. 281.26.
aſtrologi non praedicant monſtra, vt monſtra ſunt, ſed ut ſpecies & natura quaedam. 615.42.
aſtrologia pronoſticatrix an haberi poſſit. 613.22
aſtrologiam ab aſtronomia diſtinguunt nonnulli pag. 613.11.
aſtrologia partim naturalis, partim ſuperſtitioſa, pag. 618.18.
aſtrologia et aſtronamia quomodo ſe habeãt. 613.26
aſtrologia nullam habet fallaciam. 613.35.
aſtronamia reperitur in ſacra ſcriptura. 354.25.
aſtronomia quid ſit. 354.28.
Aſtrologi ueri fati tollunt neceſſitatem. 617.18.
aſtrologia magnum eſt religioſis argumentum, curioſis autem tormentum. 619.34.
aſtrologiam veram non damnant ſacrae ſcripturae, nec ſancti Patres. 621.20.
Athanaſij ſententia de libero arbitrio 813.17.
attributa ĩ Deo diſtinguũtur rõne ex parte rei. 158.22.
attributa in Deo multiplicantur ſecundùm rationẽ, non ſecundùm eſſe. 310.2.
attributa in Deo non diſtinguuntur formaliter propriè. 297.37.
attributa in Deo inter ſe diſtinguuntur formaliter virtualiter. 100.17.
Auerroes negat, diuinam ſcientiam & prouidentiam tendere ad pari. 128.26.
auerroes malè ſe geſſit, aliquam docens neceſſitatem deſumi à materia. 93.24.
Auerroes & Themiſtius non conueniunt in quaeſtione de cognitione De. 132.9.
auerroes faſſus eſt, Deum intelligere ſingularia, ab ipſa veritate coactus. 136.7.
auerroes in moralibus non loquebatur populariter; contra Zimaram. 126.1.
auerroes quando dicebat, in Deo idem eſſe omnibus modis intelligens & intellectum, quomodo intelligatur. 130.29.
auerroes & ſi non dicit formaliter, quòd Deus intelligat creaturas conſecutiuè, dicit tamen virtualiter. 118.19.
auerroes fatetur diuinam prouidentiam circa humanos actus 135.33.
auerroes volebat, Deum ſeipſum intelligendo, omnia alia conſecutiuè intelligere diſtinctè, et omnibus modis quibus cognoſcibilia ſunt. 115.17.
auerroes Deum rogabat. 125.9.
auerroes vult, ſubſtantiam ſenſibilem, ſubſtantiam mobilem, ſubſtantiam naturalem, & corpus naturale eſſe omnino idem. 560.8.
auerroes decipitur negans corpus mobile eſſe ſubiectum in libris phyſicorum. 586.25.
auerroes non damnat Aſtrologiam. 617.3.
auerroes in multis deliquit, ad philoſophiam pertinẽtibus. 617.9.
auerroes diuinam aſſerit prouidentiam. 124.33.
auerrois progreſſus de Dei cognitione. 122.1.
auerrois opinionem declarat Ioan. Baconitanus de cognitione Dei, quam inſequitur Author. 115.11.
auerrois opinio de neceſſitate in materia, reycitur ab Authore. 93.28.

auerrois

Auerrois opinio de Dei cognitione. 115.9.
Auguſtinus aduerſus eos qui dicebant fortunam eſſe deam, inuehitur. 45.6.
auguſtinus agit contra Ciceronem, diuinam negantem praeſcientiam. 40 41.
auguſtini dialectica vtilis fuit Eccleſiæ 312.30.
auguſtinus accuſat ſe, quòd aliquando vſus fuerit hoc nomine, fortuna 31.44.
auguſtinus effectum admittit fortuitum & caſualem. pag. 41.25.
auguſtinus vult fortuitorum cauſas eſſe latentes. pag. 74.33.
auguſtini authoritate probatur, nihil eſſe caſuale neque fortuitum, reſpectu ipſius Dei. 41 29.
auguſtinus nõ reſpondet argumento Pelagij. 663.17
auguſtino falsò impenſa peccati originalis deſtructio. pag. 669.3.
auguſtinus in quo ſenſu dixerit concupiſcentiam eſſe peccatum. 719.9.
Auguſtinus Sueſſa. ineptè redarguit phyſicos. 52.39.
auguſtinus dat liberum arbitrium nec vnquã illud ad bene operandum ſeparat à gratia diuina; contra Caluinum. 756.19.
auguſtini plures inducuntur authoritates, pro veritate liberi arbitrij. 816.11
auguſtinus ſi quæ boni pro catholicis, in materia de libero arbitrio aſſeuerare videtur, id iocosè fit; inquit Caluinus 829.30.
Auicenna reijcitur opinio contra Ariſtotelem de fortuna & caſu. 48.2.
auicẽna fauet Ariſto. pro definitione fortunæ. 46.30
auicenna contra Ariſtotelem diſputat in ijs quæ de fortuna habuit & caſu. 47.21.
auicenna non damnat Aſtrologiam. 617.22.
Aureoli opinio de Dei ſcientia, quatuor præcipuè cõtinere videtur 144.41.
aureoli opinio de Dei cognitione, eſt in fide periculoſa 145.5.
aureoli rationes adducuntur contra D. Tho. de contingentibus. 182.40.
aureoli rationes diſſoluuntur de Dei cognitione. pag. 162.37.
Author declarat apparentem contradictionem in dictis eius. 162.32.

B

Balduinus reprehenditur ab Authore, in fauorẽ Zimaræ. 564 20.
Baptiſta Mantuanus Carmelita laudatur. 43.2.
Baptiſtae Mantuani pulchra ſententia de bona fortuna. 75.16. & 35.
Baptiſta Mantuanus non rectè arguit Ariſtotelem, circa definitionem fortunæ. 73.35.
baptiſmus tollit omnia peccata. 685.10.
Baſilij ſententia de libero arbitrio. 809 45.
baptizatus caret omni peccato, non oĩ malo. 660.42.
beatiſſima Virgo Maria fuit præſeruata à peccato originali. 662.43.
Bedæ ſententia de libero arbitrio. 818.45.
beatus vnico actu cognoſcit diuinam eſſentiam & creaturas. 155.41.
beatitudo noſtra quomodo conſiſtat in ſcientia Muſicali. 34.34.
Benedicti Pererij opinio de Monſtris. 53.7.
Benedictus Pererius non benè redarguit D. Tho de vniuerſali radice contingentiæ. 28.39.
Benedicti Pererij opinio reijcitur ab Authore de radice contingentia. 29.9.
Bernardi pulcherrima doctrina de concupiſcentia carnis. 692.28
Bernardi doctrina de libero arbitrio. 820.25.
bona noſtra, & Dei ſunt. & noſtra. 760.5.
bona fortuna eſt naturalis impetus in anima noſtra factus à Deo, ait Ariſtoteles. 50.26.
bona fortuna quid. 72.20.
bonum vniuerſi, ad ſummum bonum tanquam in verum & proprium finem ordinatur. 108.17.
bonum diuiditur æqualiter in decem genera, ſicuti ens. 142.22.
bonum gratiæ, cur dixerit Paulus Apoſtolus, non habitare in carne eius. 731.17.

C.

CAietani contradictio manifeſta. 462.82.
Caietani opinio recenſetur & reijcitur ab Authore, circa quæſtionem de neceſſitate ſcientiæ Dei. vel præſcientiæ reſpectu futurorum. 203.44.
caietani opinio de ſcientia Dei practica examinatur ab Authore. 290.17.
caietani expoſitio de Dei ſcientia practica, ad mentẽ D. Tho., reijcitur ab Authore. 290.42
caietani cardinalis examinatur opinio de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 571.24.
caietani cardinalis opinio reijcitur de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 575.13.
caietanus cardinalis ſibi contradicit. 576 31.
Caluinus arguit contra doctrinam de peccato originali. 680 10.
caluinus quid ſenſerit de carnis concupiſcẽtia. 720.1
caluini contradictio. 722.25.
caluinus ait, hominem neceſſariò peccare, & tamen peccatum ei imputatur, & quomodo 746.21.
caluini quatuor termini annotantur, pro libero arbitrio. 746 30.
caluinus admittit in homine liberum arbitrium in naturalibus & moralibus, contra Lutherum 746.43
caluini vaſra ſententia de libero hominis arbitrio. pag. 747.41.
caluinus appellat philoſophos ſophiſtas. 623 18
caluini rationes adducuntur, quibus tollere conatur liberum voluntatis arbitrium. 748.45.
caluiniana quædam alia exponuntur, contra liberum arbitrium ratiocinia. 750.1.
caluino in omnibus aduerſatur D. Auguſt. 754.24.
caluini diuerſæ annotantur contradictiones. 757.26.
caluinus ineptiſſimè comparat hominẽ Aſino. 759.8

Caluinus vult nos velle voluntate, quæ non ex nobis ſed ex Deo ſit. 762.43.
caluinus ſibi non conſtat. 763.33.
caluini ratio quare negat liberum hominis arbitrium pag. 764.20.
caluini enarratus ſententia de libero voluntatis arbitrio. 745.2.
caluini in ſcholaſticos doctores, impudens animaduerſio. 745.10.
caluinus, profitetur ſe, beatum Auguſtinum in materia de libero arbitrio, præceptorem habere. 745.24
caluini fundamenta enarrantur, pro libero hominis arbitrio. 745.26.
caluini ſententia de hominis voluntate. 746.8.
caluinus in voluntate noſtra ponit voluntarium atque ſpontaneum, ſed libertatem negat. 764.44.
caluinus ſibi non conſtat. 769.12.
caluini contradictio. 772.16.
caluinus non intelligit ſeipſum. 772.28.
calninus male ſentit de ſanctis Eccleſiæ Patribus, in materia de libero arbitrio. 779.7.
caluinus negans liberum arbitrium, Deum facit immaniſſimum. 824.45.
caluini obiectiones contra liberum hominis arbitriũ diſſoluuntur 831.25.
caluinus ſibi contrarius. 847.9.
caluini & inſequentium rationes euertuntur, contra liberum arbitrium 865.37.
caluini ratiocinium retorquetur in ipſum, ad oſtendẽdum liberum arbitrium. 866.31.
caluinus vult, quòd aſſerentes præparationem ad gratiam, ſectam renouent Pelagianam. 892.32.
caput. 7. Diui Apoſtoli Pauli ad Romanos optimè explanatur ab Authore. 723.24.
Carmelitarum antiquitas notatur. 811.30.
Caſertani Epiſcopi doctrina, pro reſponſione de Dei cognitione, reiicitur ab Authore. 110.44.
caſualia ſimpliciter illa ſunt, quæ præter intentionem ob aliquem finem agentis, eueniunt; fortuita verò propriè illa dicuntur, quæ ſunt de numero eligibilium, & ab agentibus per electionem. 61.38.
caſualia propriè accepta non habere cauſam niſi extrinſecam, eſt falſum; contra Zimaram 60.18.
caſualia habent cauſam per ſe & determinatam, inquit Pomponatius. 48.22.
caſus poteſt eſſe in iis, quę vt in pluribus eueniunt; dicebat Pomponatius. 49.44.
caſus eſt natura poſterior. 63.35.
caſus eſt comes naturæ. 63.26.
caſus & fortuna ſunt in iis quę fiunt propter finem. pag. 63.8.
cauſa ſecunda ſi à prima neceſſariò moueatur, non ẽ neceſſe quòd & ipſa neceſſariò moueat 21.2.
cauſa prima modificatur in ſecunda, prout conuenit naturæ, & capacitati ipſius. 21.4.
cauſa ſecunda ſi neceſſariò moueatur à prima, & ipſa neceſſariò, vel contingenter cauſabit. 21.11.
cauſa ſimpliciter naturalis, quia per vnam agit formam, ad vnum etiam determinatur. 72.42.
cauſa prima ſi neceſſariò cauſet, ad quemlibet effectum, neceſſariam non retinet habitudinem. 21.29.
cauſa prima modificatur in ſecunda, non à ſecunda, pag. 21.38.
cauſa propriè & verè ſufficiens illa dicitur, quæ tantam ex propria forma virtutem habet, vt nulla alia ſui ordinis cauſa concurrente, effectum producere poſſit. 80.38.
cauſa vniuerſalis, ſine particulari non poteſt in his ſublunaribus generare, quidpiam, aut modo aliquo producere 85.40.
cauſa mouens inquantum mota, ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet, ſecundùm Scotum. 17.43.
cauſa per accidens duplex. 32.34.
cauſa per accidens, illam per ſe inſequitur ſemper. pag. 33.35.
cauſa prima licèt ſit neceſſaria, effectus tamen poteſt eſſe contingens, propter cauſam proximam contingentem. 24. 1.
cauſa peccati originalis quæ ſit. 733.32.
cauſa multitudinis intellectorum, eſt alietas inter intellectum, & rem intellectam in nobis. 130.38.
cauſa per accidens ex parte cauſæ, innititur propriè cauſæ per ſe 35.8.
cauſa per accidens ex parte effectus, quomodo innitatur cauſæ per ſe. 35.11.
cauſa naturalis ſi ab effectus productione impediatur in quem eſt naturaliter inclinata, effectus ille productus dicitur accidentalis. 84. 8.
cauſa eſſendi & viuendi eſt anima. 89.15.
cauſa benè eſſendi, & benè viuendi, eſt ipſa virtus corporis regitiua. 89.17.
cauſa ſufficienti poſita ad agendum, neceſſariò ſequitur effectus; dicebat Auicenna. 77.1.
cauſarum tria ſunt genera apud Rhetores. 321.5.
cauſarum quędam ſunt in ſe neceſſariæ, & etiam in ordine ad earum effectus. 7.45.
cauſarum quædam in ſe fortaſſis poſſunt eſſe neceſſariæ, non tamen in ordine, ad earum effectus. 8.5.
Cauſalitatis perfectæ ratio, in iis quę non agunt ex neceſſitate naturæ, inuenitur primò in voluntate. 254.44
cauſam agentem qui concedit, debet etiam concedere cauſam finalem. 58.7.
Inter cauſam primam & ſecũdam reſpectu productionis effectus, nulla eſt prioritas niſi virtutis, 21.20.
cauſæ propter quas poteſt inueniri theſaurus plures ſunt atque indeterminatæ, contra Pomponatium. pag. 64.37.
cauſa illa dicitur & eſt determinata, quæ primò & per ſe, nullum alium reſpicit effectum, præter eum cuius eſt cauſa. 65.8.
cauſæ contingentes quatenus diuinæ ſubduntur cognitioni certæ & infallibili, eatenus ſunt determinatæ ad operandum. 177.23.
cauſæ per ſe & eſſentiales ita ſunt finitæ & certæ, vt in infinitum minimè produci poſſint. 5.28.
cauſæ omnes particulares concluduntur ſub vniuerſali cauſa. 42.16.
cauſę monſtrorum vniuerſales et remotæ ſunt aliquo modo determinatę, non autem particulares & propinquæ. 55.12.

cauſa determinata dicuntur illa quæ non poſſunt aliter ſe habere. 55.22.
cauſa monſtrorum ſunt per ſe determinata, & certa, ſecundùm Pererium 53.1.1
cauſa non ſunt infinita numero. 308.2.
cauſae accidentales ſunt infinita 5.31.
ceſſante motu cæli, omnis motus corporum inferiorū ceſſaret. 80.16.
Chriſtus appellatur nouus Adam. 649.28.
chriſtus formam tradidit cantandi. 348.28.
Cicero quid ſenſerit de Dei eſſentia. 299.26.
cicero magis cum Ariſtotele conuenit de Dei cognitione, quàm Alexander, opinio Sitenij. 106.37
cicero diuinam aſſerit prouidentiam. 3.32.
cicero arbitrabatur, diuinam cognitionem aduerſari contingentia & hominis arbitrio. 174.22.
cicero ſibi aduerſatur in his, quæ de contingentia. pag. 197.22.
Clementis Alexandrini ſententia de libero arbitrio. pag. 808.10.
clementis alexandrini pulcherrima ſententia de Naturali philoſophia. 320.27
cælum non ad omnem effectum qui hic exiſtit, per aliquam ſpecialem qualitatem concurrit, veluti ad determinatum determinata cauſa. 78.41.
cælum cauſa eſt vniuerſalis & in ſe neceſſaria, reſpectu horum effectuum inferiorum. 79.43.
cælum non poteſt producere huiuſmodi effectus inferiores ſine cauſis medijs. 79.45.
cælum ſimpliciter acceptum, agens eſt naturale; materiam igitur requirit, in quam agat. 80.26.
cælum non produxit elementa ſimpliciter, nec ſimpliciter mixta. 80.7.
cælum à quo habet quòd ſit ens, & quòd ſit corpus. pag. 507.39.
cælum non poteſt hæc materiata per ſe producere ſine cauſis particularibus. 79.6.
cælum varias in ſe continet virtutes, quæ nullum inter ſe, quò ad operari ordinem habent. 82.14.
cognitio poteſt haberi de nobiliori ſpecie perfecta, atque diſtincta, ignorata diſtinctè uiliori ſpecie. 10.31.
cognitio reſpectu creaturarum, ponenda eſt in Deo formalis in eſſe cognito. 146.1.
cognitio perfecta alicuius effectus, omnium ſuarum cauſarum exigit cognitionem. 159.43.
cognitio matutina perfectior eſt cognitione veſpertina. 169.5.
cognitio matutina & veſpertina quænā ſint. 169.10
cognitio conſiſtit in actu. 175.39.
cognitio ab eo ſolùm obiecto pendet, quod verè et propriè terminat. 163.30
cognitio perfecta accipitur dupliciter 445.17.
cognitio noſtra duplex. 426.27.
cognitio rei perfecta, omnium cauſarum exigit notitiam. 148.12.
cognoſcitur aliquid dupliciter, & quomodo. 161.13
collatio infirmitatis humanæ, & Chriſti beneficij ad inuicem, per D. Apoſtolum Paulum 648.37.
compoſitum accidentale non propriè fit 577.1.
compoſitum accidentale non eſt ens mobile; contra Caietanum. 577.16.
compoſitum accidentale non cadit ſub ſubiecto Naturalis diſciplinæ. 579.6.
compoſitio ex conceptibus, ad Logicum, non ad Metaphyſicum ſpectat 600.1.
comprehendens cauſam perfectionalem, continentem perfectionaliter omnem perfectionem, eodem actu cognoſcit omnia perfectionaliter contenta, ſecundū quodlibet eſſe ſuum; tam particulare, q̄ uniuerſale. pag. 118.31.
communia debent tractari ubi agitur de prima natura. 483.32.
conceptus logicales non admittuntur in ſcientia reali. 581.30.
concretum & abſtractum unde habent, quòd ſint talia. pag. 496.39.
Concilij Mileuitani decretum de peccato originali. pag. 654.31.
concilij Tridentini decretum de peccato originali. pag. 654.45.
concilij Tridentini decretum de libero hominis arbitrio. 10.16.
conciliatio inter Platonem & Ariſtotelem de ente & vno. 499.3.
concionatores quidam cur auditores habeant, quidā verò non, quamuis peregregij ſint. 74.3.
concluſio contingens, in ſyllogiſmis ſequitur, quæ ex maiore neceſſaria, & minore contingente. 20.36.
concupiſcentia carnis dimittitur in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur. 661.3.
concupiſcentia non eſt peccatum originale, ad mentem Auguſtini. 669.40.
concupiſcentia cur dicatur peccatum. 670.32.
concupiſcentia dupliciter accipitur, ſcilicet pro bona, & pro mala. 681.26.
concupiſcentia eſt homini à natura ingenita. 638.28.
concupiſcentia carnalis non eſt à Deo. 647.20.
concupiſcentia bona quæ ſit. 681.37.
concupiſcentia praua quæ ſit. 681.38.
concupiſcentia quid ſit ſecundùm Auguſtinum. pag. 682.17.
cōcupiſcētia carnis nō eſt aucta ex peccato. 682.35.
concupiſcentia carnis ortum habet ex principijs naturæ. 683.29.
cōcupiſcētia carnis quomō ſit pœna peccati. 683.31.
concupiſcentia carnis non eſt peccatum, ſed effectus peccati 684.42.
concupiſcentia carnis ante baptiſmum eſt materialiter peccatum 684.43.
concupiſcentia nomine quid ſignificetur. 718.23.
concupiſcentia carnis & peccatum eſt, & pœna peccati; inquit Auguſtinus 718.29.
concupiſcentias quare paſſiones vocet apoſtolus Paulus. 725.11.
concupiſcentia cur dicatur lex peccati 731.45.
concupiſcentia carnis nil aliud eſt, q̄ bellum, pugna, & rixa. 692.33.
concupiſcentia ſumitur dupliciter 694.17.
concupiſcentia actualis, non habitualis, diuina lege prohibetur. 694.18.

conditiones effectuum, conſequentes horum corporũ conditiones vt materia ſunt, non in cæleſtium corporum actiones, at in corporum inferiorum cõditiones reſoluuntur. 79.16.
conditio effectus proueniẽs ex impedimento materiæ, in motorem, ſiue actiuum in illam, non reducitur, contra Auicennam. 79.12.
conditio creaturæ non eſt in propria libertate, ſed in placito creatoris. 247.42.
conditionalis vera quomodo ſit ſemper neceſſaria. pag. 202.1.
conſideratio ſubiecti in ſcientia propria, debet eſſe perfectiſſima 604.37.
conſultatio nulla eſt de æternis. 5.43.
cõſultatio eſt de his quæ ſunt in noſtra poteſtate. 6.3
conſultatio de illis eſt quæ vt plurimum quidem ſiũt, incerta tamen ſunt quomodo euadant. 6.5.
conſilium quomodo in Deo reperiatur. 295.5.
conſilium eſt eorum quæ in nobis ſunt. 824.7.
conſultatio ſit de ijs quæ ſunt in noſtra poteſtate. pag. 770.16.
contextura declaratur finis .8. libri phyſi. 407.36.
contingens, per ſe in ſecundo modo dicitur de re ipſa contingente. 19.7.
contingentiæ cauſam immediatam materiam eſſe volebat Ariſtoteles. 19.11.
contingens eſſe, poteſt de re contingente demonſtrari. 19.13.
contingentiam eſſe demonſtrauit Ariſtoteles in primo Perihermenias. 19.27.
contingentiam admittendo Ariſtoteles, ſimul atque Deum agere de neceſſitate naturæ, non dicit repugnãtiam. 19.38.
contingentia propriè accepta non reſpicit niſi rei exiſtentiam, productionem, & operationem 29.36.
contingens propriè ſumptum illud eſt quod ſignificat tempus futurum. 30.9.
contingentis vt in pluribus cauſa eſt natura, vt in paucioribus materia vt æqualiter, humana libertas. 30.15.
contingentiæ cauſa vniuerſalis, eſt efficacia diuinę voluntatis 30.22.
contingentiam effectus tum reducit Ariſtoteles in conditionem horum inferiorum; tanquam in conditionem materiæ; cùm cœlum tantùm, ad ipſius effectus productionem actiuè concurrit. 78.31.
contingentia alicuius effectus in conditionem horum corporum inferiorum reducitur vt in conditionem agentis, quando ipſi cœlo cooperantur. 78.34
contingentia ſubcæleſtium effectuum, in aliam cauſam naturalem, niſi in horum corporum inferiorum conditionem minimè reduci poteſt. 78.37.
contingentia quid ſit 22.14.
contingens & poſſibile non niſi ratione diſtinguũtur. Pag. 22.15.
contingens & neceſſarium ſunt duo modi entis principales. 22.33.
contingentia vnde ſit ſecundum Ariſtotelem & Peripateticos. 22.40.
contingentia dicitur ab hoc verbo contingo 29.13.
contingentium tria ſunt genera, vt plurimum ęquale & rarò. 29.18.
contingentiæ nomen ſi amplè ſumatur, amplioris eſt ambitus, quàm ſint fortuna, & caſus ſimul. 43.30.
contingentia quomodo à caſu differat; atque fortuna. pag. 43.41.
contingens & neceſſarium non ſunt in vniuerſo, niſi quia Deus noluit. 37.36.
contingens res bifariam conſiderari poteſt. 14.23.
contingentia ab intellectu diuino, ab aeterno certè cognoſcuntur, & determinatè. 14.33.
contingentium differentia triplex 175.40.
contingens & neceſſarium adinuicem pugnant, & quomodo. 234.43.
contingentiam eſſe, cum Ariſtotele omnes fatentur Peripatetici. 6.30.
contingentia debent ſemper conſiderari, prout in ſuis cauſis latitant. 16.45.
contingentiam eſſe, poſſe demonſtrari negabat Scotus. 17.8.
contingentia extra ſuas cauſas, habent aliquam ſemper neceſſitatem annexam; ex qua certè ac determinatè noſcuntur. 15.6.
contingentiæ prima radix non eſt conditio, ſeu defectibilitas ſecundæ cauſæ. 37.26.
contingentia omnia ſecundùm ſtatum quo actu ſunt, ab æterno ſimul, Deus optimè nouit. 178.13.
contingentia non poſſunt ſub ratione determinati cognoſci, à quouis intellectu, etiam increato; ſententia Alexandri. 106.13.
contingentia quę ſit ratio formalis. 12.29.
contingentia futura prout actu ſunt in ſeipſis, cognoſcuntur à Deo. 175.33.
contingenti minimè repugnat, at optimè conſonat, quòd à ſimpliciter neceſſario originem ducat. 204.2
contingentia nulla poteſt eſſe in cauſatione alicuius cauſæ reſpectu ſui effectus, niſi prima cauſa contingenter ſe habeat ad cauſam proximam ſibi, vel ad ſuum effectum, vt Scotus. 17.40.
contingens dupliciter conſideratur. 174.36.
contingens in actu non eſt futurum, ſed præſens. pag 174.37.
contingens in cauſa propria, conſideratur vt futurũ. pag. 174.41.
contingens eſſe & determinatum, implicat contradictionem. 13.42
contingens habet rationem pluralitatis, & motus. pag. 10.39.
contingens & neceſſarium ſunt duæ vniuerſi principes partes. 28.24.
contingentis natura non mutatur de contingente in neceſſariam, ſed quantùm ad modum eſſendi. 16.36
contingentiæ ratio formalis attenditur penès poſſe, non penès eſſe. 15.23.
contingentia nulla ſimpliciter & primò eſt, vbi eſt determinatio. 13.36
contingentia vera eſſe, aut falſa, malè negauit Catharinus. 16.19.
contingentia quomodo ſint Deo præſentia. 181.12.
contingentiam in rebus eſſe à contingentia primæ cauſae.

cauſæ, quadrupliciter probat Scotus. 17.43.
contingens verè & propriè illud eſt, quod eſt omnino indeterminatum. 12.31.
contra negantes principia non eſt diſputandum. pag. 377.32.
contraria & contradictoria non ſunt niſi reſpectu eiuſdem obiecti. 193.43.
cor, eſt animæ ſedes. 884.41.
cor in ſcripturis accipitur pro anima. 884.42.
corpus mathematicum non eſt prius corpore naturali. pag. 606.41.
corpus mobile latiſſimè ſumptum tractatur in libris phyſicorum, contra Vicomercatum 552.1.
corpus ſubſtantiale eſt prius natura corpore quanto. pag. 585.24.
corpora hæc inferiora ad cœlum vel tanquam materia, vel tanquam agens, vel vtroque modo comparari poſſunt. 78.25.
corpus naturale eſt notius ipſa natura. 602.25.
corpus mobile, ens mobile, ſubſtantia mobilis, ens naturale, corpus naturale, ens corporeum, ſubſtantia corporea, idem ſunt. 560.22.
corpora hæc inferiora & materiata, reſpectu totius cœli, materia ſunt, & patiens. 79.13.
corpora hæc inferiora proprias habent conditiones, à toto cœlo præſuppoſitas, quatenus eſt in ea actiuum. 79.14.
corpora inferiora, proprias habent conditiones à toto cœlo præſuppoſitas. 80.13.
corpus omne, aut ſenſibile eſt, aut intelligibile. pag. 562.22.
corpus naturale dicit reſpectū ad motum, & quomodo. 394.1.
Cotta negabat Deum eſſe. 1.44.
creatio eſt actio tranſiens, & modus quæ eſt talis. pag. 172.35.
creata in .7. diebus denominantur formaliter diſtincta, per hoc ſolum quòd cognoſcuntur à Deo, ac quæ ne ſi diſtinctis cognitionibus formalibus cognoſcerentur. 147.5.
creaturæ habent in intelligentia diuina ſuum eſſe cognitum formaliter 147.11.
creaturæ cognoſcuntur reſultatiuè, virtute primi cogniti. 118.29.
creaturæ ad eſſe quod obtinent ita ſe habent ſicut aeris illuminatio ad lumen Solis. 90.36.
creaturæ quomodo poſſint dici, neceſſitatem in ſe continere abſolutam. 90.41.
creaturæ ad hoc vt ſubſiſtant, oportet quòd ſemper in eis operetur Deus, & quomodo. 91.3.
creaturæ tales ſunt, q̃les Deus eas eē voluit. 28.36.
creaturæ omnes ſunt à voluntate Dei efficaci quò ad eſſentias & proprietates. 247.37.
creatura omni ſublata, & eius omni eſſe, diuina item intellectio, ad diuinam eſſentiam terminata maneret. 163.11.
creaturæ non mouent diuinum intellectum, nec eius terminant intellectionem, niſi impropriè & famosè. 130.14.
creaturæ ad perfectionem diuinæ intellectionis minimè coexigitur. 163.45.
creaturæ exeunt à Deo per libertatem voluntatis. pag. 316.12.
creaturæ in Deo virtualiter continentur & adunatæ. 157.24.
creatura ſicut ſe habet ad cognoſci, ita ad terminare. 156.27.
creatura ea ratione conſiderata, qua eſt idem quod Deus tantum, eius eſſe eſt neceſſarium. 159.9.
creaturarum eſſe intelligibile, & obiectiuum poſitū à Scoto, reiicitur ab Authore. 139.27.
creaturarum opera quomodo dicantur diuina voluntate decreta. 246.27.
creatura melius cognoſcitur in arte qua facta eſt, q̃ in ſeipſa. 169.16.
creaturæ ſunt ſcitæ à Deo per ſcientiam comprehenſiuam primi sciti. 118.11.
creaturarum productio illa Scoti in eſſe obiectiuo, periculoſam ingerit doctrinā. 141.3.
creatura nulla inuiſibilis eſt in conſpectu Dei. 15.1.
credere eſt infantibus baptizari 657.16.
culpa quomodo oriatur ex pœna. 662.18.
cum fit aliquid præter naturam, tunc non à fortuna, ſed magis à caſu factum eſſe dicimus; ait Ariſtoteles 60.31.
cum aliquid præter naturam fit, vt monſtrum: id non fortuna, ſed caſu dicimus proueniſſe; inquit lucidiſſimus Themiſtius. 59.38.
cum aliquis probat aliquid de ſubiecto, iam præſupponit illud ſubiectum eſſe. 592.12.
cur eadem tractentur in phyſica, & Metaphyſica. pag. 399.25.
Cynocephali, & Cyclopes non ſunt monſtra. 51.17.
Cypriani ſententia de libero arbitrio. 809.10.
Cypriani authoritas declaratur contra Lutherum. pag. 703.31.
Cyrilli ſententia de libero arbitrio. 812.6.

D

DAntis mentem de bona fortuna non attingunt Landinus, & Velutellus. 75.43.
Dantes quid ſenſerit de bona fortuna. 75.42.
Data æqualitate inter rem ſcitam, & cognitionem noſtram, vtraque illarum eodem menſuratur tempore. 137.17.
data neceſſitate cauſandi in diuina voluntate, negat Dominicus Bannes, quòd remaneant agentia libera. 26.1.
defectus cauſa ſecunda impedire non poteſt quin Dei voluntas, ſuum producat effectum. 37.13.
definitio vt ſit optima quæ requirantur. 609.38.
definitio omnis conſtat ex materia & forma. 675.2.
definitio illa non eſt bona, quæ datur per genus remotum. 601.9.
definitio corporis, ſeu entis naturalis quæ ſit. pag. 564.34.
definitio ſubiecti Naturalis diſciplinæ, non differtur vſque ad libros de coelo & mundo. 587.2.

definitio

definitio propriè ſpecierum eſt. 412.26.

definitio naturalis non eſt ſine motu & materia. pag. 587.4.

definitio corporis in libris de cælo quo modo intelligatur. 587.25.

definitio diſciplinæ ordinem non parit. 430.37.

definitio bonæ fortunæ quænam ſit data ab Ariſtotele. 71.30.

definitio et demonſtratio quomodo ſolo ſitu differant. pag. 71.45.

definitio illa eſt optima, quando oſtenditur quid eſt de aliquo. 162.38.

de futuris contingentibus nulla eſt determinata veritas. 6.10.

de his quæ ſunt per accidens nulla habetur ſcientia. pag. 32.10.

Democritus atomorum concurſu cuncta fieri exiſtimauit. 4.30.

Democriti opinio de atomorum concurſu reijcitur à Cicerone. 4.32.

Democritus fuit Aſtrologus. 616.18.

demonſtratio non ſolùm propter quid eſt, ſed etiam rem ipſam eſſe oſtendit. 592.43.

demonſtratio fit ſemper per cauſam extrinſecam. pag. 593.13.

demonſtratio .31. tertij libri Euclidis declaratur. pag. 454.20.

demonſtrationes ſunt principiorum, non tamen ſunt ibi ſubiectum 553.7.

de ſubiecto Naturalis philoſophiæ quæſtio abſolutiſſima pertractatur. 541.5.

determinatio in cauſa tollet contingentiam. 178.3.

Dei prænotio non eſt cauſa eius quod futurum eſt. pag. 226.45.

deus quia præſcit futurum ideo non eſt; ſed quia futurum eſt, ideo Deus nouit. 227.8.

dei præſenſio non cogit naturam rerum. 213.10.

deus quod præſciuit, neceſſe eſt eſſe futurum. 214.6.

dei vnica eſt indiſtincta intellectio. 139.18.

dei cognitio menſuratur æternitate. 178.16.

dei ſcientia capit certitudinem à propria ſui ipſius eſſentia. 178.31.

deus ab æterno omnia nouit futura & præterita. pag. 179.5.

deus quæ ſucceſſiuè fiunt, cuncta ſimul, & vnico intuitu cognoſcit. 179.24.

deo ſunt omnia præſentia quæ fiunt in tempore. pag. 179.44.

dei intellectio & ſi ſit in fine ſimplicitatis, ibi tamen eſt multitudo intellectorum. 130.9.

dei ſcientia eſt omnino vna. 293.9.

dei cognitio, qua ſeipſum & creaturas cognoſcit, eſt ſpeculatiua. 293.40.

dei ſcientia reſpectu aliorum à ſe; num practica ſit, vel ſpeculatiua. 289.9.

dei ſcientia nec eſt vniuerſalis, nec particularis. pag. 123.42.

deo conuenit duratio formaliter. 189.9.

deum agere de neceſſitate naturæ, poteſt dupliciter intelligi. 19.43.

dei intellectio, ſecundùm Auerroem, eſt omnino ſimplex. 119.23.

deum ſolum omnipotentem, omnimodè neceſſarium docet .D.Tho. 91.11.

deum, vel nihil extra ſe, vel ſaltem hæc ſubcæleſtia non intelligere, de mente omnium ferè Peripateticorum, contra Alexandrum aſſerit Iulius Sirenius. pag. 106.31.

deum cognoſcere futurum vt futurum eſt, ex parte cognoſcentis, eſt blaſphemum. 188.3.

deus nouit Antichriſtum fore, ergo erit; quomodo valeat. 222.11.

deus nec eſt cauſa neceſſaria ſimpliciter, neque contingens, ſed vtraque ſuperior; nec aptius vocabulum habemus, quàm vt dicatur cauſa libera. 25.19.

deus ſi dicatur cauſa neceſſaria, de neceſſitate immutabilitatis eſt intelligendum. 25.22.

deus eſt author totius naturæ. 217.29.

dei prænotio, naturam rerum, proprietatemq. non mutat. 217.42.

dei præſenſione, naturam rerum neque proprietatẽ tollere, probatur duplici exemplo. 218.1. & .12.

dei præcognitio ſi rebus neceſſitatem inferre poteſt, erunt impoſſibilia neceſſaria. 219.1.

deus quantum ſit ex ſe, nullum intelligit futurum, ſed ratione noſtri tantùm. 234.33.

deus quomodo contingentia cognoſcat, ad catholicã veritatem 174.13.

dei cognitio habetur pro creaturas. 298.20.

deus eſt cauſa, quæ alijs cauſis ſunctis auxiliatur. pag. 244.28.

deus non eſt tota & integra cauſa, ratione operationum cuiuſque natur creatæ. 244.31.

deus quomodo regat omnia; declarat diuus Auguſtinus. 245.2.

deus in ſenſu compoſito, non habet potentiam vt nõ ſciat Antichriſtum fore. 210.13.

dei cognitio de creaturis, quæ producibiles ſunt non habet rationem practicæ notitiæ, ſed artis. 294.20.

dei cognitio, quæ ordinat creaturas in ſuum vltimum finem, habet rationem prudentiæ & ideo eſt practica. 294.42.

deus eſt omnium intelligentiarum cauſa agens, finis & forma. 309.44.

deus eſt omnium entium ſenſibilium efficiens cauſa, forma, & finis. 309.45.

deus fecit omnia per intellectum & voluntatem. pag. 243.1.

dei ſcientia reſpectu creaturæ, non eſt propter ipſius creaturæ productionem. 294.7.

dei varias tradiderunt philoſophi deſcriptiones. pag. 298.36.

deus non poteſt definiri. 298.43.

deum non eſſe corpus probat Damaſcenus. 298.44.

deus eſt in genere. 366.33.

deus non quandocunque ſciuit, creauit, ſed quandocunque voluit. 216.13.

deus non poteſt facere, vt id quod eſt præteritum non fuerit. 207.5.

deus mouet vt finis, & vt amatum. 108.15.

deus

Deus cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm vt ſunt in cauſis ſuis, ſed etiam prout ſunt actu in ſeipſis. 175.1.
deus cognoſcit omnia contingentia ſimul. 175.3.
deus omnia in ſeipſo, & nihil extra terminatiuè cognoſcit. 169.20.
deus nihil cognoſcit extra ſe, Auguſtinus ait. pag. 168.36.
deus cognoſcit creaturas, ſecundùm eſſe quod in ſeipſis habent, & quomodo. 170.35.
deus non eo modo agit in omnibus, quo intelligit. pag. 173.2.
deus peccatorum lapſus in ſe cognoſcit. 173.15.
deus quomodo dicatur cognoſcere futura. 195.31.
deus cognoſcit creaturas tanq̃ ſecundaria obiecta, non terminatiuè, at conſecutiuè tantùm. 160.31.
deus ex hoc quòd ſe cauſam cognoſcit omnium effectiuam, non ob id poteſt eorum perfectam habere cognitionem. 148.14.
deus intelligit aliquid extra ſeipſum, quomodo intelligatur. 165.28.
deus non per experientiam, nec per doctrinam, nec per conſuetudinem, ſicut homines; ſed per ſeipſum cognoſcit præſentia, præterita, & futura. pag. 107.18.
deus, res omnes creatas, ab aeterno diſtinctè, ac perfectiſſimè cognouit. 156.24.
deus omnia in ſeipſo, tanquam in omnium cauſa virtuali, & perfectionali intuetur. 153.29.
deus ſcit omnia ſecundùm vnam cauſae continentiã, ſicut tenebras per lucem. 153.39.
deus creaturas non niſi conſecutiuè cognoſcit. pag. 153.43.
deus ſeipſum intelligens, & cuncta quoque exiſtentia comprehendens, vna & eadem ſcientia omnia cognoſcit. 154.27.
deus ex eo quòd omnium cauſas in ſe uniformiter complexus eſt, omnia dicitur perfectiſſimè intelligere. pag. 155.5.
deus quomodo alia à ſe cognoſcat, opinio Scoti. 139.6
deus neſcit mala ſcientia approbationis. 135.1.
deus omnia nouit, optimus diſcurſus. 135.7.
deus quia eſt omnium prima cauſa, omnes effectus in ea praeexiſtentes, ſunt in eius intelligere. 135.21.
deus ſeipſum in ſeipſo, & alia non in alijs, at in ſua ſubſtantia cognoſcit. 135.22.
deus omnia nouit excellentiſſimo modo 135.31.
deus enunciabilia cognoſcit, & quomodo. 136.1.
dei ſubſtantia ſicut & immutabilis, ita eius ſcientiã immutabilem eſſe oportet. 136.11.
deus ſciuit aliquod enunciabile, quod neſcit; non tamen ob id ſcire ſuum tranſiuit in neſcire. 137.10.
deus comprehendendo ſeipſum, creaturas quoque per quandam ſequelam diſtinctè cognoſcit. 157.34.
deus cognoſcit futura contingentia in ſuis cauſis completis, atque determinatis. 176.12.
deus non intelligit continuum eſſe diuiſibile in infinitum potentia reducibili ad actum. 164.13.
deus omnes numeri ſpecies diſtinctè cognoſcit. pag. 164.43.
deus ſuam cognoſcendo eſſentiam, cognoſcit omnes cauſas. 160.7.
deus ſeipſum cognoſcendo vt cauſam perfectionalem, omnia diſtinctè cognoſcit. 160.23.
deus cognoſcit omnia quę nunquam ad actum reducẽtur, ſcientia ſimplicis intelligentiae. 134.36.
deus improbos ignorare dicitur, et quomodo. 134.39.
deus nihil extra ſe intelligit immediatè; ab eis ſcilicet ſcientiam acquirendo. 115.20.
deus iſta multa & plura intellecta, in ſeipſo vnitiuè intelligit. 115.23.
deus non alia à ſe cognoſcit, tranſeundo à ſui ipſius cognitione, ad aliorum cognitionem, prout ſunt in ſeipſis. 115.33.
deus extra ſe nihil intelligit, tanquam obiectum ſpeculatum & intellectum, eiuſq; terminans actum intelligendi. 115.40.
deus continet adunatè, virtualiter, & perfectionaliter, omnes creaturas. 117.40.
deus eſt totum ens eminenter. 118.6.
dei cognitio, nec debet dici vniuerſalis, nec particularis. 118.9.
deus omnia rationabiliter condidit. 149.4.
deus ſcientiã ab extra nullatenus acquirit. 145.44.
deus continet in ſe omnium entium perfectiones. pag. 127.25.
deus eſt ipſum eſſe per eſſentiam. 117.34.
deus eſt continens virtuale reſpectu omnium aliorũ à ſe, quaſi naturale. 117.7.
deus eſt continens perfectionale, reſpectu omnium aliorum à ſe. 117.9.
deus eſt continens intellectuale reſpectu aliorum à ſe. 117.11.
deus vnica actione intellectiua, poteſt omnia entia diſtinctè cognoſcere. 117.15.
deus reſpectu eorum quae ſunt ad extra eſt agens liberum. 29.2.
deus qui vniuerſo contingentiam voluit, ideo cauſas etiam voluit contingentes; non autem quia voluit cauſas contingentes, conſecutiuè voluit contingentiam; contra Albertum. 37.23.
deus attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, quomodo intelligatur. 245.10
deus res quas cõdidit ita adminiſtrat, vt eas proprios motus agere ſinat. 245.19.
deus eſt omnium cauſa efficiens, & finis. 245.22.
deus vult hominem eſſe dominum ſuarum actionum. pag. 245.25.
deus ſpeciali modo, hominis procurationem habet. pag. 245.41.
deus habet curam de bobus, & quomodo. 246.1.
deus ſingula cognoſcit per ſcientiam comprehenſiuã primi ſciti. 133.22.
deus multa de facto contingentia immediatè producit. 30.38.
deus reſpectu illorum quę immediatè producit eſt cauſa proxima, non tamen contingens formaliter, ſed virtualiter tantùm. 30.41.
deus vnica voluptate gaudet, quę in ſpeculatione cõſiſtit. 113.32.

deus

deus ſeipſum intelligendo, reliqua omnia cognoſcit. pagi. 114.2.

deus, nec vult, nec nouit, omnia abſolutè & immutabiliter euenire; ſed quadam immutabiliter, quadam verò à fortuna & caſu; quia ſic ipſe voluit, & ſtatuit. 38.2.

deus non cognoſcit creaturas diſtinctè, per earum ſimilitudines, atque ideas 149.23.

deus non quia hominis operationes nouit, ideò bona ſunt, vel mala; at contra, quia tales ſunt, vel futura ſunt, ideo eas nouit Deus. 248.15.

deus cognoſcit ſingularia vt ſingularia ſunt, Simplicius ait, contra Sirenium. 111.29.

dei cognitio non mutat naturam rei. 112.13.

deus omnia perfectiſſimè cognoſcit ſecundùm catholicam veritatem. 134.16.

deus nunquid intelligat alia à ſe, & quid in hoc ſenſerit Ariſtoteles. 101.2.

deus habet rationem optimi, & maximi intelligibilis, inquit Ariſtoteles. 98.6.

deus eſt primus omnium motor & cauſa, inquit Ariſtoteles. 104.36.

deo magis repugnat facere vilia, quàm eadem cognoſcere. 104.40.

deo magis repugnat quòd ſit omnium viliſſimus, quàm quòd eadem per ſe cognoſcat. 104.42.

deus non agit per modum naturæ, ſicut ignis producit calorem, ſed eſt agens, per intellectum & voluntatem. 105.2.

deus niſi hæc inferiora cognoſceret, ordo totius vniuerſi non permaneret, nec orbium cæleſtium cum illis inferioribus mirabilis proportio. 105.7.

deus ad aures Ariſto. hæc intelligit inferiora, atque materiata. 105.11.

deus quomodo ſeipſum & alia intelligat. 138.43.

deus eſt omnium cauſarum propriarum, & communium cauſa. 131.40.

deus omnes cauſas, proprias & communes, per ſuam cognoſcit eſſentiam. 131.42.

deus ſemper vna, ac ſimplici gaudet voluptate. pag. 103.8.

deus cognoſcit cuncta ſingularia, etiam materiata de mente Alexandri. 106.10.

deus non cognoſcit determinatè contingentia, inquit Alexander, & quare. 100.11.

deus non poteſt intelligere, ita ut aliud ſit cauſa efficiens ipſius intellectionis. 101.31.

deus ad aures Ariſtotelis eſt ſapientiſſimus. 104.5.

deus omnia compleuit, omnibusq́. ſuam dedit perfectionem, inquit Ariſtoteles. 104.10.

deus omnia intelligit in ſeipſo, & nihil accipit ab aliis, ſed omnia repræſentantur in eo. 131.18.

deus ex quo intelligit, nulla ob id ſequitur multiplicitas in eius ſubſtantia. 99.21.

deus eſt ſummè ſimplex, inquit beatus Dionyſius. pag. 99.23.

deus non eſt cauſa peccati. 247.4.

dei præſcientia & prædefinitio quid ſint. 247.10.

deus eſt nutrentis infiniti ſecundùm Ariſtotelem, inquit D. Tho. 86.33.

Deum agere de neceſſitate naturæ ſecundùm Ariſtotelem non omnes fatentur Thomiſtæ. 86.34.

deus ſolus æternus. 90.27.

deus creauit omnia liberè, & non neceſſariò. 90.32.

deus quare dicatur unus. 500.5.

deus nullo ſimplici nomine à nobis, ſecundùm totam eius perfectionem, adæquatè nominari poteſt. pag. 500.23.

deus quomodo ſit omnia quæ eſt. 502.11.

deus ipſe benedictus eſt qui ſumma cum ratione aliquãdo mouet hominis, impetiq́, eorũ mentes. 76.5.

deus comprehendendo eſſentiam ſuam, omnia cognoſcit. 127.11.

deus nim quandam ab initio indidit creaturis, qua vnaquæque illarum pro ſuiratione operari poſſit. pag. 244.2.

deus non agit quantum poteſt, at proportione tanti ad mobile, & paſſum. 87.7.

deus pronat merita tua, non tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua, quomodò intelligatur. pag. 836.30.

deus nihil facit abſque ratione. 856.16.

deus vult, vel amat creaturas propter ſuam bonitatem, quomodo intelligatur. 865.19.

deus quomodo operatur omnia in omnibus. 872.38.

deum quomodo quærere debeamus. 900.14.

deus mouet unumquodque ſecundùm ſuam propriam naturam. 883.10.

dei cognitio magis per ablationem, quàm per appoſitionem habetur. 300.34.

dei notitia manifeſta eſt ex mundi fabrica. 301.28.

dei auxilio non tollitur, ſed liberatur noſtrum liberũ arbitrium. 762.37.

deus voluntatem noſtram neceſſitare poteſt. 764.39.

In Deo ſumma ſcientia eſt & ſapientia, nulla admiſſa compoſitione. 100.35.

In Deo maxima eſt indifferentia inter intelligibile & intellectum, ait Ariſto. 98.17.

In Deo an ſit ſcientia nec ne. 98.2.

In Deo eſt maxima delectatio, inquit Ariſtoteles. pagi. 98.9.

In Deo præter diuinarum perſonarum Trinitatem, nulla penitus admittitur realis diſtinctio. 100.5.

In Deo ſolo propria & uera neceſſitas. 90.28.

Diagoras uoluit omnia caſu euenire 2.7.

Dialectica quid ſit. 324.14.

dialectica, ſiue logicæ natura. 324.12.

dicta Ioannis Pici contra Aſtrologiam refelluntur. pag. 619.34.

differentia inter abſolutum & reſpectiuum quænam ſit. 42.24.

differentia inter hominem in puris naturalibus, & in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutum. 682.25.

differentia declaratur inter modum reduplicatiuũ & ſpecificatiuum. 488.41.

differentia accidentalis in ſcientijs ſubalternis, non eſt niſi conditio. 468.34.

differentia inter Deitatem, & Diuinitatem. 308.21

differentia inter praxim, & notitiam practicam. pagi. 270.5.

differentia

Differentia inter ordinem & Methodum. 423.7.
Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, &c. quomodo intelligatur. 713.10.
Diogenes in multis errauit. 616.28.
Dionyſij Areopagitæ ſententia de libero arbitrio. pag. 804.34.
Dionyſij Areopagitę de Dei natura optima ſententia. 299.37.
Diſciplina ſumit rationem practici formaliter & propriè à ſolo fine. 284.41.
Diſciplinam aliquam dicere eſſe ſcientiam, eandemq́. practicam, eſt manifeſta contradictio. 280 19.
Diſciplinæ practicæ & ſpeculatiuę ſcopus. 286.12.
Diſciplinę à rebus pẽdẽt, in eis conſideratis. 329.34.
Diſciplinæ diuerſæ, diuerſas habent deductiones. pag. 279.34.
Diſputatio de ente & uno, inter Platonem & Ariſtotelem. 498.30.
Diſputatio quam habet Ariſto. in .8. phy. de primo motore, non eſt metaphyſica. 405.20.
Diſputatio incipit aduerſus hæreticos, de præparatione hominis ad gratiam. 892.14.
Diuina ſpeculatio eſt circa delectabiliſſimum & optimum, ait Ariſto. 98.25.
Diuinitas ubi eſt ex parte menſura, ibi nulla eſt contradictio. 195.2.
Diuiſio ſcientiarũ eſt diuiſio generis in ſpẽs. 401.33.
Diuiſio prima totius philoſophiæ. 271.30.
Doctorum authoritates adducuntur pro libero hominis arbitrio. 801.11.
Doctores ſancti quando dicunt, quod ex hoc quòd res futura eſt, ideo nouit eam Deus, quomodo intelligantur, contra quam plurimos exarat Author. pag. 252.36.
Dominicus ſoto redarguit Catharinum. 16.21.
Dominium dupliciter accipitur. 831.43.
Doctrinę ordo non inſequitur ordinem naturæ. pag. 529.10.
Duarum cauſarum particularium concurſus; per accidens poteſt eſſe, etiam ad virtutes cæleſtes relatus. 82.23.
Dubitationes contra liberum arbitrium. 827.40.
Dubitationes recenſetur contra ſubalternationem ſcientiarum. 465.19.
Duo genera ſubiecta, bifariam poſſunt eſſe diuerſa. pag. 466.9.
Duplex eſt effectus accidentalis, ſimpliciter, & ſecũdùm quid. 68.22.
Duratio attenditur ſemper, ſecundum quod aliquid eſt in actu. 189.22.
Durandus de Dei cognitione ſibi contradicit. 148.16.
Durandus ineptè redarguit D.Tho. de Dei cognitione, reſpectu contingentium. 176.36.
Durãdi opinio de Dei cognitione reijcitur ab Authore. 148.11.
Duratio non dicitur vniuocè de Deo, & creatura. pag. 189.13.

E

EA maxime ad cognoſcendum ſunt apta, quæ à materia diſiuncta ſunt maxime. 134.23.
Eccleſia catholica vbi ſit. 625.23.
Eccleſia Dei ab initio mundi originẽ habuit. 625.41.
Eccleſia Dei eſt vna, & perpetua. 626.19.
Eccleſiæ Dei vnica authoritas. 626.27.
Effectus an ſit voluntarius, vel fortuitus, laude vel vituperio dignus, ex intentione habetur agentis. pag. 39.16.
Effectus unuſquiſque denominatur a ſua cauſa proxima & immediata. 237.29.
Effectus diuini non continentur in diuina eſſentia, veluti rerum imagines in ſpeculo. 165.3.
Effectus à cauſa ſemper eodem modo ſe habente neceſſariò proueniens, eodem ſemper euenit modo. pag. 80.21.
Effectus qui præter alicuius cauſa intentionem euenit, ſit ab illa per accidens. 81.30.
Effectus ad vnam cauſam relatus, erit accidentalis; ad aliam uerò ſi referatur, erit per ſe intentus. pag. 50.11.
Effectus fortuitus, ab alia cauſa præterquàm à fortuna eſſe non poteſt. 50.19.
Effectus alicuius cauſa prima eſt contingens propter cauſam ſecundam, quia impeditur prima cauſa effectus, per defectum ſecundæ. 37.11.
Effectus cuiuſcũque agentis, ineuitabili neceſſitate ſequitur in ſubiecta materia, in ipſo quoque patiente; quando virtus efficientis tanta fuerit, quanta ad patientem materiam ſibi plenè ſubijciendã requiratur. 77.16.
Effectus dicitur caſualis, vel fortuitus reſpectu cauſa particularis; reſpectu autem cauſa vniuerſalis, dicitur prouiſus. 42.18.
Effectus conſequitur conditionem cauſæ ſuę proximæ. 42.7.
Effectus non denominatur niſi à cauſa per ſe. 5.28.
Effectus omnis cuiuſcumque particularis cauſę impedientis effectricis, ita formaliter, & ſimpliciter accepta, in cauſam reducitur cæleſtem. 87.45.
Effectus aliquis poteſt coniungi per accidens effectui per ſe. 69.17.
Effectus per accidens, cum effectu per ſe, eſt rarò aliquando coniunctus. 69.28.
Effectus tàm neceſſarius, quàm contingens, reducitur in cauſam proximam; ab eaq́. denominationem ſumit. 24.7.
Effectus duarum cauſarum ſubordinatarum in eodẽ genere cauſa, in cauſam reducitur ſuperiorem, per cauſam mediam. 79.38.
Effectus non ſequitur neceſſario à cauſa remota, niſi cauſa media ſit & ipſa neceſſaria. 76.22.
Effectus proueniens à cælo præter eius inclinationẽ, eſt accidentarius. 81.34.
Effectus agentis à propoſito, vt ſic, oportet vt ſit ab eo electus. 25.35.

Effectuum contingentium quidam ſunt frequenter, quidam rarò, quidam ad vtrumlibet. 8.8.
Efficiens, rem quam efficit cognoſcit, cognitione perfecta in genere, non ſimpliciter 148.31.
Eiuſdem ſcientia eſt, de genere & eius ſpeciebus pertractare. 569.20.
Eleemoſyna debet eſſe libera, & non coacta. 785.27
Elementa & mixta ſecundùm ſpeciem, præſupponuntur ipſi actioni cœleſti. 80.11.
Elementaris moles, atque materia virtuti cœleſti aduerſatur; contra Sirenium. 86.23.
Elementa non prius patiuntur, quàm informentur qualitatibus. 529.34.
Elementaris moles ad cœlum relata, rationem habet puncti; eius conſiderata quantitate, non autem ſi eius conſiderentur affectiones & qualitates. 87.10.
Eligere, iudicium dicit diſcretionis, & deſiderium conſecutionis. 635.12.
Enos præfigurabat ſocietatē piorũ hominũ 858.32
Ens mobile cum quæritur an ſit ſubiectum Naturalis diſciplinæ, quis ſenſus. 554.1.
Ens mobile, corpus mobile, ſubſtantia mobilis, &c. idem ſunt. 554.13.
Ens eſt vniuerſale ad omnia. 554.25
Ens propriè ſignificat ſubſtantiam; accidentia verò non niſi per translationem. 555.21.
Ens mobile non eſt compoſitum, ſed vnicam rem dicit. 600.25.
Ens per accidens non poteſt eſſe ſubiectum in aliqua ſcientia. 605.16.
Ens, principium, & ſubſtantia ſunt idem, inquit Alexander. 606.31.
Ens neceſſarium multò nobilius eſt, atque præſtantius, & magis ad vniuerſi perfectionem pertinens, quàm ens contingens. 24.29.
Ens bifariam conſideratur. 378.6.
Ens non dicit naturam ſuper ſubſtantiam. 372.2.
Ens & ſubſtantia eadem eſt natura. 372.5.
Ens quare videatur quid vniuerſalius ipſa ſubſtantia. 372.7.
Ens, ſubſtantia, primumq. rerum principium, idem propriè ſunt. 372.18.
Ens extra animam diuidit Ariſto. in ens per ſe, & ens per accidens. 142.2.
Ens in aīa & per accidēs ſecluditur à ſapiētia. 142.3
Ens rationis non eſt niſi duplex. 142.14.
Ens mobile eſt communius quàm ſit corpus mobile; inquit Caietanus. 572.4.
Ens mobile illud eſt quod propriè fit, inquit Caietanus. 576.44.
Ens mobile, quid incomplexum ſignificat. 581.11.
Ens mobile non prædicatur de accidentibus niſi in obliquo. 589.33.
Ens alio modo quàm genus, ſua reſpicit inferiora. pag. 599.20.
Ens omnia indiſtinctè, et confusè ſignificat. 599.25.
Ens ſi per aliqua verba diſtinguatur, nulla ibi datur compoſitio. 599.37.
Ens nō cōtrahitur per diuerſos modos eſſendi. 600.20.
Ens quomodo ſit vnum. 484.8.
Ens eſt analogum analogia attributionis. 484.16.
Ens reale & ens rationis quid. 486.37.
Entia quæ ſunt à Deo diſtincta, non continentur in eſſentia diuina cum quadam diſtinctione, prout in ſpeculo relucent. 114.44.
Entia omnia continentur in eſſentia diuina indiſtinctè, eminenter, & eleuatè; vt effectus in cauſis eminentibus. 114.45.
Ens aliquod eſſe contingens, tanq̄ manifeſtè verum eſt ſupponendum; at probari minimè poteſt; dicit Scotus. 18.22.
Ens multipliciter dicitur, inquit Iaueſius. 496.33.
Ens quatenus ens eſt ſubiectum in Metaphyſica, quem ſenſum habeat. 491.25.
Ens eſt nomen concretum. 499.42.
Ens & eſt quomodo ſe habeant. 501.20.
Ens dicitur de Deo, licèt ſit nomen concretũ 502.16.
Ens vt ens, ſubiectum eſt in Meta. 509.6.
Ens eſt natura omnium prima. 413.32.
Ens mobile eſt ſubiectum in Naturali Philoſo. 558.17
Ens mobile eſt baſis & fundamentũ eorum omnium, quæ in Naturali Philoſo. conſiderantur. 558.45.
Ens mobile & corpus mobile ſunt idem, ſecundum mentem D. Tho. 567.8.
Ens eſt vniuerſale ad omnia, vt nihil ſit vniuerſalius ipſo, & quomodo. 365.37.
Ens per reſultationem illud eſt, quod habet eſſe per eſſe alterius. 118.21.
Ens quare dicatur vnum genus. 482.23.
Ens, eſſentia, ſubſtantia natura, quomodo extendantur ad omnia. 367.24.
Ens quid propriè ſignificet. 366.10.
Enunciatio fundata in re contingente, extra ſuas cauſas exiſtente, dicitur, & eſt certa, atque determinata. 15.13.
Enunciationum quædam ſunt neceſſariæ, quædam impoſſibiles, quædam contingentes. 6.45.
Enunciatio fundata ſuper poſſe rei eſt de futuro, ſed non determinata. 13.21.
Enunciatio quando reſpicit eſſe rei, non eſt primo & ſimpliciter contingens; ſed neceſſaria, atque determinata, ſaltem ſecundùm quid. 14.1.
Enunciatio quando reſpicit ſimpliciter poſſe rei eſt indeterminata ſemper & contingens, nec ab aliquo intellectu; ſiue creato, ſiue increato, poteſt, ſub aliqua determinatione cognoſci. 14.8.
Enunciatio de futuro, nunquam conſtantem poteſt habere veritatem. 13.1.
Enunciationum contingentium triplex datur gradus. 8.14.
Enunciatio fundata ſuper eſſe rei eſt determinata, ſed non de futuro. 13.21.
Eorum quæ fiunt, quædam ſunt propter finem, quædam vero non. 63.5.
Epicuri opinioni de prouidentia, atque contingentia, vera aduerſatur philoſophia. 3.7.
Epicuri ratio contra prouidentiam. 2.23.
Epicurus negabat diuinam prouidentiam. 2.13.
Epiphanij ſententia de libero arbitrio. 814.16.

Errores

Errores non ex ſacra Scriptura educuntur, ſed ex eius mala interpretatione. 622. 19.
Errores non proueniunt ex philoſophia, ſed ex malè intelligentibus. 622.21.
Eſſe diuinum eſt in pluribus inſtantibus, ſine ſucceſſione. 188.33.
Eſſe creaturarum non eſt in propria earum voluntate, ſed in placito Creatoris. 243.20.
Eſſe in loco, æquiuocè conuenit corpori & Angelo. pagi. 598.8.
Eſſentia diuina quomodo à ſanctis dicatur ſpeculum. pag. 165.12.
Eſſentiam alicuius rei declarare, eſt quid tantum, & non propter quid ſit, aperire. 592.40.
Eſſentia diuina omnia ita perfectè continet, ac ſi diſtinctè contineret. 171.12.
Eſſentia diuina eſt omnium rerum fons, propria & communis ratio. 114.20.
Eſſentia diuina continet in ſe omnia indiſtinctè, in ſupremoq́., & perfectiſſimo gradu eſſendi. 132.44.
Eſſentiam alicuius rei comprehendens, rem illam perfectè cognoſcit. 128.10.
Eſſentia diuina ad omnes rerum eſſentias comparatur non ſicut commune ad propria, ſed ſicut actus perfectus ad imperfectos. 127.15.
Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas, inquit beatus Auguſtinus. 625.20.
Euſebij doctrina de libero arbitrio 813.36.
Euſtratij ſententia, qua probatur quòd Deus intelligit hæc inferiora. 109.19.
Ex eo quod res eſt aut non eſt, oratio dicitur vera vel falſa. 15.42.
Exemplis vtimur, non vt ita ſint, ſed vt audiant qui addiſcunt. 120.4.
Exemplorum requiritur manifeſtatio, & non verificatio. 120.4.
Exempla non habent vim probationum. 120.8.
Exemplum ad faciendam fidem, infirmiſſimum eſt argumentum. 120.9.
Ex intentione Authoris, licet inferre ſubiectum libri, & operis. 550.45.
Ex maiori neceſſaria, & minore contingente, ſequitur mox concluſio contingens. 79.24.
Ex neceſſario non ſequitur niſi neceſſarium. 210.43.
Exordium orationis quid ſit, & quos habeat partes. pag. 319.4.
Ex parte Dei nihil eſſe fortuitum & caſuale, Boetius ait. 41.35.
Exponunt Gregorius & Alphonſus opinionem ſuã de futuris contingentibus. 12.13.
Expoſitio prooemij libri de cælo. 413.36.
Expoſitio textus. 64. ſecundi phy. contra Zimaram. pag. 61.30.

F

Fabula eſt donum Dei. 315.38.
Facultas ſignificat poteſtatem. 635. 31.
Felicitas poſita eſt in noſtra poteſtate, non autem in poteſtate fortunæ; Ariſto. ait. 70.29.
Felicitas eſt nobiliſſimus effectus, inquit Ariſ. 70.43
Felicitas non poteſt prouenire à fortuna. 70.44.
Fides Eccleſiæ quomodo proſit infanti baptizato. pag. 660. 9.
Fides non deſtruit naturam. 312. 19.
Finis & obiectum in practicis diſciplinis, ſunt inter ſe diuerſa. 287.3.
Finis & obiecti proportio. 287.7.
Finis hominis duplex. 638.33.
Finis & perfectio ſunt idem 55.1.
Finis ratio formalis eſt ratio boni. 284.1.
Finis idea quæ eſt in forma, neceſſarium paris in materia 93.30.
Finis ſcientiæ duplex. 288.10.
Fomes cur dicatur immundus. 709.45.
Fomes pertinet ad corpus, reatus ad animã. 717 39.
Fonſeca & Philalthæus aberrant, de ordine doctrinæ pertractantes 432.6.
Fonſeca conciliat. D. Tho. 435.20.
Fonſeca impugnatur ab Authore. 435 25.
Formarum omnes perfectiones vnitiuè & ſecundùm modum excellentiſſimum, in Dei continentur eſſentia. 127. 1.
Forma per quam vnaquæque res in propria conſtituitur ſpecie, perfectio quædam eſt. 127.7.
Formæ iſtorum ſenſibilium, in ſuperioribus ſunt nobiliori modo, quàm ſint in materia. 120. 34.
Forma dat eſſe & nomen rei. 446.22.
Fortuna & caſus ſunt cauſæ multorum effectuum, et incertorum. 63.29.
Fortuna & caſus cauſæ ſunt efficientes, per accidens tamen. 33.15.
Fortuna & caſus vt ſint, prius natura alicuius debet eſſe cauſa per ſe. 33.28.
Fortuna quid ſit ſecundùm Peripateticos. 46.1.
Fortuna eſt in eligibilibus tantùm, caſus verò in omnibus. 46.7.
Fortuna eſt in his quæ rarò fiunt. 46.19.
Fortunam in bonam & malam diuidit Apuleius. pag. 40.18.
Fortuna & caſus an ad aures Theologorũ admitti debeant. 40.33.
Fortunam & caſum admittunt Theologi, in eodem ſenſu, quo docuit Ariſtoteles. 40.36.
Fortuna eſt comes conſilij & mentis. 63.27.
Fortunam multi expugnare contenderunt. 31.1.
Fortunam eſſe Deam, quidam ſenſerunt. 44.7.
Fortunam non datur reſpectu primæ cauſæ, at reſpectu ſecundarum, & proximarum. 40.38.
Fortuna non eſt cæca, ſed occulatiſſima. 76.24.
Fortuna & caſus quomodo ſub ſcientiam cadunt. pag. 39. 18.
Fortuna & caſus ad philoſophorum opinionem quid ſint.

ſint. 43.23.
Fortuna & caſus non aduerſantur fidei catholicæ. pag. 42.45.
Fortuna & caſus ſunt cauſæ ex accidenti, eorum quę vel mente, vel natura ſiunt. 63.25.
Fortuna & caſus ſunt etiam reſpectu Dei, ſecundùm Albertum. 36.8.
Fortunam cæteris cauſarum generibus non eſt concedendũ, niſi quatenus cum cauſa operatrice ad effectum fortuitum concurrunt. 47.11.
Fortunę definitio agitatur pluribus rationibus. pag. 48.18.
Fortuna non datur, nequidem caſus reſpectu ipſius Dei. 38.4.
Fortuna eſt ignobiliſſima, cùm ſit cauſa per accidens. pag. 70.44.
Fortuna ad ſolam cauſam reducitur efficientem. pag. 46.42.
Futura contingentia non cognoſcuntur à Deo, prout ſunt in ſuis cauſis incompletis, atque indeterminatis. 176.5.
Futurum non conſideratur ex parte ipſius Dei, ſed ex parte noſtri. 186.7.
Futurũ ſimpliciter acceptũ nõ eſt conting͂es. 177.37
Futurum eſt in triplici differentia. 249.34.

G

GAlenus quid ſentiat de medicina. 281.28.
Galeni ſententia de ſeptimo die. 346.24.
Generalis Dei influxus quid ſit. 918.24.
Genus naturam quandam dicit, & rationem obiectiuam. 599.21.
Genus logicum & ſpecies quid ſint. 338.44.
Genus & ſpecies, eandem habent naturam vniuerſalem. 69.45.
Geometria quomodo reperiatur in ſacris litteris. pag. 347.13.
Geometriæ primi inuentores. 347.14.
Georgij Vercellenſis opinio de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 561.5.
Grammatica eſt donum Dei. 315.26.
Gratia Dei non tollit liberum noſtrum arbitrium. pag. 760.17.
Gratia diuina & liberum noſtrum arbitrium quomodo ad opus noſtrum meritorium ſimul concurrant. 761.5.
Gratia in qua fuit primus homo creatus, non erat forma naturalis, ſed donum gratuitum. 640.58.
Gratia diuina & libertas noſtra, non ex æquo concurrunt ad hominis præparationem. 894.39.
Gratia diuina præueniens communicatur peccatoribus, abſque ullis eorum meritis. 894.45.
Gratia gratum faciens, an ſit ſubſtantia, vel accidẽs pag. 954.6.
Gratia gratum faciens non eſt ſubſtantia. 954.10.
Gratia gratum faciens eſt accidens. 954.21.
Gratia gratum faciens eſt in genere qualitatis. pag. 954.45.
Gratia gratum faciens eſt in prima ſpecie qualitatis. pag. 955.8.
Gratia Dei in anima noſtra ſimilis eſt horto regio. pag. 955.40.
Gratiam gratum facientem, habitum eſſe, & inhærentem qualitatem, non eſt de certitudine fidei. pag. 957.1.
Gratia diſtinguitur in creatam, & in increatam. pag. 943.26.
Gratia diuiditur in operantem & cooperantem. pag. 944.8.
Gratia operans & præueniens, cooperans & ſubſequens non differunt niſi ratione. 944.10.
Gratia Dei eſt vna, & quare dicatur multiplex. pag. 944.29.
Gratia gratum faciens, diuiditur etiam in operantem & cooperantem. 944.37.
Gratia præueniens duplex eſt. 945.1.
Gratia datur creationis, & redemptionis, & quid ex vtraque habeat homo. 941.1.
Gratia diuiditur in gratis datam, & gratum facientem. 942.2.
Gratia gratis data quid ſit. 942.27.
Gratia gratis data, & gratum faciens quibus differant. 942.38.
Gratia gratum faciens eſt longè nobilior, quàm ſit gratia gratis data. 943.6.
Gratia gratũ faciens ponit in homine grato aliquod donum Dei creatum. 951.8.
Gratia Dei formam nobis inhærentem impertitur. pag. 952.15.
Gratia in ſcripturis ſtat aliquando ꝓ fauore. 957.35.
Gratia gratum faciens cur ſic appellatur. 958.35.
Gratia, merces, & meritum, quid per ſe ſignificent. pag. 925.35.
Gratia prima ita habet rationem gratuiti, vt nullo modo compatiatur rationem debiti. 926.4.
Gratia quæ dicitur prima, bifariam conſiderari poteſt. 926.9.
Gratia diuina, peccatoris aufert ignorãtiam. 848.31.
Gratia diuina quomodo dicatur creari in anima humana. 964.5.
Gratia dupliciter poteſt intelligi, inquit D. Tho. pag. 945.38.
Gratiæ gratum facientis optima definitio. 957.7.
Gratia Dei præcedit etiam in nobis actum fidei. pag. 936.6.
Gratia Dei ſi daretur ſecundùm noſtra merita, iam non eſſet gratia. 761.22.
Gratia diuina creatur in anima; ſententia Authoris, contra Caietanum & Medinam. 961.30.
Gratia Dei ſemper præſto eſt cuilibet facienti quantum poteſt. 932.2.
Gratia diuina nunquid creetur, opinio Caietani. pag. 960.18.
Gratia diuina educitur de potentia animæ obedientiali; propterea non creatur; opinio Medinæ. pag. 960.31.
Gratia diuina quomodo ſit nobilior anima humana. pag. 964.34.

Gratia diuina quomodo perficiat animam noſtram. pag. 965. 2.
Gratia diuina eſt corruptibilis, & quomodo. 965.17.
Gratia diuina ſola, nec liberum arbitrium ſolum, ſed vtrunque ſimul hominem ſaluat. 966.28.
Gratiam vnà cum libero noſtro arbitrio, hominẽ ſaluare, probatur teſtimonijs ſanctorũ Patrũ. 972.10
Gratia præcedit meritum. 928.1.
Gratiã bene operãdi, fides quomõ merentur. 937.20.
Gratia diuina ſemper eſt præuia, & opus noſtrum incipit meritorium. 967.17.
Gratia gratum faciens, an ponat in homine grato aliquid creatum. 948.34.
Gratia diuina quotupliciter dicatur. 940.3.
Gregorij rationes contra Ariſtote. de contingentia diſſoluuntur. 15.30.
Gregorij magni doctrina enarratur de libero voluntatis arbitrio. 818.11.
Gregorius Ariminenſis contra Ariſtotelem de futuris contingentibus. 10.30.
Gregorij Ariminenſis doctrina de propoſitione de futuro contingenti. 11.10.
Gregorius Ariminenſis contra Aureolum de futuro contingenti. 11.30.
Gregorius ineptè reprehendit Ariſtotelem, de veritate contingentium. 16.40.
Gregorij Nazianzeni ſententia de libero arbitrio. pag. 812.28.
Gregorij Nyſſeni ſentẽtia de libero arbitrio. 810.23.

H

Habitus contemplatiuus extenditur ad intellectum, ſcientiam, & ſapientiam 277.43.
Habitus actiuus non extenditur niſi ad prudentiam. pag. 277.44.
Habitus intellectus quot ſint. 272.2.
Habitus qui dicuntur. 634.20.
Habitus in ſe & abſolutè conſideratus, quomodo diuidatur. 283.20.
Hæreſes recenſentur diuerſæ de libero hominis arbitrio. 738.21.
Hæreſis Valentini de libero hoĩs arbitrio narratur. pag. 739.38.
Hæreſis ab Authore confutatur contra præparationem ad gratiam 893.41.
Hæretici diuerſi varia & diuerſa ratione hominem libera ſpoliarunt voluntate. 764.6.
Hæretici cùm de libero hominis loquuntur arbitrio, nulla vtuntur diſtinctione. 642.2.
Hæretici arguunt contra diſpoſitionem ad gratiam. pag. 892.36.
Hæreticus eſt qui negat peccatũ originale. 656.26.
Hæretici nolunt omnia opera, quibus homo ſe præparat ad gratiam, etiam ipſam contritionem, eſſe peccatum. 892.24.
Hæreticorũ malitia in diligendis ſcientijs. 305.42.
Hæreticus & Hypocrita quomodo differant. 905.22
Hæreticorum peſſima conſuetudo. 751.27.
Hæreticorũ inter ſcribendũ vafrũ inſtitutum. 751.44
Hæretici modo negant, modò affirmant Apoſtolicas traditiones. 626.41.
Hæreticus eſt qui negat, Paulum Apoſtolũ loqui de peccato originali in cap. 5. ad Romanos. 656.27.
Hermes contra Epicurum de prouidentia. 3.16.
Hieronymi doctrina de libero arbitrio. 815.34.
Hilarij ſententia de libero arbitrio. 809.20.
Hilarius hæreticus negabat canticum eccleſiaſticum. pagi. 348.6.
Hyppocrates ſeptimum diem efficaciſſimum exiſtimabat 346.23.
Hiſtoria eſt donum Dei. 315.33.
Homo quà agens eſt naturale, eſt alterum à ſe ipſo, quatenus eſt agens à propoſito, & per intellectum. pagi. 60.45.
Homo ut eſt agens per intellectum effectum producit fortuitum; vt autem agens eſt naturale, effectũ producit caſualem & monſtroſum. 61.2.
Homo ſi monſtrum generet, atque theſaurum inueniat, & vtrunque præter eius intentionem, rationẽ habet fortunæ & caſus. 61.10.
Homo eſt ſubiectus caſui, ſecundùm doctrinam Ariſtotelis. 61.18.
Homo non niſi in actionibus ſibi naturalibus, caſui ſubditus eſſe poteſt. 63.22.
Homo reſpectu diuerſorum eſt agens à propoſito & naturale. 60.41.
Homo quà homo, agens eſt à propoſito; quatenus verò eſt animal, eatenus dicitur & eſt agens naturale. 60.26.
Homo primus peccans, nos in neceſſitatem præcipitauit. 828.18.
Homo baptizatus non generat ſecundùm ſuperiorẽ partem animæ ſed ſecundùm corpus. 661.37.
Hominis conuerſio ad Deum eſt quidã motus. 917.21.
Homo ratione materiæ neceſſariò corrũpitur. 29.22.
Homo eſt totius vniuerſi nobiliſſima ſpecies. 29.25.
Homo res eſt contingens impropriè. 29.33.
Homo quare dicatur ad imaginem Dei. 342 9.
Homo cum generatur, cur non dicatur peccare originaliter. 737.11.
Homine vno peccante, omnes quomodo in eo peccauerint. 737.29.
Homo eſt perfectus per ſcientias ſpeculatiuas, inquit Auerroes. 442.42.
Homo quomodo fuerit vulneratus in naturalibus. pag. 683.39.
Homo cum ſolo originali non fertur impenſius in ſenſibilia, quàm ſi eſſet in puris naturalibus. pag. 684.26.
Homo cum ſe ad gratiam diſponit, an id faciat viribus proprijs. 910.42.
Hominem facere quod in ſe eſt, accipitur tripliciter. pag. 911.8.
Hominis duplex eſt diſpoſitio ad gratiam. 912.2.
Homo ſine Dei gratia poteſt aliquid facere, & hoc ipſum faciendo non peccare. 914.25.
Homo non poteſt facere quod in ſe eſt, vt iuſtificetur ſine Dei adiutorio 914.35.

Homini facienti quod in ſe eſt, Deus nunq̃ denegat gratiam. 925.25.
Homo duas habet pręcipuas partes. 686.2.
Hominis pars ſenſitiua quomodo ſeruiat rationi. pag. 686.4.
Homo qui eſt in gratia, poteſt de congruo mereri primam gratiam alteri. 939.21.
Homo num poſſit primam gratiam de congruo mereri, diſputatur. 918.21.
Homo cùm pręparat ſe ad gratiam, non meretur gratiam. 909.30.
Hominis vitæ tres ſunt, & quæ. 863.35.
Hominem facere quod in ſe eſt, quid ſit. 864.23.
Homines cur dicerentur aliquando filij Dei. 857.40.
Homo ad pietatem cùm redit, non fit nouum figmentum; contra Caluinum. 773.26.
Hominem vt faciat quod in ſe eſt, monet optimus Deus. 900.4.
Homo non peccat in eo quod vitari non poteſt. pag. 841.17.
Homo per peccatum, quã libertatem amiſit. 832.37.
Hominem per peccatum, ductum fuiſſe in neceſſitatem, quomodo intelligatur. 833.21.
Homo ſine gratia diuina, nec diu peccatum vitare, nec ab eo reſurgere poteſt. 834.32.
Homo quomodo per peccatum originis perdidit libertatem arbitrij. 834.34.
Homo non niſi per Chriſtum iuſtificatur. 720.24.
Homines intellectu vigentes, naturaliter ſunt aliorũ rectores & domini, deficientes verò ſunt naturaliter ſerui. 486.23.
Homo in puris naturalibus, & in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutus, quomodo ſe habeat. 642.10.
Homo ex peccato Adam, quomodo fuerit deſertus. pag. 782.31.
Homo in peccato mortali, qui non eſt ſanatus per diuinam gratiam, poteſt cauere ſingula peccata mortalia. 775.30.
Homo ſine Chriſto, ſeruus eſt peccati. 853.13.
Hominem generari ab homine in infinitum uerum eſt per accidens, non per ſe. 5.35.
Homo in ſuum finem mouetur liberè. 823.22.
Homo quomodo ſe habuerit in initio ſuæ creationis. pag. 637.22.
Homo malè vtens libero arbitrio, ſe perdidit & ipſum. 641.23.
Hugonis de ſancto Victore ſententia de libero arbitrio. 821.2.
Humanis in actionibus datur aliquando liberum ſine uoluntario. 766.34.
Hymnus quid ſit. 348.18.
Hypocriſis quid ſignificet 904.40.
Hypocritæ ſunt pictores diaboli. 905.14.

I

IAcobus Zabarella ab Authore laudatur. 337.41
Ianellis doctrina reijcitur de duplici ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 570.35.
Ianellus ineptè redarguit Pomponatium de ſubiecto naturalis diſciplinæ. 570.39.
Ianellus ſibi contradicit. 591.1.
Id quod eſt, melius ſemper eſt eo, quod nullum habet eſſe. 54.1.
Ideæ non dantur in intellectu diuino, ſecundùm viam Ariſtotelis. 120.43.
Ideæ non requiruntur, ad hoc ut Deus cognoſcat creaturas. 149.15.
Ideæ ponuntur in mente diuina propter fieri, non propter intelligi. 149.21.
Ideas ponere cur ſit neceſſe. 149.36.
Idem poteſt eſſe neceſſarium & contingens. 219.17.
Idem poteſt eſſe vniuerſale & ſingulare. 219.23.
Idem eſt modus conſiderãdi in ſubalternante, & ſubalternata ſcientia. 470.21.
Impoſſibile eſt illud, cuius contrarium eſt neceſſariò verum. 224.8.
Impoſſibile eſt, aliquid quod eſt perfectionis in Deo, dependere à non Deo. 143.31.
Imperium duplex in animali. 686.5.
Immaterialitas ratio eſt quòd aliquid ſit cognoſcitiuum. 100.37.
Infantes trahunt peccatum ex Adam. 647.9.
Infantes naſcuntur filij iræ, atq. in remiſſionẽ peccatorum ſunt baptizandi. 647.17.
In contradictionibus de futuro contingenti ad vtrũlibet, & de ſubiecto ſingulari, non parua eſt difficultas. 7.33.
Indefinitę ſunt cauſa eius quod fit à fortuna; dicebat Ariſtoteles, 69.6.
Infallibilitas & certitudo, eſt intrinſeca & potiſſima perfectio ſcientiæ, vt ſcientia eſt. 217.9.
Inferiora & ſuperiora conſiderantur in eadem ſcientia, quando ſunt ſub eadem abſtractione à materia; ſecus non. 600.29.
Influxus generalis, & Dei ſpeciale auxilium quomodo differant 918.24.
Iniuſtum eſt quod fit præter dignitatem. 104.21.
In moralibus ratio eſt ſicut imperans, & mouens; vis appetitiua ſicut imperata & mota. 255.20.
In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. 146.11.
In omni propoſitione affirmatiua vera, prædicatum eſt aliquo modo vnum cum ſubiecto. 588.34.
In originali iuſtitia tria reperiuntur. 675.31.
Inueſtigare quid ſit ens; eſt inueſtigare quid ſit ſubſtantia, inquit Alexander. 606.29.
In iſtis inferioribus nõ ſequuntur effectus neceſſarij ex ipſo corpore cæleſti, etiam ſimpliciter accepto. pag. 79.28.
In rebus ſublunaribus dantur effectus caſuales reſpectu cæli. 78.15.
Inevitabile tripliciter ſumitur. 240.45.
In omni materia, ſubiectum, paſſio, & paſſionis principia ſunt æqualia. 572.38.
In quolibet ſenſu tria ſunt conſideranda. 424.30.
Inimicum noſtrum ſemper habemus nobiſcũ. 692.3.
Inter cauſam efficientem ſiue per ſe, ſiue per accidẽs, et eius effectum, ſemper ſeruatur proportio 34.12

In

In his quæ propter aliquid fiunt, ſunt aliqua coniuncta, quæ rarenter fiunt. 63.9.

Illa quæ inueniuntur caſu, ſunt monſtroſa, non naturalia, inquit Auerroes. 60.9.

Illud fruſtra eſt, & à caſu, quod proprium non conſequitur finem, & intentum. 62.5.

Inter ſcientiam & rem ſcitam, requiritur ſemper æqualitas. 137.15.

Intellectio diuina eſt reſpectu optimi & maximi intelligibilis, dicit Ariſtoteles. 98.23.

Intellectio Dei non ineſt ei ab extrinſeco, ſed ipſum ſeipſum intelligit; dicit Ariſtoteles. 102.26.

Initium Naturalis philoſophiæ ſecundùm Mirandulanum. 409.3.

Initiũ ſalutis noſtræ Deo inſpirante habemus. 762.5.

In omni demonſtratione ſunt tria. 545.35.

Inanimata, neque beſtiæ, neque pueruli quicquam faciunt à fortuna. 61.17.

In contradictionibus de præſenti & de præterito, in omni genere, altera ẽ determinatè vera, alteraq. determinatè falſa; ſiue affirmatiua ſit, ſiue negatiua. pag. 7.19.

In generatione animalis quinque conuenire oportet. pagi. 52.21.

In materia contingenti, quando ut in pluribus, vel rarò euenit prædicatum, tunc facilis eſt quæſtio. pagi. 8.27.

In quolibet enunciationum genere, ſecundùm triplex tempus, enunciationes poſſunt fieri contradictoriæ. pagi. 7.13.

Intellectus noſter, diuerſos formas de ipſo Deo conceptus 100.23.

Intellectus diuinus eſſentiam diuinam ſolùm diſtinctè intelligit omnibus modis; ſententia ipſius Zimaræ. 120.42.

Intellectus & uoluntas dupliciter conſiderari poſſunt. 255.45.

Intellectus & voluntas principia ſunt humanarum actionum. 267.39.

Intellectus practicus ratiocinatur propter finem. pag. 268.21.

Intellectus dicitur practicus à notitia practica. pag. 268.32.

Intellectum à Deo non eſt niſi unum. 131.24.

Intellectus & intellectum per ſe primò, in Deo ſunt omnibus modis idem; non autem quæ conſecutiuè intelliguntur. 131.31.

Intellectus quare dicatur ſpeculatiuus & practicus. pag. 264.21.

Intellectus practicus quomodo diſtinguatur à ſpeculatiuo. 265.5.

Intellectus humanus vnus exiſtens, duos habet modos operandi. 767.44.

Intellectus diuinus & ſua voluntas, ſunt potentiæ æquales ambitus obiectiuè. 166.16.

Intellectum mouet & perficit intelligens. 102.24.

Intelligere diuinum eſt perfectiſſimum, ſecundùm doctrinam Auerrois. 124.19.

Intemperantia circa delectationes, ſeruile eſt & beſtiale. 637.8.

Inſtrumenta animi noſtri, quomodo ſint ipſi conceptus. 325.8.

Inſtrumentum dupliciter ſumitur. 324.40.

Intentiones ſecundæ, quomodo fundentur in primis. pag. 325.23.

Intentio prima & ſecunda formaliter ſumuntur. & obiectiuè. 325.35.

Intentiones ſecundæ formaliter acceptæ ſunt inſtrumenta, quibus innatur intellectus noſter. 326.7.

Intentio cauſæ nihil aliud eſt, niſi quædam eius inclinatio ad effectus productionem. 81.31.

Intentio prima & ſecunda quæ ſint. 325.11.

Intentio noſtra non mutat eſſe rei, eius tamen rationem variat. 39.14.

Intentio duplex, actualis & habitualis. 53.23.

Inuentio theſauri non erit fortuita, ſi ab eo reperiatur, qui artem callet inueniendi theſauros latentes. pag. 65.27.

Inuentio theſauri cadit ſub arte & ſcientia, inquit Pomponatius 48.42.

Ioannis Baptiſtæ in deſerto prædicatio notatur, & declaratur. 897.6.

Ioannis Chryſoſtomi ſententia de libero arbitrio. pagi. 811.35.

Ioannis Damaſceni ſententia de libero arbitrio. pag. 812.40.

Ioannis Caſſiani doctrina de libero arbitrio. 815.9.

Ioannes de Baccone ſuam probat opinionem de Dei cognitione, authoritate. D. Dionyſij. 153.12.

Ioãnes de Baccone ſuam comprobat opinionem de Dei cognitione, authoritate. D. Auguſtini. 155.12.

Ioannes de Baccone non benè ſe geſſit in quæſtione de diuina præſcientia. 211.24.

Ioannes Picus contra Aſtrologos. 614.31.

Ioannis Pici dicta contra Aſtrologos reprobantur. pag. 616.4.

Ioannis Canonici opinio de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 595.1.

Ioannes Vvicleffus quo tempore fuerit enarratur, eiusq. de libero hominis arbitrio hæreſis deſcribitur. pag. 740.10.

Ioannes Huſſ, & Hieronymus de Praga, quo tempore fuerint. 740.15.

Ioannis Caluini origo narratur. 741.18.

Irenæi ſententia de libero arbitrio. 805.4.

Iſidorus quid dicat de Muſica. 348.34.

Iſychij ſententia de libero arbitrio. 821.39.

Iudicis poſt indulgentiam, non eſt metuenda ſeueritas. 690.25.

Iudicium eſt in apprehenſione. 145.28.

Iulius Strenius, Authoris amiciſſimus. 84.26.

Iulius Strenius contra. D. Tho. de virtute cœli reſpectu horum inferiorum. 84.26.

Iuſtificationis & creationis conuenientia, atque diſcrimen. 908 22.

Iuſtini ſententia de libero arbitrio. 806.8.

Iuſtitiæ diſtributiuæ & liberalitatis diſcrimen. pag. 933.32.

Iuſtitia originalis quid ſit. 637.43.

Iuſtitia originalis quare ſic dicatur. 638.5.

Iuſtitia

Iuſtitia quæ in lege eſt, ad comparationem Euangelicæ veritatis, immunditia nominatur. 849.8.
Iuſtitia noſtra, diuinæ iuſtitiæ comparata, ſordida, & non pulchra videtur. 850.3.
Iuſtitia originalis quo ad formale tantùm reſtituitur in baptiſmo. 735.9.
Iuſtitia dupliciter ſumitur. 890.20.
Iuuenalis ſententia de fortuna. 44.26.

L

Lactantius cõtra Epicurum de prouidentia. 2.20.
Lactantij ſententia de illo qui aliud ſentit, & aliud loquitur. 107.41.
Lex Moſaica cur dicatur lex mortis. 725.26.
Lex quomõ augeat deſideriũ malũ in hoĩe. 727.29.
Lex non dedit occaſionem peccandi, ſed ipſum peccatum occaſionem accepit à lege. 727.35.
Lex Moſis mortua eſt per Chriſti aduentum. 723 38
Lex eſt cauſa cognitionis peccati. 727.1.
Lex adquid ordinetur. 727.2.
Lex non tollit, ſed oſtendit peccatum. 727.12.
Legis vtilitas quæ ſit. 694.43.
Legem ſeruare, & eſſe in operibus legis quomodo differant 794.5.
Legis intentio quænam ſit. 891.12.
Legis triplex eſt actus. 891.17.
Lex Moſis non iuſtificat, ſed ſolus Chriſtus. 853.8.
Lex quomodo ſubintrauit vt abundaret delictum. pag. 909.8.
Lex quomodo ſit iuſtis & iniuſtis poſita. 891.21.
Lex peccati quæ ſit. 890.6.
Liberalis qui propriè dicatur. 927.29.
Libertate arbitrij ſublata, non eſt cur homo redarguatur. 845.14.
Libertas dupliciter accipitur. 776.6.
Libertas arbitrij duplex. 632.39.
Libertas eſt in voluntate, arbitrium in intellectu. pag. 633 24.
Libertas in homine triplex. 753.16.
Libertas triplex reperitur. 641.7.
Libertatem quam propter peccatum perdidit homo. pag. 641.13.
Liberum hominis arbitrium quid ſit. 630.1.
Liberi hominis arbitrij dignitas. 630.13.
Liberi hominis arbitrij infirmitas. 630.28.
Liberum hominis arbitrium, niſi Chriſti beneficio curari non poteſt. 630.40
Liberi hominis arbitrij formalis definitio. 631.23.
Liberi arbitrij libertas non conſiſtit in poſſe peccare. 631.35.
Liberi arbitrij definitio competit etiam Deo, & Angelis. 631.42.
Liberum arbitrium res eſt de ſolo titulo, dicebat Lutherus. 848.2.
Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, aiebat Lutherus. 848.10.
Liberum hominis arbitrium rationibus comprobatur. pag. 823.5.
Liberum arbitrium quomodo voluntatem includat & rationem. 635.8.
Liberum arbitrium dicitur facultas voluntatis & rationis. 634.1.
Liberum arbitrium eſt potentia, nõ habitus. 634.7.
Liberum arbitrium iuuatur per diuinam gratiam. pag. 759.16.
Liberum dari hominis arbitrium poſt lapſum naturę humanę ſimpliciter probatur. 779.2.
Liberum arbitrium ſine gratia non valet niſi ad peccandum. 852.8.
Libero ſublato hominis arbitrio, nihil proſunt exhortationes. 823.28.
Libero non exiſtente arbitrio, peior eſſet hominis conditio, quàm cuiuslibet beſtiæ. 823.34.
Libero ſemoto arbitrio, in Deo eſſet non modica ſæuitia. 823.42.
Liberum niſi homo habeat arbitrium nec virtus, nec vitium in eo habet locum. 826 2.
Liberi arbitrij deſtructio examinatur. 633.30.
Liberum arbitrium bifariam accipitur. 633.37.
Libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit & ipſum. 828.2.
Liberum noſtrum arbitrium comparat Auguſtinus iumento, gratia verò ſeſſori. 969.41.
Liberum arbitrium ſine gratia iuſtificante, non poteſt meritoriè viuere. 853.27.
Libero ſublato hominis arbitrio, non erit quod ſaluetur. 824.16.
Liberum arbitrium ad flatum diuinę gratię non cadit, ſed erigitur magis. 862.11.
Liberum arbitrium in quo ſit per peccatum diminutum. 641.34.
Liberum arbitrium nunquam eligit malum per ſe. pag. 637.10.
Libertas protoplaſti qualis fuerit. 637.16.
Liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, inquit Auguſtinus. 763.12.
Liberum arbitrium eſt in ſecunda ſpecie qualitatis. pag. 634.28.
Liberum arbitrium eſt potentia appetitiua. 634.42
Liberum arbitrium habent omnes homines, tam boni quàm mali. 754.3.
Liberum hominis arbitrium paruum eſt ad bonum, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono. 782.24.
Liberum arbitrium tria pręcipuè ſecum fert conſideranda. 867.34.
Liberum quid ſit, optimè declaratur. 766.20.
Liber prędicamentorum quomodo agat de rebus vocibus, & conceptibus. 335.29.
Liber de interpretatione, quomodo continuetur libro prędicamentorum. 336.32.
liber de interpretatione cur ſic inſcribatur 336.43.
Libri aliquando non à ſubiecto, ſed ab intentione inſcribuntur. 550.42.
Liber de partibus animalium pręcedit librum de anima Ariſto. 535.42.
Libri de anima Ariſtotelis vbi locandi. 537.21.
Liber qui dicitur quartus Meteororum, eſt pars libri de generatione, & quaſi complementũ illius. 530.7.

libri

Libri de generatione & corruptione, quo pacto tractent de quatuor elementis. 529.25.
Liber de Hiſtoria animalium Ariſtotelis, ſequitur ad librum Meteororum eiuſdem. 531.24.
Libri de animalibus Ariſtotelis, quem ordinem adinuicem habeant. 532.5.
Liber prædicamentorum de quibus tractet. 334.7.
Liber prædicamentorum eſt Logicus. 334.13.
Liber quartus Meteororum vbi locandus 519.2.
Libri quarti Meteorarum inſcriptio eſt vitiata. pag. 528.28.
Logica quid ſit. 324.35.
Logica eſt habitus intellectualis, & inſtrumentalis. pag. 330.15.
Logicam cur Ariſtoteles inter habitus intellectuales non connumerauerit. 330.24.
Logica ſubiectum conuenit modo operationis. pag. 330.36.
Logica non eſt diabolica, ſed diuina; contra hæreticos. 337.43.
Logica reperitur in ſacra ſcriptura. 338.4.
Logica primi libri ſubiectum, ſecundùm D. Auguſtinum. 338.6.
Logicæ definitiones quomodo veritatem habeant in primis, & in ſecundis intentionibus. 331.32.
Logicæ facultate vti poſſumus, vbicunque eſt verum & falſum. 291.43.
Logica facultate vti poſſumus, in omnibus artibus. pag. 292.3
Logica & philoſophia vti in ſacris diſputationibus non eſt abſurdum. 623.23.
Logica nec de rebus, nec de vocibus, nec de conceptibus propriè tractat. 334.18.
Logica cur agat de vocibus, & nominibus. 335.9.
Logica traditur partim ordine reſolutiuo, partim nõ, & quare. 337.30.
Logicam Græci appellarunt inſtrumentalem. 325.5.
Logica dupliciter ſumitur. 326.19.
Logica eſt partus philoſophiæ. 326.30.
Logica eſt ſimpliciter neceſſaria pro acquirendis ſcientiis. 326.31.
Logicæ finis quid ſit, & quotuplex. 327.2.
Logica habet rationem artis. 327.36.
Logica non eſt propriè ars. 327.38.
Logica non eſt propriè ſcientia. 328.6.
In logica quare duplex admittatur ordo. 432.34.
Ludouicus Cartarius conciliat. D. Tho. 568.23.
Ludouici Cartarij reijcitur conciliatio pro D. Tho. pag. 568.45.
Lumen ſicut naturaliter ſequitur Solem, ità veritas Deum 313.37.
Lumen quid ſit, diuerſorum opinio. 298.21.
Luna recipit lumen à Sole. 875.8.
Lutheri contradictio. 693.42.
Lutheri tolluntur rationes & aliorum, contra doctrinam de peccato originis. 694.5.
Lutherus quo tempore fuerit. 740.25.
Lutherus vt hæreſes ſuas faciliùs diſſeminare poſſet, omnibus cuiuſcunque conditionis & ſtatus, fores amicitiæ aperuit. 740.35.
Lutheri & inſequentium rationes enarrantur, contra Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, de libero hominis arbitrio ſanctiſſimum decretum. 741.39.
Lutheri hæreſis narratur de libero hominis arbitrio. pag. 742.17.
Lutherus volebat, omnia ineuitabili euenire neceſſitate. 744.29.
Lutherani pro ſe inducunt cap. 7. Epiſtolæ Pauli ad Romanos. 723.25.
Lutherus nec ſcripturam, nec ſeipſum intelligit. pag. 859.37.
Lutherus ſibi aduerſatur. 859.40.
Lutheri diſſoluuntur rationes contra liberum arbitrium. 847.37.
Lutherus dum Eccleſiam Romanam impugnat, ſuam ipſius deſtruit doctrinam. 855.5.
Lutherana ſimul & Caluiniana hæreſis de libero arbitrio diruitur. 751.10.
Lutherus ſibi contradicit. 848.1.
Lutheri contradictio. 848.20.
Lutheri contradictio. 686.38.
Lutheri contradictio. 704.15.
Lutheri doctrina ſeipſam deſtruit. 691.33.
Lutherus arguit contra doctrinam de peccato originali. 676.2.

M

Machometus volebat omnia ex neceſſitate euenire. 211.1.
Magentini de Dei præcognitione notabile dictum. pag. 110.5.
Magis & minus vniuerſale bifariam conſiderari poteſt. 444.18.
Magis aduerſa quàm proſpera fortuna, hominibus prodeſſe videtur. 511.18.
Magnus amor Dei erga homines 920.22.
Malum non cognoſcitur niſi per bonum. 173.23.
Manichæorum origo, deq. libero arbitrio opinio & hæreſis recenſetur. 738.37.
Martinus Chimnitius arguit contra doctrinam de peccato originali. 680.37.
Martini, Caluini, & aliorum hæreſis de peccato originis ab Authore confutatur. 681.17.
Mathematica abſtrahit à ſenſibilibus, quomodo intelligatur. 441.3
Mathematica non ſumit à Naturali illud principiũ, Continuum eſt diuiſibile in infinitum. 441.16.
Mathematicas eſſe propter exercitium, quomodo intelligatur. 442.31.
Mathematicæ diſciplinæ quomodo demonſtrent. pag. 452.44.
Mathematica diſciplina & Naturalis quomodo differant, & conueniant. 610.28.
Mathematicus quomodo abſtrahit. 610.35.
Mathematicus abſtrahendo non peccat. 610.45.
Mathematicus quomodo poſſit quantitatem abſtrahere a ſubſtantia. 402.2.
Mathematica non eſt ſcientia, inquit Pererius; idq. probat

probat multis rationibus. 448.25.
Mathematicas diſciplinas prius antiquitus addiſcebant. 433.45.
Mathematica non eſt vera philoſophia. 479.13.
Mathematicorum quorundam opinio enarratur de libero hominis arbitrio. 738.30.
Mathematica, cum ſit naturali abſtractior diſciplina, cur ſit prior ordine doctrinæ. 440.27.
Mathematicus quomodo abſtrahit à motu. 611.28.
Mathematicæ diſciplinæ diuiſio. 612.12.
Materia prima non eſt ens mobile. 589.20.
Materia, forma, & priuatio excedunt ſubſtantiam mobilem formaliter, non tamen virtualiter. 573.4.
Materia cuilibet, iuxta eius potentiam eſt annexa priuatio. 583.21.
Materia eſt neceſſaria propter formam. 94.7.
Materia intelligibilis quid ſit. 611.40.
Materia eſt cauſa contingentiæ ſecundùm peripateticos. 23.4.
Materia, forma, & priuatio, ad genus ſubſtantiæ non arctantur. 572.43.
Materia tota horum ſubcœleſtium virtuti cœli eſt omnino ſubiecta; dicebat Ocham. 77.19.
Materia in ſua prima notione potentiam includit; cõtra Themiſtium. 395.1.
Materia eſt cognitu difficillima. 440.37.
Medicinam eſſe theoricam quantum ad eius primam partem, quantum verò ad aliam, practicam; eſt omnino falſum. 280.27.
Medicina non eſt propriè ſcientia. 280.37.
Medicina eſt ars mechanica. 277.8.
Medicina omnia ſua colligit ex Naturali philoſophia. 281.3.
Medicina eſt ars. 281.1.
Medicorum tractationes non ſunt ſcientiales, neque demonſtratiuæ. 281.19.
Medicina eſt donum Dei. 315.4.
Medicina dicitur ars mechanica impropriè. 283.29.
Medicina tradenda eſt ordine reſolutiuo; inquit Auerroes. 292.25.
Medicina quid ſit. 430.44.
Medicina non eſt propriè practica. 277.6.
Medium in demonſtratione quid ſit. 457.40.
Medium in demonſtratione dupliciter ſumitur. 452.1.
Medium in demonſtratione eſt definitio paſſionis, non eſſentialis, ſed cauſalis. 18.39.
Medium in demonſtratione ſi ſit definito ſubiecti, id eſt per accidens, nec eſt medium vt ſic, ſed vt eſt cauſa immediata paſſionis. 18.35.
Membra corporea quomodo dicantur ſeruire animo. pag. 686.12.
Mens & ratio quonam imperium habeat in ſenſibilem partem. 686.14.
Meritum de congruo quomodo differat à merito de condigno. 920.42.
Meritum de congruo rationibus probatur. 923.6.
Meritum de congruo quid ſit. 926.14.
Meritum & merces ſunt relatiua. 926.26.
Meritum de congruo qui docent, non ſunt dicendi pelagiani. 930.35.
Meritum de congruo ab Authore cum ſuis fundamentis reijcitur. 931.9.
Meritum congrui ſi tollatur, non ob id ſequitur acceptio perſonarum in Deo, vt arbitrabatur Scotus. pag. 934.12.
Meritum de congruo reijcitur ab Authore. 925.34.
Metaphyſica de quonam agat ente. 486.8.
Metaphyſicus quomodo de mobilibus agat, & eo nõ obſtante, quare dicatur agere ſimpliciter de immobilibus. 396.17.
Metaphyſica diuiditur in pediã & ſciẽtiam. 477.14.
Metaphyſica quo ſit ordine diſtributa. 477.20.
Metaphyſica quomodo ſit ſapientia. 478.14.
Metaphyſica eſt ſapientia. 477.21.
Metaphyſica non conſiderat quidditates rerum in particulari. 491.32.
Metaphyſica quomodo probet principia aliarum ſcientiarum. 444.29.
Metaphyſica quomodo conſiderat ſpecies entis. pag. 379.38.
Metaphyſica non conſiderat quidditates in particulari. 380.40.
Metaphyſica non eſt primo loco addiſcenda. 437.14
Metaphyſica eſt dignior alijs ſcientijs. 437.17.
Metaphyſica eſt omnibus alijs ſcientijs neceſſaria. pag. 493.11.
Metaphyſicę principalius ſubiectum quid. 510.30.
Metaphyſica de mobilibus agit per quandam ſequelam. 398.2.
Metaphyſica cur dicatur agere ſimpliciter de immobilibus. 398.19.
Metaphyſica conſiderat omnes ſpecies entis, & quomodo. 376.8.
Metaphyſica quomodo ſit vna. 480.36.
Metaphyſica cur et quomodo probet ſubſtantias abſtractas eſſe. 505.15.
Metaphyſicam agere de ente quà ens, de primis rerum cauſis & elementis, de principijs entis; æquiualens eſt ſermo. 505.17.
Metaphyſica tractat per ſe de motu, mobilibus, & immobilibus, Mirandulanus ait. 385.19.
Metaphyſica quia eſt prior, ideo eſt etiam vniuerſalis. 364.36.
Metaphyſica ſubalternat ſibi omnes alias ſcientias; inquit Iulius Sirenius. 459.36.
Metaphyſica quomodo ſit vniuerſalis, et quouſque ſe extendat. 373.37.
Metaphyſica eſt primò & propriè ſpeculatiua. pag. 456.1.
Methodus quid ſit. 422.42.
Methodus duplex in diſciplinis. 436.45.
Metra ſunt à ſpiritu ſancto. 316.36
Michaelis de Bononia Carmelita, commentaria in pſalmos. 232.44.
Mobile accipitur dupliciter ſecundum Caietanum; ſcilicet ſubiectiuè, atque terminatiuè. 571.36.
Mobilitas ſumitur tripliciter. 604.8.
Mobilitas eſt ratio formalis ſubiecti Naturalis philoſophię contra Zimaram. 396.1.
Mobilitas, ſeu naturalitas formale eſt ſubiecti Naturalis

turalis philoſophiæ. 561.22.

Mobilitas eſt ratio formalis ſubiecti Naturalis diſciplinæ. 576.10.

Mobile dupliciter conſiderari poteſt. 563.3.

Mobile ſubiectiuè dupliciter ſumitur. 575.34.

Mobilia an ſint iuris Metaphyſicæ. 397.33

Modus quo Deus trahit quos vult iuſtificare. eſt duplex. 912. 12.

Modus cognoſcendi ſequitur modũ eſſendi. 7.35.

Modus quo præparatur homo ad gratiam, optimè deſcribitur. 893.45.

Modus conſiderandi ſumitur à modo definiendi. pagi. 564.31.

Monſtra errata eſſe in natura, & certam habere cauſam, contradictionem includit. 63.38.

Monſtra non habent cauſam certam & determinatam. 63.40.

Monſtra ſi à caſu fiunt, nullam habent certam cauſam, nec determinatam, contra Pomponatium. pag. 64.3.

Monſtra non cadunt ſub ſcientia, contra Pomponatium. 64.11.

Monſtra ſi relata ad aliquam proximiorem cauſam, caſu & præter intentionem fiant; nequaquam tamen caſu, aut præter intentionem fieri dicuntur, ſi ad primam cauſam referantur; Simplicius ait. pagi. 60.2.

Monſtra quæ ſunt ab homine, habent cauſam extra; contra Zimaram. 62.28.

Monſtra habent cauſam intrinſecam ratione materiæ. 62.32.

Monſtra & caſualia ſi formaliter ſumantur, non habent cauſam, niſi extrinſecam. 62.33.

Monſtra ob vniuerſi orbis pulchritudinem ſunt à natura intenta ſecundùm aliquos, quorum opinio reiicitur ab Authore. 52.45.

Monſtra fiunt in iis quæ non ſemper, ſed vt plurimũ agunt, & eodem modo. 51.5.

Monſtrum eſt naturę peccatum, ob aliquem finẽ agentis. 51.9.

Monſtrorum varia ac multa ſunt genera. 52.15.

Monſtrorum cauſæ ad quatuor reducuntur principales ſecundum Albertum. 52.16.

Monſtrorum cauſæ principales, & generales ſub ſe multas habent particulares cauſas. 52.20.

Monſtra num caſu fiant, vel intenta ſint à natura. pag. 50.37.

Monſtrum eſt naturæ peccatum, ſiue defectus, ob aliquem finem agentis, a quo fruſtratur, aliquo labefacto principio; dicit Ariſto. 50.43.

Mõſtra aliquando appellat Ariſto. oſtenta, aliquando portenta, aliquando monſtra, aliquando prodigia. 49.7.

Monſtra dicuntur effectus præter naturam, quia eorum cauſæ accidentariæ ſunt, nec à natura intentæ. pag. 55.19.

Monſtra quare diuerſis appellentur nominibus declarat D. Auguſtinus. 49 10.

Monſtra ſunt à natura. ſed non ſecundum naturam facta; à caſu autem non niſi impropriè; dicebat Autor. 59.14.

Monſtra cum ſint priuationes & præter naturam, neceſſe eſt illa naturę accidere. 54.45.

Monſtrorum quæ dicuntur cauſæ, non ita dicuntur; quia intendunt monſtra. 64.18.

Monſtra habent cauſas accidentales, & ſine quibus monſtra non eſſent. 64.23.

Monſtrum, quà monſtrum, idem eſt quod peccatum & error. 58.39.

Monſtra peccata dicuntur, quia ſunt pręter naturã, & intentionem agentis. 59.9.

Monſtrum ſi ſit ab homine, non eſt à fortuna, ſed magis à caſu. 60.43.

Monſtra quà monſtra, cauſam non habent in ſyderibus. 66.6.

Monſtrum vt monſtrum, cauſam non habet niſi priuatiuam. 66.34.

Monſtrum, quà monſtrum, non habet finem. 58.1.

Monſtra nec ad perfectionem, nec ad vniuerſi orbis tutelam attinent. 57.37.

Monſtra quatenus monſtra ſunt, eſſe per ſe intenta, eſt impoſſibile. 57.43.

Monſtra à caſu propriè, atque ſimpliciter fiunt. Authoris opinio. 65.1.

Monſtrum ex defectu materiæ, non ſemper prodeunt eodem modo. 52.37.

Monſtra quà monſtra, priuationes ſunt. 53.45.

Monſtra ſi conſiderentur non vt monſtra ſunt, at quatenus ſpecies quędam & naturæ ſunt; eatenus cauſam habent determinatam. 65.11.

Moralis diſciplina, demonſtrationes non habet exquiſitas. 279.21.

Moralis philoſophia eſt ſola propriè practica. pag. 276.16.

Moralia non addiſcimus vt ſciamus, ſed vt boni ſiamus. 279.40.

Mors occidens mortem eſt ipſa vita. 879.22.

Mors & corruptio ſunt propter finem, & intenduntur à natura, & quomodo. 94 9.

Mors & corruptio, materiæ inſequuntur neceſſitatẽ; dicebat Auerroes. 93 35.

motus ſecundum ſuam quidditatem, non eſt quid diſtinctum ab ipſis decem generibus. 579.44.

motus non eſt ſine corpore phyſico. 580.29.

motus notus eſt per id quod mouetur. 191.35.

motum eſt notius motu. 591 37.

motum eſſe, non poteſt demonſtrari. 591.37.

motus non eſt pręter res. 579.40.

motus non eſt ſine ſubiecto. 579.43.

motus æquatur enti mobili. 600.43.

motus duo ſunt cordis humani. 906.19.

motus quid ſit 189.26.

motus non eſt ratio formalis ſubiecti Naturalis philoſophiæ, ſecundùm Mirandulanum. 385.25.

multis D. Tho. authoritatibus probatur ens mobile, corpus mobile, & corpus naturale, idem eſſe. pag. 570. 1.

multæ ſunt hiſtoriæ atteſtantes, nunquam monſtra apparere, quin magna ſubſequantur. 49.4.

multa ſunt quæ præter intentionem agentium remotiorum

tiorum eueniunt & patientium; quæ tamen reſpectu agentium proximorum & patientium, naturalia ſunt, & propria. 93.3.

Multa dicit Paulus Apoſtolus de lege Moſaica. pagi. 726.30.

Mundus ille ſuperior, ſiue corpora cœleſtia ſimpliciter accepta, ſunt entia ex neceſſitate; ait Ocham. pag. 77.27.

Muſica prout ab Arithmetica diſtinguitur, nihil habet ſibi proprium, niſi cognitionem quòd ita ſit. pag. 469.30.

Muſicam ignorare, antiquitus erat tam turpe quam literas neſcire. 349.39.

Muſicus principaliter attendit proportionem in ſono. 468.2.

Muſicæ primus inuentor quis fuerit. 350.8.

Muſicæ prima principia reperiuntur in ſacris Scripturis. 350.10.

Muſicam quomodo inuenerit Pythagoras. 350.14.

Muſica eſt ſacris literis valde familiaris. 348.2.

N

Narratio quid ſit, & quot eius ſint conditiones. 319.25.

Natura non nutrit, nec auget monſtra; contra Zimaram. 60.10.

Natura rem quamcunque facit, aut quia neceſſaria eſt, aut quia melius ita eſt; inquit Ariſtoteles. 60.15.

Natura nutrit & auget monſtra, ea ratione, qua animalia ſunt, & ſpecies quędam. 60.16.

Natura id quod melius eſt ſemper intendit. 66.35.

Natura in generatione eſt ſicuti pictor. 62.40.

Natura ſi erret generando, error eſt ab ea per accidens, propriè vero à caſu. 62.44.

Natura nunquam intendit defectum, neque priuationem, niſi ſecundum quid. 67.20.

Natura talem à prima cauſa non habet ordinem, vt ſemper ad debitam, & proportionatam formam operetur, eiusq́ actio terminetur. 38.22.

Natura & mens cauſæ ſunt efficientes. 63.26.

Naturalis philoſophię diuiſio quæ ſit. 516.6.

Natura & mens ſunt cauſæ effectuum certorum, & definitorum. 63.29.

Natura in generatione, animal, & non priuationem intendere debet. 54.3.

Natura ſemper rei melioris author eſt. 54.15.

Natura ſignificat eſſentiam. 555.3.

Natura non habet in ſe principium motus & quietis. 602.12.

Naturalitas, minimè autem mobilitas, eſt ratio formalis ſubiecti Naturalis diſciplinæ; inquit Zimara. 603.22.

Naturale, mobile, ſenſibile, corporeum, quid ſint. pag. 561.25.

Natura eſt principium motus & quietis. 562.2.

Naturale non vſitatur tantum ad non artificiale; contra Caietanum. 610.4.

Naturalis philoſophus quomodo conſideret corpus cœleſte. 415.27

Naturales ſubſtantię non poſſunt conſiderari ante omnem rationem motus. 395.10.

Natura propriè & per ſe dicit motum. 393.1.

Naturalis philoſophus non cōſiderat niſi naturale. pag. 393.22.

Naturalis quomodo non abſtrahat à materia ſenſibili. 611.16.

Natura non vniuocè, ſed analogicè dicitur de caducis, & æternis. 583.7.

Natura eſt ratio formalis omnium quę conſiderantur in naturali diſciplina. 392.42.

Natura nihil aliud eſt, quàm aliquis modus eſſendi. pag. 127.37.

Naturalis philoſophus non tractat de ſubſtantia penitus immobili, primo & per ſe. 408.34.

Natura alicuius ſi ſit ſimplex, ei ſemper eadem actio erit iucundiſſima. 103.7.

Naturale non dicitur de materia nec de forma. pag. 576.22.

Natura non poteſt intelligi ſine motu. 563.32.

Naturales Philoſophi veritatem de Deo habuerunt. pag. 306.45.

Naturalis diſciplina non incipit à libris de cœlo, contra Mirandulanum. 412.3.

Natura ſi ſecundaria intentione intendit monſtra, illa non per accidens, at per ſe intendere videtur; contra Pererium. 53.36.

Natura ponit potentiam deficiendi in omnibus, in quibus eſt caſus; dicebat Pomponatius. 49.24.

Natura quæ intendit, certam habent cauſam, & determinatam. 50.5.

Natura vniuerſi perfectionem intendit atque integritatem. 50.6.

Naturalis philoſophus quomodo tractet de immobilibus. 404.14.

Natura penès quam ſumptum eſt ens, eſt omnium prima. 365.43.

Neceſſitas quid ſit. 91.34.

Neceſſitas modus eſt, rei cui ineſt intrinſecus & poſitiuus. 91.41.

Neceſſarium abſolutum quid ſit. 92.2.

Neceſſarium ex ſuppoſitione quid ſit. 92.21.

Neceſſarium ex ſuppoſitione, plures ac diuerſas habet nomenclaturas. 92.29.

Neceſſitas relationis quid ſit. 92.39.

Neceſſitas dupliciter ſumitur. 220.8.

Neceſſitas in ſenſu diuiſo, & in ſenſu compoſito, aptiſſimo declaratur exemplo. 220.40.

Neceſſitas conſequentis, et conſequentię declaratur. pagi. 221.10.

Neceſſaria ex ſuppoſitione, connexione duorū enunciatarum exprimuntur. 95.2.

Neceſſitas ex ſuppoſitione à forma ſubiecti antecedentis, quę per eiuſdem prędicatum exprimitur, originem trahit. 95.4.

Neceſſarium ex relatione quid ſit 93.9.

Neceſſitas unde originem trahat. 93.18.

Neceſſitas tripliciter ſumitur. 776.8.

Neceſſitas materiæ ſequitur finem. 93.33.

Neceſſitas.

Neceſſitas omnis deſumitur à forma, 93.37.
Neceſſitas materia eatenus refertur, quatenus in forma eſt finis. 94.1.
Neceſſarium quot modis ſumatur ab Ariſt. 88 30.
Neceſſitas immutabilitatis, quæ in ſcientia Dei reperitur, non inducit neceſſitatem ſimpliciter in effectu. pag. 217.11.
Neceſſarium ſimpliciter & ſecundùm quid admittũt ſacri noſtri Theologi. 90.7.
Neceſſarium ex ſuppoſitione, ſuapte natura eſt contingens & abſolutè. 38.11.
Neceſſarium quid ſit, optimè declaratur. 768.4.
Neceſſariũ habet rõnem vnius, et immobilis. 20.40.
Neceſſarium & contingens ſunt modi entis poſitiui, & contradictorie opponuntur. 230.25.
Neceſſitas an ſit, requiritur. 88.20.
Neceſſitas ex ſuppoſitione, ſpecies eſt neceſſitatis, non contingentia; contra Streniũm. 236.1.
Neceſſarium eſt illud, cuius oppoſitum eſt neceſſariò falſum & impoſſibile. 224.21.
Neceſſitas excuſat à peccato. 781.22.
Neceſſariũ abſolutè bifariam intelligi poteſt. 207.21
Neceſſarium multifariam accipitur. 231.22.
Nemo incipit credere ſine Dei auxilio. 913.27.
Nihil eſt in genere, quin ſit in eius aliqua ſpecie. pag. 494.44.
Nihil eſt in homine liberum, quia ſit ſpontaneum & voluntarium. 777.14.
Nihil tam in noſtra poteſtate, quam ipſa voluntas eſt. 770.4.
Nihil fit niſi cuius ortũ legitima cauſa p̃ceſſit. 31.16.
Nihil intelligitur niſi verum. 140.37.
Nihil poteſt perfectè ſciri, & cognoſci, niſi cognoſcãtur quæcunque per ſe inſunt illi. 439.12.
Nihil poteſt eſſe de neceſſitate materiæ, quod non ſit propter quod eſt materia neceſſaria. 94.6.
Nihil poteſt moueri nec fieri in rebus ſublunaribus ſine motu primi cæli. 88.8.
Nihil habet eſſe niſi per formam. 286.6.
Nitimur in vetitũ ſẽper cupimusq́. negata. 727.17.
Nodus quæſtionis de diuina præſcientia in quo conſiſtat. 210.28.
Nominalium opinio de monſtris defenditur ab Authore contra Sueſſanum. 56.15.
Nomẽ vniuerſaliſſimum à natura deſumitur vniuerſaliſſima. 577.16.
Nomina concreta quomodo Deo cõueniant. 501.42.
Non aliquid fieri poteſt, quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit, famoſa apud Ciceronem propoſitio 40.10.
Non omnis effectus naturalis conditio ita eſt reducibilis in cauſam cæleſtẽ, quod non in aliam. 79.2.
Non omnia quæ rarò eueniũt ſunt à fortuna. 46.19
Non verè ens, veram non habet cauſam. 81.14.
Non omne impedimentum quo impeditur impreſſio cæleſtis ab effectu per ſe intẽto, reduci debet in corpus cæleſte ſimpliciter. 79.19.
Non omne quod fit de nouo, cauſam habet per ſe, et propriam. 83.18.
Non eſt impoſſibile ſimplicem hominem viuere ſine peccato. 853.1.
Non licet tranſcendere de genere in genus. 462.1.
Non omne per accidens eſt rarum. 69.15.
Notandum pulcherrimum de Deo & homine pro libero arbitrio. 752.35.
Notitia dicitur practica à praxi. 268 33.
Notitia confuſa, nullam parit ſcientiam. 440.45.
Nouem prædicamenta quomodo conſiderentur in Meta. 505.42.
Nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum eſſe. 493.41.
Nulla ſcientia probat ſua principia. 440.1.
Nulla ſcientia conſtituit ſibi ſubiectum. 574.11.
Nulla ſpecies eſt à caſu, dicit Auerroes. 60.8.
Nullo honore dignum eſt, quod eſt ocioſum & nihil agit. 101.20.
Nullus poteſt accuſare Deum, ſi naſcatur peccato infectus. 736.41.
Numerus quid ſit. 344.3.
Numerus eſt tripartitus. 344.7.
Numeri paſſio quæ ſit. 344.12.
Numerus pariter par, pariter ĩpar quid ſit. 344.18.
Numeri perfecti qui ſint. 344.26.
Numeri ratio quomodo in ſacra pagina reperiatur. pag. 344.30.
Numerus quadragenarius quot habeat myſteria. pag. 345.5.
Numerus ſeptenarius eſt mirabilis. 345.42.
Numerꝰ ſenarius nõ eſt bis, ter, ſed ſemel ſex. 116.17
Numeri ſi collantur, tolluntur omnia. 347.4.
Numeris omnia conſtant, quę certa fuere. 343.43.

O

OBedientia non eſt ſine libero arbitrio. 846.9.
Obediẽtia nulla datur ſine libero arbi. 824.30.
Obiectum ſecundarium eſt duplex. 160.32.
Obiectum electionis illud ẽ, quod eſt ad finẽ. 634.45.
Obiectum ſecundarium terminare actionem agẽtis, implicat contradictionem. 170.22.
Obiectum terminans dupliciter ſumitur. 163.1.
Obiectũ formale p̃ſcientiæ ẽ futurũ de certo. 241.16
Obiectum præſcientię quodnam ſit. 233.18.
Omiſſio ad hoc quod ſit voluntaria, tria requiruntur. 766.40.
Omnes cauſæ in vnicam reducuntur optimi Dei voluntatem. 41.14.
Omnia præter Deum, ſunt abſolutè, & ſimpliciter contingentia. 90.34.
Omnis potentia data eſt à natura, tam actiua quam paſſiua, non vt deficiat, at vt perficiat. 67.17.
Omnia conſiderata in ſcientia, in vna conueniunt ratione formali. 964.1.
Omne quod eſt de nouo, propriam habet cauſam, dicebat Auicenna. 76.45.
Omnium prædicamentorum intrinſeca principia, ea ſunt ſecundùm proportionem. 582.19.
Omne per accidens reduci ad per ſe, triplicem habet ſenſum. 35.2.
Omnia quæ futura ſũt, Deo iã facta ſunt. 196.23.
Oẽ accidẽs ad id quod ẽ per ſe reducitur ſiꝑ. 31.23.

Omne agens per ſe, agit propter finem aliquē 39. 7.
Omnis actio eſt aliquo fine determinata. 39. 1.
Omne quod mouetur, ab alio mouetur. 307.38.
Opera quædam facit Deus ſine nobis, quædam nos ſine Deo, quædam fiunt ab vtroque ſimul. 9: 8.33.
Opera noſtra ante gratiã iuſtificantem, non ſunt omnia peccata. 861. 8.
Opera moraliter bona, neque vitæ æternæ neque ſupplicij merita ſunt. 908.6.
Opera bona ſunt neceſſaria ad ſalutem. 708.40.
Operationes cognoſcentis, vt cognoſcens eſt, ſunt cognita. 126.18.
Opera ſunt ſex, quibus adulti diſponuntur ad iuſtitiam. 895.14.
Opera humana quædam ſunt media inter Deo grata, & odioſa. 914 16.
Opus moraliter bonum, & quicquid facit homo ex facultate naturę proprię, non eſt diſpoſitio ad gratiã. pag. 917.13.
Opinio Pauli Soncinatis de Dei cognitione, cum ſuis rationibus. 167 6.
Opinio Lelij Ballionij de Dei cognitione, cum ſuis rationibus. 167.15.
Opinio Pauli Soncinatis & aliorum de Dei cognitione reprobatur ab Authore. 168. 6.
Opinio D. Tho. de pręſcientia & contingentia recenſetur. 202.4.
Opinio Ariſtotelis de contingentia, veritati & chriſtianę religioni eſt maximè conformis. 22.4.
Opinio Ianduni, Iauelli, & Cartarij de vniuocatione ſcientię. 447 1.
Opiniones reijciuntur ab Authore de vniuocatione ſcientię. 447.16.
Opinio Heruei de Dei cognitione reijcitur ab Authore. 150.41.
Opinio Tho. ab Argentina de Dei cognitione. 151.30.
Opinio reprobatur Tho. Argen. de Dei cogni. 151.38.
Opinio Alphonſi Toletani de Dei cognitione. 151.44.
Opinio refellitur Alphõſi Tolet. de Dei cogni. 152 4
Opinio Aegidij de Dei cognitione. 152.14.
Opinio reijcitur Aegidij de Dei cognitione. 152.19.
Opinio Ioannis de Baccone, de modo quo Deus cognoſcit creaturas. 152.33.
Opinio Antonij Mirandulani de vnitate ſcientiae, recitatur ab Authore. 356. 27.
Opinio Mirandulani de vnitate ſcientiae reijcitur ab Authore. 359.39.
Opinio Alexandri & Simplicij de ſubiecto Naturalis philoſophiae. 560.28.
Opinio Zimarae de ſubiecto Natu. philoſo. 560.43.
Opinio Toleti de ſubiecto Naturalis philo. 560.45.
Opinio D. Tho. de cognitione Dei, eadem eſt cum illa Ioannis de Baccone. 159.39.
Opinio Alpharabij de ſubiecto Metaphy. 493.25.
Opinio examinatur Thomiſtarum de ſubiecto Naturalis diſciplinae. 588.5.
Opiniones variae de Dei cognitione, in ſchola Peripatetica. 105.22.
Opinio Themiſtij de Dei cognitione 105.26.
Opinio Themiſtij de Dei cognitione refellitur ab Auerroe. 105.29.
Opinio Alexandri de Dei cognitione. 106. 8.
Opinio Richardi de Mediauilla de Dei cognitione, eadem eſt cum illa Ioannis de Baccone. 155 39.
Opinio Petri de Palude de Dei cognitione 149.2.
Opinio Paludani de Dei cognitione reijcitur ab Authore. 149.13.
Opinio Pauesij de ſubiecto Meta. reijcitur ab Authore. 498.26.
Opinio Iauelli de ſciẽtia practica enarratur. 284.5.
Opinio Pererij de ſciã practica enarratur. 284.25.
Opinio Iauelli & Pererij de practica diſciplina reijcitur ab Authore. 284.31.
Opinio Alphonſi Toletani eadem eſt cum illa Grego. de futuris contingentibus. 12.7.
Opinio Gregorij Ariminenſis eſt, quod propoſitio de futuro contingenti, ſit determinatè vera, vel determinatè falſa. 11.11.
Opinio Gregorij de futuris contingentibus reijcitur ab Authore. 12.26.
Opinio D. Tho. de ſubiecto Naturalis philo 566.30.
Opinio noſtra de ſubiecto Naturalis diſciplinę, eadē eſt cum illa D. Tho. 566.35.
Opinio enarratur Alberti Pighij de gratia gratum faciente. 948.37.
Opinio examinatur Alberti Pighij de gratia gratum faciente. 950.18.
Opinio Pauesij de ſubiecto Metaphyſica. 496.21.
Opinio Toleti de monſtris. 57.4.
Opinio Toleti de mõſtris impugna. ab Autho. 57.12.
Opinio D. Tho. vera de Dei praeſcientia. 1215.6.
Opinio docens quòd Deus cognoſcit aliquid extra ſeipſum. 165.41.
Opinio Pererij de abſtractione quantitatis à ſubſtantia. 402.10.
Opinio Pererij de abſtractione quantitatis à ſubſtantia reijcitur ab Authore. 402.32.
Opinio Heruei de Dei cognitione. 150.22.
Opinio Durandi de Dei cognitione. 147. 39.
Opinio Aureoli de Dei cognitione. 143.3.
Opinio Zimarae de Dei cognitione, breuibus enarratur. 121.11.
Opinio Zimarę de Dei cognitione, reprobatur ab Authore. 122. 40.
Opinio Ioan. Iacobi Pauesij de Dei cognitione reijcitur ab Authore. 133.31.
Opinio Iauelli de Dei cognitione, ſecundùm Auerroem. 133.43.
Opinio Iauelli reprobatur ab Authore de Dei cognitione. 134.7.
Opinio Sirenij de virtute cœleſti in hęc inferiora reijcitur, pro ſalute D. Tho. 85.25.
Opinio eorum qui dicebant, quòd remoto libero arbitrio, omnia in rebus ſubcœleſtibus ex neceſſitate et ineuitabiliter eueniunt. 76.37.
Opinio Aegidij de bona fortuna reijcitur. 69.45.
Opinio Iauelli reijcitur de bona fortuna. 70.24.
Opinio Zimarę de Monſtris. 59. 14.
Opinio Zimara de mõſtris impugna. ab Auth. 59.22.
Opinio Sueſſani de monſtris. 58.14.

Opinio

Opinio Sueſſani de monſtris reijcitur ab Aut. 58.36.
Opiniones diuerſa recenſentur, circa illam conditionalem, cuius antecedens eſt neceſſarium, etiam conſequens. 199.9.
Opinio Mirandulani de ſcientia Naturali reprobatur. 386.33.
Opinio Lucilli philalthei de ſubiecto Naturalis philoſophiae. 601.31.
Opinio dicentium, Deum ad aures Ariſto. ea quae ſunt extra ipſum intelligere. 103.42.
Opinio Sireni de Dei cognitione contra Alexandrũ, reijcitur ab Authore. 107.11.
Opinio Scoti reijcitur de radice contingentiae. 25.8
Opinio Zimarae de Dei cognitione, contra Baconẽ, enarratur. 119.6.
Opinio dicentium, Deum nihil extra ſe intelligere, de mente Ariſtotelis. 101.5.
Opiniones Caietani & Medina de creatione gratiae impugnatur ab Authore. 960.38.
Opinioni de merito congrui fauere uidetur Auguſtinus. 924.34.
Opinio Ioannis de Baccone circa praxim, impugnatur ab Authore. 266.5.
Opinio reijcitur Mirandulani ab Authore, de principio Naturalis diſciplinę. 409.41.
Opinio reijcitur Magiſtri ſententiarum & aliorum de peccato originali 668.27.
Opinio enarratur D.Tho., de ſcientia practica in Deo. 289.13.
Opinio Ioannis de Baccone de praxi. 263.35.
Opinio Pighij de peccato originali. 670.42.
Opinio Auempaces de ſubiecto Meta. 492.24.
Opinio reijcitur Pererij de uniuocatione ſcientię. pag. 450.18.
Opinio Pighij reijcitur de peccato originali. 672.16
Opinio reijcitur illorum, qui fortunam aſſerebant Deam eſſe. 44.28.
Opinio Alexandri declaratur, circa locum quarti libri Meteororum. 519.11.
Opinio D.Tho. de Dei cognitione reſpectu contingẽtium. 174.35.
Opinio Nominalium de monſtris. 55.28.
Opinio Scotiſtarum exaratur de ſubiecto Naturalis philoſophia. 593.23.
Oportet condolere cũ quis indignè uexatur. 104.19.
Oppoſitionum quatuor modi declarantur. 230.26.
Optima ratio contra Caluinum, qua probatur concordia Praſcientia Dei cum libero arbitrio. 977.38.
Oratio exponitur dominicalis. 711.4.
Oratoris officium quodnam ſit. 71.19.
Ordo quid ſit. 422.13.
Ordo compoſitiuus datur in ſpeculatiuis, reſolutiuus autem in practicis tantùm. 431.16.
Ordine doctrinæ à notioribus nobis ſemper eſt progrediendum. 425.25.
Ordo natura & ordo doctrina dicunt duo diuerſa. pag. 426.16.
Ordinis & Methodi aliud & aliud munus. 427.25.
Ordo doctrinæ non ſemper progreditur ab uniuerſalioribus, ad minus uniuerſalia. 428.18.
Ordinis doctrinę ſpecies quot ſint. 429.40.
Ordinem cauſę particularis aliquid poteſt exire, nõ autem ordinem cauſae uniuerſalis. 42.12.
Ordo uniuerſi declarat Deũ eſſe & prouidẽtiã. 3.10.
Ordo doctrinae unde ſumatur. 516.15.
Ordo doctrinae eſt duplex. 428.20.
Ordo ſicut eſt in rebus, ita & in diſciplinis. 273.44.
Ordo naturae quid ſit. 422.15.
Ordo doctrinae quid ſit. 422.28.
Ordo reſolutiuus, & Methodus reſolutiua quid ſint. 436.24.
Ordo accidentiũ in animalibus, qualis ſit. 534.20.
Ordo Naturalis philoſophiae deſcribitur. 516.4.
Origenis pulchra ſententia. 74.16.
Origenis doctrina de libero arbitrio. 814.34.
Origenis ſententia de diuina praeſcientia, à diuerſis diuerſimodè exponitur. 250.3.
Originali culpae duplex fuit debita pœna. 662.5.

P

PAnis quem petimus in oratione dominica, quomodo ſit noſter. 837.40.
Papa vtranque habet poteſtatem, nimirum ſpiritualem & temporalem. 959.23.
Parentes Ieſu quando ipſum quaerebant, & quomodo. 899.10.
Paruuli morte praeuenti non baptizati damnantur. pag. 652.23.
Paſſio vt poſſit demonſtrari de ſubiecto, ſufficit vt eius ſit aliqua propria & immediata cauſa. 18.41.
Paſſiones vnius ſubiecti non poſſunt demonſtrari de alio. 359.43.
Paſſiones communes quomodo demonſtrantur de prima natura. 508.5.
Pater omnipotens quomodo ad Chriſtum trahit peccatores. 902.39.
Pater baptizatus, bifariam conſideratur in generatione prolis. 660.31.
Paulus cur Timotheum circunciderit. 323.45.
Paulus Apoſtolus cur dicat, ſe venundatum eſſe ſub peccato. 720.36.
Paulus Apoſto. nõ damnat verã philoſophiã. 305.1.
Paulus Apoſtolus cum dicit per vnum hominem intraſſe peccatum in mundum, loquebatur de peccato originali. 653.2.
Pauli Apoſtoli quae ſit intentio & ſcopus in Epiſtola ad Romanos. 886.5.
Paulus Apoſtolus, cur fidem ab operibus diſtinguit. pag. 937.39.
Paulus Apoſtolus quomodo dicat ſe viuere, & nõ viuere. 879.40.
Pauli Apoſtoli cap.7. ad Romanos, in tres partes diuiditur, & exponitur ab Authore. 723.31.
Paulus Apoſtolus cur nocet Concupiſcentiam peccatum. 696.18.
Peccatum originale an ſit. 644.37.
Peccatum originale quid ſignificet. 666.42
Peccati originalis definitiones diuerſae. 667.18.
Peccauimus omnes per voluntatem Adae, & quomodo.

modo. 735.27.

Peccatum originale eſt verè, & propriè peccatum. pag. 736.2.

Peccatum originale eſt in oĩbus voluntariũ. 736.6.

Peccatum originale aufertur per baptiſmum reatu, remanet tamen actu & quomodo. 661.15.

Peccatum actuale non imputatur hominibus ratione peccati originis. 844.11.

Peccatum originale quomodo ſit noſtrum, & non noſtrum. 664.8.

Peccato originali ſumus formaliter peccatores. pag. 664.18.

Peccatum originale quomodo in nobis dicatur voluntarium. 664.37.

Peccatum nullum eſt, niſi voluntarium. 664.41.

Peccatum originale q̃liter tranſeat in alios. 734.14.

Peccati originalis vera definitio. 675.28.

Peccatum ad mortem quid ſit. 716.43.

Peccatum propagatione, non imitatione, generi inaſit humano. 654.6.

Peccatum quod mox per poenitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit. 775.33.

Peccatum originale non habet directè rationem culpæ perſonalis. 736.19.

Peccatum Adæ tranſit in omnes homines, inquit D. Anſelmus. 672.43.

Peccatũ quomodo mortuum erat ante legem Moſaicam. 728.1.

Peccatum quare dicatur in nobis originale, in Adamo autem minimè. 737.30.

Peccati originalis definitio Magiſtri ſenten. 668.2.

Peccati originalis definitio ſecundũm Pighiũ. 672.5.

Peccatum quid ſit, ex diuo Auguſtino. 674.16.

Peccati definitio conuenit vniuocè omnibus peccatis. 674.21.

Peccatorum multiplex ratio. 710.17.

Per peccatum, liberum arbitrium hominis, poſſibilitatis bonũ perdidit, non nomẽ & rationẽ. 643.29.

Pelagius quid de peccato ſenſerit originali, 644.49.

Pelagij confutatur hæreſis de pctõ originali. 647.2.

Pelagij origo narratur, ſimul atque eius de libero hominis arbitrio hæreſis. 739.25.

Pelagij rationes diſſoluuntur contra peccatum originale. 656.40.

Pœna quomodo ſit cauſa culpæ. 662.25.

Pererius reprehenditur, quia poſuit ens ſupra ſubſtantiam. 555.39.

Pererij tolluntur rationes pro monſtris erecta. pag. 55.11.

Pererij ſententia de triplici corpore reprobatur. pag. 562.30.

Pererij opinio de monſtris reprobatur. 53.21.

Pererij rationes diſſoluuntur de vniuocatione ſcientiæ. 455.25

Pererij opinio de vniuocatione ſcientiæ. 448.20.

Peripatetici quid de fortuna dicant. 45.24

Peripatetici triplex genus admittunt contingentiũ. pag. 10.10.

Peripatetici ponunt ſcientiam in Deo & quomodo. pag. 99.15.

Peripatetici volunt, æterna neceſſaria eſſe ſimpliciter. 89.33.

Peripatetici neceſſarium admittunt ſimpliciter, & ſecundùm quid. 89.39.

Peripateticorum doctrina de bina neceſſarij acceptione, fidei catholicæ minimè aduerſatur. 90.5.

Petrus Apoſtolus diſputat cum Simone mago de libero arbitrio. 802.25.

Philippus Melanchthon ſuam doctrinam retractauit de libero arbitrio 891.41.

Philippi Melanchthonis dictum quoddam exponitur, & reijcitur. 885.34.

Philippi Melanchthonis opinio & hæreſis de libero arbitrio. 751.3.

Philoſophiam ſacra ſcriptura non aduerſari, probat Author contra hæreticos. 313.13.

Philoſophiæ illa pars quæ dicitur actiua, eſt verè, et propriè practica. 274.14.

Philoſophi naturales antiqui, omnia crediderunt eſſe naturalia. 391.17.

Philoſophiam in ſpeculatiuam & practicam non diuiſit tantùm Ariſtoteles 272.35.

Philoſophiæ vera & propria definitio. 272.37.

Philoſophia humana vtilis, & ſemper eſt honoranda. 303.28.

Pighius ſibi contradicit. 673.43.

Pighij rationes diſſoluuntur de peccato originali. pag. 674.14.

Piorum eſt, etiam ea deſiderare, quæ non futura ſciunt. 877.23.

Plato Philoſophiam in tres partes diuiſit. 275.44.

Plato voluit Mathematicas diſciplinas eſſe ſcientias; contra Pererium. 450.22.

Platonici exiſtimabant fortuita contingere Dæmonũ poteſtate. 73.5.

Plato vnicam Dei prouidentiam, neque minimæ negligentem, affirmat 40.15.

Plato & Ariſtoteles nunq̃ damnarunt Aſtrologiam. pag. 616.37.

Plato admittit fortunam ſicut Ariſtoteles. 39.25.

Plato quid per legitimam cauſam intelligat. 34.11.

Plotinus extendebat prouidentiam vſque ad arborũ folia. 4.41.

Plutarchus quæ ſuæ erant profeſſionis ignorabat. pagi. 616.35.

Plutarchi ſententia de prouidentia contra Epicurũ. pagi. 3.14.

Pomponatius contra Alexandrũ de Dei cognitione. pag. 106.45.

Pondus quid ſit. 702.36.

Poſſe peccare non pertinet ad libertatem voluntatis humanæ. 840.5.

Poſſe habere fidem, naturæ eſt hominum, habere autẽ fidem, gratiæ eſt fidelium. 940.40.

Poſſibile et cõtingens nõ differũt niſi rõne. 230.16.

Poſita cauſa ſufficienti, non neceſſariò ſequitur effectus; contra Auicennam. 80.44.

Poſterius natura, ſine ſuo priori percipi non poteſt, & quomodo. 404.1.

Potentia quomodo ordinatur ad actum. 394.6.

Poten-

Potentia & habitus ſunt entitates quædam media inter abſolutas omnino, & totaliter reſpectiuas. pag. 394.10.
Potentiæ in anima diuerſa, nullum ordinem admutuũ habent, ſecundũ quẽ exeunt in operationẽ. 82.19.
Potentia non decipitur, niſi circa proprium obiectũ. pag. 234.6.
Poteſt aliquid fieri extra ordinẽ alicuius cauſæ particularis, nõ autem extra ordinem cauſæ vniuerſalis. pag. 77.39.
Practica diſciplina habet obiectũ ſibi neceſſarium, veluti cauſam materialẽ, & ſine qua non. 286.4.
Practica diſciplina vnde ſuam habeat rationem formalem. 283.39.
Practica diſciplina non eſt propriè ſcientia. 278.11.
Practica diſciplina propriè accepta, quænam ſit. pag. 274.9.
Practicum & ſpeculatiuum nunquid differentiæ ſint eſſentiales, habitus ſcientifici. 282.25.
Practicum & ſpeculatiuũ ſunt oĩno diuerſa. 280.21.
Practicæ diſciplinæ ratio formalis. 277.15.
Praxis quid ſit. 268.38.
Praxis & effectio ſunt omnino diuerſa. 274.42.
Præcognitio ſi contingentiam tollit, iam non eſt amplius contingentia, ſed neceſſitas. 106.23.
Præparatio & diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, eſt opus Dei, & noſtrum. 917.41.
Præparationes quidam volunt eſſe quinque, reſpectu gratiæ. 916.31.
Præparatio ad gratiam eſt prorſus neceſſaria ad ſalutem. 893.44.
Præparatio ad Euchariſtiæ ſacramentum quomodo fiat. 355.22.
Præſcientia Dei, dicit præcognitionem rei futuræ, cũ applicatione odij vel amoris. 232.1.
Præſcientia non eſt propriè in Deo. 100.21.
Praeſcientia praeſupponit futurum de certo, ſecus non eſſet praeſcientia. 253.2.
Praeſcientia non eſt cauſa rei futurae. 253.5.
Praeſcientia non eſt, niſi reſpectu determinatè futuri. 234.4.
Praeſcientia Dei non tollit liberũ arbitriũ. 977.10.
Praeſcientiae Dei optima concordia cum libero hominis arbitrio deſcribitur ab Authore. 98.10.
Praeſcientia diuina refertur praecipuè ad iuſtos. pag. 233.8.
Praeſcitus idem non eſt quod damnatus. 233.19.
Praeſcitum dupliciter ſumitur. 212.2.
Praeſcitum à Deo, qua praeſcitum, an neceſſariò, vel contingenter eueniat. 212.22.
Praeſcientia Dei eſt rei futurae, velut praeſentis intuitio. 219.14.
Praeſcĩetia Dei an inferat rebus neceſſitatẽ. 196.42.
Praeſentia eſt relatio realis. 187.8.
Praeſentia Dei ad creaturam, non eſt relatio realis ex parte Dei. 188.41.
Praeſentia eſt relatio aequiparantiae, ſicut amicitia. pag. 188.45.
Prima cauſa non eſt formaliter contingens, ſed eſt ſuperior neceſſariæ cauſæ, & contingenti. 30.35.
Prima cauſa magis efficit, quàm ſecunda. 239.1.
Prima cauſa indifferẽter ſe habent ad quemlibet particularem effectum. 506.16.
Prima radix contingentiæ eſt contingentia in diuina voluntate, ſecundùm Scotum. 25.2.
Prima philoſophia, duas habet partes. 397.15.
Prima pars veteris Teſtamenti quo ſit modo ordinata. 317.30.
Prima pars noui Teſtamenti, ſiue quatuor Euangelia, quem habeant ordinem adinuicem. 318.5.
Primum conſideratum in Meta. eſt Deus ipſe benedictus. 495.42.
Primus Angelus, & primus homo, quomodo liberè peccauerint. 636.10.
Primi hominis ſex aſſignantur ſtatus. 637.24.
Primum & propriè neceſſarium eſt ipſa prima cauſa, concludit Ariſtoteles. 89.3.
Primus philoſophus non debet omnia occupare, illaq. in particulari conſiderare. 381.39.
Primus mouens agit omnia. 85.3.
Principiũ ſubiecti dupliciter cõſideratur. 546.36.
Principia entis quæ. 511.16.
Principia primæ & ſupremæ cauſæ quomodo ſint alicuius naturæ, ad aures ipſius Ariſto. 362.32.
Principia & cauſae, quas Ariſtoteles quaerit in Metaphy. quaenam ſint. 368.44.
Principiũ entis non excluditur à rõne entis. 502.37
Principia prima quomõ ſint alicuius naturæ. 504.6
Principia ẽtis dupliciter poſſunt cõſiderari. 504.45.
Principia quomodo poſſint eſſe ſubiectum in ſcientia. 505.2.
Principium actus in nobis eſt & potentia, & habitus. 633.41.
Principia communiſſima, ſecundùm veritatem, & eorum examinationem, pertinẽt ad diuerſa. 445.13.
Principiorum communium ſunt duo genera 457.6.
Principia communiſſima continere cauſas principiorum aliarũ ſcientiarũ, quomõ intelligatur. 472.14.
Principiorum & affectionum conſideratio, ab illo de ſubiecto non ſeparatur. 554.31.
Principia & paſſiones alicuius ſubiecti, non ſunt propriè ſubiectum in ſcientia. 542.8.
Prior eſt repraeſentatio quam cognitio, vt cauſa effectu. 141.38.
Priora ſecundùm naturam quae ſint. 403.35.
Priuatio machinatur ſemper ad malum. 66.37.
Priuatio nulla ſeſe conſiſtere poteſt. 67.10.
Priuatio non cognoſcitur niſi per habitum. 173.22.
Priuationes licèt ſint à natura, ab ea tamen non intẽduntur, nec primaria, nec ſecundaria intentione. pag. 54.21.
Proclus Fortunam eſſe dicebat daemonicam quandã poteſtatem. 73.6.
Productio artificiati, quem proceſſum includat. pag. 215.44.
Probabilius eſt ſi dicamus, corpus naturale, quàm ens naturale ſubiectũ eſſe Naturalis diſcipli. 565.43.
Productio ad illud terminatur, quod per ſe & immediatè producitur. 173.32.
Procemia Rhetorũ & Philoſophorũ lõgè differunt. 475.35.

Propoſitio iſta, Antichriſtus erit, dupliciter conſiderata, poteſt dici determinata & indeterminata. pag. 16.7.

Propoſitio iſta, Antichriſtus erit, quatenus res eſt præſens intellectui diuino, eſt vera; ſed eſt neceſſaria ſecundùm quid. Quatenus verò res eſt in propria cauſa, eſt vera vel falſa. 16.24.

Propoſitio de præterito, ad hoc vt neceſſitatem inducat, quae requirantur. 206.1.

Propoſitio de praeterito, ad hoc vt ſit vera, quae requirantur. 206.4.

Propoſitio modificata in contingente eſt contingẽs, licèt in ſe ſit neceſſaria. 79.36.

Propoſitio illa: Deus nouit Antichriſtum futurum, eſt neceſſaria ſecundùm quid. 210.4.

Propoſitio identica quae ſit. 565.15.

Propoſitio de dicto, et ꝓpoſitio de re quid ſit. 221.30.

Proportiones muſicales declarãtur ab Aut. 351.30.

Propoſitio vt ſit per ſe quid exigatur 468.22.

Propoſitio apud Rhetores quid ſit. 319.42.

Proprietas quęlibet ſequitur propriã formã 769.36.

Proſperi ſententia de libero arbitrio. 819.34.

Protagoras an Dij eſſent, dubitauit ſemper. 1.37.

Proteſtantes nec ſeipſos, nec alios intelligunt, cùm dicunt ꝙ homo faciens quod in ſe ẽ peccat. 913.7.

Proteſtantium rationes diluuntur contra liberum arbitrium, & præparationem ad gratiam. 902.4.

Proteſtantium in diſputationibus malitia. 745.5.

Proteſtantium contradictio. 824.11.

Protoplaſto nulla fuit ex peccato ingenita qualitas. pag. 682.39.

Proximus noſter qui ſit. 707.11.

Prouidentiam diuinam fatetur Ariſto. 111.3.

Prouidentia diuina nihil inordinatum relinquit. pag. 76.21.

Prudentia quid ſit. 294.45.

Prudentia ſola eſt habitus actiuus. 275.3.

Prudentia & ars quomodo differant. 275.17.

Prudentia eſt omnium virtutum tanquã architectus. pag. 273.36.

Prudentia ſola conſtituit intellectum practicum. pag. 294.15.

Prudentia eſt praeceptiua in moralibus tantum. pag. 256.41.

Pueri cur Mathematici efficiantur, prudentes autẽ minimè. 433.33.

Puer ſemel baptizatus, non poteſt vinculo alienæ iniquitatis obſtringi. 659.43.

Pueri in baptiſmo quomodo obligentur. 659.21.

Pueri in baptiſmo credentes, Euangelium ſolemniter ſuſcipiunt. 659.5.

Pueri in baptiſmo quomodo credere dicãtur. 660.28.

Pueri cum baptiſmo offeruntur credunt, non propria ſed aliena fide. 656.45.

Pygmei & Gigantes monſtra non ſunt appellanda. pag. 58.65.

Pytagoras Aſtrologos redarguit. 616.24.

Pytagoras fuit necromanticus. 616.11.

Pytagoras fuit Aſtrologia peritus. 616.25.

Q

QValis eſt ordo inter intellectum et voluntatem, talis eſt inter eorum obiecta. 498.6.

Quando D. Tho. dicit, quòd ens mobile eſt ſubiectum Naturalis diſciplinæ, non autem corpus mobile; illa litera eſt ſuperaddita. 567.21.

Quando primus homo peccauit, non ea vſus eſt libertate, qua poterat non peccare. 636.44.

Quantitas continua, reſpectiuè ſumitur & abſolutè. pag. 612.21.

Quantitas quodnam ſenſibile ſit. 440.42.

Quantitas dupliciter conſideratur. 402.10.

Quantitas dupliciter ſumitur. 612.8.

Quantitas diſcreta ſumitur dupliciter. 612.10.

Quare fides dicatur meritum. 935.20.

Quæ à natura ſiue primaria, ſiue ſecundaria intentione ſpectantur, aliquem ſemper finem reſpiciunt. pag. 55.2.

Quę ſunt per ſe nota non demonſtrantur. 591.30.

Quæ ſecundaria eueniunt intentione, peccata non ſunt. 53.21.

Quæ ratione noſtri fortè euenire dicuntur, ſi in diuinam referantur prouidentiam, nullus eſt amplius locus temeritati. 5.6.

Quæ viri boni patiuntur, quamuis mala quibuſdam videantur, non tamen mala, ſed bona ſunt. 5.7.

Quę ſunt à cauſis per ſe, benè ſe habent, quae autem à cauſis per accidens, malè. 71.6.

Quæ habent eadem principia, quomodo ad vnam reducantur ſcientiam. 377.7.

Quae ſecundaria intentione fiunt, licèt non fiant per ſe primò, & omnino; fiunt tamen per ſe ſecundò; & per quandam ſequelam. 54.22.

Quae fiunt propter finem, quaedam ſecundùm electionem, quaedam ſecundùm naturam. 63.6.

Quae videntur in ſpeculo, non niſi per lineam reflexam videri poſſunt. 144.19.

Quaecunque in vniuerſo orbe ſunt, vel fiunt, aliquid à cælo recipiunt. 87.18.

Quaecunque conſiderantur in ſcientia Naturali, vel ſunt principia, vel paſſiones entis mobilis, vel alicuius eiuſdem ſpeciei. 558.43.

Quaecunque mota mouent, phyſica ſunt ſpeculationis. 415.40.

Quaecunque in ſcientia conſiderantur, non conſiderantur niſi vt aliquid ipſius ſubiecti. 549.36.

Quaedam melius eſt non videre, quàm videre. pag. 102.33.

Qualibet ſcientia, duplicem habet modum notitia. pag. 495.10.

Quęſtio de praxi pertractatur. 263.27.

Quęſtio an praeſcientia ſit cauſa rei futurae, non eſt de nominibus, ſed de rebus. 250.37.

Quæſtio de diuina praeſcientia eſt ſobriè perpendenda. 210.22.

Quæſtiones de Dei cognitione, & de beatitudine ſunt cognatae & annexae. 169.6.

Qui non agit quae mundi ſunt, & creaturis, mortuus eſt mun-

mundo. 879.13.
Qui textum Pauli Apoſtoli ad Roma.5. interpretantur de peccato per imitationem, cùm ait, quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum; nō ſunt audiendi. 655.1.
Qui ad mortem vſque peccant impœnitentes, non ſunt capaces orationum Eccleſiæ. 716.38.
Qui non voluntate peccant, non peccant. 833.40.
Qui negat liberum arbitrium, catholicus non eſt, inquit Auguſtinus. 815.7.
Qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te; Auguſtinus ait. 826.14.
Quicquid fit extra charitatem peccatum eſſe, hæreſis Lutheri. 907.2.
Quid attritio ſit atque contritio 900.21.
Quid ſit Electio. 266,42.
Quid ſit regnare peccatum in noſtro mortali corpore. 697.40.
Quid ſit ſeruire mente legi Dei. 701,23.
Quid erga dicemus? Lex peccatū eſt? Abſit. 726.13.
Quidditatiua prædicatio, eſſentiam indicat. 156.41.
Quidditates rerum vt cognoſcantur, non ſufficit cognitio cauſarum extrinſecarum. 148.20.
Quod mouetur per tempus, non eſt neceſſe vt moueatur per locum. 597.25.
Quod perficitur non eſt optimum. 101.29.
Quod phyſicè mouetur, aut eſt in loco, aut circa locū. pag. 597.13.
Quod non eſt, nec poteſt eſſe, a natura minime ſpectatur. 55.6.
Quod data neceſſitate cauſandi in diuina voluntate, remaneant agentia libera, oſtendit Author, contra Dominicum Bannes. 26.22.
Quod factum eſt, quin factum ſit, fieri nullo modo poteſt. 104.25.
Quod ſuapte natura eſt impoſſibile, ad Deum etiam relatum erit ſemper impoſſibile. 106.19.
Quod eſt nobis naturale, non eſt laude nec vituperio dignum. 684.35.
Quod mouet & perficit aliquid, eſt honorabilius eo. pag. 108.34.
Quod eſt intentum, pendet à fine, & à forma, non à materia. 91.43.
Quod eſt intentum non poteſt eſſe monſtrum. 66.2.
Quod eſt per ſe & determinatum, vel ſemper, vel vt plurimum euenit. 50.21.
Quod notum eſt, & omnibus patens, ridiculum eſt demonſtrare. 70.27.

R

RAtiones Sireuīj contra D. Tho. de virtute cœleſti reſpectu ſublunarium, diſſoluūtur ab Authore. 86.26.
Rationes probantes quòd Deus cognoſcit aliquid extra ſe. 166.3.
Ratio perpetuitatis generatis, vnde habeatur. 416.8
Ratio immediatè per angelorum ſpecies repræſentata, realiter non diſtinguitur à rebus ſingularibus, per illam ſpeciem repræſentatis. 171.35.
Ratio humana nō tollit ſemper meritū fidei. 129.16
Rationes diſſoluuntur Alberti Pighy pro gratia gratum faciente. 957.20.
Ratio ſecunda eorū qui negabant prouidentiā. 2.37.
Ratio eſt dux actionis, et electionis humanæ. 266.28.
Ratio per ſpeciem diuinam immediatè repræſentata, re ipſa à creaturis diſtinguitur. 171.41.
Rationes diſſoluuntur Thomiſtarum de ſubiecto philoſophiæ Naturalis. 589.16.
Rationes adducuntur Aegidij contra D. Tho. de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 598.20.
Rationes diſſoluuntur Aegidij contra D. Tho., de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. 599.18.
Ratio formalis ſubiecti Naturalis diſciplinæ, quomodo ſit mobile, ſiue mobilitas. 576.20.
Rationes ſoluuntur Caietani, de ſubiecto Naturalis diſciplinæ. 582.13.
Ratio formalis propoſitionis de præterito, vnde ſumatur 207.15.
Ratio ſubiecti in ſcientia non eſt vt habeat partes. pag. 608.10.
Ratio formalis entis, quatenus conſideratur in Metaphyſica. 378.10.
Ratione primæ cauſæ nihil eſt caſuale, vel fortuitū. pag. 35.20.
Ratio ordinandi doctrinam ſumitur à cognitione noſtra. 434.25.
Ratio materiæ & motus non eſt vniuerſalior, ſed naturali adæquata. 412.14.
Reatus quid ſit, malè explicat Lutherus. 714.44.
Reatus vnde dicatur. 715.7.
Reatus quid ſit. 715.10.
Reatus eſt quid reale. 715.41.
Rectius dicitur corpus naturale, quā naturale ſubiectum eſſe Naturalis diſciplinæ, quam aliorum quouis nomine. 565.1.
Reduplicationis & ſpecificationis nota, ſemper habet vniuerſalitatem annexam, ſed diuerſimodè. pag. 488.13.
Reduplicationis nota exponitur. 487.43.
Regeneratio per baptiſmum aſſimilatur aliquo pacto natiuitati carnali. 659.10.
Regula D. Tho. de præſcientia exponitur. 259.6.
Relatio nō terminat actionē, niſi per aliud. 118.22
Relatio propriè non terminat motum. 147.18
Relatio realis non eſt ponenda in Deo, in ordine ad creaturas. 182.43.
Remotis ſubſtantijs & mentibus ſeparatis, ſubſtantia corporea eſſet primum ens. 580.39.
Remittere, tegere, & non imputare, vna ratio, & vnus eſt ſenſus. 721.3.
Remotis mentibus ſeparatis, Naturalis philoſophia eſſet de primo ente. 606.39.
Renouatio ordis peccatoris, cur dicatur creatio. pag. 885.1.
Rerum durationem & periodum, non cœleſti virtuti tantùm, at etiam temperamento miſtionis & diſpoſitioni materiæ aſcripſit Ariſto. 87.31.
Res in cauſis ſuis extrinſecis nullum habent eſſe, niſi in potentia. 148.38.

Res & enunciabile tendunt de pari in hoc, quod vtriuſque variatio, non redundat in diuinæ ſcientiæ variationem. 137.13.
Res quo ad omnem ſui diſpoſitionẽ, ſemper eſt diuino conſpectui preſens, pro omnibus temporis partibus, quibus diuerſimodè diſponitur. 137.40.
Res imperfectiores continentur in perfectioribus. pagi. 120.26.
Res variatur in ſeipſa, non tamen ad diuinam relata cognitionem. 137.41.
Re aliqua mutata de eſſe in non eſſe; Deus adhuc ſcit rem quam ſciuit. 138.2.
Res futura eſt cauſa præſcientiæ. 253.7.
Res futura, ſeu operatio noſtra futura, non eſt cauſa diuinæ præſcientiæ, nec per ſe, nec per accidens, nec quouis alio modo. 253.13.
Res quando eſt omnino ſimplex, & carens principijs, ſat eſt ſi eius naturam & eſſentiam cognoſcamus. 552.31.
Res bifariam conſiderari poteſt, vt in ſua exiſtentia, aut in ſuis cauſis. 7.43.
Res dicitur eſſe in intellectu tripliciter. 487.15.
Res futura non eſt cauſa diuinæ præſcientiæ, ſed ſignum. 253.37.
Res contingẽs bifariam conſideratur. 236.10.
Res magis per formam cognoſcitur, quàm per materiam. 533.29.
Reſſolutio in quacunque ſcientia fieri debet ad principia propria. 377.18.
Reſpectus non eſt differentia eſſentialis abſoluti. pag. 282.45.
Reſpectu Dei nihil eſt à caſu, vel à fortuna, dicit Magiſter Durandus. 410.40.
Rhetorica eſt à Spiritu ſancto. 317.6.
Rhetorica quid ſit. 317.6.
Ricardus de Mediauilla deficit in quæſtione de diuina præſcientia. 214.41.

S

Sacra ſcriptura eſt norma aliarum ſcientiarum. pag. 623.37.
Sacra ſcriptura quæ dicatur, & ſit. 623.42.
Sacra ſcriptura quare dicatur canonica. 624.30.
Sacra ſcriptura quomodo demonſtratur quod ſit canonica. 624.31.
Sacræ ſcripturae qui ſint libri canonici. 625.14.
Sacra ſcriptura cur totam poteſtatem electionis noſtrae Deo aliquando, & totam homini quandoque tribuere videtur. 752.35.
Sacramenta non attingunt gratiae diuinae creationem. 964.22.
Sancti Eccleſiae Patres quomodo meritum admiſerint de congruo. 938.33.
Sancti Patres ex congruo meruerunt incarnationẽ verbi Dei. 939.16.
Sancti Patres nunquam agnouerunt meritum de cõgruo. 930.6.
Sancti Patres fuerunt ſummi philoſophi. 311.30.
Sanctorum Patrum ſententia declaratur; quomodo velint, diuinam praeſcientiam cauſari à re ipſa futura. 353.20
Sapiens omnia cognoſcit vt poſſibile eſt, ait Ariſto pag. 104.3.
Sapientis non eſt ad particularia deſcendere. 482.8.
Sapientia non conſideratur penès actionem. 480.5.
Sapientiae propriè ratio eſt, quod ſit circa primas cauſas. 480.12.
Sapientis eſt omnia conſiderare, vt decet. 374.4.
Saul reiectus à Regno. 322.12.
Scientiae diuiduntur iuxta rerum diuiſionem. 365.4.
Scientia quae agit de primis rerum principijs, agit etiam de alijs. 368.25.
Scientiae duae ſunt partes. 521.41.
Scientia quomodo habeatur de Analogo. 511.1.
Scientia Dei differt à praeſcientia & prouidentia, & quomodo. 100.25.
Scientia quae habetur de principijs, habetur de ſubiecto. 553.10.
Scientiae ſpeculatiua ſunt duobus modis. 443.18.
Scientia Dei viſionis, actum præſupponit voluntatis imperantis. 216.26.
Scientia Dei de ſeipſo, eſt ſpeculatiua tantùm. pag. 289.44.
Scientia Dei, & ſcientia noſtra dicuntur æquiuocè; inquit Auerroes. 99.10.
Scientia diuina quomodo dicatur neceſſaria. 202.32
Scientia poteſt dici nobiliſſima dupliciter. 496.11.
Scientia vnde dicatur vna. 542.26.
Scientia, præſcientia, prouidentia, prædeſtinationis, ac reprobationis differentia. 198.6.
Scientia viſionis præſupponit actum voluntatis. pag. 207.38.
Scientia Naturalis, non à natura, ſed à rebus naturalibus dicitur talis. 603.1.
Scientia; ſeu diſciplinæ practicæ & ſpeculatiuæ diſcrimen. 288.11.
Scientia ſubalternata non eſt propriè alia, ſed altera, à ſcientia ſubalternante. 61.26.
Scientia artificis non eſt completa cauſa artificiati, niſi addatur voluntas. 216.7.
Scientia Dei in ordine ad creaturas producendas habet rationem artis. 228.4.
Scientia omnis non eſt à Deo. 303.37.
Scientia quo differat ab opinione. 210.30
Scientia beneplaciti in Deo eſt cauſa rerũ. 215.36.
Scientia ſecundùm rationem ſcientiæ, non dicit aliquam cauſalitatem. 215.39.
Scientiæ ſpeculatiuæ, quem ordinem habeant adinuicem. 422.1.
Scientiæ conuenit ordo compoſitiuus. 281.24.
Scientia naturalis, non niſi de rebus naturalibus agere poteſt. 392.44.
Scientia, aliquod reale genus debet habere, circa quod verſetur, & eo ſit ab alijs realiter diſtincta. pag. 399.4.
Scientia ſubalternata non facit numerum cum ſcientia ſubalternante. 468.37.
Scientia ſubalternata, principia deſumit & affectiones à ſcientia ſubalternante. 468.41.

Scientiæ ſubalternātes & ſubalternatæ non ſunt diuerſæ. 360.23.
Scientia vna quomodo ſit exactior alia. 361.1.
Scientiarum diuerſitas vnde ſumatur 362.13.
Scientia ſubalternans dat quia & propter quod; ſubalternata autem, non niſi quia. 466.56.
Scientiæ mediæ ſunt magis mathematicæ, quàm naturales. 467.20.
Scientiæ ſpeculatiuæ quot ſint. 384.4.
Scientiarum multiplicitas, rerum inſequitur multiplicitatem. 384.7.
Scientia agens de primis rerum principijs, debet etiã agere de communibus prædicatis. 369.38.
Scientia non eſt vſus cauſa. 279.44.
Scientiarum diuiſio quænam ſit. 401.13.
Scientia vna per quodnam diſtinguatur ab alia. pag. 285.8.
Scientia particularis eſt circa multa prima. 133.25
Scientia ſubalterna eſt ſpeculatiua; contra Mirandulanum. 469.42.
Scientiæ ſubalternatæ differentia accidentalis, non eſt ratio formalis, nec modus conſiderandi in ea. pag. 463.23.
Scientiæ ſpeculatiuæ quo ſint ordine addiſcendæ. pag. 433.9.
Scientia qualibet in duobus tantùm eſt occupata. pagi. 548.12.
Scientia ſubalternans & ſubalternata conueniunt in modo conſiderandi. 464.42.
Scientia quomodo dicatur uniuocè de tribus ſcientijs. 446.39.
Vna ſcientia poteſt eſſe ſub alia dupliciter. 474.41.
Omnes homines naturâ ſcire deſiderant. 480.25.
Schemata, ſiue figuræ, ſunt in ſacra ſcriptura. pagi. 316.17.
Scoti opinio de contingentia refellitur ab Authore pag. 18.28.
Scoti opinio de medio demõſtrationis reprehẽditur ab Authore. 18.29.
Scoti defenſio contra D.Tho. per Lychetum, impugnatur ab Authore. 187.18.
Scoti opinio de Dei ſcientia reprobatur ab Authore. 139.18.
Scoti rationes de contingentia diluuntur ab Authore. 21.1.
Scotus in quæſtione de merito laborat, quò errorem euitet Pelagianum, at nihil facit. 933.2.
Scotus ex eo quod vult in rebus ſeruare contingentiam, aufert neceſſitatem ab eis. 24.26.
Scoti narratur opinio de merito congrui. 921.4.
Scotus nòn rectè declarauit modum reduplicatiuum, & ſpecificatiuum. 489.20.
Scoti recenſentur rationes contra D.Tho. de contingentibus. 182.6.
Scoti rationes contra D.Tho. de contingentibus, diſſoluuntur ab Authore 184.31.
Scotus videtur eſſe nobiſcum, de ſubiecto Naturalis diſciplinæ. 593.26.
Scotus reprehenditur in fauorẽ D.Tho. 544.37.
Scotiſtæ de ſubiecto Naturalis philoſophiæ loquentes, non intelligunt quod dicunt. 596.4.
Secunda pars ſeptimi cap. Epiſtolæ Pauli ad Romanos exponitur. 726.5.
Semen animalis eſt virtute etherogeneum. 52.33.
Senecæ de fortuna ſententia. 44.38. 43.45.
Senſibile conſideratur dupliciter. 562.6.
Senſibilis pars quomodo ſeruiat rationi. 638.18.
Senſus interpretes & nuncij rerum. 4.6.
Senſus cur in capite collocati. 4.6.
Senſus vnus cur ſit alio præſtantior. 480.20.
Sententia Diui Clementis Romani de libero arbitrio. 804.7.
Si alicui rei inſit aliquid ab extrinſeco, & contra ſui naturam, illud laborioſum eſt, atq; pœnale. 102.15
Si in Deo intellectio ſit ab extrinſeco, rationabile ẽ, quod eius continuatio in intelligendo ſit laborioſa; inquit Ariſto. 102.18.
Si non traheris, ora vt traharis, ſententia Auguſtini; quomodo intelligenda. 912.30.
Sicut omnis contingentia à materia, ita omnis neceſſitas à forma. 94.29.
Simile non niſi à ſimili. 94.34.
Simplicius falsò attribuit Platoni, quòd Fortunam voluerit eſſe Deam. 40.12.
Simplicij de Dei cognitione notabilis ſententia. pag. 110.9.
Sine me nihil poteſtis facere, quomodo intelligatur. pag. 853.29.
Sine Muſica nulla diſciplina poteſt eſſe perfecta. pag. 349.42.
Sirenius defenditur contra Paueſium. 490.21.
Sirenij & Zimaræ de cognitione Dei reſponſum ab Authore reprobatur. 110.14.
Sol & homo generãt hominem. 81.21.
Soto non rectè redarguit Scotum de merito congrui. pag. 923.20.
Species ordinis doctrinæ ſunt tantùm duæ. 432.25.
Species & genus logicum, reliquaue prædicabilia reperiuntur in ſacra ſcriptura. 339.14. & deinceps.
Species rei inuenitur in aliquo dupliciter 165.15.
Speciale Dei auxilium quid ſit. 918.29.
Speculatio de natura ſubſtantiæ abſtractæ reſpondet ſpeculationi de principijs. 552.29.
Spontaneum quid ſit, optimè declaratur. 765.27.
Spontaneum, voluntarium, & liberum ſunt veluti genera & ſpecies. 766.45.
Status iuſtitiæ originalis quid ſuperaddat ſtatui naturæ integræ. 639.17.
Strabonis ſententia de libris Ariſtotelis. 528.31.
Subalternatio propriè accepta, tria præcipuè requirit, inquit Sirenius. 460.4.
Scientia ſubalterna qualis ſit. 461.30.
Subalternatio ſcientiarum dupliciter accipitur. pag. 461.33.
Subalternationis ratio principalis. 445.41.
Subalternatio propriè accepta eſt in ſolis Mathematicis. 471.4.
Subalternatio ſcientiarum propriè accepta, qualis ſit, & quot requirat conditiones. 462.21.
Pro ſubalternatione ſcientiarum quædam ſcitu annotantur

notantur digniſſimè. 467.37.
Subiecti vera paſſio duplex. 514.5.
Subiectum in libris de cœlo quid. 517.33.
Subiectum ſcientiæ aliud eſt ab intentione. 551.2.
Subiectum ſcientiæ ſubalternantis, non eſt quaſi genus ſcientiæ ſubalternatæ. 470.9.
Subiectum primæ Philoſophiæ eſt quaſi genus ſubiectorum aliarum ſcientiarum. 470.8.
Subiectum Naturalis philoſophiæ definitur ab Ariſtotele in .2. phyſicorum. 586.29.
Subiectum pluribus accipitur modis. 541.27.
Subiecti cuiuſcunque ſcientiæ, quatuor ſunt conditiones. 542.7.
Subiectum ſcientiæ vbique, & nullibi tractatur. pag. 549.8.
Subiectum ſcientiæ principia & affectiones cum relatione conſiderantur. & quomodo. 549.11.
Subiectum operationis non debet eſſe omnino cognitum, nec penitus ignotum. 333.13.
Subiectum ſcientiæ, duplicem habet rationem. 544.1
Subiecti ratio formalis, non rem ipſam, at modum conſiderandi reſtringit. 544.16.
Subiectum ſumitur quadrupliciter. 330.37.
Subiectum in logica quid. 331.26.
Subiectum ſcientiæ de omnibus prædicatur in illa ſub ratione conſideratis, in recto uel in obliquo 607.22.
Subiectum in ſcientia eſt notiſſimum. 601.17.
Subiectum clariori quo poteſt modo, debet exprimere ſuarum paſſionum radicem. 565.19.
Subiectum ſcientiæ debet una cum ſuis paſſionibus prædicationes parere naturales. 565.4.
Subiectum & eius paſſio debent eſſe æqualia. 576.9.
Subiectum ſcientiæ ſubalternatæ quare dicatur alterum. 463.5.
Submerſio Pharaonis figurabat baptiſmum. 688.30.
Subſiſtentia ſola dicuntur propriè creari & quomodo. pag. 963.7.
Subſiſtentiam propriam habent accidentia diſtinctã ab illa ſubſtantiæ. 963.16.
Subſtantiæ ſeparatæ quomodo ſint cauſæ cœli. pag. 506.26.
Subſtantiæ ſeparatæ ſi non eſſent quomodo Phyſica eſſet prima Philoſophia. 369.1.
Subſtantia eſt prior natura, tempore, et definitione, ipſo accidente. 401.5.
Subſtantiæ abſtractæ licèt ſecundùm ſe non habeant principia habent tamen ratione noſtri. 552.34.
Subſtantia rationalis nil aliud ſignificat, quàm animal rationale; contra Caietanum. 581.23.
Subſtantiæ abſtractæ conſiderantur in Metaphyſica ut principia. & ut ſubiectũ. & quomodo. 553.36.
Subſtantia mobilis eſt ex ſuperadditione. 4.3.20.
Subſtantiæ abſtractæ ſi non eſſent, Phyſica eſſet prima philoſophia. 557.41.
Subſtantia, natura, ens & eſſentia, idem ſignificant. pag. 555.6.
Subſtantia ſeparata eſt ſpecies quædã entis. 397.19.
Sueſſanus oppugnat Nominalium ſententiam de modis eorum prædicandi modum. 56.11.
Summa ratione Deus omnia facit. 933.18.
Sunt aliqua naturã, quæ perinde ſiunt, ac ſi fierent per actionem naturæ, quæ tamen ſecundùm naturã non ſunt; Simplicius ait. 54.32.
Superioris & inferioris artificis diſcrimen. 410.7.
Syllogiſmum quomodo formauit Moſes. 343.22.

T

Tempus quid ſit. 189.28.
Tempus ad diuinam cognitionem comparatur, non tanquã ad rem ſub tempore contentam; ſed velut ad id quod eſt ſupra omne tempus. 137.37.
Terminare eſt, actum tranſire ſuper obiectum tanquã ſuper per ſe ſpeculatum, in illoq. ſiſtere. 147.24.
Terra ad firmamentum relata, ſe habet veluti punctus. 85.8.
Terra cæteraq. elementa præcedunt cœli primum motum; ait Ariſtoteles. 80.10.
Tertia pars ſeptimi cap. epiſtolæ Pauli Apoſtoli ad Romanos exponitur. 729.5.
Tertulliani ſententia de libero arbitrio. 805.44.
Textus Ariſto. exponitur .2 phy.64 contra Zimaram. 60.19.
Textus ſextus libri duodecimi Meta. exponitur. pag. 386.36.
Themiſtius nõ benè ſentis de materia prima. 394.34
Theodoreti ſententia de libero arbitrio. 8.1.5.
Theologi quid propriè ſenſerint de prima radice contingentiæ. 24.39.
Theologi noſtri conueniunt cum Peripateticis de iuſtitia in Deo. 99.17.
Theologi noſtri quatuor tradunt in quacunque rerum cognitione. 138.43.
Theorica quid ſignificet. 455.44.
D. Tho. improbatio ſecundæ opinionis, quam recitat .1. par. q 14. ar. 13. ad. 2. declaratur ab Authore. pag. 199.42.
D. Tho. locum quendam ſunt qui velint eſſe corruptum, quem tamen Author ipſe defendit. 200.41.
D. Tho. opinio de contingentibus declaratur ab Authore. 195.13.
D. Tho. à contradictione liberare volentes, magis in contradictionem ducunt. 569.29.
D. Tho. ſecutus eſt aliquando opinionem de merito congruo. 923.36.
D. Tho. apparens contradictio. 435.18.
D. Tho. defenditur ab Authore, contra calumniatores. 737.38.
D. Tho. nonnulla dicta examinantur ab Authore. pag. 202.27.
D. Tho. opinio de bona fortuna. 76.5.
Tota hæc elementorum moles, ſubiecta eſt omnino corpori cœleſti; Sirenius ait. 85.14.
Trahere non ſemper ſignificat violentiam apud Latinos. 903.38.
Trahe me, poſt te curremus. 904.16.
Trahere & ducere quomodo adinuicem conueniant. pag. 902.21.
Trahit ſua quemque voluptas. 883.20.

Tria

Tria ſunt genera rerum. 384.8.
Tria poſſunt reperiri in homine, quibus liberum operatur arbitrium. 913.11.
Tria in noſtra iuſtificatione requiruntur; initium, medium, & finis. 908.37.
Tria in originali iuſtitia reperiuntur. 667.35.
Triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, verè demonſtratur; contra Pererium. 456.30
Triſtitia & lætitia, ſiue delectatio, ſunt contraria ad idem ſimpliciter comparata; non autem ad diuerſa. pag. 194.22.

V

VBi nõ eſt propriè artifex; ibi nec eſt idea. 133.18
Vbi eſt nolle, ibi quoque eſt velle; & è contra. 896.45.
Vbi eſt caſus; ità eſt deuiatio ab ente, quod non eſt ens propriè 67.40.
Verbum intellectus quid ſit. 325,18.
Veritas propriè eſt de rebus ſempiternis. 273.21.
Veritas in agendis & fiendis; non niſi impropriè reperitur. 273.27.
Veritas propoſitionis ſequitur eſſe rei, & è contra. pag. 15.36.
Veritatis ꝓpoſitionis cauſa, ſēper eſt res ipſa. 15.37
Veritas eſt in rebus ſicut in cauſa, in propoſitione vocali vt in ſigno, in intellectu verò vt in ſubiecto. 15.43.
Veritas à quocũq; dicatur, à Spiritu ſancto ē. 306.4.
Verum & ens conuertuntur. 140.39.
Violentum quid ſit, optimè declaratur. 765.9.
Virgilius quid ſenſerit de Dei natura 299.29
Virtus formatiua in ſemine ſi ſit fortis, filius patri aſſimilatur, non ſolùm in natura ſpeciei, ſed etiam in accidentibus. 28.1.
Virtus actiua in ſemine ſi debilis ſit, filius naſcitur diſſimilis patri in accidentibus. 27.43.
Virtutis apprehenſiuæ operatio aſſimilatur quieti. pag. 682.8.
Virtutis appetitiuæ operō aſſimilatur motui. 682.9.
Virtus cæleſtis modificata in cauſa contingente, ſit contingens. 80.5.
Virtus cæleſtis non eſt adeo efficax, quin ab iſtis materialibus impediri poſſit. 86.1.
Virtus cæleſtis in his materialibus efficientibus obtũditur, & hebetatur. 86 13.
Virtus cæleſtis corporis quia eſt finita, determinatam requirit in materia diſpoſitionem 84.18.
Virtus cæleſtis ſufficientiſſima eſt, ad hanc ſibi materiam ſubijciendam, prout opus eſt ad vniuerſi orbis perfectionem tuendam, & conſeruandam. pag. 86.28.
Virtus cæleſtis, vt omnis ſit expers impedimenti, debitam exigit in materia diſpoſitionem. 87.13.
Virtus cæleſtis recipitur in cauſis medijs per modum earum. 80.1.
Virtus cæleſtis cum in cauſa recipitur contingenti, de neceſſaria in ſe, fit & ipſa contingens. 87.36.
Virtus cæleſtis ſi eſſet infinita, omnia neceſſariò euenirent. 87.3.
Vltima verba Ariſtotelis quarti libri Meteororum declarantur ab Authore 530.21.
Vltimum intentum in rebus naturalibus eſt bonum verum. 58.5
Vniuerſa hæc elementorum quantitas, ſi ad totum cæleſtium ſimul corporum globum relata fuerit, nec puncti quidem rationem ſubibit; Iulius ait Sirentus. 84.32.
Vnius & eiuſdem ſcientiæ eſt contraria ſpeculari. pag. 88.22.
Vnius rei vnica eſt demonſtratio. 458.22.
Vnum dicitur notius altero dupliciter. 426.36.
Vnumquodq. dicitur & eſt tale, quatenus eſt formaliter & actu tale. 285.2.
Vnumquodque ſecundùm quòd ſe habet ſecundùm eſſe; ita etiam ſecundùm veritatem. 148.37.
Vnumquodque eſt maxime tale, per quod alijs ineſt vniuocatio. 80.35.
Vnumquodque debet definiri per ſuas proximas cauſas. 73.30.
Vocat Deus omnes; primò vocatione generali, deinde ſpetiali. 920.1.
Voluntas diuina licèt ſit una, ſcriptura tamen ſacra quandoque pluraliter voluntates Dei pronunciat, & quare. 242.9.
Voluntas diuina dupliciter accipitur; ſcilicet pro voluntate ſigni, & beneplaciti. 242.19.
Voluntas diuina quæ dicitur ſigni, non ſemper impletur. 242.30.
Voluntas diuina quæ dicitur beneplaciti, ſemper impletur. 242 37.
Voluntas diuina efficax tota eſt integra cauſa omnium rerum, earumq. proprietatum. 242.39.
Voluntas diuiditur in voluntatem efficacem, & inefficacem. 27.2.
Voluntatis efficacis definitio quænam ſit, varia eſt opinantium ſententia. 27.5.
Voluntas efficax quid ſit. 27.29.
Voluntas Dei miſericordiae quae ſit. 877.2.
Voluntas Dei miſericordiae, non ſemper concordat diuinae prouidentiae. 877.5.
Voluntas humana non libertate conſequitur gratiã, ſed gracia potius voluntatem. 877.37.
Voluntas diuina in rerum productione, principem ſibi vendicat locum. 254.15.
Voluntas diuina cum ſit efficaciſſima, & agens fortiſſimum, oportet eius effectum in omnibus ei aſſimilari. 28.3.
Voluntas humana eſt inſtrumentũ liberum. 760.12.
Voluntas noſtra quaſi Luna eſt. 355.35.
Voluntas humana eſt vna res, duas habens diuerſas rationes in genere cauſandi. 767.43.
Voluntas in peccato ſerua quae ſit, ad aures ipſius Caluini. 763.19.
Voluntas humana pluribus modis conſideratur. pag. 767.32.
Voluntas eſt ſemper in nobis libera, non ſemper bona. 770.36.
Voluntas diuina ſi neceſſariò ſimpliciter cauſaret,

adhuc

adhuc ſeruarentur agentia libera. 25.44.
Volũtas antecedens & conſequens quæ ſit. 796 43.
Voluntas paratur à Domino. 774.12.
Voluntas noſtra nec bona nec mala eſt antequam bonum, vel malum velit .775.2.
Volũtas diuina nõ eſt contingens, cõtra Scotũ. 25.15
Voluntas humana quomodo noſtra ſit, non obſtante gratia diuina. 874.29.
Voluntas noſtra non eſſet voluntas, niſi eſſet in noſtra poteſtate. 770.6.
Voluntas diuina propter cauſam ſecundam, effectũ non habet contingentem. 37.15.
Voluntas quenam ſit verè libera. 632.9.
Voluntas noſtra cùm mouetur à Deo, an ſe habeat tantùm vt mota. 945.50.
Voluntas mouet rationem, & ratio mouet voluntatem, & quomodo. 635.21.
Voluntati diuinæ nõ eſt qui reſiſtere valeat. 237.40
Voluntas diuina non tollit contingentiam à rebus. pag. 238.32.
Voluntario non repugnat habere principium extrarium. 768.16.
Voluntarium dupliciter ſumitur. 766.1.
Voluntarium quid ſit optimè declaratur. 766.11.
Voluntarium & quod in nobis eſt, idem non ſunt, ait Alexander. 766.25.
Voluptas magis in quiete, quàm in motu conſiſtit, inquit Ariſtoteles. 103.20.
Voluptas quomodo trahat. 902.32.
Votum mulieris non valet niſi confirmetur a patre, ſi fuerit in ætate puellari. 786.41.

Z

Zimara volebat ſententiam, germanamq́ue Ariſto. de Dei cognitione opinionem, petendam eſſe ex vnica Metaphyſica; cuius tamen ſententia reiicitur ab Authore. 108.1.
Zimara non ſibi conſtat, in diſputatione de Dei ſcientia. 129.44.
Zimara diſſoluũtur rationes contra Baccon. 130.3.
Zimaræ diſputatio de Dei ſcientia, reprehenditur ab Authore. 119.13.
Zimaræ opinio de ratione formali ſubiecti Naturalis philoſophiæ reiicitur ab Authore. 604.7.
Zimaræ manifeſta contradictio. 438.26.

FINIS.

LACTANTII DOMANINII MANTVANI, CARMELITAE, IN LIBROS DE DIVINA PROVIDENTIA

PRAEFATIO.

DIV, IN *varijs philoſophorum dogmatibus verſatus, quoſdam audiui, vllam negare vim eſſe Diuinam; alios an ſit, quotidie quærere: pleroſq; caſibus fortuitis, & concurſionibus temerarijs ſummam rerum construere, atq; diuerſitatis impetu fabricari; nec deſunt qui è regione ſentientes, omnia fatali neceſſitate euenire aſtruere nitantur. Quos quidem, à Sacroſancta noſtra religione, Chriſtiq; uniuerſali Eccleſia apoſtatantes, ſunt nonnulli mira obſtinatione ſecuti. Cum quibus hoc tempore nobis ſuper tali erit obſtinatione certamen. Illudq; in octo ſectiones principales diſtinguendum ſtatuimus; ita vt prior de contingentia ſit, neceſſitate, caſu, atq; fortuna. Altera verò de Dei ſcientia ſermonem habebit. Tertia de philoſophia, ſeu ſapientia humana, & reuelata diſcutiet. Ad diuinam ſiquidem Prouidentiam ſpectabat, vt eſſet inter homines aliqua ſacra, atq; diuina Scriptura, ad quam tanquam ad ſacram anchoram, in Deo cognoſcendo, moribus corrigendis, & ad felicitatem dirigendis actionibus, confugerent. Verum quia rectus ordo cognitionis noſtræ ille eſt, vt prius aliquid generaliter noſcamus, & poſtmodum in propria forma; propterea vt ad noſtram imbecillam naturam ſe accommodaret Deus, à nobis in via, duplici modo cognoſci voluit, per creaturam nempe, atq; diuinam ſcripturam. Vnde beatiſſimus pater Auguſtinus, in initio .2. libri de Trinitate dicebat: Si me, vt precor & ſpero, Deus* Tom. 3. *defenderit, atque munierit ſcuto bonæ voluntatis ſuæ, & gratia miſericordiæ ſuæ, non ero ſegnis ad inquirendam ſubſtantiam Dei, ſiue per ſcripturam eius, ſiue per creaturam. Iſte autem duplex modus cognoſcendi Deum, non eſt æqualis perfectionis; quoniam perfectius cognoſcitur per diuinam ſcripturam, quàm per creaturam; idcirco duo iſti modi reducuntur in vnum; quandoquidem*

cognitio

cognitio per creaturam, ſeducitur ad cognitionem per diuinam ſcripturam, ſicut imperfectum ad perfectum. Scientia autem humana, atque mundana philoſophia, ducit nos in ipſam creaturarũ cognitionem, qua Dei poſtea notitiam colligimus imperfectam; à qua demum ad illam, quæ in ſacra, diuinaq; Scriptura perfectior habetur, aſcendimus; vt inde in Patria, perfectiſſimam de Deo notitiam habeamus. Hinc optimè dicunt Sapientes, q; Diuinæ Sapientiæ, philoſophia ancillatur humana. Ex quo patet, quàm indignè eam hæretici exibilent, & damnent. Cùm enim verum omne, ſemper cum vero congruat, non poteſt veritas ſacrarum literarum, veris rationibus, & experimentis humanarum doctrinarum eſſe contraria. Quare libro primo de Geneſi ad literam, cap.
Tom. 3. *.21., inquit Auguſtinus: Hoc pro comperto habeamus oportet, quòd quicquid ſapientes huius mundi, de natura rerum veracibus documentis demonſtrare potuerint, oſtendamus noſtris literis non eſſe contrarium. Et quia quicquid in nobis ineſt perfectionis; vt ſapientia, iuſtitia, charitas, et id genus reliqua, participatio quædam eſt earum, quæ ſunt in Deo perfectionum; inde propterea factum eſt, vt poſt tractatum de Diuina Scientia, ille ſequatur, cui titulus eſt de Sapientia humana, & reuelata. Hunc etiam ordinem exigebat noſtra doctrina; quoniam cùm de diuina Prouidentia ſeorſum ſimus verba facturi, ne omnia ſimul confunderentur, Ariſtotelem imitati, totum opus in peritiam diuiſimus, reiq; ſcientiam. Tertia igitur huius operis ſectio, de ſapientia humana & reuelata, rectè ſermonem habebit. Quæ verò huic ſubſequetur, de Libero hominis arbitrio, tractatum continebit, & gratia diuina; quò demum genus omne contingentiæ cum Dei præſcientia concordiſſimum relinquamus. Quibus loco pædiæ, ſiue peritiæ præmiſſis, rei ſcientiam in quinta ſectione aggrediemur, vt ſit in ea de totius orbis mirabili ſtructura, pulcherrimaq; diſpoſitione, cum illo de Ideis abſolutiſſimus tractatus. In ſexta de diuina Prouidentia & fato pertractabitur. In ſeptima de Prædeſtinatione, quæ eſt pars diuinæ prouidentiæ, fiet ſermo. Ac demum de Reprobatione tractatus, ſimul omnia claudet: Vnde iuſtis in æterna felicitate collocatis, impijs verò morti perpetuæ, interminatæq; miſeriæ damnatis; mox finem & exitum reperiet lucubratio noſtra.*

Verùm

Verùm quia in his, multa & varia de rebus grauisſimis ſcripturi ſumus, in quibus tum ob imperitiam, ingenijq; hebetudinem, tum ob inſuperabilem difficultatem, aut alias rationes & cauſas, quas debilis fert & imbecilla humana conditio, interdum labi, pariterq; hallucinari contingit; propterea corde & ore profiteor, atque ingenuè proteſtor, me potius oppetere, quàm à ſacroſancta fide catholica diſcedere velle. Qua de re, in hoc, & in quibuſcunque alijs fidei dogmatibus, ſacræ & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, illibataq; Summi Romani Pontificis cenſuræ, ſemper me, ac omnia mea, cunctaq; à me prolata & ſcripta humiliter ſubmitto; omnes cum eo hæreticos abominans, & hæreſes cunctas deteſtans, & execrans. Reuocare paratus quæcunque contra ſanctam illius definitionem atq; decretum ſcripſiſſem, & quomodolibet pronunciaſſem; & habere pro non dicto, ac ſi nunquam fuiſſet per me dictum, aut excogitatum.

Inuiſus ergo ille, & nullis vnquam comprehenſus naturis, Summusúe rerum omnium, viſibilium & inuiſibilium faueat Procreator. Ille, inquam, qui prima eſt cauſa, locus rerum, ac ſpatium, fundamentum cunctorum, quæcunque ſunt; infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, æternus, ſolus; quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumſcriptio qualitatis, expers quantitatis; ſine ſitu, motu, & habitu, de quo ſine eius auxilio nihil dici, & exprimi mortalium poteſt ſignificatione verborum. Quamobrem magno cum Propheta, hunc in modum liceat effari: Domine labia mea aperies, & os meũ annunciabit laudem tuam. Pſal. 50.

LACTAN-

DE DIVINA PROVIDENTIA TRACTATVS ABSOLVTISSIMI, ET OMNI DOCTRINA REFERTI.

AVCTORE REVERENDO ADMODVM SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE BONONIENSI præſtantiſsimo, philoſophoq; præclariſsimo

PATRE LACTANTIO DOMANINIO de Mantua, ordinis Carmelitarum in Congregatione Mantuana, regularis obſeruantiæ.

LIBER PRIMVS FELICITER INCIPIT.

An ſit in rebus contingentia. *Cap. Primum.*

DE diuina itaq; prouidentia uerba facturi, hoc unum animaduertendum proponimus, nunquid ſcilicet cum ea ſtet ſimul & in rebus contingentia; quandoquidem prouidentia præſupponit ſcientiam, ſcientia autem Dei eſt omnino infallibilis; propterea quòd omnia ineuitabili eueniant neceſsitate inde conſequi uidetur; id quod ne dum grauioribus Philoſophis, uerùm etiam doctiſsimis, atq. ſanctiſsimis Theologis ſemper negotium faceſsit. Qua de re, nos altius exordiendo, quid de huiuſmodi contingentia ſenſerint Philoſophi aperiendum duximus. Primo igitur loco ſeſe offert maledictus, & nutabundus ille Protagoras, qui nedum contingentiam in rebus admiſit, at etiam nunquid Dii eſſent, cum aliis pleriſq. dubitauit ſemper; eloquentiſſimo atteſtante Cicerone, in primo de natura Deorum libro, ad initium. Ratio autem dubitandi apud ipſum fuit talis: Si Deus eſt, unde mala? Bona uerò unde, ſi non eſt? Ita Boethius enarrat primo de Philoſ. conſol. pro: 4. Cum iis enumerantur alii, & præcipuè Cotta apud Ciceronem loco proximè citato, qui ait: Itaque ego Pontifex, qui cerimonias, religioneſq. publicas ſanctiſſimè tuendas arbi-

Eo ĭ opinio qui Deum negabant.

tror, is, hoc quod primum eſt, eſſe Deos perſuaderi mihi non opinione ſolùm, ſed etiam ad ueritatem planè uelim. Multa enim occurrunt quæ conturbent, ut interdum nulli eſſe uideantur. ſic ille. Ipſius Protagoræ ſententiam proſecutus, qui (eodem parum infra atteſtante) in principio ſui libri ad hunc modum ſcripſit; De diuis neq; ut ſint, neque ut non ſint habeo dicere. Sed quid rati, certíq. illi eſſe poteſt, qui num Deus ſit, non ueretur in dubium euocare? Mitto Diagoram Melium, Theodorum Cyrenaicum, & alios impiiſsimos, qui huiuſmodi ſententiam inſecuti, omnia cæco caſu & temerè euenire ſunt arbitrati; quorum memoriam facit Cicero tum in primo, tum in ſecundo de natura Deorum libro. Quare contingentiam, atqui ineptiſſimè & impiiſſimè, dederunt; pro quorum dictis euertendis, ſat ſit proloquium illud diuinum; Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Accedit poſtea Epicurus (ut modò Empedoclem, Democritum & Leucippum miſſos faciamus) qui Dei euertendo prouidentiam, animorum noſtrorum tollendo immortalitatem, uirtutis & honeſtatis dignitatem conculcando, in una corporis uoluptate ſummam hominis felicitatem collocando, omniaq; cæco caſu, fortè, contingenter atq; temerè euenire docendo, immortalem doctrinæ ac nominis ſui memoriam conſequi ſe poſſe ſperauit; in quem ideo ita inuehitur magnus ille Lactantius: Epicuri diſciplina multò celebrior ſemper fuit, quàm cæterorum; non quia ueri aliquid afferat, ſed quia multos ad populare nomen uoluptatis inuitat. Vnde autem eius diſciplina tota deſcendat, quamúe originem habeat, ad hunc modum explicandum duxit ipſe Lactantius; Videbat enim Epicurus, bonis aduerſa ſemper accidere; paupertatem, labores, exilia, carorum amiſſiones; malos contra bonos eſſe, augeri potentia, honoribus affici; uidebat innocentiam minus tutam, ſcelera impunè committi. Videbat ſine delectu morum, ſine ordine, ac diſcrimine annorum ſæuire mortem, ſed alios ad ſenectutem peruenire; alios infantes rapi, alios iam robuſtos interire, alios in primo adoleſcentiæ flore immaturis funeribus extingui, in bellis potius meliores, & uinci, & perire. Maximè autem commouebat, homines in primis religioſos, grauioribus malis affici. His autem qui aut eos omnino neglexerunt, aut non piè coluerunt, uel minora incommoda euenire, uel nulla; ipſa etiam ſæpè tẽpla fulminibus conflagrare. Quod Lucretius queritur cum dicit de Deo; Cur fulmina mittat, & ædes ipſe ſuas diſturbet &c. Omnia itaq; pro fortunæ arbitratu miſceri, atq; confundi, hac ratione ductus, uolebat ipſe Epicurus.

Epicuri opinio.

Lib. 3. diuinæ inſtitu. ca. 17.

Ratio prima cõtra cõtingentiam.

Sed & alij ad idem in hunc modum rationem erigunt. Vbi infinitas, ibi nulla præfinita ratio, nullaq. determinatio eſt; atqui temeritas tantùm. In cauſis autem nullus eſt ſtatus, ſed in infinitum proceditur ſemper. Propterea quòd ſiue addas, ſiue auferas cauſas à cauſis, in immenſum ſemper eſt proceſſus. Id quod in generatione maximè conſtat. Nam poſita mundi æternitate, ad quem modum Phyſici ponunt, tunc ſatis perſpicuum & exploratum habemus, quòd ante cuiuſuis rei generationem, infinitæ generationes & corruptiones, quæ eiuſdem rei extiterunt generationis cauſæ, præceſserunt. Poſt iterum cuiuſq. rei corruptionem, innumeræ, ex eiuſdẽ

Ratio aliorum 2.

rei diſſolutione, corruptiones, ſuccedentibus temporibus, erunt, pariter atq. generationes. Id quod etiam dicitur de præteritis; generatio ſiquidem unius, eſt corruptio alterius, & contra ſemper recurrit oratio. His igitur de cauſis, omnia dicebant temerè labi, cuncta caſu reuolui.

Impugnatio prænarratæ doctrinæ. *Cap.* 2.

VERA aduerſatur Philoſophia iis quæ præmiſimus, & rationes præ inductæ nullam habent uim; quandoquidem ſi fortè omnia caſuq. euenirent, quomodo tam ordinatè, tamq. diſpoſitè mundus effectus eſset? Orbis nanq. uniuerſi, & eorum omnium quæ in eo continentur admirandus ordo, illius doctrinæ abſurditatem, ſectæq. ignorantiam facilè demonſtrat. Qui enim fieri poteſt, ut ea quæ tam certa ratione, tamq. admirabili ordine eueniunt, temerè euenire poſsint? Quapropter libro de fortuna dicebat elegantiſſimè Plutarchus: Vbi nulla regio eſt, quæ non Libra, numeris, menſura, & regulis utatur; ne in rebus agendis locum habeat temeritas, & ſine conſilio contingens caſus. Hermes quoque in calce libri de ſapientia Dei, os Epicuro his obſtruit uerbis: Nemo diffidat iis quæ diximus uarietate rerum perterritus, quaſi tam diuerſorum conſtructio vel ardua ſit, vel indigna maieſtate diuina. Eidem pictori figurare licet coelum, terram, mare, Deos, homines, bruta, arbores, ac uita carentia; Deo uerò vni talium deerit agendorum facultas? O dementem, ò coecum, ò totius diuinæ cognitionis expertem. Nihil eſt magis; ò Eſculapi; ridiculũ, quàm quod huic accidit. Nam dum ſe Deum venerari fatetur, ex eo quod creandi negotio & cura liberet, Deum ipſum prorſus ignorat. Hæc ille. *Hermes.*

Cui mox ſuccedit alia ratio; propterea quòd ſi cæco caſu, temereq. omnia eueniunt, quomodo animalium corpora tam prouidenter ordinata ſunt, ut ſingula quæq. membra mirabili ratione diſpoſita, ſua officia conſeruentur? Animantium; rurſus; quanta uarietas eſt? quanta ad eam rem uis, vt in ſuo quæq. genere permaneant? Quarum aliæ coriis tectæ ſunt, aliæ uillis ueſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ; plumas alias, alias ſquama uidemus obductas, alias eſse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Sed facilius intelligitur à Diis immortalibus hominibus eſse prouiſum; inquit Cicero; ſi erit tota hominis fabricatio perſpecta, omniſq. humanæ naturæ figura atq. perfectio. Nam cùm tribus rebus animantium uita teneatur, cibo, potione, ſpiritu, ad hæc omnia percipienda os eſt aptiſſimum, quod adiunctis naribus ſpiritu augetur. Dentibus autem in ore conſtructis manditur, atq. ab his extenuatur & mollitur cibus. Eorum aduerſi acuti morſu diuidunt eſcas, intimi autem conficiunt, qui Genuini uocantur; quæ confectio etiam à lingua adiuuari uidetur. Linguam autem ad radices eius hærens excipit ſtomachus, quo primùm illabuntur ea, quæ accepta ſunt; oris vtraq. ex parte tonſillas attingens, palato extremo atq. intimo terminatur. Atq. is agitatione & motibus linguæ cùm depulſum, & quaſi detruſum cibum accepit, depellit. Ipſius autem partes eæ quæ ſunt infra id quod deuoratur, dilatantur; quæ autem ſupra, contrahuntur. Ad hanc prouidentiam tam diligentem, tamq. ſolertem, adiungi multa poſsunt, è qui- *Lib. 2. de natura Deorum.*

 bus

bus intelligatur quantę res hominibus à Diis, quàmq. eximię tributę ſint. Quæ primùm eos humo excitatos, celſos & erectos conſtituit, ut Deorum cognitionem, coelum intuentes, capere poſsent. Sunt enim ex terra homines, non ut incolę atq. habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atq. coeleſtium; quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Senſus autem interpretes ac nuncii rerum, in capite tanquam in arce, mirificè ad uſus neceſsarios, & facti, & collocati ſunt. Nam oculi tanquam ſpeculatores, altiſsimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes, fungantur ſuo munere. Et aures cùm ſonum percipere debeant, qui natura in ſublime fertur, rectè in altis corporum partibus collocatæ ſunt. Itemq. nares, & quod omnis odor ad ſupera fertur, rectè ſurſum ſunt; & quod cibi & potionis iudicium magnum earum eſt, non ſine cauſa uicinitatem oris ſecutę ſunt. Iam guſtatus, qui ſentire eorum quibus ueſcimur genera deberet, habitat in ea parte oris, qua eſculentis & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fuſus eſt, ut omnes ictus, omneſq. nimios & frigoris & caloris appulſus ſentire poſsimus. Quid uerò hominum ratio? non in coelum uſque penetrauit? Soli enim ex animantibus nos, aſtrorum ortus, obitus, curſusq. cognouimus. Ab hominum genere finitus eſt dies, menſis, annus; defectiones Solis & Lunæ cognitę, prædicatæq. in omne poſterum tēpus, quæ, quantæ, quando futuræ ſint. Quæ contuens animus, accipit ad cognitionem Deorum, è qua oritur pietas, cui coniuncta iuſtitia eſt, reliquæq. uirtutes; è quibus uita beata exiſtit, par & ſimilis Deorum, nulla alia re, niſi immortalitate; quæ nihil ad benè uiuendum pertinet; cedens coeleſtibus. Ex quo debet intelligi; concludit Cicero; nec figuram, ſitumq. membrorum, nec ingenii mentiſq. uim, talem effici potuiſse fortuna. *Reſpōſio.* Quòd ſi dicant aduerſarii; perſuademus nobis corpora hæc ſolida atque indiuidua ui & grauitate ferri, mundumq. effici ornatiſſimum & pulcherrimum ex eorum corporum concurſione fortuita; veluti docuerunt Democritus atq. Leucippus, qui multo ante Epicurum, temerario minutiſſimarum, indiuiſibiliumq. atomorum concurſu, cuncta fieri exiſtimarunt.

Impugn. 2. de naturaDeorum. Huic mox occurrit reſponſo Cicero inquiens: Hæc omnis deſcriptio ſyderum, atq. hic tantus coeli ornatus, ex corporibus huc & illuc caſu & temerè curſantibus, potuiſse effici cuiquam ſano uideri poteſt? Aut verò alia quæ natura mentis & rationis expers, hæc efficere potuit, quæ non modò vt fierent, ratione eguerunt, ſed intelligi qualia ſint, ſine ſumma ratione non poſsunt?

2. de prouidentia, tertia enneadis ad initium. Inſuper Plotinus, Philoſophus grauiſſimus, dicebat: Caſui & fortunæ, orbis vniuerſi cauſam & conſtitutionem attribuere, alienum eſt à ratione, & uiri, qui neq. mentis, neq. ſenſus compos ſit. Prouidentiam enim vſq. ad arborum folia extendebat celeberrimus iſte vir. Et nos cùm de ea ſermonē habebimus, rationes vrgentes adducemus, & pinguiori minerua refertas. Modò ſat ſit oſtendiſse huiuſmodi Epicuri & aliorum contingentiā, veræ Philoſophiæ, illiuſq. grauiſſimis profeſſoribus aduerſari. *Ennea. 3. lib. 2. cap. 13.* Valeat igitur, & nos eorum rationibus tentemus facere ſatis.

Aduerſariorum rationes diluuntur. *Cap. 3.*

AD primam igitur nunc Philoſophi reſpondeant; (nam loco ſuo reſpondebunt & ipſi Theologi) quòd omnia fortè euenire ob id Li.6.c.9. non ſequitur, ſed aliqua tantum; quod libenter admittimus. Idq. ſi de nobis loquamur. Si verò in diuinam referantur prouidentiam, nullus amplius temeritati relinquitur locus. Addunt etiam, quòd ea quæ viri boni patiuntur, & ſi mala quibuſdam videantur, re uera tamen mala nō ſunt, ſed bona. Quamobrem Boethius. 2. de Philoſo. conſola; proſa octaua, non Theologum, ſed Philoſophum agens, ita dicebat: Mirum eſt quod dicere gestio, eoq. ſententiam verbis explicare vix queo. Etenim plus reor hominibus aduerſam, quàm proſperam prodeſſe fortunam. Illa enim ſẽper ſpecie felicitatis; cùm videtur blanda; mentitur; hæc ſemper vera, cùm ſe inſtabilem mutatione demonſtrat. Illa fallit, hæc inſtruit. Illa mendacium ſpecie bonorum, mentes fruentium ligat; hæc cognitione fragilis felicitatis abſoluit. Itaq. illam videas ventoſam, fluentem, ſuiq. ſemper ignaram; hanc ſobriam, ſuccintamq., & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem. Poſtremò felix à vero bono deuios blanditiis trahit. Aduerſa plerumq. ad vera bona reducens, velut unco retrahit. An hoc inter minima æſtimandum putas, quòd amicorum tibi fidelium mentes hæc aſpera, hæc horribilis fortuna detexit? Hæc ibi certos ſodalium vultus, ambiguosq. ſecreuit; diſcedens, ſuos abſtulit; tuos reliquit. Quanti hoc integer, &; vt videbaris tibi; fortunatus emiſſes. Deſine nunc amiſsas opes quærere; quod præcioſiſsimum genus diuitiarum eſt, amicos inueniſti. Hactenus Boethius. Cuius quidem ſententia, &; in hac parte; doctrina, Plotino contra Gnoſticos, & Senecæ de prouidentia, maximè arridet.

Secunda quoq. ratio fortè aliquid induceret, ſi à cauſa per accidens denominaretur effectus. At non denominatur niſi à cauſa per ſe; & cauſæ per ſe & eſsentiales; à quibus cauſarum ordo ritè ſemper deſumitur; in ſuo ordine & in vnoquoq. genere ita ſunt finitæ & certæ, vt in infinitum minimè produci poſſint; ſecus nulla de rebus haberetur ſcientia; veluti in. 2. ſapientię libro ad textum. 13. docet Ariſtoteles. Cauſæ igitur accidentariæ licèt ſint infinitæ, & innumeræ; per ſe autem & eſsentiales, minimè. Propterea phyſicarum auſcultationum libro quinto, commentarioq. 13. in calce, dicebat Auerroes: Hominem autem generari ab homine in infinitum, eſt verum per accidens, non per ſe. Ratio itaq. cùm de accidentariis cauſis ſermonem habeat, nihil ad rem prorſus facere videtur. Hac igitur futili, commenticiaq. opinione de contingentia omnino reiecta, ad illam quæ de vera propriaq. ſermonem habet, pedem conuertamus oportet.

Ariſtotelis opinio. *Cap. 4.*

GNauus igitur & omnifariam diligens, accedit omnium Philoſophorum facilè princeps, magnus Ariſtoteles; qui in 3. Ethicorum libro, cap. 3. ita notatum reliquit: De æternis autem nemo conſultat; vt de mundo, aut diametro & latere, quòd nulla inter ſe æquabilitate Iuxta Bernardini Feliciani interpretationem.

conueniant; at neque de iis quæ in motu quidem ſunt, ſed ſemper tamen circa eadem verſatur, ſiue neceſsitate, ſiue natura, ſiue aliqua alia de cauſa; vt de ſolſtitijs, atq; ortibus. Et paucis interpoſitis: Conſultamus autem de agendis rebus, atq; iis quæ in noſtra ſitæ ſunt poteſtate. Tandem parum infrà ita concludit: Conſultatio autem de illis eſt, quę vt plurimum quidem fiunt; incerta tamen ſunt quomodo euadant, & in quibus indeterminatio exiſtit. Hæc ille. Qui etiam in tota ſua philoſophia, quamplurima per accidens euenire faſſus eſt; idq; præcipuè in .6. & .11. primę philoſophię. Verùm in primo de interpretatione cap. 6., iuxta Boethii interpretationem, propriè & appoſitè de ipſa contingentia verba facit; quo loci dicit in iis quæ contingenter futura ſunt, nullam partem contradictionis eſſe determinatè veram vel falſam; atqui vt vna euenit, ita altera euenire poteſt; & præcipuè in futuro contingenti ad vtrumlibet, de ſubiecto ſingulari. Id quod tali perſuadet ratiocinio: Si neceſſe eſt quòd affirmatio omnis vel negatio in ſingularibus & futuris, vera ſit aut falſa; quòd omnis affirmans vel negans, determinatè verum dicat vel falſum, neceſſariò conſequitur.

Sint enim duo homines, quorum alter dicat futurum eſſe ut Sortes currat, alter uerò aſſerat hoc idem ipſum non eſſe futurum. Tum ſi in enunciationibus ſingularibus de futuro in materia contingenti neceſſe ſit quòd vna oppoſitarum ſit determinatè uera & altera falſa; quòd eorum alter, minus autem uterq; uerum dicat, neceſſariò ſequetur; cùm in ſingularibus propoſitionibus futuris, non poſſit utraq; ſimul eſſe uera. Ex hoc autem quòd neceſſe ſit alterum illorum uerum dicere, conſequens fit, ut neceſſe ſit determinatè uel eſſe, uel non eſſe. Quare neceſſe eſt omnia determinatè eſſe uel non eſſe. Ex quo cōcludit vlterius, quòd ineuitabili omnia neceſſitate euenirent. Id uerò tanquam abſurdum & à ueritate omnino alienum dereliquit. Quandoquidem triplex tunc genus contingentium excluderetur; illud nēpè quòd ut in pluribus dicitur; alterum uerò, quod ut in paucioribus; ac demum, quod ut æqualiter nuncupatur. De quo quidem triplici contingentiū genere, uberius infra dicemus. Hæc eſt igitur breuibus enarrata Ariſtotelis ſententia; quam Alexander ille ex Aphrodiſiade, primo de priori reſolutione, tractatu de contingente, unà cum aliis peripateticis omnibus, inſequitur. Ammonius in fine primi Perhier.; Alexan. etiam de fato, cap. 16. & primo naturalium queſtio. cap. 4. & 25., Themiſti. 12. Meta. cap. 14., Philop. primo. poſte. ſuo cōmento 94., Simpl. 8. Phy. in. 2. digreſſione cōtra Philo. 2. Phy. 77. & 2. de cœlo. 56., ſuper Epictetum cap. 67., Euſtra. 10. Ethi. cap. 8., in fine. In rebus igitur, uera datur cōtingentia. Id quod etiam rerum magiſtra docet experiētia; quoniam multa poſſumus facere & non facere, & de eis eſt conſultatio; ueluti in ſuperioribus ex Ariſtotele docuimus.

Fuſius exaratur Ariſtotelis doctrina de contingentia. Cap. 5.

TRita, ſuperq; ſatis in peripateticorum ſcholis uerſatur de triplici enūciationum genere uulgata doctrina, quæ penès cohærentiam, ſeu habitudinem & ordinem attributi ad ſubiectum deſumitur ſemper; ita ut aliquæ ſint neceſſariæ, aliæ impoſſibiles, aliæ demum contingentes.

In

In prima ſerie illæ reponuntur, quarum attributa ita ſe habent ad ſubiecta, ut eis ſemper inſint, nec ab eis quouis modo ſeparari poſſint. Si uerò attributum nec ſubiecto inſit, nec ei ulla ratione ineſse poſſit; tunc ſub ſecunda ſerie, eiuſmodi collocantur enunciationes. Quòd ſi, poſtremò, attributum ad ſubiectum ita ſe habeat, quòd ei non inſit, poteſt tamen ineſſe & non ineſse; inter contingentes enumerantur. Huiuſmodi autem cohærentiam, ſeu habitudinem & ordinem attributi ad ſubiectum, appellant noſtri materiam; ut enunciationes illæ quæ ſub genere neceſſario continentur, dicantur eſſe in materia naturali; ut homo eſt animal, Plato eſt homo, & id genus aliæ. Quæ uerò ſub genere impoſſibili collocantur, dicuntur eſſe in materia remota; ut homo eſt Aſinus, Album eſt nigrum. Sub genere uerò contingenti quæ ſcribuntur, in materia itidem contingenti eſse dicuntur; ut homo currit, Plato diſputat. Et in quolibet horum trium enunciationum generum, ſecundùm triplex tempus, præſens nempè, præteritum, & futurum enunciationes poſſunt fieri contradictoriæ; utpotè ſi dicamus: omnis homo eſt animal; non omnis homo eſt animal. Omnis homo fuit animal; non omnis homo fuit animal. Omnis homo erit animal; non omnis homo erit animal. Idem dicatur de alijs: quæ etiam, de ſubiecto uniuerſali, & ſingulari, in quolibet genere, ſiue in omni materia fieri poſſunt. Et in contradictionibus de præſenti & de præterito, in omni genere, ſiue materia, altera eſt determinatè uera, alteraq. determinatè falſa; ſiue affirmatiua ſit, ſiue negatiua. Et ut rem exemplis, ob iuniorum clariorem notitiam, præ oculis habeamus, dicamus: Omnis homo eſt animal; non omnis homo eſt animal. Prima eſt uera, ſecunda autem falſa. Adhuc; omnis homo fuit animal; non omnis homo fuit animal. Prima eſt uera, ſecunda falſa. Rurſus; omnis homo eſt aſinus; nō omnis homo eſt aſinus. Omnis homo fuit aſinus, non omnis homo fuit aſinus. Vtrobiq. prima falſa, ſecunda uera. Amplius; omnis homo currit; non omnis homo currit. Plato diſputauit; Plato non diſputauit. Vtrobiq. altera uera, altera falſa; ut facilè cōſtat. Et ſi in materia cōtingenti detur quòd aliqua nō ſit aliquando uera in actu, à ueritate tamen non abhorret. In omni igitur genere, ſiue materia, reperit in cōtradictionibus de præſenti & de preterito, ſiue affirmatiuæ ſint; ſiue negatiuæ; quòd ſemper una exiſtente uera, altera eſt determinatè falſa. In cōtradictionibus autem de futuro, non parua eſt difficultas. Non quidem in omnibus, at ſolummodo de futuro cōtingenti, quod ut æqualiter, ſeu (ut dicunt noſtri) ad utrumlibet nuncupatur, & de ſubiecto ſingulari; ut Plato leget, Plato non leget. Nam in primo & ſecundo genere, nempè neceſſario & impoſſibili, ſeu in materia neceſſaria & naturali, atq. etiam in materia remota, tam determinata eſt de futuro, ſicuti de præſenti & de preterito. Vtpotè ſi dicamus: omnis homo erit animal; non omnis homo erit animal. Omnis homo erit aſinus; non omnis homo erit aſinus. Hinc inde facilè conſtat primam eſſe falſam, ſecundam autem ueram. Quomodo autem ſit in futuro contingenti difficultas, animaduertendum eſt, quòd res bifariam in propoſito conſiderari poteſt, aut in ſua exiſtentia, aut in ſuis cauſis; primo modo eſt præſens, ſecundo uerò modo eſt futura. Cauſarum autem duplex datur gradus quædam enim ſunt in ſe neceſſa-

riæ, atq. ēt in ordine ad earũ effectus; ad quē modũ motus cœli eſt in ſe neceſſarius, & in ordine ad Eclipſim, Lunæq. defectũ. Qui quidē Lunæ defectus, aliiuē quicũq. ex motu orbiũ cœleſtiũ, neceſſariò eueniunt effectus, ſi in ſuis cauſis p̄exiſtant, ſunt ꝑfectò futuri, at neceſſarii, minimè autem cõtingentes. Aliæ verò ſunt cauſæ, quæ in ſe fortaſſis poſſunt eſſe neceſſariæ, nõ autē in ordine ad earũ effectus, ita vt eos neceſſariò & ineuitabiliter producant; quin poſſunt nõ ꝑducere. Et huiuſmodi effectus in ſuis cauſis præexiſtentes, futuri ſunt, & cõtingẽtes. Horũ autē, triplex ſolet aſſignari diſcrimen; quidã nẽpè frequẽter, quidã raro, quidã verò ad vtrũlibet. Primi ſunt, vt quãdo generatur homo cũ quinq. digitis. Secundi, quãdo generatur homo ſedigitus, aut biceps. Tertii uerò, cùm ambulat, aut cãtat, ſeu aliq̃d aliud, pro ſui liberi arbitrii poteſtate, idē operatur homo. Triplex igitur habemus genus cõtingentiũ, vt in pluribus, vt in paucioribus, & vt æqualiter; ſeu in plurimũ, à fortuna, & ad vtrũlibet. Eapropter triplex quoq. datur gradus enũciationũ cõtingentium; primus quãdo prędicatũ frequẽter & in plurimũ ineſt ſubiecto, & ſi aliquãdo non inſit; ut homo generat hoīem, homo loquitur. Secundus quando prædicatum rarò ineſt ſubiecto; ut Equus generat monſtrũ; & fodiens ſcrobē, inuenit Theſaurũ. Tertius eſt quãdo prędicatum, tum frequenter, tum nõ frequenter, ſed indifferenter & ad libitum poteſt ineſſe ſubiecto; vt Plato diſputat, Sortes currit; & id genus aliæ oꝑationes, quę merè à libero hoīs arbitrio pẽdẽt. Quia igit̃ in ſuꝑioribus diximus ꝙ in quolibet enunciationũ genere, reperitur ꝙ in cõtradictionibus de p̄ſenti, & de prętereito, ſiue affirmatiuę ſint, ſiue negatiuę, altera ſẽper eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa. In illis uerò de futuro, ſuꝑq. ſatis ardua eſt difficultas. De futuro; inquã; nõ oī, ſed cõtigenti tãtùm. Nec ēt de oī futuro cõtingẽti, at ſolummodo de futuro cõtingenti ad utrũlibet, de ſubiecto ſingulari eſt ſermo. Etenim in materia cõtingẽti, quando ut in pluribus, uel rarò euenit p̄dicatũ, tũc facilis eſt quæſtio; ꝓptereaq; in iis quæ frequẽter & ut plurimũ eueniunt, enunciatio affirmatiua eſt ferè ſemper determinatè uera; ut homo generat hoīem; homo non generat hoīem. Iam facilè conſtat, ꝙ ferè ſemper affirmatiua eſt determinatè uera, In iis uerò quæ rarò eueniunt, affirmatiua ferè ſẽper eſt falſa, negatiua aũt vera, ut homo generat monſtrũ; homo non generat monſtrũ. Fodiens ſcrobē repit theſaurũ; fodiens ſcrobē nõ reperit theſaurũ. Vt plurimum cõſtat affirmatiuã eſſe falſam, negatiuã aũt uerã. Magna igitur in iis nõ eſt quæſtio. Minuſq. cùm eiuſmodi enũciationes, ſubiectũ habent uniuerſale; quãdoq̃dem in primo gradu, uniuerſalis affirmatiua ferè ſemper eſt determinatè uera, è regione aũt uniuerſalis negatiua, ut oīs homo generat hoīem; non oīs homo generat hoīem. In ſecundo aũt gradu, uniuerſalis negatiua ſemp eſt determinatè vera; affirmatiua uerò falſa; ut oīs fodiẽs ſcrobē inuenit Theſaurum; nõ oīs fodiens ſcrobem inuenit Theſaurum. Cùm igitur harum enunciationũ ſubiecto exiſtente uniuerſali, affirmatiuæ uel negatiuę falſę eueniant, ꝙ in iis nulla ſit quęſtio neq. difficultas, neceſſariò cõſequitur. Si demum de tertio gradu, ſeu de futuro cõtingenti ad utrumlibet, de ſubiecto ſingulari uerba faciamus, tum proculdubio magna ſummaq; eſt difficultas; ut ſi dicamus: Plato diſputabit; Plato non diſpu-

abit. Quærit igitur Ariſtoteles in primo de interpretatione, cap. ultimo, nunquid in huiuſmodi contradictionibus, una pars ſit determinatè uera, altera falſa; quẽadmodũ in iis quæ ſunt de præſenti & de præterito. Et in partẽ declinat negatiuã, quam duabus præcipuè rationibus fulcire contendit.

Harum autem primam in ſuperioribus adduximus, nunc igitur ſit hæc ſecunda. Si ueritas eodem modo ſe habeat in futuris quemadmodum & in præſentibus; eodem etiam modo quicquid uerum eſt de præſenti, neceſſariò fuit uerum de futuro. *2. Ratio Ariſt.* Determinatè autem uerum eſt dicere de aliquo ſingulari quòd modò eſt album. Priuſquam igitur illud fieret album, uerum fuit dicere: Hoc erit album. Eadem uerò cùm ſit ratio in propinquo atq. remoto, ſequitur tunc, quòd ſi heri fuit uerum dicere: Hoc erit album; de quouis etiam eorum quæ ſunt uerum fuit dicere: Hoc erit. Si autem ſemper eſt uerum dicere de præſenti quoniam eſt, uel de futuro quòd erit, non poteſt hoc non eſſe, uel non futurum eſſe. Eius autem quod conſequitur ratio conſtat; quandoquidem hæc duo inuicem pugnant, nimirum quòd aliquid uerè dicatur eſſe, & non ſit. Etenim in ſignificatione ueri illud includitur, ut id ſit quod dicitur. Si igitur ponitur uerum eſſe id quod dicitur de præſenti uel de futuro, nõ poteſt eſſe quin illud ſit præſens, vel futurum. Id uerò quod non poteſt non fieri, idem ſignificat cum eo quod eſt impoſſibile non fieri. Quod idem eſt ac ſi dicamus illud ineuitabili quadam neceſſitate fieri. Quare à primo uſq. ad ultimum deducendo, quòd omnia futura neceſſariò eueniant, concludamus oportet. Hoc autem à ueritate abhorret; Ergo & illud ex quo effluxit.

Cæterùm ad hoc fortaſſis poſſet dicere quiſpiam: Si dico album erit, album non erit; & quæratur poſtea, nunquid altera illarum ſit determinatè uera, altera falſa; mox aderit reſponſio, nempè quòd neutrum eſt uerum; ut dicamus quòd neque erit, neque non erit. *Solutio.*

Nihiloſeciuſtamen aduerſus huiuſmodi reſponſum & doctrinam duplici uia inuehitur Ariſtoteles, quarum prima talis eſt: *Impugn. prima.*

Affirmatio & negatio uerum diuidunt & falſum; ueluti ex utriuſq. definitione ſatis conſtat. Oportet igitur quòd ſi affirmatio eſt falſa, negatio ſit uera; & contra ſemper recurrit oratio. Si uero præfata admittatur doctrina, affirmatio qua dicitur album erit, eſt falſa; nequidem negatio eſt uera. Et pari paſſu, negatio erit falſa, affirmatione non exiſtente uera. Quare prædicta ſolutio eſt impoſſibilis. Amplius: Quod eſt ad utrumlibet, ſe habet ad alterutrum; ut nauale bellum. *Impug. 2.* Si autem uera ſit præfata poſitio dicens quòd neque erit neque non erit; oportebit illud neque fieri, neque non fieri; quod eſt contra rationem eius quod eſt ad utrumlibet. Si enim uerum eſt dicere quòd aliquid ſit magnum & album, ſequitur utraq. eſſe, & ita de futuro, quemadmodum & de præſenti. Si nãq. uerum eſt dicere quòd cras erit, ſequitur illud cras fore. Non igitur dicendum eſt neutram partem eſſe ueram contradictionis; ſicut non eſt uerum dicere, nec eſt, nec non eſt; nec erit, nec non erit; cùm alterum ſit ſemper neceſſarium; uel eſt, uel non eſt; uel erit, uel non erit. Non igitur benè cõuenit illa ſolutio. Iſtę ſunt Ariſtotelis rationes, ad aures. D. Thomæ, & aliorũ grauiſſimorum uirorum expoſitæ,

ſitæ; non enim me latet, quoſdam friuola quamplurima in modium adducere, ſiculis (ut aiunt) gerris uaniora. Ego tamen, ſaniorem ſum inſecutus partem, atq. potiorem. Notent demum iuuenes, Ariſtotelem de hoc eodem triplici contingentium genere, in primo de priori reſolutione, ſect. prima. cap. 13. uerba facere. Vbi magnus ille ex Aphrodiſiade Alexander, in hunc modũ effatur: Nam cùm neceſsarium quaſi linea quædã porrecta ab omni tpe in omne tẽpus, cõtingens ex ſectione eius exoritur. Si enim in inæqualia ſecetur, naturale, & quod plerumq. fit contingens efficitur, & quod raro; in quo fortuna quoq. & caſus cõtinetur. Si uerò in æqualia diuidatur, id exiſtit, quod utrolibet modo exiſtit. Ita Alexander. Ex quo patet, quòd peripatetici contingentiam admittunt, eamq́. peroptimè docent. Volunt enim in rebus effectus eſse contingentes, in homine ſuarum operationum libertatem, & futurorum omnium, Deum glorioſum eſse ab æterno præſcium; Quę quidem doctrina, à chriſtiana ueritate minimè abhorrere uidetur. Sed apud Theologos uſqueadeo nota & aperta eſt huiuſmodi aſsertio, ut nulla prorſus egeat amplius probatione. Concilium nanq. Tridentinum, ſeſſio. 6. cano. 5. ita decretũ reliquit: Si quis liberum hominis arbitriũ poſt Adæ peccatũ, amiſsum, & extinctum eſse dixerit, aut rẽ eſse de ſolo titulo, immo titulũ ſine re, figmẽtũ deniq. à Satana inuectũ in Eccleſiã; anathema ſit. Quę autem ſunt libera, ſunt maximè contingentia. Et quòd Deus opt. Max. huiuſmodi cognoſcat, ex eo perquamfacillimè conſtat, quòd reddit unicuiq́. ſecundùm opera ſua. Vnde. D. Apoſtolus ad Rom. cap. 2. dicebat: Secundùm autem duritiam tuam & impoenitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq. ſecundùm opera eius. Verùm de his latiùs inferius. Quòd igitur in rerum euentibus contingentia reperiatur, iam ſatis conſtare crediderim.

An Ariſtotelis doctrina de propoſitione de futuro contingenti, deq́. ſubiecto ſingulari, ſit uera. Cap. 6.

ADEST nihilotamenſecius Gregorius ille Ariminenſis, qui Ariſtotelis doctrinam de futuro contingenti labefactare contendit. In primo ſiquidem Theologicarum ſententiarum, diſtinct. 38. q. 1. in hoc vult Philoſophum turpiſsimè aberraſſe; ibiq́. in Aureolum, eandem cum Philoſopho ſententiam proſequutum, animaduertit.

Id autem cur uelit ipſe Gregorius, ex diſtinct. 35. & 36. eiuſdem primi, crediderim facilè poſſe conuinci; quandoquidem Ariſtotelem vult & Auerroem tenuiſſe Deum nihil aliud præter ſeipſum intelligere; cuius tamen oppoſitum, naturalibus rationibus nititur demonſtrare; ex quibus colligit demum Ariſtotelem in hoc & Auerroem nedum toto coelo (ut aiunt) totaq́. terra aberraſſe, uerùm etiam ſibi contradixiſſe. Quo quidem ſtante, quòd lumine naturali Deum omnia alia à ſe, etiam futura contingentia, quemadmodum nobis contingunt, optimè nouiſſe conuincere poſsimus, neceſſariò conſequitur. Idq́. uerum cùm ſit, ipſius Gregorii inuicta uidetur manere concluſio; itaquòd cuiuslibet contradictionis altera pars ſit determinatè uera, licèt nos eam determinatè ignoremus. Si enim

Deus omnia cognoſcit, ut præfertur, idq́. naturaliter pateat, quòd ſemper ſit determinatè uerum hoc fore, uel non fore, neceſſariò conſequitur, ſecus diuina falleretur cognitio, uel Deus futura contingentia minimè cognoſceret; quod iis quæ in ſuperioribus docuit, ſuperq́. ſatis aduerſari uidetur. Hæc autem cum non uidiſſet Ariſtoteles, eiusq́. magnus Commentator Auerroes; utrumq; lapſum, ſatis rationabiliter Gregorius ipſe deducere uidetur. Pro cuius quidem concluſione, primò loco hunc in modum ratiocinatur:

Prima Ratio Greg.

Eodem principio ſumpto, quo fulcitus eſt Ariſtoteles in probando concluſionem oppoſitam; quòd omnis propoſitio ſingularis de futuro ſit uera uel falſa, itaquòd cuiuslibet talis contradictionis contingit uerè dici; hæc pars eſt determinatè uera & illa falſa; quamuis nos quæ ſit determinatè uera uel falſa neſciamus, facilè conuincere poſſumus. Erat igitur fundamentum, ſeu Ariſtotelis principium, quòd ueritatem propoſitionis ſequitur eſſe rei, & è contra. Rurſus, non eſſe rei, concomitatur falſitas propoſitionis, & contra ſemper recurrit oratio. Quod quidem principium tenet in qualibet materia, & in cuiuslibet temporis propoſitionibus, ſecundùm Philoſophum. Hoc itaq. præaſſumpto ex Ariſtotele principio, hanc etiam gratia exempli ſibi coaſſumit propoſitionem: Antichriſtus erit, & arguit tali pacto: Hæc eſt uera, aut non uera. Si eſt uera, habeo propoſitum; Si non, tunc ſequitur: Hæc: Antichriſtus erit, non eſt uera; igitur Antichriſtus non erit. Et antecedens eſt uerum per reſponſionem; igitur & conſequens erit uerum. Vltra: Ergo hæc eſt falſa: Antichriſtus erit; per legem contradictoriarum, qua etiam Philoſophus in ſuis rationibus uſus eſt. Videlicet, ſi una eſt uera, reliqua eſt falſa, & è contra. Et ita habetur propoſitum; ſcilicet quòd hæc: Antichriſtus erit, eſt uera uel falſa. Quia ſequitur, hæc eſt falſa; igitur eſt uera uel falſa. Similiter ex alio habetur intentum; quia oppoſita eſt una ſingularis de futuro, & eſt uera, ut concluſum eſt. Quòd autem ſequatur, hæc non eſt uera: Antichriſtus erit; igitur Antichriſtus non erit; ſicut aſſumptum eſt primò; patet, quia ex oppoſito conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis. Sequitur enim per principium aſſumptum de mutua conſequentia rei ad ueritatem propoſitionis, Antichriſtus erit. Ergo hæc eſt uera: Antichriſtus erit. Et per conſequens contradicit illi antecedenti. Multa alia in hoc propoſito dicit uir iſte; quæ quidem breuitatis cauſa miſſa facio; tum quia eidem innituntur medio cum præcedenti, tum quia non uidentur omnino ad rem, ac demum quia ſoluta prima, reliquæ facillimè ſoluuntur rationes. Ad ea igitur quæ aduerſus Aureolum in eadem materia Theologicè dicit, pedem conuerto.

Prima Ratio Greg. cōtra Aureolum.

Primo itaq. loco arguit in hunc modum: Si uera ſit iſta poſitio, ſequitur quòd nulla prænnnciatio ſingularis de futuro contingenti contenta in ſacra ſcriptura, eſſet uera; quod eſt abſurdum. Summo enim hanc ſcripturam actu. primo; Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in coelum, ſic ueniet. Aut eſt uera, & habeo propoſitum. Aut non eſt uera, & tunc ſequitur quòd hic Ieſus non ueniet; quod eſt expreſſè hæreticum.

2. Ratio.

Amplius, In ſacra ſcriptura non ſolùm tales prænunciationes ponuntur,

ſed

ſed etiam habetur expreſsè quòd ipſæ ſunt ueræ. Ergo dicere illas non eſſe ueras, eſt hæreticum. Aſsumptum eo redditur uerum, quod habetur ex Apoc. Ioan. cap. 7. vbi dicitur: Et abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum; quæ eſt prænunciatio ſingularis, de futuro contingenti. Et immediatè dicitur Ioanni, quia hæc uerba fideliſsima ſunt & uera. Alia dicit, quæ idē habent medium, ideo omitto.

Alphonſus Toletanus. Ad idem arguit Alphonſus Toletanus, in pr. Theologicorum ſent. d. 38. & 39. q. 1. ar. 3. & 4. Tum quia nulla prophetia de futuro eſſet uera; tum quia huiuſmodi propoſitio: generalis reſurrectio mortuorum erit; eſſet falſa. Ac demum, fides quam habuit beatiſsima Virgo de filii ſui paſsione ante eius mortem, non fuiſset uera. Cuius oppoſitum docet Anſel. in libro 2. cur Deus homo, cap. 17.

Exponunt deinde uiri iſti doctrinam ſuam, & primò Gregorius, loco proximè citato, ar. 3. in ſolutione primæ & ſecundæ rationis Ariſtotelis; quo loci dicit illud eſse, & dici ad utrumlibet, quod poteſt eſse, & non eſſe; cum quo optimè ſtat, quòd ipſum deteminatè erit, aut determinatè non erit. Vndè; inquit; talis determinatio de ineſſe tantùm, non tollit contingentiam futuri, quæ conſiſtit in indeterminatione de poſſibili; quia ſcilicet poteſt fore, & poteſt non fore; Et non in determinatione de ineſſe, qua ſcilicet dicitur quòd neque erit, neque non erit; quia hoc eſt impoſſibile, & oportet alterum tantùm determinatè fore; contingenter tamen; quamuis vtrumq. eorum ſit nobis ignotum. Ita Gregorius, quem etiam inſequitur Alphonſus.

Reÿcitur præfata opinio. Cap. 7.

Contra Grego. & Alphon. HAEC doctrina, vel Ariſtoteli nullatenus aduerſatur, uel eſt in ſe falſa. Nam contingens, & ad vtrumlibet, (vt eius vtar uerbis) ſi illud eſt quod poteſt eſſe & non eſſe, mox inde neceſsariò conſequitur, vt indeterminatio quantum ad poſſe, ſit de ratione formali contingentiæ; id quod etiam dicit Gregorius; minimè autem indeterminatio quantum ad eſse, cùm illa in rerum natura minus reperiatur. Verum igitur & formale contingens illud erit, quod eſt indeterminatum; & quotieſcunq; eſt determinatum, non amplius (quatenus tale) eſt contingens, atqui neceſsarium; neceſsarium; inquam; vel ſecundùm quid; ſi loquamur de eſse; ideſt ſecundùm illud tempus præſens in quo eſt, quia tunc conſtantem habet veritatem. Non dico tamen quòd ſit neceſſarium quantum ad ſuam naturam, quia eius natura non mutatur de contingente in neceſsariam; ſed quantùm ad modum eſsendi. Quia prius in cauſa erat ſub modo eſsendi ſimpliciter contingente, extra cauſam autem eſt ſub modo eſsendi neceſſario. Vel ſimpliciter & abſolutè, ſi de poſse intentionem habeamus. Quia tunc in propria cauſa ita eſt determinatum ad eſse, quòd non poteſt non eſſe; vt de Ecclipſi Lunæ & Solis, aliiſq. eiuſmodi quampluribus ſatis liquidò conſtat. Hoc itaque præmiſſo, arguo ſic: Si ratio formalis contingentiæ conſiſtit in indeterminatione quò ad poſse, non quò ad eſse: perquam clariſsimè conſtat, quòd antequàm res ſit, ſub indifferentia ſemper manet,

ut poſſit

ut poſsit eſse uel non eſse, fieri uel non fieri. Quare enunciatio de futuro, nunq̃ conſtantem poteſt habere ueritatem. Patet enim quòd antequàm res ſit, non habet eſse niſi in propria cauſa. Percunctor igitur ego, nunquid illa cauſa ſit ad rem producendam determinata, ita ut non poſsit in oppoſitum, aut indeterminata ad eſse & non eſse. Si detur ſecundum, tum etiam enunciatio erit indeterminata. Si uerò primum admittatur, tunc dubio procul perit contingentia, & ceditur locus neceſsitati. Id quod inferebat Ariſtoteles, in præmiſſis ſuis rationibus. Eſt enim implicatio in adiecto, quòd cauſa ſit eo modo determinata, & ibi ſit contingentia.

Dicet Gregorius, quòd cauſa ſemper eſt indeterminata; cum qua tamen indeterminatione ſtat, quòd hæc ſit determinatè uera: Petrus erit albus. Eſt tamen contingens, quia Petrus poteſt non fore albus, ratione cauſæ indeterminatæ. *Reſpõſio.*

Cæterùm huiuſmodi doctrina duo uidetur claudere pugnantia: quandoquidem hæc enunciatio: Petrus erit albus: eſt determinatè uera. Et eſt contingens; inquit Gregorius; quia Petrus poteſt non fore albus. Quod autem poteſt eſſe & non eſſe, ſemper eſt indeterminatum. Idem igitur erit determinatum, & indeterminatum. *Impug.p.*

Amplius, illa enunciatio, vel fundatur ſuper eſse, aut ſuper poſſe. Si primum, utiq. eſt determinata, ſed non de futuro. Si ſecundum, eſt quidem de futuro, at indeterminata; quia res poteſt ſemper eſse & non eſse. Idem igitur quod prius. *Impug.2.*

Adhuc; ex eo quod res eſt uel non eſt, oratio dicitur uera uel falſa, & in his datur reciprocatio: fundamentum Gregorii, deſumptum ex Ariſtotele. Nunc ſic: Huiuſmodi enunciatio: Petrus erit albus: Si eſt determinatè uera; res igitur ipſa habet eſse determinatum in propria cauſa; determinatum; inquam: ita quòd non poteſt non eſse. De hoc enim eſt ſermo. Illud autem eſse non eſt niſi poſse. Quod igitur ad poſse attinet, erit in cauſa determinatio; & ita nulla contingentia. Quare idem erit contingens & non contingens. Et ſi poſse eſt indeterminatum, enunciatio quoque erit indeterminata. Hoc eſt in ſententia quod uolebat Ariſtoteles; quia contingentia attenditur ſemper penès poſse, non penès eſse; cùm penès hoc nulla detur indeterminatio; quia omne, aut eſt, aut non eſt. Si primum, eſt determinatum ad eſse: ſi ſecundum, eſt determinatum ad non eſse. *Impug.3.*

Vbi autem eſt determinatio, ibi nulla eſt contingẽtia ſimpliciter & primò; ſed ſi eſt, non niſi ratione cauſæ indeterminatæ; vt Petrus dicatur contingenter ſedere, quia cauſa illius ſeſsionis eſt indeterminata, libera, & cõtingens. Eſt tamen determinatum & neceſsarium quò ad eſse: quia unumquodq. quando eſt, neceſse eſt eſſe.

Vel igitur Gregorius ponit contingentiam quò ad eſse primò & per ſe, vel quò ad poſse tantùm. Si primum, decipitur nimis; ut reliquimus probatum. Si ſecundum, nihil profectò habet contra Ariſtotelem, eiuſq. doctiſsimos aſseclas. Ipſi nanque uolunt determinationem quò ad eſse, ſimul ſtare cum indeterminatione quò ad poſse. Stant enim hæc optimè

ſimul, Petrum ſedere,& poſse eſse ut ſedeat, & non ſedeat. Vnde quando enunciatio reſpicit rei eſse,tunc non eſt primò & ſimpliciter contingens, ſed neceſsaria atq. determinata,ſàltem ſecundùm quidi ueluti in ſuperioribus diximus;ſcilicet ſecundùm illud tempus præſens in quo eſt. Tunc enim res illa non eſt indifferens ut illo eodem tempore non ſit, ſed pro tunc eſt determinata ad eſse,& enunciatio illud eſse reſpiciens, determinatam & conſtantem habet ueritatem.

Quando uerò reſpicit ſimpliciter poſse, tum eſt indeterminata ſemper & contingens. Nec ab aliquo intellectu,ſiue creato, ſiue increato, poteſt ſub aliqua determinatione cognoſci;ſecus res modo ſuæ eſsentiæ opposito & naturę cognoſceretur; perinde ac ſi hominem ſine rationalitate intelligere uelimus. Euentus quippè contingens,aut poſsibilis,quatenus contingens aut poſsibilis eſt, ex ſe,& ex propria & intrinſeca ſua natura habet, quòd & eſse poſsit, & non eſse & ſit prorſus tam àd eſse, quàm ad non eſse indeterminatus;alioquin non contingens,aut poſsibilis, ſed neceſsàrius, aut impoſsibilis eſset; quemadmodum & homo habet ut eſse rationale ſit de intrinſeca & propria eius natura, nec poteſt eſse homo, quin ſit rationalis. Vnde ſicut nullus intellectus poteſt intelligere hominem ſub eſse rationalitati oppoſito; ita nec contingens ſub eſſe indeterminato oppoſito; ſecus deciperetur, rem aliter quàm eſset intelligendo.

Et hoc eſt quod uolebāt Alexander Aphrodiſien. lib. de fato, cap. 16., Boethius. 5. de conſolatione,&. D. Tho. de ueritate, q. 2. ar. 12.; nimirum ꝙ res contingenter eueniēs,bifariam conſiderari poteſt; quatenus ſcilicet intra ſuas cauſas latet;quatenuſq. extra cauſas ſuas,iam in rerum natura exiſtere & patere illa intelligi poteſt. Primo modo, à nullo intellectu creato uel increato, certè & determinatè cognoſci poteſt; quandoquidem huiuſmodi certa & determinata cognitio,cum euentus contingentis natura,ſine dubitatione pugnat; quæ autem adinuicem pugnant, impoſsibilia ſunt, & ex conſequenti ſuper eis nulla potentia ualet. Secundo uerò modo, ab intellectu humano certè cognoſci poteſt atque determinatè, quia tunc res ipſa contingens, non amplius futura, atqui præſens, uel præterita nuncupatur.

Intellectus autem diuinus, ex immenſa propriæ naturæ perfectione, priuſquam huiuſmodi contingentes euentus producantur, & dum intra cauſas ſuas adhuc latitant, quinimmo ab æterno, certè illos pariterquè determinatè cognoſcit; non tàmen ut intra cauſas ſuas latentes ſunt, ſed tanquam extra cauſas ſuas, & iam veluti explicati exiſtentes, ab eodem certè & exquiſitè conſiderantur. Fauet Boethius in 5. de philoſophica conſolatione, proſa. 6., his uerbis: Quoniam igitur omne iudicium ſecundùm ſui naturam, quæ ſibi ſubiecta ſunt compræhendit. Eſt autem Deo ſemper æternus ac præſentarius ſtatus. Scientia quoque eius, omnem temporis ſupergreſſa motionem, in ſuæ manet ſimplicitate præſentiæ, infinitaq. præteriti ac futuri ſpacia complectens; Omnia quaſi iam gerantur, in ſua ſimplici cognitione conſiderat. Hactenus Boethius. Teſtis inſuper eſt mihi. D. Apoſtolus, qui ad Hebręos cap. 4., in hūc modū effatur.

Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo. Eccleſiaſtici quoq. cap. 39. hæc uerba leguntur: Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis eius. A ſeculo uſq. in ſeculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius. Sed res pſpicua eſt & clara, Chriſtianoq; Theologo ſuperq. ſatis perſpecta. Sicut igitur quando res contingens extra ſuas cauſas exiſtens, nec amplius futuri, at præſentis rationem in ſe habens, ab intellectu humano certè ac determinatè cognoſcitur, & ex conſequēti aliquam habet connexā neceſsitatem; ita pari paſſu, quatenus eſt in intellectu diuino, in illoq. æternitatis præſentario ſtatu, non quidem ratione ipſius rei contingenter euenientis, ſed ratione illius ſummę, ac infinitę perfectionis, quæ intellectum diuinum, quem nihil latere poteſt, neceſſariò comitatur, neceſsitatem quandam habet annexam. Ratione cuius, enunciatio ſuper ea re ita ſe habēte fundata, dicitur & eſt certa atq. determinata; at non ratione contingentiæ, ſed neceſsitatis annexæ. Vnde. 5. de philoſo. conſo., proſa 6., dicebat Boethius: Reſpondebo nanq. idem futurum, cùm ad diuinam notionem refertur, neceſſarium. Cùm uerò in ſua natura perpenditur, liberum prorſus atq. abſolutum uideri. Hæc ille. Sicut enim illud quod in ſe eſt contingens, quando eſt nobis præſens, ratione præſentiæ, quandam ſortitur neceſsitatem, qua neceſſe eſt ipſum eſſe dum præſens eſt; ita etiam quia omnia ſunt Deo præſentia; ratione iſtius præſentiæ in ordine ad ipsā diuinam cognitionem, quandam ſortiuntur neceſsitatem; licèt in ſui natura prorſus libera uideantur & ſint. Ratio igitur formalis contingentiæ attenditur penes poſse, non penes eſſe; quod erat fundamentum noſtræ doctrinæ.

Soluuntur rationes Gregorij & Alphonſi.

Cap. 8.

QVo quidem ſtāte, ad rationem Gregorii aduerſus Ariſtotelem erectam, non erit difficile facere ſatis. Et primò ad eius fundamentū quod dixit eſſe Ariſtotelis, dico ꝙ fundamentum quidem eſt Ariſtotelis, at ab ipſo Gregorio minus benè interpretatum & aſsumptum. Verum ſiquidem eſt, ꝙ ueritatem propoſitionis ſequitur eſſe rei, & è contra. Nihilotamen ſecius res ipſa eſt cauſa ſemper ueritatis propoſitionis: unde Ariſtoteles in. 9. ſapientiæ, ſumma. 2. cap. 7., & contex. 21., dicebat: Non enim proptereaꝙ nos te uerè putamus album eſſe, tu albus es; ſed proptereaꝙ tu albus es, nos qui dicimus, uerum dicimus. Et in poſtprædicamentis cap. de modis prioris, dicit: Eſt autem uera oratio, nequaq̄ cauſa ut ſit res; ueruntamen res quodammodo cauſa uidetur, ut ſit uera oratio; eo enim ꝙ res eſt aut non eſt, uera oratio, aut falſa dicitur. Hinc dicunt ſapientiores philoſophantes, ꝙ ueritas eſt in rebus ſicut in cauſa, in propoſitione uocali ut in ſigno, in intellectu uerò ut in ſubiecto; unde res dicitur uera cauſaliter, propoſitio inſtrumentaliter, intellectus formaliter. Cùm itaq. ueritas *Ad rationes Greg.*

fundetur in re tanq̃ in cauſa, oportet ut ſemper ipſius rei eſſe inſequatur: ita vt ſi res habeat eſſe interminatum, utpotè res contingens in propria cauſa, ita etiam ueritas ſit ſemper incerta atq. indeterminata. Id quod etiam in ſuperioribus declarauimus. Ex illo igitur fundamento, oppoſitum potius, q̃ propoſitum ab ipſo Gregorio intentum, facilè conuincitur.

Quando uerò ex tali fundamento, hanc aſſumit propoſitionẽ: Antichriſtus erit: & arguit; aut eſt uera, aut non uera. Dico ꝙ huiuſmodi propoſitio bifariam conſiderari poteſt; uno modo ut reſpicit rem in propria cauſa merè contingente, & omnino indeterminata; alio modo ut eandem reſpicit extra propriã cauſam, ſeu in cauſa determinata & completa, diuinæq. ſubdita cognitioni certę & infallibili. Si ſecundo modo conſideretur, tunc eſt uera, atq. determinata. At cùm infert arguens: Ergo habeo propoſitum; non currit illatio. Quandoquidem enunciatio illa ſi eſt determinatè uera, hoc non habet ratione contingentiæ, at ratione neceſſitatis annexæ; quatenus ſcilicet eſt præſens intellectui diuino. Si uero iuxta primã acceptionem illam conſiderare uelimus, dico ꝙ nec eſt dicenda uera, nec eſt dicenda falſa, ſub quauis determinatione; ſed diſiunctim eſt ſemper reſpondendũ; ut dicatur uera uel falſa; quia in contingentibus de futuro, tam indifferẽs eſt ꝙ res ſit, q̃ ꝙ non ſit. Id quod reuera non nouit Ambroſius Catharinus; qui in fronte libelli ſui de Dei præſcientia conſtantiſſimè negat futura contingentia, uera eſſe, aut falſa. Vnde eum meritò redarguit Soto, in commentariis ad Epiſtolam Pauli pro gente Romana, cap. 9., & folio mihi 280. Quandò igitur dicit: Hæc propoſitio: Antichriſtus erit: aut eſt uera, aut non uera. Dicò ꝙ quatenus res eſt præſens intellectui diuino, eſt uera. Sed tunc eſt neceſſaria ſecundùm quid ſaltem. Quatenus uero res eſt in propria cauſa; dico quòd nõ eſt determinatè uera, nec determinatè falſa; ſed uera uel falſa. Vel dicimus (& eſt idem) quòd quatenus eius ueritas eſt ſcita à Deò, eatenus eſt determinata. Quatenus uerò ſubditur cauſæ merè contingenti, ſic eſt indeterminata &c. Ioann. Bacco. p. ſen. d. 40. q. 1. ar. 4. in fine. Et cùm loquimur de cauſa rei contingentis, de ea ſemper eſt ſermo, prout eſt indeterminata, & penitus contingens; quoniam hinc attenditur uera & propria contingentia.

Inſtantia. Si dicat arguens: Datur igitur medium inter duo contradictoria.

Solutio. Negatur argumentum; eſſet quidem datum medium inter duo contradictoria, ſi diceremus ſimpliciter & abſolutè, ꝙ nec eſt uera nec falſa. Sed dicimus, quòd eſt uera uel falſa. Per hæc patet ad alia omnia Gregorij & Alphonſi motiua. Quare enunciatio de futuro, nullam poteſt habere conſtantem ueritatem; cùm res in propria cauſa maneat ſemper indifferens ut poſſit eſſe uel non eſſe, fieri uel non fieri; ſecus non eſſet contingens, ſed neceſſaria. Et ita ſatis ineptè Gregorius reprehendit Ariſtotelem. Qui contingentiam ſemper conſiderauit in ſua ratione formali; quò ad poſſe ſcilicet, non quo ad eſſe; quemadmodum diximus ſupra.

Siue igitur de mente ipſius, Deus intelligat huiuſmodi cõtingentes atq; temerarios euentus, ſiue non; (de hoc enim tractabitur inferius) hoc parum refert; diceret Ariſtoteles; quoniã nõ conſideramus huiuſmodi cõtingẽtes

euentus,

euētus, ut sūt in ſuis cauſis determinatis; & ſubditis diuinæ cognitioni; ſic enim declinant à contingentia; nec eos conſideramus vt ſunt extra ſuas cauſas, atqui vt in eis propriè latitant. Tunc enim propoſitio de futuro eſt uera uel falſa; non quidem cum determinatione huius vel illius, ſed cum diſiūctione ſemper, aut hoc aut illud; ut diximus ſupra.

An contingentiam eſſe ſit demonſtrabile. Cap. 9.

SCotus in primo theologicarum ſententiarum, d. 39., ibi: Quantum ad primum dico, quòd iſtud diſiunctum &c. opinatur hāc propoſitionē: aliquod ens eſt contingens: eſſe indemonſtrabilem. Inquit enim: Nec etiam iſta pars diſiuncti, quod eſt contingens, poſſet oſtendi de aliquo, ſuppoſito neceſſario de aliquo: Et ideo uidetur iſta: aliquod ens eſt cōtingens; eſſe uera primò, & non demonſtrabilis propter quid. Vnde Philoſophus arguens contra neceſſitatem futurorum, non deducit ad aliquid impoſſibilius hypotheſi; ſed ad aliquod impoſſibile, nobis manifeſtius; ſcilicet q; non oporteret nec conſiliari, nec negotiari. Et ideo negantes talia manifeſta, indigent pœna, uel ſenſu; quia ſecundum Auicen. p. Meta., negantes primū principium ſunt uerberandi, uel exponendi igni, quouſq. concedant quòd non eſt idem comburi & non comburi, vel uapulare & non uapulare. Et ita etiam iſti qui negant aliquod ens contingens, exponendi ſunt tormentis quouſq. concedant quòd poſſibile eſt eos non torqueri. Suppoſito igitur iſto tanq̄ manifeſto & uero, aliquod ens eſt contingens, inquirendum eſt quomodo poſſit ſaluari contingentia in entibus. Hactenus Scotus.

Cuius quidem motiuum ex eo deſumitur, quia paſſiones entis conuertibiles, immediatè dicuntur de ente; propterea quòd; inquit; ens habet conceptum ſimpliciter ſimplicem; quare inter ipſum eiusq. paſſiones non poteſt eſſe medium, quia neutrius eſt definitio.

Dicit ſecundò, quòd Ariſtoteles in negotio de contingētia ſibi minimè conſtat; quandoquidem Deum ponit agere de neceſſitate naturæ ex una parte; ex alia uerò, in rebus docet eſse contingentiam; quæ quidem citra omnem controuerſiam ad inuicem pugnant. In. 2. nāq. theologicarum ſent. d. 1, q. 3., ita ſcriptum reliquit: Ad illud quod additur de philoſophis, poteſt dici quòd multas contradictiones latentes conceſſerunt; ſicut negauerunt communiter eſse aliquod primum principium contingenter cauſans; ſed dixerunt primam cauſam eſse neceſſariò cauſantem; & tamen dixerunt contingentiam eſſe in entibus, & aliqua contingenter fieri. Sed cōtradictionem includit aliquid cōtingenter fieri in entibus, & primam cauſam neceſſariò cauſare; ſicut deductum eſt diſtinct. 8. primi, & diſtinct. 2: & 39. eiuſdem, & aliquantulum in. q. præcedente. Ita Scotus. Et in præcitata. d. 39. inquit: Nulla contingentia poteſt eſſe in cauſatione alicuius cauſæ reſpectu ſui effectus, niſi prima cauſa cōtingēter ſe habeat ad cauſam proximam ſibi, uel ad ſuum effectum. Quod nunc probatur breuiter. 2. dictum Scoti.

Cauſa mouens inquantū mota, ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet. Quælibet igitur cauſa ſecunda quæ producit inquantum mota à prima, ſi neceſsario mouetur à prima, neceſsariò mouet proximam ſibi, uel producit

effectum. Tota igitur ordinatio cauſarum uſque ad ultimum effectum neceſſariò ꝑduceret, ſi habitudo primæ cauſæ ad ſibi proximã ſit neceſſaria.

2. Præterea: Cauſa prior, prius naturaliter & ſimpliciter reſpicit effectum ſuum, quàm cauſa poſterior. Ergo in illo priori ſi habet neceſſariam habitudinem ad ipſum, dabit ſibi eſſe neceſſarium. In ſecundo autem inſtanti naturæ non poteſt cauſa propinqua dare ſibi eſſe cõtingens, quia iam præintelligitur habere à prima cauſa eſſe repugnans contingentiæ. Nec poteſt dicere ꝙ in eodem inſtanti iſtæ duæ cauſæ dent eſſe cauſato; quia ſuper illud eſſe non poſſet fundari neceſſaria habitudo ad illam cauſam perfectè dantem eſſe, & contingens habitudo ad aliquam aliam cauſam.

3. Amplius: Quicquid producitur à cauſis poſterioribus, poteſt immediatè produci à prima, & tunc haberet eandem entitatem, quam modò habet. Et tunc eſſet contingens, ſicut & modò eſt contingens. Habet igitur cõtingentiam etiam modò à cauſa prima, & non tantùm à cauſa proxima.

4. Adhuc: Deus multa produxit immediatè, & ꝑducit; ſicut creauit mundum, & nunc creat animas; & tamen omnia contingenter. Ergo contingẽtia in rebus eſt reſpectu primæ cauſæ, & non reſpectu ſecundæ. Quamobrẽ Ariſtoteles non benè ſibi conſtat, ponendo primam cauſam neceſſariò agere, & deinde cõtingentiam in entibus. Hoc idem aſſerit Põponatius lib. 5. de fato, cap. 2., alia tamen ductus ratione, quæ ſuo loco relinquitur examinanda.

3. dictum Scoti. Tertio demum loco dicit idem Scotus, ꝙ datur in rebus ſublunaribus uera contingentia, at probari minimè poteſt, uerùm aliquod ens eſſe cõtingens, tanq̃ manifeſtè uerum eſſe ſupponendum; quemadmodum diximus ſupra.

Refellitur ſententia Scoti. Cap. 10.

IN omnibus his quæ dixit deficit vir iſte; & apprimè in his quæ primo loco habuit. Quandoquidem fundamentum ſibi falſum aſſumit; nempe ſubiecti, ſeu paſſionis eſſentialem definitionem, mediũ eſſe in demonſtratione. Inquit enim ꝙ contingens non poteſt demonſtrari de ente, quia inter ipſum eiuſq. paſſiones non datur medium, cùm neutrius ſit definitio. Vult igitur definitionem alterius medium eſſe in demonſtratione, definitionem inquam eſſentialem; quod falſum eſſe, ſatis aliàs demonſtrauimus: & præcipuè de definitione eſſentiali paſſionis. Item, ꝙ ſi ſit definitio ſubiecti, id eſt per accidens, nequidem eſt medium ut ſic, uerùm ut eſt cauſa immediata paſſionis. Vndè ſiue ens, eiuſq. paſſiones conceptum habeant ſimpliciter ſimplicem, ſiue non, id non attinet ad hoc ut aliqua paſſio poſſit demonſtrari de ente; propterea quòd medium in demonſtratione eſt definitio paſſionis, non quidem eſſentialis; ut aliàs demonſtrauimus; at cauſalis. Quare ut paſſio de ſubiecto demonſtrari poſſit, ſufficit ut eius ſit aliqua propria & immediata cauſa. Modò eſſe contingens, per ſe dicitur de re quę eſt contingens: ueluti etiam eſſe corruptibile; teſte Ariſt. 10. Meta. 26.

Aut igitur dicitur per ſe de ea in primo, aut in ſecundo modo. Non in primo, propterea quia contingentia non conuenit rei ratione eorum quæ ſunt

ſunt de eius quidditate; atqui ratione eorum quæ ſunt extra eius quidditatem. Quemadmodum non dicimus hominem rem eſse contingentem ratione animalis, corporis, ſubſtantiæ, & rationalis; cùm hęc de eo neceſsariò dicantur. At hoc dicimus ratione eorum quæ ſunt extra eius quidditatem; ueluti ſunt productio, exiſtentia, operatio, & id genus alia. Contingens eſt enim ut homo producatur, & non producatur, ſit & non ſit, operetur & nõ operetur &c. In. 2. igitur modo per ſe dicitur eſse contingens de re contingente: & ita eſt eius uera & propria paſſio; id quod etiam admittit Scotus.

Si igitur huiuſmodi paſſionis ſit aliqua propria & immediata cauſa, procuIdubio de re ipſa erit demonſtrabilis. Ariſtoteles autem tum in. 7. ſapientiæ. 22., tum in primo de coelo. 136. docet, materiam cauſam eſse, cur res poſſint eſſe & non eſse. Eſse igitur contingens poteſt de re contingente tali pacto demonſtrari.

Habens materiam in qua eſt priuatio & potentia contradictionis ad eſſe & non eſse, eſt contingens. Entia autem omnia ſublunaria huiuſmodi in ſe continent materiam. Sunt igitur omnia contingentia. Falſum eſt igitur id quod dicebat Scotus; nimirum inter ens & contingens nullum cadere medium, & ex conſequenti hanc propoſitionem: Aliquod ens eſt contingens: eſse indemonſtrabilem. Quòd ſi dixiſset contingentiam non debere demonſtrari, quia eſt per ſe nota; fortè melius.

Poſsem ulterius rationem ex uniuerſi perfectione deſumptam adducere; at breuitatis cauſa, ſat eſt mihi oſtendiſse illam propoſitionem non eſse immediatam, immediatione cauſæ; quod eſt oppoſitum eius quod primo loco dicebat Scotus.

Addo tamen, id etiam falſum eſse quod de Ariſtotele aſſerit; nempe ipſum non demonſtraſse illam propoſitionem in primo perhiermenias. Nam præter illas quas in ſuperioribus adduximus rationes, idem probat tali pacto: Datur uoluntas in nobis libera, datur potentia in rebus naturalibus ad eſse & non eſse. Ergo ſunt effectus contingentes. Primam partem antecedentis probat ex eo, quia conſultamus, & negotiamur, & apti ſumus à natura ad conſilia & negotia. Quòd ſi omnia neceſsariò euenirent, fruſtra eſſent illa omnia. Secundam autem partem ex eo deducit, quia hæc ueſtis poteſt incidi, & non incidi forcipe: ut facilè conſtat. Poteſt igitur incidi & non incidi: Et ita in rebus eſt potentia ad eſse & non eſse. Quod autem Ariſtoteles hic argumentetur à cauſa, nullum apud candidè philoſophantes relinquitur dubium. Falſum eſt igitur ꝙ in eius p. dicto aſſerebat Scotus.

In. 2. quoq. minus benè dixit; ex eo quia non ſequitur: Deus agit de neceſſitate naturæ; igitur nullum datur eſse contingens. Admiſso itaq. ꝙ ad aures Ariſtotelis, Deus agat de neceſſitate naturæ; (id quod non eſt ſatis perſpicuum) ob id nulla datur in dictis eius repugnantia. Quod ut clarius euadat, annotandum eſt, ꝙ Deum agere de neceſſitate naturæ, duplicem poteſt habere ſenſum. Alter eſt, ꝙ agat & operetur per naturam, prout natura ꝑuenit intelligere & uelle; ita ꝙ non agit per intelligere & uelle, atqui per aliquod antecedens & prius; quemadmodum homo ſi digerat cibum,

diciturágere,non per intelligere & velle,at de neceſſitate naturæ. Et hoc pacto nemo ex philoſophis poſuit Deum agere de neceſsitate naturæ, cùm poſuerint eum cauſam eſse & agens per intellectum & voluntatem. Alius ſenſus eſt, ꝙ Deus ipſe benedictus agat & operetur de neceſſitate naturæ, prout uoluntas quædam vult neceſsariò,& ea non poteſt non uelle; ueluti Deus non poteſt non velle bonitatem ſuam,& homo propriam felicitatem. Et tunc ſenſus eſt,ꝙ Deus dicatur agere de neceſsitate naturæ, quia vult ea quę facit facere,ita ut non poſſit ea non uelle,ſicut non poteſt non uelle bonitatem ſuam. Et in hoc ſenſu, Scotus & alii uolunt Ariſtotelem tenuiſſe *Vide lib. 5.ca.13.* Deum agere de neceſſitate naturæ. Quod quidem an uerum ſit, necne, nolo diſputare modò; cùm ſat ſit in propoſito, oſtendere ꝙ hoc etiam admiſſo, ob id Scotus non habet intentum.

Propterea quòd Deum agere de neceſsitate naturæ in 2. ſenſu, adhuc bifariam intelligi poteſt. Vno modò,quòd Deus neceſsario uelit cœlum & omnia alia ab eo producta; & iterum neceſsario uelit ea habere tum eſse neceſsarium,tum uirtutem cauſandi neceſsariam, quo ad ea quæ cauſare poſsunt. Alio modo,quòd uelit neceſsario aliqua producere,quę habeant eſse neceſsarium,& uirtutem cauſandi neceſsariam. Rurſusq. vult aliqua neceſsariò producere, quæ tamen habeant eſſe,non neceſsarium, nec uirtutem cauſandi neceſsariam,ſed contingentem.

Modò ſi Deus iuxta primum ſenſum ageret de neceſsitate naturæ, procul dubio omnia neceſsariò euenirent, in rebusq. nulla daretur contingentia; cùm omnes cauſæ, tam prima, quàm ſecunda neceſsariò cauſarent. Si uerò in ſecundo ſenſu loquamur,tunc non omnia neceſsariò eueniunt, sed quædam neceſsariò, quedam contingenter; propterea quòd & ſi Deus vult omnia neceſsariò producere; ob id tamen non vult omnia ab eo producta, neceſsariam habere cauſalitatem ſuper effectum ſuum; ſed quædam neceſſariam,quædam uerò contingentem.

Et propterea cum neceſſitate primæ cauſæ,& cum ejus uoluntate, contingentiam in cauſando proximæ cauſæ neceſsariò uolente, optimè ſtat ꝙ cauſa contingenter cauſet,& ꝙ effectus,non neceſsariò, ſed contingenter producatur. Et in hoc ſenſu potuit Ariſtoteles admittere Deum agere de neceſsitate naturæ,in rebusq., citra omnem repugnantiam, contingẽtiam àſserere. Doctrina eſt ſubtiliſsimi Heruei, in quoli.2.q.4. confirmata à doctiſsimo Caietano in prima par. ſummæ theo. D.Tho.q.14., ar.13. ubi tali uia procedit: In ſyllogiſmis ſæpè concluſio contingens ſequitur ex maiore neceſsaria, & minore contingente; & ex primis principiis neceſsariis omnes pendent propoſitiones. Amplius; Pluralitas ab uniformitate, motusq. ab immobili procedit. Contingens autem habet rationem pluralitatis & motus,quia poteſt aliter ſe habere. Neceſsarium uerò rationem habet unius,& immobilis,quia impoſſibile eſt aliter ſe habere. Contingens igitur à neceſsario naturaliter procedit; ſed non conuertitur oratio. Non igitur repugnat, at contingenti optimè conſonat, ꝙ à ſimpliciter neceſsario originem ducat. Ex hac itaq. doctrina elegantiſsimè patet error & deceptio ipſius Scoti.

Diluuntur

Diluuntur rationes Scoti. *Cap. 11.*

CVius quidem prima ratio ex præmiſsis facillimè tollitur, ſi eius negetur ſimpliciter antecedens. Non enim eſt neceſse quòd ſi cauſa ſecunda à prima neceſſariò moueatur, & ipſa neceſsariò moueat; propterea quòd motio atque operatio primæ cauſæ recipitur & modificatur in 2., prout conuenit naturæ & capacitati ipſius. Doctrina eſt. D. Tho: in p. ſen. d. 38. q. p. ar. 5. ad initium. Vnde ſi cauſa. 2. ſit neceſsaria, & moueatur à p., vtiq. neceſsariò mouebitur & mouebit. Si uerò ſit cõtingens, neceſſariò quidem mouebitur, at non niſi contingẽter mouebit, ſeu cauſabit. Rectius itaq. Scotus ſi dixiſset: Secunda cauſa ſi neceſſariò moueatur à prima; & ipſa neceſsariò uel contingenter cauſabit. Verùm libido contradicendi; ſubtiliſsimo atq. ſanctiſsimo doctori pręcipuè; in cauſa fuit quòd multipliciter errauit.

Secundo quoq. loco admodùm decipitur Scotus; ex eo quia in eius antecedente vult cauſam priorem, prius naturaliter & ſimpliciter attingere effectum cauſæ ſecundę, quàm ipſamet cauſa ſecunda; veluti ex eius uerbis perquamfacillimè conſtat. Id autem tanq̃ falſiſsimum non admittimus; quoniam ſimul eodemq́. penitus inſtanti, ab utraq. idem attingitur effectus; Cùm inter huiuſmodi cauſas, reſpectu productionis effectus, nulla ſit prioritas, niſi uirtutis; quia prima independentem habet uirtutem, & à ſe; alia uerò non niſi à prima. Quando igitur id aſsumit Scotus, ꝙ cauſa prior, prius naturaliter & ſimpliciter reſpicit effectum ſuum, q̃ cauſa poſterior; vtiq. uerum dicit de prioritate & immediatione uirtutis, non cauſalitatis. *Ad ſecundũ Scoti.*

Et cùm huic doctrinæ occurrit Scotus inquiens, ꝙ impoſsibile eſt utranque cauſam in eodem inſtanti, eundem producere effectum, quia ſuper eum nõ poſset fundari neceſsaria habitudo ad primam, & contingens ad ſecundã cauſam, cùm ſint ad inuicem repugnantes; dicimus ꝙ eadem laborat infamia, qua in priori ratione; ſupponendo ꝙ cauſa prima ſi neceſsariò cauſet, ad quemlibet effectum neceſsariam retineat habitudinem; ꝙ à ueritate nihiloſecius nimis abhorret. Quandoquidẽ cauſa prima & ſi neceſsariò agit, modificatur tamen in cauſa contingenti, quia eius uirtus non recipitur in ipſa cauſa. 2., niſi ſecundùm ꝙ eius naturæ conuenit & capacitati; quemadmodum dictum eſt. Et idcirco effectus nõ attingitur à cauſa p. ſecundùm ſe & ſeorſum, ſed modificata in ſecunda; modificata; inquam; non à cauſa ipſa ſecunda; ut putauit Dominicus Bannes in p. parte. D. Tho., q. 19. ar. 8.; ſed per ſeipſam; quæ ſuam uirtutem modificat, ſeu accommodat capacitati cauſæ ſecundæ. Et idcirco dicimus quòd prima cauſa modificatur in ſecũda, non à ſecunda. Quare nulla ibi remanet habitudo, niſi contingens.

Tertia demum & quarta ratio non militant aduerſus Ariſtotelem; quoniam loquuntur de cauſalitate primæ cauſæ de facto, non ſecundùm hypotheſim; ut ſcilicet ſupponatur, Deum ad aures Ariſtotelis agere de neceſsitate naturæ; Quo quidem ſtante, rationes illas ad rem non eſse, facilè conſtat. Ita reſponderet Ariſtoteles ad Scotica ratiocinia. Sed & nos de tertio & quarto inferius ſermonem habebimus. Interim ſciat Scotus, ſe quoq. *Ad 3. & 4. Scoti.*

in

in ſecunda parte tertii dicti perperam ſenſiſse; quemadmodum in ſuperioribus iam probatum reliquimus.

Eapropter Ariſtoteles & eius aſseclæ de contingentia optimè ſenſerũt; cùm eorum ſententia, & ueritati & relligioni Chriſtianæ ſit maximè cõformis. Ponunt enim aliqua eſse contingentia ad utrumlibet; in quibus tam affirmatio quàm negatio non eſt magis dicenda uera q̃ falſa. Admittunt, inſuper, contingens ut plurimum, quod frequenter accidit, quamuis aliquando deficiat, & non accidat. Aſserunt demum contingens de raro eueniẽs. Quare hominem liberum conſtituunt, & in naturalibus multa contingentia affirmant; quod relligioni chriſtianæ eſt maximè conforme. Valeãt igitur Gregorius & Scotus, noſq́. ad alia pergamus.

Quid ſit contingentia. *Cap.* 12.

SVnt qui uelint poſſibile & contingens inter ſe ſe non parùm differre; at ſi æqua lance ponderetur utrunq., nõ niſi ratione diſtingui pro comperto habebimus. Illud ſiquidem poſsibile eſt, quod cùm ſit, adhuc poteſt non eſse. Quod uerò non eſt, at eſse poteſt, illud profectò dicitur & eſt cõtingens; ueluti docebat Ariſtoteles in primo de priori reſolutione, cap. 13. Cùm itaq. eadem ſit utriuſq. cauſa, liquidò conſtat ea, ſola intelligentiæ ratione inter ſe differre. Propterea utrunq. illorum, & contingens & poſsibile, promiſcuè ſæpè ab ipſomet Ariſtotele dicitur. Eſt igitur cõtingentia modus quidam rei poſitiuus, & proprietas quædam intrinſeca rei, qua eſse uel non eſse indifferenter poteſt. Eademq. ratio eſt, qua re iam exiſtente, adhuc poteſt non eſse. Poſse enim ab interno & naturali aliquo principio eſse uel non eſse, propriè eſt contingenter, ſiue poſsibiliter eſse. Hanc ob cauſam. 7. ſapientiæ. 22. dicebat Ariſtoteles: Poſsibile enim eſt eſse, & non eſse eorum unumquodq.; hoc autem cuiq. à materia. Non igitur eſt contingentia (ſi de ea propriè & formaliter loquamur) priuatio, aut cauſæ efficientis debilitas & impotentia; ut perperam ſunt quidam arbitrati dicentes, quòd contingentia eſt imperfectio quædam, ſicuti diformitas in actu à uoluntate cauſata; Vnde ſicut diformitas illa eſt defectus & peccatum, ita etiam contingentia. At re uera decipiuntur nimis; ex eo quia neceſsarium & contingens ſunt duo modi entis principales; ſicuti ergo neceſsarium eſt modus entis poſitiuus, ita etiam & cõtingens, licèt adinuicem opponantur. Sed de hoc non amplius.

Vnde ſit in rebus contingentia ad aures Ariſtotelis & Peripateticorum. *Cap.* 13.

CIrca huiuſmodi quæſitum, uarii uaria ſenſerunt; ſed Ariſtoteles contingentiam ex materia prouenire arbitrabatur; quemadmodum ipſe pluribus in locis perquamclariſsimè atteſtatur; & primò in de ortu & interitu libro. 2., particula. 51., ubi dicit: Vt materia igitur generabilibus cauſa eſt, quod poſſibile ſit, & nõ ſit. Hęc enim ex neceſſitate ſũt, ut æterna, hæc autem non ſunt ex neceſſitate. Horum autem hæc quidem impoſ-

impoſsibile eſt, quia non contingit circa neceſſarium aliter ſe habere. Quædam verò eſſe, & non eſſe poſsibilia, quod eſt generabile & corruptibile; quandoq. enim eſt hoc, quandoq; autem non eſt. Hæc ille. Cui ſubſcribit Auer. ibidem in commento his uerbis: Cauſa autem quæ eſt quaſi materia in corporibus generabilibus & corruptibilibus, eſt illud in quo eſt contingētia; & ea in quibus eſt contingentia, ſunt generabilia & corruptibilia. Et in calce eiuſdem commenti ita concludit; Ergo vna cauſa generabilium rerum & corruptibilium, eſt illud quod recipit contingentia, ſcilicet cauſa materialis. Hactenus Auerroes. In. 7. quoq. ſapientiæ, particula. 22. inquit Ariſtoteles: Cuncta uerò quæ aut natura, aut arte fiunt, habent materiam. Poſsibile enim eſt eſse, & non eſse, eorum unumquodq.; hoc autem cuiq. materia. Et particula. 53. dicit: Propterea etiam ſubſtantiarum ſenſibilium ſingularium, neq. definitio neq. demonſtratio eſt, eo q̄ habet materiam, cuius natura talis eſt, ut eſse & non eſse cōtingat. Et in. 6. eiuſdem uoluminis, particula. 5. ita concluſum reliquit: Quare materia erit cauſa contingens eius, quod aliter accidit, q̄ illud quod ut plurimum eſt.

In p. etiam libro cui titulus eſt de cœlo & mundo, particula. 136. inquit: Neceſſe eſt igitur natura talia quandoq. quidem eſſe, quandoq. autem non. Talium autem eadem potentia eſt contradictionis, & materia cauſa eſt vt ſint & non ſint. Ita Ariſtoteles. Qui &. 12. poſtnaturalium cōtex. 30., & lib. eiuſdem uoluminis. 14., cap. 3., idem aſſerere voluit. Eiusq́. verbis proximè citatis alludens ex Aphrodiſiade ille magnus Alexander, in libro quem ſub titulò edidit de anima. 2., cap. 45., ita ſcribit: Si enim entium quædam ſunt ſempiterna, alia autem quæ corrūpuntur, non ob aliam cauſam differentia horum in ipſis eſſe poteſt, quàm ob non entis communicationem. Propter enim miſtionem eius & temperamentum, præſentiamq́. infirmitas atque imbecillitas iis, quæ ſempiterna ſunt aduenies, prohibet ipſa ſemper eſse, & eodem modo ſemper habere. Si enim nihil ex non ente in entibus eſset, nihil benè gigneretur. Quòd ſi ob non entis miſtionem & corruptibilia talia ſunt, & præterea ipſa falſa & mendacia; ſed ſunt quædam in entibus corruptibilia, & corrumpuntur, & falſa ſunt, certè aliquid non entis eſt in ipſis. Etenim conuerſo quoq. modo rectum eſt aſſumptū: Si non ens non eſt in entibus, nullum ens corruptibile erit. Hæc Alexāder. Quibus alludens; vt diximus; uerbis magiſtri, materiam primam, in qua eſt priuatio & potentia contradictionis ad eſse & non eſse, more peripateticorum, appellat non ens; & hanc, rectè, vult cauſam eſſe contingentię. Quare in peripateticorum ſchola, à cauſa proxima effectus ſenſibilis denominatur contingens. Idq́. ex eo quia potentia in rebus materialibus, differentia eſt ſubſtantialis, aut proprietas materiæ; & actualitas ſe tenet ex parte formæ, & ideo neceſsitas oritur ex ea. Vnde optimè dicebat. D. Tho. prima parte ſummæ Theo: q. 86., ar. 3., in corpore: Eſt autem unumquodq. contingens ex parte materiæ, quia contingens eſt quod poteſt eſſe & non eſse. Potentia autem pertinet ad materiam, neceſsitas autem cōſequitur rationem formæ; quia ea quæ conſequuntur ad formam, ex neceſsitate inſunt. Hæc ille. Qui ſatis clarius explicat ſeipſum in eadem prima par., q. 14. ar.

13., ad

13., ad primum dicens: licèt cauſa ſuprema ſit neceſsaria, effectus tamen poteſt eſse contingens propter cauſam proximam contingentem. Sicut germinatio plantæ eſt contingens propter cauſam proximam contingentem, licèt motus ſolis qui eſt cauſa prima ſit neceſsarius. Et ſimiliter ſcita à Deo ſunt contingentia, propter cauſas proximas, licèt ſcientia Dei quæ eſt cauſa prima ſit neceſſaria. Huiuſq́. rei cauſam adducunt, doctiſsimi huius ſanctiſsimi doctoris aſſeclæ; proptereaq́ naturaliter effectus, cauſæ ſuæ proximę aſsimilatur, quia eſt eius cauſa propria; & idcirco uterq. effectus, nimirum contingens, & neceſſarius, reducitur in cauſam proximā, ab eaq́. denominationem ſumit. Admiſso igitur in uia D. Tho:, q ad aures Ariſtotelis Deus agat & operetur ex neceſsitate naturæ, adhuc abſq. ulla contradictione ſtat in rebus contingentia. Cuius tamen oppoſitum ineptiſsimè clamat ubiq. Scotus; & præcipuè in primo theologicarum ſent., d. 39. q. unica; quo loci in hunc modum effatur: Suppoſito igitur iſto tanq̃ manifeſtè vero, quòd aliquod ens eſt contingens, inquirēdum eſt quomodo poſſit ſaluari contingentia in entibus. Et dico q propter primam rationem factam contra tertiam opinionem; quæ magis explicita eſt diſtinctio. 2. q. de eſſe Dei; q nulla cauſatio alicuius cauſæ poteſt ſaluare contingentiam, niſi prima cauſa ponatur immediatè contingenter cauſare. Hactenus Scotus. Qui ex his conſtantiſsimè vult, cauſam contingentię quæ eſt in rebus, non aliam eſſe, q̃ diuinæ voluntatis contingentiam; Ex eo enim; inquit ipſe; res ſunt contingentes, quia Deus eas immediatè contingenter produxit. Idq́. rationibus probauit eis, quas nos ſupra citauimus & eliſimus; quare ſuperuacaneum eſſet illas repetere. Non eſt tamen ſilentio prætereundum id magnum abſurdum, quod ad hanc Scoticam ſequitur ſententiam; nimirum totum uniuerſum ſuperq́. ſatis imperfectum derelinqui. Ex eo enim q ipſe vult in rebus ſeruare contingentiam, aufert neceſsitatem ab eis; illud minimè animaduertens, q ens neceſſarium multò nobilius eſt atq. præſtantius, magisúe ad uniuerſi perfectionem pertinens, quàm ens contingens. Id quod conſequitur ex eo maximè conſtat, quia omnia quæ in vniuerſo reperiuntur, pari libertatis uoluntate atq. contingentia (ut eius utamur uerbis) ſunt à Deo producta. Omnes igitur res erunt æqualiter contingentes; & ita nullum erit in uniuerſo terrarum orbe ens neceſſarium; quod nimis à ueritate abhorret.

Contra Scotum.

Quid propriè ſenſerint Theologi de prima radice contingentiæ. Cap. 14.

HActenus de radice contingentię ad aures philoſophorum diſceptauimus, & quid circa hoc ſenſerint noſtri; nunc uerò quid de eadē, in ſacra pagina unuſquisq. illorum accipiat, relinquitur conſiderandum. Scotus igitur in primo theologicarum ſenten., diſtinctio. 39., q. unica & alibi, in ſua ſemper opinione perſiſtens, primam contingentiæ radicem vult diuinam eſse uoluntatem, ita vt nulla contingentia in alicuius cauſę operatione reſpectu ſui effectus eſse poſsit, niſi prima cauſa contin-

Opinio Scoti.

genter

genter ſe habeat ad cauſam ſibi proximam, aut ad eius effectum. Et ita ſecundũ mentem iſtius uiri, prima radix contingentiæ eſt contingentia in diuina uoluntate; id quod duplici uia demonſtrare contendit. Primò ſic: Quicquid producitur à cauſis poſterioribus, poteſt immediatè produci à prima cauſa; & tunc eãdem quam modò habet, entitatem haberet; & tunc, ſicut nunc, eſſet contingẽs. Habet igitur contingentiam ſuam etiam modò à prima cauſa, & non tantùm à cauſa proxima. *Pr. Ratio Scoti.*

Amplius; Deus multa produxit immediatè & producit; ſicut creauit mũdum, & nunc creat animas; & tamen omnia contingenter. Cæterùm decipitur Scotus, veluti ex ijs quæ in ſuperioribus adduximus iam ſatis conſtat. Quibus tamen addimus, ꝙ cùm neceſsitas ſimpliciter repugnet libertati, contingentia uerò imperfectionem in libertate ponat, cùm dicat mutabilitatem; conſequens eſt, ut ineptis utatur uocabulis Scotus, ponendo Deũ cauſare contingenter. Quare id aptiſsimè negat. D. Tho:, in pri. theologicarum ſenten., d.43.q.2, ar. pr. ad 4. his uerbis: Non eſt dicendum uoluntatẽ Dei eſſe contingentem, aut operationem ipſius; quia contingentiam mutabilitatẽ importat; quæ in Deo propriè nulla eſt; ſed tamen eſt ibi libertas uoluntatis, & operationis, prout exit à uoluntate. Hæc ille. Et ita Deus benedictus, nec eſt cauſa neceſſaria ſimpliciter, neq. contingẽs, ſed utraq. ſuperior; nec aptius uocabulum habemus, q̃ ut dicatur cauſa libera; quemadmodum in p. par. ſummæ Theo:. D. Thomæ, q.14. ar.13. concludit ſolertiſſimus dominus Caietanus. Et ſi uelimus dicere Deum cauſam eſse neceſsariam, de neceſsitate immutabilitatis uenit ſemper intelligendum. *2. Ratio Scoti. Contra Scotum.*

Præterea, ſi uoluntas diuina neceſsariò ſimpliciter cauſaret, adhuc in rebus ſeruaretur contingentia; quemadmodum ſuperius reliquimus probatum. Eſsent enim cauſæ defectibiles, & agentia libera. Non igitur prima radix contingentiæ eſt contingentia in diuina uoluntate, ſeu in prima cauſa, ut perperam arbitrabatur Scotus.

Adhuc: nomine contingentiæ in diuina uoluntate intelligit ipſe libertatem illius; ita ut quia Deus liberè uult & cauſat, ideo eſt contingentia in uniuerſo; & ſi daretur oppoſitum; nempe ꝙ Deus liberè non cauſaret, nihil profectò contingenter eueniret. Quo ſtante, mox infertur, quòd hæc pars uniuerſi, à Deo tanq̃ ab agente à propoſito minimè eſset; quod & Theologis noſtris & philoſophis maximè aduerſatur. Id quod conſequitur ex eo conſtat, quòd effectus agẽtis à propoſito ut ſic, ab eo ut ſit electus oportet, ex.9. primæ philoſophiæ; ubi dicitur quòd potentia rationalis à prohæreſi determinatur ad agendum. Si autem contingentia ex modo uolendi ipſius Dei originem trahit, minimè eſt electa, at conſequens modum eligendi. Nõ eſt igitur effectus Dei, ut agentis à propoſito. Quare contingentia erit in uniuerſo, præter Dei intentionem; vtpotè conſequens modum uolendi eius, non uolitionem ipſam. Ratio eſt doctiſsimi Caietani, in prima par. q.19. ar.8.

Et quia diximus quòd ſi uoluntas diuina neceſsariò ſimpliciter cauſaret, adhuc in rebus ſeruaretur contingentia, quoniam eſsent cauſæ defectibiles, & agentia libera; ſunt qui primam partem admittunt,

ſecundam autem minimè. Quandoquidem ſi eſſet liberum arbitrium, aut moueretur à ſe tanq̃ à primo mouẽte, aut à Deo. Si à ſe, ergo Deus nõ eſt primum mouens. Si à Deo ex neceſsitate mouente, ergo non eſt liberũ. Deus enim mouet ex neceſsitate naturæ; ergo uoluntas non mouetur liberè. Quia hæc conſequentia eſt bona: Deus mouet uoluntatem; ergo uoluntas mouetur à Deo; antecedens eſt neceſſarium omnino; ergo & conſequens. Non ergo eſt facultas in uoluntate ut aliter moueatur.

Præterea: quod aliquando eſt in actu, aliquando in potentia; neceſſe eſt vt ab alio moueatur. Sed Deus, ex hypotheſi, ſemper uno modo operaretur ex neceſſitate naturæ. Ergo uoluntas ſemper neceſſariò eſſet in actu; aut nunq̃. Non enim daretur cauſa huius indifferentiæ uoluntatis ad utrumlibet, magis q̃ in bruto. Nec mirum, ꝙ ex tali ſuppoſitione impoſsibili, tam abſurda ſequantur.

Item; ſicut ablata prima ſapientia, tollitur omnis ſapiẽtia; ſic ablato primo libero arbitrio, tollitur omne liberum arbitrium. Et ita falſum eſſe uidetur id quod diximus; nempe quòd data hypotheſi ꝙ uoluntas diuina neceſſariò ſimpliciter cauſaret, eſſent in rerum natura agentia libera. At re uera rationes non cogunt; ueluti ex ijs ſatis conſtat quæ ſupra diximus ca. x., de duplici modo quo Deus poſſet agere de neceſſitate naturæ. Nã cõcludere uidentur in primo, non in ſecundo ſenſu. Et ne eadem bis repetamus, ad ea lectorem reijcimus.

Propter iuniores tamen, utrunq. ſimul breuibus iungendo dicimus ad primã rationem, quòd liberum arbitrium moueretur à Deo. Sed ꝙ poſtea non eſſet liberum, inficiamur omnino. Et cũ probatur, id quod conſequitur non admittimus. Quoniam idem poſſet dici de cauſis contingentibus naturalibus; quod tamen non admittit author iſtarum rationum. Et quando ulterius dicit: Deus mouet uoluntatem; ergo uoluntas mouetur à Deo; antecedens eſt neceſſarium omnino; admittimus. Sed cùm infert; ergo & conſequens; negatur. Quoniam pari paſſu poſſemus dicere; Deus mouet cauſam contingentem naturalem; ergo cauſa contingens mouetur à Deo; Antecedens eſt omnino neceſſarium; ergo & conſequens. Quod tamen ſupra probauimus eſſe falſum, nec admittitur ab iſto authore. Conſequens enim licèt eſſet neceſſarium ex parte Dei neceſſariò mouentis; nõ tamen ex parte cauſæ contingenter operantis. Et propterea nõ eſſet oĩo neceſſariũ.

Ad ſecundam; patet per idem. Sed oportet addiſcentem legere quæ ex .x. capite citauimus, eaq. benè intelligere. Interim dicimus ꝙ tertiæ rationis falſa eſt conſequutio. Quoniam data hypotheſi, tolleretur omnis libertas ſecundùm ueritatem, itemq. omnis contingentia ſecundùm Scotum; & tamen cauſæ naturaliter contingentes adhuc contingenter operarentur; ueluti ex ijs quæ ſupra cap. x. diximus, ſuperq. ſatis conſtare poteſt.

Sunt dubitationes iſtæ Dominici Bannes, in prima par. D. Tho. q. 19. ar. 8. contra Caietanum. Vbi .D. Tho: pertractans nunquid uoluntas Dei rebus quas uult neceſſitatem imponat, hanc ponit concluſionem: Diuina uoluntas quibuſdam à ſe uolitis neceſſitatem imponit, quibuſdã nõ

Opinio D. Thomæ.

idq́.

idq. propter efficaciam diuinæ uoluntatis contingere dicit. Quod ut à iunioribus facilius intelligatur, animaduertant oportet, q; Theologi noſtri, uoluntatem in efficacem, & minus efficacem diſtinguere ſolent; in declaratione tamen efficacis uoluntatis non ſatis bene conueniunt.

Quidam enim dicunt tunc eſſe uoluntatem efficacem, quando eſt uehemens atq. intenſa; inefficacem uerò, cũ eſt remiſſa & nõ adeò concitata. *Opinio p.*

Cæterùm non eſt admittenda huiuſmodi doctrina; quandoquidem accidit ſæpenumero, q intenſius aliquid uolumus quod eſt impoſsibile, q multa quæ facimus uoluntate efficaci; iuxta illud. D. Apoſtoli: Ingemiſcimus grauati, eoquòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Quæ quidẽ uoluntas ẽ inefficax, quæ his uerbis explicatur: Vellemus nõ expoliari, ſed ſupueſtiri. At eſt inteſior uolũtas, q̃ uolũtas quã qs efficaciter & ſeriò uult deambulare. *Impugn.* *2. Corin. 5.*

Præterea, actus charitatis, quantumlibet remiſſus ſit & tenuis, eſt efficax & ſufficiens ad ſeruanda diuini regis omnia mandata. At non eſt uoluntas intenſa & uehemens. Non igitur rectè, qui dicunt uoluntatem efficacem eſſe uehementem atq. intenſam.

Quare dicunt alii uoluntatem efficacem illam eſſe, quã poſita, ſequitur effectus. *Opinio 2.*

Verùm hæc definitio placere non debet; proptereaquòd aliquando eſt uoluntas efficax, nullus tamẽ ob eam ſequitur effectus; ueluti cùm quis uoluntatem habet efficacem moriendi pro Chriſto, at non ſequitur effectus; quia nulla ei datur occaſio moriendi pro Chriſto. *Impugn.*

Alii dicunt, quòd uoluntas efficax eſt illa, quę explicatur per uerbum indicatiui modi, uolo. Voluntas uerò inefficax eſt, quæ explicatur per uerbũ optatiui modi, ut uellem, nollem, &c. huiuſmodi. *Opinio 3.*

Verumenimuerò, hoc potius ſignum eſt uoluntatis efficacis, quam eius propria definitio. *Impugn.*

Quamobrem rectius dicunt, qui docent uoluntatem efficacem illam eſſe, quæ aliquid eligit facere, quod poſsibile exiſtimatur, & ad eam ſemper ſequitur opus, niſi adſit impedimentum. Quemadmodum dicimus ſacramenta nouæ legis, media eſſe efficacia ad conferendam gratiam, ex parte ſuſcipientium tamen, aliquando eorum impeditur effectus. Et hæc eſt uoluntas efficax in nobis. Si igitur aliqua reperiatur uoluntas, quæ à productione ſui effectus minimè impediri poſsit, illa profectò erit efficaciſsima; Voluntas autem diuina nullatenus impediri poteſt, iuxta illud. D. Apoſtoli: Voluntati enim eius quis reſiſtit? Quare quòd illa ſit efficaciſsima, neceſſariò conſequitur. Et ex conſequenti, quòd cùm Deus ſit agens uoluntariũ ad extra & liberum, nedum ea fiant quę uult ipſe fieri; uerumetiam eo modo quo uult ea fieri & produci. Id quod intendebat. D. Doctor, loco à nobis proximè citato. Quo loci, hunc in modum ratiocinatur: Quando aliqua cauſa eſt efficax ad agendum; effectus, non tantùm ſecundùm id quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi vel eſsendi, propriam conſequitur cauſam; ita ut non modò in ſpecie, at etiam in accidentibus ſit ei ſimilis. Quod ex eo maximè conſtat, quia ex debilitate uirtutis actiuæ in ſemine, contingit quòd filius naſcitur diſsimilis patri in accidentibus; quæ ad modum *quarta et uera opinio Medinæ: pr. 2. D. Tho q. 13. ar. 6.* *Ad Ro. 9*

 perti-

pertinent eſſendi. E' contra uerò, ſi uirtus formatiua in ſemine ſit fortis, filius patri aſsimilatur non ſolùm in natura ſpeciei, ſed etiam in accidentibus. Voluntas autem diuina cùm ſit efficaciſsima & agens fortiſsimum, oportet eius effectum in omnibus ei aſsimilari; ut nō ſolum illud fiat quod uult Deus fieri; quod eſt quaſi aſsimilatio ſecundùm rationem ſpeciei; at etiam ut illo modo fiat, quo Deus uult illud fieri; ut neceſſariò, uel contingenter, cito, uel tardè; & eſt quaſi quædam aſsimilatio ſecundū accidētia. Vult autem quædam fieri Deus neceſsariò, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad complementum uniuerſi. Et ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſsarias, quę deficere non poſsunt; ex quibus effectus de neceſsitate proueniūt. Quibusdam autem cauſas aptauit contingentes atquę defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniunt. Quare; inquit; non ideo quia cauſæ contingentes uolitæ ſunt, propterea & ipſam contingentiam conſecutiuè uoluit Deus; at è contra, quia ipſe contingentiam uoluit, idcirco cauſas etiam uoluit contingentes. Hæc eſt. D. Thomæ elegantiſsima ratio; qua quidem non huius uel illius, at contingentiæ ſimpliciter accęptæ, primam & propriam radicem, peroptimè demonſtrat. Quòd ſcilicet non eſt aliqua ſecundarum cauſarum, at ipſius diuinæ uoluntatis conditio; quę eſt prima omnium cauſa. Vnde ſub directa uoluntate diuina cadit contingentia; & non eſt in uniuerſo ex neceſſitate materiæ, ideſt ex neceſſitate ſecūdarum cauſarum & naturarum. Quandoquidē eſt de primis partibus entis, & reperitur in naturis purè ſēſibilium, & in naturis merè intellectualium, & in natura media inter utranq., nempe humana.

Hæc igitur pars uniuerſi eſt contingens, & illa neceſsaria, quia propter ipſius uniuerſi perfectionem, ita uoluit Deus. A cuius quidem uoluntate, & in prima materia formarum omnium priuatio, ad easq. omnes in eadem potentia, & naturalis quædam propenſio; & in iis, aut illis efficientibus cauſis uniuerſis concurſus, uirtus, infirmitas, necnon efficacia, & inefficacia, atque humanę præterea uoluntatis arbitrium, ac cæterarum inſuper potentiarum, uirtutumq́, omnium uigor, & imbecillitas, & actus denique cuncti quotumcunq., uel qualitercunque cauſarum agentium, pro cuiusq. natura, & pro uniuerſi orbis adminiſtrationis ratione, moderantur & pendent; ueluti his uerbis, doctiſsimus pater Sirenius peregregiè diſcurrebat.

Lib. 2. de fato. ca. 5.

Quibus omnibus fauet. D. Hylarius in libro de Synodis, ubi dicit: Omnibus creaturis ſubſtantiam, Dei uoluntas attulit. Et ibidem: Tales ſunt creaturæ, quales Deus eas eſse uoluit. Multæ autem ſunt contingentes; ergo earum contingentiæ prima radix & cauſa eſt diuina uoluntas.

Contra Pereriū.

Valeat igitur Benedictus Pererius; qui lib. 9. cap. 14., ſanctiſſimum Doctorem non ſatis appoſitè redarguit, dicens, ipſum non reddere cauſam, ueramq́. rationem omnis contiugentiæ. Quandoquidem uerum eſt; inquit; quòd contingentia rei, quæ eſt uel in eius productione, uel in actuali exiſtentia, uel in operatione, pendet ex efficacia diuinæ uoluntatis; quoniam hæc omnia poſsunt eſse & non eſse. Attamen quòd (V. G.) homo ſecundùm naturam ſuam ſit res contingens & corruptibilis,

id non eſt ex efficacia diuinæ uoluntatis. Perſpicuum ſiquidem eſt; inquit; ꝙ Deus reſpectu eorum quæ ſunt ad extra eſt agens liberum; eius igitur uoluntas, eorum tantummodo cauſa eſſe poteſt, quæ eſſe poſſunt & non eſſe. At hominem rem eſſe contingentem, eſt omnino neceſſarium; nec à Deo fieri poteſt, ut ſit homo, & non ſit contingens; Quia huius oppoſitum implicat contradictionem. Huiuſmodi igitur contingentia non cadit ſub efficacia diuinæ uoluntatis, ſed debet reduci in ipſius hominis materiam, tanq̃ in ueram & propriam cauſam.

At re uera non apud dialecticos, nequidem apud candidè philoſophantes; huiuſmodi reperio contingentiam; ſi de ea propriè & formaliter ſermonẽ habere uelimus. Vtimur aũt in ꝓpoſito, eo ſenſu cõtingentiæ nomine, quo aliis uerbalibus uocibus, peritiores vti conſueuerũt. Ab hoc ſiquidem uerbo: contingo: dicitur contingentia; unde cõtingere, pro accidere, ideſt nulla ineuitabili neceſſitate euenire, ab omnibus rectè philoſophantibus communiter uſurpatur; Vt ea dicantur uerè atq; propriè contingere, quæ euenire & non euenire poſſunt. Quamobrem à Dialecticis contingentia dicuntur, quæ in utranq; partem accidere poſſunt. Horum autem tria ſunt genera; veluti in ſuperioribus diximus, & docet Ariſtoteles in p. de priori reſolutione, cap. 13.; nempe ut plurimum, æquale, & raro. Si igitur homo ratione qua eſt corruptibilis eſt contingens; neceſſe eſt ut ſub altero illorum generum contineatur. Hoc autem falſum ex eo eſſe conſtat, quia ſub illis generibus contenta, ſunt indifferentia ad eſſe & non eſſe. Homo autem neceſſariò, ratione materiæ, corrumpitur. Non igitur res eſt ꝓpriè contingens. Quinimmo tantum abeſt, ut homo ſecundùm naturam ſuam ſit contingens, ꝙ potius eſt quid abſolutè neceſſarium, cùm ſit totius uniuerſi nobiliſſima ſpecies. Sed quod decepit hunc uirum, fuit corruptibilitas in homine, & aliis ſpeciebus; quæ tamen oritur neceſſariò ex principiis, neceſſitate abſoluta; quemadmodum docet D. Tho. 2. de catholica ueritate, cap. 30.; quicquid dicat Sirenius de fato lib. 2. cap. 7.

Et confirmatur; quia cùm dico: Homo eſt corruptibilis: Huiuſmodi enunciatio ſub nullo continetur gradu enunciationum contingentium; prout conſtat ex iis quę diximus ſupra cap. 5., ad quod lectorem reiicimus. Si autem dicat Pererius, hominem rem eſſe contingentem impropriè, & quatenus omne illud dicitur contingens, quod opponitur æterno & incorruptibili; ſcilicet ipſi Deo; D. Tho. vtique aſſentiretur; at ei minimè aduerſatur, qui de vera, deq; propria contingentia ſermonem habet. Quæ non niſi rei exiſtentiam, productionem, ſeu operationẽ reſpicere uidetur. Cùm igitur dicitur: Homo eſt corruptibilis, propoſitio eſt in genere neceſſario, ſiue; ut dicunt noſtri; in materia naturali; & eius neceſſitas dicitur neceſſitas immutabilitatis; quæ à cauſis intrinſecis originem trahit, materia ſcilicet, & forma. Vnde homo ex parte formæ eſt neceſſariò rationalis; ex parte uerò materiæ eſt neceſſariò mortalis. Contingens autem propriè acceptum illud eſt, quod indifferenter reſpicit eſſe, pariterq; non eſſe. Eapropter Philoponus in primo de priori reſolutione, cap. de contingenti ad initium, ita notatum reliquit: Prius diuidit contingens, quoniam; ut libro de

interpretatione diximus; multis fertur modis contingens; accommodatur etiam materiæ neceſſariç, uelut contingit Solem in Ariete eſſe, quanq̃ non contingat, ſed neceſſe ſit ut Sol in Ariete ſit. Item fertur contingens quod in ortu atq. interitu uerſatur, quod à ſubiecto auelli & eſſe poteſt, uelut accidentia. Etenim hæc in aliquo inſunt, ſed non ex neceſſitate; uelut quando dicimus: Scytham contingit album eſſe. Hoc autem non eſt propriè contingens, ſed perinde eſt ac illa propoſitio, quæ ſignificat ſolum eſſe. Nam in Scytha ineſt album; idemq. dico de perſimilibus. Propriè contingens eſt illud quod tempus futurum ſignificat, & quod tam eſſe fieriq. poteſt, q̃ non eſſe nec fieri. Hactenus Philoponus. Ex quo patet ꝙ uera, propria, formaliſue contingentia reſpicit tantùm exiſtentiã, uel productionem, aut rei operationẽ. Huiuſq. contingentiæ, triplex cùm ſit genus, ut in pluribus nempe, ut in paucioribus, & quod ut æqualiter nũcupatur; ſingulis eius generibus, peculiaris quædam cauſa aſcribi poteſt; vt contingentis quidem ut in pluribus, natura; vt uerò in paucioribus, materia; ac demum ut ęqualiter, humana libertas. Et hoc meritò, iureq. optimo; quoniam eſt triplex contingens; ſecundùm naturam, ſecundùm intellectũ, & ſecundùm materiam. Horum autem omnium cauſa uniuerſalis, eſt materia ipſa; ſi ad aures candidè philoſophantium loqui uelimus; quemadmodũ iam ſatis ſuperius expoſuimus. Si uerò fidem noſtram, religionemq. Chriſtianam; vt noſtrum eſt, inſequi; & ueritatem omnino attingere uelimus, magnum legamus Aquinatem, & cum eo dicamus, cuiuſq. contingentiæ cauſam uniuerſalem, efficaciam eſſe diuinæ uoluntatis; quia nedum ea fiũt quæ vult Deus fieri, uerùm etiam eo quo vult ipſe modo, irreparabiliter

Contra Scotum. fiunt; ità; inquam ut à nemine impediri, ſeu retardari poſſit. Ex quibus perquamfacillimè conſtat, D. Thomam eius non fuiſse ſententiæ, ꝙ effectus à prima cauſa neceſſariò proueniat, & cõtingenter à ſecunda; uelut ei in primo theologicarũ ſenten. d. 39. q. unica, minus appoſitè Scotus impingit. Si enim diuinæ uoluntatis efficacia, cuiuſq. contingentiæ radix eſt atq. origo, quòmodo effectus ſunt à Deo neceſſariò? Verùm ad eius ratiocinia ſuperius adducta faciamus ſatis.

Ad p. Scoti. Ad primum itaq. cùm dicit ꝙ effectus contingens cauſæ ſecundę, à Deo immediatè produci poteſt, ſtante identitate & contingentia eiuſdem. Dicimus ꝙ uerum eſt, ſed non ea quam affert Scotus ratione; at propter efficaciã primæ cauſæ, quæ uicem cauſæ contingentis profectò ſuppleret. Nõ ob id tamen eſt ipſa formaliter contingens, atqui ſuperior neceſſaria cauſa & contingenti; ueluti ſuperius diximus.

ad 2. Scoti. Ad ſecundum; cùm dicit, Deum multa de facto contingentia immediatè producere; fatemur quidem. At id quod poſtea intulit Scotus, conſtantiſſimè negamus; Deum nempe cauſam eſse propriè atq. formaliter contingentem. Eſt proculdubio reſpectu illorum quæ immediatè producit Deus, cauſa proxima, non tamen contingens formaliter, at uirtualiter tantùm ratione quam in præmiſſis adduximus. Cæterùm ad caſum & fortunã orationem conuertamus.

Iuxta uarias philoſophorum ſectas Caſus an ſit atq; fortuna. Cap. 15.

MVlti uariis temporibus ex philoſophorum ſerie extitere, qui fortunam eſſe & caſum, acerrimè proq. uiribus expugnare contenderunt; omne quod fit dicentes cauſam habere determinatam. Ea de re, quia cùm dicimus à fortuna eſſe ꝙ Demoſthenes; amicum ſuum Eſchinū in foro inuenit, ubi non præconcepit eum inuenire, nec intendit. Huius cauſa eſt minimè fortuna; at determinata ſemper; illa nempe, quia Demoſthenes ad emēdum aliquid in foro ubi Eſchinus erat, ſua ſponte ire uoluit. *Opinio negans fort. & caſum. prima. Ratio pr.*

Amplius; ſi aliquid eſſet fortuna, peritiores antiqui de cauſis generationis & corruptionis uerba facientes, de fortuna quoque & caſu aliquid determinatum reliquiſſent. Cuius oppoſitum cùm uideamus; ut nulla detur fortuna neq. caſus, relinquitur probatum. *2. ratio.*

Alii poſterius idē aſtruētes inſurrexerūt, quos magnus Albertus ī 2. Phy. tracta. 2. ca. 10. ſocios appellat ſuos; quorū fortiores rationes adducit ipſe, & prima eſt talis: Nihil fit niſi cuius ortū legitima cauſa pceſſit. Et qđ legitimā hēt cauſā, illud nō à caſu, minusq. fortuna, at à cauſa ſēper eſt determinata. Nihil itaq. fit niſi ā legitima cauſa; quare nulla datur fortuna nec caſus. *2. opinio. P. Ratio.*

Adhuc; Id quod verè eſt, & nō eſt cauſa, uerè eſt cauſatū. Omne aūt quod factū eſt à natura, vel à uoluntate; quocunq; modo fiat; uerè eſt. Relinquitur ergo ꝙ ſit uerè cauſatū. Huiuſmodi autē, cauſam uerā habet, pariterq. determinatam. Nihil igitur eſt caſuale, aut fortuitū; cùm hæ non ſint ueræ cauſæ. *2. ratio.*

Amplius; omne accidens, ad id quod eſt per ſe reducitur ſemper; Quælibet igitur cauſa per accidens, ad cauſam reducitur per ſe. Nunc ſic: Quod à cauſa fit accidentali, neceſſe fit ab aliqua per ſe cauſa. Quod autem habet per ſe cauſam, non eſt caſuale nec fortuitum, ob illam per ſe quam habet cauſam. Ergo nihil eorum quæ à cauſa fiunt accidentali, caſuale uenit dicēdum, uel fortuitum. Ab iis autem qui caſum uolunt atq; fortunam, illa caſualia ac fortuita dicuntur, quæ à cauſa fiunt accidentali. Nihil igitur in numero cauſatorum producunt fortuna & caſus. *3. ratio.*

Præterea; Vna eſt cauſa uniuerſalis, ordinans & regens cauſas particulares in natura & uoluntate, ad proprium finem. Sic autem rectum & ordinatum, non recipit aliquid per caſum & fortuham. Non igitur in iis quæ fiūt, operantur aliquid fortuna & caſus. *4. ratio.*

Confirmatur; Agentia hæc inferiora mouentur & gubernantur à cœlo. Hoc autem determinatè & neceſsariò ſemper agit. Non igitur patietur in his inferioribus fortuitò aliquid fieri, neque indeterminatè.

Itē, fortuna & caſus aduerſantur fidei catholicæ. Non igitur debent admitti. Id quod antecedit ex eo redditur manifeſtum, ꝙ illud dicitur fortuitò euenire, quod nullatenus eſt præcognitum, ab agenteq. intentum. Nihil autem in toto uniuerſo præter Dei cognitionē fieri poteſt. Si igitur ponatur fortuna, aliquid præter Dei cognitionē ponitur in uniuerſo. Hoc autem repugnat fidei catholicæ. Quare nulla eſt admittenda fortuna. *5. ratio.*

Confirmatur; Quoniā D. Auguſtinus p. lib. retractatio. ad initium, accuſat ſe, quòd aliquandò uſus fuerit hoc nomine, fortuna.

6. Ratio. Itẽ; addunt alii ex Auicenna: Actio quæ ẽ aliquo fine determinata, non eſt caſualis nec fortuita. Omnis autem actio, uel naturalis, uel uoluntaria, eſt aliquo fine determinata; cùm omne agens, propter aliquem finem agat ſemper.

7. Ratio. Item; ſicut opinio noſtra non facit ad eſse uel non eſse rei; ita nec intentio noſtra ad eſse ipſius effectus quicq̃ conferre poteſt, ut ſcilicet effectus ſit per ſe aut per accidens. Qui autem ponunt fortunam, ſeu effectum fortuitum, illum ponunt quia euenit præter intentionem agentis. Perperã igitur ponitur temeritas atq; fortuna.

8. Ratio. Demum; De his quæ ſunt per accidens nulla habetur ſcientia. Fortuna & caſus ſunt cauſæ per accidens. De eis igitur nulla ſcientia.

Impugn. Huic doctrinæ in .2. phiſicarum auſcultationum, ſummæ. 3., cap. 2. refragatur Ariſt.; quo loci ex induſtria de caſu & fortuna conſiderationem facit, & quid ſint, & in quibus præterea conſiſtant, diſtinctè admodum & eleganter ſpeculatur. In contextibus præcipuè. 42. & 43., primæ opinionis rationibus occurrit, illarumq; primam ex communi omnium conſenſu perquam facillimè euertit, dicens; ꝙ omnes, illud quod antecedit facile admittentes, cum eo tamen fortunam eſse uolunt. Ea de cauſa, quia nullus eſt adeò hebetis ingenii, qui neſciat rationem, quare Demoſthenes inuenit Eſchinum amicum ſuum in foro, illam eſse, quia uenit in forum. Cum eo tamen ſtat, ꝙ occurſus ille ſit à fortuna; quia eſt præter intentum agentis.

Cùm igitur dicunt: Quicquid fit certa cauſa, nõ fit à fortuna. Non conceditur oratio. Propterea ꝙ effici poteſt etiam à fortuna ex accidenti aliqd, dum effectus fit cauſæ per ſe. Vnde Ariſt. loco proximè citato, ſub contextibus. 66. & 67. reducit fortunam ad uoluntatem & conſilium, caſumúe ad naturam; ut inde colligamus, ꝙ ad hoc ut ſit fortuna uel caſus, prius natura debet eſse alicuius cauſa per ſe. Redarguẽdi ſunt inſuper; antiquiores philoſophantes, nullam de fortuna mentionem facientes. Etenim uel putabãt fortunam eſse, vel non eſse. Si ſecundum, illud communi hominum aduerſatur ſententiæ; Quare ueniunt redarguendi. Si uerò detur primum; adhuc ſunt reprehendendi, inquit Ariſtoteles; quia fortunã admittentes, de eaq. minimè pertractantes, cauſas inſufficienter exquiſierunt; ueluti patet de Empedocle; qui dicebat mundum ſæpe generatum, & corruptum; generãdum, & corrumpendum; atq. aerem eſse modò ſuper aquam à fortuna; q In alia ſiquidem mundi generatione; non ſic erit nec fuit, unde elementorum ordo eſt à caſu. Necnon animalium partes à caſu peruenire ſæpe dicebat; quare; concludit Ariſtoteles; de fortuna agere tenebatur.

Argumentum igitur quod ſecundo loco erigebatur, potius eſt antiquorum philoſophantium accuſatio, q̃ authoritas.

Impugnatio ſecundæ opinionis. Nec minus ſunt accuſandi, quos magnus Albertus ſocios appellat; propterea ꝙ ſcitor ego, nunquid ſit omne quod eſt neceſsarium, & omne agens neceſsariò agat, nec ne. Si detur primum, Iam ſuperq. ſatis imperfectum remanet uniuerſum, & omnia ex neceſsitate euenirent; cuius oppoſitum oſtẽdimus ſupra. Deficeret enim in uniuerſo contingens, quod eſt eius altera pars. Si uerò id quod ſecundo loco dicebatur admittant; erit igitur in uni-

uerſo agens contingens; & ex conſequenti nonnunq̃ deficiet, à ſuoq. fine aberrabit. At qualis eſt huiuſmodi defectus & error, niſi fortuitus, uel caſualis?

Addo experientiam, omnium rerum magiſtram. In rebus ſiquidem humanis multa experimur preter intentionem accidere, Quæ autem ita contingunt, nónne ſunt fortuita? Vana igitur & inanis eam negantium redditur opinio; propterea ad eorum rationes; nonnullis premiſsis; reliquum eſt facere ſatis.

Secundæ opinionis rationes diluuntur.

Cap. 14.

PRiusq̃ opinionis quam refellimus rationes diſſoluamus, nonnulla ſunt nobis præmittenda, ad pinguiorem mineruam, dicendorumq. clariorem notitiam. Illud itaq. in primis noto, q̃ ſcilicet caſus & fortuna cauſæ ſunt efficientes, per accidens tamen; ex quo ſequitur, quòd poſteriores ſunt cauſis per ſe. Id quod docebat Ariſtoteles in .2. phyſicarũ auſcultationum, particula. 66. & 67. his uerbis: Quoniam autem caſus atq. fortuna, cauſæ ſunt eorum, quorum aut intellectus cauſa ſit, aut natura, cùm ſecundùm accidens cauſa aliqua ſit horum ipſorum, nihil autem ſecundùm accidens eſt prius iis, quæ per ſe ſunt; manifeſtum eſt, q̃ neq. cauſa per accidens prior eſt ea, quæ eſt per ſe. Poſterior itaq. caſus eſt, atq. fortuna, & intellectu, & natura. Hactenus Ariſtoteles. Qui nil aliud intendit, niſi oſtẽdere q̃ agens naturale, aut ſecundùm electionem, reſpectu effectus per accidens, dicitur fortuna, uel caſus. Verùm quia omne per accidẽs, aliquid per ſe inſequitur ſemper, quòd illa agentia primò ſint per ſe cauſa alicuius effectus, neceſſariò conſequitur. Et tunc per ſe cauſa cùm proprium agit effectum, aliumq. per accidens attingit & raro, fortuna eſt illa, uel caſus. Quare ut fortuna ſit, uel caſus, prius natura alicuius debet eſſe cauſa per ſe. Vnde concludebat Ariſtoteles particula .67., quòd prius natura intellectus & agens naturale ſunt in aliquem finem per ſe intentum, quàm in effectũ per accidens; cuius reſpectu, fortuna dicuntur, & caſus. Quòd igitur huiuſmodi ſint cauſæ efficientes, atqui per accidens, iam ſatis conſtare crediderim. Propterea iis addendum duxi, duplicem eſſe cauſam per accidẽs; altera eſt ex parte cauſæ, ex parte effectus altera. Huiusq. fundamẽtum eſt, quia cauſa per accidens, illam per ſe inſequitur ſemper, & cauſa efficiens per ſe, effectum attingit & operatur ſecundùm propriam uirtutem; cauſa uerò per accidens, non niſi quatenus coniungitur cauſæ per ſe; idcirco cauſa per accidens attingit effectum, uel quia coniungitur cauſæ per ſe attingenti; utpotè ſi domificator ſit muſicus, ille per ſe, iſte per accidens cauſa erit ipſius domus. Et hæc dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ. Vel quia ipſa aliquem attingit effectum, ad quem alius conſequitur; ueluti foſsio terræ cauſa eſt per accidens inuentionis theſauri, quia huiuſmodi inuentio, effectus eſt coniunctus cum effectu per ſe ipſius foſſionis; utpotè cũ illa terræ apertura. Et huiuſmodi dicitur cauſa per accidens ex parte effectus. Vnde ex

eo diſcriminantur, ꝙ hic ſunt duo effectus, illic uerò unus tantum; quia prior cauſa per accidens, nempe ex parte cauſæ, eundem habet effectum cum per ſe cauſa; poſterior uerò, ex parte ſcilicet effectus, alium effectum habet ab illo per ſe; & ita huiuſmodi cauſa duos habet effectus, unum quidem per ſe, alium uerò per accidens. Si quis enim ob uineam plantandam ſcrobem faciat, indeq. theſaurum inueniat, duo profectò ibi ſunt effectus; foſsio terræ nempe, inuentioq. theſauri; ille per ſe, iſte per accidens; ex quo faciens ſcrobem dicitur fortuna.

Ad pr. 1. opinionis. Ex his dicamus ad obiecta; & ad primum negamus cum magno Alberto, id quod pro maiori ſtat oratione, nimirum ꝙ habens legitimam cauſam, non ſit à caſu nec à fortuna. Siquidem Plato per legitimam cauſam, intelligebat cauſam proportionatam. Modò inter cauſam efficientem, ſiue per ſe, ſiue per accidens, & eius effectum, ſemper ſeruatur proportio. Vnde effectus fortuitus habet legitimam cauſam, id eſt proportionatam; quia effectus eſt per accidens, & cauſam habet per accidens. Non igitur admittenda uenit oratio: Habens legitimam cauſam nō eſt à caſu, nec à fortuna.

Ad 2. Cùm uerò ſecundo loco dicunt: Verè cauſatum habet per ſe cauſam atq. determinatam; hoc minimè admittimus. Propterea ꝙ eſſe uerè cauſatum, duplicem poteſt habere ſenſum; quorum alter eſt, ꝙ à uera, id eſt per ſe, determinataq. ſit cauſa cauſatum. Et in hoc ſenſu, uerum eſt quòd tale cauſatum non eſt à fortuna. Alius uerò ſenſus eſt, quòd à uera, hoc eſt proportionata cauſa ſit productum. Et tum falſum eſt ꝙ uerè cauſatum, ſiue habens ueram cauſam, non ſit à caſu nec à fortuna. Quoniam effectus fortuitus, ueram habet cauſam & ſibi proportionatā, quæ tamen per ſe non eſt, nihilqq. determinata, prout ſuprà expoſuimus. Solutio habetur ex magno Alberto. 2. phy. tracta. 2. cap. 21.

Ad 3. Ad ea poſtea quæ tertio loco prænducta fuere dicimus, ꝙ illud cuius eſt aliqua per ſe cauſa, non eſt fortuitum; dummodo illa cauſa proxima ſit atq. immediata; minus autem ſi prima ſit & principalis. Et ad illorum fundamentum atq. radicem cùm dicunt: Omne accidens ad id quod eſt per ſe debet reduci; & ita omnis cauſa per accidens, debet reduci ad per ſe cauſam; dicimus, quòd uerum eſt omne accidens inniti alicui per ſe, & ex conſequenti ꝙ cauſa illa per accidens quæ dicitur fortuna, innititur cauſæ per ſe, quæ dicitur & eſt talis, reſpectu effectus intēti. Eo ſcilicet modo, ut reſpectu unius effectus, cauſa dicatur per ſe; per accidens uerò, reſpectu alterius; illius nempe, qui coniungitur ei qui eſt per ſe. Et effectus etiam per accidens reducitur ad cauſam per ſe, non quidem proximam & immediatam, ſed primam; uel in cauſa per ſe, non ſui, ſed alterius effectus, cui ipſe per accidens coniungitur. Vt ex faciente ſcrobem ad uineam plantandam ſatis conſtare poteſt. Ipſe enim fodiens terram ut uineam plantet, reperit theſaurum; tunc perſpicuum eſt, quòd duo ibi reperiuntur effectus; foſſio ſcilicet terræ, & inuentio theſauri. Iſte eſt illi coniunctus, qui à faciēte ſcrobem per ſe efficitur; propterea inuentio theſauri reducitur in efficientem ſcrobem, tanq̄ in causā per ſe; non quidem proximam, immediatā & ſui; ſed primam, & effectus eius, cui eſt ipſe cōiunctus, nimirum foſsionis terræ,

eiuſdemq.

eiuſdemq́. aperturæ. Vnde notent iuniores, ꝙ dictum illud, ſeu in ſcholis vulgata, tritaq́; propoſitio: omne per accidens reducitur ad per ſe; triplicē habet ſenſum. Primus eſt, omne accidens reducitur ad per ſe, hoc eſt, omne accidens innititur alicui ſubiecto. Alius eſt, ꝙ alicui ineſt per accidens, alteri ineſt per ſe: velut calor ineſt per accidens lapidi, igni uerò per ſe. Tertius eſt in cauſis: omnis cauſa per accidens innititur cauſæ per ſe, & omnis effectus per accidens, aliquem præſupponit effectum per ſe. Cauſa igitur per accidens ſi ſit ex parte cauſæ, innititur propriè cauſæ per ſe. Vt ſi Plato philoſophus conſtruit domum, philoſophus eſt cauſa per accidens ipſius domus, & innititur Platoni, ut conſtat. Si uerò cauſa ſit per accidens ex parte effectus, innititur cauſæ per ſe in hoc ſenſu: quia illa quæ cauſa eſt per accidēs unius effectus, cauſa eſt per ſe alterius. Et effectus per accidens eiuſdem cauſæ, innititur effectui per ſe ipſius. Vnde quando dicitur in maiori propoſitione: Quod à cauſa ſit accidentali, neceſſe ſit, ab aliqua per ſe cauſa. Dicitur ꝙ uerum eſt, uel ſui, uel alterius: Sui quidem, ſi cauſa ſit per accidens ex parte cauſæ; alterius uerò, ſi ſit cauſa per accidens ex parte effectus. Sed hæc iam ſatis conſtant.

Media quoq. quarti ratiocinij, conſtantem in ſe habet ueritatē, ſi ad primam cauſam reſpiciamus, ratione cuius nihil eſt caſuale, minusq. fortuitū. At uerò ſi ad ſecundas & inferiores, ſeu particulares cauſas oculos uerſamus, dubio ꝓcul ſtatim reſpectu ipſarū, & caſuale & fortuitū in foribus adērit. Quandoquidem effectus aſsimilatur cauſæ particulari, & proximæ, ab eaq́. denominationem ſumit. Hanc ob cauſam in. 5. de conſola., proſa prima dicebat Boethius: Si quidem aliquis, euentum temerario motu, nullaq́. cauſarum connexione productum, caſum eſſe definiat; nihil omnino caſum eſſe confirmo; & præter ſubſtantię rei ſignificationem, inanem prorſus eſſe uocem decerno. Idq́. probat tali ratione: Quis enim cohercente in ordinem cuncta Deo, locus eſſe ullus temeritati reliquus poteſt? Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Ibi nullum ęſt temerarium, ubi cuncta ſunt prouiſa. Sed cuncta quæ ſunt, à Deo ſunt prouiſa. Ergo inter ea quæ ſunt, nihil eſt reſpectu Dei temerarium. Id quod etiam ibidem metro ſecundo tali pacto canendo confirmat:

Ad 4.

Boethius

Hvic ex alto cuncta tuenti
Nulla terra mole reſiſtunt;
Non nox atris nubibus obſtat.
Quæ ſint, quæ fuerint, ueniantq́,
Vno mentis cernit in ictu.
Quem quia reſpicit omnia ſolus,
Verum poßis dicere Solem.

Ad hoc. D. Tho. tertio libro aduerſus gentiles, cap. 92., tale adducit exēplum: Si Dominus aliquis præcipiat alicui ſeruo ut ad aliquem eat locum, quò ipſe alium ſeruum iam miſerat, illo ignorante; inuentio conſerui eſt præter intentionem ſerui miſsi, non autem præter intentionem Domini mittentis;

mittentis; & idcirco licèt per comparationem ad hunc ſeruum, fortuitum ſit & caſuale, non tamen per comparationem ad dominum; ſed eſt aliquid ordinatum. Ita Deus glorioſus cùm ſit omnium euentuum præſcius & cauſa nihil habet fortuitum. Vnde dicebat Ariſtoteles. 2. lib. magno. mora. ca. 9. ꝙ ibi minus eſt fortunæ, ubi plus eſt intellectus. In Deo autem cùm ſit omnium cognitio & intellectus, luce meridiana clarius conſtat, ꝙ reſpectu ſui nulla datur res caſualis, minusq́. fortuita.

Dubit. ex Alber. p. Magnus tamen Albertus, 2. Phy., tracta. 2., cap. 10., huic doctrinę refragatur; & primo tali pacto: Stantę huiuſmodi doctrina, tunc periret in hominibus liberum arbitriũ. Proptereaq; omnia immobiliter ſimpliciter euenirent; & non haberent immobilitatem niſi quò ad hunc uel illum; quũ Dei ſcientia falli non poſsit.

Dubit. 2. Secundò; ſi quæ diximus uera eſsẽt, nihil fieret fruſtra ſimpliciter. Quoniam agens uniuerſale omnes actiones ordinat ad finem determinatum. Si igitur omnia quæ eueniunt intenduntur à Deo, ſuum ſemper conſequentur finem; & ita nihil fruſtra ſimpliciter eueniet.

Dubit. 3. Tertiò; ſecundùm illud oportet ꝙ primum ordinans actiones naturales, omne illud intendat, ad quod terminatur actio naturæ. Terminatur autem actio naturæ aliquando ad monſtra, quæ ſunt peccata naturæ. Quare eius actio eſset peruerſa, & contra ordinẽ quem toti ſtatuit naturæ; ut ad debitã & naturalem formam terminaretur.

Reſp. Alb. Quare cap. 21. ad rationem aliter reſpondendo dicit, quod Deus operatur in iſtis ſublunaribus, non immediatè & per ſeipſum, ita ut ab omnibus cauſis ſecundis & inferioribus, medium auferat cauſalitatis; ueluti ratio prætendere uidetur; at medijs cauſis ſecundis & inferioribus, in quibus cũ eius influxu eius uirtus recipitur contingenter & mobiliter, ſecundùm eſſe quod habet in eis. Vnde præſcientia Dei, nullam rebus imponit neceſsitatem; quia quæ ſunt in ipſa intemporaliter, ſimpliciter, & immobiliter, ſecundum quòd ex ipſa deſcendunt, ita fiunt plus & plus temporalia, & multiplicia, & mobilia, & contingentia. Et ideo licèt ſit immobile id qđ futurum eſt, ſecundùm ꝙ præſcientia eſt de ipſo; non tamen conſequitur hoc, quòd ſimpliciter ſit immobile; quia iudicium rei ſimpliciter eſt ſecundùm cauſas proximas; quæ quando ſunt contingentes, ſimpliciter eſt contingens. Et quando ſunt neceſsariæ, tunc etiam ipſa res eſt ſimpliciter neceſsaria; Et idcirco nihil refert ꝙ præſcientia ſit immobilis de rebus, & res in ſe ſint mobiles & contingentes; ſicut nec refert hoc, quòd præſcientia intemporaliter eſt de rebus, & res ſunt temporales in ſeipſis. Hęc Albertus. Ex quibus conſtat, quòd etiam reſpectu Dei eſt caſus atq. fortuna; non quidem reſpectu actionis quæ ab ipſo eſt immediatè; quia quod primò procedit ab ipſo eſt neceſſarium, ſicut orbes & motus eorũ; ſed reſpectu eius quod ab illo procedit mediante orbium motu; quia illud contrarium habet, & ex conſequenti impediri poteſt, cùm nullam in ſe habeat neceſsitatem. Deus igitur glorioſus eſt prima cauſarum, resq́. tali pacto producit, ꝙ mediantibus cauſis uniuerſalibus producit cauſas particulares, & mediantibus particularibus, producit quæcunq. fiunt à natura, & à

propoſito

propoſito uoluntatis. Et cùm hæc non producat niſi mediantibus illis, & illa mobilia ſint & impediri poſſint, ſequitur etiam quòd actio ipſius Dei impediatur, & ita reſpectu eiusdem etiam, caſus ſit atq; fortuna. Quare hoc pacto ſaluatur liberum arbitrium, caſus, conſilium, & fortuna: Doctrina habetur ex Alberto in memorato loco, cap. 19., & 21. Ex qua uidetur uelle diuinam uoluntatem rebus uolitis ex eo neceſſitatem & contingentiam imponere, quia quædam agit per cauſas medias neceſſarias, quædam uerò per cauſas contingentes: ita vt neceſſaria illa ſint, quæ per cauſas neceſſarias à Deo producuntur; contingentia uerò, quæ per cauſas contingentes. Doctrina quidem à D. Tho. pr. par. ſummæ theo.; q. 19. ar. 8., elegantiſsimè reiecta. Tum quia effectus alicuius cauſæ primæ eſt contingẽs propter cauſam ſecundam, ex eo quòd impeditur effectus primæ cauſæ, per defectum ſecundæ. Quemadmodum uirtus Solis per defectũ plantæ impeditur. Nullus autem defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt quin Dei uoluntas ſuum producat effectum. Non igitur diuina uoluntas propter cauſam ſecundam, effectum habet contingentem. Tum quia ſi diſtinctio contingentium à neceſſarijs ſolùm referatur in cauſas ſecundas, id eſse præter intentionem & voluntatem diuinam, neceſſario conſequitur. Hoc autem maximè abſurdum eſt & inconueniens. Ergo & id ex quo eminebat. Iam patet aſſumptum; quia cõtingentia cùm ſit una ex primis partibus entis, & de perfectione uniuerſi, non caderet ſub directa voluntate diuina, ſed eſset in vniuerſo ex neceſſitate materiæ, & naturarum ſecundarum; ueluti in exemplo dato ſuperq. ſatis apparet. Vnde quia Deus in uniuerſo contingentiam uoluit, ideò cauſas etiam uoluit contingentes; non autem quia uoluit cauſas cõtingẽtes, conſecutiuè uoluit contingentiã, ueluti uidetur uelle Albertus.

Si itaq. prima radix contingentiæ non eſt conditio ſecundæ cauſæ, ſeu defectibilitas, & in ea, contradictionis poſsibilitas inuenta; relinquitur quòd ſit efficacia diuinæ uoluntatis; prout ibidem perbelle demonſtrat D. Thomas. Quod ſi uerũ eſt, quomodo caſus & fortuna erunt reſpectu ipſius Dei? Et quomodo id quod per cauſas ſecundas producit impedietur?

Nec eiusdem Alberti rationes urgẽt; proptereaq; Deus ipſe benedictus, nec cauſa eſt neceſſaria ſimpliciter, nequidem contingens, ſed utraq; ſuperior, ità ut utrunq. modum cauſandi eminenter contineat; veluti diximus ſupra. Hinc maxima conſequitur ipſius voluntatis efficacia; quia & neceſſaria & cõtingentia in uniuerſo eſſe uelit, & ob id cauſas inſtituit neceſſarias & contingentes, ut ab illis neceſſaria, ab iſtis contingentia fiant. Vnde nõ ſunt in uniuerſo neceſſarium & contingens, niſi quia ipſe uoluit, & propterea res eo modo fiunt, quo vult; Et quia vult aliqua contingenter, ſeu fallibiliter euenire, ideo quædam fallibiliter à cauſis proximis eueniunt, atq. fortuitò. Nec hoc negarent; immo conſimile admittunt ueri peripatetici, ut Auer. D. Deſtructio. diſpu. 3. in ſolutio. primæ & 2. dubitatio.; & diſpu. 11. in ſolutio. primæ dubitationis. Simplicius quoque. 6. phy. t. 15. Ex his facilè patet ad Alberti obiecta. Cùm enim primo loco dicit quòd periret liberum arbitrium; id quod conſequitur admittimus minimè. Cumq. probat ex eo quòd diuina uoluntas, impediri non poteſt, nec ſcientia falli;

Contra Albertu.

dicimus ꝙ uerum eſt;at ob fortunam & caſum,ſi à Deo intendantur,nec impeditur voluntas, nec fallitur ſcientia; quoniam nec vult nec nouit omnia abſolutè & immutabiliter euenire; ſed quædam immutabiliter,quædam verò à fortuna & caſu,quia ſic ipſe voluit & ſtatuit; propterea reſpectu ipſius fortunam negamus & caſum.

Dubit. Et ſi quis vrgeat,ꝙ Deus ſcit hoc vēturum, ergo neceſſariò eueniet;quia Dei ſcientia non fallitur.

Solut. Negatur argumentum,quoniā Deus ſcit illud euēturum,eo modo quo ipſum euenire voluit. Cæterùm non niſi contingenter voluit. Cùm uerò dicitur probando argumentum,ꝙ Dei ſcientia non fallitur,admitto; at non ob id ſequitur neceſſitas in connexis, uerùm in connexione tantùm. Quod autem ex connexione ſola,ſeu ex ſuppoſitione tantùm, neceſſarium eſt,ſuapte natura contingens eſt & abſolutè; Id quod etiam in ſuperioribus expoſuimus,& inferius latius dicemus.

Ad 2. Quę uerò ab eodem Alberto ſecundo loco dicuntur, minus urgere uidentur; quandoquidem reſpectu primæ cauſæ nihil ponimus fruſtra,at ratione tantùm ſecundarum cauſarum. Eapropterad argumentum negatur illatio. Cùm probat,iam patet reſponſum. Quoniam fruſtra non ſequitur ad primam,ſed ad ſecundam cauſam.

Ad 3. Quando deniq. dicit,ꝙ ſi Deus intenderet monſtra,eius actio eſset peruerſa. Non recipitur oratio. Cùm probatur,quia tum Deus & prima cauſa ageret contra ordinem quem toti indidit naturæ,ut ad debitam & naturalē formam operetur & terminetur. Dicimus, ꝙ natura talem à prima cauſa non habet ordinem,vt ſemper ad debitam & proportionatam formam operetur,eiusq. actio terminetur. Sed ꝙ vt in pluribus ita operetur, & quod aliquando deficiat; vnde poſtea in ea ſequuntur monſtra. Atqui hæc latius inferius, clariusq. exarare tentabimus. Sufficiunt enim pro ſolutione rationis Alberti,qui uidetur loqui de monſtris materialiter. In quo ſenſu admiſimus antecedens,conſequutionem poſtea negando. Quòd ſi formaliter loquatur,neganda eſt minor; ut parebit infra. His ita conſtitutis,eò redeat vnde digreſſa eſt oratio noſtra.

Ad confirmationem quarti principalis. Ad cōfirmationē.ſ. quarti principalis,quę talis erat;Agētia hęc inferiora mouētur & gubernanē à Cœlo. Hoc autem determinatè agit & neceſſariò. Quare &c. Prima itaq. huiusce ratiocinij propoſitio aliquali eget declaratione;ut ſcilicet dicamus res humanas,in quibus fortuna verſatur,à cœlo minimè pendere; reſq. naturales & corporeas quæ complexu orbis Lunæ coercentur ita ſe habere,quòd motus cœli & actio, in eis non niſi contingenter recipitur;ut unumquodq. recipiatur per modum recipientis. An autem in his ſublunaribus detur effectus caſualis reſpectu cœli,dicemus poſtea.

Ad 5. principale. Interim ad ea quæ pro principali intento quinto loco dicuntur, negamus antecedens. Cùm probant; iam patet ſolutio ex ijs quæ ad Albertū diximus; nimirum quòd ex parte Dei benedicti, caſum non ponimus neq. fortunam,at ex parte ſolùm agentium particulariū. Id quod etiam ex Boethio & D. Tho. in ſuperioribus oſtendimus. Ad confirmationem dicimus quòd antiqui ponebant fortunā cauſam eſse cōmunē atq. diuinā; D. referente Auguſtino.4.de Ciui.Dei,c.18.; & hoc eſt quod ipſe reprehendit.

Quando

Ad 6. Quando uerò ſexto loco dicitur, ꝙ omnis actio eſt aliquo fine determinata, dicimus id uerum eſſe. Atqui ſicuti duplex eſt actio, ita etiam duplex eſt finis; per ſe nempe, atq; per accidens. Actio igitur per ſe, finem habet per ſe intentum; actio uerò per accidens, finem non habet niſi per accidens. Actio igitur fortuita, cùm ſit actio per accidens & non intenta, nec finem habet, niſi per accidens, & per ſe ab agente minimè intentum. Et cùm addunt ꝙ omne agens agit propter finem aliquem, dicimus ꝙ uerum eſt de agente per ſe. Et quando dicimus quòd actio fortuita non habet finem niſi per accidens, per finem intelligimus terminum; quia eſt finita & terminata.

Ad 7. Septimò dicebatur ꝙ intentio noſtra, ad eſſe ipſius effectus, ut per ſe ſit aut per accidẽs, haudquaquã aliquid conferre poteſt, ſicuti nec opinio noſtra facit ad eſſe uel non eſſe rei. Ad quod quidem reſpondetur per ſimilitudinis interemptionem. Quandoquidem licèt intentio noſtra non mutet eſſe rei; eius tamen rationem uariat, prout effectus eſt ex hominis conſilio ac uoluntate proueniens; quoniam ex intentione agentis habetur an effectus ſit uoluntarius, uel fortuitus, laude, uel uituperio dignus.

Ad 8. Poſtremò loco relinquitur declarandum, quo modo de fortuna & caſu habeatur ſcientia. Non enim eorum eſt ſcientia, ita ut per ea aliquis demõſtretur & ſciatur effectus; proptereaꝗ non per cauſas per accidens, at per cauſas per ſe ipſi demonſtrantur. Aſt fortunæ datur ſcientia, quatenus de ea cognoſcimus quid & qualis ſit; quia tunc eius habemus definitionem & paſſiones, quæ inſunt ei per ſe, & non per accidens. De eaq. ad hunc ſenſum loquitur Ariſtoteles.

Plato Cuius quidem præceptor & magiſter Plato, dialogo 4. de legibus, eandem admittit fortunam, his uerbis: Deum quidem omnia, & fortunam, opportunitatemq. ſimul cum Deo cuncta humana gubernare benè dicitur. Mitius tamen concedendum, tertium ſuperiora, artem uidelicet ſequi. Hęc Plato. Quæ quidem exponens Marſilius Ficinus, ita inquit: Deus in omnibus per omnia mouet omnia. Mouet mundi ſphæras. Quarum concurſio, fatum quidem alicubi, ſed hìc fortuna libentius nominatur. Hinc caſus uarij circa externa, corporaq. proueniunt. Mouet & animas, lumen mentibus inſpirando, unde ars non ſpeculandi ſolùm accenditur, ſed agendi. Ab arte tandem diſpoſitio externorum, & corporis proficiſcitur. Quamobrem à Deo cuncta dependent. Qui; ut ait Paulus; omnia in omnibus operatur. Verùm ab ipſo Deo alia quidem per fortunam procedunt, alia uerò per artem. Quo fit ut neq. fortuna, neq. ars, aliquando Deo ualeat aduerſari. Quippe cùm ſemper ab ipſo utraq. moueantur. Inter ſe uerò duo hæc ita ſe habent. Aut enim conſentiunt inuicem; aut fortè diſſentiunt. Si diſſident, aut fortuna ſuperat artem, aut ars fortunam. Id autem accipe hoc exemplo. Dum mouet Deus ſphæras, interdum per fortunam, in mari commouet tempeſtatem. Tempeſtas quatit nauem. Interea mouet Deus idem eandem nauem per animum quoq. gubernatoris; ideſt per artem ipſam, à Deo continuò dependentẽ. Quando igitur ars nauem ad certũ dirigit portum, atq; ad eundẽ tẽpeſtas quoq. uehit, tunc ars ſimul cũ fortuna cõſentit,

Quando verò aliò quidem impellit uentus, aliò uerò ars certat ducere, tũc ars & fortuna diſſentiunt; ac tandem uel ars cedit fortunæ, uel arti fortuna, Interim prouidentia Dei utrobiq. agit, utrunq. ad finem ſibi ſoli notum, cui nihil unq̃ diſſonat, cũcta uidelicet in uniuerſam ſui operis harmoniã occultis modis contemperanti. Cæterùm illa ipſa concurſionum cœleſtiũ diſpoſitio, quando talis prouenit, ut artem neceſſariò ſuperatura ſit, fatum dicitur potius q̃ fortuna. Quãdo uerò talis ut exſuperare inertem poſſit, & ſuperari ab arte, fortuna potius nominatur. Neq. diffidas artem quandoq. vincere poſſe fortunam. Vt enim fortuna, ſic & ars procedit ex Deo. Hactenus Marſilius. Ex quibus, luce meridiana clarius illud exiſtit, Platonem ſcilicet uoluiſſe fortunam accidens eſſe naturæ, non autem quid diuinum; ut ei falsò, ex memorato loco, impingit Simplicius, .2. phyſicarum auſcultationum, contextum.47. exponens. Quinimmo idem Plato, decimo de legibus, opiniones illorum validiſſimè, & quaſi animo irato confutat, qui elementorum quatuor naturas, fortuito quodam motu inuicem confluentes, cuncta coaceruaſſe uolebant; unicam Dei benedicti prouidentiam neque minima negligentem, conſtantiſſimè affirmans.

Contra Simpliciũ

Apuleius Et Apuleius in dogmate Platonis nobis hæc retulit; Inſtabile quiddã, & incurrens intercedere ea ſolere, quæ cõſilio fuerunt, & meditatione ſuſcepta; quod non patiatur meditata ad finem uenire. Et tunc quidem, cùm impedimentum illud utiliter prouenit, res illa, felicitas nominatur; at ubi repugnationes iſtæ nociuæ erunt, infelicitas dicitur. Ita Apuleius; ſi Lodouici Viuis commentarijs in.9.cap.5.lib.D. Auguſtini de Ciuitate Dei, credere uelimus. Ex quo diuidit fortunam in bonam & malam, ſicuti & ipſe Ariſtoteles in.2.auſcultatorio libro. Vt illa bona dicatur fortuna, quando propoſitum ſibi finem non aſſequitur quiſpiam, ſed quid ipſo fine melius; Si quid uerò peius, mala dicitur fortuna. Quæ & infortunium, ſeu infelicitas, ſicut & illa fortunium & felicitas, nuncupatur. Ad aures igitur eorum qui candidius ſunt philoſophati, dantur caſus & fortuna. Quid verò circa huiuſmodi quæſitum, ſacri ſenſerint Theologi, perſcrutandum relinquitur.

An dentur caſus & fortuna in Rebus phyſicis iuxta diuinorum Theologorum placitum. Cap. 17.

VIri atq. doctores in ſacra pagina eruditiſſimi, fortunam & ipſi, recto tramite incedentes, caſumq. admittunt; eo ſcilicet ſenſu, quo eam docuit Ariſtoteles; nimirum ut reſpectu primæ cauſæ minimè, at reſpectu ſecundarum & proximarum, attendenda ſit ſemper. Vt omnia demũ in Deum ipſum benedictum, tanquam in naturæ, omniumq. bonorum authorem & finem reducantur. Propterea D. pater Auguſtinus.5.lib. de Ciuit. Dei cap.9. aduerſus Ciceronẽ diſputationẽ habens, ipſum inducit diuinã negãtẽ præſcientiã, ut ſimul fatũ è medio tolleret, & liberũ hominis ſeruaret arbitriũ. Arguebatq. in hunc modũ: Si præſcita ſunt oĩa futura, hoc ordine uenient, quo uentura eſſe præſcita ſunt. Et ſi hoc ordine uenient,

Tomo 5.

certus eſt ordo rerum præſcienti Deo: & ſi certus eſt ordo rerum, certus eſt ordo cauſarum. Non enim aliquid fieri poteſt, quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit. Si autem certus eſt ordo cauſarum, quo fit omne quod fit, fato; inquit, ſunt omnia quæ fiunt. Quod ſi ita eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullumq. eſt arbitrium uoluntatis.

Admittebat; inſuper; Cicero in libello de fato ex ſententia Carneadis, cauſas omnes in tres ſpecies diuidi; uidelicet in naturales, uoluntarias, & fortuitas.

Modò autem m. D. pater Auguſtinus propoſitionem apud Ciceronem famoſam ſibi aſſumit, hanc ſcilicet: Non aliquid fieri poteſt, quod nō aliqua efficiens cauſa præceſſerit. Et alia ex parte, optimè meminit omnium cauſarum tripartitæ ſectionis. Quibus acceptis, ut oſtendat Ciceroni etiā omnes iſtas cauſas in unicam reduci optimi Dei uoluntatem, ex conſequenti adhuc dari ipſiuſmet Dei præſcientiam, in hunc modum effatur: Nam & illud quod idem Cicero concedit, nihil fieri, ſi cauſa efficiens non præcedat, ſatis eſt ad eum in hac quæſtione redarguendum. Quid enim eum adiuuat, quod dicit: Nihil quidem fieri ſine cauſa, ſed non omnem cauſam eſſe fatalem; quia eſt cauſa fortuita, eſt naturalis, eſt uoluntaria? Sufficit quia omne quod fit, non niſi cauſa præcedente fieri confitetur. Nos enim eas cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latētes; eaſq. tribuimus, uel DEI ueri, uel quorumlibet ſpirituum uoluntati; ipſaſq. naturales nequaq̄ ab illius uoluntate ſeiungimus, qui eſt author omnis, conditorq. naturæ. Hactenus Auguſtinus; qui & de cauſis uoluntarijs idem oſtendit. Quiq. fortuitum admittit effectum & caſualem; illius tamen nos cauſam habere per ſe atq. propinquam, conſtantiſſimè negat; at illam tribuēdam docet, uel DEI ueri, uel quorumlibet ſpirituum uoluntati. Vnde libro de achademicis quæſtionibus dicebat: Nihil aliud in rebus caſuale uocamus, niſi cuius ratio ſecreta eſt. Idemq. in libello de bona fortuna aſſerit Ariſtoteles. Quòd uerò nihil reſpectu Dei caſuale fit, atq. fortuitum, libro tertio de Trini. cap. 4. ſub his *Tom. 4.* uerbis exponit: Nihil fit uiſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili, atq. intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum, atq. pœnarum, gratiarum, & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam, immenſaq. republica. Hæc ille. Cui quidem, Boethius in. 5. de philoſoph. ca conſola. proſa prima, optimè correſpondet dicens: Licet igitur definire caſum eſſe inopinatum, ex confluentibus cauſis, in his quæ ob aliquid geruntur, euentum. Concurrere uerò atq. confluere cauſas facit ordo ille ineuitabili connexione procedens; qui de prouidentiæ fonte deſcendens, cuncta ſuis locis, temporibuſq. diſponit. Hæc ibi. Quæ animaduertens grauiſsimus Durandus in primo theologicarum ſenten., d. 39., q. 3., ar. 2., ita dicebat: Non enim ex eo dicitur aliquid caſuale uel fortuitum, quia nullam habet cauſam; ſed propter hoc quòd euenit præter intentionem agentis. Vnde foſſio agri per ſe cauſam habet, & repertio theſauri ſimiliter, at concurſus harum cauſarum eſt per accidens, & non intētus ab aliqua dictarum

cauſarum;ideo fodiens,à caſu inuenit theſaurum. Si autem eſset aliqua cauſa has duas connectens per ſe reſpectu illius non eſset effectus caſualis, ſed intentus. Cùm igitur omnis ordo,& omnis cauſarum connexio ſit à diuina prouidentia,reſpectu eius nihil eſt à caſu uel à fortuna. Et hæc eſt uia Boethij. 5.de conſolat. Sic Durandus. In hac parte ſanctiſſimum inſequutus magiſtrum. D.Thomam, qui in primo itidem theologicarum ſenten., d. 39., q. 2., ar. 2., ad 2., ita notatum reliquit: Effectus conſequitur conditionem cauſæ ſuæ proximæ; & ideo quàmuis ſit aliquid à Deo prouiſum,dicitur caſu fieri,ſi accidat præter intentionem naturæ operantis. Vel fortuna,ſi accidit præter intentionem agẽtis à propoſito. Quod etiam confirmat in prima par.ſummæ theologiæ, q.22.,ar.2., ad primum,in hũc modum: Aliter eſt de cauſa uniuerſali, & de cauſa particulari. Ordinem enim cauſæ particularis aliquid poteſt exire, non autem ordinem cauſæ uniuerſalis. Non enim ſubducitur aliquid ab ordine cauſæ particularis, niſi per aliquam aliam cauſam particularem impedientem. Sicut lignum impeditur à combuſtione,per actionẽ aquæ. Vnde cùm omnes cauſæ particulares concludantur ſub uniuerſali cauſa,impoſſibile eſt aliquem effectũ ordinem cauſę uniuerſalis effugere. Inquantum igitur aliquis effectus, ordinẽ alicuius cauſę particularis effugit,dicitꝰ eſse caſuale uel fortuitũ,reſpectu cauſæ particularis. Sed reſpectu cauſæ uniuerſalis,à cuius ordine ſubtrahi non poteſt,dicitur eſse prouiſum. Sicut & concurſus duorum ſeruorum, licèt ſit caſualis inquantum ad eos,eſt tamen prouiſus à Domino, qui eos ſcienter ſic ad unum locũ mittit,ut unus de alio neſciat. Hactenus. D.Thomas. Cuius quidẽ uerba exponens ſubtiliſſimus Caietanus, diſcrimẽ quoddam notat inter abſolutum & reſpectiuum; ꝙ ſcilicet quando aliquid eſt in ſe ſimpliciter tale ſecundùm aliquod prædicatum abſolutum, ad quodcũq. comparetur, ſemper eſt tale. Quando verò eſt aliquid ſimpliciter & in ſe tale ſecundùm aliquod prædicatum reſpectiuum, in ordine ad quodcunque non eſt tale,atqui in ordine ſolùm ad eius correlatiuum; & præter hoc, in ordine ad aliud correlatiuum, oppoſitum primi prædicati ſortiri poteſt. Quemadmodum uidemus de albo; quod reſpectu alterius albi eſt ſimile;ad nigrum autem ſi comparetur,ſtatim eſt diſſimile. Modò autem fortuitum & caſuale ſunt relatiua; Quod igitur in ſe & ſimpliciter eſt tale,non oportet ut ſit tale, ſeu fortuitum & caſuale, reſpectu cuiuſcunq. agentis, at in comparatione ſolùm ad ſuum correlatiuum,quæ eſt cauſa proxima, & agens immediatum à quo procedit. Sic igitur quia res, fortuitæ dicuntur uel caſuales,in ordine ad naturam & intentionem creatam; ꝙ in ordine ad diuinam intentionem,non fortuitæ, at per ſe intentæ dicantur & ſint, nullum ſequitur incommodum. Quia tamen unaquæq. res talis eſt, & iudicatur ſemper,ſecundũ proximas & proprias cauſas; propterea res fortuitæ & caſuales,ſecundũ ſe & ſi ſimpliciter ſumãtur,dicũtur & ſunt ſemper tales. Cõcordat ẽt Thomiſtarum acutiſsimus Herueus in proximè commemorato loco primi ſententiarũ, q.2.ad 3. Quare peroptimè conſtat, ꝙ citra omnẽ errorem,in Eccleſia ſancta Dei,fortuita admittere poſſumus & caſualia,& ꝙ ex conſequenti fortuna & caſus (ſi rectè ſumantur) non aduerſantur fidei

ca-

catholicæ; quemadmodum iam pręinducta opinió arbitrabatur. Id quod ēt libenter admittit Reuerendiſs. totius Carmelitici inſtituti Prior generalis, Poeta laureatus, Theologus p̄clariſsimus, Philoſophus acutiſsimus, & Orator eloquentiſsimus, Baptiſta Mantuanus, huius noſtrę Mantuanæ Cōgregationis alumnus, & totius almę Carmelitanæ Relligionis ſplendor & gloria; qui in lib. de patientia. 2., cap. 6., ita dicebat;

Vides igitur quę ſit cōplexionum ratio diuerſarum; quæ ſi patrem qui generat mortalem inſpicias, uenient à fortuna. Si verò angelos qui mundo præſunt, ſi ad Deum rerum opificem ſpectes, nec fortuna nominanda nec caſus. Et parum infra ita concludit: Intellectui qualis noſter eſt, qui ſibi quę euentura parum uidet, præter propoſitum multa contingunt. Nam fallax iſta rerum mobilitas, & inconſtans mundi fluctuantis ingenium noua ſemper important, & bona ac mala, ſperata & inſperata promiſcuè ingerit naturę nūq̄ ocioſa fœcunditas; quo fit ut euenta plura ſint, q̄ à nobis mortalibus præſcribi poſsint. Et hęc cauſa eſt, ut in tanto rerum luxu quęrenti unū, aliud ſe offerat; ſicut in foro cū nundinę ſunt, in tanta plebis frequētia, ignoti plures q̄ noti occurrūt. Si ergo dum Petrū quęris, Ioānē repias, id dicetur factū à fortuna. Animo igitur oīa intuenti ut diuino, nihil: plurima p̄ſpicienti ut angelico; pauca cognoſcenti ut noſtro, multa caſu & fortuna contingunt. Hæc ille. Magnus igitur ex una ualeat Albertus; ex aliaq. eius ſocii partes & nos ad eiuſdem fortunę finitionem deueniamus.

Fortuna & caſus ad philoſophorum opinionem quid ſint. *Cap. 18.*

MVlti ex philoſophorum ſerie extitere, qui nullam inter fortuitò, caſu, & contingenter eſſe, uel euenire, diſtinctionem poſuiſsē uidentur; at hæc cuncta ſimul confuderunt, omnia temerè euenire ſtatuentes. Nos autem eorū qui candidius ſunt philoſophati ſententias inſequuti, de contingentia, caſu, atq: fortuna, in primis ita dicendū duximus; q̄ ſcilicet latius paulò ſumpto contingentiæ nomine; quatenus uidelicet id tantū ſignificat quod eſſe poteſt & non eſse; tum fortuna & caſus, contingētiæ nuncupari poſsunt. Vnde contingentia ſola amplioris erit ambitus, q̄ ſint & fortuna, & caſus, ſimul. Et ita quicquid fortuna, uel caſu euenerit; id contingenter quoq. eueniſse putabimus; non autem contra recurrit oratio. Quemadmodum ſi in balneum Plato lauaturus deſcendat; non fortuitò, aut caſu deſcendit, at contingenter tantùm; quia & deſcendere poterat & non deſcendere. Si uerò dum in balneum deſcendit, idem ceciderit Plato, fortuitò id fieri, nemo eſset qui ambigeret. Ouis quoq. dum ad paſtū properat, à lupo ſi diripiatᷣ; nō fortuitò, ſed caſu diripitur. Nihilotamenſecius, & Platonē in balneū deſcendiſse, & dū deſcenderet cecidiſse, & ouē à lupo contingenter direptā fuiſse, profectò diceremus. Si uerò de contingentia, fortuna, & caſu, magis propriè & formaliter (ut noſtri dicūt) ſermonē habere uelimus, dubio p̄cul inter ea nō parū diſcriminis fas erit aſseuerare. Propterea quòd contingentia (ueluti aliàs diximus) à cauſa eſt intrinſeca; fortuna uerò & caſus ab extrinſeca. Illa naturalis eſt, iſta aduentitia;

illa

illa habitus quidam,iſta potius ſub priuationis nomine claudũtur; quoniã ab efficientis defectu & impotentia,fortuita & caſualia originem trahunt. Et idcirco,modus intimus rei naturæ eſt ipſa contingentia;fortuna autem & caſus,modi ſunt extrinſeci,& à rei natura cui accidunt, alieni. Nil igitur mirum,ſi de caſu atq. fortuna,ſeorſum à contingentia pertractantes,uarias de ea, uirorum illuſtrium adduxerimus ſententias.

Opinio dicentium fortunam eſſe Deã. Peruetus itaq. fuit eorum opinio,qui fortunam numẽ aliquod eſſe diuinum & occultum exiſtimabant; ita referente Ariſtotele prius,libro ſecundo auſcultatorio,particula.47., his uerbis: Sunt autem quidam, quibus fortuna uidetur quidem eſſe cauſa, immanifeſta autẽ humano intellectui, tanquã diuinum quiddam exiſtens & felicius. Hæc ille.

Tom.5. Huic teſtimoniũ phibẽt. D.pater Auguſtin⁹,lib.4.de Ciui. Dei,cap.18., Ludouicus Viues in commentarijs,& Albertus cognomẽto magnus,libro 2. phyſicarum auſcultationum, tractatu. 2., cap.11. quo loci, numinis fortunæ deſcriptionem,horum uerborum ſerie peroptimè tradit: Et cũ putarent in poteſtate fortunæ eſſe felicitatem & infelicitatem hominis,dixerunt fortunam eſſe diuinum numen; cui templum ſtatuerunt & idolum; quod erat in rota propter uarietatem, & cæcum propter imprudentiam fortuitorum,& dimidium nigrum & dimidium album,propter eufortuniũ & infortunium,quæ ſunt partes fortunæ. Reputabant enim ab eo ꝙ eſt incognitum homini, ſibi non poſſe cauere in malis, uel occurrere in bonis ex uno intellectu; & ideo orabant diuinum numen,ut propitiaretur in malis auertendis,& beneuolum & largum eſſet in bonis conferendis. Hactenus Albertus. Propterea Iuuena. Saty.10. ad calcem,ita canendo dicebat:

Iuuenalis

Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus fortuna Deam, cœloq; locamus.

Contra hãc opinionem. At quomodo fortuna Deus erit,ſi fortuna cæca eſt,ſi uolubilis, inconſtans,caſu gaudens,non ratione;deſperare incipientibus ſępe arridens,ſecundis infeſta rebus? Quomodo; inquam; fortuna Deus, ſi tam inconſideratè,tam etiã iniquè,atq. ex inopinato extollit ignauos, locupletat immeritos,uexat atq. affligit inſontes, liberat à periculis peruerſos, moderatos viros & honeſtos,laboribus,periculis,ærumnis, ac miſeriis conficit? Hæc dicunt & uolunt ipſi qui Deam fortunam faciunt; at quo modo ſibi conſtet penitus ignoro. Audiat Senecam Iuuenalis,quid in Hercule furente,actu ſecundo,de hac ipſa Dea velit,cùm dicit:

Iniqua rarò maximis virtutibus
Fortuna parcit.

Amplius, ad initium chori,eiuſdem actus,de eadem fortuna minus benè ſentiens,ita dicebat:

O fortuna viris inuida fortibus
Quàm non æqua hominis præmia diuidis.

Inq. choro actus tertii tragediæ cui titulus eſt Hyppolitus, aiebat:

Res

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit: ſpargitq́ manu
Munera cæca, peiora fouens.

At profectò Dei non ſunt hæc, cuius eſt ſumma bonitas, abſoluta iuſtitia, rectiſſimum iudicium, æquiſſima rerum omnium diſpẽſatio. Expropter beatiſsimus pater Auguſtinus, 4. lib. de Ciuitate Dei, cap. 18. aduerſus huiuſmodi impietatem inuehitur dicens: Certè omnes Deos utriuſq; ſexus, ſi & ſexus habent, non niſi bonos exiſtimare debemus. Hoc Plato dicit, hoc alij philoſophi, hoc excellentes reipublicæ, populorumq. rectores. Quomodo igitur Dea fortuna aliquando bona eſt, aliquando mala? An fortè quando mala eſt, Dea non eſt, ſed in malignum dæmonem repente conuertitur? Quot ſunt igitur Deæ iſtæ? Et parum infra: Quomodo igitur bona eſt, quæ ſine ullo iudicio uenit & ad bonos & ad malos? Vt quid autem colitur, quæ ita cæca eſt, paſſim in quoslibet incurrens, ut ſuos cultores plerunq. prætereat, & ſuis contemptoribus hæreat? Aut ſi aliquid proficiunt cultores eius, vt ab illa uideantur, & amentur, iam merita ſequitur, non fortuitu venit. Vbi eſt igitur definitio illa fortunæ? Vbi eſt quod à fortuitis etiam nomen accepit? Nihil enim prodeſt eam colere, ſi fortuna eſt. Si autem ſuos cultores diſcernit ut proſit, fortuna non eſt. Ita Auguſtinus. Cuius quidem aurea verba, deam illam quam maior pars hominum opinata eſt, minimè fortunam eſſe, pulcherrimè concludunt. Eſt enim implicatio cõtradictionis, q. talis fortuna ſit, qualis ab eis effingitur, & ſit poſtea Deus. Quare Peripatetici longè clarius huiuſmodi ſpectantes, quæcunq. obſcuris & ignotis de cauſis concitantur, ea deputant caſibus, fortuita philoſofecius dicunt ea, quæ homini contingunt præter ſpem, & opinionem, & propoſitum. Veluti ſi agricultor terram fodiens, culturam ſoliq. fœcunditatem cogitans, theſaurum reperiat, de quo nõ cogitabat, id fortuitò factum dicimus; nec inuenti theſauri cauſam aliam damus quàm fortunam. Non enim foſſio in cauſa eſt, nec ager, qui fodiebatur; ſed quia ita accidit eundem eſſe agrum, latebramq. theſauri. Caſualia uerò illa dicũtur & ſunt, quæ agenti quidpiam ac molienti, præter naturæ ſuæ intentionem, & propenſionem contingunt. Quemadmodum ſupra exemplo de Oue paſtum quęrente, à Lupoq. direpta, ſatis oſtẽdimus. Vnde in 2. phyſicæ auſcultationis, cõmento. 57. magnus dicebat Auerroes, q. fortuna & caſus, ſi ſecundum eorum propria ſignificata ſumantur, ſunt duæ ſpecies, quarum altera, ut caſus, eſt in rebus naturalibus; fortuna uerò in rebus voluntarijs. Si uerò extenſo uocabulo & communiter ſpectentur, tunc caſus, & rebus naturalibus conueniens eſt & voluntarijs; fortuna verò, in rebus uoluntarijs tantũ reperitur. Vnde dicebat Ariſtoteles ibidem in textu: Differunt uerò, quoniam caſus ipſe ad plura ſe extendit; quandoquidem id quod à fortuna fit, à caſu etiam proficiſcitur. Intereſſe igitur inter caſum & fortunã dicimus, q. caſus appellatio ſit latior pertinens ad omnia, quæ extraneas & imperfectas ſortiuntur cauſas. Fortuna verò propriè circa humanas actiones uerſatur, vt quæ ſolæ conſilio rationeq. fiunt. Ex his itaq. fortunæ peripatetica

Tom. 5.

Definitio fortunæ. definitio claret, quæ talis eſt: Fortuna cauſa eſt ſecundùm accidens in ijs, quæ ſecundùm electionem eorum, quæ propter aliquid ſunt. Doctrina ex Ariſtotele habetur. 2. auſcultatorio libro, ſub contextibus. 51. & 52.; & eſt perinde ac ſi dixiſſet: Fortuna eſt cauſa per accidens, in his quæ raro fiunt, & propter finem ſecundùm electionem. Hanc definitionem perpendens Auerroes, notauit Ariſtotelem caſus definitionem omiſiſſe, quia eius definitio habetur ex definitione fortunæ, vna ablata particula, quoniam fortuna eſt in eligibilibus tantùm, caſus uerò in omnibus. Vnde contextu. 57. concludens Ariſtoteles, aiebat: Caſus igitur atq. fortuna ambo quidem, ut dictum eſt, cauſæ ſunt per accidens. In his videlicet, quæ neq. ſimpliciter, neq. plerunq. fieri poſſunt, atq. horum in his, quæ alicuius gratia ſunt. Hęc ille. Cuius quidem definitio, ex ijs quæ ſuperius diximus, tota ferè ſatis cõſtare uidetur. Oſtendimus nanq. ꝙ fortuna eſt cauſa efficiens, atqui per accidens: & in quonam ordine ſit cauſarum per accidens efficientium. Diximus vlterius, ꝙ eſt in his quæ à propoſito dicuntur agentia; ita vt fortuna propriè ſit circa humanas actiones. Ac demum quod eſt in agente ob aliquem finem, & præter eius opinionem; id quod exemplo de agricola ſolũ fodiente, atq. theſaurum inueniente, ſatis conſtat. Ex quo ſequitur, quòd fortuna ſit in his quæ raro fiunt. Non ita quidẽ, ut oĩa quæ raro eueniũt ſint à fortuna, at ea ſolũ quę raro eueniũt respectu cauſę, & ꝑter cauſę intẽtionẽ; uelutì ex Ariſtotele explicitũ habemus ſub. 50. & 51. contextibus, ſecundi auſcultatorij libri. Vnde rem aliquã raro euenire, bifariam intelligi poteſt; aut ſecundùm ſe, aut per comparationem ad propriam cauſam. In p. ſenſu, non eſt neceſſe omne de raro eueniens, caſuale ſit aut fortuitum; ſecus Eclipſis & multa id genus alia eſſent à fortuna, uel à caſu. In ſecũdo autem ſenſu, caſualia ſemper ſunt uel fortuita, quæ de raro eueniunt; dummodo tamen cauſa illa non ita ſe habeat, ꝙ ex ſe illum effectum producere ualeat, & ꝙ illa poſita non impedita, de neceſsitate non ſequatur effectus, ac demũ ꝙ effectus ſit præter eiuſdem cauſæ intentionem. Hoc eſt, inquam, quod in ſua definitione uoluit Ariſtoteles. Cui fauet Auicenna, in primo ſufficientiæ, cap. 13., his verbis: Aliquando autem putatur de multis rerum naturalium quæ rariſſimè ſolent eſſe; ſicut aurum quod naſcitur magni ponderis, aut hyacinthus quæ excedit menſuram ſolitam, ꝙ inueniatur caſu, eo quòd hoc fiat rariſſimè; ſed non eſt ita; quia non ponit rem ſub caſu, cùm confertur eſſe abſoluto. Sed cùm confertur cauſę efficienti eſſe rariſsimè, contingit eam etiam eſſe ex illa rariſsimè. Hoc enim aurum, vel hęc hyacintus, nõ proueniunt rariſsimè ex cauſa efficiente ea; immo ex uirtute ſua, & propter abundantiam multæ materiæ. Et quando quidem hic ſic eſt, tunc huiuſmodi opus non euenit niſi ex ſeipſo ſemper, aut ſæpe euentu naturali. Hactenus Auicenna. Et quia ſæpius ex Ariſtotele diximus, fortunam cauſã eſſe efficientem; illud annotandum eſt, quoſdam fuiſſe, uolentes & concedentes fortunam in omni cauſarum genere. At re vera ad ſolam cauſam reducitur efficientem, quia dicit cauſam operatiuam; ratione cuius, in alijs cauſarum generibus, quia cum ea ad effectum fortuitum concurrunt, eſt cõcedenda fortuna. Vnde ſi pannum ad conficiendam ueſtem intendat inci-

dere Sutor, illumq́. à tinea corroſum inueniat; illud perſpicuum eſt, & clarū, quòd pannus ille non eſt fortuitò corroſus, niſi quatenus reſpicit ueſtem, incidentem, ſeu Sutorem; qui veſtem ex panno integro, minimè autem corroſo, conficere intendebat; & quia præter eius intentionem fuit inuentus corroſus, hac ſimplici relatione, dicitur fortuitò corroſus. Ita etiam dico: de pictore intendente pingere Equum, & pingit Aſinum. Effectus enim ille non eſset à fortuna, niſi quia pictorem reſpicit, qui equū intendebat, & aſinum pinxit. Si quis etiam Romam peteret ut merces uenderet, & Epiſcopatum ſortiretur, utiq. eſset à fortuna; at non niſi quatenus agens reſpiceret; qui Romam ut uenderet merces ire intendebat, non autem ob aliud. Quare illud pro comperto habemus, quòd in cæteris cauſarum generibus nulla venit concedenda fortuna, niſi quatenus cum cauſa operatrice ad effectum fortuitum concurrunt. Meritò igitur iureq́; optimo, in contextu .64.&.65. ſecundi auſcultatorij libri, hæc protulit uerba Ariſtoteles: Quid igitur ſit caſus, & quid fortuna, dictum eſt, & quo etiam pacto à ſeinuicem differant. At de modis cauſarum, in quibus eſt unde principium motus, utrunq́. ipſorum eſt. Hæc ille. Qui quidem dicendo fortunam eſse in ijs quę rarò eueniunt, ſeu in ijs quæ nec ſemper, nec frequenter ſunt; contingens; vt uocant, ad utrumlibet includere minimè intendebat; nec ob id ſequitur eius diuiſionem eſse minus ſufficientem; quemadmodum cenſuit Auicenna in primo ſufficientiæ, cap. 13., ibi: Dubitari autem poteſt de eo, quod eſt ad utrumlibet, an debeat dici caſu & fato, an nō debeat &c. Quo in loco uolebat Auicenna quæ ſunt ad utrumlibet eſse etiam à fortuna & caſu. Idq́; ſatis prolixo & obſcuro ſermone tali pacto declarat: Quędam inter alias potentiæ ſunt, quæ ſuapte natura non magis ad unum, quàm ad alterum oppoſitorum determinantur; veluti potentia motiua animalis, non eſt magis ad ſtandum quàm ad ſedendum, ad motum quàm ad quietem determinata. Et quando huiuſmodi potentiæ determinautur ad unum, hoc non niſi ab altero habent, nimirum ab appetitu. Vt animal ab illo determinetur ad ſtādum uel ſedendum, comedendum uel non comedendum. Modo; inquit Auicenna; idem effectus ab aliqua iſtarum potentiarum eueniens, poteſt eſse & intentus, & fortuitus. Intentus quidem, ſi comparetur appetitui determinanti. Fortuitus uerò, ſi quatenus à potentia motiua prouenit inſpectetur. Vnde ambulatio potentiæ motiuæ comparata, eſt fortuita; proptereaq́; in ſe conſiderata, non magis ambulare intendit, quàm non ambulare. Comparata autem appetitui determinanti, fortuita dici minimè poteſt; quoniam appetitus illam determinans, ambulationem intēdit. Et propterea; inquit; in his etiam quæ ſunt ad utrumlibet dantur fortuna & caſus. Secus uanum eſset id quod vulgatum eſt & firmum; nimirum quando quis dicit: obuiaui illi, & caſu accidit ut ambularet; uel obuiaui illi, & caſu accidit vt ſederet. Inſufficiens etiam ex eo redderetur Ariſtotelis diuiſio in. 2. phyſicarū auſcultationum, ad contextum .48.; quoniam præter ea quæ aut ſemper, aut frequenter, aut rarò eueniunt, ſunt etiam illa quæ ad utrumlibet dicuntur. De magiſtro autem id non eſt dicendum. Conſequens eſt igitur, quòd Ariſtoteles cùm dicit quæ nec ſemper nec frequenter ſunt, à caſu eſse uel à for-

Contra Auicen.

tuna,

tuna,ea intelligat quæ rarò & ad utrũlibet eueniunt. Hęc eſt breuibus enarrata opinio Auicennæ. Verumenimuerò non animaduertit uir iſte, ꝙ potentia illa motiua & indifferens non poteſt ex ſe operari,niſi ab alia uirtute determinetur. Quod cùm ita ſit,relinquitur ut effectus ab ea procedens, haud fortuitus ſit,nec caſualis; at erit ſemper certus et determinatus. Ea verò quæ pro huiuſmodi ſententia & opinione prætinducta fuere facilè tolluntur,ſi animaduertamus primò quòd ille dicitur caſu ambulare,vel ſedere,nõ reſpectu ſui; at illius qui eum ambulantem,uel ſedentem inuenit. Quandoquidem illum cenſebat unum facere,& ad aliud erat intentum. Nec diuiſio Ariſtotelis eſt inſufficiens,ſi per ea quæ nec ſemper nec frequenter eueniũt, quæ rarò accidunt intelligat. Quoniam effectus illos diuidere intendebat, qui à cauſa agente & efficiente proxima ſunt procedentes; cuiuſmodi non ſunt ad vtrumlibet,cum materiam reſpiciant. Sed de his ſatis.

Rationes quædam in definitionem fortunæ adducuntur. Cap. 19.

NOn deſunt qui fortuita & caſualia velint cauſas habere determinatas,& eſſe per ſe intenta; veluti Pomponatius noſter,lib. p. de fato & libero arbitrio,cap.6., aduerſus ea quæ in proprio libro de fato,cap.5.,ex Aphrodiſiade ille dixerat Alexander.

P. Ratio Pompon. Et eſt eius prima ratio talis: Illud de quo poteſt haberi perfecta ſcientia, tanq̃ de cõcluſione & effectu,habet cauſam per ſe & determinatam. Caſualia ſunt huiuſmodi. Habent igitur cauſam per ſe & determinatam. Maior eſt per ſe nota; veluti habetur ex p. de poſteriori reſolutione; quoniam ſcire propriè eſt,cùm cauſam opinamur cognoſcere,per quam res eſt. Et demõſtratiuus ſyllogiſmus eſt ex cauſis proprijs & per ſe. Minor etiam probatur: Quoniam Ariſtoteles in.4. de generatione animalium,cap.4., diſputat aduerſus Democritum de cauſis monſtrorum,eumq́. impugnat,& ponit ueras cauſas monſtrorum. Magnus quoq. Albertus in.2. phyſicorum libro, tract. 3.,cap.3., diffusè dat cauſam monſtrorum. Sed & eadem minor ratione probatur: Quandoquidem ſi effectus caſualis omnes cauſæ ſumantur,& eis poſitis,neceſſario ſequatur effectus; ſunt cauſæ per ſe & determinatæ. Sed ipſius effectus caſualis cauſæ ſunt huiusmodi. Ergo ſunt p ſe & determinatę. Minor probatur. Cauſæ quare theſaurus reperiatur,ſunt duæ,nempe foſſio terræ in qua eſt reconditus,& theſaurum fuiſſe in eo loco reconditũ. Quotieſcũq. autem huiuſmodi duæ cauſę ponuntur,ſcilicet ꝙ effodiatur terra in qua repoſitus fuerat theſaurus; ſemper & neceſſariò reperitur. Talis igitur inuentio,cauſas habet per ſe & determinatas. Et ſicuti dicitur de hoc effectu caſuali, ita dicitur de quocunq.; quare omnis effectus habet cauſam per ſe atq. determinatam.

Ratio 2. Amplius: Illud quod cadit ſub arte & ſcientia, cauſam habet per ſe, ut etiam ab aduerſarijs admittitur. Inuentio autem theſauri cadit ſub arte & ſcientia: quemadmodum Albertus docet in.3.lib. ſuorum mineralium,cap. p.; ubi uult magicam eſſe ſcientiam,& ꝙ ipſa doceat inuenire theſauros. Er

go

go huiuſmodi effectus cauſam habet determinatam.

Præterea: Monſtra à peritis Aſtrologis prædicuntur. Hoc autem eſſe nõ poſſet, niſi cauſam haberent in ſyderibus: Idem igitur quod prius. Ratio.3.

Ad hæc: Multę reperiuntur hiſtoriæ atteſtantes nunq̃ monſtra apparere, quin magna ſubſequantur. Ergo talia ſunt per ſe intenta, & cauſam habent determinatam. Ratio.4.

Confirmatur ex eo doctrina, quia Ariſtoteles in lib. de animalibus, aliquando talia appellat oſtenta, aliquando portenta, aliquando monſtra, aliquando prodigia, veluti & alij nuncupant.

At (.D. referente Auguſtino.21. lib. de Ciuita. Dei, cap.8.) ideo monſtra homines appellant, quia aliquid ſignificando demonſtrant; & oſtenta, ab oſtendendo; & portenta à portendendo, ideſt futura præoſtendendo; & prodigia, q̃ porrò dicant, ideſt futura prædicant. Tom.5.

Confirmatur adhuc, quoniam idem pater Auguſtinus, lib.16. de Ciuita. Dei, cap.8., & lib.21., cap.8., vult monſtra eſſe per ſe intenta, & ad finẽ producta. Quare habent cauſas determinatas.

Item: Caſualia & fortuita ſemper fuerunt & ſemper erunt, nihilq́. eſt caſuale ſecundùm indiuiduũ, q̃ cõſimile nõ fuerit infinities, & nõ erit pręcisè. Ab eadem igitur cauſa conſimilia fiunt, & ſi diuerſificentur effectus. Non igitur temerè fiunt, quandoquidem cauſas habent determinatas. Ratio.5.

Confirmat̃ ratio: Quia ſumpto Calia claudo in vtero matris; ſi Socrates ſimiliter claudus naſceretur, ex eadem cauſa claudus eſſet, ſaltem proxima, & immediata, licèt fortaſſis remotæ poſſent eſſe diuerſæ.

Adhuc: In omnibus in quibus eſt caſus, natura ponit potentiam deficiẽdi. Ergo ponit & illud qđ talẽ effectũ inducere poteſt, nimirum impedimẽtum. Natura igitur intendit caſum. Et ita caſualia habent cauſas determinatas. Id quod antecedit probat Pomponatius; propterea quòd niſi poſſet illud deficere in quo eſt caſus, nunq̃ deficeret; quia nihil fit quod eſt impoſsibile fieri. Id etiam quod conſequitur, authoritate Commentatoris comprobatur, qui.2. libro phyſicæ auſcultationis, comm.48. inquit, quòd niſi natura poſuiſſet impedimentum, ocioſè feciſſet illud poſſe impediri. Ecce verba: Si igitur non inuenitur impedimentum extrinſecum, cõtingeret tunc ut poſsibilitas in illo eſſet ocioſa. Hæc ille. Vnde ſi ex hoc impedimento eueniunt monſtra, erit & per ſe cauſa monſtri, & per ſe à natura intẽtum; quod eſt propoſitum. Ratio.6.

Amplius arguit ad idem in lectura ſua ſuper.2.phy., tali pacto: Sortes ex propoſito accedit ad ludendum. Nunc ſic: Sortes per ſe lucrari intendit; & ſi tamen lucretur, illud eſt à caſu. In per ſe intentis igitur poteſt eſſe caſus. Quare fortuna & caſus non ſemper ſunt in ijs, quæ præter agentis intentionem eueniunt. Ratio.7.

Probat deinde quòd fortuna poteſt eſſe ut in pluribus; & arguit ſic: Dẽtur duo Luſores, quorũ alter vt in pluribus lucretur, ut in pluribus uerò perdat alter. Modò qui ut in pluribus perdit, id ei euenit à caſu; quandoquidẽ nunq̃ perdere intẽdit, cũ ſit contra bonum ſuum. Caſus igitur poteſt eſſe in ijs, quæ ut in pluribus eueniunt. Ex hoc itaq. uiro tria aduerſus fortunę Ratio.8.

 definitionem

definitionem præcipuè colligimus; primum, ꝙ caſualia habent per ſe cauſas, & determinatas; ſecundum, ꝙ fortuna poteſt eſſe in per ſe intentis; tertium, ꝙ poteſt eſſe vt in pluribus. Vnde huiuſmodi definitio, nec uniuerſalis, nequidem ab Ariſtotele rectè conſiderata relinquitur.

Ratio. 9. Arguitur inſuper tali pacto: Quæ intenduntur à natura, certam habent cauſam & determinatam. Natura autẽ, orbis uniuerſi perfectionem potiſſimùm intendit, paritérq. integritatem, Ea igitur quę ad huiuſcemodi perfectionem ſpectant atq. integritatem, intenduntur à natura, & per ſe cauſam habent. Sunt autem huiuſmodi monſtra, igitur ſunt à natura intenta, & per ſe cauſam habent, ac determinatam.

Ratio. 10 Accedit, ꝙ idem effectus ad unam cauſam relatus, erit accidẽtalis; ad aliã verò ſi referatur, erit per ſe intentus. Per ſe autem dici non poteſt, niſi per ſe cauſam habeat. Monſtra igitur ſi ad cauſam primam referantur, cauſam habebunt per ſe, atq. determinatam.

Ratio. 11 Inſuper; Quando ab eo qui terram fodit reperitur theſaurus, illius inuẽtionis cauſa non eſt niſi foſſio terræ. Ergo eſt determinata & nota. Sed hoc eſt à fortuna; quare ꝙ illa non ſit cauſa per accidens & indeterminata, perſpicuum relinquitur & clarum.

Ratio. 12 Præterea, Effectus fortuitus, ab alia cauſa præterq̃ à fortuna eſſe non poteſt. Ergo fortuna eſt cauſa per ſe, & non per accidens.

Ratio. 13 Item; qđ eſt per ſe & determinatum, vel ſemper, uel ut plurimũ euenit; authore Ariſtotele in p. de poſteriori reſolutione. E` regione igitur, quod eſt per accidens, non ſemper, neq. ut plurimum euenire deberet. Quare cũ in definitione fortunæ poſitũ fuerit ipſam eſſe cauſam per accidens; ſuperfluæ uidentur illæ duæ particulæ: Neq. ſemper, neq. ut plurimum.

Ratio. 14 Amplius; In libro de bona fortuna docet Ariſtoteles, ꝙ bona fortuna eſt naturalis impetus in anima noſtra factus à Deo, ut eſt motor totius naturæ. At modò conſtat huiuſmodi impetum non eſſe cauſam, quinimmo potius effectum, cùm à Deo ſit factus in anima noſtra; Ergo fortuna non poteſt eſſe cauſa. Id quod tamen eam definiendo aſſerebat Ariſtoteles. Hæc ſunt firmiora quæ in hac materia adduci poſſunt ratiocinia; in quibus diluendis, ad alia quæ obijci poſſent refellenda, facilè aditus aperietur. Verùm quia multa in eis de rebus tanguntur monſtruoſis, propterea operæpretium me facturum ſum arbitratus, ſi de monſtris aliqua præfatus, ad ea poſtea reijciẽda paratus fuero.

Monſtra num Caſu fiant, vel intenta ſint à natura. Cap. 20.

DE Monſtris verba facturi, tria præcipuè annotanda ſtatuimus: nempè quid mõſtrum ſit, unde ſit, ac demũ quod principaliter vertitur in cõtrouerſiã. Ex Ariſtotele igitur, 2. auſcultatorio libro, cõtextu 82., qđ ſit monſtrũ facilè colligit; ut nimirũ ſit naturę peccatũ ſeu defectus, ob aliquẽ finẽ agentis, à quo fruſtratur, aliquo labefacto principio. Et in 4. de generatione animalium, cap. 4. dicit, monſtrum rei obleſionem eſſe,

præter eius naturam, in ijs quæ non ſemper, ſed vt plurimum agunt, & eodem modo. Duplex eſt enim agens naturale; quoddam eodem modo ſemper agens, ut motor coeleſtis, qui ſolſtitia, ortum efficit & ſtellarum occaſū; idq. monſtra minimè facit. Aliud eſt naturale agens, quod in pluribus idē ac ſimile agit; & hoc efficit monſtra. Propterea dixit Ariſtoteles, ꝙ mōſtra fiunt in ijs quæ non ſemper, ſed ut plurimum agunt, & eodem modo. Dicit inſuper philoſophus, monſtrum rei oblæſionem eſſe atq. deprauationem, præter eius naturam; quod ijs quę in 2. phyſicorum iam dixerat optimè cōſonat; nimirum ꝙ monſtrum eſt naturę peccatum ob aliquem finem agentis, à quo tamen fruſtratur, aliquo labefacto principio, atq. corrupto. Ex quibus, non quicquid à noſtra forma, naturaliq. membrorū diſpoſitione alienum & diſcrepans in humana ſpecie producitur, monſtrum eſſe cenſendum, perquamclariſsimè colligitur. Atqui ſolum quod aliter ꝗ natura non impedita ederet, producitur, & à ſuo producente perfecto, aut exuperatione, aut defectu diſsidet aliquo. Etenim Pygmæi exiguę molis, & Gigantes proceræ ſtaturæ, monſtra non ſunt appellanda, ꝙ taliter producantur, qualiter nati ſunt natura produci. Iidem Cynocephali, & Cyclopes; quorum hi unū tantùm habent oculum; illi uerò, corpori humano ſupereminens caput caninum. Troglodytæ etiam, & qui ſine capite oculos habent & os in pectore, & cætera uariarum formarum in humana ſpecie genera, iuxta præmiſsā Ariſtotelis definitionem, monſtra haud cenſenda ſunt; cū non aliter ꝗ eorū fert natura producantur; tametſi vulgus illa monſtra uocet, ꝙ à noſtri corporis effigiatione diuerſa, admirationem nobis inducant, à naturaq. impedita ſic producta uideantur. De Pygmęis, Aulus Gellius lib. 9. cap. 4. in hūc modum effatur: Pygmæos quoq. haud longè ab ijs naſci; ijdem illi ſcriptores aiunt; quorum qui longiſsimi ſunt, non longiores eſſe quàm pedes duos & quadrantem. Hæc ille. De Cynocephalis verò, eodem in loco dicit ſe legiſſe, in mōtibus terræ Indiæ homines eſſe, caninis capitibus, & latratibus; eosq. ueſci auium, & ferarum uenatibus. Cui teſtimonium perhibēs D. pater Auguſtinus. 16. libro de Ciuitate Dei, cap. 8., ita inquit: Quid dicā de Tom. 5. Cynocephalis, quorum canina capita atq. ipſe latratus, magis beſtias, quā homines confitetur? De Cyclopibus uerò, ibidem Aulus Gellius ait; Item, ſub eadem regione coeli, ſunt homines vnum oculū habentes in frontis medio, qui appellantur Arimaſpi; qua facie fuiſſe κύκλωπας poetæ ferunt. De illis demum qui Troglodytę nuncupantur, libro de hiſtoria animaliū octauo, cap. 12., ita loquitur Ariſtoteles: Et alia de locis uicinis diſcedunt, alia de vltimis propè dixerim, vt Grues faciunt, quæ ex Scythicis campis ad paludes Aegipti ſuperiores, vnde Nilus profluit, ueniūt; quo in loco pugnare cum Pygmęis dicuntur. Non enim id fabula eſt, ſed certè, genus tum hominum, tum ēt equorum puſillum, ut dicitur, eſt; deguntq. in cauernis, unde nomen Troglodytæ à ſubeundis cauernis accepere. Ita Ariſtoteles. Multa ſunt alia genera uariarum formarum in ſpecie humana, quæ & à Plinio lib. 7., & à Gellio in memorato loco referūtur, à vulgo mōſtra uocitata, cū tamē ratione perinducta re uera minimè ſint. Quare hallucinantur q. huiuſmodi ſpectātes, dicūt mōſtra ob uniuerſi orbis pfectionē atq. ornatū,

eſſe intenta à natura. Cæterùm in proximè citato loco, beatiſſimus pater Auguſtinus ita notatum reliquit: Sed omnia genera hominum, quæ dicuntur eſſe, eſſe credere non eſt neceſſe. Nam & Simias, & Cercopithecos, & Sphingas, ſi neſciremus non homines eſſe, ſed beſtias, poſſent illi hiſtorici de ſua curioſitate gloriantes, velut gentes aliquas hominum, nobis impunita uanitate mentiri. Sed ſi homines ſunt, de quibus illa mira conſcripta ſunt; quid ſi propterea Deus voluit etiam nõnullas gentes ita creare, ne in his monſtris, quæ apud nos patet ex hominibus naſci, eius ſapientiam, quæ naturam fingit humanam, velut artem cuiuſpiã minus perfecti opificis putaremus erraſſe? Hactenus Auguſtinus. An itaq. huiuſmodi ſint hominum genera necne, noſtrum non eſt diſputare modò; atqui ſat nobis eſt, ꝙ ſi ſunt, non ſunt cenſenda monſtra; quemádmodum in prçcitatis uerbis innuit etiã Auguſtinus. Impropriè tamen & reſpectiuè, poſſent monſtra cenſeri & appellari. Nunc uerò ſi de his quæ uerè, propriéq. monſtra ſunt, ſermonem habere velimus, id pro comperto habebimus, ꝙ eorum varia ac multa ſunt genera; quorum quidem cauſæ, à magno Alberto, lib. phyſicorum. 2., tracta. 3., cap. 3., ad quatuor reducũtur principales; népè ad materiæ diminutionem; ad eiuſdem materiæ ſuperfluitatem; ad improportionabilitatẽ qualitatum ad materiam; ad malitiam continentis. Iſtæ ſunt generales cauſæ; quæ tamen, inquit Albertus, ſub ſe multas habent particulares cauſas.

Verùm ut omnes generatim concludamus, illud animaduertendum eſt, quòd in generatione animalis, quinq. conuenire oportet. Primum eſt uirtus ſeminalis, quæ & formatiua nuncupari ſolet; quæ in ipſo ſemine ab homine deciſo reperitur. Secundum eſt ipſa materia, ex qua futurus eſt foetus. Tertium, qualitates quatuor elementales; calor & humiditas naturalis, quorum omnium contemperamento, conſiſtit animalis corpus. Quartum eſt locus, & contentiuum ſeminis; utpotè foeminæ matrix & ſecundina. Quintum eſt circundans extrinſecum; nempè uirtus coelorum, & aſtrorum, aer & locus circunſtans, ac demum ipſorum generantium imaginatio. His enim omnibus in generatione prolis rectè ac debitè proportionatis, nullũ unquã ſequetur monſtrũ. Si verò in eis non ſeruetur proportio, defectus mox & peccatum erit in foetu. Et hæc cũ multa ſint, multipliciter etiam error prouenire poteſt, unde ſequitur poſtea monſtrorum diuerſitas. Addo, quòd ſemen eſt virtute etherogeneum, cùm ex partibus conſtet, virtute diuerſis. Non enim quęlibet partes ſunt aptæ ut ſint carnes, oſſa, uel nerui; atqui ſũt partes uirtute & poteſtate diuerſæ. Vnde patet ꝙ unius partis defectus, nõ poterit altera parte ſuppleri; & hanc ob cauſam, monſtrum ex defectu materiæ, nõ ſẽper prouenit eodẽ modo. Cũ igitur ex defectu iſtorũ quinq. atq. ĩproportione ſequatũ mõſtrum; iã cõſtat ꝙ ineptè ab Auguſtino Sueſſano redarguãtur phyſici, in. 2. phyſicarũ auſculta., ad contex. 84. Et quia præclara, admodumq. ſublimia ſuſpicit & cogitat aĩus meus, hucuẽ mea nõ retuli cõſilia, hoc ideo lectori negotium relinquã, & ad alia, noſtra ꝑperabit orõ.

*. Opinio de Mõſtr.

Ad illa nempè, quæ primo loco exarãda propoſuimus; nunquid ſcilicet monſtra caſu fiant, uel potius ſint à natura intẽta. Pro quorũ deciſione, uarij ſunt uaria dicẽtes. Et primò ſunt qui uelĩt ob uniuerſi orbis pulchritudinẽ,

quæ

quæ in effectuum uarietate conſiſtit, illa eſſe à natura intenta.

Aſt cùm illi ad vniuerſi pulchritudinem atq. ornatum concurrant effectus, qui in ſe perfecti ſunt, & quo coepere curſu procedunt: monſtra uerò non ita ſe habeant, uerùm potius breui temporis ſpatio ad exitum perducantur; pro vniuerſi orbis pulchritudine atq. perfectione illa eſſe à natura intenta, minimè fatendum venit. Quare doctrina non placet. *Impugn.*

Alij propterea dicunt, ꝙ cũ natura primum non poſsit effectum perficere, illum cum defectu attingere conatur. Idcirco licèt per ſe primò nõ intendat monſtra, illa tamen ſi per ſe ſecundò intendere dicamus, nullum ſequitur incommodum. Hanc Pererius inſequitur ſententiam, lib. 9. cap. 10. Taliq. ratione ducebatur: Cauſæ monſtrorũ ſunt per ſe determinatæ & certæ, ac ſcientia comprehenſæ. Monſtra igitur non caſu, at per ſe fiunt. Et licèt; inquit; huiuſmodi cauſæ raræ ſint, tum reſpectu temporis, quia rarò accidunt; tum reſpectu naturæ, quæ ut plurimum aſſequitur ſuum finẽ, raroq. ab eo deficiens producit monſtra; attamen illis cauſis poſitis, uel neceſſariò, uel ut plurimum efficiuntur mõſtra. Si nihiloſecius à caſu ſecundũ quid fieri dicantur, nihil ob id ſequitur abſurdi; quandoquidẽ neq. ſemper, neq. vt plurimum, ſed rarò accidũt; nec per ſe, at per accidẽs ſunt à natura intẽta. *2. Opinio Pererij.*

Confirmat hanc ſuam doctrinam Pererius, authoritate Ariſtotelis, 2. auſcultatorio libro, particula 64., & auctoritate Simplicij exponentis.

Sed quæ ſecundaria eueniunt intentione, peccata nõ ſunt, nequidem errata nuncupari poſſunt; quare nec ſecundũ quid à caſu facta cenſeri debent. Proptereaꝙ ſecundaria intentio, eſt intentio habitualis; (phyſici nãq. & theologi intentionem in actualem & habitualem, ſæpius diſtinguere ſolẽt) quæ autem tali efficiuntur intentione, per ſe intenta propriè dicuntur; quẽadmodum patet in ſanctiſsimi atq. præſtantiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti confectione; in qua intentio ſufficit ſaltem habitualis. Et ad noſtra propius accedendo, illud perſpicuum eſt in eo, qui ut colligat fructus, ſe in viridariũ recipit frequenter, ibiq. ſemel atq. iterum inuenit ſerpentem. Cùm uerò illuc nuperrimè tendit, actu ſerpentem eius animus non cogitat amplius; mens tamen, habitu ab eius cogitatione minimè abducitur. Vnde ſi rurſus colubrum inueniat, id fortuna factum nolunt ſapientiores philoſophantes. Natura igitur cũ ter, quaterq. uiderit genita monſtra; in generatione, licèt animal cogitet actu perfectum; habitu tamen, monſtrum ſi cogitet, & deinde producat; illud non caſu, (neq. ſecũdùm quid) at ſimpliciter per ſe productũ, & à natura intentũ, ꝓ cõperto habebimus. Si igitur natura, ſecũdaria intẽtione intendit monſtra; illa non ꝑ accidens, at per ſe intẽdere uidetur. *Impugn.*

Quod etiam hunc in modum confirmari poteſt: Agricultor ſcrobem faciens vt vineam plantet; ſi actu, uineę plantationem cogitans, theſauri inuẽtio habitu in aĩo ſuo inhęreat, & inde theſaurũ inueniat: non fortuita, at per ſe intẽta appellabitur ſemper inuentio illa. Quare & monſtra ſecundariò intenta, non per accidens, at per ſe erunt intenta, atq. ſimpliciter. 2.

Ad hæc: Natura facit de poſſibilibus ſemp qđ eſt melius; prout author eſt Ariſtoteles. 2. coeli, contextu. 34.; 8. phy. 356.; &. 2. de partibus animalium, cap. 14. Monſtra autem, ea qua ſunt ratione monſtra, ſunt priuationes. 3.

 Secundaria

Secundaria igitur intentione non poſſunt eſſe à natura intenta. Id enim quod eſt, melius ſemper eſt eo, quod nullum habet eſſe. Animal autem eſt, priuatio verò non eſt. Natura igitur in generatione, animal & non priuationẽ intendere debet. Quare monſtra cùm ſint priuationes, intendi à natura minimè poſſunt. Id quod docebat Ariſtoteles in.4.de generatione animaliũ, cap.4., his uerbis: Proximum enim ab ijs quæ iam explicauimus, eſt, ut cauſas de monſtris reddamus. Ad extremum enim, cùm motus ſoluantur, & materia non ſuperetur, remanet quod maximè eſt uniuerſale, ideſt animal. Hæc ille. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Cùm motus qui proficiſcũtur à uirtute genitali ad formandum fœtum, propter aliquam aduentitiam cauſam, quæ fortiter imprimit, & ad oppoſitum diſponit, corrumpuntur atque deſtruuntur; & à uirtute genitali non ſuperatur materia; quinimmo illa, & quò ad motum aſſimilatiuum in ſpecie, & quò ad motum aſſimilatiuum in indiuiduo deſtruitur; remanet uirtus aſſimilatiua eius quod eſt uniuerſale, ideſt animal. Quoniã ſemper natura rei melioris author eſt, quoad eius fieri poteſt; ex.2.de partibus animalium, cap.14. Themiſtius quoque in.2. phy. ad quintum contextum, ita dicebat: Sunt quædam res natura, quæ ſecundùm naturam eſſe non poſſunt; qualia ſunt uitia, oblęſionesq́. ex ipſa genitura contractæ. Nam & hæc naturæ opera ſunt, quamq̃ laceſſitæ, atq. fruſtratæ, neq. eòuſq. prouectæ, quò naturalis ratio atq. ordo duxiſſet. Sic ibi. Ex quo patet, ꝙ priuationes licèt ſint à natura, ab ea tamen non intenduntur, nec primaria, nec ſecundaria intentione. Quoniam quæ ſecundaria intentione fiunt, licèt non fiant per ſe primò & omnino; fiunt tamen per ſe ſecundò, & per quandam ſequelam. Ad quem modum paſtor reſpectu ouiũ agere dicitur. Duo ſiquidem paſtor in cura ouium accuratè & diligenter operatur. Vnum ut oues ipſæ benè ſe habeãt; alterum, ut ſibi ipſi, ex ouibus rectè ſe habentibus benè ſit. Ita nanq. lacte, lana, & foetu lucrum & commodum ſuum auget. Et ſicut poſterius ex priori, ita primum ex poſteriore neceſſariò dependet. Vt enim oues, ſi rectè valent, ſunt lucri cauſa, ita lucrũ eſt paſtoris finis in grege curando. Vtrunq. igitur per ſe (licèt nõ ex æquo) paſtor intendit. Quod tamen ex parte naturæ reſpectu priuationis dici non poteſt. Huic doctrinæ aſtipulatur Simplicius ibidem dicens: Sũt aliqua natura quæ perinde fiunt, ac ſi fierent per actionem naturæ, quæ tamen ſecũdùm naturam non ſunt; ceu ſunt cæcitates ab ortu, natiuitateq́., ac ea omnia, quæ omnino in priuatione conſiſtunt. Etenim hæc eo ꝙ ſunt ea quibus aliqua ſunt apta fieri, talia ſunt; ob id priuatio eſt abſentia in ſubiecto apto. Item id quod eſt natura diceretur de omni conſequente ſubſtantiam naturalem, & de omni eo quod accidit ſubſtantiæ naturali, quatenus talis; ceu coloratio corpori & ægritudo; ſed id, quod eſt ſecundùm naturam dicitur de ſolo quod accidit conſultò, & propoſito naturæ; idcirco ſecundùm naturam dicimus ſanari quempiam, ſed ægrotare naturę accidere, cùm ſit præter naturam. Hæc ille. Monſtra igitur cùm ſint priuationes & præter naturam; authore Ariſtotele.2. auſcultatorio libro, particula.64. neceſſe eſt illa naturæ accidere, & eſſe præter omnem eius intentionem; quemadmodum ſunt etiam mors & corruptio.

Item

4. Item principaliter; finis & perfectio ſunt idem. Priuationis autem; cùm ipſa non ſit ens; nulla eſt perfectio. Quare nec finis. Quæ uerò à natura, ſiue primaria, ſiue ſecundaria intentione ſpectantur, aliquem ſemper finem reſpiciunt. Non igitur priuatio aliquo pacto intenditur à natura. Atqui monſtrum; quà monſtrum; quid aliud eſt niſi priuatio?

5. Demum; id quod non eſt nec poteſt eſſe, à natura minimè ſpectatur. Priuatio nec eſt, nec poteſt eſſe. Non igitur intenditur à natura. Quod cùm ita ſit, nec monſtra ab ea intenduntur; cùm ſint priuationes. At ſemper ſibi ſimile intendit; ſiue in indiuiduo, ſiue in ſpecie, ſiue in genere; ceu in ſuperioribus diximus.

Ad rationes Pererij.

Cùm uerò dicit Pererius, q; monſtra habent cauſas certas atq. determinatas, falſum aſſumit. Licèt enim cauſæ uniuerſales & remotæ ſint quoquo pacto determinatæ; ſed particulares & propinquæ, minimè. Siquidem quando extra naturalem ſuam diſpoſitionem unaquæq. res fuerit, monſtrum erit. At amabò quot modis rem præter ſibi naturalem diſpoſitionem fieri contingit?

Cùm inſuper addit, q; poſitis cauſis monſtrorum, neceſſariò, vel ut plurimum illa efficiuntur; Admitto. At cùm infert: Habent igitur cauſas per ſe certas & determinatas. Hoc imus inficias. Proptereaq; monſtra non dicuntur effectus præter naturam, quia non ponantur, poſitis eorum cauſis adæquatis ſed quoniam cauſæ illę, accidētariæ ſunt, & à natura haudquaq; intentæ. Cauſę nanq. determinatę dicuntur illę, quę non poſſunt aliter ſe habere, & ſuis ueniunt certis atq. ſtatutis temporibus; quę & ſcientia comprehenduntur; teſte Ariſtotele in primo de poſteriori reſolutione. Ad ea quę ex Ariſtotele & Simplicio dicit, ſatisfaciemus inferius. Eo tamen interim notato, quòd non video quomodo natura per ſe queat & per accidens intendere monſtra.

Opinio nominaliū.

Fauent nominales, præcipuè Albertus de Saxonia in .2. phy., q.17., & Marſilius inguen ibidem, notabili.8. Dicunt enim iſti, q; monſtrum natura intendit; ſed natura non intendit monſtrum. Quod idem eſt ac ſi dicerēt; Natura hominem intendit productum, qui tamen eſt monſtrum; At illum ſub ratione monſtruoſitatis, minimè intendit. Quandoquidem; inquiunt; tunc natura monſtrum intenderet ſub ratione defectus; quod nullus philoſophus concederet; eò q; natura recta ab agente infallibili, nunq̄ defectum intendit; quemadmodum Deus nunq̄ vult nec intendit malum. Sunt nihilominus qui uelint hūc modum dicendi eſſe ſophiſticum. At re uera decipiuntur; quoniam terminiſtę non ſeducunt, ſed proprias regulas inſequuntur, non vt ſophiſticis altercationibus deſeruiant, uerùm quatenus iuuāt ad clariorem, euidentioremq́. notitiam propoſitionum atq. terminorum probabilium. Loquuntur ergo hìc iuxta eorum regulas logicales, pręſertim appellationum. In quibus, uerba actum mentis ſignificantia: ut ſcio, cognoſco, intelligo, & id genus alia; rerum quę per terminos ipſa uerba ſequētes ſignificantur, cognitionem denotant, per conceptus ſynonimos, cum illis terminis, præfata uerba ſequentibus.

Iſte eſt ipſorum nominalium loquendi modus; qui, non ſophiſticus, ſed

veriſſimus eſt, dum rectè intelligatur. Et eſt perinde ac ſi dicerent, quòd illa verba determinant incomplexa poſita in prędicato, ita ut denotent nos, res per ea incomplexa ſignificatas, ſub ſua ratione formali cognoſcere, & non materiali. Quandoquidē ſi dicta incomplexa ponerentur in ſubiecto, ſtarent materialiter, & non formaliter. Et ut res clarior euadat, agamus exēplo iam allato: Si ergo dico, intendo monſtrum; ſenſus eſt, intendo & uolo monſtrum, ſub illa ratione formali qua monſtrum eſt. Et hoc ipſi negāt de natura. Si uerò dico: Monſtrum intendo. Senſus eſt, intendo & uolo monſtrum, non quà mōſtrū, ſed quà animal eſt. Et hæc eſt ratio materialis, quam ipſi de natura affirmant.

Sueſſanus cōtra Nominales. Sueſſanus tamen in expoſitione. 84. cōtextus. 2. auſcultatorij libri, hunc dicendi modum veluti minus verum, tali ratione impugnat: Natura intendit Animal. Monſtrum inquantum monſtrum eſt animal; ut patet per exponentes. Natura igitur intendit monſtrum.

Impugn. Verumenimuerò decipitur ſatis vir iſte doctiſsimus, cū dicit monſtrum quà monſtrum animal eſſe; quoniā nil aliud eſt quàm mera priuatio & peccatū. Et in huius probatione minus benè ſe geſsit; proptereaq; id per exponentes non ſequitur, cùm tertia exponens ſit falſa & ſecunda. Quod vt iuniores intelligant, exponatur illa propoſitio: Monſtrum inquantū monſtrum eſt animal. Et ad hunc modum uenit exponenda: Monſtrum eſt monſtrum. Monſtrum eſt animal. Et ſi aliquid eſt mōſtrum, illud eſt animal. Ergo monſtrum inquantum mōſtrum eſt animal. Tres hìc ſunt exponenres; quarum ſecunda & tertia non ſunt uniuerſaliter & ſimpliciter ueræ, cùm ēt in plantis reperiantur monſtra; veluti docent Ariſtoteles & Auerroes, .2. auſcultatorio libro, textu & cōmento. 83., Albertus cognomento Magnus, tracta. 3., .2. phy. cap. 3., Pererius lib. 9. cap. 10., ipſemet Sueſſanus in eodem. 2., ad contextum. 83., & eſt communis omnium philoſophorum ſententia. Quod cùm ita ſit, quomodo erit ſimpliciter & uniuerſalirer uera huiuſmodi propoſitio: Monſtrum eſt animal? Idē eſt enim ac ſi diceremus: Animal eſt homo. Neq. igitur tertia exponens erit uera, nempè iſta: Et ſi aliquid eſt monſtrum, illud eſt animal; cùm poſſit eſſe planta. In hac igitur materia, oportet ut omnes tres exponentes ſint neceſſariæ & uniuerſaliter ueræ; veluti hoc exemplo poteſt reddi perſpicuum & clarum. Omnis homo inquantum animal eſt ſenſitiuus. Tali pacto uenit exponenda huiuſmodi propoſitio: Homo eſt animal. Homo eſt ſenſitiuus. Et ſi aliquid eſt animal, illud eſt ſenſitiuum. Ergo omnis homo, inquantùm animal, eſt ſenſitiuus. Verùm dato etiam q; monſtrum in ſolo animali reperiretur, adhuc non habet intentum Sueſſanus; quoniam tunc illius propoſitionis: Monſtrum inquantum monſtrum eſt animal: Senſus eſſet talis: Monſtrum non poreſt eſſe monſtrum, quin ſit animal; cùm monſtruoſitas ineſſet animali, & non alij. Sed tunc non eſſet probanda propoſitio exponibiliter, ac deſcriptibiliter tanrùm, vt dicunt logici; quia Ly (inquantùm) ſtaret non reduplicatiuè, at ſpecificatiuè. Vnde uerum eſſet q; natura non poſſet facere mōſtrum, quin faceret animal; ſicut nec poteſt facere cæcum, quin faciat oculos habens. At non ob id ſequitur naturam, monſtrum & cæcitatem ſpectare, & per ſe velle.

velle. Quare non ſophiſticè procedunt nominales, at uerè. Et ita eorum ſententia (quicquid ſit de modo loquendi, & uia doctrinæ) & noſtra, firma adhuc & inuicta manet.

Doctiſsimus & cæteroquin excellẽtiſsimus pater Toletus, in. 2. phy. lib., q. 13., dicit quòd monſtrum ſi ad cauſam comparetur impedientem, dicitur & eſt ab ea intentum. Non autem ſi comparetur ad generans proximũ; at eſt tum effectus fortuitus, nec per ſe intentus. Et ea ratione etiam quæ vniuerſales cauſæ cum impediente illa cauſa concurrunt, monſtrum intendunt & ſpectant. Et licèt, inquit, cauſa impediens, primò illam nõ faciat deformitatem; quia tamen id facit ad quod frequenter ſequitur deformitas; eadē re monſtrum dicitur ab ea intentum. *Opinio Toleti.*

Aſt mihi huiuſmodi doctrina nullatenus probatur; cùm agẽs naturale; ſiue vniuerſale, ſiue particulare ſit, ad orbis uniuerſi perfectionem, conſeruationemq́. agat, quicquid naturaliter agit, & operatur; ita ut in intentione & ſcopo, vniuerſale & ſingulare minimè differant. Scitor modò, nunquid cauſa illa impediens, naturaliter ſit agens, nec ne. Si dabitur primum, nõ niſi totius orbis perfectionem, atq. tutelam intendit. Monſtra autem, nec ad perfectionem, nequidem ad uniuerſi orbis tutelam attinent; cùm ſint priuationes. Non igitur ab illa cauſa impediente, quatenus naturaliter agit, intenduntur. Si uerò admittatur ſecundum; tunc agit illa cauſa prę́ter naturam; effectus autem qui præter naturam adueniunt, aut non faciunt ad uniuerſi orbis perfectionem, aut per accidens. Illa igitur cauſa impediens, aut non intendit monſtrum, aut intendit per accidens; de quo tamen nulla eſt apud doctores quæſtio. Quia verò cauſa vniuerſalis cum illa impediente concurrens, non aliter intendit monſtrum q̃ ſecunda; relinquitur etiam ꝙ nec illa niſi per accidens intendere poſsit. *Impugn.*

Cæterà; Huiuſcemodi cauſa impediens & intẽdẽs monſtrum, aut eſt cauſa per ſe, aut per accidens. Si primum admittas, oppoſitum ſequitur eius qđ in concluſione intendis. Illud nempè, quòd eius effectus nõ erit caſualis, nec monſtri rationem habebit, ſed indiuidui alterius ſpeciei, à propriæ cauſæ natura intenti. Si uerò detur ſecundum, illud ſciamus oportet, quòd cauſa accidentaria; ut ſic; nõ eſt ſubordinata primę cauſę, neq. vniuerſali; minuſq́. intra cauſarum ordinem; niſi per accidens; cadere poteſt; ſecus, non accidentaria, atqui per ſe cauſa eſſet. Sed propter Tirunculos, exemplo notiſſimo exaremus omnia. .a.

Sit Pictor aliquis, caput Veneris, & ſumma pectoris, egregijs picturę coloribus illuſtrare, atq. perpolire intendens. Tum ſi quam in culpam inciderit, minuſq́. ſapienter ſe geſſerit; culpa illa & error, aut ab ipſo pictore non intenditur, aut per accidens tantùm intẽditur, ſub ea ratione qua eſt error; proptereaquòd niſi ille pinxiſset, non erraſset pingendo; pingere autē non poteſt, niſi aliquid, ipſam nempè picturam, intendat. Quòd ſi errorem à pictore per ſe intentum fuiſse quis acclamauerit, iam non erit error. Etenim non errauit, ſi illud depinxit, quod intendebat. De monſtris autem loquimur ut monſtra ſunt & errores; & quà talia, eſse per ſe intenta eſt impoſsibile. Quare nec illa cauſa impediens, per ſe monſtra intendere poteſt. Vnde

de Auerroes lib.2.phyſicæ auditionis,commento.31.,dicebat: Agens & materia non ſunt niſi propter finem; & ſimiliter formę non ſunt ante illam in rei veritate,niſi propter ultimum finem. Et in calce eiusdem commenti, ita inquit: Vltimum intentum in rebus voluntarijs, multoties videtur bonum,& non eſt in rei veritate; intentum uerò in rebus naturalibus, eſt bonum uerum. Et primo ſapientiæ,com.50.ait: Agens non eſt agens niſi propter aliquid; & ideo qui concedit cauſam agentem, debet concedere cauſam finalem. Sic ibi. Si modò percunctatus fuero,nunquid cauſa illa impediens,agens ſit naturale; reſpondebitur vtiq. affirmatiuè. Et mox ex Auerroe inferam ego: Non igitur agendo aliud intendit quàm bonum uerum,& ita agit propter finem. Monſtrum autem; ut ſic non habet finem, cũ ſit error & priuatio. Cauſa igitur illa impediens non agit propter eum; quare nec ipſum intendit.

Opinio Sueſſani. Ex quo etiam ſequitur deceptio Sueſſani; qui.2.auſcultatorio libro, ad.84.cõtextum,reiectis aliorum opinionibus,in hanc tandem deuenit ſententiam; vt ſcilicet monſtra ſint à natura intenta;hoc eſt à virtute ſeminis; non quidem ſimpliciter accepta, at prout inſtrumentum eſt conſtitutionis aeris continentis,& conſtitutionis coeleſtis,tunc uigentis; & etiam quatenus inſtrumentum eſt parentum infelicium à natali. Reducit enim omnes cauſas monſtrorum ad duas,ad affectionem ſcilicet continentis extrinſeci, hoc eſt aeris continentis ſemen;& ad qualitatem occultam, contractam in ſemine ipſo. Prima in hunc modum ab eo declaratur: Quia aer nos cõtinẽs alteratur à coelo,mediante lumine & motu, ad qualitates quaſdam occultas; ipſe quoq. aer ſic affectus, in eo afficit contentum; unde ſemen afficit qualitatibus ſibi ſimilibus. Et eiuſmodi qualitates ſemini impreſſæ ut inſtrumenta conſtitutionis coeleſtis,ututur uirtute formatiua corporis, ut inſtrumento inferiori,& agunt corporis figurationẽ,pro coeli & ſtellarum ſtatu. Secunda quoq. exponitur; quoniam quidam naſcuntur homines, ex coeli ſtatu infelices; qui aut uim non habent generandi, aut ſi habent, filij cùm naſcuntur,vel ſtatim moriuntur, aut naſcuntur monſtruoſi. Quatenus igitur proficiſcuntur monſtra à ſeminis uirtute,prout inſtrumentum eſt parentum perfectorum,eatenus dicuntur,& ſunt à caſu. Quatenus uerò ab eadem ſeminis uirtute proficiſcuntur,inquantum inſtrumentum eſt conſtitutionis aeris cõtinentis malè affecti,& etiam parentum infelicium à natali, tunc à caſu non ſunt,at per ſe intenta.

Impugn. At re vera duo in primis claudit in ſe pugnantia huiuſmodi doctrina. Quãdoquidem ſi ab illa ſeminis uirtute ut corrupta,ſeu alterata, atq. uitiata,prodeunt monſtra,pariterq. intenduntur; quomodo monſtra nuncupari poſſunt? Siquidem monſtrum,quà mõſtrum,idem eſt qđ peccatum & error. At quod à natura per ſe intenditur & primò;qua ratione peccatum & error appellari queat,utiq. neſcio,& penitus ignoro.

2. Amplius; Sit hìc Plato,à quo ſit deciſum ſemen, ex quo intendat generare hominem,& generet canem. Modò clarum eſt ꝙ canis ex humano ſemine,niſi uitiato & corrupto,haudquaq̃ generari poteſt. Et hoc quidem ſemen,ut erat ad hominem generandum ineptum,ita ad canis generationẽ

aptum

aptum fuit. Mox dicet fautor Sueſsani, q̃ huiuſmodi canis ut habet ad Platonem relatum, dicitur & eſt à caſu. Vt uerò ſemen ipſum reſpicit uitiatum & corruptum, eſt per ſe intentus. Cæterùm percunctor ego; nunquid canis ille ad ſemen uitiatum relatus, monſtrum ſit, nec ne. Reſpondebit ſanè ex præmiſsis affirmatiuè. Modò uideant intelligentes errorem: Semen illud uitiatum & corruptum, cauſa eſt quædam particularis & naturaliter agens. Et cùm naturaliter niſi canem facere, ita naturaliter niſi canem intendere non poterat. Quòd ſi canem, & nil aliud intendit cauſa illa; quomodo reſpectu ipſius, monſtrum & peccatum erit ipſe canis? Huiuſmodi enim peccata dicuntur, quia ſunt præter naturam agentis, eiusq́. intentionem. Cùm itaq. ille canis, nec præter naturam, nec præter intentionem ſit uirtutis ſeminalis, neutiq̃ monſtrum eſſe poteſt reſpectu ipſius; quare falſum eſt quòd ipſa monſtrum intendat; ueluti dicebat Sueſſanus.

Opinio Zimaræ

Adeſt etiam eruditiſsimus Zimara, qui in tabula, uerbo; nihil; uult monſtra eſſe à natura, ſed non ſecundùm naturam facta; à caſu autem nõ niſi impropriè. Primum oſtendit ex dictis Themiſtij & Simplicij, à nobis præcitatis; nimirum .2. phy. auſcultationis, ad quintum contextum. Addit quòd natura nutrit & auget ipſa monſtra. Secundum uerò probat, quia propriè caſualia habent cauſam extrinſecam; monſtra autem intrinſecam; ex Ariſt. .2. phy. 64.

Impugn.

Veruntamen adhuc hæſitat intellectus; ex eo q̃ ob id quæſito nõ uidetur ſatisfacere. Vertitur enim in dubium, monſtra ne ſint à caſu, uel potius intendantur à natura. Reſpondet Zimara, q̃ ſunt à natura, ſed non ſecũdùm naturam. Nosq́. ulterius procedendo inquirimus, nunquid ſint per ſe à natura intenta, aut non. Si detur primum; ſunt igitur à natura, & ſecundum naturam; cuius tamen oppoſitum ipſe docet. Si uerò admittatur ſecundum; quòd ſint præter naturæ intentionem, neceſſariò relinquitur; & ex conſequenti à caſu; à caſu; inquam; propriè, & non impropriè. Id enim quod eſt præter naturam, peccatum eſt & error; & ita caſuale propriè acceptum.

Adp. Rationem Zimaræ.

Nec iuuant dicta Themiſtij & Simplicij; quoniam nil aliud intendunt, niſi quòd ſunt à natura, tanq̃ à cauſa ſine qua non; ab ea autem minimè intenduntur, ſed ſunt à caſu; quia non ſunt ſecundùm naturam. Sicut etiam error pictoris; eſt quidem à pictore ueluti à cauſa ſine qua non; Niſi enim pinxiſſet, non erraſſet pingendo; eſt nihiloſecius ab eo neutiquam intentus, ſed eſt à fortuna. Et quòd hæc fuerit mens Themiſtij, ex eius uerbis facilè conuincitur; quando in .2. phy. ad contextum .64. in hunc modum effatur: Cùm aliquid præter naturam fit; ut monſtrum; id non fortuna, ſed caſu dicimus prouenire; ut manus ſexdigita, & Struthocephalus. Ni fortè fateri nolis huiuſmodi portenta naturæ fieri caſu, ſed propriam & certam cauſã habere; eam uidelicet quæ intrinſecus fuerit anteq̃ ederentur in lucem, aut ſyderationem, aut materiæ exuberantiam & copiam, aut, contrà, defectum. Sed qui ita dicũt, nónne uident idem poſſe dici de lapide, quem caſu cecidiſſe non negarent, habuiſſe illum utiq. intra ſe cauſam grauitatem & pondus? Sed certè pondus cauſa efficiens eſt deuolutionis & caſus, non etiam

percuſſionis,ſed caſus percuſſionem fecit. Hactenus Themiſtius. Cui optimè aſſentitur Simplicius in.2.Coeli,ad contextum.56.,quo loci ita notatũ reliquit: Monſtra & ſi relata ad aliquam proximiorem cauſam,caſu & præter intentionem fiant; nequaq̃ tamen caſu, aut præter intentionem fieri dicuntur,ſi ad primam,ſupremamq́. cauſam referantur. Ita Simplicius. Licèt tamen in.2.phy.libro,ſuper tex.64., non ſatis ſibi conſtare uideatur. Auerroes quoq. in.8.eiuſdem voluminis libro,commentario.46., inquit: Et ideo nulla ſpecies inuenitur caſu. Sed illa quæ inueniuntur caſu,ſunt monſtruoſa, non naturalia. Et totum hoc manifeſtum eſt per ſe. Hæc ibi.

Quando; inſuper; dicit, ꝙ natura nutrit & auget monſtra; Illud profectò non admittimus. Tunc enim defectus & errores nutriret, & augeret; cõtra id traditum ab Ariſtotele,primo de genera. animalium, cap.4. Nempè ꝙ natura rem quamcunq. facit,aut quia neceſſaria eſt, aut quia melius ita eſt. Monſtra autem reſpectu uniuerſi,nec neceſſaria ſunt,nec meliora. Quare à natura non ſunt, niſi per accidens; & quà talia, non poſſunt ab ea nutriri. Non negamus tamen quin ab ea nutriantur & augeantur,ea ratione, quà animalia & ſpecies quædam ſunt.

Demum cùm dicit ꝙ uerè & propriè caſualia non habent cauſam, niſi extrinſecam; non admittitur oratio; minuſq́. eius probatio recipitur. Propterea quòd intentio non fuit Ariſtotelis,eo in loco declarare quòd monſtra propriè non ſint à caſu,quia cauſam habent intrinſecam; veluti perperam Simplicius,& alij cum eo annotarunt. At eius intentio erat, cùm iam in ſuperioribus,diſcrimen,conuenientiamq́. inter caſum & fortunam, atq. eorum effectus generatim tradidiſſet; deſcendere tum ad exarandam differẽtiam effectuum fortuitorum & caſualiũ,quatenus ab homine procedunt. Homo enim quà homo, agens eſt à propoſito. Quatenus uerò eſt animal, eatenus dicitur & eſt agens naturale. Quia igitur ſuperius dixerat, fortunam eſſe in agentibus à propoſito & per intellectũ; credere potuiſſet quiſpiam,monſtra quæ ſunt ab homine eſſe fortuita, minimè autem caſualia. Propterea ut hanc tollat dubitationem,ita ſubdit: Maximè autem eſt ſeparatum quod à fortuna eſt in ijs,quæ natura fiunt. Nam,cum fit aliquid præter naturam,tum nõ à fortuna,ſed magis à caſu factum eſſe dicimus. Eſt autem & hoc alterum; huius enim extra eſt cauſa,illius uerò intra. Hactenus Ariſtoteles. Cuius uerborum ſeriem ponderando, facilè erit conuincere intentum. Nam ſi ibi diſcrimen aſsignaret eorum quæ à fortuna ſunt & à caſu ſimpliciter & abſolutè; quemadmodum dicit Zimara; utiq. non ita dixiſſet: Maximè autem eſt ſeparatum quod à fortuna eſt,in ijs quæ natura fiũt. Sed profectò dixiſſet: Maximè autem eſt ſeparatum quod à fortuna eſt, ab ijs quę natura fiunt. Atqui dicendo (in ijs,) ſenſus eſt,in ijs quæ à propoſito & naturaliter agunt,quæ ſunt à fortuna,maximè ſeparata ſunt ab ijs quę natura fiunt. Homo autem, ratione diuerſorum eſt agens à propoſito, & naturale. Maximè igitur in eo differunt quæ à propoſito, & quæ naturaliter fiunt. Priorem probat orationem ex eo, ꝙ homo cũ aliquid facit pręter naturam; vtpotè monſtrum; illud monſtrum & ſi fit ab homine, ob id nõ eſt dicendum à fortuna,ſed magis à caſu. Quia idem homo quà agens eſt na-

turale,eſt alterum à ſeipſo,quatenus eſt agens à propoſito & per intellectū, hac ratione;quoniam vt eſt agens per intellectum,effectum producit ſortuitum,cuius eſt cauſa extrinſecā; ut ex ſe facilè conſtat. Vt autem agens eſt naturale, effectum producit caſualem & monſtruoſum; cuius quidem eſt cauſa intrinſeca reſpectu ſeminis, & per conſequens naturalis. Vnde animaduertendū eſt,ꝙ huic expoſitioni ſatis fauet illud uerbum (alterum.) Ex quo enim differentiam adducit inter hominem ut eſt agens à propoſito,interq. eundē prout eſt agens naturale,dicit ꝙ eā ratione qua eſt agens naturale,eſt alterū à ſeipſo,inquantū eſt agens per intellectum; ut innuat ꝙ à ſeipſo nō differt,niſi ratione & differētia quadam accidentali. Plato nanq. ſi monſtrum generet,atq. theſaurum inueniat,& vtrunq. præter eius intētionem,rationem habet fortunæ & caſus; à ſeipſo tamē non eſt alius, ſed alter. Differt enim alteratione quadā,& accidentariè à ſeipſo; ut conſtat,Si igitur Ariſtoteles in præexpoſito cōtextu, diſcrimē inter fortuita & caſualia,ſimpliciter & abſolutè adducere uoluiſſet, ſanè dixiſſet: (Eſt aūt & hoc aliud;) & non, (alterū.) Iuxta ea quæ ſuperius tradiderat,contextu.59.; ꝙ ſcilicet inanimata,neq. beſtiæ,neq. pueruli,quicquā faciunt à fortuna,quoniā non habent electionē. Ex quo ſequitur ꝙ agens naturale & ſine electione, non alterū ſit,ſed aliud ab agente à propoſito & ꝑ electionē.Cōſimilem loquēdi modū habet Ariſtoteles in.p.de poſteriori reſolutione,cap.13.;vbi de demonſtratione quia & propterquid uerba faciens, in hunc modum effatur: Alio autem modo differt ipſum propter quid ab ipſo ꝙ,eoꝙ per aliam ſciētiā vtrunq. ſpeculatur. Talia aūt ſunt,quæcunq. ſic ſe habent inuicē,ut ſit alterum ſub altero:ut Perſpectiua ad Geometriā,& Mechanica ad Stereometriam,& Harmonica ad Arithmeticā,& Apparentia ad Aſtrologicam.Hęc ibi. Ex quibus habetur ꝙ decretum eſt Ariſtotelis, ſcientiam ſubalternatā non eſſe propriè aliam,ſed alterā,à ſcientia ſubalternante;quia ab ea nō differt,niſi differentia quadam accidētali; quemadmodū aliàs fuſius declarauimus. Rurſus,ad eandē confirmandam expoſitionem atq. corroborandā, hac ducor ratione; ꝙ ſcilicet Ariſtoteles idem bis ac nugatoriè repeteret,ſi in eo contextu.64.differentiā adduceret atq.diſcrimen,inter fortuita ſimpliciter & caſualia.In contextu ſiquidem.61., poſteaq̄ in.57., 58., 59., & 60., differentiam inter fortunam & caſum adduxerat, mox differentiam ſubdit & infert inter effectus fortuitos ſimpliciter, & caſuales, dicens: Quare manifeſtum eſt, quòd in ijs quę ſimpliciter propter aliquid fiunt, cū non eius quod euenit gratia fiunt,cuius extra eſt cauſa, tunc à caſu dicimus. `A fortuna autem,horū quæcunq. à caſu fiunt,eligibilium, in habentibus electionem. Ita Ariſtoteles.Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Ex differentia inter caſum & fortunam aſſignata,illud ſtatim conſequitur; quòd ſimpliciter caſualia illa ſunt, quæ præter intentionem, ob aliquem finem agentis, eueniunt. `A fortuna uerò, ſeu fortuita ſimpliciter illa dicuntur & ſunt,quæ in hac parte cum ijs quæ à caſu fiunt ſimbolum habent & conuenientiam, quòd vtraq. cauſam habent extra, & præter intentionem agentis; differunt autem fortuita ab his quæ caſu fiunt, quòd de numero ſunt eligibilium, & ab agentibus per electionem eueniunt. Vnde per cauſam extra non intel-

F lexit

lexit Ariſtoteles cauſam efficientem; quemadmodũ uoluit Zimara; at cauſam finalẽ. Quia finis effectus caſualis & fortuiti, alius eſt à fine ab agẽte intento. Et ꝙ ita ſit, ex eo liquidò conſtat, quòd Ariſtoteles probando à ſigno in contextu.62., quòd illa cauſa ſit extra, probat ſemper de cauſa finali; ut ſcilicet illud fruſtra ſit & à caſu, quod propriũ non conſequitur finem & intentũ. Vnde ſi quis ambularet; inquit Ariſtoteles; purgationis gratia, & purgatio non facta fuit ambulãti, fruſtra dicimus ambulaſſe, & quòd ambulatio fruſtra fuit. Tanq̃ hoc ſit fruſtra, quod natum eſt alterius gratia, cũ non perficiat illud, cuius gratia erat, natumq́; erat. Quoniam ſi aliquis ſe lotum dicat fruſtra, qa non defecit Sol, ridiculus utiq. erit; non enim erat hoc, illius gratia. His dictis, ſtatim in contextu.63. ita concludendo inquit: Sic igitur caſus iuxta nomen eſt, cùm ipſum fruſtra ſit. Decidit enim non ꝑcutiendi gratia lapis. A caſu igitur decidit lapis; quoniam cecidiſſe potuit utiq. à quodam, & percutiendi gratia. Hæc ille. Ex quibus conſtat illud à caſu eſſe, qđ præter finẽ ab agente intentum euenire uidemus. Quod cùm ita ſit, iam ſatis patet quòd per cauſam extra, nõ intellexit philoſophus cauſam efficientem, ſed finalem; & illã quę eſt extra intentionem agentis. Id quod ẽt ratione patet; propterea quòd nondũ decreuerat Ariſtoteles in quonam genere cauſæ reperirentur fortuna & caſus; atqui id præſtat in contextu.66.; quo in loco dicit quòd in genere ſunt cauſæ efficientis. Non igitur in contextu .61. dicere poterat caſualia habere cauſam extra, quia non habent niſi cauſam efficientem. Et cũ cauſæ extra nõ ſint niſi duę, efficiens nempè & finalis; ſi de illa non loqtur, quòd de hac ſermonem habeat, pſpicuum relinqtur & clarũ. Expoſitis igitur differentijs inter caſualia & fortuita ſimpliciter; reliquum erat, ut ad omnem eneruandam difficultatem, adq. pinguiorem mineruam, differentiam quoq. traderet caſualiũ & fortuitorũ effectuũ, quatenus ab hoĩe procedũt. Eapropter in cõtextu.64. ſubdit: Maximè aũt. &c. Caſualia igitur propriè accepta cũ illa ſint quę extra intentionem agentis eueniunt, & mõſtra de eorũ numero ſint, ſeqtur quòd habeãt causã extra, & ꝑ cõſequẽs quòd ſint propriè à caſu; qđ eſt oppoſitum eius quod dicebat Zimara cũ Simplicio, & in tabula, & in cõtradictionibus. Licèt n. caſualia oĩa habeãt causã extra intẽtionẽ agẽtis; quędã nihilominus ſunt, quę causã hẽnt intrinſecã, ratione materię; & hæc ſunt mõſtra. Vnde rectè negatum fuit, caſualia propriè accepta, nõ habere niſi causã extrĩſecã; ea tamẽ ſumẽdo materialiter. Quia ſi formaliter accipiãtur, & ꝑut mõſtra ſunt & caſualia, nullã hẽnt causã, niſi extrinſecã; intrinſecã uerò, quatenus ſpecies ſunt quædã & naturæ. Propterea oĩa caſualia hẽnt cauſam extrinſecã ſecundùm intentionẽ; ſed quædam hẽnt cauſam intrinſecam ſecundùm eſſe. Cum hoc igitur ꝙ mõſtra ſunt à natura per accidẽs, & ueluti à cauſa ſine qua non, optimè ſtat quòd ẽt propriè ſint à caſu. Natura ſiquidem ĩ generatione eſt ſicuti pictor, prout author eſt Ariſtoteles, .2. de genera. anima., cap.4.; at ſi pictor erret pingendo, ab ipſo pictore prouenit error ille; nõ tamen niſi per accidẽs, & tanq̃ à cauſa ſine qua non; propriè tamen eſt à caſu, ſiue à fortuna. Ita pari paſſu, natura ſi erret generando, error eſt ab ea per accidẽs, propriè uerò à caſu. Vnde nec Zimaræ opinio (mea qđẽ cẽſura) à nobis uenit amplectẽda.

Cęterùm rectiùs ſi dicamus, à caſu monſtra fieri propriè, atq. ſimpliciter. *Opinio propria.* .1. Id quod Ariſtotelis uerborum ſerie conſiderata, facilè probabitur. Siquidē particula .48., .2. auſcultatorij libri, docet fortuita & caſualia in ijs reperiri, deq. numero eorū eſſe, quę rarēter fiūt. Particula uerò .49., oſtēdit quòd ad ea ſubſequuntur, quæ propter aliquid fiunt, tali ratione: Eorum quæ fiūt, quædam ſunt propter finem, quædam uerò non. Et quæ fiunt propter finem, ſunt in duplici diſcrimine; quædam enim ſecundùm electionem, quædam ſecundùm naturam. Caſus autem & fortuna ſunt in ijs quæ fiunt propter finem. Quare in ijs quæ propter aliquid fiunt, ſunt aliqua coniuncta, quæ rarenter fiunt. Vt cum terræ cultu, qui propter aliquid fit, inuentio perrarò coniungitur theſauri. Sunt autem alicuius gratia, & quæ à mente aguntur, & quæ à natura fiunt. Fortuna ergo & caſus in ijs reperiuntur, quæ fiunt à natura, & aguntur à mente. Iſte eſt Ariſtotelis diſcurſus. Cui ego taliter ſubſumo: Atqui monſtra, in ijs quæ à natura fiunt ſunt rarenter. Propriè ergo ſunt à caſu. Secus doctrina, uel non eſſet uniuerſalis, aut propriè & formaliter non loqueretur Ariſtoteles.

Amplius: in contextu .60. in hunc modum effatur: Sed caſus & alijs animalibus, & inanimatorum multis. .2. Quibus uerbis, hominem etiam innuit ſubiectum eſſe caſui; ueluti ex illo uerbo (alijs) ſatis conſtat. Quippe in præcedentibus oſtenderat fortunam, non niſi in agentibus à propoſito reperiri. Cæterà ſubdit: (Sed caſus & alijs animalibus &c.) Vnde illo uerbo (alijs) hominem etiam ſub caſu colligere uidetur. Qui tamen homo, non niſi in actionibus ſibi naturalibus, caſui ſubditus eſſe poteſt. Et monſtra in eorum numero aſcribuntur; Sunt ergo à caſu propriè & ſimpliciter.

Præterea: Fortuna & caſus ſunt cauſæ ex accidenti, eorum quæ uel mente, .3. uel natura fiunt. Natura uerò & mens cauſæ ſunt efficientes. Caſus igitur cùm ſit comes naturę, & fortuna comes conſilij, & mentis: dicuntur ambo cauſę effectrices. At illę duæ, (quicquid dicant Simplicius & Auerroes) nimirum natura & mens, effectuum cauſę ſūt certorum & definitorum. Fortuna uerò & caſus, incertorum & multorū. Proceſſus eſt Ariſtotelis in proximè commemorato loco, particula .65. Ex quo ego ſubſumo: Atqui monſtra fiunt à comite naturę, (ſecus non eſſent peccata in natura) & ſunt effectus incerti & multi. Ergo ſunt à cauſa efficiente per accidens. Quare à caſu erunt propriè atq. ſimpliciter.

Adhuc; Caſus ē natura poſterior. Doctrina eſt Ariſ. locô p̄citato, cōte .67. .4. Monſtrū aūt à cauſa fit natura poſteriore. Eſt igiť à caſu ſimpliciter & p̄priè.

Demū: Niſi mōſtra eſſent à caſu, propriā aliquā certā, & p̄ ſe cauſam ha- .5. berēt. Quę aūt ita ſe habēt, peccata non ſunt neq. defectus. Contradictionē igitur & impoſsibilitatem includit, monſtra errata eſſe in natura, & certam habere cauſam. Quòd ſi cauſam nō habēt certā, pariterq. determinatā; quòd propriè ſint à caſu, relinqťur probatū. Sed nō dicitur aliq̄s effectus caſualis, q̄a nō ponatur poſita eius adæquata cauſa; quę ex multis ſępe cauſis, ſiue ſimul, ſiue quadā ſerie poſitis, p̄ficiſcitur. Sed uel quoniā eius adęquata cauſa per accidens ponitur; cū eius poſitio neq. à natura, nequidē ab aliquo alio per ſe agente intendatur; aut quia talis effectus, quemadmodum ab hac fit

& ab illis cauſis, ab alia etiam, uel ab alijs fieri poterat. Et hoc eſt quod uolebat Ariſtoteles in .2. phyſici auditus, cõtextu .50.; ubi dicit, ꝙ cauſæ per accidens ſunt infinitæ; hoc eſt indeterminatæ & multæ. Monſtra igitur ſi à caſu fiunt, nullam per conſequẽs certam atq. determinatam cauſam habẽt; veluti Pomponatius noſter; vir cæteroquin doctiſsimus; perperam opinabatur. Supereſt igitur vt ad eius, aliorumq. rationes conemur facere ſatis.

Rationes diluuntur, quæ in cap. 19. aduerſus Fortunæ definitionem adductæ fuere. Cap. 21.

Adp. Pomponatij. QVando itaq. dicit Pomponatius, ꝙ de monſtris habetur ſcientia; nõ recipitur oratio. Cùm eam fulcire conatur ex hoc quia Ariſtoteles & Albertus dant ipſorum cauſas. Laconicè dicimus, ꝙ cauſas dant generales & remotas, non autem particulares, proximas, atq. immediatas. Et ſi etiam huiuſmodi aſsignarent, non ob id neceſſariæ eſſent, firmæ, ac immobiles; cùm non ueniant certis ſtatutis temporibus, & infallibili curſu; quæ tamen omnia, ad habendam alicuius rei ſcientiam, requiruntur; veluti de Lunæ Eclipſi ſuperq. ſatis conſtat. Illud tamen eſt ſemper prę oculis habendum, ꝙ cauſæ illæ, quas Ariſt. & Alber. uocant cauſas monſtrorum, nõ ita dicuntur, quia intendant monſtra; cùm monſtrum ut ſic, à nulla natura, nec vniuerſali nec particulari queat intendi; ſed quia ad earum poſitionem aliud intendentium, ſequuntur monſtra, & priuationes in natura. Ex quo Albertus appellat monſtra occaſionata. Dant igitur cauſas accidentarias, & ſine quibus monſtra non eſſent; Ad ea tamen non ſunt ordinatæ. Vnde & ſi effectus caſualis & fortuiti cauſæ accipiantur omnes & ponantur, ſequitur neceſſariò effectus; ob id tamen non eſt inferendum, ꝙ illæ cauſæ per ſe ſint atq. determinatæ. Quoniam cùm non ſint à natura intentæ, accidentariæ ſemper erunt; quoniam priuationes nullam habent cauſam per ſe à natura intentã, atq. determinatam. Quare dato etiam ꝙ cauſæ inuẽtionis theſauri; duæ tantùm eſſent quas adducit Pomponatius, non tamen earum cõnexio eſt neceſſaria, at accidentaria tantùm, nec à natura ullo pacto intẽta. Propterea ꝙ fodiens terram, vel theſauri inuentionem intendit, aut non. Si primum, iam illa inuentio non eſt fortuita. Si ſecundum; ecce ꝙ eſt præter eius intentionem, & accidentalis. Non ergo determinata; quia ſẽper fodiens terram intẽderet inuenire theſaurũ, & ille qui theſaurum recõdit, ſemper intenderet ut tali pacto reperiretur; cuius tamen oppoſitum optimè nouimus. At re uera cauſæ propter quas poteſt inueniri theſaurus, plures ſunt atq. indeterminatæ. Quapropter in .2. auſcultatorio libro, cõtextu .51. dicebat lucidiſsimus Themiſtius; Eſt autem indefinitum nihilominus fortuna, immo latius etiam aliquantò, ꝗ cætera. Nam theſaurum reperire, multis & infinitis ex cauſis poſſumus, gratia factis & inſtitutis alterius; uidelicet ſerẽdi gratia, pauimẽti ſternẽdi, deducẽdi aquęductus ad puteũ, cõſtituendę, cõdendæq. ſepulturæ, templi ędificandi, atq. ſimilium infinitorum.

Inſtãtia. Hactenus Themiſtius. At ſi obſtinatè acclamaueris, ꝙ ob id nõ ſeq̃t, q̃n eſſoſſio terræ ad inuẽtionem theſauri ſit neceſſaria. Et cũ ſine tali eſſoſſione, illũ

minimè

minimè reperire ualeamus; ſequitur quòd ſit neceſſaria, ex conſequenti cauſa determinata; poſito nihilominus quòd ibi fuerit recōditus theſaurus.

Ad hoc ego reſpondebo, quòd huiuſmodi ſunt cauſæ generales & remotæ, alium ſemper effectum per ſe reſpicientes, præter inuētionem theſauri; hanc autem non niſi per accidens. Vnde ad hoc ut effoſſio terræ cauſa eſset determinata illius theſauri inuētionis, oporteret ꝙ vnico modo, & non ob alium finem, & certo tempore effoderetur, & quotieſcunq; tali pacto effoderetur, inueniretur theſaurus. Hoc autem eſt impoſsibile. Cauſa enim illa dicitur & eſt determinata, quæ primò & per ſe, nullum alium reſpicit effectum, præter eum cuius eſt cauſa. Terræ autem effoſſio non ita ſe habet; ut perpulchrè notauit Themiſtius. Si tamen conſiderentur monſtra, non ut monſtra ſunt, at quatenus ſpecies quædam & naturæ ſunt; eatenus dicimus quòd cauſam habēt determinatam; quare de eis, propria habetur ſcientia; & hoc fortè ſemper attendebat Pomponatius; quod tamen non uertitur in controuerſiam; ſed de monſtris, ea ratione qua monſtra ſunt, & naturæ peccata, loquimur ſemper. *Solutio.*

Secundæ eiuſdem Pomponatij rationi occurrit Ariſtoteles in. 2. auſcultatorio libro, contextu. 51., his verbis: Si autem proponens, & huius gratia, aut ſemper ueniens, aut frequenter reportans, non à fortuna. Lucidiſſimus quoq; Themiſtius ibidē, cōtextu. 65. ait: Planè neq; inuentio theſauri, neq; iactio fundamentorum, & foſſio, ſimpliciter pertinet ad fortunā; poſſet enim quis fodere ex induſtria, ſpe inueniendi theſaurum. Sed cùm non ad eum finem iacta ſunt fundamenta, atq; iacienti obuius factus eſt theſaurus, & quodammodo manum fodientis offendit, huiuſmodi occurſus, ſuperuētusue, fortuitus propriè nuncupatur. Hæc ille. Si quis igitur fodiens terrā, intentionem habeat inueniendi theſaurum, ſi reperiat, fortuita neutiquā inuentio illa nuncupari poteſt. Quare nec eiuſdem theſauri inuentio erit fortuita, ſi ab eo reperiatur, qui artem callet inueniendi theſauros latentes. Non igitur omnis inuentio theſauri eſt fortuita; Sed ea tantùm quæ eſt præter intentionem agentis. Et miror profectò philoſophi tanti nominis, quòd hæc non nouerit. *Ad 2.*

Id uerò quod tertio loco dicit minus negamus; dummodo de monſtris loquamur, non ut monſtra, at ut ſpecies & naturæ quædam ſunt. Aſtrologi nanq;, ea non niſi ſub tali ratione, quę aliquid dicit poſitiuum, prædicere poſſunt. *Ad 3.*

Quo circa Ptolemæus. 3. apoteleſmatum, & libro centum enunciatorum ait: formæ in generatione afficiuntur à coeleſtibus formis; & ideo qui imagines faciebant, ſeruabāt introitus earum in ſigna. Ex quo vult habere, ꝙ monſtra ſunt ab agente, reducente materiam ad exceſſum, vel defectum; Et talis formatur, qualis eſt uirtus actiua, apta ipſam formare. Modò patet, quòd monſtra, ut ſic, non proficiſcuntur à uirtute actiua, ſed defectiua. Aſtrologi igitur ea non prædicunt ut monſtra ſunt, ſed ut ſpecies, & naturę quædam. Si enim formæ afficiuntur à coeleſtibus formis in generatione, perſpicuum eſt & clarum, quòd illæ coeleſtes formæ, nil aliud intendunt q̃ illud quod intendunt uirtutes formatiuę inferiores; cùm iſtæ ab illis moueantur *Ptolem.*

tur. Virtus autem formatiua (ut potè) in ſemine Platonis, intendit canē; Ergo & virtus coeleſtis. Quod autem eſt intentum, non poteſt eſse monſtrum; quinimmo eſt implicatio contradictionis. Canis igitur erit quidem monſtrum reſpectu Platonis generantis, illumq. minimè intendētis; reſpectu autem virtutis formatiuæ & corporis coeleſtis, erit quid poſitiuum, & natura quædam. Non igitur monſtra quà monſtra, cauſam habent in Syderibus. Et hoc non aduertentes multi, decipiuntur.

Ad 4. Per hæc patet ſolutio ad quartam Pomponatij rationē; loquuntur enim D. Auguſtinus & Ariſtoteles de monſtris, ut quid dicunt poſitiuum.

Tom. 5. Idcirco dicebat Beatus Pater. 16. de Ciuitate Dei, cap. 8.: Sed omnia genera hominum quæ dicuntur eſse, eſse credere non eſt neceſse. Verùm quisquis vſpiam naſcitur homo, ideſt animal rationale mortale, quamlibet noſtris inuſitatam ſenſibus gerat corporis formam, ſeu colorem, ſiue motū, ſiue ſonum, ſiue quamlibet uim, qualibet parte, qualibet qualitate naturę, ex illo protoplaſto uno originem ducere, nullus fidelium dubitauerit. Hæc ille. Qui & in. 21. eiusdem uoluminis libro, cap. 8., ita dicebat: Oīa quippe portenta contra naturam dicimus eſse, ſed non ſunt. Quomodo eſt enim contra naturam, quod Dei fit voluntate, cùm uoluntas tanti utiq. conditoris conditæ rei cuiuſq. natura ſit? Portentum igitur fit non contra naturā, ſed contrà q̄ eſt nota natura. Ita D. ille Pater. Quòd ſi portenta & monſtra à Deo intenduntur, cur etiam non intendentur à Coelo, & à uirtute formatiua inferiori, quæ ſunt eius inſtrumenta? Et ſi intenduntur, quomodo erūt monſtra? Intenduntur igitur ut naturæ & ſpecies quædā ſunt. Vnde Ariſtoteles ſub ea ratione, meritò, iureq. optimo, diuerſis nominibus illa nuncupare ſolebat. At in. 2. phyſici auditus, ubi de eis quatenus caſualia & mōſtra ſunt, uerba faciebat, in contextu. 82., peccata appellauit dicens: Et mō-

Tom. pri. ſtra peccata ſunt illius, quod propter aliquid agit. Cui peroptimè lib. 3. de libero arbitrio, cap. 13. Beatus Auguſtinus aſsentitur his uerbis: Omne uitium, eo ipſo quo uitium eſt, contra naturam eſt. Monſtra autem quà monſtra, nulli dubium quin vitia ſint & peccata; ueluti ad initium cap. præcedētis, monſtrum definiendo oſtendimus.

Ad 5. Cùm uerò quinto loco arguit: Ab eadem cauſa conſimilia monſtra fiūt. Cauſam igitur per ſe habent atq. determinatam. Id quod conſequitur non admittitur. Propterea quòd, monſtrum cùm peccatum ſit & priuatio, cauſam habere non poteſt, niſi priuatiuam. Natura autem, priuationem illam in cauſa approbare minimè poteſt. Quandoquidem natura, id quod eſt melius ſemper intendit. Priuatio uerò è regione, ad malum ſine ulla intermiſſione machinatur. Cum hoc igitur, quòd ab eadem cauſa cōſimilia mōſtra fiunt, optimè ſtat, quòd cauſa illa per accidens ſit, & non determinata. Ex quo etiam, id quod in confirmatione uolebat, facilè eſt reijcere. Nam dato quòd ab eadem cauſa proxima & immediata, claudicatio proueniat in Socrate atq. Calia; ob id non ſequitur cauſam illam eſse per ſe à natura intentam, cùm priuatiua ſit, & nullatenus poſitiua. Etenim priuationis cauſa, per ſe poſitiua eſſe non poteſt, at priuatiua tantùm & defectus. Propterea quia, ſi priuationis, poſitiua aliqua poſſet eſſe cauſa; ꝙ contrarium per-

ſe cauſa

ſe cauſa ſui contrarij eſſe poſſet,cõſequeretur vtiq;. Quod ad omnium candidè philoſophãtiũ dogmata,inter abſurda omnia,abſurdiſſimum eſſe derelinquitur. Sicut igitur defectus non poteſt eſſe effectus cauſæ priuatiuæ; ita contrà,priuatio cauſa eſse non poteſt,niſi defectus; ſeu (ita dixerim) effectus priuatiui. Cùm itaq. priuatio & imperfectio illa, quæ in monſtro & in Socrate claudo reperitur, ſit non ens, ab aliquo ente non poteſt poni in eſſe,nec per ſe cauſam habere. Habebit tamen cauſam cum defectu; qui quidem defectus,cùm illi inſit cauſæ per accidens;ꝙ monſtruoſitas in animali,& claudicatio in Socrate ſint à cauſa per accidens, mihi perquamclariſsimè conſtat. Veruntamen quoniam priuatio nulla, ſe ſe conſiſtere poteſt; Sed cuipiam ſemper,quod poſitiuum eſt innititur; illam propterea ſæpe actuum poſitiuorum nomine appellamus; eorum inquam, quibus ipſa innititur priuatio.

Ad.6. Sexto loco arguebat Pomponatius; in omnibus in quibus eſt caſus, poſuit natura potentiam deficiendi. Ergo & impedimentum; ſecus illa potẽtia eſſet fruſtra. Contra Auerro. &c. Huius autem ratiocinij antecedens oratio venit rectè libranda. Siquidem,data eſt omnis potentia à natura, tã actiua,q̃ paſſiua,non ut deficiat,at ut perficiat. Quoniam exiſtentia,rei poſitiuæ & habitus,proprietas quædam eſt,quæ priuationi minimè conuenire poteſt. Natura igitur nunq̃ intendit defectum,neq. priuationem, niſi ſecundùm quid; quatenus ſcilicet una forma non poteſt introduci in materia,niſi alia reijciatur; & res contingens,ab una actione impediri poteſt,ut alia introducatur,& inde inopinus reſultet effectus. Vnde ex modo deficiẽdi illius contingentis,cauſa alia per ſe, & poſitiua ſtatim inſurgit. Oratio igitur illa antecedens ſi abſolutè intelligatur & ſimpliciter, tanq̃ falſiſsima, & à ueritate prorſus abhorrens,eſt unà cum eius probatione reijcienda; cũ illam potentiam ſimpliciter deficere ſupponat. Si uerò ſecundùm quid accipiatur,libenter cedo. Cùm infert arguens: Ergo natura dat etiam impedimentum. In prædeclarato ſenſu utiq. admitto. Atqui mox ſubdit: Ergo natura intendit caſum & monſtrum. Negatur illatio; ſi de monſtro loquamur ut monſtrum eſt. Si uerò de eo, quà ſpecies quædam eſt in natura ſermonem habeamus,gratis tota recipitur oratio. Et quòd huiuſmodi doctrina conformis ſit doctrinæ Auerrois,ipſum legamus in.6. ſapientiæ, comm. .7. & erunt omnia plana. Inquit enim: Quod autem ex iſtis cauſis prouenit ad illud quod fit caſu,non eſt cauſa alicuius motus naturalis omnino; ideſt, quòd omne quod fit caſu,non eſt cauſa alicuius ſpeciei entium. Hæc ille. Qui nil aliud dicere uoluit, niſi ꝙ generatio uniuerſalis terminatur ad aliquam entitatem, & ad aliquam ſpeciem; caſus autem eſt magis deuiatio à ſpecie,& ab ente,q̃ ſit ens. Sicut ſi fiat homo cum ſex digitis,ideo à caſu fit, quia ab hominis natura deuiatur. Vbi igitur eſt caſus, ita eſt deuiatio ab ente,quòd non eſt ens propriè; & ideo non poteſt dici generatio naturalis,ſed magis deuians à natura.

Ad.7. Illud quoq. ſeptimo loco aſſumptum; quò ad ſecundam partem falſiſsimum eſt: nimirum quòd Socrates à caſu lucretur,ſi lucrari intendat. Quod enim haud eſt præter intentionem agentis,& ſi rarenter eueniat,nullatenus

caſuale nuncupari poteſt. Id quod ex dictis iam ſatis conſtat.

Ad.8. Minusq. octaua concludit oratio, cuius quidem propoſitio media, ab hac doctrina uenit omnino reijcienda. Proptereaq; ſi frequenter ludens & perdens, nunq̃ actualiter perdere intendat, de eo tamen habitualiter cogitat; ex eo quia, quotieſcunq. effectus aliquis ſecundarius, vt plurimum ad primum ſequitur per ſe intentum, cenſendus eſt ſub eadem intentione comprehendi. Et licèt nunq̃ perdere intendat, quoniam eſt contra bonum ſuum; ipſum tamen ſub aliqua ſpe lucrandi non refugit; quemadmodum ſub ſpe capiendi piſces, aquæ frigiditatem quis minus refugit tempore hiemali. Duo hæc ratiocinia arbitrabatur Pomponatius inſolubilia; referente Iauello.2.phy.q.23.; qui tamen ad hunc modũ ea optimè ſoluit.

Ad.9. Solutis itaq. & reiectis huius uiri; alioquin doctiſsimi; rationibus, reliquum eſt ut ad alias orationem conuertamus, & quid momenti in ſe nona in ordine contineat exaremus. Cùm ergo ibi proſyllogizando ſubſumitur, monſtrum ad totius orbis perfectionem, atq. ornatum pertinere; illud ſemper conſtantiſsimè negauimus, & modò negandum eſſe repetimus. Nihil enim ornatus non ens præſeferre poteſt; ueluti eſt monſtrum, cũ mera ſit, & pura priuatio. Etſi homines quidam ſint in uniuerſo, qui in natura perſeuerent & in ſpecie, tametſi monſtra uidentur, non ob id tamen monſtra ſunt; prout in ſuperioribus declarauimus.

Ad.10. Ad decimam rationem, oratio maior & prima uenit diſtinguenda; ut ſcilicet dicamus, duplicem reperiri effectum accidentalem; ſimpliciter nempè, & ſecundum quid. Oratio uera eſt de ſecundo; de primo uerò, nequaq̃. Sed tunc effectus ille qui reſpectu ſecundæ cauſæ eſt accidentalis, ſi ad primam referatur, non amplius eſt accidentalis, at per ſe intentus. Vnde mõſtrũ ſi ſit p ſe à prima cauſa intẽtũ, nõ ut mõſtrũ id ei cõuenit, ſed prout ſpecies quædã eſt & natura. Si uerò nec à prima, nec à ſecũda cauſa ſit p ſe intentũ, eſt effectus accidẽtalis ſimpliciter, & ad utrãq. causã relatus, caſualis. Illũ enim effectũ accidentalẽ ſimpliciter uoco, cuius cauſarũ cõcurſus, à nulla earum intentus eſt. Secundùm quid uerò, cuius cauſarum concurſus ab vna illarum intenditur, ab altera uerò non. Quod in exemplo iam allato de Cane à Platone genito, ſatis planum haberi poteſt.

Ad.11. Ad undecimam dicitur, q pro tunc quando reperitur theſaurus, cauſa eſt nota, nimirum effoſſio terræ. At omnes ob id cauſæ quibus poſſunt inueniri theſauri, non ſunt notæ neq. determinatæ; quemadmodum oſtendimus ſuperius.

Ad.12. Quando uerò poſtea dicitur, q fortuitus effectus non poteſt eſſe niſi à fortuna. Ergo fortuna eſt cauſa determinata. Negatur illatio. Verum quidẽ eſt, q non poteſt eſſe niſi à fortuna; at quid ſonat fortuna, niſi idem quod cauſa per accidens atq. indeterminata? Ex eo igitur q eſt à fortuna, eſt à cauſa per accidens. Et licèt generatim & uniuersè accepta fortuna, cum effectu fortuito cõnexionem neceſſariam habere uideatur; ſi tamen hunc effectum fortuitum (.V.G. inuentionem theſauri) cum omnibus cauſis quibus inueniri poteſt, conferre uolueris, erunt indeterminatæ. Quoniam effectus fortuitus, uarijs per ſe effectibus poteſt cõiungi, ex cõſequenti plu-

res

res habere cauſas; ueluti ex lucidiſsimo Themiſtio ſuperius docuimus. Siquidem Principi noſtro occurrere in uia, multiplici de cauſa euenire poteſt: nimirum aut quia deambulatum ieras, aut emptum, aut negotiatum, aut alijs ex cauſis. Ex quo patet, ꝙ huiuſmodi effectus nullam habet cauſam particularem, atq. determinatam. Quamobrem in .2. auſcultatorio libro, parte.53., dicebat Ariſtoteles: Indefinitas igitur cauſas neceſſe eſt eſſe, à quibus fiat quod eſt a fortuna. Vnde uidetur fortuna indefiniti eſſe, & immanifeſta homini. Hæc ille. Quæ ſi animaduertiſſet Pomponatius noſter, inuentionem theſauri non niſi duas cauſas habere minimè dixiſſet.

Multa quoq. in ſe recipit falſa tertiadecima ratio; quoniam & prima, & ſecunda pars antecedētis orationis, à ueritate abhorret. Nec illud dicit Ariſtoteles, quod in prima parte aſſumitur; quoniam Eclipſis Lunę & Solis perrarò eueniunt, nihilominus de numero eorum ſunt, quæ per ſe dicuntur, atq. determinata. Id etiam quod e diuerſo ſubadditur, eſt ab Ariſtotelis doctrina alienum; quandoquidem non omne per accidens eſt rarum. Diximus enim ſupra, ꝙ fortuna eſt cauſa per accidens ex parte effectus, nō ex parte cauſæ. Quia ſcilicet effectus aliquis poteſt coniungi per accidens, effectui per ſe, & idem agens erit cauſa primi effectus per ſe, alterius uerò ꝑ accidens, & ex eius parte dicitur fortuna. Modò perſpicuum eſt & clarum, quòd huiuſmodi effectus per accidens, uel ſemper, uel frequenter, aut rarò coniungi poteſt effectui per ſe. Quemadmodum ſi ignis comburat trabem cui domus innitatur aliqua, eſt cauſa quidem per ſe combuſtionis, per accidens uerò ruinæ. Et ſemper huic combuſtioni cōiungitur ruina. Amplius; ſi quis litem habens cum podagra uinum bibat, illa potio nocet podagræ per accidens: quia nocumentum illud coniungitur potioni per ſe intentæ. Et tamen eiuſmodi nocumentum non eſt rarenter cū illa uini potione coniunctum. Falſum eſt igitur, omne per accidens rarenter euenire. Poſtidea, effectus per accidens, cum effectu per ſe, eſt rarò aliquando coniunctus; ueluti cùm quis ad uineam plantandam ſcrobem faciens, theſaurum inueniat, rarò cum illius terræ effoſſione, eſt illa inuentio coniuncta. Et tunc ueriſſimum eſt, quòd huiuſmodi accidentalia rarenter eueniunt. At generatim accepta, uera non redditur oratio. Hæc diximus, ut translatio ſeruaretur antiqua. Verùm ſecundò reſpondentes, negamus, Ariſtotelem in definitione fortunæ illas duas particulas poſuiſſe, ſcilicet neq. ſemper, neq. ut plurimum; ſed ita ſcripſit: Manifeſtum itaq. quòd fortuna cauſa eſt ſecundū accidēs, in ijs quæ ſecūdùm electionem eorum, quæ propter aliquid ſunt, ut patet in textu gręco; & ita legit etiam Argyropilus. Idq. fecit Ariſtoteles, tum quia eſt per ſe notum fortunam eſſe in his quæ in minori ſunt, ut patet textū.48., tum quia poteſt intelligi in illa particula: cauſa per accidens. *Ad .13.*

Ad ea quæ ultimo loco præinducta fuere, dicit Aegidius in libello de bona fortuna, lectio. pri. expoſitione pri.; quòd in .2. phyſici auditus de fortuna determinatur, ut eſt quidam rerum euentus, & inopinus cauſarum concurſus. In Libello autem de bona fortuna, de ea tractatur, ut impetus quidā eſt, à Deo totam naturam mouente, in anima factus. *Ad .14. Reſ. Aegidij.*

Atqui genus & ſpecies, eandem naturam habent uniuerſalem: animal *Cognus.*

enim

AEgidii. enim & homo ſubſtantia ſunt animata ſenſitiua. Cùm igitur fortuna ſit cauſa per accidens; etiam eius ſpecies erunt cauſæ per accidens. Bona autem & mala fortuna ſunt eius ſpecies. Quare cauſæ erunt accidentariæ. Si autem bona fortuna, impetus ſit à Deo in anima factus; non cauſa, at effectus erit ſemper.

3. Amplius; ſtante AEgidij reſponſione, illud mox ſequeretur, quòd in præfato libello, non de bona fortuna, at de fortuna in ſe & abſolutè tractaret Ariſtoteles. Quod falſum eſſe, tum eiuſdem inſcriptio, tum ipſius fortunę definitio facilè declarat. Inſcribitur enim de bona fortuna, & hæc eſt quæ ibidem definitur; veluti docet etiam ipſemet AEgidius eodem in loco, lectione. 3., in primis uerbis. Conſequutio ex eo conſtat, quòd in reſponſo dicit AEgidius, fortunam in. 2. phy. conſiderari ut eſt inopinatus cauſarum cócurſus: in præfato aũt libello, prout eſt impetus quidã, à Deo in anima factus. De fortuna igitur in ge[n]e[re] ...us quoddam eſt, utrobiq. pertractatur. Quod tamen iam oſtendimus eſſe falſum. Hoc etiã addendo, quòd unius eiuſdéq. rei, duplex eſſet definitio. Quare doctrina non placet.

Reſpon. Iauelli. Iauellus quoq. in. 2. phy., q. 23., dicit quòd in phyſicis, de rebus loquitur Ariſtoteles, iuxta earum rationes & naturam; in moralibus autem, loquitur aliquando ſecundùm communem hominum æſtimationem; quę erat bonam fortunam, talem impetum eſſe; & ideo cùm libellus de bona fortuna ad moralem attineat facultatem, propterea ibi eam, effectum appellauit; quam ſi in phyſicis definiuiſſet, non effectum, ſed cauſam in eius definitione poſuiſſet.

Cótra Iauellum. .1. Verùm ſi de bona fortuna in eo libello, iuxta communẽ hominum æſtimationem loquitur Ariſtoteles, & populi ipſam bonam fortunam impetum quendam appellabant; cur ipſe laborat ad eius uenandam definitionem? Id enim quod notum eſt, & omnibus patens, ridiculum eſt demonſtrare, atq. declarare; ueluti ipſemet docebat. 2. auſcultatorio lib., parti. 6.

.2. Præterea; in primo Ethi. libro, cap. 10., probat Ariſtoteles, felicitatem ſitam eſſe in noſtra poteſtate, minimè autem in poteſtate fortunę; quia nos ſumus cauſa per ſe, fortuna uerò cauſa per accidens. In moralibus igitur loquitur propriè de fortuna, & non iuxta communem hominum æſtimationem.

Confirmatur doctrina ex Euſtratio, qui locum illum exponens, inquit: Si enim ut benè uiueremus, fortunæ aſcriberetur, nunq̃ beati, ſed ſemper miſeri eſſemus; quippe cùm bonum noſtrum ex incerta, inſtabiliq. re dependeret, neq. haberet potiorem aliquam cauſam certam ac ſtabilem, in quam referretur. Hæc ille. Quę quidem, ijs quæ de fortuna in. 2. phy. dicta fuere, optimè correſpondent.

.3. Sed multò clarius in primo Ethi. cap. 9. hoc iterum uidetur; ubi Ariſtoteles pluribus rationibus conuincit felicitatem à bona fortuna, tanq̃ à cauſa effectiua, haudquaq̃ prouenire; cuius tamen oppoſitum quidam ex antiquioribus fatebantur. Et primum eius motiuum ex eo deſumitur, quòd felicitas eſt nobiliſsimus effectus, qui à cauſa ignobiliſsima prouenire non poteſt. Fortuna eſt ignobiliſsima, cùm ſit cauſa per accidens. Ab ea igitur quantumuis bona, felicitas minimè prouenire poteſt.

Idē etiam probat Ariſtoteles ex ijs quæ fiunt à natura, uel ab arte. Quoniam quæ ab utraq. fiunt, benè ſe habent, cùm ita fiant ut ſunt apta natā fieri. Quæ autem digrediuntur ab ordine naturæ, uel artis, cùm per accidēs fiant, malè ſe habent. Atqui ſicut duæ ſunt cauſæ effectiuæ per ſe; (in propoſito) natura nimirum & mens; duæ ſunt etiam illæ per accidens; Fortuna ſcilicet & Caſus. Quæ igitur benè ſe habent, ſunt à cauſis per ſe. Quæ uerò malè, à cauſis per accidens. At felicitas eſt nobiliſsimus effectus, ex conſequenti optimè ſe habens. Ergo eſt à cauſa per ſe, & nō à caſu, neq. à fortuna. Quare; inquit Ariſtoteles; nec Bouē, nec Equum, nec aliud quicquam animantium dicimus felix; quippe cùm fieri nequeat, ut ipſorum quicquam, talis ſit particeps operationis: Hanc autem ob cauſam, neq. puer eſt felix. In ijs autem eſt caſus. Quare à caſu non eſt felicitas. Ecce modò q̄ conſona ſint hæc moralia, ijs quæ in. 2. traduntur phyſicarum auſcultationum. Et ſi bonam fortunam hìc ex accidenti cauſam appellat, cur nō etiam in Libello de bona fortuna? Vtrobiq. nanq. de moralibus uerba fiunt; Hìc igitur & ibi iuxta communem hominum exiſtimationem, de bona fortuna loqui debebat. At id non in Ethicis; igitur nec in præfato libello.

Accedit quòd in Rhetoricis de rebus ciuilibus & popularibus habetur ſermo; eſt enim Oratoris officium, de his rebus poſſe dicere, quæ res ad uſum ciuilem moribus ac legibus cōſtitutæ ſunt, cùm aſsēſsione auditorum, quò ad eius fieri poterit. In Libro autem primo Rhetoricorum, capu. 10. ita ſcriptum reliquit Ariſtoteles: Fortuna igitur fiunt, quæcunq. ita fiunt, ut cùm eorum cauſa indeterminabilis ſit, nec huius gratia, nec ſemper, nec ut plurimum, nec ordine fiunt; quæ omnia fortunæ ipſius definitione patent. Hactenus Ariſtoteles. Cuius quidem uerba, cum ijs quæ de fortuna in. 2. docuit phyſicorum libro, omnino conueniunt. Hìc igitur & ibi, de fortuna ſub eadem ratione uerba facit. Quare in præfato Libello de bona fortuna, populariter minimè loquitur. ·4·

Nos igitur ad illam. 14. rationem ſecus dicendum adiudicauimus; ut ſcilicet maior negetur propoſitio; nempè quòd Ariſtoteles bonam fortunam definiat, per hanc rationem formalem, quòd ſit impetus naturalis, à Deo in anima cauſatus. Sed inquit: Eſt igitur bona fortuna ſine ratione natura. Hæc eſt definitio formalis Ariſtotelis. Quæ ab illa prima diſtat pluſq̄ Coelum à Terra; quoniam in primo ſenſu definiretur tanq̄ effectus per cauſam extrinſecam & remotam; In ſenſu autem ſecundo, definitur tanq̄ cauſa, per eius rationem formalem & intrinſecam, qua agit & cauſat. Vnde potius dicenda eſt definitio cauſalis, q̄ eſſentialis; ut dicatur bona fortuna impetus naturalis, quia ab eo cauſari poteſt. Idq. fecit Ariſtoteles, eo quòd carebat proprio nomine; ut ipſe teſtatur dicens: Bonam autem fortunam nō habemus conuenienti & proprio nomine appellare; ſed cauſam frequenter aimus eſſe ipſam. Quòd ſi eſt cauſa, quomodo uerum eſt quòd eam definiat tanq̄ effectum? Huiuſmodi autem definitiones uſitantur in peripatetica ſchola; utpotè cùm dicitur: Eclipſis Lunæ eſt interpoſitio terræ inter Solē & Lunam. Tonitrus eſt extinctio ignis in nube: Neutra iſtarum eſt eſſentialis, at cauſalis tantum definitio; ut conſtat. Quòd ſi uelimus utranq. ſolo ſitu

Ad. 14. Solutio propria.

à demon-

à demonſtratione differre, ita dicamus oportet: Eclipſis Lunæ eſt defectus luminis in Luna, ob interpoſitionem terræ inter Solem & ipſam Lunam. Tonitrus eſt ſonus, ob extinctionem ignis in nube. Ita pari paſſu præfata definitio cauſalis bonæ fortunæ, in hunc modum declarari poteſt: Bona fortuna eſt cauſa per accidens in ijs quę rarò fiunt ſecundùm electionem eorum, quæ propter aliquid fiunt, naturali impetu agens. Ecce ꝙ huiuſmodi definitio rationem generis continet, & eſt à demonſtratione ſola poſitione differens. Et ꝙ ille impetus naturalis, cauſa ſit & fundamentum bonæ fortunæ, declarat Ariſtoteles dicens: Benè fortunatus eſt enim ſine ratione habens impetum ad bona, & hæc adipiſcens: hoc autem eſt naturę. Inanima enim eſt natura tale, quo impetu ferimur ſine ratione; ad quæ utiq. benè habebimus. Et ſi quis interroget ſic habentem, propter quid hoc placet tibi operari? Neſcio, inquit; ſic placet mihi. Hæc ille. Vnde iſte ad hunc modum reſpondens, propriè eſt bona fortuna; quia tamen proprio nomine caret, dicitur tantùm benè fortunatus, & impetus ille, bona appellatur fortuna: cùm tamen non ſit eſſentialiter nec formaliter; vt dicunt noſtri; ipſa bona fortuna. Id quod etiam teſtatur AEgidius ibidem, lectio. 3., expoſitione prima. Et hæc cum ijs quę in .2. auſcultatorio libro, parte .6. ſupra quinquageſimam, tradidit Ariſtoteles, optimè conſonant. Quo loci ait: Fortuna autem bona quidem dicitur, cùm bonum aliquid euenit; mala autem, cùm malum aliqđ. Quare non rectè Iauellus in ꝓmiſſo reſpōſo, nequidem in tractatu de bona fortuna, cap. p. Qui non aduertit, Ariſtotelem in Libello de bona fortuna, hanc in quoſdam cauſam appellare per accidens, atq. indeterminatam, dicens: Quoniam autem uidemus quoſdam ſemel benè fortunatè agentes, propter quid nunc & iterum; ſi propter idem dirigere unum & iterum. Eiuſdem enim eadem cauſa. Nō igitur erit fortunę hoc; ſed cùm idem euenerit, ab infinitis & indeterminatis erit quidem quod bonum, aut malum. Hactenus Ariſtoteles. Qui horum effectuum narrata cauſa intrinſeca & propinqua: extrinſecam rurſus, eamq. propinquam exarare uoluit: ꝙ ſcilicet concurſus eſt cauſarum extrinſecarum, talem propter eius naturalem complexionem, magis q̃ alium non ita diſpoſitum mouentium ad aliquid operandum, quo bonum præter intentum conſequitur. Optimè igitur ſe geſſit Ariſtoteles in definitione fortunæ; quam nouimus cauſam eſſe inopinati effectus, q. ex diuerſarum inter ſe cauſarum confluxu contingit. Num autem ſit aliqua cauſa ſuperior, huiuſmodi diuulſas in unum congregans, reliquum eſt ſpeculari.

Nunquid ſit aliqua ſuperior cauſa diuulſas illas in vnum congregans. Cap. 22.

QVòd cauſæ illæ inter ſe diuerſæ, ab aliqua omnino ſuperiore cauſa ordinentur, ex eo facilè conſtare poteſt, ꝙ cauſa ſimpliciter naturalis, cùm per unam agat formam, ad unum etiam determinatur. Cui conſequens eſt, ut ipſa nequeat euentus inopinati cauſas plures inter ſe diſperſas, nec ullum inuicem per ſe ordinem habentes, ad unum effectum

per ſe

per ſe redigere. Quare multiformes in unum cauſas cohibere poteſt, cauſa more naturæ minimè agens, ſed cognitionis munere fungens. Quæ multas in ſe concipiens formas, meritò & rerum multiformium eſt principium; & diſformes cauſas in unam euětus nobis inopinati formam, mirificè congregat. Quamobrem Platonici exiſtimabant fortuita contingere Dæmonum poteſtate, ut ea fierent, diuulſas cauſas congregantium. Hinc Proclus in Timæo, fortunam dicebat eſſe dæmonicam quandam poteſtatem, qua cauſæ inter ſe diuulſæ, in unum congregarentur. Ideo Plato ubi in Epiſtolis, fortuitum quendam tractat euětum, poſt fortunæ nomen, ſubitò Dæmonis nomen adiunxit. Rectius tamen Ariſtoteles, qui libro 7. Moraliū Eudemiorum, cap. 18., ita ſcriptum reliquit: Quæret forſan quiſpiam, an fortuna eius ipſius cauſa ſit, ut quid & quando oporteat concupiſcatur. An ſic omnium erit; nam & cognoſcendi, conſultandiq;. Neq. enim conſultans cōſultauit, & hoc conſultauit, ſed principium eſt quoddam; neq. cogitans cogitauit id prius cogitare, atq. in infinitum eiuſmodi fiat progreſſio. Neq. igitur conſiderandi iunctum principium, neq. conſultandi conſilium. Quid igitur aliud niſi fortuna? Quocirca à fortuna omnia proficiſcūtur; & quoddam eſt principium, extra quod nullum aliud reperiatur. Ipſa autem (quæritur) cuiuſmodi facultate inſtructa efficere eiuſmodi queat; quod perinde eſt, ac ſi principium motus in anima quid ſit, inquiratur. Patet autem ſic eſſe, quemadmodum in uniuerſo eſt Deus, & uiciſſim cuncta in illo; mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine. Rationis autem non ratio, ſed præſtantius quidpiam eſt principium. Quid autem ſcientia præſtātius eſt, niſi Deus? Virtus enim organum intellectus eſt. Hæc ille. Quibus affirmat fortunam cauſam eſſe diuinam, à qua incitantur homines ad bona, & retrahantur à malis. Id quod etiam docuit in Libello de bona fortuna, & in 2. Libro magnorum moralium, cap. 9.; quibus in locis vult impetum illum naturalem, quo in hominibus bona cauſatur fortuna, à Deo Opt. Max. prouenire. Nec huiuſmodi pugnant cum ijs quæ in 2. tradidit Phyſicorum libro; ubi definiendo fortunam, illam dixit cauſam eſſe per accidens; Quoniam unumquodq. per ſuas proximas cauſas definiri debet, cùm ſint longè magis q̄ prima cauſa notiores. Quocirca per relationes, non ad primā, ſed ad ſecundas cauſas, fortunam & caſum, tanq̄ per immediatas & proximas cauſas rectè definiuit Ariſtoteles. Ad cauſam uerò remotiſſimam reſpiciēs, illam Deum Benedictum eſſe uoluit. Eapropter minus appoſitè ipſum redarguit Reuerēdiſs. Baptiſta noſter, (parcat mihi tantus uir) Libro de patientia. 2., cap. 6., inquiens: Non uidetur tamē Ariſtoteles rectè fortunam deſcripſiſſe, cùm eam dixit cauſam per accidens. Licèt enim is qui dum colit agrum reperit theſaurum, ſit eius inuentionis cauſa per accidens; quia dum aliud facit, iſtud offertur; non tamen eſt fortuna foſſor appellandus. Nomen enim fortunæ non ad ſignificandas has cauſas, ſed ad longè aliud inuenit antiquitas. Hæc ille. Qui tandem concludit illam eſſe cauſam, quæ omnia nouit; quæ profectò, inquit, nihil aliud eſt niſi Deus, & Angeli in miniſterium Dei creati. Qui ſi aliquando uidentur dando, aut auferendo temerarij, nihil tamen agunt inconſultò. Dicit nihilotamen ſecius doctiſſi-

mus pater, in illam diſputatiunculã, Diuinæ Prouidentiæ reuerẽtiam eum traxiſſe. Sed eam nõ negauit Ariſtoteles; ueluti, Diuino afflante Spiritu, ſuo loco videbimus. Interim ijs parcendo, atq. Philoſophorum ſcholas egreſſus, ad Theologos noſtros orationem cõuerto; qui ſępe nonnullos eloquẽtes & eruditos Viros, non ſolùm in ſermone, ſed & in ſenſibus prępotentes ſpectantes intenti; qui cùm multa in Eccleſijs dixerint, & ingentem plauſum laudis acceperint, neminem tamen auditorum ex his quę dicta ſunt, cõpunctionem cordis accipere; nec proficere ad Fidem, nec ad timorem Dei ex recordatione eorum quæ dicta ſunt incitari; ſed ſuauitate quadam & delectatione ſola auribus capta, unumquemq. diſcedere vident. E regione autem, ſæpe Viros non magnæ eloquentiæ, nec compoſitioni ſermonis ſtudẽtes, uerbis ſimplicibus & incompoſitis, multos Infidelium ad Fidem cõuertere, Superbos ad humilitatem inclinare, Peccantibus ſtimulum cõuerſionis infigere, multaq. id genus alia in eis admirantes, an per humanã ſciẽtiam, aut potius ſpeciali quadam gratia id fiat inquirunt.

Propterea doctiſſimus Origenes in D. Pauli Epiſtola ad Romanos cap. 12., ita dicebat: Eſt aliquis qui & quod agit, & quod loquitur habet gratiam; & alius qui interdum & prudentius loquitur, & diligentius ac laborioſius agit, neq. in uerbis, neq. in geſtis ſuis inuenit gratiam. Deniq. (ſicut & in alijs iam ſcriptum eſt) diximus quia & Ioſeph inuenit gratiam in conſpectu Principis carceris, & Heſter inuenit gratiam apud Regem. Reperimus autem in quodam ſecretiore Libello ſcriptum, quaſi Angelum quendam gratiæ, qui etiam uocabulum ex gratia traheret; Anabel enim dicitur, quod eſt interpretatum gratia Dei. Hoc ergo ſcriptura illa continebat, quod miſſus eſſet à Domino iſte Angelus ad Heſter, ut ei gratiã daret apud Regẽ. Sic igitur alia uirtus eſt ſermonis qui per gratiam dicitur, & alia uis doctrinę quæ poteſtas uocatur. Alius ſermo eſt ex eruditione communis qui quãuis lautus ſit & ante compoſitus, tamen ſi non per gratiam uel dicitur uel ſcribitur, delectare fortaſsis poteſt legentem, adducere autem ad profectum nõ poteſt auditorem. Hactenus Origenes. Qui id omne quod diximus beneficentiæ Dei aſcribit; qui peculiari quadam ſua ratione tribuit nõnullis, ut influant in animos hominum, eiſq. ſint omnino grati.

Tomus.5. Beatus quoq. Auguſtinus in quinto libro de Ciui. Dei, cap. 9., fortuitorũ vult eſſe cauſas, ſed latentes, eaſq. tribuendas uel ueri Dei, uel quorumlibet ſpirituum uoluntati, inquiens: Nos enim eas cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiã Fortuna nomen accepit, nõ eſſe dicimus nullas, ſed latentes; eaſq. tribuimus uel Dei ueri, uel quorumlibet ſpirituum uoluntati: ipſaſq. naturales nequaq̃ ab illius uolũtate ſeiungimus, qui eſt author omnis, cõditorq. naturæ. Ita Auguſtinus. Qui dixit quorumlibet ſpirituum, (inquit ſapiẽtiſsimus Ioannes Picus, libro 4. aduerſus Aſtrologos, cap. 3.) quoniam tam à malis, aliquid fieri poteſt, q̃ à bonis Angelis; licèt nõ omnia poſsint mali, quæ boni; nec idem utriſq. finis; ſed bonis quidem commune hominũ bonum, malis verò malum, fruſtrante illorum tamen malitiam Bonitate Diuina, dum in bonum ordinat, redigitq. quicquid ab illis mala fuerit uoluntatę patratum. Solicitantur enim ſæpe humanæ mentes occulto quodam in-

ſtinctu,& non conſilio aut ratione: ſed impetu quodam elatæ,eò accedunt, quò ſibi ipſis,arbitrioq́. ſuo relictæ,non accederent. Et ſolent qui talia patiuntur,dicere; præſagit animus meus neſcio quid, non poſſum quaſi aliter uelle,huc rapior,alia cogitanti mens non accedit; atq; ita cùm ſui propoſiti nullam rationem reddere queant,ſic tamen libitum ſibi,ſic præiudicatū, pertinaciter aſſeuerant. Eſt quidem ex electione agere hominis propriū, attamen introrſus ita ſæpius concitatur, ut neutiq̃ rationis iudicium expectans,ad agendum,operandumuè progrediatur animi affectus. Hoc autem nihil aliud eſſe arbitrantur, q̃ Dei uoluntatem,ſeu Angelum aliquē,cui Deus poteſtatem permiſerit inducendi hos euentus, quos ipſi fortuitos nuncupamus. Quamobrem elegantiſsimus,& iam ſemel atq; iterum memoratus Poeta noſter, Baptiſta Mantuanus,in Libello de Fortuna Franciſci Gōzagæ, Marchionis Mantuæ, cùm plures commemoraſſet aduerſos caſus, qui Regibus,Summisq́. obtigerant Viris,ut horum cauſam exprimeret, hoc intulit carmine pactum:

Svnt *qui Sydereis tribuant hæc omnia Fatis;*
Aſt ego Fortunæ; quæ vis incognita quædam,
Eſt homini: ſeu ſit Deus ipſe, uel altera virtus
Inferior ſubiecta Deo, cui ceſſerit ipſe
Tale miniſterium, tantiq; negotia regni.
Quicquid agit, iuſtè fieri concedere fas eſt;
Sed cur, ſcire nephas, præceps cohibere neceſſe eſt
Iudicium; Deus hunc tali regit ordine Mundum.

Hinc patet error Ioannis Brucherij hunc locum exponentis; qui per illam aliam uirtutem inferiorem, Deo ſubiectam, animam intellexit mundi, à Platone poſitam. Non enim hæc, Poeta ſunt digna Theologo & Chriſtiano. Qui demum,ne quis diceret: Si quicquid decretum eſt Deo id habendum; quid opus eſt ut homines diligentiam adhibeant,ſolicitudinem,& induſtriam in aſſecutione bonorum,& euitatione malorum? Etenim Deo ſi decretum eſt, vt cum multis nauigans mercibus portum teneam, tenebo, etiam ſi non laborauero; ſin aliter,non tenebo, etiam ſi laborauero. Huic quæſtioni occurrit non multò poſt illa,ita concinens præclarè.

Nec tamen inficias ierim prudenter agendum
Semper; & in rebus curam ſtudiumq́. valere:
Cùm Fortuna ſuo terrena negotia curſu
Ire ſinit; ſed cum pulſo clauum ipſa magiſtro
Prendit, & in Scopulos tendit, de mercibus actum eſt;
Nil opus eſt, Tiphy, arte tua; de remige & armis.

Hoc idem peruidit ſubtiliſsimus Dantes Florentinus,in de Inferno,cantico 7.; cuius quidem ſententiam exponentes Landinus ex una,& ex altera parte Velutellus; neuter eius germanam potuit attingere mentem, Ille enim

Et poſita cauſa ſufficienti ad agendum, neceſſariò ſequitur effectus. Nulla igitur cauſa ſufficiens in rebus naturalibus, eſt contingens. Coelum autem ſimpliciter acceptum eſt cauſa naturalis ſufficientiſſima. Impoſſibile eſt igitur q̃ eius non ſequatur effectus.

Secunda pars orationis antecedentis in hunc modum probatur; Poſita cauſa naturali ſufficiẽte ad agendum, uel impeditur, uel non. Si non; igitur, neceſſariò operatur; quia hæc eſt ratio qua agens naturale diſtinguitur ab agente per electionem. Si uerò impeditur; huiuſmodi impediens cũ ſit naturale, reducitur ad aliquod coeleſte principium. Impedimentũ igitur effectuũ cœleſtium corporũ, ex aliquibus procedit coeleſtibus principijs. Quare quicquid ex eis euenit, ineuitabili euenit neceſsitate. Quòd autem impedimẽtũ illud reducatur in aliqđ coeleſte princip., ex eo ſatis cõſtare põt, q̃ oĩs motus & operatio agẽtiũ naturaliũ, p ſe depẽdet à motu coeli, eiuſq. cauſalitate. Hoc eodẽ fundamẽto & ratione vtebatur Ochã, ĩ memorato loco.

.2. Cuius quidem ſententia & opinio, hunc in modum corroborari poteſt: Effectus cuiuſcunq. agentis, ineuitabili neceſſitate ſequitur in ſubiecta materia, in ipſoq. patiente; quando uirtus efficientis tanta fuerit, quanta ad patientẽ materiam ſibi plenè ſubijciendam requiratur. Id quod ex ijs quæ de Contingentia diximus, iam ſatis relinquitur probatum. Tota autem hęc ſubcoeleſtium omnium rerum collecta materies, uirtuti coeleſtium corporum patientiſſimè, humillimeq. ita ſubiecta eſt, ut ad illam plenè & exactè ſubijciendam, plus in illis uirtutis minime requiratur. Corporũ itaq. coeleſtiũ effectiones, in hac materia ineuitabili neceſſitate prorſus recipiuntur; quæ à Mathematicis influxus appellari ſolent.

.3. Inſuper; in primo libro cui titulus eſt Meteora, ad initium, dicebat Ariſtoteles hunc mundum ſuperiori eſſe continuum, ut omnis uirtus eius inde gubernetur. Mundus autem ille ſuperior, ſeu corpora coeleſtia ſimpliciter accepta, sũt entia ex neceſſitate. Quare & ĩ iſtis ĩferioribus neceſſariò operãtur. Id quod etiam ex octauo de hiſtoria animalium libro, cap. 28., confirmari poteſt; quo loci ita ſcriptum reliquit Ariſtoteles: Tum etiam multis locis, Coeli, & ſitus conditio cauſa eſt; ut in terra Illyrica, & Thracia, & in Epiro, Aſini parui habentur; in Scythica & Gallica nulli, propter immodicum frigus. In Arabica, Lacerti magnitudine cubitum excedunt. Hactenus Ariſtoteles.

.4. Amplius; Ad productionem cuiuslibet effectus corporalis, neceſſarius eſt actualis Coeli concurſus; ueluti vt plurimum docent rectius philoſophantes. Nihil ergo in rebus phyſicis & corporeis, reſpectu ipſius Coeli, per accidens & caſu effici poteſt.

.5. Patet. D. Tho. in. p. par. Summæ Theo., q. 19. ar. 6., qui ait: Poteſt aliquid fieri extra ordinem alicuius cauſæ particularis, non autem extra ordinem cauſæ uniuerſalis; ſub qua omnes cauſæ particulares comprehenduntur; quia ſi aliqua cauſa particularis deficit à ſuo effectu, hoc eſt propter aliquam aliam cauſam particularem impedientem, quæ continetur ſub ordine cauſæ uniuerſalis, unde effectus, ordinem cauſæ uniuerſalis nullo modo poteſt exire; & hoc etiam patet in corporalibus;

poteſt enim impediri q̄ aliqua Stella non inducat ſuum effectum:Sed tamẽ quicunq. effectus ex cauſa corporea impediente in rebus corporalibus cõſequatur, oportet q̄ reducatur per aliquas cauſas medias in uniuerſalem uirtutem primi Coeli.Hæc.D.Tho.Qui etiam .p.ſecundæ, .q.109.ar.1.ait: Manifeſtum eſt autem,q̄ ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum coeleſtis corporis,ſicut in primum mouens corporale, ita omnes motus tam corporales q̄ ſpirituales reducuntur in primum mouens ſimpliciter, quod eſt Deus. Ita Sanctiſsimus ille Aquinas. Cùm igitur omnes effectus corporales in aliquam coeleſtem cauſam per ſe referãtur, q̄ nullus effectus corporalis per accidens ſit,& à caſu reſpectu Coeli, neceſſariò cõſeq̃t. Hæc ſunt quæ pro parte affirmatiua adduci poſſunt in hac materia; quæ tametſi apparentia ſatis eſſe uideantur, ob id tamen urgent minimè, neq. concludunt.

Quòd in Rebus ſublunaribus reſpectu Cœli dentur Effectus caſuales. Cap. 24.

Opinio Secunda & vera.

PRæinductæ rationes non hẽnt vim; quoniam ex iis quę in ſuperioribus diximus, cùm de radice cõtingentiæ, ad aures Ariſtotelis ſermonem haberemus, ſuperq. ſatis cõſtat, à materia, illam originem trahere; q̃a corpora hæc inferiora, cũ deficere poſſint, meritò iureq. optimo, in eorum conditionem, ſemper contingentiam reſoluit Ariſtoteles; modò ſicut ad materiam, ſeu potentiam paſſi; ut in primo Periherm.; modò ſicut ad agens; ueluti Caſum & Fortunam in.2.auſcultatorio libro, prout ſatis oſtẽdimus ſupra. Ex quo patet, q̄ huiuſmodi corpora inferiora & ſubcoeleſtia, ad Coelum (quod eſt inter naturales cauſas uniuerſaliſſima) uel tanq̃ materia, uel tanq̃ agens, uel utroq. modo comparari poſſunt. Primum, quando Coelum tantùm ad horum inferiorum effectuum conſtitutionẽ actiuè concurrit. Secundum, cũ hæc inferiora corpora coagunt ipſi Coelo. Tertium, quando in ordine ad Coelum ſub ea ratione conſiderantur, qua & agunt in effectum, & patiuntur à Coelo: non enim mouent niſi mota. Contingentiã igitur effectus tum reducit Ariſtoteles in conditionem horum inferiorum, tanq̃ in conditionem materiæ, cũ Coelum tantũ, ad ipſius effectus productionem actiuè concurrit. Quando uerò corpora hæc inferiora ipſi Coelo cooperantur, effectus Contingentia in eorum conditionem reducitur, ut in conditionem agentis; quod tamen ad Coelum ut patiens comparatur. Doctrina igitur eſt Ariſtotelis nota & per ſe clara, q̄ in aliã cauſã naturalẽ, ſubcoeleſtium effectuum contingentia, niſi in horum corporum inferiorũ conditionem minimè reduci poteſt; quæ quidem conditiones ſunt, poſſe deficere ab utroq. eſſe, nimirum ſubſtantiali & accidentali: Ex conſequẽti, ab agere & pati, uarium ſemper & mutabile habere eſſe. Coelum aũt, cauſa eſt uniuerſalis & remota eorundem effectuũ, & nõ ad oẽm effectum qui hìc exiſtit, per aliquam ſpecialem qualitatẽ concurrit, ueluti ad determinatum effectũ determinata cauſa. Propterea licèt oĩs effectus naturæ inferioris cũ omni eius conditione naturali, ratione primi motus dependeat à Coelo,

tanq̃

tanq̃ à cauſa communiſſima & uniuerſali,ſine qua nihil fieret; non ob id tamen fatendum eſt, ꝙ omnis effectus naturalis conditio,ſit reducibilis ita in cauſam coeleſtem,quòd non in aliam. Quandoquidem agens non remouet à materia in quam agit,id quod ipſi materiæ debetur, & in ea præſupponitur; ſed eius præſuppoſita conditione, ad ſuum ea utitur effectum, idcirco ſine cauſis particularibus,hæc non poteſt materiata Coelum per ſe ꝓducere. Secus Equos quærentes ad pugnam aptos & currendum, fruſtra quærerent ex quanam eſſent ſobole geniti. Si enim effectus iſti omnes ſublunares è Coelo euenirent,ex quanam quiſq. Equus ſobole natus eſſet, nihil referret.

His ergo ita conſtitutis,aduerſus Auicennam & Aſſeclas,in hunc modum arguitur.p.: Conditio effectus proueniens ex impedimento materiæ, in motorem,ſeu actiuum in illam,minimè reducitur. Corpora autem hæc inferiora & materiata, reſpectu totius Coeli, materia ſunt & patiẽs. Proprias igitur habent conditiones,à toto Coelo præſuppoſitas, quatenus eſt in ea actiuum. Quare conditiones effectuum,conſequentes horum corporũ conditiones ut materia ſunt,non in coeleſtium corporum actiones,at in corporum inferiorũ conditiones reſoluuntur. Quod cùm ita ſit,conſequens eſt, ut non oẽ impedimentum quo impeditur impreſſio coeleſtis ab effectu per ſe intento,reduci habeat in corpus coeleſte ſimpliciter. Quare effectus iſti reſpectu ipſius Coeli contingenter eueniunt. .1.

Amplius; A cauſa remota,haudquaq̃ neceſſariò ſequitur effectus, niſi cauſa media ſit & ipſa neceſſaria. Id quod in ſyllogiſmis ſatis conſtare uidetur; quandoquidem ex maiori Neceſſaria,& minori Contingenti,ſequitur mox concluſio contingens. Corpora autem coeleſtia ſunt cauſæ remotæ; virtutes verò actiuæ & paſſiuæ in iſtis ſublunaribus,cauſæ proximæ ſunt effectuum horum inferiorũ: & ſunt contingentes, cùm ut in paucioribus deficere poſſint: Non igitur in iſtis inferioribus ſequuntur effectus neceſſarij ex ipſo corpore coeleſti,etiam ſimpliciter accepto. .2. .2.

Adhuc; Quemadmodum concluſiò contingens, licèt reducatur in præmiſſam contingentem,alteramq́. neceſſariam; Eius tamen Contingentia,in præmiſſam non reducitur neceſſariam, mediante alia contingente; quaſi Contingentia concluſionis ſit à Cõtingentia pręmiſſæ,& Contingẽtia pręmiſſæ,ab altera ſit præmiſſa neceſſaria. Atqui ſufficit quòd ipſa concluſio & eius Contingentia,in pręmiſſam reducantur neceſſariam, vt modificatã in præmiſſa contingente: Et quia modificata in contingente eſt contingens; licèt in ſe ſit neceſſaria; ideo ſequitur concluſio contingens, & nõ neceſſaria. Ita pari paſſu, effectus duarum cauſarum ſubordinatarũ in eodem genere cauſæ,in cauſam reducitur ſuperiorem per cauſam mediam. Cauſa autem ſuperior ſit de neceſſaria in ſe, contingens ut modificata in cauſa media. Effectus igitur ab illis cauſis prouenientes,non oportet cauſam ſuperiorem tantũ imitari; atqui tales eſſe, quales ex illa ſuperiori cauſa in media recepta & modificata cõſequuntur. Coelum autem cauſa eſt uniuerſalis & in ſe neceſſaria,reſpectu horum effectuũ inferiorum. At quia ſine cauſis medijs, huiuſmodi effectus producere non poteſt,& cauſę medię .3. 5.

ſunt

ſunt contingentes; Idcirco neceſſe eſt ut eius uirtus & influxus in eis recipiatur per modum earum,& iuxta earum conditiones modificetur,deq́. neceſſaria in ſe,fiat contingens. Non oportet igitur effectus qui tali pacto producuntur,cauſas tantũ imitari coeleſtes; atqui tales eſſe, quales ex coeleſti influxu in tali materia recepto cõſequuntur,& modificato. Influxus autem ita receptus & modificatus eſt cõtingẽs; Effectus igitur erit & ipſe cõtigẽs.

4. Adhuc; Coelũ non produxit elementa ſimpliciter,nequidem ſimpliciter miſta,quia hæc & illa ſecundũ ſpeciem ,ad uniuerſi orbis attinent integritatem ſubſtantialem,& perfectionem;id quod uoluit Ariſtoteles in.2.libro de Coelo,parte.18.&.19.;quo loci demonſtrat terram,ex conſequenti cętera elementa,præcedere Coeli etiam primum motum. Elementa igitur,& miſta ſecundùm ſpeciẽ, p̃ſupponuntur ipſi actioni coeleſti. Quod cùm ita ſit,perſpicuum relinquitur & clarum, ꝙ huiuſmodi corpora inferiora proprias habent conditiones,à toto Coelo præſuppoſitas.

Confirmatur doctrina authoritate Simplicij in.2. de Coelo, ad contextũ 20.,qui ait ꝙ ceſſante motu Coeli,omnis motus corporum inferiorum ceſſaret; quia uirtutes inferiorum corporum ſunt ſicut materiales,& inſtrumẽtales,reſpectu coeleſtium uirtutum; ita ꝙ non mouent niſi motæ. À Coelo igitur horum corporum inferiorum diſpoſitiones & uirtutes præſupponuntur,in eiſq́. recepta uirtus eius,modificatur.

5. Accedit peruulgata,in ſcholiſq́. trita ſatis illa propoſitio,quòd effectus, à cauſa ſemper eodem modo ſe habente neceſſario proueniens,eodẽ ſẽper euenit modo. Motus autẽ coeleſtium corporum,ſemper eſt eodẽ modo. Si igitur eorum effectus in huiuſmodi inferioribus neceſſariò euenirent,ſemper eodem modo ſe haberent; cuius tamen oppoſitum experientia docet.

6. Adhuc; Coelum,etiam ſimpliciter acceptum,agens eſt naturale; materiã igitur requirit in quam agat. Materia autem in quam agit ſunt corpora hęc inferiora; quæ corruptibilia naturaliter cùm ſint,ſicut ab eſſe deficere poſſunt,ita ab operari. Eorum igitur natura id habet,ut non effectus ex neceſſitate producant. Et cùm Coelum uelut cauſa uniuerſalis in illis modificetur, quòd eius effectus in iſtis inferioribus nullatenus ex neceſſitate proueniant,neceſſariò conſequitur.

7. Hæc aduerſus Auicennæ aliorumq́. opinionem & ſententiã dixiſſe volui; modò ad eorum fundamentum euertendum atq. demoliendum accingor. Ariſtoteles nanq. in.2. Sapientiæ lib., contextu.4.,dicit quòd unumquodq. eſt maximè tale,per quod alijs ineſt uniuocatio; ut puta ignis calidiſsimus: etenĩ cæteris hic eſt caliditatis cauſa. Et apud verè peripateticos, cauſa propriè & verè ſufficiens illa dicitur, quæ tantam ex propria forma virtutem habet, vt nulla alia ſui ordinis cauſa concurrente,effectum producere poſſit. Nunc ſic: Ignis eſt cauſa ſufficiens calefactionis ; ueluti ex ijs quæ nũc pręmiſsimus ſatis conſtare poteſt. Atqui ab alicuius calefactione; vtpotè ligni ex aliquo uehementer frigido, aut eius uirtutem & calorem remittente,aut aliquam contrariam diſpoſitionem in ligno introducente impediri poteſt. Non igitur poſita cauſa ſufficienti, neceſſariò ſequitur effectus. Quare ſecunda Auicennæ propoſitio à ueritate abhorret.

Sed

Reſpōſio. Sed dicunt eius Aſſeclæ quòd quando cauſa impeditur, non eſt ſufficiens.

Impugn. At ex dictis patet, reſponſum eſſe nullum; quandoquidem iam diximus quænam ſit cauſa ſufficiens. Non conſequutio igitur effectus, aliundeq̃ ab ipſius cauſæ inſufficientia; vt potè à concurſu alterius impedientis; prouenire poteſt. Non enim ex defectu combuſtiui & Ignis, eiusq. inſufficientia procedit q non ſequatur effectus; at ex alterius concurſu, impedientis combuſtionem.

Reſpōſio. Ceterũ reſpondent, q & illa cauſa impediens reducitur in aliquod principium coeleſte, & ita ipſum impedimentum neceſſariò euenit.

Impugn. Veruntamen nihil ad rem; proptereaq licèt causa illa impediens reduci poſsit in aliquod coeleſte principium; non tamen illarum duarum cauſarum concurſus, quia non eſt uerè ens, ſed per accidens. Vnde arguitur ſic: Non uerè ens, ueram non habet cauſam. Ens per accidens eſt huiusmodi. Nõ igitur ueram habet cauſam. Concurſus aũt illarum duarum cauſarũ, quę neceſſariò cauſant, eſt per accidens. Nullam igitur; ut ſic; habet cauſam. Quare nec illud quod ex tali ſequitur concurſu, in ali quam reducitur cauſam præexiſtentem, ex qua neceſſariò ſequatur. Vnde & illa prima Auicẽnæ propoſitio redditur falſa. Quòd uerò concurſus ille, & quod ſequitur ex eo, in nullam præexiſtentem reducatur cauſam, ex qua neceſſariò ſequatur, facile eſt hunc in modum exponere: Sicut enim Sol & Homo generant hominem, ita etiam Sol & Bos generant bouem. Atqui in bouis generatione, q ex aliqua cœli diſpoſitione, mẽſtruũ aut ſemen ex quo ipſe generatur corrumpente, ſeu malè diſponente, ſequatur monſtrũ, proculdubio contingere poteſt. Quòd igitur ex tali ipſius coeli aſpectu, materiam aut ſemẽ ita malè diſponente ſequatur monſtrum, ut potè vnicornis bos, ſeu tricornis; illud eſt per ſe. Quòd uerò bos & illa conſtellatio in generatione concurrant, eſt per accidens; vnde & monſtrum ex illo concurſu proueniens, accidentarium eſt & caſuale.

Idem ex parte Coeli declaratur; Quandoquidem effectus qui præter alicuius cauſæ intentionem euenit, fit ab illa per accidens; & intentio cauſæ nihil aliud eſt, niſi eius quædam inclinatio ad effectus productionẽ; quicquid igitur præter cauſæ inclinationem euenit, illud accidentarium dicitur & caſuale. Si itaq. Coelum ad aliquem effectum producendum inclinetur; vtpotè pluuiam, uel aliud ſimile; & alia ſuperueniente cauſa impediente, ſerenitas, minimè autem pluuia ſequatur; vtrunq., nimirum ſerenitas, & nõ euentus pluuiæ, reſpectu ipſius Coeli accidentarium & caſuale dicetur, eoquòd præter eius inclinationem euenerit. Licèt igitur contingat, cauſam illam impedientem in aliquod reducere coeleſte principium; illum tamen quem diximus non impedit effectum, niſi ratione concurſus cum cauſa coeleſti, ad eum effectum producendum inclinata; qui quidem concurſus, per accidens eſt, & nullo modo per ſe, in ordine ad illas cauſas. Quoniam accidit cauſæ coeleſti quatenus ad illum effectum producendum inclinatur, vt ſimul & eodem tempore ſit alia cauſa aliquid agens, quod ſit illius effectus impeditiuum. Vnde ille concurſus non habet cauſam per ſe natura-

lem,ſed per accidens tantùm; ex conſequenti quòd ex eo prouenit concurſu, per accidens eſt & caſuale.

Reſpõſio. Atqui dicerent fortaſſis aduerſarij, ꝙ etiam ille concurſus eſt per ſe: quia illarum utraq. cauſa, ſimul ab unica coeleſti uirtute ad ſuum mouetur effectum, & per conſequens, earum concurſus eſt per ſe intentus à Coelo: in ordine ad cuius uirtutem, ſequitur quòd in iſtis inferioribus nihil ſie per accidens & caſuale.

Impugn. Verùm ſolutio non manet; propterea ꝙ duæ illæ concurrentes cauſæ, aut ab vnica mouentur uirtute coeleſti, aut à duabus. Si detur primum, effectũ inde prouenientem, per ſe eſſe fatemur. Si uerò contingat ſecundum, prout aliquando cõtingit, effectus tunc inde proueniens, caſualis eſt, pariterq. accidentalis; cùm duæ illæ virtutes coeleſtes nullum inter ſe, quò ad operari, ordinem habeant, ſed per accidens & ipſæ concurrant. Id quod facillimè probatur: Coelum omnium inferiorum cauſa generalis, & inter naturales primum ſibi uendicans locum, plures, uarias, ac diuerſas in ſe continet uirtutes, diuerſarumq. Stellarum & conſtellationum influxus. Huiuſmodi autem virtutes, nullum inter ſe quò ad operari ordinem habent; quia vna virtus, ad alterius effectum minimè ſe extendit; quemadmodum & plures, variæq. in eadem anima potentiæ, ita ſe habent, ꝙ nullum ordinem, ſecundùm ꝙ in operationem exeunt, adinuicem habent, ſed earum concurſus eſt omnino per accidẽs; ſicut ꝙ uiſu aliquid vidente, guſtus aliquid dulce percipiat, per accidens eſt; quoniam actio viſus ad actionem guſtus non requiritur, nequidem contra recurrit oratio. Duarum igitur cauſarum particularium concurſus, per accidens poteſt eſſe, ad virtutes coeleſtes etiam ſi referatur. Ex eo quòd uirtutes illæ coeleſtes, cùm ſub ea ratione qua in operationem exeunt, nullum habeant ordinem adinuicem, non mouentur ad agendum ex intentione unius, ſed diuerſarum uirtutum, reſpectu illius operationis nullum ordinem habentium; Earum igitur in agendo concurſus, per accidens eſt & caſualis. Veluti ſi vna Stella mouente aliquam materiam ad frigiditatem, alia Stella, eandem uel diuerſam materiam, eodem in tempore ad caliditatem moueat; illud proculdubio eſt eis accidentale.

Reſpõſio. Sed fortè dicere poſſent: quòd licèt huiuſmodi cauſæ, quarum una impedit alteram, ad varias Coelorum uirtutes referãtur, at reducuntur nihilominus demum in primum motum Coeli, qui eſt unus; & ita illarum cõcurſus habebit per ſe cauſam, ipſius Coeli motum.

Impugn. Illud tamen non impedit; quia percunctor ego, nunquid motus ille coeleſtis in hæc inferiora mediatè agat, uel immediatè. Si detur ſecundum, tũc aduerſatur tot coeleſtibus uirtutibus, quia eſſẽt fruſtra. Si uerò admittatur primum, nulli dubium, quin agat in huiuſmodi inferioribus, mediantibus Coelorum virtutibus, atq. Stellarum. Non igitur ille motus ut mouet iſtas inferiores cauſas, rationem habet unius cauſæ, ſed plurium, ratione diuerſarum uirtutum, quibus mouet; etſi in ſe ſit unus. Et idcirco non oportet propter eius unitatem, harum cauſarum concurſum habere per ſe cauſam:

Nec ualet ſi dicat, quòd omnes particulares ſtellarum uirtutes, ab unica uirtute uniuerſali primi orbis in hæc inferiora influentis dependent; & ita concurſus eſt ab unica uirtute, & per ſe. *Reſponſio.*

Quia eodem & ego utendo ratiocinio inquiram; an illa unica uirtus mediatè, uel immediatè operetur. Non ſecundū, ratione quā iam adduximus. Primum igitur admittendum uenit. Quo dato, relinquitur ꝙ illa in uarijs recipiatur coeleſtibus uirtutibus, & ad earum multiplicitatem, & ipſa multiplicetur. Et ideo præter eius inclinationem erit quòd ſit alia cauſa concurrens impediens. Vnde ipſe concurſus, accidentalis ſemper erit & caſualis; Ex conſequenti, & ſententia, & fundamentum Auicennæ ſatis à veritate abhorret. Quibus ita conſtitutis, reliquum eſt ut rationes in oppoſitum diſſoluamus. *Impugna.*

Oppoſitæ opinionis rationes diluuntur.

Cap. 21.

AD Rationes in oppoſitum ſupereſt modò facere ſatis. Ad primam igitur, id quod antecedit, quò ad utranq. partem inficiamur. Falſum ſiquidem eſt, omne quod fit de nouo, cauſam habere propriam & per ſe; nec non cauſam ſufficientem poſitam, neceſſariò agere, ita ſcilicet ꝙ non poſſit non agere ſimpliciter; quia poteſt impediri. Et cùm dicitur quòd illud impedimentum reducitur in aliquod coeleſte principium; admittitur; at illarum duarum cauſarum concurſum, in aliquod coeleſte principium, cauſamúe à qua neceſſariò proueniat reduci, inficiamur omnino. Hæc eſt mera & propria ueritas, quam in ſuperioribus iam ſatis exaratam reliquimus. Si quis tamen obſtinatè acclamaret, concurſum duarum cauſarum proximarum produci & cauſari à concurſu duarum cœleſtium uirtutū, qui eſt per ſe, cùm in Coelo nullus ſit concurſus per accidens. Et ſi hoc ultimum tanq̄ à ueritate alienum ſit reprobatum; illo tamen dato, non adhuc ſequitur intentum. Quandoquidem concurſus ille Sydereus cùm in iſtis inferioribus non agat niſi eiſdem mediantibus & concurrentibus, cumq́., huiuſmodi inferiora ſint ſuapte natura materialia & contingentia, non niſi iuxta eorum naturam & eſſe in eis recipitur. Vnde ſi ſit in ſe neceſſarius, ex huiuſmodi receptione fit contingens, & effectus inde proueniens, non erit niſi contingens; quemadmodum oſtendimus ſupra; cùm in primam nō reducatur cauſam, niſi per mediam. *Ad p. Rationē. pri. Opinionis.*

Et ſi urgeat Ocham dicens, ꝙ cauſa illa media eſt naturalis; ſi igitur omnes habeat conditiones requiſitas ad agendum, non poteſt non agere. Ergo neceſſariò agit. Facilè reijcitur obiectio: quoniā cauſæ illę concurrentes cùm ſint naturales, proculdubio neceſſariò agent, ſi ſint ita diſpoſitæ ſicut ipſe dicit; ſed quòd ad inuicem concurrant, non eſt niſi per accidens. Eſt tamen animaduertendum, ꝙ agens naturale eſt agens neceſſarium, non quia ſit ſimpliciter neceſſarium ipſum agere; ſic enim nullum agens cauſetū eſſet naturale; cū quodlibet poſſit nō agere; ut quando deſunt alia, quæ ad actionem neceſſariò requiruntur. At ideo dicitur neceſſarium, quoniam

poſitis

poſitis omnibus ad eius actionē requiſitis, nulloq́; exiſtente impedimento, tunc non poteſt ex ſe non agere: ſed ſtantibus illis, neceſſariò ſemper aget. Vnde naturale agens dicitur neceſſariò agere; prout agere neceſſariò, diſtinguitur contra agere uoluntariè, & per electionem; non autem quatenus agere neceſſariò, opponitur ei quod eſt contingenter agere; quia agere neceſſariò tali pacto, idem ſignificat, q ſemper agere eodē modo, & nunq̃ poſſe impediri ab agendo. Vnde poſſumus dicere, q ibi eſt neceſſitas relationis, non abſoluta; de quibus infra. Quia igitur cauſa naturalis, ab actione propria in quam eſt naturaliter inclinata, poteſt aliquando impediri; idcirco effectus ex illo impedimento proueniens, caſualis dicitur & accidentarius, cùm nullam habeat cauſam, præter illarum cauſarum concurſum; qui eſt Contingentię complementum, radix uerò naturalis, ipſa poſſibilitas, ſeu materia; prout aliàs ex Ariſtotele docuimus.

Ad.2. Ad id uerò quod ſecundo dicebatur loco, reſpondet Beatus Thom. pri. par. Summæ Theo:, .q.115. ar. 6., negando minorem propoſitionē; quandoquidem ad illius ratiocinij ueritatem habendam, coeleſtis corporis uirtutem oporteret infinitam eſſe; quæ cùm non ſit, nec argumentum ſequitur. Quandoquidem ex eo q uirtus corporis coeleſtis eſt finita, determinatam requirit in materia diſpoſitionem, tam quò ad loci diſtantiā; quàm quò ad alias diſpoſitiones, ut ſuum in ea ualeat introducere effectum: quibus deficientibus, q & ipſa uirtus coeleſtis deficiat, neceſſariò cōſequitur. Propterea eundem caloris effectum in Dacia non habet Sol, quem habet in Ethiopia; & multoties materiæ groſsities, aut frigiditas, ſeu caliditas, aut alia huiuſmodi diſpoſitio, effectum tū uariat, tum impedit ipſius uirtutis, ſeu corporis coeleſtis. Ita reſpondet D. Thomas.

Iulius Siren. cōtra D. Tho. Veruntamen huiuſmodi doctrina atq. ſolutio, doctiſſimo, noſtriq́. amiciſſimo Iulio Sirenio, libro quem de Fato edidit tertio, cap. 48., minimè probatur. Tum quia ad ſubijciendam ſibi omnem hanc ſublunaris materiæ, elementorumq́. omniū molē, uis in coeleſti corpore, uel in ſubſtantijs, coeleſtia illa corpora uoluentibus, & regentibus, minimè requiritur. Tum quia ſi eorum data uirtute infinita, omnia ineuitabili Neceſſitate euenirent, nūc profectò cogetur. D. Tho. fateri omnia neceſſariò euenire. Tum etiā quia ſi uniuerſa hæc elementorū quātitas, ad totū coeleſtiū ſimul corporū globū relata fuerit, ne puncti quidem rationem ſubibit. Tam igitur exiguum, tāto agenti, tamq́. efficaci uirtuti, qualis eſt illa coeleſtium ſimul corporum omniū, erit q̃ patientiſſimè ſubiectū ac humile; & ex eo quicquid uirtus illa voluerit efficiet.

1. Primum ex eo probat, quia agentia naturalia cuncta ſimul accepta, totā hanc rerum ſublunarium materiam, ſibi ita plenè ſubijciūt, vt ad illam pleniùs ſubijciendam, plus uirtutis requiratur nihil. Quorum tamen omnium unita uis, & complexa, nec eſt, nec infinita eſſe poteſt. Id quod etiam fatentur peripatetici omnes, ſapientiſſimiq́. Theologi.

2. Secundum uerò ex eo conuincere uellet, quia D. Tho. in. 8. auſcultatorio libro, lectio. 21., de Ariſtotelis opinione, primum mouentem infinita uirtute præditum aſſeruit; Ariſtoteles uerò in. 12. Sapientiæ, eundem ne-

ceſſario

ceſſariò agere eſt opinatus. Quo ſtante arguitur ſic: Ex Ariſto. & .D. Tho. primus mouens eſt uirtutis infinitæ, & de neceſsitate agit quicq̃d agit. Quęcũq. igit fiũt, & eueniũt; ineuitabili eueniũt neceſsitate. Quãdoq̃dẽ primus mouens agit oĩa: ex prima propoſitione libri de Cauſis, cui & Ariſtoteles in pleriſq. locis, & .D. Tho. in eiuſdẽ propoſitionis expoſitione, abundè ſubſcripſere; & cùm ſit uirtutis infinitæ, ſuam actionem impedire poteſt nihil.

Tertium demum authoritate probat Ptolemæi; qui ad principium magnæ conſtructionis, quam Almageſtum uocant, terram ad firmamentum relatam, ueluti punctum ſe habere, locupletiſsimè probauit. Si igitur ad totum ſimul coeleſtium corporum globum, uniuerſa hæc elemẽtorum quãtitas relata fuerit, ne quidem puncti rationem habebit. Quare quicquid uirtus illa coeleſtis ex ea efficere uoluerit, neceſſariò efficiet. .3.

His igitur ita conſtitutis, aliam adducit ſolutionẽ ipſe Sirenius, eodem in loco, cap. 49., & .50.; ubi dicit, omnem hanc ſublunarem materiã, atq. totam iſtam generationi, & corruptioni obnoxiam molem, coeleſti q̃pleniſſimè, quamq. patientiſsimè ſubiectam eſſe uirtuti; nec effectus propterea, qui ab eadem, in hac ipſa materia, & inferiori machina producuntur, ineuitabili euenire neceſsitate. Cuius quidẽ rei cauſa eſt, non quia coeleſti corpori, tantæq. coeleſtiũ corporum uirtuti, elementorum materia, aut materię groſsities, & moles tam exigua aduerſetur; ut putabat. D. Tho. Sed potius quia uis illa coeleſtis plus non poteſt, quia non omni actionis genere, in ſubiectã hanc ſibi materiam, & elementorũ molem agit, uel agere poteſt; quo uniuerſa agi, alterari, & ꝑmutari poſsit. Sed motu & lumine tantũ, modiſq. lumini ſolùm, & motui conuenientibus. Ita ſe geſsit Sirenius in .D. Thomã. *Solutio Sirenij.*

Cæterùm dicat mihi doctiſsimus Pater, nunquid uirtus illa coeleſtis, dũ in hæc agit inferiora atq. materiata, poſsit impediri, necne? Si dicat ſecundum; omnia igitur ineuitabili euenient neceſsitate: quod ab eius doctrina eſt omnino alienum. Si uerò primum admittat; ſciſcitor ulterius, nunquid à ſemetipſa, uel potius ab alia quadã vi impediatur? Non eſt autem cur à ſeipſa impediatur. Ab alia igitur vi impediatur oportet. Hęc autem non poteſt eſſe niſi materia; Quare ipſi uirtuti coeleſti optimè aduerſatur. *Contra Sirenium.* .1.

Amplius; Corpora hæc inferiora, ad coeleſtia; modò ut patiens, modò ut agens, modò ſub utriuſq. ratione, comparãtur; Id quod ſatis in ſuperioribus declarauimus. Quocunq. autem modo hæc illis comparentur, proprias habent conditiones à Coelo, præſuppoſitas; quatenus eſt in ea actiuũ; ueluti etiam oſtendimus ſupra. Conditiones igitur effectuum, conditiones horum corporum ut materia ſunt conſequentes, non in coeleſtium corporũ actiones, at in corporum inferiorum conditiones reſoluuntur. Hoc autem non eſſet, niſi hęc illis reſiſterent. Non igitur benè Sirenius. .2.

Præterea; Cauſa uniuerſalis ſine particulari non poteſt in his ſublunaribus generare quippiam, aut modo aliquo producere; quod & ipſe libenter concedit lib. 4. præcitati uoluminis, cap. 25. & alibi. Coelum autem cauſa eſt inter naturales uniuerſaliſsima. Non igitur quippiam ſine cauſa particulari producere poteſt. At cauſa particularis aliquando cauſam impedit uniuerſalem; ueluti in memorato loco ipſe fatetur. .3.

Virtus

Virtus igitur illa coeleſtis nõ eſt adeo efficax,quin ab iſtis materialibus impediri poſſit. Quod non eſſet, niſi hæc illi aduerſarentur.

.4. Adhuc;In ſua reſponſione ad argumentum dicit Sirenius, ꝙ uirtus illa coeleſtis totam & totaliter hanc ſibi ſubijcit materiam,& elemẽtarem molem; non tamen ob id neceſſariò ſublunares producuntur effectus; quia corpus coeleſte non agit in iſtis inferioribus omni actionis genere,at motu & lumine tantùm,modiſq. eis cõgruentibus; propterea uis illa coeleſtis vniuerſa plus non poteſt. Iſta autem impotentia aliunde prouenire non poteſt,niſi à finitate ipſius uirtutis coeleſtis;ratione cuius, materialia hæc ei aliquando aduerſantur, & eius actionem impediunt. In reſponſionem igitur.D.Tho. deuenit nolens,nec ſibi ſatis conſtare uidetur.

.5. Addo pro huius dicti cõfirmatione, ꝙ ipſe eiuſdem uoluminis libro.3., cap.57.,dicit ꝙ uis illa coeleſtis,in his materialibus efficientibus obtundit̃ & hebetatur,adeo ut agẽtis illius coeleſtis,pſtãtiſsimæq.uirtutis uix ſpeciẽ referat,& ſit quoddã ueluti illius excellentiſsimæ uirtutis tenuiſsimũ ſimulachrũ.Ex quo ſequitur hæc ſubcoeleſtia remitti,infirmari,& cęco caſu aliquãdo generari.At re vera illud nõ eſſet, niſi illi uirtuti aduerſaret̃ materia.

6. Nónne; inſuper vidit Ariſtotelẽ.4.de generatione animalium,cap.10., ita loquentem ? Natura igitur ita ſibi vult,ut eorum numeris generationes & obitus numeret: ſed exquiſitè id facere nequit propter materiæ indefinitionem,& ꝙ multa principia incidunt,quę generationes deſtinatas ſecũdũ naturam,& corruptiones ſæpe impediant,atq. ita cauſa ſint earum quæ ueniant præter naturam. Ex quibus luce meridiana clarius conſtat, an hæc elementaris moles atq. materia, uirtuti coeleſti necne aduerſetur. Quod minimè ſequeretur,ſi uirtus illa eſſet infinita.

Ad Pri. Rationem Sirenij. Nec eius urgent rationes;quandoquidem id quod dicitur in prima admittimus libenter,ſi de communi curſu naturæ,effectuumq. materialium,& contingentium productione, ſermonem habeamus; quoniam uirtus illa coeleſtis,ſufficientiſsima eſt,ad hanc ſibi materiam ſubijciendam, prout opus eſt ad uniuerſi orbis perfectionem tuendam & conſeruandam; nõ tamen ad hoc ut omnia ab ea,ineuitabili eueniant neceſsitate; id quod tamẽ principale intẽdebat argumẽtũ.Id.n.nõ põt,niſi illimitata ſit, atq. infinita.

Ad Secundam. Ad ſecundam uerò dico uerum eſſe, .D.Tho. ad Ariſtotelis dogmata fateri,Deum eſſe uirtutis infinitæ; ſed quòd agat de neceſsitate naturæ, non ita facilè omnes admittunt eius aſſeclæ, at potius eſt inter eorum aliquos, lis non parua,atq. diſcordia. Verùm quicquid ſit de hoc,utraq; antecedẽtis orationis parte admiſſa, id quod conſequitur inficiamur omnino. Propterea quòd ſi velit Ariſtoteles,Deum agere de neceſsitate naturæ, id profectò non vult, niſi ad eũm quem ſupra tradidimus ſenſum; nimirum quòd aliqua producere uoluerit neceſſaria, & quò ad eſſe, & quò ad operari; alia uerò alia & quò ad eſſe, & quò ad cauſalitatem, contingentia tantùm; in quo ſenſu, quædam neceſſariò, quædam contingenter euenirent; quemadmodum latius in ſuperioribus expoſuimus. Quo quidem ſtante, etſi ſit uirtutis infinitæ, non omnia ob id ineuitabili euenient neceſsitate; quoniam non ageret niſi proportione ad ipſum mobile,

& ut

& ut illius ſolùm natura requirit; repugnat autem naturæ contingenti, ut neceſſariò atq. ineuitabiliter operetur. Non eſt igitur par ratio de corpore coeleſti & de Deo; quoniã ſi uirtus corporis coeleſtis eſſet infinita, quia eſt uirtus materialis & in corpore, agenſq. ſine cognitione, proculdubio ageret quantum poſſet, & nulla eſſet in eam reſiſtentia; quare omnia neceſſariò euenirent. Deus autem eſt agens omnino immaterialis & cum cognitione; propterea nõ quãtum põt, at proportione tantũ ad mobile & paſsũ operatur. Vnde quædam neceſſariò, quædam contingenter eueniunt.

Nec illud quod tertio addit loco, uim aliquam habere uidetur; quoniam *Ad Tertiam.* licèt moles hæc elementaris ad totũ Coelũ relata, rationem habeat puncti, eius conſiderata quantitate; non autem ſi eius conſiderentur affectiones & qualitates; quibus tum patiendo, tum ipſi Coelo coagendo; eius uirtutem impedit aliquando & efficaciam. Quæ quidem ut omnis ſit expers impedimenti, debitam exigit in materia diſpoſitionem, & quantum ad loci diſtã tiam, & quantùm ad alias conditiones; ut rectè dixit. B. Tho.; cuius adhuc reſponſio, ſuperſtes & inuicta manet.

Ad illud uerò quod ex libro Meteoron deductum fuit dicimus, ꝙ ex eo *Ad 3. principale.* loco illud tantũ conuincitur, ꝙ quæcunq. in uniuerſo orbe ſunt, uel fiũt, aliquid à Coelo recipiunt, ab eodemq́. oĩs ſublunaris uirtus, aliquo modo dependet; cùm nihil inferius, ſine eo operari queat. Non omnia tamen fiunt neceſſariò, cùm proprijs conditionibus, & hæc ipſa concurrant. Nec uerba mouent Ariſtotelis ex. 8. de hiſtoria animalium excerpta; quia & Coelum & ſitum incuſat; nam diximus ꝙ in materia requiritur diſpoſitio, tam quò ad loci diſtantiam, q̃ quò ad alias conditiones. Id quod docuit Ariſtoteles, libro. 2. de ortu & interitu, contextu. 58., inquiens: Videmus enim ꝙ adueniente quidem Sole, generatio eſt: recedente autem, corruptio; & in æquali tempore utrũq́. Æquale enim tẽpus generationis, & corruptionis, quæ ſecundũ naturã. Sed cõtingit ſępè in minori corrũpi, propter adinuicẽ confuſionẽ. Inęquali enim exiſtẽte materia, & nõ ubiq. eadẽ, neceſſe eſt generationes inæquales eſſe, & has quidẽ celeriores, illas aũt tardiores. Hactenus Ariſtoteles. Quibus verbis, rerũ durationẽ & periodum, nõ cœleſti virtuti tãtùm, at ẽt temperamẽto miſtionis, & diſpoſitioni materiæ aſcripſit.

Ad quartum; inſuper; quod etiã Pererio, eius libro nono, cap. 4., place- *Ad 4.* re uidetur, negatur illatio. Coelum enim cauſa eſt uniuerſalis, quę in his inferioribus, ſine cauſa media & particulari agere poteſt nihil; ueluti ſupra fuſius declarauimus. Cùm igitur uirtus illa coeleſtis in cauſa recipitur cõtingenti, de neceſſaria in ſe, fit & ipſa contingens; & effectus inde proueniens, fit conſequens, ut ſit etiam ipſe contingens. Quare poterit uirtus illa coeleſtis aliquando impediri, & effectus inde caſualis prouenire.

Et quando addebat Pererius eodẽ in loco. D. Tho. auctoritatẽ, ex. p. par. *Ad. 5.* q. 19., ar. 6., ut eũ in hanc traheret ſententiã, quã Auicẽna & Ochã inſequebãtur; miror ſanè ꝙ Caietanum ibi non uiderit. Qui quidẽ, doctiſsimè vult, Beatum Doctorẽ de cauſarum agentiũ impedimẽto formaliter loqui; intra ordinẽ ſcilicet cauſarum efficientium, ut ſic. Et tunc ueriſſimum eſt, quòd omnis effectus cuiuſcunque particularis cauſæ impedientis effectricis,

ita formaliter & ſimpliciter acceptæ, in cauſã reducitur coeleſtem: nempè in uniuerſalem uirtutem primi Coeli; cuius quidẽ efficientiam, nulla cauſa particularis efficiẽs, ſub ea formali ratione qua efficiens eſt, ſubterfugere poteſt, cùm in eius uirtute, quælibet alia cauſa efficiens cauſet & operetur. Si uerò de impedimento materiæ ut ſic, D.Tho. loquutus fuiſſet, aliter profectò dixiſſet. Et propterea authoritas illa non eſt ad propoſitum. Minusq́. alia quam ipſemet adducit ex pri. ſecundæ; q. 109., ar. 1. Propterea ꝙ uerißimũ eſt, & ab oĩbus candidè philoſophãtibus receptum, ꝙ nihil poteſt moueri nec fieri ĩ rebus ſublunaribus, ſine motu primi Coeli. Ob id tamẽ nõ ſequitur, ut cuiuslibet naturalis effectus naturales conditiones, ita in cauſã coeleſtem reducantur, ꝙ non in aliam. Vnde & de cauſis mouentibus formaliter acceptis loquitur ibi. D.Thomas. Ex cuius doctrina & fundamentis tanq̃ uerißimis & inuictis, quæ ad hanc materiam ſpectant concludẽdo, dico ꝙ multa ſunt per accidẽs reſpectu cauſæ inferioris, quæ reſpectu cauſæ ſuperioris, nimirum corporum coeleſtium, accidentaria minimè ſunt; nec omnis effectus per accidens & contingens, in corpus coeleſte tanq̃ in cauſam per ſe reduci poteſt; ut ipſe cũ Alexandro de Ales, in 6. etiam Meta. peroptimè docet. Sed ad alia tranſeamus oportet.

De Neceſſitate an ſit inquiritur. *Cap. 26.*

DOctrina eſt Ariſtotelis in 11. Sapientiæ libro, ſumma 2., cap. 1., ꝙ unius & eiuſdẽ ſcientiæ eſt contraria ſpeculari; propterea cùm neceſſitas, contingentię formaliter opponatur, de ea poſt tractatum de contingentia, nobis meritò iureq́. optimo agendum uenit. Non enim fieri poteſt, ut intentio noſtra ſuum ſortiatur finem; niſi utramq́. noſcamus; & idcirco de ea primò an ſit diſſerendum, atq. inueſtigandum duximus; vt an rerum euentus neceſſariò à ſuis cauſis, uel contingenter emanent, nec ne, facilius inde colligere ualeamus.

Ariſtoteles igitur in quinto diuinæ Philoſophiæ, cap. de neceſſario, & particula. 6., de natura ipſius neceſſarij uerba facit, illudq́. in quatuor præcipuos modos diſtinguere uidetur; quorum primus eſt, ut neceſſarium illud dicatur, ſine quo vt uiuatur fieri non poteſt, utpote quod in cauſa ſit ut res conſiſtat; quemadmodum cibus neceſſarius eſt animantibus, atq. item reſpiratio. Cauſa enim uiuendi anima eſt, inquit Alexander; hæc autem, cauſam ipſam adiuuantia. Secundo modo id neceſſarium eſt, ſine quo bonum acquirere, uel habere, aut malum ſecludi abijciq́., minimè contingit; veluti potio pharmaci neceſſaria eſſe dicitur, non quidem ſimpliciter, ſed ad morbum depellendum; & nauigate ad AEginam, neceſſarium eſt, ut nummos quis recipiat & pecuniam. Tertiò illud dicitur neceſſarium, qđ ui aliquis & inuitus facit. Violentum enim & quod præter conſilium efficitur, id neceſſarium nuncupari conſueuit; quo modo is neceſſariò quopiam ueniſſe dicitur, qui eò coniectis uinculis adactus eſt, aut uẽtorum impulſu deiectus. Vnde faciens uiolentiã, cogit rem ad illam uiolentiã; quemadmodũ dicitur ꝙ Rex cogit Socratem neceſſariò, ad interficiendum Platonẽ. Illud demũ, quod ſẽp iternũ eſt & immutabile, quodq́. aliter ſe habere nõ poteſt,

neceſſarium

neceſſarium eſſe dicitur; & ex hoc cætera neceſſaria dicuntur, propter conſimilitudinem ueram inter illa.

Ex quo tandem concludit, quòd primum & propriè neceſſarium eſt ipſa prima cauſa; quæ cũ ſit ſimpliciſſima, pluribus modis non contingit ſe habere. Id quod etiam cõfirmat. 12. Meta., parte. 38. Neceſſitas igitur & neceſſarium licèt multipliciter dicatur, ad diuiſionẽ tamen poteſt reduci bimembrem; ut dicatur neceſſarium ſimpliciter, & ſecundùm quid; huiuſq. diuiſionis membrum poſterius, ad hunc modum ſubdiuidi poteſt: Neceſſarium ſecundùm quid, violentum unum, ad finem aliud; Quoniam primus, ſecundus, & tertius modus, sũt neceſſitatis ſecundũ quid. Tertius quidem, proptereaq; ineſt alicui non ſimpliciter, ſed dum uiolentia cogit, atq. cõpellit. Qui enim aliquid facit ui, atq. inuitus, non ſimpliciter facit neceſſariò; atqui dum ipſum agens cogit, atq. compellit. Secundus uerò & primus, quoniã concauſas conſequuntur; ille quidẽ benè eſſendi & benè uiuendi; iſte uerò eſſendi atq. uiuendi. Cauſa nanq. eſſendi atq. uiuendi, eſt anima: cibus autem & reſpiratio, concauſæ ſunt ipſam cauſam adiuuantes in animantibus. Cauſa uerò benè eſſendi & benè uiuendi, uirtus ipſa eſt corporis regitiua; concauſa uerò medicina. Quia igitur natura appetit uiuere & eſſe, itemq. benè uiuere & benè eſſe tanq̃ finem; propterea quæ ad hæc neceſſaria ſunt, dicuntur eſſe neceſſaria ad finem, ſeu propter finem conſequendum; finem; inquam; naturalem. Id quod etiam dicit Ariſtoteles de ijs quę ſunt neceſsaria ad finem, quem ſibi ſtatuit voluntas; utpotè nauigare ad Athenas eſt neceſsarium, ut recipiatur debitum; & honeſtis moribus aſſueſcere neceſsariũ eſt, ut boni fiamus. Vnde huiuſmodi neceſsaria ſunt à principijs extrinſecis, ab agente ſcilicet & fine; neceſſarium autem ſimpliciter; & quarto modo acceptum, eſt & oritur ex principijs rei intrinſecis; ex materia nempe & forma, in habentibus utranq.; quemadmodum uidemus eorum aliqua neceſſariò corrumpi. Aliquando oritur ex forma tantũ; ſicut dicimus triangulum neceſſariò tres angulos habere, quia in eo reperitur formalitas & eſſentia trianguli. Quoniam igitur huiuſmodi neceſſarium oritur ex natura rei, ideo dicitur neceſſariam abſolutè. Hanc eandem doctrinam tradit Auer. in Epitho. Meta., tracta. pri., cap. de neceſſario; quo loci vult corpora coeleſtia neceſſaria eſſe ſimpliciter. Vnde Peripatetici uolũt ęterna, neceſſaria eſſe ſimpliciter; quę iuxta eorum placitum plurima ſunt & innumera; Temporaria uerò, caduca & fragilia minimè; ſed cõtingentia ſunt naturaliter & propriè, neceſſaria uerò non niſi ſecundùm relationem, aut ex ſuppoſitione; quæ cùm ſint à principijs & cauſis exterioribus, neceſſaria propriè nullatenus appellari poſſunt. Datur igitur ad eorum dogmata, qui candidius Philoſophati ſunt; Peripateticorum nempe; neceſſitas in rerum natura, tum ſimpliciter & abſoluta, tum etiam impropriè atq. ſecũdũ quid; ſeu abſoluta, & ex ſuppoſitione.

Ad aures ſacrorum Theologorum num illa detur neceſſitas, quæ apud Philoſophos. Cap. 27.

PEripateticorum doctrina, in illa neceſſarij bina acceptione, Catholicæ noſtrę Fidei, Eccleſiaſticorumq́. Theologorum dogmatibus, minimè aduerſatur; cũ & ipſi ex Sacris, Diuiniſq́. eloquijs eruditi, duplicem admittant in rerum natura neceſſitatem, abſolutam ſcilicet & conditionatã, ſeu ſimpliciter & ſecundũ quid, ut cuiuis q. Sacram uel à limine ſalutauerit Theologiam, notiſſimum eſſe poteſt. In enumerandis autem quæ talibus ſubſunt neceſſitatibus, non omnino conueniunt. Quandoquidem & ſi Theologi noſtri cum Philoſophis in illo conueniant, ꝙ in æternis abſolutam fateantur neceſſitatem; ab eiſdem nihilotamenſecius in eo diſſident, ꝙ illi quamplurima aſtruunt æterna; noſtri uerò, unicum tantũ Deũ Benedictum & Glorioſum Aeternum eſſe uolunt; & hæc eſt ueritas. 2. Machabæorum, cap. 1., Diuina acclamante ſcriptura: Domine Deus, omniũ Creator, Terribilis, Fortis, Iuſtus, & Miſericors, q. ſolus es Bonus; Rex ſolus, & Pręſtans, Iuſtus, & Omnipotẽs, & Aeternus, qui liberas Iſrael de omni malo, qui feciſti patres electos, & ſantificaſti eos; accipe ſacrificium pro uniuerſo populo tuo Iſrael; & cuſtodi partem tuam, & ſanctifica. Cui optimè. p. ad Timotheum ſub finem, Diuus correſpondet Apoſtolus, inquiens: Præcipio tibi coram Deó, qui uiuificat omnia, & CHRISTO IESV, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, ut ſerues mandatum ſine macula irreprehenſibile uſq. in aduentum Domini Noſtri IESV CHRISTI; quem ſuis temporibus oſtendet Beatus, & ſolus Potens; Rex Regum & Dominus Dominãtium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem. Solus igitur Deus Aeternus, & p conſequens in eo tantùm uera, propria, & abſoluta ſeruatur Neceſſitas. Cætera uerò ab ipſo dependent; in genere quidem cauſæ finalis, ad Ariſtotelis dogmata; effectiuè uerò ſecundùm ueritatem; Diuino eodem atteſtante Spiritu, qui ait: In principio creauit Deus Coelum & Terram; Geneſis pri. Non tamen neceſſariò, ſed omnino liberè; quia, omnia quæcunq. uoluit fecit; ps. 113. Eapropter in comparatione ad Deum, nullam rẽ neceſſe eſt eſſe, ſed omnia præter ipſum, abſolutè ſunt & ſimpliciter Contingentia. Vnde Beatus Pater Auguſtinus ſuper Gene. ad literam dicere ſolitus erat; ꝙ creaturæ ad eſſe quod obtinent, ita ſe habent, ſicut aeris illuminatio ad lumen Solis; quia ſicut aer habet in ſe principium tenebrarum, abſente lumine ſolari, ita creaturę omnes ad Deum ipſum relatæ, in ſe deficiẽdi principium habent; deficiendi; inquam; & quò ad eſſe, & quò ad operari; ueluti quamplurima de his in Sacra Pagina habemus exempla.

Si uerò in ſui natura ſpectentur, aliquæ earum tunc in bono ſenſu poſſunt dici in ſe neceſſitatem continere abſolutam; utpotè quæ poſitæ in actu, in ſe non hẽnt unde poſſint non eſſe; prout ſunt Angeli, & corpora ipſa coeleſtia. Ad quem ſenſum loquebatur. D. Tho. 2. de Catholica ueritate, cap. 30.; quod fortaſſis nõ animaduertit Pater Iulius Sirenius, libro de Fato. 2., cap. 7.

cap. 7. In quæſtionibus ſiquidem de ueritate, q. 5. ar. 2. ad 6. inqt. D. Tho. Cuncta quæ Deus in eſſe produxit, poteſt etiam reducere in non eſſe; cũ ad hoc q creaturæ ſubſiſtant, oportet q ſemper in eis Deus operetur; ut Auguſtinus dicit ſuper Gene. ad literam; non per modum quo domus fit ab artifice; ſed per modum quo illuminatio aeris eſt à Sole; unde ex hoc ipſo q non præberet eſſe creaturæ, quod in eius uoluntate eſt conſtitutum, in nihilum creatura redigeretur. Hæc ille. Qui multis alijs in locis, eandem habet doctrinam; præſertim p. par. Summæ Theologiæ. q. 9. ar. 2. pri. Theologicarum ſententiarum, d. 8. q. 3. ar. 2. De Potentia Dei, q. 5. ar. p. 2. 3. & 4. 3. 2. de Catholica ueritate, cap. 39. item. 3. eiuſdẽ uoluminis, cap. 65. Quibus in locis ad iudicium Theologi & ueritatis, Deum ſolum Omnipotentem, omnimodè neceſſarium docet. In cap. autem. 30. Secundi aduerſus gentiles, & alibi, Angelos ponit & corpora coeleſtia entia neceſſaria realia, poſſibilia tamen logicè, & per potentiam in alio, Quod nec à Fide abhorret Catholica, nec eſt mirandum; quinimmo hoc diuinæ atteſtatur perfectioni: quemadmodum inquit. D. Tho. eodem cap. 39. Omnia tamen ſub unica ueritate reſtringendo, ad noſtrumq. principale inſtitutum reducendo, dicimus quòd ad aures Sacrorum Theologorum, & ad dogmata Fidei Catholicæ, Solus Deus Omnipotens habet ſimpliciter & abſolutè neceſſe eſſe; creaturæ autem oẽs, ſimpliciter & abſolutè mutabiles ſunt in non eſſe. & cõtingẽtes, eiuſq. oppoſitum ſimpliciter aſſerere, hæreticum eſſe minimè dubitamus. Vnde lib. 4. ſuper Gene. ad literam, cap. 12. aiebat Diuus Pater Auguſtinus: Creatoris potẽtia, & Omnipotentis atq. Omnitenentis uirtus, cauſa ſubſiſtendi ẽ omni creaturæ. Quæ uirtus, ab eis quæ creata ſunt regendis, ſi aliquãdo ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſq. natura concideret. Neq. enim ſicut ſtructuram ædium cùm fabricauerit quis abſcedit, atq. illo ceſſante atq. abſcedente ſtat opus eius; ita mundus uel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit. Proinde & quod Dominus ait: Pater meus uſq. nunc operatur; continuationem quandam operis eius, qua uniuerſam creaturam continet atq. adminiſtrat oſtendit. Hactenus Beatus Pater Auguſtinus. Cuius authoritate, hunc uoluimus terminare ſermonem.

Tomus. 3

Ioãnis. 5.

Neceſſitas quid ſit. Cap. 28.

ET ſi plura in ſuperioribus, ac uaria neceſſitatis retulerimus genera, de eo tamen in ſuſcepta hac noſtra diſputatione, potiſſimùm eſt nobis ſermo, quod per ſe, propriè, atq. formaliter Contingentiæ aduerſatur, & contrarium eſſe nouimus, reiq. naturæ quæ neceſſaria dicitur, quàm intimum eſt; quod quidem nullum aliud eſt, præter neceſſarium abſolutum, & omnino ſimpliciter acceptum. Quemadmodum igitur Contingentia illa, quæ propriè ac formaliter contingentia eſt, modus eſt quidam, rei cui ineſt intrinſecus & poſitiuus, quo eſſe, pariter & non eſſe poteſt: prout in ſuperioribus exarauimus abundè: ita Neceſſitas illa quæ tali aduerſatur contingentię, modus eſt rei cui ineſt intrinſecus & poſitiuus, quo ſimpliciter

pliciter & abſolutè non eſſe non poteſt. Ex quo talis, eiuſdem abſolutè neceſſarij, poteſt erigi deſcriptio: Neceſſarium abſolutum illud eſt, quod ſua natura, & ab interno, ac naturali principio, ſimpliciter & abſolutè, atq. ineuitabiliter non eſſe non poteſt, nullamq. ſui eſſe cauſam habet. Et hic eſt Deus Benedictus. Cui quidem deſcriptioni ſubſcriberet libenter Ariſtoteles, qui. 12. Sapientiæ libro, contextu. 38., ita notatum reliquit: Neceſſarium nanq. toties dicitur, quoddam ui, quia præter inclinationem; quoddam, ſine quo non benè eſſet: quoddam, quod non aliter cõtingit ſe habere, ſed ſimpliciter eſt. A tali ergo principio, tum Coelum, tum natura dependet. Hæc ibi. Sit igitur, excluſis phyſicorum principijs, ſimpliciter & uerè, proprieq. & abſolutè neceſſarij, hæc unica, atq. germana deſcriptio. Quòd ſi ad eorum dogmata idem deſcribere uelimus, ita dicendum eſſet: Neceſſarium ſimpliciter illud eſt, quod ſimpliciter & natura ſua, ab internoq. principio, non eſſe non poteſt. Quod uel non habet cauſam; ut Deus ipſe; uel ſi habet, minimè impediri poteſt: utpotè quæ à Deo fiunt immediatè. Hoc itaq. neceſſarium, illud unum eſt quod noſtræ diſputationi mirificè & plenè deſeruit: ut ex dicẽdis, cuilibet intelligenti facilè cõſtare poterit. Quia tamen Ariſtoteles in quinto Meta. libro, cap. de neceſſario, alia neceſsitatis genera ad hoc unum reducere uidetur, propterea ad eorum quæ dicturi ſumus pinguiorem, clarioremq. mineruã, neceſſarij ex ſuppoſitione, aliorũq. deſcriptionem adducendam fore, ſumus arbitrati. Neceſſarium igitur ex ſuppoſitione illud eſt, quod uno poſito, ſiue ſecundùm naturam, ſiue prꝍter, ſiue etiam contra naturam illud ponatur, non eſſe non poteſt. Qui enim currit, non moueri non poteſt. Qui ſimiliter quidpiam coactus agit, illud profectò non agere nõ poteſt. Quin etiam æger, qui ſanitatis eſt cupidus, quatenus utilitati ſuæ conſulit atq. ſaluti, in medicamentis oportunis medico non obtemperare non poteſt. Neceſſaria ſunt nanq. huiuſmodi omnia, neceſſitate conditionis, ſeu ex ſuppoſitione; & ſi poſtremum utile etiam dicatur, & commodum. Ne autem uocum uarietas iuniores decipiat, hoc unũ notent: ꝙ huiuſmodi neceſsitatis genus, plures ac diuerſas habet nomẽclaturas. Quemadmodum enim neceſsitas abſoluta, nuncupatur modò neceſſitas ſimpliciter, modò neceſſitas conſequẽtis, modò neceſsitas rei, modò neceſsitas in ſenſu diuiſo, ac demum neceſsitas abſoluta; ita etiam neceſsitas conditionata, modò neceſsitas appellatur ſecundùm quid, modò cõſequentiæ, modò dicti, modò in ſenſu compoſito, ac demũ neceſsitas ex ſuppoſitione: ſed hæc omnia idem ſonant: ueluti Logici optimè norunt. Eſt; inſuper; neceſsitas quædam ſub illa ex ſuppoſitione contenta, quam neceſſitatem relationis appellamus; ſicuti cùm cauſæ naturales, & naturaliter agentes, à cauſis item ſuperuenientibus non impeditæ, non poſſunt pro ratione ſuæ uirtutis & naturæ, in materiam prædiſpoſitam, & debito modo approximatam, effectum non producere. Et neceſsitas dicitur relationis, quia effectus in ſuas naturales cauſas referimus; à quibus poſtea debitè circunſtationatis cùm non poſsint non prouenire, inde neceſsitas etiam ex ſuppoſitione, & ſecundùm quid uocitatur. Si nanq. igni paleæ apponãtur, non poterit non ſequi incendium. Et huiuſmodi neceſsitas eſt in comparatione

ratione

ratione effectus ad ſuam proximam cauſam naturalem, & naturaliter operantem,uel in naturalem aliquo modo redactam; quoniam à cauſa non naturali, ut ſic, huiuſmodi neceſsitas prouenire non poteſt. Multa enim ſunt, quæ præter,& contra intentionem atq. propenſionem agentium remotiorum eueniunt & patientium; reſpectu tamẽ agentium proximorum & patientium,naturalia ſunt & propria. Prout patet in monſtro; quod reſpectu patris eſt contra naturam;Secundùm naturam autem eſt reſpectu illius proximæ cauſæ & immediatæ,quæ ſuperuenit; quæcunq. ſit illa. Vnde neceſſarium ex relatione illud erit,quod à principio extrinſeco, & à cauſa, uel naturali,& naturaliter operante; uel etiam minimè naturali, modo tamen aliquo in naturalem redacta, ſed non impedita,non eſſe non poteſt. Ex qua quidem definitione liquidò conſtat,ꝙ huiuſmodi neceſſarium non eſt omnino ineuitabile; at ea ratione tantùm, qua cauſa illa eſt debitè circunſtationata,& ſecundùm quid; contra Auicennam & Ocham. Quia reliqua neceſsitatis genera præter primum,potius contingentia ſunt,quã neceſſaria. Sed de his hactenus.

Neceſsitas unde originem trahat. *Cap. 29.*

DE Neceſsitate ſermonem habet etiam Ariſtoteles in .2. auſcultatorio libro,cap. ultimo; ſed in contextu.88.,docet neceſsitatem eſſe à forma; quandoquidem & ſi à materia eſſe uideatur,materia tamẽ neceſsitatem deſumit à fine,qui in ratione & forma conſiſtit. Ex quo malè ſe geſsit Auerroes, aliquam docens neceſsitatem deſumi à materia, ab eaq. originem ducere; ueluti mors & corruptio; quæ cùm ſolam inſequantur materiam, nec ſunt propter aliquid,nec ſunt à natura intentæ; inquit ille. *Contra Auerr. 2. Phy. cõm. 88.* Sed audiat Ariſtotelem,ad finem præfati contextus ita loquentem: In materia neceſſarium eſt, id autem cuius gratia fit,in ratione. Hæc ille. Ex quibus liquidò conſtat,quòd finis idea quæ eſt in forma,neceſſarium parit in materia. Quamobrem ſi materia, ut ſic, conſideretur, abſoluitur tunc ab illo reſpectu,qui eſt erga formam. Si uero ut neceſſarium quid ſpectetur, tunc ſequitur formæ poſitionem; per nerba Ariſtotelis. Nunc ſic: Materiæ neceſsitas ſequitur finem; Ergo quæcunq. ab ipſius ſunt conſtituta neceſsitate, oportet eundem ſequi finem. Mors autem & corruptio,materię inſequuntur neceſsitatem; ex eodemmet Auerroe: Eundem igitur debent inſequi finem, quem materiæ neceſsitas inſequitur; & hæc eſt forma. Quælibet igitur neceſsitas à forma. Id quod conſequitur,ex eo maximè cõſtat, quia ſi paries debet eſſe abigens fures,uentos,& cæteras iniurias, eius materiam neceſſe eſt eſſe ſolidam, atq. continuam. Solidum & continuum eſt in lapidibus, qui ſunt materia parietis. Eius igitur ſoliditas,quæ eſt ex neceſſaria materia conſtituta,ſequitur finem parietis, non ob aliud,niſi quia materia parietis eſt neceſſaria. Non igitur rectè dici poteſt, res eſſe ex neceſsitate materiæ,non intenras. Nulla enim talis eſſe poteſt, quæ non ſit intenta. Quod autẽ eſt intentum,id pẽdet à fine & à forma; non à materia.

Amplius,

Amplius, materiæ neceſſitas eatenus refertur, quatenus in forma eſt finis. Si enim finis tollatur à forma; nec materia, nec eius neceſſitas ulla manebit; velut innuere uoluit Ariſtoteles, in proximè citatis uerbis. Materiæ igitur neceſsitas, à fine ſi tota dependet; non eſt cur dicat Auerroes, quædam eſſe in rebus naturalibus ex neceſsitate materiæ, quæ non ſunt ob aliquem finẽ. Nihil enim poteſt eſſe de neceſsitate materiæ, quod non ſit propter quod eſt materia neceſſaria. Materia autem eſt neceſſaria propter formam. Igitur & illa quæ materiæ inſequuntur neceſſitatem. Huiuſmodi autem ſunt Mors & Corruptio; uelut ipſe dicit. Vtraq. igitur erit propter finem, & à natura intenta. Non quidem ſi ex parte ipſius corrupti ſpectetur; at ſi ex parte cõſideretur ipſius corrumpentis; à quo quidem non eſt tanq̃ finis intenta corruptio; ſed quia agẽs corrũpit, ut generare poſſit. Eapropter dicebat Ariſt., quæ à caſu non ſunt, eſſe ex intentione. Mors & corruptio non ſunt à caſu. Sunt igitur ex intentione. Ex intentione; inquam; ad modum præexpoſitum. Id quod etiam tali pacto confirmari poteſt; ſi ex eo ꝙ mutationis principium ſuſceptiuum eſt ipſa materia, cauſa eſſet corruptionis & mortis; proculdubio eſſet etiam cauſa uitæ; cùm & in ea cauſanda ſit mutatio. Hoc autem eſſe falſum, nemo eſt qui dubitet. Igitur & illud ex quo effluxit. Quòd ſi materia cum forma facit naturam, & cum abſentia formæ facit oppoſitum naturæ, ipſa uerò ſola neutrum facit; reliquum eſt, ipſam non eſſe in cauſa ſimpliciter ut mors ſit, atq. corruptio; ſed potius ipſa forma. Mors enim eſt oppoſitum uitæ; uita eſt à præſentia animæ; quare mors eſt ab eiuſdem abſentia. Hoc enim principium, præſentia facit naturam; abſentia uerò oppoſitum naturæ; ut ijs qui Philoſophiam uel à limine ſalutarunt, notiſsimum eſſe poteſt. Quare mors eſt propter formam propriè, non ſimpliciter propter materiam. Sed quid, ſi relicto Auerroe cum inani ſua Philoſophia, idem ſimpliciter, ad iudiciumq. Theologi demonſtremus?

Etenim ſi anima poſt obitum, aut puniatur, aut purgetur, aut munere extollatur, patet mortem eſſe ob finem. Finis autem in forma. Sicut igitur omnis contingentia à materia; ita omnis neceſsitas à forma. Si autem corruptionem & mortem ſub ea ratione qua mors eſt & corruptio conſiderare uelimus; tunc profectò nullum reſpicit finem; quandoquidem non ens eſt atq. priuatio; & ut ſic, à priuatione eſt, non à materia; ſi propriè loquamur; quoniam ſimile non niſi à ſimili. Et cum tali pacto conſiderata, effectus nõ ſit, atqui defectus; uanum eſt de ea amplius ſermonem habere. Sed ad neceſsitatem redeundo dicimus, ꝙ ſi de ea loquamur quæ neceſsitatis nomen propriè meretur, quæúe ipſi contingentiæ propriè & formaliter aduerſatur, à ſubſtantiali forma utiq. illa originem ducit. Si uerò de alijs neceſsitatis generibus ſermonem habeamus, hæc proculdubio à forma tum ſubſtãtiali, tum accidentali prouenire poſſunt. Si quid enim aliter q̃ ſit, ſe habere non poteſt; illud profectò uel ſimplex eſt forma, uel alicuius beneficio, illud habet, aut ſubſtantialis & naturalis, aut accidentariæ, & aduentitiæ formæ. Vnde Ariſtoteles libro de Mundo, cap. ultimo, propè finẽ, de Deo ipſo Benedicto uerba faciens, ita dicebat: Equidem neceſsitatem ipſam etiam nihil aliud, q̃ Deum dici cenſuerim, & intelligi. Hæc ibi. Deus au-

em

tem eſt forma ſimpliciſsima; & puriſsimus actus; quare neceſsitas abſoluta, & quæ uerè nomen mereтur neceſsitatis, eſt à forma. Quæ uerò ſunt ex ſuppoſitione, & ſecundùm quid neceſſaria, connexione duorum ennunciatorum exprimuntur; propterea eorum neceſsitas, à forma ſubiecti antecedentis, quæ per eiuſdem prædicatum exprimitur, originem trahit. Prædicatum autem antecedentis, tam accidentalem, q̃ ſubſtantialem poteſt dicere formam. Illa igitur forma à qua huiuſmodi neceſsitas deſumitur, & accidentaria, & ſubſtantialis, naturaliſq́. eſſe poteſt. Vt ſi dicamus: Plato eſt homo. Ergo Plato eſt animal. Sortes currit. Ergo Sortes mouetur. Horum vtrunq. conſequens, eſt neceſſarium ex ſuppoſitione; quorum neceſsitas, à forma deſumitur utriuſq. antecedentis; quæ quidem forma, per prædicatum exprimitur. Dato enim ꝙ Plato ſit homo; neceſſariò eſt animal. Et ſi Sortes currit; ex neceſsitate mouetur. Et homo exprimit & dicit formam ſubſtantialem Platonis. Currere uerò, forma eſt accidentaria, atq. ipſi Socrati aduentitia; quæ per illud prædicatum (currit) exprimitur. Neceſsitas igitur utriuſq. cõſequentis, eſt à forma utriuſq. antecedentis. Et ita manet concluſio noſtra; nimirum ꝙ omnis neceſsitas, à forma originem ducit. De Contingentia igitur, Neceſsitate, Caſu, atq. Fortuna, hæc mihi dicta ſint ſatis.

LIBRI PRIMI DE DEI PROVIDENTIA FINIS.

REVERENDI ADMODVM SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PHILOSOPHI PRAESTANTISSIMI,

LACTANTII DOMANINII MANTVANI, CARMELITÆ.

DE DIVINA PROVIDENTIA LIBER SECVNDVS.

IN QVO DE DIVINA SCIENTIA PERTRACTATVR.

Præfatio.

DVÆ cum ſint vniuerſi orbis principes partes, neceſſaria, videlicet atq; contingens, & de ijs in ſuperioribus egerimus ſatis; quod ad noſtrum attinet inſtitutum; miſſo tamen ad vtrumlibet contingente, inferius pertractando; futurum eſt vt de Diuina Scientia verba faciamus, vt inde nullo penitus negotio, eius cum ipſa Contingentia concordiam euincere valeamus.

Ad rem igitur ipſam accedamus.

An in Deo Benedicto Scientia ſit nec ne.
Cap. Primum.

ARISTOTELES in.12.Sapientiæ libro,ſumma.2.,cap.2., multa de ipſo Deo Glorioſo concludit,atq.determinat;uerũ inter cętera,illud unũ docet,quòd habet rationem optimi,& maximi intelligibilis;quia eſt ſubſtantia oĩno ſimplex, atq. ĩmaterialis;ad quã ſequitur ratio maximi appetibilis,qđ hẽt rationẽ optimi. In cap.uerò.3.eiuſdẽ ſũmæ,maximã oſtẽdit in eo delectationẽ,ex eo ꝙ ĩtelligit & amat ſeipsũ,inquiẽs: Seipsũ verò intellectus intelligit aſsũptione ĩtelligibilis. Intelligibilis nãq. fit attingẽs & intelligens,ita ut idẽ intellectus & intelligibile ſit. Suſceptiuum.n.intelligibilis & ſubſtãtię intellectus eſt,operatur autem habens. Quare iſtud magis q̃ illud eſt id diuinum,quod intellectus uidetur habere, & ſpeculatio optimum & maximè delectabile eſt. Si igitur ita benè ſe habet Deus ſemper,ut nos aliquando, admirabile eſt; ꝙ ſi magis,adhuc admirabilius eſt; at ita ſe habet: Hæc ille. Ex quibus, tria pręcipuè colliguntur, quibus vult habere Philoſophus maximam in Deo eſſe delectationem. Primum eſt maxima indifferentia inter intelligibile & intellectũ; ex qua maior oritur præſentia intelligibilis apud intellectum,ex conſequenti maior delectatio. In Deo autem maxima eſt indifferentia inter intelligibile & intellectum. Ob idq. poſuit primò philoſophus modum, per quem intellectus intelligit ſeipſum; qui quidem modus eſt ex præſentia intelligibilis. Secundum uerò eſt,quia intellectio diuina eſt reſpectu optimi & maximi intelligibilis. Eapropter dixit Ariſtoteles, ꝙ ſpeculatio diuina eſt circa delectabiliſsimum & optimum. Tertium demum eſt,quia illa delectatio non eſt quandoq., ſed ſemper. Quaſi dicere uelit;Deus ipſe Benedictus,ut rationẽ habet intelligibilis,ſemper eſt ſibi ipſi præſens,prout hẽt rationẽ intellectus; & quia delectatio ex præſẽtia oritur ĩtelligibilis,ſicuti ꝑſentia ſẽp eſt,ita & delectatio. Ex his poſtea cõcludit Ariſtoteles,ꝙ in Deo eſt uita,quia in eo eſt actus ĩtellectus,quĩmimmo illud idẽ quod eſt Deus,eſt ipſe actus intellectus;q.a Dei ſubſtantia eſt ipſe actus; quare; inquit; in Deo eſt vita optima & ſempiterna. Ita tamen intelligit Deus, ꝙ eius eſſẽtia idem eſt ꝙ actus intellectionis; ſecus eius intelligere eſſet cũ labore & poena; inquit Ariſtoteles,in eadẽ ſũmma,cap.4.& contextu.51. duodecimi Metaphyſicæ; quo loci ita dicebat: Primò igitur, ſi non eſt intellectio, ſed potentia, rationabile eſt laborioſam ei continuationem intelligendi eſſe. Hæc ibi. Quo igitur modo in Deo poneret ſcientiam atque intelligentiam Ariſtoteles, ex his facilè conſtat.

Cuius q.dem ſentẽtiæ ſubſcribit Alexander Aphrodiſiẽſis,in eodẽ Meta. 12.libro,enarratione.27.,ingens. Cũ primus intellectus ſẽper ſe intelligat, nec aliud q̃ ſe; q. à ſe idcirco intelligitur, q.a intelligibilis eſt; & q̃m actu & ſuapte natura intelligibilis eſt,ideo ſẽper intelligitur,ab eo videlicet,q. actu ĩtelligit. Ipſe aũt ſolus intellectus ſẽper intelligit. Ipſe igitur ſe ſẽper intelligit; uel potius quoniam ſimplex eſt;intellectus enim ſimplex,quiddam ſimplex intelligit. Præter ipſum autem,nullum intelligibile eſt ſimplex,qui im

miſtus

miſtus eſt & expers materiæ,nec in ſe potentiæ quidq̃ habet; Se igitur ſolū intelliget ipſe. In eo enim ꝙ intellectus eſt,ſe ut intelligibile intelliget. In quo uero intellectus actu & intelligibile,ſemper ſe intelliget. In quo autem ſimplex ſolus ex intelligibilibus, ſeipſum ſolum. Ipſe nanq. qui ſolus ſimplex eſt, cuiuſdam ſimplicis intellector eſt,& ſolus ſimplex ex intelligibilibus. Hæc ille. Qui poſtea in enarratione.57.ita ſubſequitur: Si eius ſubſtantia in hoc eſſet poſita,ꝙ eſſet intellectus & intellectio,citra ullum laborē perpetuò intelligeret; quemadmodum homini non eſt laborioſum hominē eſſe, proptereaq; eius ſubſtantia, ſiue eſſentia,in eo quòd ſit homo cōſiſtit. Hactenus Alexander. Auerroes quoq;.12.Meta.comm.51.,dicit ſciētiam Dei non eſſe ſicut noſtra; immo ſcientia dicitur æquiuocè de noſtra & ſua. Idem libro deſtructio deſtruct.,diſputa.12.,in ſolutio.2.dubij. Et in diſputatio.6.in ſolutio.3.dubij, dicit ꝙ Dei ſcientia qua ſeipſum intelligit & alia,eſt una & eadem,& intelligibile eſt omnino idem cum intelligente,& intellectione. Noſtri igitur Peripatetici ſcientiam in Deo ponunt, illamq. vnicam eſſe volunt,& idem cum intelligibili, intellectione,& intelligente. Id quod etiam noſtri docent Theologi; & peregregiè.D.Thomas, primo de Catholica ueritate,cap.44.&45.; inq. prima par. Summæ Theologiæ, q.14., ar.4., his uerbis: Et ſic patet ex omnibus præmiſſis, quòd in Deo intellectus,intelligens,& id quod intelligitur,& ſpecies intelligibilis,& ipſum intelligere, ſunt omnino unum & idem. Vnde patet per hoc quòd Deus dicitur intelligēs,nulla multiplicitas ponitur in eius ſubſtantia. Hęc ille.

Cui quidem optimè correſpondens magnus ille Dionyſius Areopagita, poſt ea oīa quę in Symbolica Theologia,in Theologicis inſtitutionibus,& quæ de diuinis nominibus,& de myſtica ſcripſerat Theologia; poſtremò in calce eiuſdem libri, quaſi qui iam in caligine eſſet,& ut poterat de Deo ſanctiſſimè loqueretur,ſic,poſt quædam ad idem attinentia,exclamauit: Neq; ſtat,neq. mouetur, neq. agit quietem, neq. uirtutem habet,neq. uirtus eſt, neq. lux eſt,neq. viuit,neq. uita eſt,neq. ſubſtantia eſt, neq. ſeculum, neq. tempus,neq. tactus eſt ipſius ſpiritualis,neq. ſcientia, neq. ueritas eſt, neq. regnum,neq. ſapiētia,neq. unum,neq. unitas,neq. deitas aut bonitas,neq. ſpiritus eſt, quantùm ſcire ipſi poſſumus; neq. filij, neq. patris eſt denominatio,neq. aliud aliquid ex ijs quæ nobis, aut alteri cuiq̃ in mundo eſt cognitum; neq. aliquid eorum quæ non ſunt, neq. eorum quæ ſunt, eſt;neq. nomē,neq. ſcientia,neq. tenebrę,neq. lux eſt; neq. error,neq. ueritas,neq. eſt ipſius ulla omnino poſitio,neq. ablatio. Cęterùm cū eorū quæ poſt ipsā (ideſt omnium cauſam) ſunt poſitiones & ablationes faciamus, ipſam neq. ponimus, neq. auferimus. Nam & ſuper oēm poſitionē eſt perfecta & ſingularis oīum cauſa,& ſuper ablationē oēm excellentia ipſius illius, qui ſimpliciter abſolutus ab oībus,& ultra oīa ſunt. Hæc Vir ille Sanctiſſimus. Ex quibus diſcimus Deū nec eſſe uitā,nec intellectū,neq. ītelligibile, neq. ſcientiā,neq. ſpeciē intelligibilē,neq. actū intelligēdi; ſed melius aliquid, atq. pſtantius oībus his. Norunt enim Theologi noſtri,nomina hæc oīa,particularē dicere perfectionē,qualis nulla eſt in Deo. Sed totam horum perfectionem, quæ in his diuiſa eſt & multa, Deus ipſe ſua unica perfectione,

quæ eſt ſua infinitas, ſua Deitas, quæ ipſe eſt, in ſe vnit & colligit; non ſicut unum ex illis multis, ſed unum ante illa multa. Omnia enim hæc in Deo ſũt vnum; non quidem per confuſionem, aut commiſtionem, aut quaſi diſtinctorum mutuam penetrationem; Sed per ſimplicem, ſummam, ineffabilem fontalem unitatem. In Deo igitur præter diuinarum perſonarum Trinitatem, nulla penitus admittitur realis diſtinctio; & ita ſcientia, præſcientia, prouidentia, prædeſtinatio, reprobatio, intellectus, intelligens, ſpecies intelligibilis, actus intelligendi, & id genus alia, in Deo minimè diſtinguuntur reali diſtinctione, at ſolùm ex parte intellectus noſtri ratiocinãtis. Qui in plura ſeiungit, quæ omnimoda unitate gaudent; nec propterea cenſendus eſt falſus; quandoquidem ſui enunciati uirtuale exiſtit fundamentum; eſſentia nempè diuina; quæ licèt cum illis attributis, atq. perfectionibus, nullam faciat compoſitionem, ſed ſimpliciſſimam atq. ineffabilẽ in ſe retineat unitatem; nihilotamẽſecius attributa & perfectiones illæ, inter ſeſe formaliter virtualiter diſtinguuntur; Idcirco intellectus noſter extra tam excelſũ habet fundamentum, ut de eis perinde ac ſi realiter diſtinguerentur, ratiocinari ualeat. Et hoc eſt quod ſibi vult dictum illud. Perfectiones diuinæ diſtinguuntur formaliter uirtualiter. Quia ſcilicet celſitudo illa diuina, ob maximam eius excellentiam, ſuis perfectionibus ita correſpondet diuerſis intellectus noſtri conceptibus, perinde ac ſi in eis eſſet uera diſtinctio, nedũ formalis, ſed etiam realis. In Deo igitur nulla eſt propriè præſcientia, cùm illius reſpectu, futurum poſſit appellari nihil, ſed omnia nuda ſint & aperta oculis eius. Intellectus nihilominus noſter, tam immenſam nõ ualens celſitudinem attingere, ſecundùm ſuum intelligendi modum, de Deo ipſo Benedicto uarios ac diuerſos, priores & poſteriores format conceptus. Vt ſcientia ſit reſpectu omnium tam bonorum, q̃ malorum, præteritorum, preſentium, & futurorum, temporalium & æternorum; & ex cõſequenti prior. Præſcientia uerò, licèt bonorum ſit atq. malorum; eorum tamen quæ ſolũ futura ſunt. Futura; inquam; non Deo, ſed nobis, & hac de cauſa à nobis cõcipitur per modum poſterioris, etſi ibi nihil ſit prius aut poſterius, atqui ſimpliciſſima & omnimoda æqualitas. Prouidentia uerò præſcientiam & ſcientiam includit, cùm promotionem rerum prouiſarum in ſuum finem dicat; quod ſine cognitione fieri minimè poteſt; & ideo vt earũ vtraq;. adhuc poſterior concipitur, & poſtea prædeſtinatio, vt dicemus inferius, & loco ſuo. In Deo igitur ſumma ſcientia & ſapientia eſt, nulla admiſſa compoſitione, aut multiplicitate; at omnimoda puritate, ſimplicitate, pariterq. immaterialitate; ex qua ſumma prouenit cognitio atq. ſcientia. Immaterialitas enim ratio eſt q, aliquid ſit cognoſcitiuum; & ſecundùm modum immaterialitatis, eſt modus cognitionis. Cùm igitur in Deo ſit ſumma immaterialitas, in eo erit etiam ſumma cognitio, & perfectiſſima ſcientia. Doctrina nullam habet difficultatem; prout uidere eſt apud. D. Thomam, pri. par., q. 14. ar. 1.; hæc tamen præmittere uolui, ob eorum, quæ dicturi ſumus locupletiorem notitiam, clarioremq. mineruam.

An Deus intelligat alia à ſe, & quid in hoc ſenſerit Ariſtoteles. Cap. 2.

IN eo quem ſupra memorauimus loco, .12. nempè Sapientiæ libro, parte prima ſupra quinquageſimam, hanc diſputat quæſtionem, eamq. diſſoluit Ariſtoteles; qui prius enarratis antiquorum de diuinis opinionibus, in hunc modum effatur: Ea uerò quæ circa mentem ſunt, quaſdam dubitationes habent. Videtur enim eorum quę apparent, quid diuiniſsimum eſſe. Quo uerò modo ſe habens, talis erit, difficultates quaſdam habet &c. vſq. in finem illius capitis, quod eſt quartum. 2. Summæ. In quo de primo omnium principio quærit quomodo ſe habeat in intelligendo, ideſt an aliquid intelligat, uel nihil. Et ſi aliquid, quidnam ſit illud. Dicit igitur ꝙ primus intellectus, licèt omnium haud dubiè rerum, diuiniſsimus, optimusq. habeatur; tamen quomodo ſe ſe habens, & cuiuſmodi uitam ducens, optimus ſit, haud ita facile fuerit explicare, ſed quaſdam, inquit Ariſtoteles; controuerſias habet; & primò, difficile eſt uidere nunquid intelligat, an non. Si ponamus illum non intelligere, quomodo erit quid inſigne & honorandum? Quaſi dicat, nihil erit cur inſigne ſit, pariterq. honorandum; quandoquidem eſſet ueluti dormiens, & nihil agens. Nullo autem honore dignum eſt, quod eſt ocioſum, & nihil agit. Id autem de primo intellectu affirmare, cùm ſit quid diuiniſsimum, nimis eſſet abſurdum.

Si uerò intelligat; aut aliud eſt cauſa huius intellectionis, aut non. Si primum, illud profectò nihil aliud erit præter obiectum; quo dato, ſequitur neceſſariò quod ipſe Deus non ſit optima ſubſtantia; quia non idem erit intelligens, intellectum, & intellectio; ſed eius intellectio erit aliundè depédens; nempè ab obiecto; & ita ut potentia ſe habebit ad illud, à quo in intelligendo dependet; quare non erit purus actus, nec ex conſequenti optima ſubſtantia; quia per intellectionem acquireretur ei honor & perfectio. Qđ autem perficitur, non eſt optimum. Deum autem, optimam poſuimus eſſe ſubſtantiam. Non igitur poterit mens, ſiue Deus intelligere, ita ut aliud ſit cauſa & efficiens ipſius intellectionis. Textus iſte eſt in ſe ſatis obſcurus; propterea à diuerſis diuerſimodè exponitur. Nos autem iuxta Beſſarionis tranſlationem, illum expoſuimus; qui ita legit: Siue intelligat, huius uerò aliud ſit principale, (non enim id quod eſt eius ſubſtantia, intellectio erit, ſed potentia) profectò non erit optima ſubſtantia. Siquidem eo quòd intelligit, ei honorabilitas ineſt. Hæc ibi. Si uerò admittatur ſecundum; ſcilicet quòd mens intelligat, & non ſit aliud cauſa & efficiens eius intellectionis, ſed mens ipſa ſit ſubſtantia ſui ipſius, ſiue intellectio, ita ut més intelligens, & ipſa intellectio ſint idem; ex conſequenti non ſit aliud cauſa intellectionis:. Quærit tunc Ariſtoteles, quidnam ipſa mens intelligat; aut ſeipſam, aut aliquid aliud. Si aliquid aliud; aut idẽ ſemper, aut aliud, ſcilicet modò hoc, modò illud. Et ſi detẽ ſecũdũ; quęrit nunqd aliqd, uel nihil ĩterſit inter intelligere honorabilia, & intelligere oĩa ſine diſcrimine. At perſpicuũ eſt & clarũ, quod abſurdum eſt uilia intelligere, & de qbuſdã cogitare

ueluti patet etiam in nobis; inquit Alexander; quibus turpe eſt quædam cogitare,& actu conſiderare. Manifeſtum itaq. eſt, ꝙ illud intelligit,quod diuiniſsimum, honorabiliſsimumq́. eſt,& nō mutatur.Quia huiuſmodi mutatio eſſet in peius; & ita efficeretur imperfectior. Nihil igitur extra ſe intelligere poteſt; ſiue id ſit idem ſemper,ſiue aliàs aliud; quia ſemper mutaretur. Ex quo licet inferre, ꝙ in mente, ſiue in Deo, idem eſt intelligens, intellectum,atq. intellectio. Secus rationabile & probabile eſt,laborioſā ei continuationem intelligendi eſſe.Si nanq. ſubſtantia diuina non eſt ſuū intelligere,in potentia eſt ad intelligere & non intelligere. Si autem in potentia eſt ad intelligere & nō intelligere,& totū ſemper intelligit; quoniam non inuenitur aliquando ut dormiens; uidetur ꝙ intellectionis continuationem,non ex ſui natura,ſed ab aliquo alio recipiat. Id autem quod non ex ſui natura alicui ineſt rei, uidetur ꝙ aliquando ſit laborioſum.Non quidem neceſſariò;quia motus,Coelo ineſt ab extrinſeco,ſine tamen labore & poena. Atqui rationabiliter & probabiliter; quoniam ſi alicui rei inſit aliquid ab extrinſeco,& contra ſui naturam,illud laborioſum eſt,atque poenale; non tamen ſequitur quòd ſi aliquid inſit alicui ab extrinſeco, illud ſit laborioſum. Eapropter dixit Ariſtoteles, ꝙ ſi in Deo intellectio ſit ab extrinſeco, rationabile eſt, ideſt probabile, quòd eius continuatio in intelligendo ſit laborioſa.

Deinde dilucidū eſt, quòd aliquid aliud honorabilius eſſet quā mens,id ſcilicet quod intelligitur. Conſequens falſum; ergo & antecedēs.Id quod conſequitur ex eo liquet, quia intellectum, honorabilius erit ipſa mēte intelligente. Quandoquidem intellectum mouet & perficit intelligens; quod autem mouet & perficit aliquid,eſt honorabilius eo;ex.3. de anima, contextu. 19.; Nihil autem eſt honorabilius ipſo Deo; quare nec intellectio ineſt ei ab extrinſeco; ſed tantùm ſeipſum intelligit. Alioquin illud etiam ſequeretur abſurdū, quòd intelligere profectò,ac intellectio, & quod peſſimum intelligenti inerit. Quare fugiendum hoc eſt.Etenim quædam melius eſt non uidere, q̃ uidere. Alioquin non fuerit quod optimum intellectio. Conſequutionem probat Ariſtoteles, quia mens intelliget deteriora, quæ melius eſt non intelligere; quoniam mentem reddunt imperfectiorem; ſicuti melius eſt non uidere quædam, q̃ uidere. Et ſi mens intelligat deteriora,& intellectum ſit nobilius ipſo intelligente; prout probatum eſt; relinquitur quòd intelligere,& intellectio, menti ſit peſſima. Hoc autem eſt abſurdum & fugiendum; quia intellectio eius non eſſet optima. Abſurdum igitur erit etiam & fugiendum, mentem aliquid extra ſe intelligere. Seipsā igitur intelligit, ſi eſt quidē quod optimū eſt,& eſt intellectio intellectionis intellectio. Ex quo.n.intellectus diuinus nō intelligit alia à ſe, & tamē aliqđ ĩtelligit,ꝙ ſeipsū intelligat,tanq̃ neceſſariū reliquitur.Si aūt intelligit ſeipſum,intelligit ſuū intelligere;ita ꝙ ſua intelligentia eſt intelligētiæ intelligentia; ideſt ſuum intelligere cadit ſupra ſeipſum, ita quod intelligit ſe intelligere. Quia intelligibile diuinum cùm ſit ſuum intelligere, ſicut eius intellectus fertur ſuper intelligibile, ita & ſuper ipſum intelligere; noſter autem intellectus, prius ſuper naturam fertur ipſius intelligibilis,ſe-

cundariò autem ſuper ipſum intelligere. Ex hoc igitur diſcurſu patet, Ariſtotelem uelle Deum nihil extra ſe intelligere. In ſequenti uerò parte illius quarti capitis, declarat an nobilitas ipſius primi principij attendatur penes intelligere, uel intelligi, & an componendo intelligat, & diuidēdo; quod eius inſtituti complementum eſt, atq. perfectio.

Confirmatur igitur doctrina, ex.7. Ethicorum libro, cap. ultimo, ad finem; quo in loco ita notatum reliquit Ariſtoteles: Si alicuius natura ſimplex ſit, ei ſemper eadem actio erit iucundiſſima. Atq. idcirco Deus ſemper una ac ſimplici gaudet uoluptate: neq. enim motionis tantùm, ſed immobilitatis etiam operatio eſt; magisq. in quiete, q̃ in motu uoluptas cōſiſtit. Hæc ille. Qui & in.10. Ethicorum, cap.8., ita dicebat: Quare Dei operatio cùm beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit feliciſſima, quæ huic maximè eſt cognata. Hactenus Ariſtoteles. Si igitur Deus, ad aures ipſius, una ſemper gaudet & ſimplici uoluptate, quæ in intelligendo conſiſtit; planè efficitur, ut hæc inferiora, & plura intelligere nequeat; quia tunc, non una, ſed pluribus gauderet uoluptatibus. .2.

Confirmatur ratio: Quia huiuſmodi inferiora, plura ſunt & intereunt. Non igitur Deus illa intelligendo, una ſemper atq. ſimplici gauderet uoluptate.

Confirmatur adhuc: Quia ſi Deus, ad dogmata Ariſtotelis, nullam aliam habet operationem, præter contemplationem: hæc igitur inferiora intelligere nequit. Quia tunc eis benefaceret, & per conſequens aliam haberet operationem, præter contemplationem.

Ad hæc: Ariſtoteles in.7. Politicorum libro, cap. 3., inquit: Vix enim Deus benè ſe haberet, & Mundus totus; quibus non ſunt actiones externę, præter proprias ipſorum. Hæc ille. Ex quibus infertur: Deus igitur non cognoſcet iſta inferiora. Quoniam ſi cognoſceret, præter propriam operationem, quæ eſt ſui contemplatio, haberet etiam externam. Illam nempè, qua hæc intelligeret: quia eſſet ab illa qua ſeipſum intelligit, oīno ſeiuncta. .3.

Et confirmatur ex dictis; quia Ariſtoteles in Metaphyſicis dixit, Deum ſeipſum tantummodo intelligere. Quòd ſi tantummodo ſeipſum, quomodo alia? Ex his itaq. facilè colligitur, ad aures Ariſtotelis Deũ nihil extra ſe intelligere: ſunt nihiloſecius authoritates & rationes, ad dogmata eiuſdem Ariſtotelis, oppoſitum oſtendentes, atq. concludentes, quæ in ſequenti capite reliquuntur erigendæ.

Rationes & authoritates quibus probatur ad dogmata Ariſtotelis, Deum ea quæ ſunt extra ipſum intelligere.

Cap. 3.

ILlud pro comperto habemus, quòd Metaphyſicam ſapientiam appellauerit ſimpliciter Ariſtoteles, quando in eius proœmio ita dicebat: Cuius autem gratia nunc ſermonem facimus, illud eſt, quòd appellatam ſapientiam, circa primas cauſas, & principia, omnes arbitrantur uerſari.

ri. Quo fit ut etiam de ſapiente ſimpliciter accepto uerba faceret, cùm in.2.cap: eiuſdem uoluminis, ſapientis conditiones enarrando, hæc protulit verba: Primò igitur opinamur Sapientem maximè omnia, ut poſſibile eſt, ſcire, non habentem ſingulariter eorum ſcientiam. Hæc ille. Quibus mox ego in hunc modum ſubſumo: Deus autem citra dubium, ad Ariſtotelis dogmata, eſt ſapientiſſimus: prout ex ijs quæ in ſuperioribus diximus iã ſatis conſtat; illud tamen addendo, q Metaphyſicam de Deo atq. diuinis uerba facientem, ſapientiam ſimpliciter nuncupari uoluit. Omnia igitur ad autes Ariſtotelis cognoſcit Deus.

2. In ſecundo quoque de ortu & interitu, contextu. 59., dicebat Ariſtoteles, Deum omne compleuiſſe, continuam faciens generationem, omnibusq. ſuam dediſſe perfectionem, quatenus eorum exigebat natura, ita inquiens: Reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem. Ita ibi. Verùm quomodo hæc Deus facere potuiſſet, niſi eorum naturam cognouiſſet?

3. Adhuc; Si Deus, ei qui iniuria affectus eſt, auxilium ſit laturus, ut eum cognoſcat, neceſſariò conſequitur. In.2.autem Rheto. libro, cap.5., in hunc modum effatur Ariſtoteles: Porrò Deus iniuria uexatis opitulàri creditur. Quod ex eo confirmari poteſt, qđ ibidem cap.9. legitur; nimirum, q oportet condolere, cùm quis indignè uexatur, ſimiliterq. propter illos indignari. Nam quod præter dignitatem fit, iniuſtum eſt. At idcirco Dijs quoq. ipſis indignatio attribuitur. Atqui non poſſunt Dij ſine cognitione indignari; cùm indignatio nil aliud ſit, q̃ dolere rebus ſecundis indignè collatis.

4. Prætera; in.6. Ethicorum, cap.2., ad finem, ita dicit Ariſtoteles: Quod autem factum eſt, quin factum ſit, fieri nullo modo poteſt. Iccirco rectè Agato inquit:

Re nanq; ſola hac ipſe priuatur Deus,
Vt facta minimè infecta poſſit reddere.

Si igitur Deus nihil extra ſe cognoſcere poteſt, quomodo eo ſolo priuatur quod Agato dicebat? Deum igitur quæ ſunt extra ſe cognoſcere, procul dubio arbitrabatur Ariſtoteles.

5. Amplius; Ariſtotelis eſt doctrina in.7.phy.3.,.4.,5.,&.6. contextibus; pariterq. octauo eiuſdem voluminis,.45.,54.,&.78., q Deus eſt primus omnium motor & cauſa; id quod etiam confirmat in.12. Sapientiæ particulà.38. Nunc ſic: Deus uel eſt omnium cauſa effectiua, vel finalis. Quocunq. dato, ſequitur ſemper intentum. Si enim eſt cauſa effectiua; creaturas igitur omnes, & ita uilia omnia effecit. Magis autem Deo repugnat facere uilia, q̃ eadem cognoſcere. Sed efficit. Ergo cognoſcit. Si uero ſit cauſa finalis, adhuc arguitur: Deo magis repugnat q ſit omnium uilium finis, quò dq. illa ordinetur in ipsũ, q̃ q eadẽ per ſe cognoſcat; quia res magis ſpecificantur à fine, q̃ ab agente, & cognoſcente. At ſi ei non repugnat eſſe omnium uilium finem, minus ei repugnabit eadem cognoſcere.

Confirmatur

Confirmatur doctrina: quia ſi Deus eſt omniũ cauſa,& effectus proprios minimè cognoſcat: aget utiq. per modum naturę, ſicut ignis producit calorem,& arbores fructus. At quid de Deo poteſt dici magis abſurdum? Nónne eſt agens per intellectum & uoluntatem?

Accedit quòd eſſet ignorans, nobiſq. ſatis imperfectior, qui & nos, & alia optimè nouimus. .6.

Sed & quomodo ſtaret,permaneretq́. orbium coeleſtium, totiuſq́. uniuerſi ordo,& cum iſtis inferioribus mirabilis proportio, niſi Deus ea cognoſceret? Vel enim à ſeipſis ſunt,uel à Deo. Non primum;quia nihil ſeipſum producit; eſſet enim anteq̃ eſſet. Fit igitur conſequens,ut ſint à Deo. At quomodo ea producat non intelligendo,facile eſt minimè uidere. Ex his itaq. colligere poſſumus,Deum ad aures Ariſtotelis,hæc intelligere inferiora,atq. materiata. Verùm quia huiuſmodi doctrina, cum ea quam in præcedente tradidimus capite pugnare uidetur,ideo quid ſit de hac ipſa re ſentiendum,relinquitur examinandum. .7.

Quid de Ariſtotelis opinione, de Dei cognitione, iuxta diuerſorum placita ſentiendum ueniat.

Cap. 4.

IN ſchola Peripatetica candidius philoſophantes,hoc unum fateri uidẽtur, quòd Deus ſe ſolum intelligendo, dicitur omnia cognoſcere, & nihil ignorare;Id quod ex pręmiſſis rationibus eſt facile conuincere;at quomodo illud intelligatur,hoc opus hic labor eſt. Varij enim ſunt ac uarij dicendi modi,tum apud Græcos,tum apud Latinos. Themiſtius;referente Auerroe in.12.Meta.,comm.51.,dicebat Deum omnia intelligere,ex quo intelligit ſe eſſe principium eorum. *Opinio Themiſtij.*

Cuius tamen ſententiam refellit Auerroes dicens,quòd omnia iſta ſunt eius qui non intelligit demonſtrationes Ariſtotelis. *Impugna.*

Qui uolebat Deum ſe ſolum intelligere,& nihil extrĩſecum; ueluti ex ijs palàm fecimus, quæ in.12.tradit Metaphyſicæ. Secundùm autem Themiſtij expoſitionem, quòd Deus intelligat extrinſeca & alia à ſe, neceſſariò conſequitur. Quia ea cognoſcit nedum ſecundùm eſſe quod habent in cauſa,uerùmetiam in ſeipſis.

Ad hæc: Data huiuſmodi Themiſtij expoſitione,intellectus tunc & intellectum in Deo non eſſent omnibus modis idem. Quandoquidem ſi alia intelligit Deus à ſe,iam liquidò conſtat,quòd intellectus & intellectum non ſunt omnino & ſimpliciter idem. Quia creatura ut in ſeipſa,non eſt idem Deo per eſſentiam,& omnibus modis. .2.

Veruntamen eſt dubitatio: inquit Auerroes;quia tunc Deus ignoraret ſe eſſe principium,& ignoraret hæc,& per conſequens eſſet ignorans; quod Deo nefas eſt. Inquit enim: Sed tamen hìc contingit inconueniens in hoc loco: & eſt ut ſit ignorans ea quæ ſunt. Hæc ille. *Dubitatio.*

Qui mox quorundam ſolutionem adducens, ait: Et ideo dixerunt quidam, *Solutio*

quorūdā. dam, quòd ipſe ſcit omnia quæ ſunt hìc, ſcientia uniuerſali, non ſcientia particulari. Et erat ſenſus iſtorum; quòd eo modo Deus ſcit ſe eſſe principium, quo cauſat hæc. Horum autem eſt cauſa uniuerſalis,& non particularis: propterea hæc ſcit uniuerſali ſcientia,non particulari; & ex conſequenti ſcit ſe eſſe principium uniuerſale, non particulare. His itaq. reiectis, ſuam aſſignat opinionem Auerroes; quam poſtea; Deo annuente, diſcutiemus.

Opinio Alexādri. Interim quid de hoc ſenſerit inter alios magnus Peripateticus, ille ex Aphrodiſiade Alexander,uideamus oportet. Ipſe igitur libro,quem edidit de Fato,cap.16., conſtantiſsimè affirmat Deum cuncta ſingularia,etiā materiata, (præter contingentia) determinatè cognoſcere. Quod uerò dicit Deum, contingentia determinatè minimè cognoſcere,ex eo declarat,quia quod eſt ſuapte natura indeterminatum,ſub ratione determinati, à quouis intellectu; etiam increato; haudquaq̃ intelligi poteſt.Quia; inquit; ſi aliter cognoſceret q̃ ſit eorum natura, pariter & impoſsibilia cognoſci utiq. poſſent & ſciri; quod eſt omnino abſurdum.Vnde dicitur,Deum ſcire Socratē futurū contingēter,quoniam & Socrates contingenter erit.Neq.aliter Deus poteſt ſcire futurum: ſecus poſſet impoſſibilia ſcire.

Sicut igitur; inquit Alexāder; qđ ſuapte natura eſt impoſſibile ad Deum etiam relatum,erit ſemper impoſſibile; quemadmodum lateri incommenſuratio ipſius diametri ſatis oſtendit: ita quòd ſui natura indeterminatum eſt ad eſſe & non eſſe, ad Deū etiam ſi referatur,ſub tali erit ſemper indeterminatione; ſecus eius præcognitio eſſet impoſsibilis. Si enim præcognitio contingentiam tollit, iam non eſt amplius contingentia, ſed neceſsitas; non igitur præcognoſcitur contingens,at neceſſarium tantùm; & ita Deus præcognoſceret contingens non contingens; quod eſt impoſsibile. Et hæc ad Ariſtotelis decreta, in præfati libri Epilogo, ſe tradidiſſe fatetur.

Sirenius cōtra Alexandrū. Cæterùm doctiſsimo patri Sirenio, ad Ariſtotelis opinionem,huiuſmodi doctrina minimè arridet. Quippe in eius uolumine cui titulus eſt de Fato,lib.6.cap.9., de mente omnium ferè peripateticorum, aſſerit Deum uel nihil extra ſe,uel ſaltem hæc ſubcoeleſtia non intelligere. Id quod probat ex Ariſtotele,12.Sapientiæ,contextu.51.,.7.Ethi. propè finem, & libello de Mundo, maximorum quorundam regum exemplo. Item ex Auerroe. Deſtructio deſtructo. diſpu.10.dub.1.,& diſpu.12.dub.3. Ac demum ex ipſomet Alexandro, qui.12.Sapientiæ, enarratio.36., primum intellectū extra ſe quidpiam intelligere negauit. Ex quo concludit,Ciceronem, lib. 2. de diuinatione magis cum Ariſtotele ſenſiſſe, q̃ Alexander; quandoquidem apertè negauit, Deum huiuſmodi intelligere inferiora.Et licèt; inquit; ibi loquatur Cicero de futuro duntaxat contingenter euentu: cenſuit tamen ille nullam eſſe apud Deos, rerum cognitionem, nullamq. itidem procurationem, quia eiuſmodi cognitionem diuinam & procurationem, contingentiæ, & temeritati, necnon hominis arbitrio aduerſari cenſebat.

Pōpona. Item Pomponatius noſter, lib. primo de libero arbitrio,cap.15.aduerſus

ſus illud quod de futuro contingenti dicebat Alexander, inuehitur; nimirũ ꝙ Deus non cognoſcit illud determinatè. Si ſic enim eſſet; inquit Pomponatius; Deus de his certiorem non haberet ſcientiam, q̃ homo, etiam medio criter inſtructus; quod rationi diſſonum eſſe uidetur. Nam unus homo certius iudicat de futuris euentibus, q̃ alter; quinimmo reperiũtur aliqui, ĩ hoc rarò decepti. Quare Deus uidetur de his eſſe certiſſimus, & determinatus. *cõtra Alexãdrum.*

Præterea; Stante Alexandri doctrina, tunc præterita, & futura non omnia eſſent præſentia & aperta Deo: quoniam ſi Deo ſunt præſentia, ſunt & determinata. Hoc aũt nedum uidetur abſurdum, uerùm etiam apertè ipſi aduerſatur Ariſtoteli, in calce libelli de bona fortuna. Hæc sũt quæ habent iſti cæteroquin peregregij uiri aduerſus Alexandrum.

Veruntamen ſi illud animaduertiſſet Sirenius, quod ab Ariſtotele (præter ea quæ in ſuperioribus adduximus) in libello de bona traditur fortuna, decimoq. Ethicorum libro, cap. 8., fortaſſis aliter ſenſiſſet. Ibi enim in hunc modum effatur: Et horum prudentium & ſapientium uelocem eſſe diuinatiuam, & ſolorum non eam quæ à ratione oportet ſuſcipere. Alij quidem propter experientiam, hi autem propter conſuetudinem in conſiderando vti. Deo autem per ſe hoc, & benè uidet, & futurum & præſens, & quorũ perijt ratio. Hæc ille. Ex quibus habetur ꝙ Deus non per experientiam, nec per doctrinam, nec per conſuetudinem, ſicut homines; ſed per ſeipsũ cognoſcit præſentia, præterita, & futura. Hæc autem quid ſunt, niſi materiata, & ſingularia? *Contra Sirenium.*

In. 10. autem Ethicorum ita inquit: At qui ex intellectu operatur, hũcq. extollit, atq. optimo afficit, is eſſe Deo cariſsimus uidetur. Nam ſi aliquam humanarum rerum curam Dij habent; ſicut uidetur; cõſentaneum eſt, ipſos re illa quæ optima eſt, atq. ipſis maximè cognata, delectari, qui eſt intellectus; eosq. qui eam maximè amant, & honorant, remunerari. Vt potè qui eorum quæ ipſis ſunt amica, curam habeant, recteq. & honeſtè agant. Hęc autem omnia ſapienti maximè ineſſe, obſcurum non eſt. Is igitur eſt Deo cariſsimus; eundemq. eſſe etiam feliciſsimum ueriſimile eſt. Quare ita quoque efficitur, vt ſapiens maximè felix ſit. Hactenus Ariſtoteles. Qui apertiſſimè vult Deum res humanas curare, & plurima ſapientibus beneficia cõferre, illumq. optimis, & ſibi ſimilibus hominibus delectari, & illos ei eſſe cariſsimos, ex conſequenti felices. Si igitur ad eos amandum mouetur & inclinatur Deus, uiſa eorum ſapientia, & uirtute, quì fieri poteſt ut eos minimè cognoſcat?

Nec reſpondeat Sirenius, Ariſtotelem huiuſmodi populariter dixiſſe: quemadmodum dicit Zimara, Theore. 83. Quandoquidem mirum eſt ſatis, Ariſtotelem non poſſe pro tali impietate defendi, niſi illum dicamus ſponte fuiſſe mendacem, & impoſtorem; in Ethicis maximè, quando seriò agit, & grauiſſimis utitur uerbis; præcipuè in eo quem citauimus loco. Hic enim ſi aliud ſenſit, & aliud locutus eſt, quid aliud appellandus eſt, quàm deceptor, bilinguis, malus, & propterea ſtultus? Sic. n. dicebat Lactantius de Epicuro, de ira Dei, cap. 4. *Solutio Zimaræ Impugna.*

Sed

Sed quod magis urget, illud eſt quòd Zimara vult ſentẽtiã, germanamq́. Ariſtotelis, de Dei cognitione opinionem, petendam eſſe ex unica Metaphyſica, cuius intereſt hoc determinare. At eiuſdem minus eſt etiam ratione declarare ſapientię, cùm & ipſa Sapientia ſit, propterea in eius proœmio ita inquit: Cuius autem gratia nunc ſermonem facimus, illud eſt, quòd appellatam ſapientiam, circa primas cauſas & principia, omnes arbitrantur verſari. In.6.quoq. Ethicorum, cap.7., in hunc modum effatur: Patet igitur ex ijs quæ diximus, ſapientiam ſcientiam eſſe, & intellectum eorum quæ honorabiliſſima ſunt natura. Quapropter Anaxagoram & Thaletem, & ſimiles, ſapientes quidem, at non prudentes inquiunt eſſe, cùm uident ipſos propria commoda ignorare, & ſuperflua quidem; & admiranda, & difficilia cognitu, diuinaq́. ſcire ipſos.

Ad Metaphyſicam inſuper, ſpectat tractare an Deus ſit omnium finis, & quomodo; idcirco in.12.libro, contextibus. 36., 37., & 38., docet quòd mouet ut finis, quòd habet rationem ſummi intelligibilis, quòd habet rationem optimi appetibilis, ac demum quòd mouet ut amatum. In contextu uerò.52., dicit quòd totius uniuerſi bonum, ad tale ſummum bonum, tanq̃ in uerum & proprium finem ordinatur. Moralis autem philoſophiæ munus eſt declarare quomodo ſit finis hominis, ſub quaúe ratione. Eapropter in.10.Ethicorum, cap.8., oſtenditq́ contemplatiua felicitas, quæ eſt operatio ſecundùm ſapientiam, eſt ſuprema noſtra beatitudo. Et ita ultimam & ſupremam felicitatem humanam collocauit in operatione ſecundùm ſapientiam, qua uirum ſapientem vult cùm cauſa ſua quoquo modo coniungi; ideſt cum ſummo Deo authore ſuo; ut ei per contemplationem eo pacto amiciſſimus, uel acceptiſsimus fiat, & per quandam amicitiam; ſi dicere licet; ei coniungatur, quò ad fieri poteſt. Ecce igitur q̃ hæc omnia benè conueniant. Quare & eodem modo de ipſiusmet Dei Glorioſi intelligere, mihi dicendum uenit. Moralem ſiquidem philoſophiam ante Metaphyſicam ſcripſit, ordinauitq́. Ariſtoteles; prout in eius proœmio ipſe teſtatur dicens: Dictum autem in moralibus eſt, quænam ſit artis & ſcientiæ differentia, ac cæterorum, quæ eiuſdem generis ſunt. Hæc ille. Ex quibus conſtat q̃ ea quæ in Metaphyſica docet, & in moralibus, optimè conſonant. In moralibus igitur ſupponit & præaccipit Deum omnia intelligere, præcipuè res humanas, earumq́. curam habere; ueluti in ſuperioribus ex.10. Ethicorum, cap.8. iam ſatis habuimus. Modum autem quo ipſe Deus Benedictus omnia intelligit, ad Metaphyſicam, tanq̃ ad facultatem cuius intereſt huiuſmodi determinare, remittit. Hanc ob cauſam in præfato cap.8. loquutus eſt per hoc uerbum (uidetur) & per hoc uerbum (exiſtimatur) dicens: At uerò qui mente operatur, & eam colit, diſponitur optimè is, & amiciſſimus Dijs immortalibus eſſe uidetur. Nam ſi Dij curam humanarum rerum; ut exiſtimatur; aliquam habent, rationi ſanè cõſentanéum fuerit, ipſos eo gaudere quòd eſt optimum, maximeq́. ſibi cognatũ. Hoc igit̃ utitur modo loquendi Ariſtoteles, nõ quia ſit in uia populorum; ut uoluit Zimara, ſed quia illud nondum probauerat; nimirum Deum omnia cognoſcere, totiusq́. uniuerſi curam habere. Secus idem de Meta-

phyſica dicere poſſemus: in cuius procemio, conſimili utitur modo loquendi, cùm ait: Cuius autem gratia nunc ſermonem facimus, illud eſt, quòd appellatam ſapientiam circa primas cauſas, & principia, omnes arbitrantur uerſari. Hæc ibi. Quibus dicit Metaphyſicam ſapientiam appellari, & circa primas cauſas uerſari, ut omnes arbitrantur.

Confirmatur doctrina; quia ſi quæſtio de Cognitione Dei eſt nobiliſſima, & maximè ab hominibus deſiderata, non minus deſideratur quæſtio de beatitudine, cùm ſint cognatæ & annexæ; quare non benè conſonat quòd tractando Ariſtoteles de ultima hominis felic itate, populariter loquatur; ueluti dicebat Zimara; ſiue non ex ratione naturali, at ex ijs quæ ut homo prius credebat; prout docet Epiſcopus Caſertanus, de euerſio. ſingu. certaminis, lib. 27., ſectio. 5., & deinceps.

Accedit q̃ ſi Ariſtoteles uarijs argumentis in Ethicis demonſtrat, beatitudinem noſtram ſitam eſſe in Sapientiæ operatione, & in altiſſimarum cauſarum contemplatione; idem affirmant uniuerſi Philoſophi; nimirum Plato, Socrates, Seneca, Plutarch., Cicerò, & alij, quos diligenter refert Auguſtinus Eugubinus, lib. 10. de perenni philoſophia. Non igitur de ea pertractãs, populariter loquitur Ariſtoteles.

Sed uideamus Euſtratium, præcipuum Ethicorum Commentatorem, ſuper eo quẽ citauimus loco, ubi dicit: Gaudet Deus omnibus à ſe effectis rebus, vtpotè quæ ualde bonæ ſint, intellectu tamẽ prçcipuè, eo quòd maximè ſibi eſt cognatus, oblectatur. Cognatus uerò eſt Deo intellectus, nõ ſubſtãtia & eſſentia, ſed eoq́; ea natura eſt præditus, ut in ſeipſum reflecti poſsit, ſeq́. ipſum contemplari; atq. ita ex ea in ſeipſum collectione, in Deũ quoq. ipſum, à quo amatur, ſublatus, deificetur; ideſt Deo ſimilis, quoad eius fieri poteſt, efficiatur. Cognatus igitur Deo uniuſcuiuſq. noſtrum intellectus eſt, ex operationis ſimilitudine. Quòd ſi cognatus ĩtellectus noſter Deo eſt, conſentaneum eſt, ut amantes eum atq. honorantes, Deus amet, ac remuneret. Et paulò poſt inquit: Si nos eos amamus, qui filios noſtros, nobisq́. cognatos diligunt, quantò magis conuenit, ut qui bonitatis omnis fons eſt Deus, amore eos proſequatur, qui rem ipſi cognatam amant, atq. excolũt? Demum concludit dicens: Quare ciuilis quidem Deo carus & felix; ſed cõtemplatiuus Deo cariſsimus & feliciſsimus cenſendus eſt. Hactenus Euſtratius. Cuius quidem uerba, ueritatem in ſe nullam continent, niſi Deus hæc intelligat inferiora. Audiamus, inſuper, Ammonium in libro de Interpretatione Ariſtotelis, ea in parte, qua de futuris contingentibus uerba facit, ita loquentem: Cùm hæc ita ſe habeant, dicendũ eſt, Deos noſſe oĩa, quæ facta ſunt, quç sũt, quç futura ſunt, & quæ erunt, eo modo qui Dijs conueniat; hoc eſt, una, ac certa, & definita, quæq́. tranſire non poſsit, cognitione; atq. ita etiam, eos præditos eſſe cognitione contingentium; utpotè qui omnia quæ in Mundo ſunt producant. Hæc ille. Qui & parũ infra ſubdit: Deorum cognitionem cũ rerũ fluxu cõcurrere, eiq. comparari, neq. quicq̃ apud eos eſſe aut præteritũ, aut futurũ; neq. in eis dici erat, uel erit, quæ mutationem quandã indicant; ſed ſolum eſt, idq́. non cõnumeratũ cũ uerbis fuit & erit. Ita Ammonius. Qui idẽ ſuperius cõfirmauit eſſe de mẽte Ariſtotelis, dicens:

K Fieri

Fieri non poteſt ut Dij res noſtras ignorent; neq. ut earum incertam, indefinitamq́. cognitionem, tanq̃ de euenturis coniectantes, habeant. Primũ enim; ut nos etiam Thimæus docuit, & ipſe Ariſtoteles theologicè differẽs pronunciat. Hæc ille. Cujus quidem uerba, non populariter, atqui ſeriò sũt dicta. Magentinus quoq. in libro de Interpretatione, quorundam argumẽtum adducit, dicens: Secundum ipſorum argumentũ eſt, utrum Deus ſciuit futurum, aut nõ ſciuit. &c. Ipſe uerò reſpondens, ait: Nos igitur dicimus ad hoc, q ſciuit hoc futurum, & ſciuit determinatè; Non quia ſciuit, propter hoc fit; ſed quia fit, propter hoc ſciuit. Hæc ille. Sed & ipſe Simplicius. 8. phyſicarum auſcultationum, in. 2. digreſsione aduerſus Ioann: Grammaticum, paulò poſt principium, ait Dei Glorioſi cognitionem eſſe omnium ſimul, præſentium, præteritorum, & futurorum. Non igitur benè dicunt Sirenius & Zimara.

Solutio Sireny, & Zimaræ.

Atqui reſpondet ipſe Sirenius lib. 6. prænarrati uoluminis, cap. 12. in calce; huiuſmodi aſſerta eſſe intelligenda in hoc ſenſu, q ſcilicet Deus hæc oĩa intelligat, non ut in ſe eſſe habent ſingula, & diſtinctè; ſed uel ut quadam ſpecie diuino intellectui præſentia fiunt; uel ut eminenter in eſſentia diuina, ſiue tanq̃ in perfectiſsimo ente, ſiue tanq̃ in prima, & præcipua, & efficaciſsima cauſa cuncta continentur; Cum qua tamen cognitione ſtat, Deum ſingularia iſta, ut ſunt ſingularia, & ut in tempore ſunt, neſcire.

Zimara quoq. theo. 83. dicit q Ariſtoteles vult Deum omnia cognoſcere, ſed nobiliori modo q̃ nos, aut q̃ ſint in ſuo proprio eſſe.

Impugna.

Verùm huiuſmodi doctrina non benè conuenit cum ijs quę ex Ariſtotele diximus; 10. Ethi. cap. 8. quibus optimè illa correſpondent, quæ tradit ipſe. 8. eiuſdem voluminis libro, cap. 7. quo loci vult Deum erga bonos habere amicitiam; non quidem ut inter æquales, ſed ex ſupereminentia, quã ipſe uócat ut ſuperioris ad inferiorem. At quænam amicitia eſt iſta, ſi Deus bonos in ſe, & formaliter minimè cognoſcit? Ni fortè dicant Ariſtotelem populariter loqui, & ita quòd tota moralis Philoſophia ſit falſa, & mendacijs plena.

Aſt nunquid & populariter, minuſq́. uerè in libro de Mundo loquitur, cap. ultimo? Ibi enim poſtq̃ omnia dixerat Dei eſſe opera, Coelum, Terram, animantia, atq. omnibus dare uitam, & cũcta gubernare, ac regere; ita ut etiam terremotus, imbres, undarumq́. excurſiones, incendia, atq. iterum inflammationes aliquæ ſupernè delapſantes, partes orbis aliquando exuſſerint: Mox ſubdit: Quo tempore, qui è mortalium genere pietate erant imbuti, ij numine diuino eximio honore, ingentiq́. affecti ſunt. Siquidem iuuenes & robore ualentes, cùm parentes ſuos ætate iam confectos humeris ſuſtuliſſent, igneo flumine iam iam opprimendi, in eo erant ipſi ut interirent: cùm ecce flumen ipſum ita ſe ſcidit, ut huc & illuc diuerſi fluctus digrederentur, iuueneſq́. intactos cum ſenibus tranſmitterent. Hæc ibi. Quæ ni Deus hæc intelligat inferrora, eaq́. formaliter & in ſeipſis, quomodo uera ſint, utiq. non uideo.

Solutio Caſertani.

Diceret fortaſsis Epiſcopus Caſertanus, q illa ſunt uerba Ariſtotelis, nõ naturaliter loquentis, ſed ſimpliciter credentis.

Impugna.

At nugæ iſtæ; nunquid Ariſtoteles in libris de Coelo naturaliter loquebatur? Illum igitur audiamus in.2. eius uoluminis libro, contextu: 56., ita loquentem: Veluti id quod futurum erat, prouidente natura, quòd non hoc modo ſe ſe habente motu, nihil utiq. eſſet eorum, quæ ſunt circa hìc exiſtētem locum, ſimiliter ſe habens. Hæc ille. Quæ quidem exponens Simplicius; huius Philoſophi grauiſsimus Interpres; ex Alexandro in hunc modū effatur: Secundò autem notat, & hoc benè, quòd ex his quæ hìc dicuntur, manifeſtus eſt Ariſtoteles planè exiſtimans prouidentiam eorum, quæ hìc ſunt. Naturam enim; ait; prouidentem eorum eorum hìc ſunt, facere ſphæras motas, ſed non aſtra. Nam cauſa faciens hæc, & prouidet; patet autem quòd naturam nunc Deum uocat Ariſtoteles. Nam propriè ab ipſo dicta natura principium motus, & quietis, in quo eſt, non ſolùm prouidere non valet, ſed neque uidere, aut cognoſcere totaliter nata eſt, neque ſentire, in ſenſibilibus corporibus primùm innata. Hactenus Simplicius; Et eſt ſuum comm. 37. Ex quo patet, Deum hæc inferiora cognoſcere, eiſq. prouidere.

Solutio Sirenij.

At Sirenius dicet prout de Fato lib.4., cap.26.; nempè quod Ariſtoteles cognitionem & prouidentiam in diuinis æquè procedere nunquam aſſeruit.

Impugna.

Verumenimuerò ſi hæc & illa quæ in libro dixit de Mundo Ariſtoteles, adinuicem conferamus, totum ſequetur oppoſitum, ſaltem quò ad hoc, ꝙ ſicut Deus prouidet omnibus ſingularibus, ita etiam eadem intelligit. Hoc addito, ꝙ Simplicius.8. phyſicarum auſcultationum, digreſsione.2. aduerſus Ioan. Grammaticum, paulò poſt initium, hoc notatum reliquit: Itē futurorum Deus notitiam habet; quæ futura ſunt, non ſunt uniuerſalia, ſed ſingularia & indiuidua: ut Socratis cognitionē priusq̃ ſit & Platonis habet. Et paucis interpoſitis, ſubdit: Vt enim Deus ſine tempore ea quæ ſub tempore labuntur intelligit; ſic nos ea quæ ſupra tempus, quod labitur & fluit, modo temporis intelligimus. Deus igitur ſingularia intelligit, quatenus ſingularia ſunt, ad aures etiam ipſius Simplicij; quod nihiloſecius non admittit Sirenius, lib.6. de fato, cap.12. Vbi etiam dicit, quòd de diuina cognitione ſequutus eſt illorum Ariſtotelis interpretum opinionem, quæ magis dogmatibus eiuſdem accommodatior eſſe uidetur. Verùm huiuſmodi opinio eſt latinorum quorundam, quibus tota aduerſatur ueterum Peripateticorū ſeries; in qua etiam connumerantur Themiſtius, & Philoponus; qui huic noſtræ ſententiæ optimè fauent; ille in paraphraſi.12. Metaphyſicę, iſte in primo de poſteriori reſolutione, ſuo commento.95. Quibus ſubſcribunt latinorum nobiliores, atq. famoſiores Interpretes; prout videbimus infra. Interim rationes aduerſus Alexandrum erectæ, relinquuntur diluendæ.

Rationes diſſoluuntur Sirenij & Pomponatij in Alexandrum. Cap. 5.

PRiusq̃ Rationes Sirenij & Pomponatij aduerſus Alexandrum erectas è medio tollamus, eius circa Dei cognitionem de ijs quæ cõtingenter eueniunt, germanus ſenſus venit aperiendus, ut inde ordine præpoſtero omnibus & ſingulis eorum rationibus conemur facere ſatis. Illud igitur in primis annotandum eſt, ꝙ quando Alexander dicit de mente Ariſtotelis, Deum omnia, etiam ſingularia materiata; præter Contingentia; determinatè cognoſcere; illud non intẽdit quod ſibi Pomponatius impingit, nimirum Deũ de rebus contingentibus eſſe minimè certum; nimis enim abſonum illud eſſet, & Alexandro omnino indignum. Atqui mens eſt Alexandri, ꝙ Deus ipſe Benedictus, contingens utiq. cognoſcit, at non ſub ratione determinati, atq. neceſſarij; veluti Stoici ineptiſsimè aſſerebant; qui ex eo ꝙ Deus futurum cognoſcit aliquid, illud abſolutè, & ſimpliciter neceſſariò euenire arbitrabantur; verùm ſub ratione contingentis atq. indeterminati; quia Dei cognitio, rei naturam eſſentiamué nullatenus mutat. Contingens igitur à Deo utiq. cognoſcitur; inquit Alexander: & eius cognitio eſt certa, ac in eo ſenſu determinata, ꝙ ſcilicet Deus eſt de eius euẽtu certiſsimus: ob id tamen non ſequitur, quòd fiat de contingente neceſſarium: at ſemper manet in propriâ natura, licèt, ut ſic, neceſſarium ſit ſecundùm quid, & quò ad modum eſſendi, ſeu quò ad ſtatum; ut dicunt alij. Et quòd hæc fuerit mens Alexandri, iam ſatis in ſuperioribus declarauimus; ſed modò illud addendum cenſuimus, quod ipſe in memorato loco his uerbis notauit: Quoniam uerò ſi futura pręcognoſcere eſt, & res ipſas eiuſmodi quales ſunt cognouiſſe, (aliud enim eſt præcognoſcere ab ipſo facere) proculdubio Contingentia præcognoſcens, vt talia præcognoſcet; non enim eſt præcognitio ipſum contingens ut futurum, neceſſariò futurum eſſe dicere: Quare & Dij contingentia, ut contingentia, utiq. præcognouerĩt, ad quod ex huiuſmodi prænotione, non omnino ſequetur neceſſitas. Hæc Alexander. Qui ex eo quòd Deus cognoſcit contingens, non negat quin ibi ſit aliqua neceſſitas, nempè ſecundùm quid, & connexionis: at rectè dicit, ꝙ ibi non eſt omnino neceſſitas; ideſt ſimpliciter & abſoluta. Ex his modò facilè conſtat quanti ſint roboris & momenti, Rationes Pomponatij: procedunt enim ex mala intelligentia uerborum, & ſenſus Alexandri.

Ad.2.Pōponatij. Idcirco ad ſecundam negatur illatio. Sunt enim Deo omnia præſentia, & aperta. Verùm illud negamus quod inferebant Stoici: nimirum illa propterea eſſe ſimpliciter neceſſaria, & abſolutè.

Ad pri. Eodem modo dicitur ad primum: illud enim quod conſequitur non admittimus. Quandoquidem non negat Alexander, quin de re contingenti, ſit Deus certiſſimus: ſed negat ꝙ ex huiuſmodi ſua certitudine, neceſſitas ſequatur in ea, ſimpliciter & abſoluta. Quoniam nil aliud intendit in illo 16. capite de fato; prout etiam eius rubrica optimè declarat; ſic enĩ iacet:

Ex Deorum præcognitione non inuehi futurorum neceſſariũ euentũm. Ex quò liquidò conſtat, Pomponatium laborare ſemper in æquiuoco.

Quando etiam dicit Pater Sirenius, quòd Alexander in. 12. Meta., parte. 36., primum intellectum extra ſe quidpiam intelligere negauit; illud (pace ſua dixerim) falſum eſſe, eius uerba inſpicienti ſtatim palàm fiet. Et ſi alibi ſimile dicere uidetur, cum eius præceptore optimè conuenit; ueluti poſtea dicemus. De Auerroe non ſit modò nobis ſermo; quia inferius eius de hoc ſententiam aperiemus.

Ad ultimam Sireni authoritatem.

Ad illud Ariſtotelis de Mundo, dicimus quòd ibi ſermo eſt non de ipſius Dei cognitione, ſed de eius operatione; quòd ſcilicet ſicuti Cambyſis, Xerſis, & Darius, magni Reges, non omnia immediatè operabantur; illud minus Deo excelſo conuenire poteſt. Et quòd ita ſit, uerba Ariſtotelis conſideranti, facilè conſtare poterit. Inquit enim: Atqui ne ex hominum quidẽ principum dignitate eſſe duxeris, cuilibet operi incumbere; ut (uerbi gratia) exercitus Ducis, aut vrbis præfecti, atq. etiam domus primarij, diſpenſatoris, ſi faſciculum ſarcinarium componere, aut uiliorem aliquam operã obire uſu uenerit ut neceſſe ſit, cuiuſmodi munere magni Regis tẽpore ne quoduis quidem mancipium eius facilè obiuiſſet. Quippe, ut proditur, uiſendà quędam ſpecies Cambyſis, Xerſis, & Darij regnantium in exquiſitum maieſtatis faſtigium exornata erat, compoſitaq. magnificè, omnibuſq. numeris uenerationis auguſta. Hæc ille. Qui multis interpoſitis uerbis, demũ ita concludit. Quapropter ſi è dignitate Regis haudquaq̃ eſſet, Xerſem functione propria adminiſtrare omnia; & abſoluere quæcunq. facta cuperet, ne ipſum quidem operibus faciendis inſtantem curatoris operum officio perfungi; longè id nimirum minus Deo cõuenit. Quare auguſtius id, decẽtiuſq. exiſtimandum eſt, Deum ſummo in loco ita eſſe collocatum, numinis ut tamen eius uis per uniuerſum Mundum pertinens, tum Solem, Lunamq. moueat, tum Coelum omne circumagat, ſimulq. cauſam præbeat eorum quæ in terra ſunt, ſalutis atque incolumitatis. Hactenus Ariſtoteles.

Cuius etiam uerba in. 7. Ethi. ſub finem conſcripta ſi conſideremus, illud perſpicuum erit & clarum, ꝙ nil aliud vult Ariſtoteles, niſi ꝙ Deus cùm ſit ſummè ſimplex, unica atq. ſimplici uoluptate gaudere debet. Et quia hæc vnica uoluptas non conſiſtit in motu, cùm Deus ſit omnino immobilis; minus dicendum eſt illam conſiſtere in quiete, quia tunc in Deo uideretur eſſe aptitudo mouendi.

Relinquitur igitur ꝙ conſiſtat in ſpeculatione; quę unica in Deo eſt, atq. ſimplicſsima. Hæc tamen non repugnat, quin ſingularia propriè & formaliter cognoſcat; ut uidebimus infra.

Ad illud ex Metaphyſica dicimus, quòd ibi Ariſtoteles concedit, Deum nihil externũ ſcire, à quo mẽs eius perfectior, & quaſi expolitior reddatur: cùm ad eius perfectiſsimam abſolutionem, & pręſtãtiam excellentiſsimam, nulla poſsit fieri acceſsio. Non tamen ex eo effici concedit, ut Deus præter Deum intelligat nihil: nam ſe intelligendo, cætera omnia cõprehendit. Nimirum cùm intellectio Dei ſcit idem atq. Deus, ſit autem Deus optimus

& perfectiſsimus, ſequitur, intellectionem eius optimam, perfectiſsimamq́. exiſtere. Deus igitur ſeipſum acerrimè intelligendo, reliqua omnia intelligat oportet. Neq. eius diuinam maieſtatem, rerum uel leuiſsimarum ſciētia, uiolare, atq. imminuere poteſt. Quandoquidem reliqua intelligendo, neq. à contemplatione ſui aberrat, neq. aliqua ex parte commutatur, neq. acquirere poteſt quicq̃, aut amittere. Quod tamen non ita clarum eſſet, ſi intelligenti aliqua perfectio foris accederet, & rei perceptæ ſimilitudo, eius propria non eſſet eſſentia; niſi fortè aliunde illa emanaret; quod à Deo Glorioſo eſt omnino alienum. Et iſte eſt germanus ſenſus Ariſtotelis, .12. Meta., parte.51.; quicquid dicat Epiſcopus Caſertanus, de euerſio. ſingula. certa., lib.27., ſectio.1., 2., & 3. Ibi enim putat ſemper, Deum per ſpecies aliunde acquiſitas, & in tempore, ſicut & nos, intelligere, ſi ea quę sūt extra ipſum intelligat. At apud Deum non datur fuit vel erit, ſed tantū eſt; Id quod etiam in ſuperioribus, iuxta Ariſtotelis, eiuſq. grauiſsimorum interpretum placitum oſtendimus.

Vult igitur ubiq. Ariſtoteles, ſummum rectorem, & dominum uniuerſi, intelligentem quidem eſſe omnium rerum; ab iјs tamen neq. perfici, neq. præſtantiæ quicquam ſibi comparare. Neq. enim ſcientiam à rebus ipſis profectam habet, neq. ſimilitudo rerum, per quam illas cognoſcit, alia eſt atq. ſua ipſius eſſentia. Quæ quidem, tantum abeſt, ut principiū ducat aliunde, ut ipſa omnium rerum & fons, & propria, cōmuniſq́. ratio exiſtat; quippe quam naturæ cunctæ, pro ſua quæq. facultate nituntur exprimere, ut nihil cuiuſq̃ proprium ſit, quod ad ſimilitudinem illius exemplaris æterni nō effingatur: cuius imitatio uaria, diuerſaq́., multiplices efficit naturas rerū. Ex quo etiam concludi poteſt, eſſentiam diuinam, explicatam, propriamq́. rerum omnium tenere ſcientiam; proptereaq; ipſa, propria, naturæ cuiuſq. ratio exiſtit. Hanc ob cauſam vult Ariſtoteles Deum, unica & ſimplici uoluptate gaudere; quia unica eſt eius eſſentia, atq. ſimpliciſsima cōtemplatio; prout in Ethicis ipſe docet. Nec ſatis mirari poſſum Reuerendiſsimum Caſertanum; qui ex eo q; Deus ſeipſum & hæc ſimul inferiora intelligit, inferebat non unicam eſſe ipſius, ac ſimplicem uoluptatem. Etenim Deus vnica in tellectione, ſeipſum, & reliqua omnia, ſiue intereant, ſiue non, utiq. intelligit & cognoſcit: intelligendoq́., certos cuiq. generi fines pręſcripſit, atq. ad eos capeſcendos propenſionem, & uim accommodatam ingenuit; neq. ſolùm uniuerſis, ſed etiam ſingulis hominibus conſulit & prouidet. Nec ob id in eo actionem fatemur externam, quia ſeipſum intelligendo, reliqua cognoſcit. Et quia eius diuiniſsima eſſentia eſt ratio intelligendi omnia & obiectum, idcirco in.12. Sapientiæ rectè concluſit Ariſtoteles, Deū ſeipſum tantummodo intelligere. Res enim prout habent eſſe in eſſentia Dei, non ſunt reapſe aliud q̃ Deus; & propterea non eſt ibi multitudo intellectorum, nec diuina eſſentia eſt multiplex & uaria, neq. diſtinctis imaginibus depicta; quæ quidem imagines, res diuerſas referant; ueluti arbitrabatur Caſertanus. Quia licèt multa intelligantur, in eo tamen intelligūtur, quod eſt Dei eſſentia. Non enim alia in eſſentia continentur diuina cum quadam diſtinctione; prout res in ſpeculo relucent. At omnia in ea continentur

nentur indiſtinctè, eminenter, & eleuatè; ut effectus in cauſis eminentibus: ſic tamen perfectè, ac ſi diſtinctè continerentur. Et ita patet ad obiecta Sirenij, Pomponatij, & etiam Caſertani, quæ in .2. cap. huius ſectionis recenſuimus.

Quid de Dei cognitione ſenſerit Auerroes. Cap.

IN hac quæſtione non deſunt qui laborent, & uaria dicant, atq. inter ſe pugnantia, ueruntamen unicus adeſt Ioan. de Baccone, cuius, in hac parte, ſententiam proſequi ſum arbitratus. In primo ſiquidem Theologicarum ſenten. d. 35., q. 1. per totam, & d. 39., q. 1. ar. 1., mentē Auerrois de Dei cognitione exponendo, tandem concludit, Deum ſeipſum intelligendo, omnia alia conſequutiuè intelligere; intelligere; inquam; nedum in communi, ſeu quatenus entia ſunt, uerùm etiam diſtinctè, & omnibus modis, quibus cognoſcibilia ſunt. Et in memorata d. 35., ar. 2. & 3. oſtendit oppoſitam ſententiam falsò Ariſtoteli impingi, atque eius Commentatori Auerroi. In d. uerò 39. opinionem Auerrois hoc ordine declarat.

Primò dicit quòd Deus nihil extra ſe intelligit immediatè, ab eis ſcilicet ſcientiam acquirendo; quoniam tunc eius intellectus uileſceret, & ab aliquo perficeretur extrinſeco. *Opinio Ioan. de Baccone.*

Secundò dicit, ꝙ Deus iſta multa & plura intellecta, in ſeipſo unitiuè intelligit; ſicut omnia ſunt in eſſentia ſua unitiuè, & non aliud ab eſſentia ſua. Idq. ex Auerroe hunc in modum oſtendit: Si omnia à nobis intellecta, idē eſſent cum intellectu noſtro, ipſeq. non accidentaliter, at eſſentialiter ſe intelligeret; tunc planum eſſet, ꝙ intelligendo ſe, multa in ſeipſo, & non extra, unitiuè, ſeu adunatè intelligeret, & plura. Commentator autem in .12. Sapientiæ, comm. 51., dicit ꝙ plura intellecta quæ ſunt in intellectu diuino, idem ſunt cum eo; qui & ſeipſum eſſentialiter intelligit. Fit igitur conſequens, ꝙ diuinus intellectus ſeipſum intelligendo, in ſeipſo, & non extra, multa adunatè intelligat, & plura.

Dicit tertio loco; ꝙ Deus non alia à ſe cognoſcit, tranſeundo à ſui ipſius cognitione, ad aliorum cognitionem, prout ſunt in ſeipſis; quemadmodum credebat Themiſtius; at ex eo ꝙ ſeipſum cognoſcit in ſeipſo, & alia ſe continere cognoſcit, & quòd eſt cauſa eorum eſſe. Et hoc eſt; inquit; quod dicit Commentator: Et ueritas eſt, quòd primum ſcit omnia ſecundùm quod ſcit ſe tantùm, ſcientia in eſſe, quod eſt cauſa eorum eſſe. Vnde non dicit, ſecundùm ꝙ eſt cauſa; ſed dicit quod eſt cauſa; ſcilicet eorum eſſe. Etenim intentio eſt Auerrois, quòd Deus extra ſe intelligit nihil, tanq̃ obiectum ſpeculatum & intellectum, eiuſq. terminans actum intelligendi, prout uolebat Themiſtius; ſed omnia intelligit in ſeipſo; itaquòd intelligendo ſe cō prehenſiuè, intelligit alia. Et uocat cognoſcere in cauſa, cognoſcere omnia in eo quod eſt tale per eſſentiam; in quocunq. genere ſit cauſa, non curando.

Demum

Demum dicit Ioannes, quòd Deus; iuxta Auerroïs placitum, cognoſcens alia in ſeipſo, nedum ea cognoſcit quò ad eſſe quod habent in ipſo Deo, uerumetiam diſtinctè, & ut ſunt in ſeipſis, omnibusq́; modis quibus cognoſcibilia ſunt. Id quod tali pacto declarat: Dicit Auerroes, quòd qui ſcit calorem ignis tantùm, non dicitur neſcire naturam caloris exiſtentis in reliquis calidis; ſed iſte eſt qui ſcit naturam caloris, ſecundùm quòd eſt calor. Tunc arguo: Si aliquis, calorem ſciret per eſſentiam, ſcilicet ignis tantùm; & hūc perfecta comprehenſione; ſciret omnia calida, omnibus modis quibus sūt calida: Quia da oppoſitum, non comprehenderet calorem. Igitur à ſimili: Si primum ens ſcit ſe tantùm, quòd eſt ens per eſſentiam, & comprehenſiuè; ſequitur quòd ſcit omnia entia, omnibus modis quibus ſunt entia, Cognoſcere autem omnia entia, omnibus modis quibus ſunt entia, eſt cognoſcere ea diſtinctè ſecundùm ſua eſſe propria. Deus igitur intelligendo ſe tantùm, comprehēſiuè, excluſo omni alio obiecto terminante eius cognitionē, cognoſcit alia diſtinctè, ut ſunt in ſeipſis.

Confirmatur doctrina duplici exemplo naturali, quorum primum tale eſt: Numerus ſenarius eſt formaliter conſtitutus aliqua unitate, quandoquidem non eſt bis ter, ſed ſemel ſex; prout habetur quinto Meta., & tamen liquidò conſtat, quòd qui comprehenderet illam unitatem, nempè ſenitatem, duas trinitates, & ſex unitates diſtinctè cognoſceret. Cùm enim hæc in eo quoquo modo contineantur, non eſſet comprehenſio eius, niſi hæc omnia ſecundùm ſua propria cognoſcerentur. Sic in propoſito, Deus comprehendendo ſeipſum, qui eſt per ſe quædam unitas cognoſcibilis omnium &c.

Aliud exēplum ualde conueniens eſt, poſito, gratia exempli, quòd unitas omnium concluſionum, quæ in primis continerentur principijs, eſſet eadem unitas per eſſentiam cùm unitate prioris ſecundùm continentiam perfectionalem; ſicut ponit Commentator. 12. Meta., com. 51., quòd plura in intellectu diuino, non ſunt aliud ab eſſentia intellectus diuini. Si igitur intellectus noſter, prima comprehenderet principia, & ſtaret ſemper indefectibiliter ſpeculando, & non transferret ſe à ſpeculatione principiorum, ad ſpeculandum concluſiones in ſeipſis; tunc manifeſtum eſt quòd perfectiſsimè comprehendendo prima principia, etiam perfectiſſimè, adunatè, & ſimplici comprehenſione comprehenderet omnes concluſiones; Geometricas, Aſtronomicas, & omnium aliarum Scientiarum. Talis autem comprehenſio non eſſet omnino totalis, & perfectiſſima, niſi ad illam conſequeretur cognitio rei, ſecundùm omne ſuum eſſe. Intellectus igitur noſter comprehendendo perfectiſſimè, adunatè, & ſimplici comprehenſione prima principia, & omnes concluſiones in eis, conſecutiuè ſaltem, cognoſceret omnes concluſiones in ſeipſis. Et ſic arguendum eſt per omnia de intellectu diuino. Hanc eandem doctrinam tradit Ioannes in primo quolib., q. 9., 10., 11., & 12. quam poſtea proſequitur in 2. quolib., loquendo de Ideis.

Propterea in primo quolib. q. 9., ar. 1., hoc idem oſtendit ratione elicita ab exemplis Commentatoris, tali pacto: Agens uirtuale modo naturæ,

ad hoc quòd effectus producat diſtinctos, quantùm ſit ex parte ſui, diſtinctos modos producendi minimè requirit: ſed unica uirtute, diſtinctos effectus producere poteſt; ueluti in Sole facilè conſtat. Idem fatendum eſt de Agente perfectionali; .V.G. vnica anima intellectiua ita eſt principium operationum, ſcilicet intelligendi, ſentiendi, & uegetandi, ac ſi eſſent in homine tres animæ, tresq. perfectiones diſtinctæ. Ex quo mox erigitur ratio in hunc modum ſubſumendo: Deus autem eſt continens uirtuale reſpectu omnium aliorum à ſe, quaſi naturale; & hoc vult Commentator, quã do comparat eum ad calorem, qui eſſet calor ſecundùm ꝙ calor. Eſt etiam continens perfectionale; & hoc vult ſecundum exemplum, quando comparat ipſum ad naturam totalis entis, in eo ꝙ eſt ens ſimplex. Etiam eſt continens intellectuale, cum quo omnia intellecta ſunt idem; ut dicit tertium exemplum. Et ex hoc quòd eſt continens intellectuale, non eſt peioris cõditionis, q̃ reliqua continentia, cùm eſſe intellectuale ſit eſſe perfectionis. Deus igitur qui eſt continens uirtuale, perfectionale, & intellectuale, unica actione intellectiua, ex parte ſui, qua ſcilicet ſe tantùm ſcit, poteſt omnia entia diſtinctè cognoſcere, ſiue in diſtincto cognito eſſe producere, ſicut & naturale. Hoc autem uocat conſecutiuè cognoſci. Quare &c.

Id quod etiam duplici uia confirmat, & primò ſic: Quòd ab unica uirtute perfectionali diſtincti effectus procedere poſsint, ſufficit ꝙ ſit diſtinctio in potentijs paſſiuis, uel obiectis; ut patet in Sole & anima intellectiua, reſpectu diuerſarum operationum. Sic eſt in propoſito; quia omnia quę cõtinentur in uirtute diuina, licèt non ſint eſſentiæ quædam diſtinctæ extra Deum; tamen ut in potentia diuina continentur, ſingula eorum habent eſſe poſſibile obiectiuum tale, ꝙ nulli ex eis fore & eſſe repugnat; immo dicunt potentiam quæ eſt poſsibilitas terminorum, ſecus potentia Dei eſſet reſpectu impoſsibilis. Illud autem eſſe non ponitur eſſe productum, quia eſſe merè poſsibile obiectiuum, ſeu in intellectu, nõ eſt terminus productionis. Singula igitur eorum habent eſſe obiectiuum per eſſe alterius, & ita conſecutiuè, uel per quandam reſultationem. Modus autem cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. Reſultatiuè igitur ſingula ſunt cognita, ſecundũ ſuas ſingulas proprias poſsibilitates. Quod eſt propoſitũ. Secundò; Quòd cauſa uirtualis poſſit unica uirtute ex parte ſui in plura, eſt propter perfectionem comprehenſionis; quia ſcilicet comprehendit totam uirtutem plurium cauſarum. At planum eſt ꝙ Deus intelligendo ſe, qui eſt omnia ſecũdùm continentiam uirtualem, perfectionalem, & intellectualem, comprehendit ſe comprehenſione perfecta. Ex perfectione igitur actus compreheñſiui, qua ſe tantũ, qui eſt totum ens, comprehendit, alia plura & diſtincta cognoſcit. Hoc autem eſt conſecutiuè cognoſcere. Quare idem ſequitur quod prius. Vnde iſta quatuor ſe habent ſecundùm ordinem; primò Deus continet adunatè, uirtualiter, & perfectionaliter, omnes creaturas. Secundò, ad iſtam continentiam conſequitur per modum reſultationis, ꝙ ſingulæ earum eſt ens poſsibile logicum. Tertiò, Deus comprehendit ſeipſum, qui eſt totum ens virtualiter, perfectionaliter, ſeu eminenter. Quartò, ex perfectione illius comprehenſionis, conſecutiuè omnia cognoſcuntur ſe-

cundùm

cundùm quodlibet ſui eſſe. Quemadmodum ſi ens, quod eſt idem omnibus paſsionibus ſuis, eſſet diſtinctum in eſſe repræſentatiuo, utpotè q ſub alia & alia ratione repræſentarentur uerum & bonum: prout imaginatur Auer. 4. Meta., comm. 3., contra Auicen., Profectò ſequeretur, quòd qui comprehenderet ens, diſtinctè comprehenderet eius paſsiones. A ſimili itaq; ponit Auerroes, quòd Deus eſt totum ens eminenter; & ideo comprehendendo ſe, in comprehenſione illa, diſtinctè relucent & repræſentantur oẽs creaturæ in eſſe cognito, & ex natura eius cognitionis.

Nec huiuſmodi cognitio debet dici uniuerſalis, aut particularis, inquit Auerroes; quia primo modo ſcita, non ſunt ſcita niſi in potentia. Particularia uerò ſunt infinita, & non determinantur à ſcientia. Quare creaturę erũt ſcitæ à Deo per ſcientiam comprehenſiuam primi ſciti, quod eſt totum ens uirtualiter intelligibiliter. Ita quòd per hoc quòd ſciuntur per ſcientiam unius primi, excluditur ſcientia particularis, quæ eſt circa multa prima: Per hoc quòd ſciuntur per comprehenſionem eius quod eſt totum ens eminenter, uirtualiter, & intelligibiliter, ſciuntur actualiter; quia dato oppoſito, non eſt comprehenſio; quia relinquitur ſemper aliquid apprehendendum, & ita excluditur cognitio uniuerſalis, quæ eſt reſpectu ſcitorum in potẽtia. Et licèt, inquit Ioannes, q Auerroes non dicat formaliter in cõm. 51., lib. 12. Meta., q Deus intelligat creaturas conſecutiuè; dicit tamen uirtualiter. Quãdoquidẽ illud qđ habet eſſe p eſſe alterius, eſt ens per reſultationem; ueluti de relatione ſatis conſtat; de qua dicebat Ariſtoteles in quinto auſcultatorio libro, parte. 10., q non terminat motum, ſeu mutationem, & actionem, niſi per aliud. Actio enim agentis terminatur ad fundamentum, ad qđ ſtatim ſequitur relatio; & hæc per quandam reſultantiam, & ſequelam. Idẽ dicit Ariſt. in. 7. eiuſdem uoluminis, parte. 15. & deinceps, de habitu. Ergo pari paſſu quod cognoſcitur uirtute alterius, cognoſcitur reſultatiuè. Auerroes autem in memorato loco dicit, q Primum ſcit oĩa, ſecundũ quòd ſcit ſe tantũ. Quare creaturæ cognoſcuntur reſultatiuè, uirtute primi cogniti. Hæc eſt ſententia huius uiri de opinione Auerrois; quæ breuibus in unũ ita reduci poteſt: Comprehendens cauſam perfectionalem continentem perfectionaliter omnem perfectionem, eodem actu cognoſcit oĩa perfectionaliter contenta, ſecundũ quodlibet eſſe ſuum; tam particulare, q̃ uniuerſale: ſecus cauſam perfectionaliter continentem minimè comprehenderet. Si enim ſe ſolum cognoſceret, & abſolutè, uelut pelagus in ſe infinitũ, & non in ordine ad contenta ſecundũ quodlibet ſui eſſe, tunc nulla eſſet comprehenſio, ſed remaneret ſemper aliquid apprehendendum. Si igitur Deus cognoſcit ſe ut cauſam perfectionalem, ſequitur quòd diſtinctè omnia cognoſcat. Non quidem terminatiuè, (niſi impropriè, ſicut etiam relatio terminat actionem agentis, & Mors dicitur vltimum: ex. 2. phyſicorũ:) ſed reſultatiuè, aut conſecutiuè tantùm: alioquin diuinus uileſceret intellectus.

Adducuntur Rationes Zimaræ, cum eius opinione, contra Bacconem. Cap. 7.

SOlertiſsimus,& in Schola Peripatetica diligētiſsimus, Marcusantonius Zimara, ſuo Theoremate.83., Ioannis de Baccone, quam prænarrauimus doctrinam, multis rationibus, ſatiſq; prolixo ſermone, reprobare contendit: necnon machinas adhibet non paucas, ad eius rationes labefactandas; quibus Deum ſpoliet (ad Peripateticorum dogmata) cognitione rerum propria, atq; diſcreta; diſſeratuè illius intelligentiam non ultra procedere, q̃ ut res quaſq. comprehendat, quoad entia ſunt, & eminenti quadam duntaxat inſpectione. Quod quidem genus diſputationis, nos ex omni hominum memoria exterminandum arbitramur, quippequod religionē apertiſsimè oppugnat, & omnem ſanctitatem, omnem uirtutem, omnem officiorum rationem, ac demum ueram omnem philoſophiā funditus euertit. Munus eſt enim eorum qui candidius philoſophantur, tum Ariſtotelis, tum eius grauiſsimorum Interpretum uerba atque ſententias, quoad fieri poteſt, in bonum trahere ſenſum: & præcipuè in ijs quæ Sacroſanctam reſpiciunt Chriſtianam Religionem; ne qui minus pij ſunt, inde erroris occaſionem quærant. Prima igitur ratio quam aduerſus Ioannem erigit Zimara, ita ſe habet:

Intellectio Dei, ſecundùm Auerroem, eſt omnino ſimplex, & omnino indiuiſibilis; quia ut ipſe ſcribit .12. Meta., commen.37., eſt in fine ſimplicitatis, unitatis, & nobilitatis. Quare ibi non eſt multitudo intellectorum in propria forma, neq. per uiam intentionis primæ, neque per uiam conſequutionis.

Amplius; Stante Ioannis doctrina, tunc intelligens & intellectū in Deo non eſſent omnibus modis eadem. Quia obiecta conſequutiuè cognita, non ſunt; formaliter loquendo; ſecundùm proprium eſſe formale omnibus modis eadem cum obiecto primò cognito. Quia ſi omnibus modis obiectū primò cognitum, & obiecta alia cōſequutiuè cognita, formaliter & omnibus modis ſunt eadem; non oporteret igitur alia obiecta per participationem entia conſequutiuè diſtinctè cognoſci; ex hoc quòd intellectus diuinus ſuam eſſentiam, quæ eſt ens per eſſentiam cognoſcit; immo omnia æquè primò intuerentur à diuino intellectu in propria forma, ſine aliqua conſequutione.

Confirmatur; quia Auerr. in .12. Meta. contra Auicen., non ponit in intelligentijs eſſe conſequutionem, nec in ſe, nec in ſuis actibus intelligendi.

Adhuc; Pateretur Commentator cōſimiles anguſtias, quas patitur Themiſtius; qui poſuit intellectum diuinum cognoſcere omnia, inquantum cognoſcit ſe eſſe principium omnium. Manifeſtum eſt autem q; ſi ita eſſet ut inquit Themiſtius, quòd in cognitione Dei eſſet aliqua conſequutio inter cognitionem principij & principiati; & ita eſt ſecundùm Ioannem cō-

ſequutio inter intelligere ens per eſſentiam, & inter intelligere ens per participationem.

4. Nec illud de tribus exemplis adductis per Auerroem mouet; propterea quòd exemplis utimur, non ut ita ſint, ſed ut audiant qui addiſcunt; exemplorum enim requiritur manifeſtatio, & non uerificatio; ut ſcribit Commentator in. 2. de anima, comm. 67. Vnde lucidiſsimus Themiſtius in primo de anima, cap. 24. ſcribit: Ego uerò primùm illud demiror eorum qui hoc audent dicere, quòd arbitrantur exempla uim probationum habere; cùm tamen exemplum ad faciendam fidem, infirmiſsimum ſit argumentum.

5. Ad hæc; Ex illis exemplis, quod Ioannes deducit minimè haberi poteſt. Nam licèt cognoſcens calorem per eſſentiam in igne, non dicatur ignorare naturam caloris exiſtentis in alijs rebus calidis; in illa tamen intellectione caloris ignei, non intelligit huiuſmodi intellectus omnes alios calores per participationem in alijs rebus calidis, ſecundùm propria eſſe, & formaliter. Quia non intelligit formaliter niſi caloris eſſentiã; non tamen intelligit in propria forma calorem lapidis; qui eſt ut quatuor, & calorem plantæ, qui eſt ut quinq.; ut clarum eſt. Vnde Ioannis deductio uidetur peccare per fallaciam accidentis; cognoſco albedinem quæ eſt in pariete; Ergo cognoſco parietem album. Quia accidit albedini ut eſt cognita à me, quòd ſit in pariete. Ita omnia calida per participationem, cognoſcuntur in cognitione caloris per eſſentiam. Sed ob id non ſequitur quòd illis eo cognitis modo, in propria cognoſcantur forma. Quia cognoſci in propria forma accidit, & extraneum eſt calidis per participationem, ut cognoſci dicuntur ad cognitionem caloris per eſſentiam.

6. Amplius; Ordo eſt in rebus, & imperfectiores dicũtur in perfectioribus contineri: vt uegetatiuum in ſenſitiuo, ſicut trigonum in tetragono cõtinetur; dicebat Ariſtoteles, .2. de anima, contex. 31. Et non oportet, quòd qui diſtinctè hominem cognoſcit, qui eſt metrum eorum omnium quę ſub Coelo ſunt, quòd principaliter, aut conſequutiuè omnes alias ſpecies & creaturas intelligat, ab homine differentes. Vnde Ariſt. in. 2. de poſteriori reſolutione, contex. 20., manifeſtè concedit aliquem habere poſſe diſtinctam cognitionem de nobiliori ſpecie, eſto quòd ignoret uiliorem diſtinctè, à quã illa nobilior diſtinguitur. Formæ autem iſtorum ſenſibilium in ſuperioribus ſunt nobiliori modo, q̃ ſint in materia; & in primo motore, qui eſt Deus ſublimis, ſunt in ſupremo & perfectiſsimo gradu eſſendi. Ex quo, multis interiectis, demum cõcludit, quòd cùm eſſe ſit in primo principio per eſsẽtiam, omnes formarum perfectiones unitiuè in eius eſſentia continentur; non ſecundùm proprium & diſtinctum eſſe repræſentãs ipſa in propria forma, nec principaliter, nec conſequutiuè; ſecundũ Peripateticos; ſed nobiliori & altiori modo, q̃ ſi ſecundùm eorum proprium eſſe atq. formale repræſentarentur. Vnde intellectus diuinus eſſentiam diuinam ſolùm diſtinctè intelligit omnibus modis. Secus darentur Ideæ in intellectu diuino, ſecundũ uiam Ariſtotelis, quod eſt abſurdum. Et in hunc modum poteſt conuinci; critq. ſeptima ratio aduerſus Bacconem.

Intellectus

Intellectus Diuinus, ſi hominis ſpeciem cognoſcit, pariformiter & alias ſpecies. Hoc autem ſtare non poteſt, ſub proprijs rationibus diſtinctis iſta eſſe apprehenſa ab intellectu Dei, ſecundum eorum fundamenta: Quoniam Ariſtoteles & Auerr. in primo Coeli, textu & commento .92., negant Intellectum Diuinum habere exemplar Mundi, in propria forma. .7.

Adhuc; Si intellectus diuinus hæc percipit inferiora, aut hoc eſt in Indiuiduis, aut in ſpecie. Non primum, quia tunc eſſet ſcientia particularis. Nec ſecundum, quia eſſet ſcientia uniuerſalis. Quorum utrunq. negat Auerr. in .12. Meta. comm. 51. .8.

Iſtæ ſunt Rationes Zimaræ contra Bacconem; qualis autem fuerit eius opinio circa huiuſmodi quæſitum, ipſe in calce præcitati Theorematis, his uerbis exponit: Concludo igitur ſecundùm Peripateticos, quòd Deus ſe ſolum intelligendo, propter hoc non dicitur alia ignorare, immo omnia intelligit, & nobiliori modo, quàm intellectus humanus, aut alius aliquis intellectus poſsit ea intelligere. Licèt enim non cognoſcat ea illo modo quo à nobis, uel ab alijs intelligentijs intelliguntur, tamen omnia intelligit modo qui ſibi ſoli proprius eſt; quia nullus intellectus habet ens per eſſentiam ſibi identificatum pro proprio & adæquato obiecto, niſi ſolus intellectus Dei ſublimis. Vnde ſe intelligendo, omnia entia cognoſcit, quia alia entia ab ipſo, non ſunt quid aliud à ſui ſcientia. Vnde ſicut poſſidens aurum non dicitur carère argento; ſic intellectus comprehendens mare entitatis, non dicitur ignorare riuulos, qui à mari emanant in alietate & diuerſitate, & in mare reuertuntur, & adunantur maiori uirtute & robore, q̃ ſint in ſeipſis. Hæc ille. Qui tandem dicit ſe ſine dubio credere hoc tenuiſſe omnes Peripateticos. Deus igitur, ad aures Ariſtotelis & Auer., quin etiam omnium Peripateticorum, ſecundùm mentem iſtius uiri; ſuam tantùm eſſentiã intelligit; quæ eſt ens per eſſentiam, in qua eminenter continentur omnia alia entia, & omnium perfectiones; & talia entia eo modo contenta non ſunt aliud à Deo ſcientia: Illud inſuper addendo, quòd impoſsibile eſt, uia, lumineq. naturali de Dei in hac quæſtione aliter loqui, ſecus amitteremus meritum fidei. Modò uerò an hæc ſint admittenda, conſequens eſt declarare.

Zimaræ opinio reprobatur.

Cap. 8.

QVANTI ſit momenti huiuſmodi ex Zimara præmiſſa doctrina, ex ijs quæ ad antiquiorum Peripateticorum, quin ad ipſiuſmet Ariſtotelis decreta ſuperius intulimus, iam ſatis conſtare poteſt; Quare non rectè ipſe concluſit hanc ipſam doctrinam, ex Peripateticorum omnium dogmatibus excerptam fuiſſe; An uerò de Auerrois opinione rectè ſenſerit, facilè eſt uidere, ſi eius progreſſum in Epitho. Metaphy. tractatu .4. diligenter attendamus. Ibi enim præoſtenſo

quòd quælibet intelligentiarum intelligit ſeipſam ; mox inquit : Contemplari decet , utrum unaquæq. ipſarum intelligat aliquid extra ſe, aut non. Et pro ſolutione quæſtionis multis interpoſitis,demum ita cócludit: Hinc habetur manifeſtè, ꝗ ſi habeant cauſam primam quæ non ſit cauſata ab aliquo;ut in pręcedentibus fuit oſtenſum,quòd non comprehendet niſi eſſentiam ſuam,& non comprehendet cauſatum ſuum.Et hoc non eſt proprium primo principio eorum, ſed eſt quid commune omnibus,etiam corporibus coeleſtibus;quia non uidemus ipſa concipere res quę ſunt ſub ipſis, eo modo quo habent eſſe; quia ſi ita foret , tunc perficeretur nobilius per ignobilius,& eorum conceptus eſſent generabiles & corruptibiles, quemadmodum fit in intelligibilibus humanis. Hæc ille. Quibus uidetur aſſerere,ꝗ prima intelligentia comprehendit tantùm ſuam eſſentiam . Paulò tamen inferius ſubdit,inquiens: Veruntamen multa inſurgunt dubia contra hoc ; quorum unum eſt,ꝗ ſequeretur ꝗ hæc principia ignorarent illas res, quarum ipſa ſunt principia,& prouenirent ab eis, ſicut procedunt res naturales ex ſeinuicem; ſicut uſtio quæ prouenit ab igne,& cógelatio à niue; & non influerent ratione cognitionis. Sed falſum eſt ꝗ procedat aliquid à cognoſcente,inquantum eſt cognoſcens,& non cognoſcat illud . Et hoc indicauit illud dictum,dicens : Nónne cognouit qui creauit,cùm ſit ipſe ſapiés, & cognoſcens? Ignorantia quoq. eſt defectus; & id quod eſt perfectiſsimú impoſsibile eſt ꝗ habeat defectum.Cótra hanc quidem poſitionem,hoc eſt difficillimum omnium dubiorum,nos aũt ſoluemus ipſum.Hactenus Auerroes. Qui quidem inter ſoluendum dubiũ,nonnullis præmiſsis, ita concludit: Hinc dicitur ꝗ intellectus agens intelligit res quæ ſunt hìc . Oportet tamen ꝗ intelligat iſtas res nobiliori modo. Aliter .n.nulla eſſet diuerſitas inter ipſum & nos. Modum poſtea declarando,dicit ꝗ primi principij proprium eſt nihil intelligere comparatiuè; ideſt,ſine forma eius quod per comparationem intelligitur; quemadmodum nos intelligimus hæc inferiora & materialia,quibus informamur; & per horũ comparationem quibus informamur,intelligimus ſubſtantias abſtractas,quarum formis nó informamur. Et ideo; inquit; non intelligit aliquod intelligibile in quo ſit defectus; immo eius intellectus eſt præ cæteris nobilior,quia eius eſſentia eſt præſtantior oíbus eſſentijs ; & ideo in eius eſſentia nulla eſt excellentia in gradu & nobilitate,immo ipſe eſt ipſa nobilitas abſolutè,ſine comparatione. Ex his vult Deum alia intelligere per eſſentiam ſuam; non quidem eminenter & in communi ; ſed in ſe & formaliter. Id quod oſtendit ipſe,applicádo dicta ei quod præmiſerat dubio , cùm inquit : Ex hoc igitur dicto apparet, quomodo poteſt dici ꝗ intelligunt omnia; (ſcilicet intelligentiæ,) quia hoc eodem modo ſe habet in omnibus , etiam in intellectibus corporum coeleſtium; & quomodo dicitur quòd ipſa non intelligunt ea quæ ſunt ſub ipſis; & ſic ſoluuntur dubia præcedentia . Nam ſecundùm hunc modum dicitur , quòd cognoſcunt id quod prouenit ab eis ; cùm id quod ordinatur à ſciente inquantùm eſt ſciens, oporteat quòd ſit ſcitum ; vt diximus. Aliter enim procederet ab eo , ſicut procedunt res naturales à ſeinuicem . Et per hoc dictum acquieſcent illi , qui dicunt Deum ſcire res . Hæc ille.

ille. Ex quibus ego arguo in hunc modum: Qui dicebant Deum res ſcire, illud profecto dicebant; quia ab eo procedunt inquantum eſt cognoſcens & ſciens.

Auerroes autem in præinductis uerbis idem affirmat. Ergo de eius intentione eſt, quòd Deus omnia cognoſcat, quatenus ab eo procedunt, ſub ea ratione qua eſt cognoſcens & ſciens; cùm ſit agens per intellectum. Nulla autem datur in entibus perfectio, quæ ab ipſo non procedat ſub ea ratione qua eſt ſciens. Omnes igitur entis perfectiones cognoſcit: ex conſequenti omnia intelligit formaliter, atq. diſtinctè. Propterea ſequitur dicens: Et per ſecundum dictum, facies obmuteſcere eos qui dicũt quòd ipſe (ſcilicet Deus) non ſcit id quod eſt ſub ipſo. Nam ipſi non aduertunt æquiuocationem nominis ſcientiæ, & accipiunt ipſum, ac ſi ſignificaret unam tantùm rem: & ſic ſequentur ex hoc, duo dicta contradictoria, eo modo quo ſequuntur in propoſitionibus quæ accipiuntur ſimpliciter, & ſic per hoc ſoluētur illæ abſurditates prædictæ. Nam non eſt defectus illi qui cognoſcit aliquid ſcientia perfectiori, ſi non ſciat illud ſcientia imperfectiori; immo imperfectio eſt quid oppoſitum huius. Nam ille qui non poteſt uidere aliquid uiſione mala, ſed uidet ipſum viſione perfecta, nequaq̃ habet imperfectionem in hoc. Et iſtud quod diximus, eſt id quod ex uia Ariſto., uel ſociorum eius apparere poteſt, uel quod ſequitur ex eorum uia. Hæc ille. Qui & parùm infra concludendo inquit: Ex his igitur dictis apparet qualiter intelligant hæc principia eſſentias ſuas, & id quod eſt extra eſſentias ſuas. Iſte eſt primus Auerrois progreſſus circa huiuſmodi quæſitum: in quo & ſi aduerſarijs fauere aliquantulùm uideatur, nihilotamenſecius in hoc ſunt eius uerba cōſideranda, quòd vult & dicit, Deum Benedictum id quod eſt extra eſſentiā ſuam uidere uiſione perfecta.

At ſi diſtinctè illud minimè cognoſcit, quomodo perſectè? Conſequutio ex eo liquet, quoniā ſi Deus cognoſceret alia, quà entia ſunt, & non amplius; Entia proculdubio in communi dũtaxat ſciret, atq. intelligeret. Quare in confuſo & in potentia; & ita imperfectè. Ex quo ſequitur quòd ipſius Dei intelligere, non eſſet omnino perfectũ; cuius tamen oppoſitum intendit ſemper Auerroes. Nimirùm quòd entia ipſa cognoſcuntur à Deo perfectiſsimo modo. Si autem ex parte ipſorum, cognitio non eſt niſi communis, quòd ſit confuſa, in potentia, atq. imperfecta, neceſſariò conſequitur. Id quod etiam oſtendit Auerroes in lib. deſtructio deſtructio., diſputatione .6., in ſolutio. 3. dubij his uerbis: Et abſit quòd Dei ſcientia deficiat aliquo modo, & quòd ſibi potentialis ſcientia attribuatur. Potentialis enim ſcientia materialis eſt; & ideo opinati ſunt Philoſophi, quòd Dei ſcientia ſemper neceſſaria eſt in actu; & quòd in ea nulla eſt uniuerſalitas, neque pluralitas, ex potentia conducta, ſeu conſtituta; ſicut ſpecies ex genere multiplicatur. Hæc ille. Qui & in calce illius ſolutionis ita concludit: Patet igitur quòd ſcientia Dei, magis propinqua eſt ſcientiæ particulari, q̃ uniuerſali; licèt nulla ſit iſtarum; ut ſuperius dictum eſt. Huiusq. rationem reddit in. 12. Meta., commen. 51., inquiens: Scientia igitur eius (ſcilicet Dei) non dicitur eſſe uniuerſalis, neque particularis. Illud enim cuius ſcien-

tia eſt uniuerſalis, ſcit particularia quæ ſunt in actu, in potentia ſcita. Eius igitur ſcientia, neceſſariò eſt ſcientia in potentia, cũ uniuerſale non eſt niſi ſcientia rerum particularium. Et cũ uniuerſale eſt ſcientia in potentia, & nulla potentia eſt ĩ ſciẽtia eius; ergo ſcientia eius non eſt uniuerſalis. Hactenus Auerroes. Ex quo liquidò conſtat, ꝙ Dei cognitio, ſi ex parte rei cognitæ, communis ſit, & prædicata reſpiciat communia tantùm, atq. uniuerſalia; confuſa, & in potentia redditur, atq. imperfecta. Ex quibus neceſſariò cõſequitur, quòd Dei intelligere non eſſet omnibus modis perfectum. Quandoquidem dato illo antecedente; ꝙ ſcilicet Deus omnia cognoſcit in communi; mox deeſſe ponitur illa perfectio, ſeu ille modus perfectionis, quo ad propria rerum attingat. Hic enim modus, aliquam dicit perfectionem, cum nulla admiſta imperfectione; prout oſtendimus ſupra. Non eſt igitur cur in illo non ponatur intelligere, quod in ſe omnes cõtinet intelligibilium perfectiones. Valet itaq. argumentum: Diuino intelligere modus ille deeſt, quo ad propria rerum attingat. Et ipſe aliquam dicit perfectionem, cum nulla admiſta imperfectione: Ergo non eſt omnibus modis perfectum. Si autem illud ponamus fuiſſe de mente Auerrois; diuinum, etiam intelligere non omnibus modis perfectũ, de eius opinione ponamus oportet. Huius tamen oppoſitum ipſe ubiq. fatetur.

Solutio. Diceret fortaſſis aduerſarius; ꝙ obiectum ſcientiæ Dei non eſt ens, quod eſt uniuerſale ad omnia entia, in communi, in potentia, confusè, & imperfectè omnia comprehendens; ſed eſt eſſentia Dei, quę nec eſt uniuerſalis, nec particularis, nec in potentia, nec confuſa, .&c. Propterea ipſius Dei ſcientia nec eſt uniuerſalis, nequidem particularis, non communis, nec propria, ſed æquiuocè eſt à noſtra ſcientia eleuata.

Impugna. Vera utique doctrina, ad rem tamen nihil. Propterea quòd, prædicata quæ in eſſentia diuina de rebus cognoſcuntur, neceſſe eſt quòd ſint communia, aut propria, uniuerſalia, aut ipſis rebus particularia; licèt primum obiectum neutro modo ſe habeat. Quippe ſi Dei ſcientia ad communia duntaxat rerum terminatur, quòd, ut ſic, ex parte rerum cognitarum dicatur in confuſo, in potentia, .&c.; neceſſariò conſequitur; cùm iſtæ ſint conditiones prædicatorum cognitorum. Hoc idem perſpicuum redditur ex uerbis Auerrois in Epito. Meta. tracta. 4.; quo loci de rerum inferiorum cura uerba faciens, inquit: Veruntamen quia curant de his hoc modo, ideo non poſſumus dicere quòd ignorent ea quæ ſunt hic; cùm operationes cognoſcentis, inquantùm eſt cognoſcens ſint cognitæ. Tamen eorum ſcientia eſt eo modo quo declarauimus. Et quia rectitudinem vel iuſtitiam motuum ipſorum acquiſierunt per id quod intellexerunt de eſſentia ſuorum principiorum; eorum autem principia acquiſierunt illud à primo principio, quod eſt Deus Glorioſus & Excelſus. Ergo prima cura de nobis eſt à Deo Glorioſo; & ipſa eſt cauſa loci habitabilis ſuper terram; & quicquid inuenitur hìc, de eo quod eſt bonum, perfectum, prouenit quidẽ à uoluntate & intẽtione ſua; ſed proueniũt mala propter neceſſitatẽ materiæ; ſicut corruptio, & debilitas, ſeu tabes, & cætera alia. Ita Auerroes. Quòd ſi opationes cognoſcentis, inquantũ eſt cognoſcẽs, ſunt, iuxta

eius placitum, cognitæ; & quicquid boni hìc reperitur, ab eius prouenit uoluntate, & intentione; quomodo non omnia hic exiſtentia intelliget, atq. cognoſcet?

Confirmatur doctrina; quia paulò poſt declarans mirabilem quam hēt Deus curam de animalibus, demum ita concludit: Hinc apparet quòd illa principia ſciunt mala quæ ſunt hìc, eo modo quo ſunt; & quòd non peruenit eorum cura tantùm ad hoc quòd præſtent nobis eſſe; ſed res etiam quibus conſeruemus eſſe noſtrum ab eo quod habet corrumpere nos.

Et in calce proœmij. 12. Metaphyſicæ inquit: Ab ipſo deniq. Altiſsimo, qui ſolus ſcientiam tribuit & intellectum, opem depoſcimus, ut nobis uirtutē elargiatur ad huius dictionis expoſitionē, iuxta uerborū ſeriē perficiēdā; quemadmodū Dei patrocinio in prēhabitis dictionibus id ipsū adimpleuimus. Hæc ille. Ad quid aūt ita, ſi hęc nō cognóſcit, Deū deprecari? Vana profectò & inanis eſſet oratio. Fallitur igitur Zimara, dum Auerroi illud attribuit, cuius oppoſitum perquam clariſsimè fatetur. Et ꝙ eiuſdem Auerrois fuerit ſententia. Deū huiuſmodi inferiora conſequutiuè intelligere, ſuamq. eſſentiam tantū ueluti obiectum uerè mouens, & intellectionem terminās, habetur ex eius uerbis, in eodem Epito. Meta., tracta. 4., cū ait: Sequitur igitur de neceſsitate, in hoc quòd ipſum unum eſt indiuiſibile, per id quod intelligit de ſeipſo; & ideo non intelligit niſi unam rem ſimplicem; ſcilicet eius eſſentiam, & non poteſt intelligere aliquam pluralitatem, neq. in eſſentia ſua, neq. extra ſuam eſſentiam. Hæc Auerroes. Quem quidem (niſi eū inconſtantem admittere uelimus) cogimur fateri, cùm Deum aſſerit, neq. in eſſentia ſua, neq. extra ſuā eſſentiam, aliquam intelligere pluralitatem, de obiecto uerè atq. propriè terminante, ſermonem habere.

Accedit, ꝙ Auerroes, & cū eo Zimara, aſſeuerat Deū, ſuā cōprehendere eſſentiā, in qua ſunt omnium entium perfectiones. Suam autem eſſentiam comprehendere, & non omnia diſtinctè intelligere; duo uidetur claudere pugnantia.

Amplius; Auerroes quoq. 10. Ethi., cap. 10., ſub finem, habet hæc uerba formalia: De eo autem qui agit per intellectum, & fuerit obſequium eius intellectui, & diſpoſitio eius diſpoſitio bona, uidetur ꝙ ſit amans Deū ualde. Et ſi quidem cura ſit Deo de hominibus, ut creditur, & ut debitum eſt; & ſit quidem Deus gaudens de eo qui eſt melior, tunc gaudet de eo, qui nititur aſſimilari ei ualde; & hic eſt intellectus. Dignius eſt igitur ut benefaciat eis, qui amant ipſum plus; & ut honorificet eos, & uiſitet ipſos; ſicut eſt diſpoſitio amici cum amico ſuo, & eo ꝙ actio eorum eſt actio nobilis ſana. Hæc ille. Qui tandem concludit, ꝙ dignius eſt ut ſapiens cùm ſit ſecundū hanc diſpoſitionē, ſit beatus. Videtur igitur Auerroes velle Deū ſolicitū eſſe circa ſingularia, vt ſingularia ſunt. Quare hæc inferiora diſtinctè cognoſcit.

Nec reſpondeat Zimara quemadmodum reſpondit etiam in ſuperioribus; quòd ſcilicet loquebatur Auerroes populariter, quia ibi erat in moralibus; propterea congruum fuit illud vulgo perſuadere. Quam quidem reſponſionem repetit etiam in ſolutio. contradicto. in dictis Auerrois ſuper 12. Meta., comm. 37. *Solutio Zimaræ.*

Impugna. Veruntamẽ in primo de Coelo (ut ea omittamus quæ ſuperius diximus) ꝙ populariter loquatur Auerroes, neminem aſſerere crediderim; nihilq; tamenſecius ibi in commento .32. ita notatum reliquit: Ego autem longo tempore feci moram, in quo non intellexi explanationem illius loci ultimam; ſed Deus induxit me ad ueritatem. At quo poſsit hæc facere Deus, niſi omnia diſtinctè cognoſcat, non eſt facile uidere.

Reſponſio Zimaræ. Dicit Zimara in proximè citato loco, ꝙ illud & conſimilia multa protulit Auerroes, ab ipſa quaſi ueritate coactus.

Solutio Aliorum. Alij tamen dicunt, quòd illud fuit inductione naturali, qua diſpoſuit Deus bonè naturalia, & phantaſmata; per ſe, & mediantibus etiam alijs cauſis.

Impugna. Cæterùm ea quæ dicit Zimara admittendo, aliorumq; ſolutionem non approbamus. Proptereaq; in calce procemij ſuper. 12. Meta., Deum rogabat Auerroes, vt ſibi uirtutem, pro illius loci expoſitione, elargiri dignaretur, ueluti in ſuperioribus diximus. Non igitur fuit illa inductio naturalis, & diſpoſitio phantaſmatum, quoniam tunc uana fuiſſet deprecatio illa.

Amplius; Si Deus benè per ſe phantaſmata diſpoſuit, cæteraq; naturalia; illa igitur diſtinctè cognouit. Etenim docet Auerroes, ꝙ operationes cognoſcentis, in quantùm eſt cognoſcens, ſunt cognitæ: prout ſuperius adnotauimus. Ad principale iterum arguitur: Dicit Auerroes, quòd Deus ex eo ꝙ comprehendit eſſentiam ſuam, ſequitur in eo pleniſsima ſui ipſius cognitio; id quod etiam libentiſsimè fatetur Zimara. Modò percontor ego, quomodo dici poteſt plenam eſſe in Deo cognitionem ſui ipſius, ſi ignorat ubi, & quomodo, & quando fulgor eius, & bonitas, à rebus ſuſcipiatur? Enimuerò, ſi Statuarius ut formam, ita materiam quoque ex qua Statuam effingit produceret, nemo non diceret illum totius rei eſſentiam exactiſſimè tenere. Cur non idem de Deo dicendum, optimo omnium opifice, à quo materia omnis, & ſpecies, modus, & ordo, proceſſit? Nouit igitur ille non ſolùm extare res, ſed quid ſingulæ proprium habeant, quidúe ab alijs differensi deniq; minima quæque ſub eius ſunt conſpectu; acutè enim nimis uidet.

Quod uelit nolit Zimara; fateatur oportet; quando loco proximè citato ad Ariſtotelis dogmata, eiusq; magni Commentatoris Auerrois, vult omnia entia eſſe quaſi ſuppoſita per participationem dicta, ĩ ordine ad eſſentiam diuinam; non ita ꝙ diuina eſſentia, aliorum conſtitutionem formaliter ingrediatur; at eiuſmodi participatio eſt talis, ꝙ eſſentia aliorum entium quædam eſt participatio dependentiæ reſpectu diuini eſſe. Vnde Ariſtoteles. 2. de anima, contex. 34., dicebat ꝙ omnia appetunt participare diuinum eſſe, eo modo quo poſſunt. Et primo Coeli, parte. 100., inquit; His quidem communicatum eſt eſſe, alijs quidem clarius, alijs uerò obſcurius. Et ita concludit, ꝙ ad aures Ariſtotelis & Auerrois, nulla eſt alia Idea, nullum exemplar, nullaq; alia forma, niſi diuina eſſentia, quæ taliter ab omnibus participatur. Alia uerò ex parte, fatentur omnes, Deum ſuam comprehendere eſſentiam. At quænam comprehenſio eſt iſta, ſi ignorat modum quo eius bonitas à rebus participatur? Docuit ſiquidem Zimara in ſuo

Theoremate, 83., ad Peripateticorum dogmata, quòd omnes formarum perfectiones, unitiuè, & ſecundũ modum excellentiſsimum, in Dei continentur eſſentia. Ex quo ſtatim ego ſubſumo; Nedum autem id in quo omnes conueniunt creaturæ, atq. communicant, nempè ipſum eſſe; ad perfectionẽ pertinet; uerùm etiam ea quibus adinuicem diſtinguuntur, quemadmodum ſunt uiuere, & intelligere, & id genus alia; quibus uiuentia à non uiuẽtibus, & intelligẽtia à non intelligentibus diſtinguuntur. Omnis; inſuper forma, per quam unaquæq. res in propria conſtituitur ſpecie, perfectio itidem quædam eſt. Omnia igitur in Deo pręexiſtunt, non ſolùm quantùm ad id qđ eſt omnibus commune, ſed etiam quantùm ad ea, penès quæ res ipſæ diſtinguuntur. Comprehendendo igitur Deus eſſentiam ſuam, omnium creaturarum eſſe, formas, differentias, aliaſq; earum perfectiones utiq. comprehẽdet. Quod ſi uerum eſt, quomodo eas non diſtinctè cognoſcet?

Ad hæc; Deus in ſe omnes continet perfectiones, & ſecundùm ueritatẽ, & ſecundùm Peripateticos. Eius igitur eſſentia, ad omnes rerum eſſentias comparatur, non ſicut commune ad propria, ſed ſicut actus perfectus ad imperfectos; Sicut homo ad animal, uel ſenarius, qui eſt numerus perfectus, ad imperfectos ſub eo contentos. Cognito autem perfectè actu perfecto, in eo omnes imperfecti cognoſcũtur, & quò ad communia, & quò ad propria. Quemadmodum qui cognoſcit hominem, cognoſcit animal; & qui cognoſcit ſenarium, cognoſcit etiam ternarium; & utrunq. propria cognitione, atq. diſtinctè; licèt exempla non ſint omnino paria; ſed currant, quã tũ currere poſſunt. Deus igitur ex quo ſeipſum intelligit, cætera omnia diſtinctè cognoſcit.

Amplius; Fatetur Zimara ad Ariſtotelis, Auerroiſq. decreta, quòd Deus continet in ſe omnium entium perfectiones, ſicut aurum continet argẽtum, quia cùm ſit ens per eſſentiam, eſt ipſum mare entitatis; Vnde ſicut qui habet aurum, non dicitur carere argento, ita intellectus comprehendens mare entitatis, non dicitur ignorare riuulos, qui à Mari emanãt in alietate, & diuerſitate, & in Mari reuertuntur, & adunantur in maiori uirtute, & robore quàm ſint in ſeipſis.

Alia ex parte dicit, quod reliqua entia à Deo Benedicto, ſunt quaſi ſuppoſita reſpectu ipſius Diuinæ Eſſentiæ, nec ullum habent eſſe, niſi quatenùs ea aliquo modo participant. Ex his elicio ego, quòd Deus, iuxta horum uirorum placitum, ſit ipſum eſſe per eſſentiam, & quòd, ex conſequenti, in ſe omnem contineat modum eſſendi, & etiam omnem naturam, quandoquidem omnis natura nihil aliud eſt, quã aliquis modus eſſendi. Et propterea eſſe quod eſt in re, non aliunde prouenit, quàm ab ipſo eſſe per eſſentiam, & ab ipſo Deo; & nihil eſt in quacunque re, quin ſit aliquod eſſe; ita quòd eo ſecluſo quod ſe tenet ex parte ipſius eſſe, nihil remanet; cùm & materia, & omnia alia, quædam ſint participationes, & modi eſſendi.

Ex hoc itaq. eorum fundamento, in hunc modum ratio erigitur; Deus eſt eſſe per eſſentiam, & omne aliud eſſe ab ipſo dependet, & ſeipſum comprehendit, atq. perfectè cognoſcit. Deus igitur in ſeipſo poteſt omnia, pro-

pria

pria cognitione, & in propria forma cognoſcere. Secus non comprehẽderet ſeipſum, minusq; ipſam naturam eſſendi perfectè cognoſceret. Illud igitur dare quod pro fundamento aſſumpſimus, reliqua uero non admittere, eſt duo concedere pugnantia.

Solutio Zimaræ. Nec dicat Zimara, ꝙ Deus omnia cognoſcit, ſed nobiliori modo ꝙ̃ ſint in ſeipſis, non autem in propria forma.

Impugna. Proptereaq; exquiram & ego: nũquid illud eſſe quod in ſeipſis habent, & ut ſunt in propria forma, dependeat à Deo, nec ne? Non ſecundũ, quia eſt contra ſuppoſitum, & datum ab eo. Sequitur igitur primum admittendum. Ex quo mox infertur, ꝙ & illud, Deus utiq; cognoſcat; alioquin ſeipſum minimè comprehẽderet, nec naturam eſſendi perfectè cognoſceret & ſciret. Quemadmodum ſi quis comprehenderet quid ſit homo, illumq; perfectè ſciret; quid etiam animal eſſet, utiq; cognoſceret; ſecus hominẽ nullatenus comprehenderet, eumq; minus perfectè ſciret. Ita etiam ſi ille daretur homo ſeparatus, quem Platonicũ appellant, ab eoq; omnis eſſendi modus, ipſis hominibus conueniens procederet, etiam materialis; homo ille ſeparatus ſeipſum comprehendens, & perfectè cognoſcens, dubio procul omnes modos eſſendi particulares, ipſis hominibus conuenientes, exactiſſimè cognoſceret. Conſtat igitur ꝙ Peripateticorum mẽtem, in ha parte, Zimara haudquaꝙ̃ percepit.

Cæterũm ſtatim infert ipſe: Meritum igitur amittimus Fidei, ſi hæc naturaliter cognoſcimus. Minimè quidem. Proptereaq; licèt Peripatetici velint Deum omnia cognoſcere, & in propria forma, quia in eſſentia diuina omnia continentur indiſtinctè & eleuatè, veluti effectus in cauſis eminentibus; ita tamen perfectè, ac ſi diſtinctè continerentur; & Deus ſeipſum omnino comprehendit. Nolunt tamen omnes, cum huiuſmodi cognitione, Diuinam Prouidentiam tendere de pari; ſed quòd Deus ſolicitus eſt circa unumquodq; indiuiduum, per diſpoſitionem quam habet in ſpecie, & per quandam ſequelam, non autem immediatè; id quod dicebat Auerroes. 12. Sapientiæ, comm. 37., ſub finem. Et in Epito. Meta., tracta. 4.; vbi ait: Aſpice autem in cura de animalibus, quo pacto impoſuit eis ſenſum tactus; quia hoc eſt eis poſsibile iuxta eorum naturam, adeo quòd per ipſum aufugiunt ſenſibilia corruptiua ipſorum; identidem tribuit unicuiq; generi animatorum id quo cuſtodiatur eius eſſe à rebus inſitientibus ipſum. &c. Et paulò poſt dicit, quòd Deo attribuentes cognitionem & curam rerum particularium; ut dicit Alexander; de neceſsitate attribuunt ſibi impietatem & iniuſtitiam; quia ſi Deus regit indiuiduum, non videtur quòd malum facere queat, vel pati. Ex quo vult Deum non regere indiuiduum immediatè. Et licèt videatur etiam negare quòd Deus abſolutè ea cognoſcat, nihilominus tamen non loquitur niſi in comparatione ad Prouidentiã; ut patet quãdo dicit: Et qui ita dicit, attribuit Deo impietatem, etiam de neceſsitate; nã ſi ipſe procedet uia regitiua uniuſcuiusq; indiuidui, qualiter igitur patitur indiuiduum mala, dum Deus regit ipſum? Nota quod dicit: Dum regit. Et non dicit: Dum intelligit. Non igitur illud dicit abſolutè, ſed in reſpectu ad Prouidentiam; vt ſit ſenſus, quòd Deus non ita intelligit indiuiduũ

& ſingu-

& ſingularia, ut de unoquoq. illorum curam habeat particularem. Fides autem noſtra totum oppoſitum clamat. Dicebat.n. Dominus Noſter, Matt. 6. Reſpicite uolatilia Coeli, quoniam non ſerunt neq. metunt, neq. congregant in horrea, & Pater ueſter coeleſtis paſcit illa. Nónne nos magis pluris eſtis illis? Quis autem ueſtrum cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de ueſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſyderate lilia agri quomodo creſcunt; non laborant, neq; nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua cooperatus eſt ſicut unum ex iſtis. Si autem foenum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic ueſtit, quantò magis uos, minimæ Fidei? Et Matt. 10.; Nónne duo paſſeres aſſe ueneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre ueſtro? Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. In ijs igitur quæ Dei ſcientiam reſpiciunt, plura docet Sacroſancta Fides noſtra, quàm lumen naturale attingere poſsit. Quare hæc intelligendo, illa ob id non amittimus.

Nec ratio humana tollit ſemper meritum fidei; ſed præcedens tantum fidem, & quando ſine illa, quis ea quæ ſunt fidei minimè crederet. Si uerò ſit conſequens ad eam, ita ut etiam nulla habita ratione, adhuc homo diligit ueritatem creditam, & promptam ſemper habet uoluntatem credendi authoritati diuinæ, ſed humanam excogitat rationem, ut pijs tantùm docẽdo opituletur, non autem ut firmiùs credat; Tunc ob id non amittit meritũ fidei. Vnde ſi quis in Peripatetica Schola educatus, ductus ratione naturali, unicum Deum fateatur, intelligentem, ſimpliciſsimum, & à quo omnia; aliàs minimè crediturus; perſpicuum eſt & clarum, ꝙ ſi ille poſtea Chriſtianus euadat, & non niſi per illam naturalem rationem credat, & aſſerat Deũ eſſe unum. &c., nullum eius Fides habet meritum. Si uerò prius baptizetur, Deumq. ſimpliciter credat eſſe unum. &c., idem ſemper crediturus nulla etiam accedente naturali ratione; nec illam excogitat ut firmiùs credat, ſed ut credita magis intelligat, atq. defendat; Fides tunc in eo ſuum habet meritum. Et propterea Theologus, hunc habet articulum Fidei, quòd Deus eſt unus. Eandemq. propoſitionem nouit lumine naturali; ob id tamen non eſt inferendum ꝙ amittat meritum Fidei; quia etiam ſine ratione illa humana, Deum eſſe unum firmiter crederet. Incaſſum igitur laborauit Zimara. Qui & in tabula, dictione (Deus) ex Auerroe in hunc modum effatur: Dei ſcientia una exiſtente, non eſt impoſsibile ꝙ retineat ſcibilium multitudinem. Non eſt enim impoſsibile apud Philoſophos, ꝙ Deus ſciat ſeipſum, & alia præter ipſum; multitudo autem eſt impoſsibilis apud eos, ꝙ intellectus perficiatur ab intellecto cauſato tali intellectu, & perficiatur ab intelligibili; ex diſpu. 6. in ſolu. 3. dubij. Vbi apertè colligitur ꝙ Deus intelligit multa; immo oĩa intelligibilia alia ab ipſo; ſed non motiuè, ut intellectus noſter. Et hoc concedunt etiam noſtri Theologi. Hæc ille. Verũ noſtri Theologi nõ concedunt Deum alia præter ſe intelligere eminenter tantũ, & altiori modo q̃ ſint in ſeipſis; at diſtinctè, & in propria forma. Zimara igitur nedum in concluſione aberrat, uerùmetiam parũ eſt ſibi conſtans. Eius itaq. rationes relinquuntur diluendæ.

Ex Diuo Tho. 2.2. q.2. ar.10

Rationes

Rationes Zimaræ diluuntur. Cap. 9.

SIgnum Veritatis eſt Rationes tollere, quę eã pturbare uidentur; ex hoc enim dicebat Ariſtoteles, q̀ concluſio aliqua, ſeu definitio ſemper magis conuincitur uera, cùm rationes tolluntur, eã oppugnantes. Quòd igitur noſtra doctrina ſit uera, ex eo poterit conuinci, ſi rationibus in oppoſitum inde faciemus ſatis.

Ad Primam Rationem Zimaræ.

Ad primam itaq., id quod conſequitur minimè admittimus. Cum hoc enim q̀ Dei intellectio eſt in fine ſimplicitatis, ſtat quòd ibi ſit multitudo intellectorum in propria forma, & per uiam conſequutionis; quoniam ex parte Dei cognoſcentis, una eademq. ratio eſt, qua Deus ſeipſum & alia intelligit; quoniam idem cognoſcens, idem cognitionis actus, & idem mediũ eſt cognoſcendi. Non enim creaturę mouent diuinum intellectum, nequidem eius terminant intellectionem; niſi impropriè, & famosè; ut inquit Ioannes. Qui in primo quolib. q. 11., uerſus finem, dicit quòd comprehenſio actiua qua Deus ſeipſum & alia comprehendit, manet in ſe penitus adunata & indiſtincta re & ratione, quantùm eſt ex parte cognoſcentis, & cognitionis actiuæ; quia tum uirtute comprehenſionis actiuæ Dei, qui eſt tota entitas, ipſæ creaturæ conſequutiuè cognoſcuntur, ſecundùm quodlibet ſuum eſſe diſtinctum; & eſſe cognitum paſsiuum habent æquè diſtinctum, ac ſi diſtinctis comprehenſionibus actiuis cognoſcerentur. Nec mirum ſit hoc; quoniam etiam agens naturale, diuerſos agit effectus formaliter, nulla præuia diſtinctione formali ex parte ſui; ueluti deliquefacere & conſtringere in Sole, perſpicuum eſſe nouimus.

Ad Secundam.

Ad ſecundam itidem negatur illatio. Cùm probat ex eo quia obiecta conſequutiuè cognita, non ſunt ſecundùm ſuum proprium eſſe formale, omnibus modis eadem cum obiecto primò cognito. Dicimus quòd Auerroes quando dicebat in Deo idem eſſe omnibus modis intelligens & intellectũ, loquebatur de intellecto, ſeu de obiecto mouente atque terminante ipſius Dei intellectionem; cuiuſmodi non ſunt ipſę creaturæ, cùm ſint per quandam ſequelam duntaxat cognitæ, pariterq́. intellectæ. Idq́. dicebat ad differentiam intellectus humani; qui cùm non ſit idem cum re intellecta, ſequitur in eo multitudo intellectorum. Eapropter in. 12. Meta., comm. 51., dicebat Auerroes: Si cauſa diuiſionis in intellectu humano eſt quòd intellectũ aliquo modo eſt aliud ab intellectu; quoniam ſi intellectus & intellectum in eo eſſent unum omnibus modis, non contingeret ei, ut in intellectu eius eſſent plura. Cauſa enim multitudinis, eſt alietas inter intellectum & rem intellectam in nobis. Hæc ille. Qui & infra ſubdit: Sed primus eſt ſimplicior eorum; & ideo eſt unus ſimpliciter, ſine aliquã multiplicitate; neq. propter alietatem intellectus & intellecti, neq. propter multitudinem intellectorum. Multitudo enim intellectorum in eodem intellectu, ſicut eſt in intellectu in nobis, conſequitur alietatem quæ inuenitur in eo, ſcilicet alietatem intellectus & intellecti in nobis; quoniam cùm intellectus & intellectum fuerint adunata perfecta adunatione, contingit ut intellecta multa plu-

ra quæ ſunt intellectus illius, adunentur, & terminant unum & ſimplex omnibus modis. Quoniam ſi remanent illa intellecta quæ ſunt in uno intellectu plura, & non adunarentur cũ eſſentia intellectus, tunc eſſentia eius, aliud erit ab eis. Et cùm hoc ignorauerit Themiſtius, dixit ꝙ poſsibile eſt quòd intellectus intelligat multa intellecta ſubitò. Hactenus Auerroes. Ex quibus liquidò conſtat ꝙ loquebatur, de obiecto mouente & verè terminante, deq. idẽtitate reali; alioquin ineptè ſatis Themiſtium ipſum redarguiſſet. Volebat enim iſte, Deum ſeipſum intelligere, & mox creaturas, mouentes & terminantes; ex quo fit conſequens, ut intellectus & intellectum non ſint omnibus modis idem, & ꝙ ibi ſit multitudo intellectorum, ſicut in nobis; qđ in Deo eſt abſurdiſsimum. Licèt igitur creaturæ conſequutiuè intelligantur à Diuino intellectu, non tamen niſi quatenus ſunt unum & idem cũ ipſo Deo, in hoc ſenſu; ꝙ ſcilicet quãtùm ſit ex parte Dei cognoſcentis, ipſe nõ cognoſcit res niſi ſecundùm quòd ſunt in ipſo, & unum cum eo; quia ex rei ſimilitudine, quæ eſt idem cum ipſo exiſtens; ex parte uerò rei cognitæ, nedum cognoſcit Deus in rebus eſſe quod in ipſo habent, ſecundùm quòd ſunt unum cum eo, uerùm etiam quod habent extra ipſum, ſecundùm quòd diuerſificantur ab eo. Omnia tamen intelligit in ſeipſo, & nihil accipit ab alijs, ſed omnia repræſentantur in eo. Et ita intellectus & intellectum sũt omnibus modis idem, identitate reali, de qua loquebatur Auerroes. Quoniam etſi ibi ſit aliqua diſtinctio ſecundũ intelligentię rationem, ex ea non licet illa inconuenientia inferre, quæ aduerſus Themiſtium inferebat Auerroes, nequidem diuinę derogat ſimplicitati; prout ex ijs quę aliàs diximus, ſatis liquet. Addo tamen, ꝙ intellectum à Deo non eſt niſi unum, ut contra multa diſtinguitur; non ſimpliciter, ſed diſparata. Idcirco multa non ſunt cognita diſparata, nec inter ſe, nec ab eſſentia diuina; quoniam quælibet res eſt ipſa eſſentia. Quippe contra intellectus ſimplicitatem eſt, ſi multa diſparata cognita, ut ſic, ideſt in eſſe cognito, haberet; ut in nobis cõtingit, quando Triangulum & Bouem intelligimus. Habere autem multa cognita non diſparata, immo in uno numero communicantia, ſimplicitati haudquaquàm repugnat. Præterea, intellectus & intellectum per ſe primò, in Deo ſunt omnibus modis idem; non autem quæ conſequutiuè intelliguntur.

Ad Confirmationem dicimus, ꝙ licèt Auerroes in actibus intelligendi ipſarum mẽtium abſtractarum, conſequutionem formaliter non ponat; uirtualiter tamen ꝙ ipſe ponat, non eſt difficile conuincere, ex. 51. comm. 12. Meta., ad finem, quando ait: Et ueritas eſt, ꝙ primum ſcit omnia ſecundũ quòd ſcit ſe tantùm, ſcientia in eſſe, quod eſt cauſa eorum eſſe. Ex his uerbis liquidò conſtat, quòd Auerroes creaturas ipſas ponit in cognitione diuina, ſecundùm quòd ipſe Deus per eſſentiam ſuam eſt illarum cauſa; ipſe autem eſt omnium cauſarum, propriarum & communium, cauſa. Quare omnes cauſas, proprias & communes, per ſuam cognoſcit eſſentiam. Nihil enim eſt in re, per quod eius natura communis determinetur, cuius Deus non ſit cauſa. Per eam igitur rationem, per quam rerum naturam communem cognoſcere poteſt, per eandem, proprias cauſas, propriamúe

uniuſcuiuſq.

uniuſcuiuſq. naturam utiq. cognoſcet. Hoc autem eſt eius eſſe; inquit Auerroes. Omnia igitur per eum, omnifariam ab ipſo Deo intelliguntur. Aut igitur intelliguntur tanquam obiecta, uerè, propriéq., aut impropriè & famosè, eius intellectionem terminantia. Si primum; iam incidit Commentator in opinionem Themiſtij; ut conſtat. Si uerò detur ſecundum; hoc eſt quod uolumus; ueluti ex dictis perſpicuum eſt & clarum.

Ad.3. Ad id uerò quod tertio loco inferebat Zimara, iam patet ſolutio. Conſequutio nanq. nullatenus uenit admittenda; quandoquidem poſuit Themiſtius intellectum diuinum res ipſas ad extra cognoſcere, in ſeipſis, atque terminatiuè. Auerroes autem non niſi in ſeipſo, & conſequutiuè. Quare ad ipſius poſitionem ſequitur quòd Deus extrinſeca intelligat, & alia à ſe, ita ut eius cognitio, ad res extra ipſum exiſtentes terminetur, illæq. prout extra eum exiſtunt, ab ipſo intelligantur. Et ita diuina intellectio non modò ad ipſum Deum, at etiam ad res quæ extra illum ſunt, terminaretur. Ex quo aliud ſequitur incommodum, quòd ſcilicet intellectus in Deo & intellectum, non eſſent omnibus modis idem. Vtrunque autem Ariſtotelis doctrinæ aduerſatur. Ad iſtius uerò determinationem, nullum horum, minuſq. aliud ſequitur abſurdum; quemadmodum ex dictis ſuperq; ſatis conſtat.

Ad.4. Ad quartam rationem dicimus, quòd exempla non adducuntur, ut uim habeant demonſtrationis, ſed ut docentis magis aperiatur intentio. Vnde Auerroes ea de cauſa adduxit illa exempla in. 12. Meta., comm. 51. & inde Ioannes, ipſius mentem colligebat. Quoniam uel ad propoſitum ſunt eorum quæ prius dixerat Auerroes, uel non; Si ſecundum; exemplum igitur præter rem adduxit, quod eſt inconueniens. Si primum; rectè igitur Ioannes. Et ad authoritatem Themiſtij dicimus, quòd militat etiam contra ipſum Auerroem, qui in hoc negotio proceſsit exemplis. Sed ad huiuſmodi eminentem continentiam & cognitionem exprimendam, inepta ſunt omnia exempla. Ob maiorem igitur eorum quæ dicuntur claritatem, non quia rem enarratam prorſus adæquent, ab authoribus in medium afferuntur.

Ad.5. Ad quintam, id quod antecedit non admittimus. Ad probationem dicitur, quòd ſi calor ille per eſſentiam, omnium calorum perfectiones includat, & calor in lapide ut quatuor, & in planta ut quinq., ſint illorum calorū perfectiones, caloremq. per eſſentiam intelligens, illum uerè ac propriè comprehendat; vt præſupponitur ſemper; ſemper illud à ueritate abhorret, quòd intelligens calorem per eſſentiam, non intelligat in propria forma calorem lapidis, qui eſt ut quatuor. &c. Nec ſic poteſt eſſe fallacia accidētis; prout liquidò conſtat.

Ad.6. Ad ſextam, dicimus uerum eſſe quòd in eſſentia diuina continentur omnium formarum perfectiones, nobiliori & altiori modo, quàm ſint in ſeipſis. Verùm cùm addit, quòd non repræſentantur in propria forma, ſecundū Peripateticos; illud non admittimus. Quia licèt in eſſentia diuina contineantur omnia indiſtinctè, in ſupremoq. & perfectiſsimo gradu eſſendi; ſed

tamen ita perfectè, perinde ac ſi diſtinctè continerentur. Et cùm eſſentia diuina ad aliarum rerum comparetur eſſentias, ueluti actus perfectus ad imperfectos; Deus profectò ſuam comprehendens eſſentiam, alias etiam cognoſcit; prout ſuperius declarauimus. Et quando ex Ariſto. dicit, ꝙ qui hominem diſtinctè cognoſcit, non eſt neceſſe ꝙ alias ſpecies cognoſcat ab eo differentes, licèt ſit metrum eorum omnium quæ ſub Coelo ſunt. Dicimus ꝙ Ariſtoteles de ſimplici & ordinaria loquitur cognitione, atq. naturali; minimè autem de comprehenſione, cognitioneq. ſupernaturali.

Ad ſeptimam, neganda uenit minor propoſitio. Cùm probatur ex primo Coeli; dicimus ꝙ Ariſtoteles negabat Ideas, illaſq. improbabat, ſecundùm quòd eas ponebat Plato; nimirum prout Idea idem ſonat quod ſubſtantia ſeparata per ſe exiſtens, non in intellectu diuino; quemadmodum ſatis conſtat. 1. Ethi., cap. 6.; . pri. Meta., cõtex. 29., 30., & deinceps; Tertio Meta.; contex. 7.; ſeptimo Meta., contex. 51., 52., 58., & deinceps; & cum Ariſtotele Auicēna. 8. Meta. Negat; inſuper; Ariſtoteles Ideas in mēte diuina, loco à Zimara citato, quia negat etiam Mundi efficientiam in Deo; prout infra probabimus; ratione cuius efficientiæ requiritur Idea, & non aliter. Vbi enim non eſt propriè artifex, nec Idea. At ob id non ſequitur quin Deus omnia & ſingula cognoſcat. Non. n. quicquid cognoſcitur, rationem habet Ideæ, ſed qđ cognoſcitur tanq̃ obiectum artis. Cæterùm de his inferius. *Ad. 7.* *Lib. 5.*

Ad octauam, negatur aſſumptum. cùm probat quia Dei ſcientia eſſet particularis, aut uniuerſalis; illud minimè ſequitur; quandoquidē ſingula Deus cognoſcit, per comprehenſionem, ſeu per ſcientiam comprehenſiuā, primi ſciti, quod eſt totum ens uirtualiter, & intelligibiliter. Vnde per hoc nō eſt particularis; quia ſcientia particularis eſt circa multa prima. Quatenus uerò ſciuntur per comprehenſionem eius quod eſt totū ens eminenter, uirtualiter, & intelligibiliter; eatenus actualiter ſciuntur; & ita perit ratio uniuerſalis ſcientiæ; quoniam ea quæ tali pacto ſciuntur, non ſunt ſcita niſi in potentia. Hæc ſunt quæ circa Zimaræ opinionem atque ſententiam, mihi occurrunt dicenda. *Ad. 8.*

Quam quidem opinionem ita proſequutus eſt Ioānes Iacobus Paueſius, in. 2. parte ſuæ tertiæ Metaphyſicalis diſputationis, cap. 3., ut eius conſilium ſit cum Zimara omnino coniunctum. Eiuſq. rationes ad quinq. principaliores facilè reducuntur; quarum fundamentum inde profectò deſumitur, quòd de ratione formæ intellectæ intrinſeca & per ſe, illud eſt quòd intelligentem perficiat, ſiue primò, ſiue ſecundò, uel dicas conſequutiuè, intelligatur. Illudq. de mente Ioannis Bacconis aſtruere uidetur, quòd Deus huiuſmodi intelligat inferiora, prout in materia ſunt, & extra diuinum intellectum exiſtentes; quod nihiloſecius à ueritate prorſus abhorret; & quod primo loco pro eius fundamento aſſumebat, uerum quidem eſt de forma, ſiue obiecto mouente, ac propriè terminante; cuiuſmodi non ſunt creaturæ cōſequutiuè intellectæ, modo præexpoſito. *Opinio Pauesij.*

Iauellus quoq. in. 12. Meta, . q. 25., aduerſatur Ioanni, uolens cum. D. Thoma ī prima par., . q. 14., ar. 6., & in primo ſen., . diſt. 35., . q. 1., ar. 2., ꝙ Auerroes uoluerit Deū nō cognoſcere alia à ſe, niſi in cōmuni, & quatenus *Opinio Iauelli.*

entia ſunt. Eiusq́. fundamentum illud eſt, ꝙ primum calidum cognoſcés, omnia calida quà calida ſunt, utiq. cognoſcit. Primum itaq. ens qui nouit, reliqua etiam nouit entia, quà entia ſunt. Cognoſcens autem ſub illa ratione utrunq., ob id non ſequitur, ut eadem cognoſcat quod ad prædicata attinet propria, ſpecifica, atq. indiuidua: quia accidit calido eſſe lapidem, uel aquam; & accidit enti ꝙ ſit Homo uel Capra.

Contra Iauellum. Veruntamen ſi animaduertiſſet Iauellus ꝙ loquebatur Auerroes, & cum eo Ioannes, de cognitione comprehenſiua, illud profectò non dixiſſet. Si. n. nulla eſt in quauis re perfectio, quæ in ente per eſſentiam non contineatur, proculdubio comprehẽdens ens per eſſentiam, reliqua omnia cognoſcet. Sed de his diximus ſatis.

Deum omnia perfectiſsimè cognoſcere, ad Catholicam Veritatem comprobatur. Cap. 10.

SAcra Diuinaq́. Eloquia ubiq. ferè clamant, Deum ipſum Benedictum atq. Glorioſum, omnia claro intuitu proſpicere, ac intelligere; unde in Pſalmis habetur: Qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. (Pſal. 32.) Et Sapien. 6. Aequaliter eſt illi cura de omnibus. Et ibidem cap. 8.; Attingit à fine uſq. ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Dicebat quoq. Dominus, Hier. cap. 16.: Oculi mei ſuper omnes uias eorum. Sed D. Apoſtolus ad Hebræ. 4., concludendo inquit: Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Et rectè quidem; propterea quòd ea maximè ad cognoſcendum ſunt apta, quæ à materia diſiuncta ſunt maximè. Arbores, ſaxa, ligna, ſtirpes, herbæ, flores, nihil penitus cognoſcunt, quoniam in his craſsitudo, ruditasq́. materiæ dominatur. In animalibus uerò ſenſus ſunt cognitioni idonei, ex eo quia leuis in his tenuis materia, & ad ſpiritus ſubtilitatem, quàm proximè accedẽs. Hinc fit, ut rerum ſpecies facilè recipiãt. Sed multò magis humanus intellectus, cui nullum cum materia commerciũ intercedit. Quid igitur dicemus de Optimo, Summoq́. Deo? Qui ab omni materia longiſsimè recedit, cui quęcunq. ſubſtantiæ incorporeæ collatę, nõ poſſunt incorporeæ uideri, quanta cognitione pollere exiſtimandus? Quid cum; obſecro; latere poteſt, qui circunfuſus eſt, & infuſus rebus omnibus? Deus itaq. eſt omniquaq. ſciens, ita ut nedum ſeipſum, uerùm etiam reliqua omnia, quæcunque illa ſint, ſiue præſentia, ſiue præterita, ſiue futura, unica ſcientia uiſionis, exactiſsimè cognoſcat. Quæ uerò ſunt in eius poteſtate, uel creaturæ, nunquam tamen ad actum reducentur, non uiſionis ſcientia, ſed ſimplicis apprehenſionis, ſeu intelligentiæ, cognoſci dicuntur. Improbos duntaxat ignorare dicitur; ut ſe habet Euangelicus ſermo; Neſcio uos; Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Qui ſermo fit pariter ad ſtultas uirgines, cupientes ad ſponſum ingredi. Non tamen quicquam ſibi tribuant ex eo improbi, quòd non noſcantur à Deo. Non noſcuntur ubi de gaudio agitur & præmio; at qui prætereuntur tunc tanquam ignoti, & uix conſpecti, mox agnoſcentur ad unguem qui & quales fuerint, in poenis. Et hoc eſt quod dicunt Theologi noſtri, ꝙ

Deus

Deus neſcit mala, ſcientia, inquiunt, approbationis, non ſimpliciter. Enimuerò bona, ſcientia uiſionis & approbationis, nouit utiq. Deus; mala autem non approbationis, at uiſionis tantùm, & ut ab eo reprobáda. Quòd ſi forſitan ex horum grege quiſpiam ſperat latere in eo, quod occultè ipſe ſine ullo teſte conſcio admiſerit; hanc ſpem deponat, quādoquidem Deus, ſecretis etiam aſsiſtit cogitationibus, & nō modò quicquid extra, ſed quid etiam intus agatur, perfectiſsimè cognoſcit. Inde magnus Propheta exclamabat dicens: Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti. Et quæ ſequūtur. Neq. hoc pluribus actibus; ſed uno intuitu intelligentiæ ſuæ, terribilis ille maieſtatis oculus oīa uidet; numeratq. totā maris arenam, aquarum & pluuiarū guttas, oēs partes terræ, & quæ in terra, aut in uiſceribus terræ, aut in undis, aut in fluminibus generantur; oēs itidem Stellas Coeli, uirtutes & curſus earum; oēs dies ſeculi, horas, & dierū momenta; herbas, & herbarum uires; arbores oēs, fructus & frōdes; ſemina oīa & grana: Angelorum, hoīum, ac Dæmonum cogitationes, intētiones, deſideria, opera ſingulorū, & uerba; oīa uidet, omnia nouit, oīa diſcutit, & quicquid abditiſsimum eſt, perquamclariſsimè comprehendit. Eiusq. ſcientia non accidens eſt, ſicut in nobis; at unum & idem cum ſua ipſius eſſentia; nec ullum ibi eſt diſcrimen, niſi ſecundū intelligentiæ rationem. Hæc aūt omnia cognoſcit Deus, quia perfectè ſeipſum intelligit, & omnia ea, ad quæ ſua ſe uirtus extendit. Et quia eſt omnium rerū prima cauſa, oēs effectus in ea præexiſtentes, ſunt in eius intelligere. Seipſum itaq. in ſeipſo, & alia non in alijs, at in ſua ſubſtantia cognoſcit. Quippe eius eſſentia, ſpecies eſt ſibi adæquata, & non alijs, cùm in ea oēs rerum ſpecies cōprehendantur. Ea quoq. propria cognitione cognoſcit, quandoquidem cum ſeipſum perfectè cognoſcat, quòd de oībus rebus, propriam atq. diſtinctā cognitionem habeat, neceſſariò conſequitur. Quoniā ſi quis aliquid pfectè cognoſcit, omnia quę ſunt in illo profectò cognoſcet. In Deo autē ſunt omnia ſecundū potentiam actiuam, quantùm ad proprias formas: cùm ſit omnis entis principium. Quare de cunctis rebus propriam habet cognitionē, atq. diſtinctam. Confitendum etiam illud prorſus Theologi noſtri ſanxerunt: Deum ſcilicet cognoſcere poſſibilia, impoſſibilia, neceſſaria, & cōtingentia; fortuita quoq. & temeraria; modo ſupremæ, perfectiſſimæ, & diuinæ naturæ ſuæ magis, q̄ rebus ipſis congruo. Modo nempè quàm excellentiſſimo, quàm uè auguſtisſimo. Vt impoſſibilia neceſſariò; contingentia, fortuita, & temeraria, certè, & exquiſitè; præterita, uel futura, tanquam præſentia; præſentia; inquam; non in inſtanti fluentis temporis, ſed permanentis æternitatis. Adde, quod diuiſa etiam modo indiuiſibili intelligit; quanta, ſine dimenſione; multifida, unitè; temporanea, æternè; generabilia, modo ingenerabili; fluxibilia, modo ſtabili; mobilia ſine motu; localia, ſine loco; naſcētia, ſine initio; decedentia, ſine fine; fluctuantia, ſine alteratione. Quapropter de diuinis nominibus cap. 7. Beatiſſimus Dionyſius hæc ad uerbum ſcripta reliquit: Seipſam itaq. diuina ſapientia noſcens, omnia ſcit: materialia, ſine materia; & indiuiduè, quæ diuiſionem admittunt; & unicè plurima; uno ipſo cuncta ſciens, & proferens.

Pſal. 138

Inde poſtea fit conſequens, ꝙ Deus enunciabilia ſciat, non componẽdo & diuidendo, ſed per ſimplicem intelligentiam; ſeu per modum primæ, & nõ ſecundæ intellectus operationis. Id quod in intellectu noſtro minimè contingit, qui de uno in aliud diſcurrit, quoniam una forma intelligibilis, aliud non repræſentat. Cuius tamen oppoſitum in nobis contingeret, ſi ex hoc ipſo ꝙ intelligimus quid eſt homo, omnia, inſuper, intelligeremus, quæ de illo prædicari, & enunciari poſſunt; nempè ipſum eſſe album, & id genus alia. Quod quidem eſſet, ſi ſpecies hominem repræſentans, illa etiam omnia repræſentaret, quæ nata ſunt ei cõuenire. Vnde neceſſe eſt, ut ea quæ ſeorsũ & diuiſim percepit intellectus noſter, componendo uniat, aut diuidẽdo, ad habendam de aliqua re notitiam perfectam. Et ſicut ipſius Dei ſubſtantia eſt immutabilis, ita eius ſcientiam inuariabilem eſſe oportet. Quicquid enim eſt, & eſſe poteſt, nouit ab æterno, & eius ſcientia, idem eſt quod ſua eſſentia; quemadmodum multoties in ſuperioribus repetitum reliquimus.

Nec ob id ꝙ Deus ſciuit Chriſtum naſciturum, quod ex parte rei cognitæ modò neſcit, quia non amplius eſt naſciturus, in eius ſcientia, ulla ſequitur uariabilitas, at in enunciatione tantùm. Vnde ſi quis dicat: Quicquid Deus ſciuit, ſcit; & oratio ad enunciabilia referatur, nullatenus admittenda uenit. Quandoquidem adhuc ſciret hoc attributum (naſciturum) enũciari de Chriſto ex parte enunciabilis ſciti. Sicut igitur abſq; diuinæ ſcientiæ uariatione ſtat ꝙ unam & eandem rem quandoq. ſciat eſſe, quandoq. non eſſe: ita præter eiuſdem uariationem, eſt ꝙ ſciat aliquod enunciabile quandoq. eſſe uerum, & quandoq. falſum. Quod tamen non eſſet, ſi enunciabilia cognoſceret Deus, per modum enunciabilium, cõponendo & diuidẽdo, ſicut intellectui humano accidere nouimus. Et licet res; utpotè Socrates; quandoq. ſit ens, quandoq. non, quemadmodum & enunciabilia quandoq. ſunt uera, quandoq. non. Ob id tamen res & enunciabile in hoc de pari minimè tendunt, ꝙ ſicut re mutata de eſſe in non eſſe, adhuc dicitur Deus ſcire rem quam ſciuit: ita mutata enunciatione de uera in falſam, dicatur etiam Deus ſcire enunciabile quod ſciuit: & ſi tam ens q̃ uerum, ſcibile fundet. Propterea illud in propoſito uerſatur diſcrimen inter enunciabile & rem, quòd enunciatio eadem manens & perſeuerans, de uera mutatur in falſam, &, ex conſequenti, de ſcibili in neſcibilem, contraq́. ſemper recurrit oratio. Res autem ſi de eſſe in non eſſe mutetur, aut e diuerſo, non perſeuerat, & idcirco non poteſt demonſtrari una & eadem res manens, modò ſcibilis, modò neſcibilis; ſicuti una enunciatio. Nulla tamen ſequitur unquã in Dei ſcientia uariabilitas ex parte actus ſciendi, ſed tam actu quàm potentia remanet omnino immutabilis. Ex parte uerò ſcitorum enunciabilium, (de rebus nulla fit mentio) nihil prohibet ipſam mutari; quia mutatio iſta, nullam in Deo mutationem ponit, at in enunciabili ſcito; quia ſcilicet mutatur de ſcibili in neſcibile. Hanc ob cauſam, & ſi Deus ab æterno, Chriſti natiuitatem pro tali tempore intueatur, & hoc enunciabile (Chriſtus naſcitur) pro eodem tempore; deinde non eſſe Natiuitatis Chriſti pro alijs temporibus, & prædicti enunciabilis falſitatẽ; Non ideo licet inferre;

Sicut

Sicut igitur non dicitur Deus neſcire Chriſti natiuitatem quam ſciuit,ita nō debet concedi illud enunciabile neſcire quod ſciuit. Quoniam non eſt par ratio de re & enunciabili cùm enunciatio ſit perſeuerans & manens modo præmiſſo, res autem minimè. Illud; inſuper; addendo, ꝙ res, nempè Chriſti natiuitas, determinat ſibi certum ſui eſſe tempus; Enunciatio autem, nimirū (Chriſtus naſcitur) nullum certū cōſignificat tempus; at præſens in communi, ſeu uagè, ſecundū tempus quo formatur, aut profertur; & propterea modò eſt uerum, & modò falſum; quia alicui præſenti adæquatur, & alicui non; idem tamen omnino perſeuerans. Quod de re, quæ certum habet ſui eſſe tempus præſens, minimè dici poteſt. Quare ſi quis dicat: Deus ſciuit aliquod enunciabile, quod neſcit. Scire igitur ſuum tranſiuit in neſcire. Neganda uenit illatio. Quoniam illud ob ſcientiæ non prouenit, ſed ob ſciti uariationem. Et quò ad hoc, res & enunciabile tendunt de pari, nimirum ꝙ utriuſq. uariatio, non redundat in diuinæ ſcientiæ uariationem. Quod quidem ut facilius iuniores intelligant, animaduertere debent; ꝙ inter ſciẽtiam & rem ſcitam, requiritur ſemper æqualitas, ut uerum rectèq. ſcire dicamur. Quandoquidem ſi iudicium ſit de re præſenti, quæ tamen nondum ſit, uanum eſt iudicium, nec inter ſcientiam & rem ſcitam ſeruatur æqualitas. Si uerò iudicium de eadem ſit re futura, rectum utique erit, & inter utrunq. ſeruabitur æqualitas. Quod quidem iudicium ut nunq̃ aberret, de re prout ipſa eſt oportet ut ſemper ſit. Ita ut ſi eſt præſens, ipſam præſentem iudicemus, idemq. ſi præterita fuerit, atq. uentura; ſecus nulla inter ſcientiam & rẽ ſcitam, ſeruaretur æqualitas. Cùm igitur rés ſit modò præſens, modò præterita, modòq. futura, & in diuerſis partibus temporis diuerſimodè ſe habeat, prout etiam ad noſtram confertur notitiam atq. iudicium, uariationem habet; & inde in noſtra ſcientia ſequitur uariatio; quia tempus ad noſtram cognitionem, tanq̃ ad rem ſub tpe exiſtentem, comparatur ſemper. Ex quò ſequitur, ꝙ data æqualitate inter rem ſcitam, & cognitionẽ noſtram, utraq. illarū eodem menſuratur tpe. Si.n. Sortes ſedeat, illumq. ſedere iudicem; eius ſeſſionẽ eſſe in tpe præſenti, in quo eſt mea cognitio, intelligimus ſemper. Et ſi ſedit, ipſumuè ſediſſe iudicem; eius ſeſſionem reſpectu temporis in quo eſt mea cognitio, præteritam dicimus. Itidem ſi iudico ipſum ſeſſurum, reſpectu cognitionis meæ, eius ſeſſio ſemper dicetur futura. Si uerò ſedit heri, & hodie non ſedeat, ego tamen adhuc ipſum ſedere iudicem, eius profectò ſeſſio non erit præſens cognitioni meæ, ſed præterita; ex quo fit cōſequens, ut inter cognitionem meam & rem cognitam remaneat inæqualitas. Ad diuinam aūt cognitionem comparatur tempus, non tanq̃ ad rem ſub tempore contentam, ſed uelut ad id quod eſt ſupra omne tempus, utpotè æternitate menſuratum, quæ omni temporis differentiæ adeſt. Eapropter res quò ad omnem ſui diſpoſitionem ſemper eſt diuino cōſpectui præſens, pro oībus temporis partibus, quibus diuerſimodè diſponitur. Variaẽ igitur res in ſeipſa, nō tamẽ ad diuinã relata cognitionẽ. Vnde ſi Sortes hodie ſedeat, ſẽp uidet Deus illū hodie ſedere; & ſi cras nō ſedeat, ipſum uidet ſẽper cras nō ſedere. Et ita diuino cōſpectui res eſt ſẽp p̄ſens, & nō modò p̄ſens, modò p̄terita, modò futura; licèt hoc ĩ nobis uideat & cognoſcat.

primis ſumus antea ita loquuti, ut fruſtra ad nouum ſermonem ſimus compulſi. De quarto igitur, meritò iureq. optimo relinquitur pertractandum. Qui quidem cùm ſit omnium præſtantiſſimus cognoſcendi modus, fit conſequens ut ſit à nobis inexplicabilis; pluribus nihiloſecius modis, quoad fieri poteſt, à præfatis noſtris Theologis declaratur.

Et primo loco ſe offert Scotus, qui in primo Theologicarum ſententiarum, .d. 35., .q. vnica, .d. 36., .q. unica, & .d. 43. .q. unica, vult ꝙ Deus alia à ſe intelligat in eſſe quodam eorum intelligibili, atq. obiectiuo. Quatuor ſiquidem ponit inſtantia, iuxta modum noſtrum intelligendi, & inquit ꝙ in primo inſtanti, ſuam Deus intelligit eſſentiam, ſub ratione merè abſoluta. Quod eſt dictu, Deum in illo priori inſtanti ea tantùm cognoſcere, quæ ad ſeipſum pertinent. In ſecundo uerò inſtanti, inquit; producit alia à ſe, in eſſe quodam intelligibili; utpotè lapidem; & lapidem intelligit. In tertio inſtanti, poteſt fortè intellectus diuinus ſuam comparare intellectionem ad quodcunq. intelligibile, & ita ad quodcunq. in ſe relationem cauſare. In quarto demum inſtanti reflectitur ſua cognitio ſuper illam relationem iam cauſatam, & ſic ab illo cognoſcitur. *Opinio Scoti.*

Verùmenimuerò nunq̃ mihi arriſit iſte dicendi modus; quoniam in Deo vnica eſt intellectio indiſtincta, quæ eſt omnibus modis diuina eſſentia, qua intelligit omnia, & in eodem inſtanti quo Deus ſuam intelligit eſſentiam, creaturam quoq. uerè & propriè ĩtelligit; prout ſatis in ſuperioribus probatum reliquimus, atq. declaratum. Niſi ergo uelimus in diuino intellectu ponere diſcurſum, huiuſmodi inſtãtia reijciamus oportet. Eo magis, quãdo in diuinis prius aſtruunt in quo, ab omnibus ferè Theologis ſuperq. ſatis reprobatum. His itaq. miſsis, ad huiuſmodi creaturarum eſſe intelligibile atq. obiectiuum me accingo. *Contra Scotum.*

Illud ſiquidem minus eſt; inquit Scotus; q̃ eſſe reale, & plus q̃ eſſe rationis; nec ob id apud eum eſt eſſe eſſentiæ, at ſecundùm quid, & eſſentiæ & exiſtentiæ rerum. Nec illud vult eſſe relatiuum, ſed abſolutum; ſecundùm quid tamen, & fundans relationem. Et tunc Deus intelligit creaturas, nedum in eſſentia ſua ut in cauſa, verùm etiam in ſeipſis; nimirum in illo eſſe obiectiuo; ante quod, nullum penitus eſſe habent, nec etiam ſecundùm quid; ſed intellectus diuinus actu ſuo, producit eas in eſſe cognito, hoc ordine ſeruato. Intellectus diuinus, ſeu actus diuini intellectus, in primo inſtanti eſt ens dũtaxat abſolutum, & formaliter infinitum; in eoq. nihil producit. In ſecundo verò inſtanti producit lapidem in eſſe intelligibili; ita ꝙ in illo inſtanti lapis habet eſſe intelligibile, non ex natura rei, at per illum actum. In tertio inſtanti, intellectus diuinus, actu illo quo lapidem in tali eſſe producit, ipſũ intelligit, non uirtute intelligibilis, at diuinæ eſſentiæ, quæ in illo inſtanti, modo ſibi conuenienti, ſuum mouet intellectum, ad ipſius lapidis intellectionem. Ex quibus omnibus, hæc elicio per ordinem.

Deus intelligendo lapidem, illum producit in eſſe cognito, extra ſe. .1.
Illud eſſe cognitum mediat inter eſſe reale & rationis. .2.
Eſt abſolutum, minimè autem relatiuum. .3.
Deus intelligit creaturas in diuina eſſentia, & in ſeipſis. .4.

Quæ

nare uidetur. Si uerò detur ſecundum, quòd haudquaq; actio illa ueniat ponenda, neceſſariò conſequitur; quandoquidem inanis eſſet & fruſtra.

Tertiò; productio illa creaturarum in eſſe intelligibili, periculoſam ingerit doctrinam, & in fide ſcandalum eſſe uidetur. Nec à uera deuiantibus Fide atq. Catholicá, & ea quæ ſunt Fidei parum intelligentibus; ut dicebat Lychetus in primo Theologicarum ſent., .d.32.,.q.unica, in calce, aduerſus Cardinalem Caietanum; at ijs qui ueram callent Theologiam. Illud .n. eſſe intelligibile quod per actum diuini intellectus accipit in ſe formaliter creatura, aut eſt nihil, aut eſt aliquid. Si primum; productio igitur illa creaturarum in eſſe intelligibili, Chimerica eſt, & præter omnem intellectum. Sin autem admittatur ſecundum, tum ſequitur quòd ipſæmet creaturæ non ſint ex nihilo productæ, cùm iam habeant aliquod eſſe; & ex illo eſſe tranſeant ad eſſe ſimpliciter. Hoc autem cum hæreſi VVitclef, à Tho. VValdenſi, tomo .p., libro .p., cap. 8., doctiſsimè reprobata, coincidere videtur. Quare principale ſequitur intentum. .3.

Quartò; Scotus in primo Theologicarum ſententiarum, .d.35.q. unica, ponit creaturas in eſſe obiectiuo ab æterno productas, eſſe ideas & rationes, quibus Deus alia à ſe cognoſcit, & aliquid ad extra producit. Quibus ſtantibus, in hunc modum erigo ipſe rationem: Eſſe illud intelligibile creaturarum, idem eſt cum eſſe earundem quando in tempore producuntur. Cùm igitur iam eſſent productæ, non erat neceſſe ut iterum in tẽpore producerentur: Quoniam tunc eſſent bis productæ; quod ſuperq. ſatis abſurdũ eſſe uidetur. Id quod antecedit ex eo maximè cõſtat, quod loco proximè citato aiebat Scotus. Proptereaquòd ſi creaturæ in eſſe obiectiuo productæ, aliud eſſe haberent ab eo quo in tempore producuntur, non repræſentarent res vt ſunt in tempore factæ; & ita res non cognoſceret Deus ut habent eſſe in ſeipſis; id quod à Fide Catholica prorſus abhorret. .4.

Solutio. Quòd ſi prima conſequutio ab eis elidatur, ex eo quia non uidetur incõueniens quòd creaturæ ab æterno ſint productæ ſecundũ quid, in tempore uerò ſimpliciter.

Impugna. Illud profectò non iuuat. Quandoquidem adhuc tranſirent ab eſſe ſecundùm quid, ad eſſe ſimpliciter. Et ita non eſſent productę ex nihilo; quod eſt hæreticum.

Quintò; Stante hac Scotica doctrina, quòd Deus à rebus ſuam deſumat cognitionem, neceſſariò conſequitur: Quod nedum Theologiæ, uerùm etiam ueræ aduerſatur Philoſophiæ; prout ex ijs quæ in ſuperioribus diximus, iam ſatis conſtat. .5.

Sextò; Prior eſt repræſentatio q̃ cognitio, ut cauſa effectu. Lapis igitur prius ponitur in eſſe repræſentato per eſſentiam diuinam, ut ſpeciem intelligibilem, q̃ in eſſe cognito per actum intellectionis. Lapis igitur prius hẽt eſſe repræſentatum, ſeu intelligibile, quàm intelligatur: Quod Scoto aduerſatur omnino. .6.

Contra.2. Secundũ quoq. principaliter ab ipſo Scoto aſſertum, erat illud eſſe obiectiuum, medium eſſe inter ens reale & rationis. Quod quidẽ ab oĩ vera Philoſophia abhorrere, compertum eſt mihi. Etenim Ariſto. in .6. Sapientiæ

libro,

lum,perfectionumq́; omnium infinitum pelagus,& principium eſt,& cauſa res cunctas Deus cognoſcat glorioſus. Cuius quidem modum alia à ſe intelligendi exponens Aureolus,Theologicarum ſententiarum lib.p.,.d.35., q.2.,ar.1.,dicit ꝙ nihil extra Deum obijcitur intellectui diuino, nec per modum obiecti primarij,nec ſecundarij. In articulo uero.2.,dicit ꝙ Deus,creaturas aliquo actu apprehenſiuo,quoquo pacto eas attingente,minimè intelligit; Atqui ab eo determinatiuè tantum intelligi dicuntur.Puta ꝙ Deus ſeipſum qui eſt tota entitas apprehendendo,ab illa apprehenſione reliqua intellecta denominantur. Propterea quòd illud dicitur intelligi terminatiuè; apud ipſum; qđ habet eſſe obiectiuum, ſeu conſpicuum,aut intẽtionale in anima,per quod extra cognoſcitur.Illud uerò dicitur intelligi denominatiuè,quod in anima nullum habet eſſe intentionale,at omnino reale. Vnde lapis extra, intelligitur terminatiuè, quando primò habet eſſe in anima obiectiuum,& intentionale; & tunc mediante huiuſmodi eſſe, intellectus dicitur ad rem extra terminari. Si uerò lapis nullum habeat ſimpliciter eſſe intentionale in anima,ſed reale,& intelligatur,tũc lapides omnes particulares extra,denominatiuè,minimè autem terminatiuè, intelligẽtur. Quia lapis in eſſe intellecto,non mediat tunc inter animã & ſeipſum extra; ſed alia re intellecta,nempe anima,cum qua idem eſt realiter, denominatur & ipſe lapis intellectus. *Opinio Aureoli.*

Ita eſt in propoſito; creaturæ non terminant diuinum intuitum,quia illud eſſe intentionale apud Deum Benedictum nullatenus habent; quinimmo in eo habent eſſe reale,cùm ipſe ſit totum ens; ea propter ſeipſum Deus cognoſcendo qui eſt totum ens realiter,cognoſcuntur & ipſæ denominatiuè denominatione extrinſeca;quandoquidem ea ſola ratione cognoſci dicuntur,qua Deus ipſe cognoſcitur,in quo habent eſſe reale. Quamobrem creatura,ut intellecta,non ponit in numerum cum eſſentia diuina ut intellecta; ita ꝙ ſit ibi multitudo intellectorum; at eſt penitus unum ſimplicisſimũ intellectum. Hæc eſt germana Petri Aureoli reſolutio, atq. determinatio, his rationibus confirmata.

Impoſsibile eſt aliquid quod eſt perfectionis in Deo, dependere à non Deo; quia bonorum noſtrorum non indiget. Si autem intellectus diuinus ad creaturas terminaretur, intellectio diuina quæ dicit perfectionẽ in Deo, à non Deo utiq. dependeret. Quoniam impoſsibile eſt intellectionem terminatam ad aliquod obiectum, ſine illo manere, ex conſequenti ab eo dependet.Quare diuinus intuitus ad creaturas minimè terminatur. Ex quo fit conſequens,ut Deus illas denominatiuè tantùm intelligat. .1.

Amplius; Si diuinus intuitus ad creaturas terminaretur,diuiſio continui totaliter euacuaretur, & poneretur in actu. Quoniam ſecus aliquæ partes ulterius diuiſibiles in potentia remanerẽt; & ita intellectus diuinus natus terminari ad eas, in potentia & ipſe remaneret; quod eſt nimis abſurdum. .2.

Adhuc; Dato oppoſito huiuſcæ determinationis,ſequitur tunc ꝙ ſit infinitum quantum,infinitus numerus,& infinitæ rerum ſpecies in actu. Propterea quòd intellectus diuinus omnia poſsibilia fieri à Deo ſimul uidet, & .3.

non

non ſucceſsiuè; quia tunc eſſet in potentia. Videt igitur quantum infinitũ, numerum infinitum,& ſpecies actu infinitas. Quod à ueritate nimium abhorret: quoniam huiuſmodi infinita omnia eſſent in actu; ne aliqua potẽtia in intellectu diuino admittatur. In his tota uis conſiſtit rationum Aureoli, etſi pro hac prima parte, alia quamplurima dicat.

Probatio ſecundæ partis. Secundo loco probat quòd creaturæ non ſunt in diuino intuitu, ſicut obiecta relucentia in diuina eſſentia, ita ut à Deo uideantur per eſſentiam, tanq̃ per ſpeculum. Vnde habebit propoſitum: illud nempe, quòd non eſt aliqua multitudo intellectorum in Deo; nec creaturæ, ut intellectæ, ponunt in numerum cum diuina eſſentia, ut intellecta; ſed eſt penitus unum ſimpliciſsimum intellectum. Arguit itaq. primo loco tali pacto: Quandocunque aliquid aſpicitur in aliquo tanq̃ in ſpeculo, tunc eſt ibi alius actus uidendi, & alia ſpecies: ſiue ratio qua uidetur ſpeculum,& qua uidetur res in ſpeculo. Si igitur diuinus intellectus in ſua eſſentia tanq̃ in ſpeculo, creaturas intuetur; illud relinquitur clarum atq. perſpicuum, quòd per aliam ſimilitudinem q̃ per eſſentiam ſuam illas uideret. Siquidem & nos cùm res in aliquo ſpeculo inſpicimus, per aliam ſimilitudinem res illas uidemus, & per aliam ſpeculum ipſum.

2. Secundò; Quæ uidentur in ſpeculo, non niſi per lineam reflexam uideri poſſunt. Si igitur diuinus intuitus primò feratur in eſſentiam,& inde procedat ad creaturas, quaſi per quoddam ſpeculum, qui fieri poteſt, ut eas non intelligat per reflexionem? Hoc autem in Deo non ſatis benè ſonat; cùm actus reflexus, imperfectior ſit actu recto.

3. Amplius; Relucere in diuina eſſentia, non eſt aliud quàm cognoſci & eſſe apparens. Si itaque ex eo quod creaturæ in diuina eſſentia relucent, à Deo intelliguntur. Quòd eas prius cognoſcat quàm intelligat, neceſſariò conſequitur.

4. Præterea; Sicut ſe habet intellectio ad intellectionem, ita intellectum ad intellectum,& intuitum ad intuitum. Intellectio autem qua Deus intelligit creaturam, eſt eadem cum intellectione qua propriam intelligit eſſentiam. Intuitum igitur per intellectionem qua intelligitur creatura, non eſt aliud q̃ intuitum per intellectionem qua intelligitur eſſentia. Res autem lucens in ſpeculo, eſt alia ab eo. Non igitur lucet creatura in Deo, tanq̃ in ſpeculo. Immo non eſt aliud Deum intelligere creaturam, quàm ſuam propriam intelligere eſſentiam; ita quòd non ſunt ibi duo intuita, ſed unicum tantùm.

Confirmat huiuſmodi doctrinam Aureolus; tum quia ſi creaturæ in diuina relucerent eſſentia, Deus tunc aliquid extra ſe intueretur, ſi non ſitualiter, ſaltem entitatiuè; tum quia creaturæ haberent eſſe intentionale & diminutum. Quorum utrunq. D. aduerſatur Auguſtino, lib. 83. quæſtionum, quæſtione .46. Hæc ſunt quæ pro ſua opinione firmanda habet iſte uir. Quæ quidem opinio, quatuor præcipuè continere uidetur.

1. Primum; Deus non terminatiuè, nec apprehenſiuè, atqui denominatiuè, denominatione duntaxat extrinſeca, creaturas intelligit.

2. Secundum; Creaturæ non habent eſſe obiectiuum apud Deum.

Tertium;

Tertium; Cognoſci terminatiuè, eſt habere eſſe intentionale & obiectiuum in anima, per quod res extra cognoſcatur. 3.

Quartum; In Deo nulla eſt multitudo intellectorum, cũ ſeipſum & creaturas intelligit; at unicum tantũ ſimpliciſſimum intellectum. 4.

Doctrina quidem à ueritate nimis abhorrens, & in Fide ſatis periculoſa. Siquidem primum eius dictum duas principes habet partes; quarum altera eſt, Deum creaturas terminatiuè haud intelligere; Quod uerò illas denominatiuè tantùm, minimè autem apprehenſiuè cognoſcat, continet alia. Nos itaq. illam prorſus admittendo, hanc aduerſus inſurgere decreuimus; primus oſtendendo ꝙ à ueritate ſit omnino aliena, ac poſtremò ꝙ in Fide Catholica ſcandalum pariat. Contra Aureol.

Deus nanq. ſi ſuam intuendo eſſentiam, creaturam quoq. intuetur denominatiuè tantũ aut intelligit creaturam eſſe aliam ab eſſentia ſua; aut non. Si detur primum; Deus tunc & creatura apprehenduntur ut duo intellecta, & duo intuita. Quod tamẽ ipſe cõſtãtiſsimè negat. Si verò admittatur ſecũdum; illud ſequitur inter oĩa abſurda abſurdiſsimum; ꝙ diuina mens decipiatur, eiusq. intellectio ſit omnino falſa. 1.

Amplius; Deus vult me ſaluandum. At ſi non cognoſcit me niſi denominatiuè, illud eſſe non poteſt. Quandoquidem ferretur tunc uoluntas in non apprehenſum. 2.

Adhuc; Quæ cum duorum inter ſe ſe pugnantium atq. contradicentium aſſertione à Deo intelliguntur, ut multa, & non vt unum intellectum ſpectãtur, pariterq́ intelliguntur. Quoniam attributa contradictoria non poſſunt intelligi eidem competere, ſecundum quòd eſt idem. Quod autem à diuina mente apprehenditur ut Deus, non eſt uolitum ſaluari. Id uerò quod ut nõ Deus apprehenditur, eſt volitum ſaluari. Vt duo igitur intellecta apprehenduntur, & non ut unum. Propterea quòd ad hoc ut aliquid ſit uolitum ſaluari, ut ſaluandũ iudicetur oportet. Iudicium autem eſt in apprehenſione; & Deus non iudicatur ut ſaluandus, ſed creatura. Alia igitur & alia hinc inde ſequitur apprehenſio. 3.

Confirmatur ratio ſub eodem fundamento: Quoniam Deus omnem intelligit creaturam, aut productam, aut producibilem; ſuam uerò eſſentiam; nec productam intelligit, nec producibilem. Creaturam igitur & propriam eſſentiam intelligit Deus, non ut unum, ſed ut multa. Secus duorum contradictoriorum eadem ſequeretur apprehenſio; & in utroque illorum eadem reperiretur uerimonia; quod peritiorum Philoſophorum aures nimis offendit.

Præterea; Si anima noſtra eſſet eminenter omnia, ut ea quę ſunt extra omnia intelligeret; quemadmodum nonnulli ex antiquioribus philoſophantibus arbitrabantur: nedum oporteret illam, omnia eminẽter intelligere, atq́ denominatiuè; ſed etiam diſtinctè, & formaliter; ſecus eius cognitio eſſet imperfecta. Illud autem ponere in Deo, quod in aĩa imperfectionem dicit, nimis abſonum eſſe uidetur. Propterea Auer. in. 12. Sapientiæ libro, cõm. 51. arguit, Deum ſcientiam ab extra nullatenus acquirere, ſicut intellectus noſter, quia imperfectionem quæ noſtræ ineſt cognitioni, in Deo 4.

reperiri, minimè admittere uoluit. Cognitio igitur reſpectu creaturarum non eſt ſolùm ponenda in Deo eminens & æquipollens; ut ait Aureolus; ac qui formalis in eſſe cognito.

5. Quod uerò ſit in Fide periculoſa, ex eo facilè conſtare poteſt, ꝙ ad eam ſequitur, Deum cognoſcere creaturas eo tantùm modo, quem in ſuperioribus Zimara impingebat Ariſtoteli, & Auerroi; nimirū eminēter ſolùmodò, & nō diſtinctè, nequidē in propria forma; ueluti q aurum hēt & cognoſcit, hēt ēt plumbum, illudq. cognoſcit; at non in propria forma. Hoc autem D. aduerſatur Apoſtolo, qui ad Hebr.4. dicebat: omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Repugnat quoq. antiquæ ſcripturæ, quæ prouerbiorum libro, cap.15., hæc continet uerba: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.

6. Item; Periculoſum eſt in Fide, quod Sacræ Paginæ, eiuſq. Sanctiſsimis Interpretibus, directè uel indirectè aduerſari uidetur. Hæc autem Aureoli doctrina, huiuſmodi ſapit naturam; Quare non eſt admittenda, veluti in fide periculoſa. Siquidem libro Geneſeos cap.1. habentur huiuſmodi uerba: Viditq. Deus lucem, quòd eſſet bona. Quæ quidem uerba exponens Chriſtianus Maſſæus, in ſuis Chronicis multiplicis hiſtoriæ utriuſq. teſtamenti, libro & cap.1., inquit: Hæc uiſio, approbatio eſt. Modo approbatio præſupponit iudicium, iudicium autem apprehenſionem. Quare à primo uſq. ad ultimum deducendo, optimè ſequitur: Deus approbauit lucē; illam ergo apprehēſiuè cognouit. Aureoli aūt doctrina in oppoſitū tendit. Eſt igitur in fide periculoſa. Nec iuuat illa ſua cognitio eminēs, & æquipollēs.

7. Ad hæc; in eodem Gen. lib., cap.1., dicitur quòd res creatæ fuerunt, diſtinctis, formalibus, atq. corporalibus creationibus per ſeptem dies. Illud autem fieri non poteſt, niſi diſtinctum eſſe habuerint, & apprehenſum, ita quòd diſtinctè atque formaliter, & non ſolùm denominatiuè, & eminenter fuerint apprehenſæ. Propterea quòd quando Deus, creaturas in eſſe diſtincto produxit, eas eminenter cognoſcens atq. denominatiuè; aut cognitio illa eminens denominabat illas fore diſtinctas formaliter, aut non. Si detur ſecundum, illud tunc magnum ſequitur incommodum, quòd ſcilicet creaturæ quò ad formalem diſtinctionem quam in ſe habent, à Deo minimè cognoſcantur; ex quo fit conſequens, ut ipſe aliquod eſſe creaturæ penitus ignoret. Quandoquidem, iuxta præmiſſam Aureoli doctrinam, creaturæ non cognoſcuntur à Deo, niſi per illam cognitionem eminentem denominantem. Sin uerò concedatur primum, id quod uolumus habemus. Multiplicatis nanq. denominatis formaliter, neceſſe eſt formas denominātes eodem modo, uel in rē ſaltem, uel in intellectu, formaliter multiplicari;
Tomus.4. Diuo atteſtante Auguſtino, libro.83. quæſtionum, .q.46.; quo loci hæc habet uerba, formalia: Quo conſtituto atque conceſſo, quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidiſſe? Quòd ſi rectè dici, & credi non poteſt, reſtat ut omnia ratione ſint condita; néc eadem ratione Homo, qua Equus; hoc enim abſurdum eſt exiſtimare. Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente creatoris? Non enim

extra

extra ſe quicq́ poſitum intuebatur,ut ſecundùm id conſtitueret quod conſtituebat: nam hoc opinari ſacrilegum eſt. Hæc ille.

Ariſtoteles quoq. in.7.Sapientiæ libro particula.30.dicit ꝙ in artificialibus eſt factio uniuoca,quia unumquodque fit à ſuo ſimili in intellectu.Cōceditur autem ꝙ creata in.7.diebus denominantur formaliter diſtincta,per hoc ſolùm ꝙ cognoſcuntur à Deo,æquè ac ſi diſtinctis cognitionibus formalibus cognoſcerentur. Neceſſe eſt igitur creaturarum eſſe quæ habent in cognoſci,multiplicari ſecundùm rationem. Et hoc eſt quod uolumus; ꝙ ſcilicet creaturæ multiplicentur in eſſe cognito ſecundū rationem. Quare ex his omnibus quæ diximus optimè ſequitur,ꝙ Deus,creaturas omnes apprehenſiuè & diſtinctè cognoſcat; ex quo fit poſtea cōſequens, ut quælibet illarum habeat in intelligentia diuina ſuum eſſe cognitum formaliter.Vnde concluſum relinquitur,nedum primum,uerùm etiam ſecundum Aureoli dictum eſſe falſum,& omnino reijciendum.

Decipitur etiam in eo quod tertio aſſerit loco;nimirum ꝙ terminare eſt habere eſſe intentionale apud intellectum.per quod res extra cognoſcitur; creaturæ autem non habent huiuſmodi eſſe apud diuinū intellectum;à Deo igitur non cognoſcuntur terminatiuè. Nos enim admiſimus creaturas non cognoſci à Deo terminatiuè,& cum hoc probauimus ꝙ ab ipſo apprehenſiuè & diſtinctè cognoſcuntur, & ꝙ in diuina intelligentia unumquodque creatum habet ſuum eſſe cognitum,ſeu intentionale & obiectiuum formaliter. Vnde neceſſariò conſequitur,ꝙ cognoſci terminatiuè non eſt habere eſſe intentionale & obiectiuum in anima,per quod res extra cognoſcatur. Verùm terminare eſt actum tranſire ſuper obiectum, tanq̄ ſuper per ſe ſpeculatum,in illoq́. ſiſtere. Et illud dicitur cognoſci terminatiuè,ſuper quod tranſit actus intellectus, tanq̄ ſuper primò & per ſe ſpeculatum,in eo ſimpliciter ſiſtens. Eapropter dicebat Ariſtoteles in.5.auſcultatorio libro, par. 10., quod relatio propriè non terminat motum, quia non ſiſtit in ea, ſed in alio,nempe in fundamento; quo quidem producto, ſequitur relatio. Et cùm ex impugnatione primi dicti, optimè ſequatur reiectio quarti; ueluti ex principalioribus ratiocinijs facilè conſtat; ꝙ omnia ſint falſa cōcluſum relinquitur. Supereſt modò ut eius rationibus conemur facere ſatis; uerū de hoc infra,cap.18.Interim igitur ad alia pedem conuertamus oportet.

Ad idem aliorum non infimæ claſsis Theologorum ſententia atq; opinio. *Cap. 13.*

MOdum hunc intelligendi excellentiſsimum, Durandus in primo Theologicarum ſententiarū,.d.35.,.q.2.,ita explicauit: Eſſentia diuina per hoc repræſentat res diſtinctè, quòd ipſa ſecundùm id quod eſt, abſq. alterius adiutorio uel concurſu, eſt ſufficiens cauſa omnium,& ideo omnia præhabet in ſe & continet,non formaliter (ut ſpeculum habet imagines) ſed uirtualiter; modo quo cauſa effectiua præhabet effectum. Quo ſtante,arguit tali pacto; Intellectus qui plenè & perfectiſ- *Opi. Durandi.*

ſimè nouit eſſentiam diuinam & eius uirtutem, plenè nouit atque diſtinctè, diſtinctione ſpecifica, omnia ad quæ ſe extendit eius cauſalitas. Diuinus autem intellectus eſt huiuſmodi. Omnia igitur cognoſcit, ad quæ ſe extendit cauſalitas diuinæ eſſentiæ. Se autem extendit ad omnia quæ ſunt in rebus creatis. Quare intellectus diuinus, qui perfectiſsimè & comprehenſiuè nouit eſſentiam ſuam, nouit etiam perfectè res omnes creatas, quantùm ad earum diſtinctionem ſpecificam. Huius itaq. uiri fundamentum eſt, quia diuina eſſentia cauſa eſt omnium effectiua, ideo diuinus intellectus eam perfectiſsimè comprehendens, res quoq. omnes diſtinctè & perfectè cognoſcit.

Cōtra Durandum. 1. Verùm minus mihi arridet huiuſmodi procedendi modus; Quandoquidem ad perfectam rerum cognitionem, nedum cauſarum extrinſecarum, ſed & intrinſecarum requiritur cognitio. Cauſa autem effectiua eſt cauſa extrinſeca. Non igitur ex hoc ꝙ Deus cognoſcit ſe cauſam eſſe omnium effectiuam, poteſt eorum perfectam habere cognitionem.

2. Amplius; Videtur Doctor iſte in hac eius ſententia & opinione duo claudere pugnantia; Ex eo quia, vult Deum omnes creaturas perfectiſsimè cognoſcere quantùm ad earum diſtinctionem ſpecificam, idúe quatenus eſt omnium cauſa effectiua. Hæc autem duo non ſatis benè conuenire dixerim. Quoniam ad hoc ut rerum omnium quidditates noſcantur, cauſarum extrinſecarum haudquaꝗ ſufficit cognitio; ex eo quia licèt conferant ad cognitionem ſi eſt de re, & propter quid eſt, ueluti de efficiente & fine optimè conſtat. Non tamen conferunt ad cognoſcendum quid eſt de ipſa re. Ex hoc igitur quia Deus cognoſcit ſe cauſam eſſe omnium effectiuam, quòd rerum quidditates perfectiſsimè cognoſcat, non rectè ſequi uidetur; quin potius id quod antecedit, cum eo quod cōſequitur firmiſsimè pugnat. Si enim ex eo quia cauſam agnoſco alicuius rei extrinſecam, quis dicat me eiuſdem rei quidditatem agnoſcere; dubio procul aſſerit ipſe, eandem cauſam reſpectu unius & eiuſdem rei, extrinſecam pariter & intrinſecam eſſe. Nec urget ſi dicat, quòd rem aliquam efficiens, illam perfectè cognoſcit. Quoniam licèt eam cognoſcat efficiens ut ſic, cognitione perfecta in genere, non ſimpliciter. Quemadmodum patet de fabro ærario: ipſe enim cognoſcit ferrum, quatenus ei deſeruit ad conficiendum clauum, non ob id ſatendum eſt, illum naturam ferri perfectè cognoſcere, cognitione perfecta ſimpliciter; hoc enim ſpectat ad naturalem; ſed cognitione perfecta in genere.

3. Adhuc; Vt ſecundùm eſſe unumquodque ſe habet, ita etiam ſecundùm ueritatem; doctrina eſt Ariſtotelis, .2. Sapientiæ, contextu .4. Res autem in cauſis ſuis extrinſecis nullum habet eſſe, niſi in potentia. Effectus enim non ſunt in efficiente, niſi in potentia, nec ea quæ ſunt ad finem, ſunt in fine niſi in potentia. Non igitur cognoſcitur res in ſuis cauſis extrinſecis, niſi in potentia. Deus autem, creaturas in ſeipſo tanquam in cauſa earum extrinſeca (effectiua nempe) cognoſcit; iuxta ipſius Durandi placitum. Illas igitur non niſi in potentia cognoſcet. Hoc autem inter omnia abſurda, abſurdiſsimum eſt. Illud igitur etiam ex quo effluxit.

Quare

Quare no n rectè uidetur dixiſſe omnino Durandus.

Petrus uerò ex Palude, cuncta Deum cognoſcere, per rerũ ſimilitudines, & Ideas: quæ in diuina eſſentia, tanq̃ in mundiſsimo ſpeculo continerẽtur, putauit. Vnde Vir iſte peregregius, duo principaliter in ſua claudit opinione. *Opinio Petri de Palude.*

Primum, q Deus cuncta cognoſcit per rerum ſimilitudines, atque Ideas. Quo fit, ut diſtinctio Idearum requiratur ob diſtinctam cognitionem creaturarum. .1.

Secundum, quòd in diuina eſſentia, tanq̃ in mundiſsimo ſpeculo continentur. .2.

Ex quo ſequitur, quòd huiuſmodi ſimilitudines & Ideæ ſint mediantes inter intellectum diuinũ, & creaturas diſtinctè cognoſcẽdas, ſeu cognitas.

Quorum neutrum mihi probatur; Non primum, quandoquidem ad aliquem effectum illud minimè neceſſariò requiritur, quo haud poſito, effectus nihiloſecius poteſt poni. Nõ poſita autem huiuſmodi Idearum pluralitate, poſſunt à Deo repræſentari creaturæ & cognoſci; cùm ſuam comprehendẽdo eſſentiam, omnia diſtinctè conſequutiuè cognoſcat; quemadmodum in ſuperioribus ex Auerroe demonſtrauimus; & inferius ex ſacris, diuiniſq́. Theologis ſatis oſtendemus. Illa igitur non eſt ſufficiens ratio, quã in eius primo dicto adducit Petrus ille de Palude. *Cõtra Paludanum.* .1.

Item; Tota ratio quare ponantur diſtinctæ rationes & Ideæ in intellectu diuino, eſt propter conditionem productorum; ſeu propter fieri, & non propter intelligi. Non igitur Deus cognoſcit creaturas diſtinctè, per earũ ſimilitudines, atq. Ideas. Id quòd antecedit, ex. D. Patre Auguſtino, lib. 83. q. 5. q. 46., facilè conſtare poteſt. Inquit enim: Sunt nanq; Ideæ principales formæ quædam, uel rationes rerum, ſtabiles atq. incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt; ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſeſe habentes, quę in diuina intelligentia continentur. Et cùm ipſæ neq. oriantur, neq. intereant, ſecundũ eas tamen formari dicitur omnę quod oriri & interire poteſt, & omne quod oritur & interit. Hactenus Auguſtinus. Qui tradita Idearum definitione, mox ſubdit ad quid ponantur, dicens, quòd in diuina intelligentia continentur, ut ſecundùm eas formetur omne quod oritur & interit. Formari autem & oriri ſe tenent ex parte productorum. Quare ponuntur Ideæ propter conditionem productorum, ſeu propter fieri, & nõ propter intelligi. *Tomus. 4.*

Præterea; Auguſtinus eodem in loco, parum infra, ſubdit rationem, quare ſit neceſſe ponere Ideas, inquiens: Quo conſtituto atq. conceſſo, quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidiſſe? Quòd ſi rectè dici & credi non poteſt, reſtat ut omnia ratione ſint condita; nec eadẽ ratione Homo, qua Equus; hoc .n. abſurdũ eſt exiſtimare. Singula igitur proprijs creata ſunt rationibus. Hæc ille. Quibus hanc poſſumus erigere rationem: Neceſſe eſt ponere Ideas, quoniam nullus audet negare, Deum omnia rationabiliter cõdidiſſe. Abſurdũ aũt eſt, quòd eadem ratione cõdita ſit Hominis natura, qua Equi: Singula igitur proprijs creata ſunt rationibus. Ex cõſequẽti ob id ponuntur Ideæ, ut naturæ ſint creatæ, & rationabiliter conditæ. .3.

Quod etiam confirmat epilogando his uerbis; Non ſolùm ſunt Ideæ,ſed ipſe uerè ſunt,quia æternæ ſunt,& eiuſmodi atq. īcômutabiles manent; quarũ participatione fit,ut ſit quicquid eſt,quoquo modo eſt. Ita Auguſtinus. Ex quo liquidò habemus, quòd Ideæ ponuntur propter fieri, non propter intelligi.

Tomus.5. Id quod etiam de Ciuitate Dei lib.7.,cap.28.,confirmat inquiens: Quæ in re omitto dicere,ꝙ Plato illas Ideas tantam uim habere dicit, ut ſecundũ eas non Coelum aliquid fecerit,ſed etiam Coelum factum ſit. Hæc ille. Quibus ſubdens Commentarius, ait: Ideæ Platonicæ ab ſpectando ſunt dictæ; quoniam qui aliquid eſt acturus, ideam inſpicit, ad quam ſuam actionem aptet: ut pictori qui de exemplari aliquid pingit, hoc exẽplar eſt Idea. Idcirco ſic finitur exemplar rei agendæ. Sunt omnium rerum apud Deũ Ideæ; quas ſpectans ille fabricator Mundi, ſingula in lucem, Mundumq. edidit. Hactenus Viues. Ex quo perquãclariſsimè conſtat, primum dictum Paludani non eſſe omnino tutum. Et quoniam ſecundum per quandam ſequelam à primo dependet, idcirco iſto reprobato,& illud conſequenter reprobatum relinquitur. Si enim diſtinctio Idearum non requiritur ad diſtinctam rerum cognitionem,ſed ſufficit diuina eſſentia; ꝙ eiuſmodi Ideæ,& rerum ſimilitudines non ſint mediantes inter intellectum diuinum cognoſcẽtem, & res ipſas in eſſe cognito, neceſſariò cõſequitur. Sed de his latiùs inferius,

Libro.5. ideo tranſeamus ad alia.

Opinio Heruei. Ea ſcilicet quæ in propoſito habet Herueus primo Theologicarum ſententiarum,.d.35.,.q.1.,ar.2.; quo loci vult Deum omnes creaturas in ſpeciali cognoſcere atq. diſtinctè,tum quia eſt cauſa totius uniuerſi per intellectum & uoluntatem; tum quia omnia eminenter repræſentat, tam quò ad ſpecialia, quàm quò ad generalia. In quolibeto autem ſecundo,.q.3.,ar.1., dicit ꝙ Deus omnia diſtinctè cognoſcit,ex parte duntaxat intellectorum; ratio uerò quare omnia diſtinctè cognoſcat,eſt; inquit; eminentia cognitionis diuinæ: quia in ea continetur eminẽter quicquid perfectionis eſt in quacunq. alia cognitione exiſtente & poſsibili. Primum unica diſtinctione declarat: nempè ꝙ altero duorum modorum aliqua poſſunt diſtinctè cognoſci; aut ex parte cognoſcentis,ut ſcilicet plura uideat,pluribus,ac diuerſis cognitionibus; veluti Equum una, Aſinum uerò alia cognitione. Aut ex parte cogniti; & hoc eſt cognoſcere in ſpeciali naturam uniuſcuiuſq. rei,per quam diſtinguitur ab alia. Et in hoc ſecundo ſenſu,Deus omnia diſtinctè cognoſcit. Secundum uerò probat; quia ratio cognoſcendi omnia diſtinctè à Deo,aut eſt aliqua diuerſitas in cognitione diuina,aut illa præeminentia; alius enim non datur modus. Primum non poteſt admitti; quia nec eſt ibi diuerſitas rei, nec rationis; ut probauit. Relinquitur ergo ſecundum; & ita præfata eminentia erit ratio cognoſcendi omnia diſtinctè.

Contra Herueum. Cæterùm & hæc opinio mihi ſatis deficere uidetur,tum in ſententijs,tũ etiam in quolibetis. Primo ſiquidem loco deficit,quoniam & ſi Deus cauſa ſit totius uniuerſi per intellectum & uoluntatem,non ſequitur ꝙ omnia diſtinctè cognoſcat,& in propria forma. Tum quia non cognoſceret niſi cauſam extrinſecam; nimirum efficientem; quemadmodum deduximus etiam

aduerſus Durandum. Tum quia diceret Aureolus,ꝙ cognoſcuntur eminẽter,& denominatiuè tantum,denominatione extrinſeca. Minus poſtea id concludere uidetur,quod pro ſecunda ratione erigenda aſſumit; ꝙ ſcilicet Deus omnia repræſentat eminenter. Eo enim modo quo creaturas repræſentat,eas etiam intelligit. Si igitur eminenter repræſentat, eminenter etiã intelligit. Quare non formaliter,neq. ſpecificè. Et ita redit opinio Aureoli,cum ea fortè,quam ex Ariſtotele & Auerroe,theoremate. 83. colligebat Zimara.

Id quod rurſus ad ea quæ in quolibetis aſſeruit,conſequi uidetur. Quoniã ſi ratio quare Deus omnia diſtinctè cognoſcat, eſt eminentia cognitionis diuinæ; quia in ea continetur eminenter quicquid perfectionis eſt in quacunq. alia cognitione. Tunc ſequitur,ꝙ ipſemet Deus non cognoſcat creaturas,niſi eminenter,quinimmo eminentiſsimo modo. Non igitur eas diſtinctè cognoſcit. Quandoquidem etiam Zimara in proximè citato loco,ad aures Peripateticorum docet,eſſentiam diuinam,omnia in ſe eminentiſsimo & nobiliſsimo modo continere,& formas,& cognitiones, & omnium cognitionum perfectiones; & ꝙ Deus, inſuper, omnia inde cognoſcit, & eminentiſsimo, excellentiſsimo, fauſtiſsimoq́. modo intelligit. Ob id tamen non acceptat,ut ad eorum placitum,Deus omnia formaliter,& diſtinctè cognoſcat.

Aureolus quoq. idem docet; nec ob id uult,Deum creaturas apprehenſiuè cognoſcere,& denominatiuè formaliter; atqui denominatione dũtaxat extrinſeca,& eminenter. Cum eo igitur ꝙ in excellentia, & eminẽtia diuinæ notitiæ omnis cognitionis perfectio continetur, non ſtat ꝙ Deus omnia diſtinctè cognoſcat realiter,formaliter,& apprehenſiuè; quod tamẽ quærimus. Deficiunt demum omnes iſtæ opiniones, quia non aſsignant rationem obiecti; an ſcilicet creaturæ intelligantur à Deo,tanq̃ obiectũ primum,aut ſecundarium. Et ſi ut ſecundarium,an terminatiuè,nec ne. Quæ tamen omnia debent à Theologo pertractari.

Eapropter rectius Thomas ab Argentina; qui in Theologicarum ſentẽtiarum libro primo,.d.35.,.q.1.,ar.3.,dicit ꝙ Deus per notitiam ſuæ eſſentiæ,omnia diſtinctè cognoſcit. Et licèt diuina natura ſit intrinſecè penitus indiſtincta,omnia tamen diſtinctè repræſentat. Vtrunq. diuerſis probat rationibus,de quibus modò non ſit nobis cura; ſed ad illud accedamus, quod primum noſtrum ſequitur inſtitutum; uidelicet ꝙ creaturæ à Deo cõgnitæ,poſſunt aliquo modo dici obiecta ſecundaria cognitionis diuinę; uolut ipſe aſſerit ibidem,ar.4. *Opi. Tho. ab Argentina.*

Veruntamen & ipſe in eo defeciſſe uidetur,ꝙ cùm obiectum ſecundariũ æquiuocum ſit ad terminatiuum & reſultatiuum,ſeu conſequuti uũm, nulla ad hoc uſus eſt diſtinctione. Ex quo quidem defectũ, poſſet quiſpiam credere creaturam eſſe obiectum ſecundarium diuinę cognitionis terminatiuum; & ita incidere in opinionem Themiſtij,ab Auerroe reprobatã,.12. primæ philoſophiæ,ueluti in ſuperioribus retulimus. *Contra Tho. ab Argẽtina*

Alphonſus Toletanus in primo ſententiarum libro,.d.35.,36.,&. 37.,q.1.,ar.2.,concluſione.3., dicit quòd Deus ab æterno cognouit in ſeipſo omnem *Opinio Alphonſi Toletani.*

modum ſequelæ, & conſecutiuè. Aliud uerò eſt, ꝙ licèt ad eiusmodi cõtinentiam, creaturæ dicantur habere quoddam eſſe poſsibile obiectiuum, ſeu intellectuale, aliquo pacto, iuxta noſtrum intelligendi modum, actũ diuinæ comprehenſionis præcedens; illud tamen non ſe habet ad intellectũ diuinum per modum obiecti mouentis, uel terminantis; atqui obiecta ſunt tantummodo conſecutiuè cognita. Hanc itaq. ſententiam, nedũ ad Auerrois dogmata, uerùm etiam iuxta priſcorum Theologorum placitum, conſtantiſsimè proſequitur Ioannes. Et quia ex illis duobus punctis, tota uis quæſtionis pendet, atq. pondus; idcirco meritò, iureq. optimo utrunq. ipſe probat; tum in primo Theologicarum ſententiarum, d.39., q.1., ar.1.; tum in quolibeto primo, q.9., ar.2. Quibus in locis, argumentum in primis deſumit ex Beato Dionyſio, de diuinis nominibus, cap. 7.; quo loci in hũc modum effatur: Itaq. diuina mens omnia continet, cunctis ſupereminente ſcientia, ſecundùm omnium cauſam, omnium in ſe notionem ante complexa, priusq̃ Angeli fierent, ſciens, Angelosq. producens; & alia omnia in intimis, & ab ipſo (ut ſic loquar) initio noſcens, atq. ad ſubſtantiam ducẽs. Et hoc arbitror id ſignare quod dicitur: Qui nouit omnia anteq̃ fiant. Hæc ille. Ex quibus conſtat, Deum in ſeipſo omnia comprehendere, ac intueri, ſecundùm ꝙ decet cauſam uniuerſorum; cauſam, inquam, non efficientem, aut finalem; atqui uirtualem, eminentem, & perfectionalem, quę in ſe omnia continet cauſarum genera, & quaſcunque perfectiones. Vnde Dionyſius Carthuſianus, huiusmodi cap.7. exponens, ar.50. præmiſſa uerba declarans inquit: Intellectus Dei æternus in ſe comprehendit omnia, ac intuetur, per ſcientiam ſuam æternam, quæ eſt ſua eſſentia, uniuerſis incomprehẽſibilis, ſupereminẽs, & in infinitum tranſcendens, ſecundũ ꝙ decet cauſam uniuerſorum, in ſeipſo uniuerſorum notitiam, præcognitionemq. habens. Et paulò poſt ſubdit: In diuina eſſentia relucent cuncta & ſingula cauſaliter, uirtualiter, exemplariter, etiam infinita, quæ nunq̃ fient. Hactenus ille. Vnde perquam clariſsimè conſtat, Deum omnia in ſeipſo, tanq̃ in omnium cauſa uirtuali & perfectionali intueri.

Quo modo autem Deus omnia in ſeipſo intelligat, terminatiuè ſcilicet, an potius reſultatiuè ſeu conſecutiuè, declarat Magnus Areopagita, memoratis uerbis immediatè ſubdens: Non enim ex ijs quæ ſunt ea quidẽ diſcẽs, diuina mens nouit, ſed ex ſe & in ſe ſecundùm cauſam, omnium notionem & ſcientiam atq. ſubſtantiam anticipat, & ante comprehendit, non ſingula ex cuiusq. ſpecie ducens, ſed ſecundùm unicam cauſæ complexionem omnia ſciens & continens; ſicuti & lux ſecundùm cauſam in ſeipſa tenebrarum ſcientiam præambit, non aliunde q̃ ex luce tenebras noſcens. Ita Dionyſius. Ex quo arguit Ioannes: Deus ſcit omnia ſecundũ unam cauſæ continentiam, ſicut tenebras per lucem. Hoc autem modo tenebræ non cognoſcuntur tanq̃ obiectum mouens, uel terminans intellectũ; at per cognitionem alterius, quod eſt cauſa cognitionis earum. Atqui hoc eſt cognoſci reſultatiuè, ſeu conſecutiuè. Deus igitur & ipſe, creaturas non niſi conſecutiuè cognoſcit.

Et hæc doctrina ex præcitato expoſitore confirmari poteſt, qui illud e-

xemplum exponens, inquit: Lux creata ſi eſſet eſſentialiter intellectiua, ſeipſam cognoſcendo, noſceret caliginem ſibi contrariam, tanq̃ ſuæ claritatis priuationem; ex conſideratione luminis, quid ſit eius priuatio penſans. Hæc ille. Modo clarum eſt, & pro comperto habemus, quòd eo caſu, ſolum lumen obiectum eſſet mouens, uel terminans intellectum; caligo uerò & tenebræ, non niſi per lucem cognoſcerentur, actumq́. intellectus minimè terminarent. Quare conſecutiuè tantũ, & ad cognitionem alterius noſcerentur. A pari de creaturis ex parte ipſius Dei.

Adhuc; Beatus Dionyſius ſubſequitur dicens: Seipſam itaq. diuina ſapientia noſcens, omnia ſcit; materialia ſine materia, & indiuiduè quæ diuiſionem admittunt, & unicè plurima, uno ipſo cuncta ſciens & proferens. Nam ſi ſecundùm unam cauſam Deus omnibus eſſe impartit, una eadē profectò cauſa ſciet omnia ut quæ ex ſeipſo ſint, & in ipſo ante ſubſiſtant; neq. ex his quæ ſunt, eorum capiet notionem, ſed ex ipſis ſingulis, ſuæ & aliorum alijs ſcientiæ erit indultor. Hactenus Dionyſius. Ex quo quidem capit Ioannes argumentum ad hunc modum: Deus Benedictus ſicut ex eo q̃ eſt omnium rerum cauſa, tradit eis eſſe; ita ex quo ſeipſum cognoſcit eſſe omnium earum cauſam, dat eis cognoſci; inquit Beatus Dionyſius, in præmiſsis uerbis. Et ſupra dixit: Non ſingula ex cuiuſq. ſpecie ducens, ſed ſecundùm unicam cauſæ complexionem omnia ſciens & continens. Modò eſſe ita cognita, q̃ omninò cognitio eis ab alio cognito largitur, nec ſuper illa cognita tranſit uiſio uidentis, eſt cognoſci reſultatiuè; quemadmodum relationē accipere eſſe per eſſe fundamenti, ita ut actio agentis non tranſeat ſuper eã, hoc eſt reſultare; inquit Ioannes. Deus itaq. Benedictus, cùm creaturas tali pacto, ad Diui Dionyſij dogmata cognoſcat, q̃ eas reſultatiuè, ſeu conſecutiuè intelligat, notum relinquitur & clarum. Id quod etiam ex ipſo Carthuſiano his uerbis confirmatur: Deus ſeipſum intelligens, & cuncta quoq. exiſtentia comprehendens, non habet in ſe diuerſam & diſtinctam ſcientiam ſui ipſius ac aliorum; ſed una & eadem ſcientia ſcit ſe, & alia cuncta; quãuis ſcientia iſta diuerſas habeat nominationes, & ſecundùm rationis uariam conſiderationem, ſortiatur diſtinctionem multiplicem. Hæc ille. Quibus ſtantibus, percunctor, nunquid creaturæ, illa unica Dei ſcientia ita cognoſcantur, ut diuinum moueãt intellectum, eiuſq́. terminent actum; an potius ad cognitionem alterius, nempe diuinæ eſſentiæ, nullo facto tranſitu ab intellectu ſuper eas? Si detur primũ, tunc diuinus uileſceret intellectus; prout ex dictis iam eſt compertum. Si uerò admittatur ſecundum, illud profectò eſt reſultatiuè cognoſci.

Quòd verò Deus Glorioſus omnia diſtinctè cognoſcat, ex illis conuincitur uerbis, quæ paulò ſuperius adduximus, quando Beatus Dionyſius dicit: Nam ſi ſecundùm unam cauſam Deus omnibus eſſe impartit, una eadem profectò cauſa ſciet omnia, ut quæ ex ſeipſo ſint, & in ipſo ante ſubſiſtant. Hìc Diuus Doctor vult habere, q̃ Deus ſciendo cauſam quæ fecit omnia, illorum quoq. ſubſiſtētias & exiſtentias optimè nouit. Cognoſcere autem exiſtentias, eſt diſtinctè cognoſcere. Quare Deus omnia in ſeipſo diſtinctè cognoſcit.

Id quod etiã Diuus Dionyſius inferius his uerbis clarius dicere uoluit; Ratio quoq. Deus dicitur in Sanctis Literis,non modò quia & rationis; & ſenſus,& ſapientiæ indultor eſt; ſed quia & omnium cauſas in ſe uniformiter ante complexus eſt,& quia per omnia pergit penetrans (ut ſcriptũ eſt) uſq. ad omnium finem. Hæc ille. Deus igitur ex eo quòd omnium cauſas in ſe uniformiter cõplexus eſt,dicitur in ſacris,diuiniſq. eloquijs omnia perfectiſsimè intelligere, & uſq. ad finem penetrare. Id quod ſub alijs uerbis in hoc cõiuncto uoluit habere Ioannes: Deus eſt omnium cauſa perfectionalis. Seipſum igitur intelligendo, omnia diſtinctè (licèt reſultatiuè, non terminatiuè,vt pleriq. putarunt,) & perfectiſsimè cognoſcit. Et ita primũ punctum relinquitur optimè probatum.

Secundum uerò probat ex Diuo Patre Auguſtino,lib. 83. quæſtionum, .q.46., qui ait: Sunt nanq. Ideæ principales formæ quædam, uel rationes rerum,ſtabiles atq. incõmutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt; ac per hoc æternæ ac ſemper eodem modo ſe ſe habentes, quæ in diuina intelligentia continentur. Et inferius ſubdit: Has autem rationes, ubi arbitrandum eſt eſſe,niſi in ipſa mente creatoris? Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur,ut ſecundum id conſtitueret quod conſtituebat; nam hoc opinari ſacrilegum eſt. Hactenus Auguſtinus. Ex cuius quidem uerbis,rationem erigit Ioannes hunc in modum: AEquè ſacrilegum eſt, ꝙ aliquid extra ſe ab æterno intueretur Deus aptitudinale,uel potentiale; ut ſecundùm illud conſtitueret quod conſtituebat; ſicut ꝙ aliquid intueretur, quod nunc poſitum eſt in actu. Quandoquidem in intellectu diuino æquè imperfectionẽ argueret. AEquè igitur negat.D. Auguſtinus, eſſe poſsibile creaturæ,eſſe obiectum terminans & mouens diuinum intellectum ſecundũ eſſe potẽtiale,ſicut ſecundùm eſſe actuale. Tomus 4.

Verùm ſi Creator in productione creaturarum,eas non poteſt extra ſe intueri,nec ſecundũ eſſe actuale,nec per eſſe potentiale,ita ut eius uiſio tranſeat ſuper eas; illud proculdubiò relinquitur,ꝙ eſſe poſsibile creaturarum dicit tantũ non repugnantiam,ne Dei potentia ſit reſpectu impoſsibilis;& ꝙ eas conſecutiuè duntaxat,ſeu reſultatiuè cognoſcit. Id quod.D. Auguſtinus innuere uoluit,quando dixit quòd in diuina intelligentia continentur. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet; Solùm habent eſſe cognitum,in actuali intellectione diuina,nõ in ſeipſis. Et hoc eſt,eas reſultatiuè cognoſcere. Vnde patet etiam ſecundũ punctũ. Et ꝙ hoc ſit uerè,formaliter,& realiter Deũ cognoſcere quæ ſunt extra, & non eminenter atq. denominatiuè; ueluti cenſebat Aureolus; ex ijs quæ aduerſus eum in ſuperioribus habuimus, iam ſatis conſtat.

In hanc eandem ſententiam deſcendit Ricardus de Media Villa; qui in primo Theologicarum ſententiarum, .d.3.,ar.2., .q.3. in corpore,uolens probare,beatum unico actu diuinam cognoſcere eſſentiam & creaturas in ea, dicit quòd aliud eſt concluſionem cognoſcere per principia, & aliud eandem cognoſcere in principijs. Proptereaquòd eam cognoſcere ꝑ principia,& intellectum diſcurrere;& tunc eſt alius & alius actus. Eam uerò cognoſcere in principio,nihil aliud eſt q̃ ita perfectè cognoſcere principium, Opi. Ricardi.

ut

ut eodem actu cognoſcatur concluſio cum principio. Beati igitur; & eadẽ ratione Deus; omnia in diuina eſſentia cùm tanq̃ in principio cognoſcant; erit ibi unicus actus. Et per conſequens; inquit Ioannes; unum ſolum terminans, quaſi obiectum ſpeculatum.

Hæc igitur eſt opinio Ioannis de Baecone, quæ in his paucisſimis uerbis facilè colligi poteſt: Deus e x quo ſe rerum omnium cauſam perfectionalem, quæ alias quatuor continet, comprehendit; cætera omnia conſecutione quadam optimè intelligit. Id quod etiam longè breuiori ſermone declarat in. 4. ſententiarum libro,. d. 1. ,. q. 4. ar. 1. Sunt nihiloſecius dubitationes quædam, in ſequenti capite diſſoluendæ.

Aduerſus ea quæ nuper dicta ſunt, dubitationes nonnulla diſſoluendæ. Cap. 15.

1. ILLA in primis ſeſe offert dubitatio è medio tollenda, quæ prima fronte ſatis urgere uidetur, & eſt talis: Modus cognoſcendi debet ſequi modum eſſendi. Atqui res oẽs creatæ, cũ in diuina eſſentia uirtualiter tantũ & adunatè contineãtur, quo modo diſtinctam poſsint parere notitiam, non eſt facile uidere.

2. Secundò; Quemadmodum potentiæ & actui præſupponitur obiectum, ita diſtinctæ cognitioni, diſtinctum obiectum. In Deo diſtincta omnium cognitio. Quare & obiectum diſtinctum. Non igitur res creatæ in diuina eſſentia uirtualiter continentur, & adunatè, at potius diſtinctè.

3. Tertio; Deus Benedictus, res omnes creatas ab æterno diſtinctè ac perfectiſsimè cognouit. Eius autem cognitio non terminabatur ad nihil. Rerũ igitur creatarum eſſentiæ erunt æternæ; quod eſt abſurdum.

4. Quartò; Sicut ſe habet creatura ad cognoſci, ita ad terminare. Verè autẽ cognoſcitur & propriè. Quare uidetur quòd etiam uerè Dei cognitionem & propriè terminet. Quo quidem admiſſo, fit neceſſariò conſequens, ut creaturæ à Deo non reſultatiuè, atqui terminatiuè cognoſcantur. Cuius oppoſitum nos docuimus.

5. Quintò; Diximus ſupra, quòd Deus continet adunatè, uirtualiter, & perfectionaliter omnes creaturas; & quòd ad huiuſmodi continentiã, per modum reſultationis conſequitur, ut ſingula earum ſit ens poſsibile logicũ; qđ dicit non repugnantiam. Modò ſic: Illa non repugnantia eſt negatio quædam. Aliquid ergo poſitiuum requirit, cui innitatur. Videtur autem quòd hoc nil aliud eſſe poſsit, q̃ poſsibilitas qua creatura ẽ poſsibilis in ſe. Quare uidetur quòd ibi ſit poſsibilitas nedũ Logica, at ẽt realis. Quinimmo affirmare potentiam Logicam, & realem inficiari, duo inter ſe pugnantia claudere uidetur.

6. Sextò; Quidditatiua prædicatio, eſſentiam indicat rei. Ab æterno autem hæc fuit quidditatiua prædicatio: Roſa eſt flos; quia Deus roſam intelligebat. Roſa igitur uel habebat eſſe exiſtentiæ, uel eſſe eſſentiæ. Non primum; ut conſtat. Ergo ſecundum. Vnde rerum eſſentiæ erunt æternæ.

Septimò; Stante hac noſtra determinatione, ſit neceſſariò conſequens, quòd creatura extra Deum habeat eſſe ex neceſsitate naturæ. .7. Quoniam quod habet eſſe à diuina eſſentia, ut præuenit omnem actum uoluntatis, illud profectò eſt à diuina eſſentia de neceſsitate naturæ. Eſſe autem creaturarum reſultatum eſt huiuſmodi, iuxta noſtram poſitionem. Sunt igitur extra Deum neceſſariò, & ita nihil erit contingenter.

Octauò; Inde ſequitur etiam, quòd Deus Benedictus nihil uelit contingenter, at omnia de neceſsitate naturæ. .8. Propterea quòd, ſicut Deus ex eo creaturas cognoſcit, quia ex cognitione ſuæ eſſentiæ, reſultat earum cognitio; ita vult creaturas, ex eo quia ex uolitione ſuæ eſſentiæ, reſultat earum uolitio. Cognitio autem creaturarum, ex cognitione ſuæ eſſentiæ neceſſariò reſultat; iuxta omnium ortodoxorum placitum. Earundem igitur uolitio, de neceſsitate reſultat ex uolitione ſuæ eſſentiæ. Conſequutio igitur bona; at noſtra doctrina uidetur ſuſpecta de falſo.

Præmiſſarum Rationum diſſolutio.
Cap. 16.

EX ijs quę in ſuperioribus habuimus, facile eſt primam in ordine ambiguitatem è medio tollere. *Ad Primam.* Cùm enim dicit quòd modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi; illud profectò admittimus. Cùm verò ſubdit: Creaturæ in Deo uirtualiter continentur & adunatè. Hoc etiam libenter damus, & profitemur. Verùm animaduertendum eſt, quòd unumquodque prout in Deo perfectionaliter, ſeu uirtualiter continetur, eſt ipſemet Deus tantùm. Sed ad hoc uirtualiter contineri, per modum cuiuſdam reſultationis & ſequelæ, quòd item unumquodque ſuum habeat eſſe obiectiuum diſtinctum potentiale, neceſſariò conſequitur, ſecus potentia Dei eſſet reſpectu impoſsibilis. Cùm itaque modus cognoſcendi modum ſequatur eſſendi, peroptimè ſequitur, quòd ſi omnes creaturæ ſecundùm quodlibet ſui eſſe in Deo continentur uirtualiter, & adunatè, ita quòd ex tali continentia, habent in ſe reſultatiuè diſtinctum eſſe obiectiuum potentiale; Idcirco Deus comprehendendo ſeipſum, qui eſt totum ens uirtualiter & eminenter, creaturas quoque per quandam ſequelam diſtinctè cognoſcit, ſecundùm ſuas ſingulas, proprias, & diſtinctas poſsibilitates. Vnde licèt creaturæ ſecundùm ſuum eſſe quod habent eminenter & uirtualiter in Deo, ſint ipſemet Deus tantùm, & ex conſequenti, nullum habeant eſſe diſtinctum; quatenus tamen ex huiuſmodi uirtuali continentia, per quandam reſultantiam, ſingulæ earum ſuum habent eſſe obiectiuum, diſtinctum, & poſsibile, poſsibilitate logica; eatenus ſuum habent eſſe diſtinctum, correſpondens cognitioni diſtinctæ. Et hoc eſt quod iterum atque tertiò in ſuperioribus diximus; nempe quòd in eſſentia diuina omnia indiſtinctè continentur & eleuatè, ut effectus in cauſis eminentibus; ita tamen perfectè, ac ſi diſtinctè continerentur. Hæc

fuſius habentur ſupra capit. 6. Fauet Henricus de Gandauo, in prima parte Summæ, arti. 40. quæſt. 4., ad primum & ſecundum argumentum, qui ait: Licèt enim in diuina eſſentia, omnia intelligibilia ſint vnum re, & indiſtincta perfectione; ſunt tamen in illa vt in origine, & fundamento, plura ratione, & perfectione, diſtinguibilia opere intellectus, quod ſufficit ad diſtinctè intelligendum illa plura. Sicuti patet de genere & differentijs diuerſis in ſpecie; quæ idem ſunt re in forma ſimplici ſpeciei; ſed intellectus noſter illa intelligit & accipit vt intentione diuerſa, & vnumquodque illorum extra rationem & intellectum alterius. Eſt tamen diſcrimen in hoc; quòd diuerſitas illorum in diuino intellectu eſt ſecundùm rationem tantùm; iſtorum verò in intellectu noſtro, eſt ſecundùm intentionem.

Ad.2. Quando verò ſecundo loco dicitur, quòd ſicut potentiæ & actui præſupponitur obiectum, ita diſtinctæ cognitioni, diſtinctum obiectum. Aut ſermo in hoc dicto habetur de diſtinctione potentiali, quæ fundatur in creatura, ſecundùm ſuum quid nominis, non ſecundùm ſuam eſſentiam æternam. Aut eſt ſermo de diſtinctione formali creaturarum, quæ eſt in intelligentia diuina. Si de prima; iam patet quid dicendum, ex præcedenti ſolutione. Si verò de ſecunda; dicitur quod illa prima & fundamentalis propoſitio non eſt vera, quando illa diſtincta cognoſcuntur ex alicuius primi comprehenſione, quod eſt tale per eſſentiam; quemadmodum eſt in propoſito. Et vt vnico verbo omnia abſoluantur, dicamus quòd eſt ibi diſtinctio rationis ex parte rei: quæ ſufficit ad diſtinctam cognitionem, & intelligentiam. Nec hoc aduerſatur Ioanni, etſi dicat in primo ſent. diſt. 40., quæſt. 1., art. 3. quòd attributa in Deo ſunt idem re & ratione. Quoniam loquitur de ratione formali actuali, ad differentiam Scoti; prout elici poteſt ex primo ſent. diſt. 2. quæſt. 2. art. 3. exemplo de collo columbæ. Vbi ait: Et conſidera benè; quia mediantibus illis diſtinctis repræſentantibus, ita diſtinctè cognoſcitur quodlibet attributum ſecundùm formalem rationem abſolutam propriam; ac ſi in Deo formales rationes illæ abſolutæ diſtinguerentur ex natura rei; Sicut patet in collo Columbæ, quando eſt in luce. Videtur.n. color indicus, quantùm ad rationem ſuæ ſpeciei abſolutam; & cum hoc diſtinctè uidetur ibi rubedo, ſecundùm rationem abſolutam rubedinis; ac ſi in collo columbæ præexigerentur tales colores, ſecundùm eſſe abſolutum diſtincti.

Ad.3. Ad illud quod tertiò adducitur reſpondetur, quòd vnum ſupponit à nobis reprobatum; creaturas ſcilicet à Deo terminatiuè intelligi. Quod ſi verum eſſet, ratio fortaſsis aliquam vim haberet.

Ad.4. Ad quartam rationem negatur maior propoſitio. Non enim ſequitur: Creatura verè cognoſcitur. Ergo verè & propriè terminat. Quoniam à Deo propriè & diſtinctè cognoſcitur, at eius intellectionem non terminat niſi impropriè; quia eam non niſi reſultatiuè cognoſcit.

Ad.5. Ad quintum argumentum negatur aſſumptum. Quandoquidem illa non repugnantia ad eſſe fundatur ſuper eſſe cognitum potentiale, in quo vt ens poſsibile cognoſcitur. Eo enim quo ab intellectu infalli-

bili,

bili, ut ens poſsibile fieri cognoſcitur, quòd poterit fieri, neceſſariò conſequitur.

Ad ſextum ratiocinium dicitur, quòd minor propoſitio eſt uera in hoc ſenſu; quòd ſcilicet illa prædicatio. Roſa eſt flos ab æterno fuit quidditatiua, prædicatione prædicante quid nominis, non autem quid rei. *Ad.6.*

Ad ſeptimum, illud quod conſequitur minimè admittimus. Cùm probatur, maiorem inficiamur propoſitionem ſimpliciter, & abſolutè; quoniam poteſt eſſe tam contingens, quàm neceſſarium. Siquidem creatura ea ratione conſiderata, qua eſt idem quod Deus tantùm, utiq. eius eſſe eſt neceſſarium. *Ad.7.*

Si uerò in noſtra ueniat conſideratione ſecundùm ſuam propriam rationem, & quatenus eſt creatura; tunc habet eſſe ſecundùm rationem ſuæ entitatis. Ita quòd ſi ratio ſuæ entitatis eſt contingens, ſuum eſſe erit contingens. Si uerò ſuæ entitatis ratio ſit neceſſaria, eius quoque eſſe erit neceſſarium.

Per idem ad octauum. Negatur ſiquidem illatio. Cùm accedit probatio, dicimus quòd illud profectò uerum eſt, ſi iuxta primum modum præmiſſæ diſtinctionis intelligatur creatura. Non autem ſi alio ſub modo accipiatur. Quoniam eas tum non vult Deus, niſi ſecundùm ſuæ entitatis rationem. Et cùm urget, quia ſicut Deus cognitione ſuæ eſſentiæ neceſſariò cognoſcit creaturas, ita eiuſdem eſſentiæ uolitione, creaturas neceſſariò vult. Illud libenter utrobiq. admittimus conditionatè, minimè autem abſolutè. Quoniam ſicuti Deus intelligit creaturas ſecundùm propriam ſuę entitatis rationem, & dependentiam quam habent ad eum; ita etiam eaſdem uult, & non aliter, nec alio modo. Superſtes igitur, pariter & inuicta manet determinatio noſtra; & nedum quauis falſitate immunis, uerùmetiã ab omni ſuſpitione erroris prorſus aliena. *Ad.8.*

Opinio D. Tho. laconicè pertractatur, & quòd ſit eadem cum opinione Ioannis de Baccone, facilè comprobatur; Cap. 17.

EGO Libentius in hac materia, ſententiam Ioannis Bacconitani ſum proſecutus, quando omnium ferè Theologorum Principem, magnum Aquinatem, ei fauere mihi fuit compertum. Siquidem de ueritate, q.2., ar.4., modum exponens quo Deus Glorioſus cuncta diſtinctè cognoſcit, inquit: Ad propriam, perfectamq. alicuius effectus cognitionem habendam, quòd in cognoſcente, omnes cauſarum cognitiones congregentur, tam propriarũ quàm communium, neceſſariò oportet;

-tet: dicente Ariſtotele in primo auſcultatorio libro, ad initium, quòd tunc cognoſcere dicimur unumquodque, cùm cauſas cognoſcimus primas, & principia prima, uſque ad elementa; id eſt ad cauſas proximas; prout exponit Auerroes. In cognitione autem diuina aliquid ponimus, ſecundùm quòd ipſe Deus per eſſentiam ſuam eſt eius cauſa; Quandoquidem ſic in ipſo eſt, ut cognoſci poteſt; Et ipſe eſt cauſa omnium cauſarum, propriarum & communium. Suam igitur eſſentiam cognoſcendo, omnes cauſas cognoſcit, proprias & communes: quia nihil eſt in re, per quod determinetur eius natura communis, cuius Deus non ſit cauſa. Idcirco per eandem rationem, communem rerum naturam & propriam, & uniuſcuiuſque rei cauſas proprias cognoſcere poteſt. Et hanc rationem deſumpſit D. Doctor ex Beato Dionyſio, de diuinis nominibus, cap. 7.; ueluti etiam Ioannes; quemadmodum patuit ſupra. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Deus prout ſeipſum comprehendit, qui eſt cauſa perfectionalis, unitiuè, & eminenter omnia continens, alia à ſe diſtinctè cognoſcit. Quæ eſt ſententia Ioannis. Cauſa enim perfectionalis, in ſe continet omnia alia cauſarum genera; dicebat Ioannes; & D. Thomas dicit, quòd Deus eſt cauſa cauſarum omnium, communium & particularium, ex conſequenti in ſe continet perfectionaliter & eminenter omnes cauſas, quare eſt cauſa perfectionalis. Nunc ſic: Comprehendens cauſam perfectionalem, continentem perfectionaliter omnem perfectionem, eodem actu omnia in ea cōtenta ſecundū quodlibet ſuum eſſe, tam particulare quàm uniuerſale, perfectionaliter cognoſcit. Secus cauſam perfectionaliter continentem minus comprehenderet. Si ergo Deus ſeipſum cognoſcat ut cauſam perfectionalem, quòd omnia quoque diſtinctè cognoſcat, fit neceſſariò conſequens. Hinc re uera tota uis pendet rationis Diui Thomæ; quæ eſt omnino eadem cum doctrina Ioannis.

Qui alia ex parte dicebat, creaturas à Deo cognoſci, non per modum obiecti mouentis & terminantis, at conſecutiuè duntaxat, & per modum cuiusdam ſequelæ.

Quod eſt dictu, quòd Deus creaturas cognoſcit, tanquam ſecundaria obiecta: at non terminatiuè, uerùm conſecutiuè tantùm. Duplex eſt enim obiectum ſecundarium; inquit Ioannes, quol. primo, q. 11.; alterum quidem, prout diſtinguitur contra primum; ita tamen, ut illorum utrunque ſit obiectum terminans, & per ſe ſpeculatum. Alterum uerò, quod non cognoſcitur niſi uirtute primi cogniti. Iuxta primum modum, uolebat Themiſtius creaturam eſſe obiectum ſecundarium diuinæ cognitionis; ueluti aliàs diximus. Quoniam ponebat quòd Deus primò ſeipſum intelligeret tanquam obiectum primum; & mox ſe transferret ſuper creaturam, tanquam ſuper ſecundarium obiectum per ſe terminans. Vnde ibi aſſerebat plura per ſe intellecta, & quamplurima obiecta per ſe mouentia, & terminantia. Ioannes autem inſequens Auerroem, hanc reijcit, in tergum ue abijcit doctrinam; uolens creaturam eſſe obiectum ſecundarium diuinæ cognitionis; penès ſecundæ acceptionis modum. Vt idem ſit ſecundariò, quòd reſultatiuè, ſeu conſecutiuè cognoſci.

Verùm

Verùm Ioannes utitur hoc uerbo (conſecutiuè,) & non (ſecundariò) quia hoc eſt commune ad ſecundarium utroq. modo acceptū, & poſſet per conſequens aliquam in mente parere ambiguitatem, & æquiuocationem. Illud uerò eſt determinatum ad unum; quod clariorem notitiam inducit. Ex quo perquam clariſsimè conſtat, ꝙ non aliam ob cauſam vult Ioannes, creaturas à Deo reſultatiuè, ſeu conſecutiuè cognoſci, niſi quia ſunt obiecta ſecundariò cognita, ad cognitionem alterius primi; ipſius nempe diuinæ eſſentiæ.

Modò autem Beatus Thomas vult & ipſe, creaturam eſſe obiectum ſecūdarium diuinæ cognitionis, illamq. cognoſci ad cognitionem alterius. Idem ergo docet quod Ioannes. Et quòd ita ſit, ipſum audiamus, qui prima parte Summę Theologiæ, q. 14., ar. 5., in hunc modum effatur: Ad ſciēdum autem qualiter alia à ſe cognoſcat, conſiderandum eſt, quòd dupliciter aliquid cognoſcitur. Vno modo in ſeipſo; alio modo in altero. In ſeipſo quidem cognoſcitur aliquid, quando cognoſcitur per ſpeciem propriam, adæquatam ipſi cognoſcibili. Sicut cùm oculus uidet hominem, per ſpeciē hominis. In alio autem uidetur, id quod uidetur per ſpeciem continentis. Sicut cùm pars uidetur ī toto, per ſpeciem totius; uel cùm homo uidetur in ſpeculo, per ſpeciem ſpeculi; uel quocunq. alio modo contingat aliquid in alio uideri. Sic igitur dicēdū eſt, ꝙ Deus ſeipſum uidet in ſeipſo, quia ſeipſū uidet per eſſentiā ſuā. Alia aūt à ſe uidet, nō in ſeipſis, ſed in ſeipſo; inquantū eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo. Hactenus. D. Thomas. Et in primo aduerſus Gentiles, cap. 49., inquit: Colligendo igitur has duas concluſiones, apparet Deum cognoſcere ſeipſum, quaſi primò & per ſe no tum; alia uerò ſicut in eſſentia ſua uiſa. Ex his itaq. vult habere Beatus doctor, quòd creaturæ cognoſcuntur à Deo per cognitionem alterius; ſuæ uidelicet eſſentiæ; quia non niſi in ea cognoſcuntur. Nunc ſic: Ad aures diui Doctoris, Deus creaturas intelligit in alio, quia in eſſentia ſua. Aut igitur in alio tanꝗ in ſpeculo. Aut ſicut effectus in cauſa, unitè in unica uirtute om nes eminenter continente. Non primum; propterea quòd quæ continentur in ſpeculo, diſtincta ſunt & multiplicia, realiter inter ſe ſe in ipſo ſpeculo diſtinctionem habentia. Quare in Deo eſſet multiplicitas. Datur ergo ſecundum.

Quo ſtante, ulterius progredior; Aut creaturæ in eſſentia uidentur diuina quantùm ad eſſe quod in ipſa habent ſolummodo. Aut nedum quantùm ad illud, uerùm etiam ſecundum eſſe quod unaquæque illarum in ſeipſa habet. Primum non poteſt admitti; quoniam illud eſſe rerum, cùm nihil aliud ſit quàm eſſe diuinum, eo pacto creaturas cognoſcere, eſſet diuinum tantùm eſſe cognoſcere. Neceſſe eſt igitur admittere ſecundum. Vnde inſuper ego percunctor: Aut cognoſcuntur tanquam obiectum primum diuinæ cognitionis. Aut ueluti obiectum ſecundarium. Si demus primum, reclamat illico. D. Thomas in præcitatis uerbis, & cum eo uniuerſa Theologorum Schola, ſeriesq. philoſophorum. Dato uerò ſecundo, nullum ſequitur incommodum.

Adhuc tamen procedo: Quoniam aut ſunt obiectum ſecundarium, diuinam terminans propriè cognitionem. Aut non: Non eſt, dicendum primũ; quoniam tunc incideremus in opinionem Themiſtij. Secundum ergo admittamus oportet. Deus igitur ſeipſum cognoſcit, quaſi primò & per ſe notum; alia uerò ſicut in eſſentia ſua viſa; & ſicut obiecta ſecundaria ſuę cõgnitionis, non mouentia nec terminantia. Quare de primo uſq. ad ultimum deducendo, relinquitur ꝙ illa reſultatiuè, ſeu conſecutiuè cognoſcat; quod uolumus. Eo igitur ꝙ ſe rerum omnium cauſam perfectionalem Deus comprehendit, cætera omnia tanq̃ obiecta ſecundaria, & conſecutione quadam optimè cognoſcit. Cognoſcit; inquã; uerè, propriè, atq. diſtinctè non eminenter duntaxat & denominatiuè, denominatione extrinſeca; ut putauit Aureolus; cuius rationes modò ſupereſt è medio tollere. Cæterùm illud interim adnotandum uenit, ꝙ licèt nos dixerimus in ſuperioribus, nimirum huiuſcæ ſectionis cap. 11., ratione prima aduerſus Scotum, ꝙ creatura ex quo intelligitur à Deo, denominatur ſola denominatione extrinſeca. Nunc uerò aduerſus Aureolum dicimus, ꝙ Deus alia à ſe denominatione extrinſeca minimè cognoſcit; ob id tamen nulla in dictis noſtris ſequitur repugnantia. Proptereaquòd primo loco uoluimus creaturam ex eo ꝙ intelligitur à Deo, illud eſſe diminutum, ſeu ſecũdũ quid, à Scoto eſſe obiectiuum, ſeu intelligibile nuncupatum, in ſe haudquaq̃ recipere. Quoniam ex hoc ꝙ res intelligitur, nihil formaliter recipitur in ea, ſed denominatur talis, ſola denominatione extrinſeca. Aureolus uerò alia ex parte dicebat, ꝙ Deus creaturas aliquo actu apprehenſiuo, quoquo pacto eas attingente, nullatenus intelligit; uerùm ab eo denominatiuè tantũ intelligi dicuntur. Ita ſcilicet ꝙ Deus, ſeipſum qui eſt tota entitas apprehendendo, ab illa apprehẽſione, reliqua intellecta denominantur. Hanc ob cauſam, nos ſecundo loco docuimus Deum, creaturas apprehenſiuè, uerè. propriè, & formaliter intelligere; licèt tanq̃ ſecundaria obiecta, & conſequutione quadam. Ob id tamen non ſequitur, ꝙ Deus intelligendo, in eis aliquid formaliter producat; ueluti cẽſebat Scotus. At hoc non impedit, quin denominentur obiecta uerè, propriè, intrinſecè, apprehenſiuè, diſtinctè, atq. formaliter intellecta. Verùm ad alia accedamus.

Rationes Aureoli diſſoluuntur.
Cap. 18.

DOctrina eſt Ariſtotelis in. 4. phyſicarum auſcultationum, ſumma prima, cap. 6., & contextu. 31., ꝙ definitio illa optima eſt, quando oſtenditur quid eſt de aliquo, & quæ accidunt rei quæſtiones difficiles diluuntur. Ex hoc igitur facilè perſpicuum reddetur & clarum, an uera & undequaq. tuta ſit determinatio noſtra, atq. ſententia, ſi quæſtiones ei accidentes diſſoluerimus, omneſúe ambiguitates aduerſus eam emergẽtes, funditus euerterimus. His itaq. in hunc modum conſtitutis, rationes & difficultates Aureoli, ſuperius cap. 12. erectas e ueſtigio aggredior. Et quidem tres primæ facillimè tolluntur, ſi dicamus ꝙ & nos inficiamur, creaturas in-

telligi

telligi à Deo terminatiuè. Veruntamen quia ſecundùm nos, obiectum terminans ſumitur duplici uia, propriè ſcilicet & impropriè, ſiuè metaphoricè; & primum negando, admittimus ſecundum, Aureolus uerò negat utrũque; propterea ſecundum ſuſtinendo, mediam negamus propoſitionẽ eius primæ rationis. Nec admittimus probationem, niſi de obiecto propriè terminante; ueluti eſt id in quo ſiſtit intelligentis ſpeculatio. Sine hoc .n. diuina intellectio nullatenus eſſe poteſt; quoniam ſuam ſemper Deus intelligit eſſentiam. Poteſt nihiloſecius eſſe abſq; obiecto impropriè terminante, & quod reſultatiuè cognoſcitur; cuiuſmodi eſt creatura reſpectu diuinæ cognitionis.

Adhuc tamen fortaſsis urgeret Aureolus in hunc modum: Sublata omni creatura, & eius omni eſſe, diuina item intellectio ad diuinam eſſentiã terminata maneret, iuxta præmiſſam noſtram diſſolutionem. Aut igitur Deus remaneret tunc intelligens creaturas, per intellectionem terminatam ad eſſentiam ſuam, nec ulterius procedentem in creaturas, aut non. Si primum, tunc habetur propoſitũ. Quòd ſcilicet, Dei cognitio qua creaturas cognoſcit, non terminatur ad eas. Dato uerò ſecundo, adhuc illius propoſitionis negatæ deductio cogere uidetur. Quoniam intellectio quæ eſt ipſemet Deus, ita à creatura dependet, ꝙ illa ſublata, minimè remanere poteſt. Vnde à non Deo, dependeret ipſe Deus; ſeu perfectio ſimpliciter in Deo, ab ipſa utique dependeret creatura; ſaltem coexigenter; & ita redit prima ratio.

Pro ſolutione huiuſmodi rationis multa dicũt Capreolus in primo Theologicarum ſententiarum, .d.35., .q.2., ar. primo; Thomas ab Argẽtina, eodem libro, eademq́. diſtinctione, .q.1., concluſione quartã; Alphonſus Toletanus, eodem quoq. libro, .d.35., 36., & .37., .q.1., ar.2. Nos autem iuxta præmiſſa, ſecundam partem diuiſionis admittendo, id poſtea quod conſequitur inficiamur omninò. Cùm urget, quia ſublata creatura, ceſſat diuina intellectio ex parte ipſius. Ab illa igitur dependet, ſaltem coexigenter. Adhuc conſecutio negatur. Quandoquidem cognitio (quæcunq. ſit illa) nec ſimpliciter, nec formaliter, nec coexigenter; ut ipſe dicit; ab obiecto pendet, quod non ſit uerè & propriè terminans; atqui ab eo ſolùm quod uerè & propriè terminat. Quemadmodum ſi agens producat fundamentum, ad cuius productionem reſultet relatio; non ſequitur ob id ꝙ actio agentis, aut ſimpliciter, aut formaliter, aut coexigẽter, ad ipſam terminetur relationem; uerùm ad ſolum fundamentum. Quoniam & ſi non reſultaret relatio, adhuc ipſius agentis eſſet perfectiſsima actio. Ita quoq. dicendum uenit de diuina cognitione: cuius obiectum propriè terminans, eſt diuina eſſentia, & ad eius cognitionem reſultant creaturæ in eſſe cognito. Sublata nihilominus per impoſsibile ipſa creatura, adhuc remanet diuina intellectio in ſua maxima perfectione; quoniam remanet obiectum propriè terminans, & à quo ſimpliciter dependet; (de dependentia impropriiſsimè loquendo, & iuxta noſtrum intelligendi modum; quia diuina cognitio & eius primum obiectum ſunt idem.) cùm in eo ſiſtat, ipſumq́. ſolum ſpeculetur. Quare creatura ad perfectionem diuinæ intellectionis minimè coexigitur; licèt eã

impro-

impropriè terminet; quoniam eius eſſe & cognoſci depẽdet ab eſſe & cognoſci diuinæ eſſentiæ. Nec illud; inſuper: quod ſecundo adducitur loco eſt aliquo pacto concedendum,at potius illatio omnino neganda. Et eodem modo eliditur probatio cùm dicit,ꝙ ſi aliquæ partes remanerent diuiſibiles in potentia,diuinus quoque intellectus natus terminari ad eas, in potentia remaneret. Argumentum utiq. uim aliquam haberet,ſi illæ partes eſſent obiecta per ſe terminantia;quia tali pacto poſt quodlibet acceptum, eſſet ſemper aliud in potentia accipiendum in infinitum. Quia tamen ſunt obiecta impropriè terminantia,illud non ſequitur incommodum; at comprehenduntur unico ſimpliciſsimo actu primum obiectum comprehendẽte,omnia in infinitum uirtualiter continens.

Et ſi urgeat,uimq. faciat in eo ꝙ infinitæ partes continui ponerentur in actu. Minimè cedo,at conſequutio negatur. Quandoquidem Deus non intelligit continuum eſſe diuiſibile in infinitum potentia reducibili ad actũ. Quinimmo cum hoc quòd omnes partes continui diſtinctè cognoſcit,optimè ſtat quòd eiuſdem continui quamlibet partem cognoſcat diuiſibilem eſſe in infinitum.

Simili modo eius tertium diſſoluitur ratiocinium; negatur ſiquidem conſequentia. Itemq. negatur,cùm illam probare contendit. Diximus enim quod Deus non intelligit continuum eſſe diuiſibile in infinitum potentia reducibili ad actum. Idem dicimus de ſpeciebus & numeris; ſunt nanq. huiuſmodi augumentabilia in infinitum in potentia; at nunquam ſimul reducibili ad actum. Deus autem rem ſemper intelligit ſecũdùm eius naturam & eſſe.
Tomus.5. Vnde Beatus Pater Auguſtinus .12. de Ciuita.Dei,cap.18., aduerſus eos qui dicunt ea, quæ infinita ſunt nec Dei poſſe ſcientia comprehendi,ita ſcriptum,notatumq. reliquit: Illud autem aliud quod dicunt, nec Dei ſcientia quæ infinita ſunt poſſe comprehendi,reſtat eis ut dicere audeant, atq. huic ſe uoragini profundę impietatis immergãt,quòd non omnes numeros Deus nouerit. Eos quippe infinitos eſſe certiſsimum eſt,quoniam in quocunque numero finem faciendum putaueris,idem ipſe nõ dico uno addito augeri,ſed quàmlibet ſit magnus,& quàmlibet ingentem multitudinem continens,in ipſa ratione atq. ſcientia numerorum,nõ ſolùm duplicari,uerùmetiam multiplicari poteſt. Ita uerò ſuis quiſq. numerus proprietatibus terminatur,ut nullus eorum par eſſe cuiquam alteri poſsit. Ergo & diſpares inter ſe,atq. diuerſi ſunt,& ſinguli quiq. finiti ſunt,& omnes infiniti ſunt. Itane numeros propter infinitatem neſcit omnipotens Deus,& uſq. ad quandam ſummam numerorum ſcientia Dei peruenit, cæteros ignorat? Quis hoc etiam uel dementiſsimus dixerit? Hactenus Auguſtinus. Qui paulò poſt,hæc ſubdit uerba: Abſit itaq.,ut dubitemus,quòd ei notus non ſit omnis numerus,cuius intelligentiæ,ſicut in Pſalmo canitur,non eſt numerus. Infinitas itaq. numeri,quamuis infinitorum numerorum nullus ſit numerus: non eſt tamen incomprehenſibilis ei,cuius intelligentiæ non eſt numerus. Hæc ille. Ex quibus facilè conſtat,quòd Deus omnes numeri ſpecies diſtinctè cognoſcit, & ſimul quòd quocunque numero dato, poteſt in infinitum dari maior; Id quod etiam,modo ſibi conuenienti, poteſt dici de continuo;

quia eius intelligentiæ non eſt numerus.

Quæ poſtea adducit Aureolus pro ſecunda parte non curamus; quia nec nos admittimus ꝙ effectus diuini contineantur in diuina eſſentia, ueluti rerum imagines in ſpeculo; Sed ſicut effectus in cauſa eminente atq. perfectionali. Quoniam quæ in ſpeculo continentur, diſtincta ſunt & multiplicia, realiter inter ſe ſe in ſpeculo diſtinctionem habentia. Quæ autem in cauſa continentur eminente, atque perfectionali; indiſtinctè continentur, pariterq́. unitè. Ita tamen perfectè, ac ſi diuiſim & diſtinctè continerẽtur. Fauet. D. Tho. de veritate. q. 12., ar. 6., qui ait: Nusq̃ inuenitur dictum à Sanctis, ꝙ Deus ſit rerum ſpeculum; ſed magis ꝙ ipſe res creatæ ſunt ſpeculum Dei; prout dicitur primæ Cor. 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Hæc ille. Si uerò aliquando inueniatur dictum à Sanctis, diuinam eſſentiam eſſe ſpeculum; quantùm ad aliquid ſolummodo eſt ſemper intelligendum. Quatenus ſcilicet in ea omnia uidentur; non autem quò ad modum exiſtendi rerum in ſpeculo. Quoniam; inquit. D. Tho.; ſpecies rei inuenitur in aliquo dupliciter. Vno modo ſicut præexiſtens ad rem, cuius eſt ſpecies. Alio modo ſicut à re ipſa reſultans. Illud igitur in quo apparent ſpecies rerum ut præexiſtentes ad rem, non poteſt propriè ſpeculum dici, ſed magis exemplar. Illud autem ſpeculum poteſt dici, in quo rerum ſimilitudines à rebus ipſis reſultant. Rerum autem ſimilitudines, uel ſpecies, in Deo ſunt non reſultantes à creaturis, ſed præexiſtentes; Ideo eſſentia diuina ſpeculum non poteſt propriè dici. Et hæc eſt ueritas.

An alia Deus in ſeipſo tantùm, aut etiam extra ſe cognoſcat.

Cap. 9.

DOctores Theologi, illud in ſcholis quæſitum examinantes, nunquid Deus aliquid extra ſeipſum intelligat, illud uerbum (extra) mox diſtinguere ſolent; ut ſcilicet ad duo comparari poſsit; ad diuinam nempe cognitionem ex una parte, & ad diuinam eſſentiam ex alia. Iuxta priorem comparationem, ſenſus eſt: Num Deus aliquid extra ſeipſum cognoſcat, ita ut ad res extra ipſum exiſtentes, eius terminetur cognitio. Penès uerò poſteriorem comparationem, ſenſus eſt: Nunquid Deus cognoſcat aliquid eorum quæ ſunt extra ipſum, ſiue aliquod, quod non eſt ipſe; aut potius ſeipſum tantùm cognoſcat; ita ut omnia quæ non ſunt ipſe, penitus ignoret. Hunc ſenſum in ſuperioribus exaratum ſatis reliquimus. Ille autem ſupereſt nobis declarandus, atq. agitandus. Pro cuius quidem clariori notitia, diuerſæ ueniunt ponderandæ opiniones & ſententiæ, ac demum aperienda ueritas.

Sunt igitur qui uelint Deum ea cognoſcere quę ſunt extra ipſum, nedum in ſeipſo, uerùm etiam extra; itaq; ea quæ ſunt extra, & ab ipſo Deo cognoſcuntur, non ſolùm diuinam terminant cognitionem, quatenus in eo ſunt, at etiam quatenus extra; adeo ꝙ res quæ ſunt extra, terminant diuinam cognitionem, & ipſius diuinæ cognitionis ſunt obiectum ſecundarium, prout *Prima Opinio.*

ſunt

unt extra. Idq́. pluribus comprobant rationibus, quarum prima ita ſe habet.

Pri. Ratio Ni Deus aliquid terminatiuè extra ſeipſum cognoſceret, illud in primis ſequeretur incommodum, ꝙ creaturam à ſeipſo fore diſtinctam, utiq; ignoraret. Id autem quod conſequitur eſt à Catholica Veritate prorſus alienum. Illud igitur etiam quod antecedit. Cõſequutio in hunc modum deducitur. Illa potentia quæ ſui eſſe, & à ſe indiſtincti, eſt duntaxat cognitiua, aliquod eſſe diſtinctum à ſe, minimè cognoſcit. Quoniam dato oppoſito, iam non eſſet ſui ipſius cognitiua tantũ. At ſi Deus non cognoſcit aliquid extra, ſed omnia in ſeipſo; eius potentia cognitiua, ſui eſſe ſolùm, & à ſe indiſtincti, eſſet cognitiua; cũ nihil in Deo reperiatur, ab eo realiter diſtinctũ. Si itaq; Deus aliquid extra ſe minus cognoſcit, nequidem aliquid à ſe diſtinctum cognoſcere poterit.

.2. Amplius; Potentiæ æqualis ambitus obiectiuè, quarum una in ſua operatione, aliam præſupponit; ad quicquid ſe extendit potentia præſupponens, ita & præſuppoſita; ueluti ex ſe ſatis conſtare uidetur. Intellectus autem diuinus & ſua uoluntas ſunt potentiæ æqualis ambitus obiectiuè; ut patet; & uoluntas præſupponit intellectum, cùm nihil ſit uolitum niſi cognitum. Ad quicquid igitur ſe extendit Dei uoluntas, etiam Dei intellectus. Illud autem conſtat, quòd Dei uoluntas uult aliquid extra ſe. Intellectus igitur diuinus aliquid extra ſe, & non tantùm in ſe, neceſſariò cognoſcit.

.3. Ad hęc; Aliqua cognoſcens in aliquo inuariabili; ut inuariabile; aliquid uariabile, ut uariabile, haudquaq̃ cognoſcere ualet. Ex terminis conſtat. Eſſentia autẽ diuina eſt omnino inuariabilis, creatura uerò uariabilis. In eſſentia igitur diuina nunq̃ poteſt cognoſci creatura, ut uariabilis eſt. Quare in eſſentia diuina non poteſt cognoſci creatura, quà creatura; quoniam ut talis, eſt ſemper uariabilis.

.4. Prætereà; Agens per intellectum, eo modo cognoſcit, quo agit. Ob id enim dicitur agens per intellectum, quia ſic agit, ut cognoſcit. Deus autem eſt agẽs per intellectum, & agit aliquid extra. Neceſſariò igitur aliquid extra cognoſcit.

Confirmatur ratio: Quoniam ſicut ſe habet potentia Dei productiua ad producendum, ita eiusdem potentia cognitiua ad cognoſcendum. Hoc ſatis patet per locum à ſimili. Verùm potentia Dei productiua, de facto aliqd extra ſe producit. Eius igitur potentia cognitiua, aliquid de facto extra ſeipſam cognoſcit.

.5. Arguitur item ad principale intentum in hunc modum: Si Deus non cognoſceret aliquid extra ſe terminatiuè, peccatores tunc nullam ob eorum delicta poenam ſubirent. Quod Fidei Catholicæ aduerſatur omnino. Id quod conſequitur facilè comprobatur: Quoniam ſi Deus in peccatores animaduertit, eosq́; afficit ſupplicio; aut eorum lapſus in ſe cognoſcit, aut extra. Non poteſt dici primum, cũ in Deo nullum ſit peccatum. Datur igitur ſecundum, quod eſt propoſitum.

Vltimo

Vltimo loco erigitur tali pacto ratiocinium : Ad illud uerè terminatur cognitio, quod habet eſſe cognitum per eam; quemadmodum ad illud uerè terminatur productio, quod per eam capit eſſe productum. Conſtat autem ꝙ per diuinam cognitionem creatura capit eſſe cognitum. Diuina igitur cognitio ad eam extra terminatur. .6.

Paulus Soncinas. Hanc eandem ſententiam atq. opinionem inſequutus eſt Paulus Soncinas, in. 12. ſapientiæ libro, queſt. 65., concluſione ſecunda, &.q. 66. concluſione tertia. In primo ſiquidem loco eis utitur rationibus, quas modò recitauimus, demptis nihiloſecius quarta & quinta. In ſecundo uerò loco, nititur oſtendere quòd Deus, alia à ſe terminatiuè cognoſcit, prout tamen ſunt in eo. Vnde uult iſte vir, quòd Deus creaturas intelligat, tum extra, tum in ſe terminatiuè. Verùm quia rationes pro ſecundo eius dicto, non niſi de obiecto propriè mouente & terminante concludunt, idcirco eas miſſas facio.

Lelius Ballionius de prædeſtina. cap. 4. Quidam uerò ex recentioribus eum inſequentes, eius tamen ratiocinia minus approbantes, idem aſſertum quod primo induximus loco, hunc in modum & ipſi fulcire contendunt:

Prima ratio. Quando quis lapidem intelligit per eius ſpeciem, tunc primum obiectum ipſius intellectus, quod primò terminat cognitionem lapidis, eſt idea & ſpecies lapidis in intellectu. Res autem quæ eſt extra, obiectum dicitur ſecundarium, quia eſt illa quæ intelligitur, & in qua terminatur cognitio. Ita Deus in ſua eſſentia omnia cognoſcit; vnde illa diuinam terminat cognitionem, ut primum obiectum; ſed quia illud quod intelligitur ſunt res ad extra, ideo illæ terminant diuinam cognitionem; at ſecundariò tantùm.

Adhuc; Deus nunc Socratē intelligit & cognoſcit; in ſua igitur eſſentia, per Ideam, Socratē repræſentantem, illum cognoſcit, prout eſt extra ipsū, & extra ipſum etiam conſeruatur. Socrates igitur qui repræſentatur ad extra, hanc terminat cognitionem, ſaltem vt obiectum ſecundarium. .2.

Item; Res quæ ſunt extra Deum, ipſius intellectionem, non intrinſeca, atqui extrinſeca denominatione denominant. Dicitur enim intellectio Socratis, intellectio roſæ, intellectio lapidis, & id genus alia. Terminant igitur etiam cognitionem. Conſequutio ex eo liquet, quoniam ni cognitionem terminent, nec eam denominare poſſunt. Et cùm terminent quatenus extra Deum ſunt & conſeruantur, illud neceſſariò conſequitur, quòd Deus ea quæ ſunt extra ſe, nedum in ſeipſo, verùm etiam extra cognoſcat; & ita res ad extra, quatenus extra ſunt, diuinam terminant cognitionem. Hæc ſunt quæ pro illa concluſione, atque opinione, mihi occurrunt proponenda. .3.

Præmiſſa

Præmiſſa opinio reprobatur. Cap. 20.

ETſi prænarrata opinio & doctrina grauiſsimorum eſt uirorum, ab eiſq. enixè fulcita & corroborata, illud tamen quod in eius oppoſitum me traxit, fuit Beatiſsimi Patris Auguſtini dictum, pariterq. decretum; quando ſuper Gene. ad literam lib. 4., & cap. 6., ita notatum reliquit: Cùm ergo hæc ita deponerentur ut haberent menſuras, & numeros, & pondera ſua, ubi ea cernebat ipſe diſponens? Neq. enim extra ſeipſum cernebat, ſicut cernimus oculis corpora, quæ utiq. nondum erant, cùm diſponerentur ut fierent. Hæc ille. Ex quibus habetur, q̃ Deus ab æterno, aliquam creaturam extra ſe terminatiuè minimè cognouit. Et eodem in loco, cap. 24., oſtendit q̃ Angelus ante productionem aliarum creaturarum cognoſcebat eas in Verbo tantùm, poſt earum autem productionem, eas in Verbo, & in ſeipſis utiq. cognouit. Ecce uerba: Quapropter cùm Sancti Angeli, quibus poſt reſurrectionem coæquabimur, ſi uiam quæ nobis Chriſtus factus eſt uſque in finem tenuerimus, ſemper uideant faciem Dei, Verboq. eius unigenito Filio, ſicut Patri æqualis eſt perfruantur, in quibus prima omnium creata eſt ſapientia; proculdubio uniuerſam creaturam, in qua ipſi sũt principaliter conditi, in ipſo Verbo Dei prius nouerunt, in quo ſunt omnium etiam quæ temporaliter facta ſunt, æternæ rationes, tanq̃ in eo per quod factæ ſunt; ac deinde in ipſa creatura, quam ſic nouerunt tanq̃ infra deſpicientes, eamq. referentes ad illius laudem, in cuius incommutabili ueritate rationes ſecundùm quas facta eſt, principaliter uident. Hæc Auguſtinus. Qui etiam libro quinto eiuſdem uoluminis, cap. 18., eadem repetens inquit: Hæc igitur anteq̃ fierent, utiq. non erant. Quomodo ergo Deo nota erant quæ non erant? Et rurſus, quomodo ea faceret quæ ſibi nota non erant? Non enim quicq̃ fecit ignorans. Nota igitur fecit, non facta cognouit. Proinde anteq̃ fierent, & erant & non erant. Erant in Dei ſciẽtia, non erant in ſua natura; ac per hoc factus eſt dies ille, cui utroque modo innoteſcerent, & in Deo, & in ſeipſis. Illa uelut matutina, ſiue diurna cognitione, hac uerò uelut ueſpertina. Ipſi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuiſſe, cùm ea feciſſet, q̃ illo quo ea nouerat ut faceret, apud quẽ non eſt commutatio, nec momenti obumbratio. Hactenus Auguſtinus. Ex quo tria præcipua eliciuntur; primum, q̃ Deus ab æterno aliquam creaturã extra ſe minimè cognouit. Secundũ, q̃ Angelus ante aliarum creaturarũ productionem, eas in Verbo ſolummodo cognoſcebat, poſt earum uerò productionem, in Verbo & in ſeipſis illas utiq. nouit. Tertium, q̃ Deus anteq̃ fierent, & poſtquàm factæ ſunt, eas ſemper eodem modo cognouit; ſcilicet in ſeipſo. Et huius ratio eſt, quia in eo non eſt tranſmutatio, nec momenti obumbratio. His itaq. prælibatis, in hunc modum aduerſus præinductam opinionem erigitur ratio: Deus ab æterno, aliquam creaturam extra ſeipſum terminatiuè minimè cognouit; ueluti ex primo dicto D. Patris Auguſtini optimè nouimus. Neq. igitur etiam in tẽpore; prout ex

Tomus. 3.

ut ex eiuſdem tertio & poſtremo dicto ſatis conſtat. Quum in eo nulla ſit uariatio, minuſque mutatio. Ex his igitur vana redditur ipſa opinio.

Id quod etiam tali pacto confirmari poteſt: Diuus Pater Auguſtinus lib.4. de Geneſi ad literam, cap.22., cognitionem matutinam perfectiorem eſſe cognitione veſpertina, docet his verbis: Deinde fit veſpera illius lucis, cùm ipſum firmamentum, non in Verbo Dei ſicut ante, ſed in ipſa eius natura cognoſcitur. Quæ cognitio, quoniam minor eſt, rectè veſperæ nomine ſignificatur. Hæc ille. Vnde ratiocinium in hunc modum erigitur: Cognitio matutina eſt perfectior veſpertina. Illa autem cognitio qua creatura cognoſcitur in Verbo eſt matutina; & cognitio qua terminatiuè cognoſcitur in ſeipſa eſt veſpertina. Illa igitur cognitio qua creatura cognoſcitur in Verbo, eſt perfectior illa, qua cognoſcitur in ſeipſa. Dei autem cognitio eſt perfectiſsima. Quare omnia in ſeipſo cognoſcit, & non terminatiuè extra. .2.

Ad hæc: Creatura omnis melius cognoſcitur in arte qua facta eſt, quàm in ſeipſa. Verùm cùm in Dei ſapientia cognoſcitur, in ea cognoſcitur velut in arte qua facta eſt. Melius igitur atque perfectius in ſapientia diuina cognoſcitur, quàm in ſeipſa. Dei autem cognitio eſt perfectiſsima; omnia igitur in ſeipſo, & nihil extra terminatiuè cognoſcit. Secus deterior eſſet cognitio quam ipſe habet de creaturis in tempore, illa quam de eis habuit ab æterno; & ita in eo eſſet commutatio, contra Auguſtinum ſupra. Prima & maior propoſitio eſt eiuſdem Auguſtini; qui libro.11.de Ciuitate Dei, cap.7. inquit: Cognitio quippe creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt; vt ita dicam; quàm cùm in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte qua facta eſt. Sic ille. .3. *Tom.5.*

Fortè dicerent aduerſarij, quòd cognitio veſpertina illa eſt qua cognoſcuntur creaturæ in ſeipſis terminatiuè immediatè; ita quòd ab eis deſumitur cognitio tanquam ab obiecto primo & immediato. Dei autem cognitio de qua loquimur, non ita ſe habet; quoniam creaturas ipſas extra cognoſcit mediatè, per illud ſcilicet quod eſt ipſemet Deus. Vnde eademmet cognitio quæ immediatè ad Dei eſſentiam terminatur, mediatè & ſecundariò terminatur ad creaturas. Et ita volunt etiam intelligi dictum Beati Auguſtini, lib.83. quæſtio., q.46., quando dicit, quòd Deus nihil extra ſe intuetur. Verum ſiquidem eſt; inquiunt; quòd Deus nihil extra ſe intelligit, per aliud tanquàm per medium, quod non ſit ipſe Deus. *Solutio.* *Tom.4.*

Cæterùm adhuc non ceſſat diſputatio; quandoquidem percunctor ego, nunquid huiuſmodi cognitio mediata, qua Deus cognoſcit creaturas in tempore, ad eas propriè terminetur, vel impropriè? Non ſecundum, quia nulla ferè eſſet inter nos diſsidentia. Detur igitur primum neceſſariò oportet. Quo quidem admiſſo, ſtatim arguo in hunc modum: Ab æterno cognitio Dei ad creaturas extra propriè, nec principaliter nec ſecundariò terminabatur. Modò autem, per vos, ad eas propriè terminatur, licèt ſecundariò. Aliter igitur ſe habet Deus nunc, quàm *Impug.*

tunc; & ita mutatio in eo; quod eſt erroneum, & contra Auguſtinum. Nec oportet confugere ad vnitatem medij; quoniam licèt ſit idem medium, & eadem cognitio, ſunt tamen diuerſi termini; quorum diuerſitas ſufficit ad ponendum mutationem in Deo.

.4 Et ad maiorem exagerationem, illud animaduertimus, quòd huiuſmodi doctrina in ſe duo claudit pugnantia atque contradictoria. Dicunt enim quòd Dei cognitio ad creaturas propriè terminatur, idq. ſecundariò. Hæc autem non benè conueniunt; quandoquidem obiectum ſecundarium, quod non intelligitur nec habetur niſi virtute primi, (de hoc enim loquimur in propoſito) actionem propriè minimè terminare poteſt; veluti de fundamento & relatione ſatis conſtat. Nam hoc pro comperto habemus, ꝙ actio agentis non terminatur ad relationem, ſed ad fundamentum; quo quidem producto, ſtatim reſultat relatio. Idem dicimus de AEdificatore, cuius principale obiectum eſt domus, propterea ad illam propriè eius terminatur actio; ſecundarium verò obiectum eſt defenſio noſtra, quæ ad ipſius domus exiſtentiam ſtatim reſultat; ad eam verò non niſi impropriè terminatur actio. Id quod etiam perſpicuum habemus & clarum in umbratili pugna; quando ſcilicet duo incurrunt viri haſtis aduerſis; obiectum enim principale in tali pugna, eſt ipſe concurrens, ut in eo maior & pulchrior fiat ictus; ſecundarium verò, non niſi lucrum. Modò facilè conſtat ꝙ illius pugnatoris actio, non ad lucrum, ſed ad principale obiectum propriè terminatur. Quare duo contradictoria includit, aliquod eſſe obiectum ſecundarium agentis, & eius propriè terminare actionem.

.5. Concludo tandem, ꝙ hæc opinio, ſi de obiecto ſecundario loquitur, quod non dicitur tale niſi quatenus diſtinguitur contra primum, coincidit cum illa Themiſtij, damnata à Commentatore Auerroe, in. 12. Sapientiæ libro, comm. 51.; quare eſt omnino reijcienda.

Scotus. Cui etiam aſſentiretur libenter Scotus in primo Theologicarum ſenten., d. 35. & 36., iuxta illud creaturarum eſſe obiectiuum & intelligibile, quod ſupra reprobauimus. Si nanque Deus cognoſcit creaturas in ſeipſis, & extra eſſentiam ſuam, ſecundùm illud eſſe intelligibile, hoc planum eſt ꝙ eius cognitio terminatur ad eas. Verùm utrunque ſatis exploſum reliquimus.

Sententia Authoris. Veritas eſt igitur; inhærendo ijs quæ ſupra docuimus; ꝙ Deus cognoſcit creaturas, ſecundùm eſſe quod in ſeipſis habent, non ex parte cognoſcentis, ſed ex parte rei cognitæ. Primo ſiquidem modo, cognoſcit Deus creaturas omnes, ſecundùm modum eſſendi quem habent in ipſo Deo. Secundo autem modo, cognoſcuntur quantum ad omnia, & ſubſtantialia, & accidentalia, quæ in eis reperiuntur; at ſemper in ipſo Deo, exactiſsimè & perfectiſsimè illas repræſentante; veluti ſupra iam ſatis reliquimus probatum. Supereſt igitur vt rationibus in oppoſitum conemur facere ſatis.

Rationes pro iam reiecta opinione diluuntur. Cap. 21.

PRIMO loco aduerſus ſententiam quam inſequimur, erectam ratio nem ſi rectè inſpiciamus, conſequutionem minus veram eſſe mox comperiemus; eiusq. probationis, mediam propoſitionem inficiabimur omnino. Et cùm probatur, quia in Deo nihil reperitur ab eo realiter diſtinctum; illud libenter admittimus; quoniam in diuina eſſentia, omnia indiſtinctè & eleuatè continentur, veluti effectus in cauſis eminentibus. Illud nihiloſecius animaduertendum venit, quòd in ipſa diuina eſſentia omnia ita perfectè continentur, ac ſi diſtinctè continerentur; Vnde in ea exactiſsimè & perfectiſsimè repræſentantur; & inde ſequitur diſtinctiſsima & perfectiſsima rerum omnium cognitio in ipſo Deo. *Ad 1.*

Veruntamen ijs non obſtantibus, ſtatim ſeſe offert ſcrupulus quidam abolendus. Si enim Deus omnia diſtinctiſsimè in ſeipſo cognoſcit per ſuam diuinam eſſentiam, omnia diſtinctiſsimè repræſentantem; & ex quo res ipſas ita cognoſcit, minus fatendum venit quòd eas extra ſe terminatiuè cognoſcat; inde ſequi neceſſariò uidetur, quòd nec Angelus ſupremus, creaturas cognoſcat in ſeipſis. Quandoquidem res ipſas per ſpeciem inadæquatam cognoſcit, atque vniuerſalem. Itaquòd hominem & equum per vnicam ſpeciem cognoſcit; quæ inadæquatè repręſentat vtrumque. Huiuſmodi tamen illatio, in noſtra Sacra Theologia non eſt admittenda. *Dubitatio.*

Et confirmatur ratio; Quoniam ſicut diuina eſſentia immediatè creaturas non repræſentat, ſed ſemetipſam; ita ſpecies Angeli ſupremi, hominem & equum immediatè non repræſentat, at naturam animalis in communi. Stante igitur præmiſſa ſolutione, Angelus non cognoſcit per illam ſpeciem hominem & equum in ſeipſis, ſed potius in alio; nempe in natura communi animalis.

Verumènimuerò omnia ſimul faclle eneruantur, ſi illud præcipuè adnotemus, quòd non rectè currit ſimilitudo, nec eſt par ratio de Deo ipſo Benedicto, & Angelo ſupremo. Quoniam ratio immediatè per Angelorum ſpecies repræſentata, reapſe à rebus ſingularibus mediatè repræſentatis per illam ſpeciem, minimè diſtinguitur. Vtpotè ratio communis animalis, quæ per ſpeciem Angeli ſuperioris immediatè repræſentatur, haudquaquam ab homine & equo realiter diſtinguitur. Quo fit, ut Angelus per illam ſpeciem, immediatè & in ſeipſis, hominem & equum vtique cognoſcat. Ratio uerò per ſpeciem diuinam immediatè repræſentata, reipſa diſtinguitur à creaturis, quæ ſunt obiecta mediata. Propterea cognitio Dei cùm ad illam rationem terminetur immediatè, quæ diuinæ ſpeciei eſt immediatum obiectum, ad creaturas in ſeipſis ferri minimè poteſt. *Solutio.*

Ad 2. Illud; inſuper quod ſecũdo loco adducebatur, uſq. ad proſyllogiſmum, libenti animo concedimus. Verùm cùm proſyllogizatur in hunc modum: Dei uoluntas vult aliquid extra ſe. Intellectus igitur diuinus aliquid extra ſe, non tantùm in ſe, neceſſariò cognoſcit. Negatur illatio; ſeu modus concludendi. Ex illo enim antecedente, non ſequitur, intellectum diuinum aliquid extra ſe intelligere; ſed quod intelligat aliquid eſſe extra ſe. Hoc autem non intelligit extra ſe terminatiuè, ſed in ſeipſo. Verum nanque eſt ꝙ diuina uoluntas vult me eſſe extra ſe, non in ſe; Verumq. eſt etiam quòd diuinus intellectus intelligit me eſſe extra ſe, & non in ſe. Id tamen non extra ſe terminatiuè cognoſcit, at in ſeipſo tantùm. Sequitur ergo: Diuina uoluntas vult aliquid eſſe extra ſe. Diuinus igitur intellectus intelligit aliquid eſſe extra ſe. At cùm infertur: Illud igitur extra ſeipſum terminatiuè cognoſcit. Negatur ſemper illatio.

Ad 3. Ad tertiam rationem reſpondetur per maioris interemptionem; quam nec ipſe arguens probat, niſi ex eo quòd conſtat ex terminis; quòd quidem etiam inficiamur. Si enim res ita ſe haberet, Angelus non cognoſceret creaturam, cognitione matutina, eſſe uariabilem; nequidem ex conſequenti illam cognoſceret ſub ratione qua eſt creatura. Quòd autem id quod conſequitur à ueritate abhorreat, nemo ibit inficias. Illud igitur etiam à quo emanauit. Conſequutio ex eo facilè conſtat, quoniam matutina cognitio, illa eſt qua res cognoſcitur in Verbo. Nemini autem dubium, quin Verbum ſit omnino inuariabile. Quare in eo res non cognoſceretur, niſi ſub ea ratione qua eſt inuariabilis. Quod in Theologorum ſcholis minimè admittitur. Addo quòd nec ipſe Deus ab æterno cognouiſſet creaturam poſt ſui productionem fore mutabilem; nec omnia eius attributa ſubſtantialia & accidentalia ei nota fuiſſent; cuius oppoſitum iam ſatis probauimus.

Ad 4. Quarti quoque ratiocinij prior propoſitio non eſt omnino tuta, ſimpliciter accepta. Verum ſiquidem eſt, quòd agens per intellectum cognoſcit quicquid agit; aſt non oportet (quantùm ad omnia) quòd eo modo cognoſcat, quo agit. Siquidem in creatione agit actione tranſeunte, cognoſcit autem actione immanente. Rurſus, Deus in creatione, res producit actione noua; quia in tempore. Eas tamen nouit ab æterno, minimè autem cognitione noua. Et hoc reſponſum ut clarius euadat, illud annotandum uenit; quòd hìc nolo creationem eſſe actionem tranſeuntem, quæ in creatura ſubiectiuè recipiatur; ueluti docebat Aureolus, 2. Theologicarum ſententiarum, diſtinct. 1.; & primo, diſtinct. 27., & 42. Gregoriuſue Ariminen., 2. ſentent. lib., diſtinct. prima, quæſt. ſexta, articul. 1. concluſio. prima, & quinta; tunc enim aliqua eſſet actio media inter Deum & creaturam. Sed uolo quòd ſit actio tranſiens uirtualiter; quoniam illa actio Dei quæ eſt formaliter immanens, ex ſua uirtute proprium habet effectum, ad extra producere. Eſt igitur uirtualiter tranſiens. Quemadmodum ſi Deo auxiliante, uiſio mea ſe ipſa ignẽ produceret, eſſet quidem actio formaliter immanens, uirtualiter uerò tranſiens. Deus igitur cùm in creatione agat actione uirtualiter tranſeunte, co-

gnoſcat

gnoſcat autem actione formaliter & virtualiter immanente, Illud ſequitur neceſſario, ꝙ nō eo modo agat, quo intelligit. Et ita prior propoſitio falſa. Quando etiam dico quòd Deus in creatione, res producit actione noua; intelligo de ea ſermonem habere, quatenus à nobis concipitur & ſignificatur; quoniam vt ſic, non poteſt à nobis appellari æterna. Concipitur enim à nobis per modum actionis tranſeuntis; quæ quidem eſſe nō poteſt, niſi actu tranſeat in effectum ad extra. Dei autem cognitionem reſpectu creaturarum, ſemper eodem modo concipimus; nimirum, vt æterna. Illam igitur priorem propoſitionem rectè negauimus. Eadem doctrina relinquitur ſoluta & ipſa confirmatio; quoniam non ita ſe habet potentia cognitiua ad cognoſcendum, quemadmodum potentia productiua ad producendum; ſaltem quantùm ad omnia; vt diximus.

Cùm arguitur quinto loco, ꝙ ſi Deus aliquid extra ſe terminatiuè cognoſceret, peccatores tum nullam ob eorum delicta pœnam ſubirent; negatur illatio. Cùm probatur, dicimus ꝙ Deus, peccatorum lapſus in ſe cognoſcit. Nec ob id ſequitur ꝙ in eo ſit peccatum, quoniam per ſe non cognoſcitur, ſed per aliud; nimirum per bonum. Eſſet enim in Deo peccatum, ſi per ſeipſum cognoſceretur; quandoquidem oportet cognitum eſſe in cognoſcente. Et ſi dicant ꝙ tunc Deus malum imperfectè cognoſceret. Id quod conſequitur non admittimus. Quoniam non omne quod per aliud cognoſcitur, eſt imperfectæ cognitionis; verùm illud ſolùm quod eſt per ſe cognoſcibile. Malum autem cùm ſit priuatio boni, & priuatio non cognoſcatur niſi per habitum, illud neceſſariò conſequitur, ꝙ malum non poſſit cognoſci niſi per bonum. Et ita licèt per aliud cognoſcatur, perfectè tamen cognoſcitur. Et re vera ſi ratio haberet locum, Deus ab æterno peccata hominum minimè cognouiſſet, cùm non eſſent extra ipſum; quod ſuperq. ſatis videtur abſurdum. *Ad. 5.*

Ad illud quod vltimo loco habebant dicimus, priorem propoſitionem ueram eſſe, de eo quod immediatè & per ſe cognoſcitur; non autem de eo quod non cognoſcitur niſi virtute primi; quemadmodum ſunt creaturæ reſpectu diuinæ eſſentiæ. Idem dicimus de productione atque producto. Ad illud ſiquidem productio terminatur, quod per ſe & immediatè producitur; non autem ad illud quod producitur ad alterius productionem; velut in ſuperioribus de fundamento diximus, & relatione. *Ad. 6.*

Aliorum quoque ratiocinia parui ſunt momenti; & prioris quidem ſimilitudo & comparatio inter Deum, ſeipſum intelligentem & creaturas, hominemque ſpeciem lapidis intra, & lapidem ipſum extra ſe inſpicientem, nulla profectò eſt; velut in ſolutione dubitationis, aduerſus ſolutionem primæ rationis præcedentis opinionis militantis, ſatis oſtendimus. Ratio namque per ſpeciem illam lapidis repræſentata, re ipſa non differt à lapide extra. At ratio per ſpeciem diuinam immediatè repræſentata, reapſe differt à creaturis. Quare lapis intelligitur extra terminatiuè ab homine, non autem creatura à Deo. *Ad. 1. Lelij.*

Ad.2. Inde ſequitur falſitas primæ cõſequutionis & ſecundæ, ratiocinij quod ſecundo erigebatur loco. Deus enim cognoſcit Socratē; at non niſi per Lib.5. ſuam eſſentiam, & in ſeipſo. De Ideis, loco ſuo verba faciemus.

Ad.3. Interim dicimus ad tertiam rationem, negando conſequentiam. Quoniam res in Deo, etiam eius intellectionem extrinſecè denominant; nec ob id ſequitur quòd terminetur ad eas, niſi impropriè; vt aliàs diximus. Et cùm dicunt, quòd non poſſunt eam denominare niſi propriè terminent; illud prorſus inficiamur, & ad alia nos accingimus.

De modo quo Deus contingentia cognoſcit ad Catholicam Veritatem. *Cap. 22.*

IN ſuperioribus oſtendimus, tum ad philoſophorum, tum ad noſtrorum theologorum dogmata, quomodo Deus ipſe Benedictus non vagatur exterius cognitione, atqui ſeipſum cognoſcendo, nouit ea etiã, quæ aliud ſunt, quàm ipſe. Præſentia, præterita, futura, poſsibilia, impoſſibilia, neceſſaria, non neceſſaria, contingentia, temeraria, ac demum cuncta quæ in toto terrarum orbe ſunt, aut fuerunt, vel in poſterum erunt, ſeu eſſe poterunt. De modo quoque ſermonem habuimus, quo hæc omnia cognoſcit; nullo tamen habito, de ijs quæ contingenter eueniunt, particulari diſcurſu. Quare de huiuſmodi euentuum cognitione, vt pinguior Cicero. noſtra reddatur minerua, ſupereſt tractare modò. Ciceronem haudquaq̃ imitando, qui libro ſecundo de diuinatione, contingentiæ, & temeriati, necnon hominis arbitrio, diuinam cognitionem aduerſari eſt arbitratus. Id quod tali pacto reliquit expreſſum: Nihil enim eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ, quàm fortuna; vt mihi ne in Deum quidem cadere videatur, vt ſciat quid caſu, aut fortuito futurum ſit. Si enim ſcit, certè illud eueniet; ſin certè eueniet, nulla eſt fortuna. Eſt autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla eſt præſenſio. Hæc ille. Cui Sacroſancta fides noſtra Iſaia.41. permaximè aduerſatur, diuo atteſtante Iſaia, qui ait: Dicite nobis quæ ventura ſunt, & dicemus quia Dij eſtis vos. Propria igitur eſt Dei cognitio futurorum contingentium. Nulla itaque relinquitur de hoc apud Chriſti Fideles dubietas; cæterùm de modo quo Deus hæc intelligat, non benè conueniunt Sacri noſtri Theologi.

Opinio D. Thomæ. D.Thom. prima par. Summæ theologiæ, q.14., ar. 13. propriam ſententiam his verbis explicuit: Contingens aliquod dupliciter poteſt conſiderari: Vno modo in ſeipſo, ſecundùm quòd iam in actu eſt. Et ſic non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens, neque ad vtrumlibet contingens, ſed ut determinatum ad vnum. Et propter hoc ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni; vt potè ſenſui viſus; ſicut cùm video ſortem ſedere. Alio modo poteſt conſiderari contingens, vt eſt in ſua cauſa. Et ſic conſideratur vt futurum, & vt contingens, nondum determinatum ad vnum; quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita. Et ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicunque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi coniecturalem

lem cognitionem. Deus autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt actu in ſeipſo. Et licèt contingentia fiant in actu ſucceſsiuè, non tamen Deus ſucceſsiuè cognoſcit contingentia, prout ſunt in ſuo eſſe, ſicut nos, ſed ſimul; quia ſua cognitio menſuratur æternitate, ſicut etiam ſuum eſſe. Aeternitas autem tota ſimul exiſtens ambit totum tempus; vt ſupra dictum eſt. Vnde omnia quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia; non ſolùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes; vt quidam dicunt; ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia; prout ſunt in ſua præſentialitate. Vnde manifeſtum eſt quòd contingentia, & infallibiliter à Deo cognoſcuntur, inquantùm ſubduntur diuino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem, & tamen ſunt futura contingentia, ſuis cauſis comparata. Hæc ille in forma. Qui miſſa contingentiæ natura, quæ eſt differentia eorum quæ ſunt ſubſtantialis, & modus quidam poſitiuus, atque intrinſecus rei illius, quæ contingenter euenire dicitur, quo res ipſa, vel ipſius rei euentus, eſſe vel non eſſe indifferenter poteſt; prout etiã aliàs diximus; de ipſius naturæ contingentiæ ſtatu & modo eſſendi vario, atque diuerſo, tanquàm propoſito ſuo magis deſeruiente, voluit habere ſermonem. Illud ſiquidem eſt ab omnibus receptum, quòd omne quod eſt, ſecundùm ſuam propriam naturam & in ſeipſo, eſt neceſſarium vel contingens; & quia natura rei non variatur, at eſt ſemper eadem, ſiue in actu ſit, ſiue in potentia; ex conſequenti quòd res contingens, ſiue ſit præſens & in actu, ſiue potius futura & in potentia, ſemper eſt naturæ contingentis. Quæ quidem natura, licèt ſit vna in ſe, atque ſecundùm ſui rationem inuariabilis; poteſt nihilominus eius variari ſtatus & modus eſſendi; vt ſit modò in actu, modò in potentia, modò præſens, modò futura. Et de huiuſmodi varietate & differentia, non naturæ, ſed modi eſſendi & ſtatus, loquitur Sanctus Doctor; & duo præcipuè intendit. Alterum quidem eſt, aſsignare modum, quo ex parte cogniti, contingentia futura ſubduntur diuinæ cognitioni. Alterum verò eſt, ponere modum ex parte ipſius cognoſcentis; quo ſcilicet Deus illa cognoſcit; ſucceſsiuè nempe, vel potius omnia ſimul.

Quod ad primum attinet, hanc ponit concluſionem: Futura contingen- *Conclu. 1.*
tia prout actu ſunt in ſeipſis, à Deo cognoſcuntur. Quæ tali poteſt ratione fulciri: Quod eſt in actu, & habet rationem præſentis & determinati ad vnum, certæ poteſt ſubdi cognitioni. In ſeipſis autem & extra cauſas ſuas accepta contingentia, ita ſe habent, at non ut ſunt in cauſis ſuis. Quòd certæ igitur poſsint ſubdi cognitioni, nemini dubium. Oratio prior ex eo facilè conſtat, quia cognitio conſiſtit in actu; quemadmodum ex Ariſtotele habemus. 9. ſapientiæ libro, contex. 20. Poſteriorem uerò ex triplici differentia probat. D. Thom., quæ inter contingentia in actu & in potentia, ſeu in cauſis ſuis, reperitur. Nam quatenus ſunt in actu, eatenus rationem habent præſentis; ſub ea uerò qua ſunt in potentia ratione, non niſi futuri in ſe retinent rationem. Amplius, ut in actu, rationem habent determinati ad unum; in potentia uerò, contingentis ad utranque partem.

Ac de-

Ac demum, vt in actu, certæ ſubduntur cognitioni; veluti de viſione corporali ſatis conſtare poteſt; vt autem in potentia ſunt & in cauſis, de eis ſolam coniecturam capere poſſumus.

2. Conclu. Ex his mox infertur alia concluſio, quæ ad talem formam reduci poteſt: Futura contingentia non cognoſcuntur à Deo, prout ſunt in ſuis cauſis incompletis, atque indeterminatis. Clara eſt concluſio & à D. Thoma intenta; quoniam futura contingentia ſi conſiderentur in cauſis ſuis, quatenus incompletæ ſunt, pariterq́. indeterminatæ, nec à Deo, nec ab alio ſunt cognoſcibilia, certa & infallibili cognitione; quia non magis ſunt in actu nec in potentia quantùm ad eorum eſſe attinet, quàm ad non eſſe. Secus non eſſent ipſæ cauſæ indeterminatæ.

3. Conclu. Quòd igitur futura contingentia Deus in ſuis cauſis agnoſcat determinatis atque completis, ſatis appoſitè aſſertione approbari poteſt; & erit tertia concluſio. Id quod etiam voluit beatus Doctor in memorato loco, proptereaquòd Deum dicebat cognoſcere futura contingentia in cauſis ſuis. Aut igitur de indeterminatis, aut de completis & determinatis voluit habere ſermonem. Primum ſi admittamus, mox duo aſſerimus inter ſeſe pugnantia. Deum enim futura contingentia, certa & infallibili ſcientia cognoſcere in eorum cauſis indeterminatis, nimiam in ſe continet repugnantiam; quandoquidem nec à creato, nequidem ab increato apprehendi poſſunt intellectu; quemadmodum in præiacente habuimus concluſione. Fit igitur conſequens, ut id quod ſecundo proponebamus loco, ſit aſſertione approbandum. Quoniam ſunt futura contingentia ex cauſis determinatis cognoſcibilia, iuxta earum determinationem. Et Deus illa cognoſcit in ſuis cauſis, prout ſubſunt determinationi diuinæ ſcientiæ & voluntatis; quia vt ſic, ſemper ſunt determinatæ, & completæ, & non impeditæ, ad producendum ſuos effectus contingentes. Et hæc poteſt confirmari doctrina, ex iis quæ docet Beatus Doctor primo de Catholica veritate, cap. 67., rationeq́. tertia, inquiens: Sicut ex cauſa neceſſaria ſequitur effectus certitudinaliter, ita ex cauſa contingenti completa, ſi non impediatur. Sed cùm Deus cognoſcat omnia, ſcit non ſolùm cauſas contingentium, ſed etiam ea quibus poſſunt impediri. Scit igitur per certitudinem an contingentia ſint, vel non ſint. Hactenus Beatus Thomas. Cuius quidem uerba, caſtè, integrèq́. ſi examinare uelimus, omnia inter ſe ſe concordia coniunctiſsima fore pro comperto habebimus.

Contra Duran. Id quod noluit Durandus, quando in primo Theologicarum ſent., d. 38., q. 3. aſſeruit. D. Thomam uoluiſſe de contingenti non poſſe haberi certam cognitionem per cauſam ſuam, atqui coniecturalem tantùm. Ex quo ſequebatur, quòd ſi Deus ſolam haberet cognitionem de futuro contingenti per cauſam ſuam contingentem & impedibilem, certam de eo non haberet cognitionem. Hoc certè uoluit. D. Thomas, & benè; quia ſi de contingente ut merè contingens eſt in ſua cauſa, & nullam in ea determinationem habet, ſermonem habeamus, res profectò non poteſt aliter ſe habere. Secus autem ſi conſideretur effectus in cauſa omnino determinata, & nullo modo impedita, neque ante productionem, neque in ipſa

produ-

productione; quia tunc non habet rationem contingentis, at neceſſarij effectus. Vbicunque enim adeſt determinatio, ceſſat contingentia ſimpliciter accepta; ut aliàs diximus. Vtrumque nihilotamenſecius uoluit D. Thomas in ſua doctrina; ut probauimus ſupra. Quare dubitatio Durandi non militat aduerſus eum. Quando tamen dicit D. Doctor tum in prima, tum in tertia concluſione, quòd Deus Benedictus futura contingentia cognoſcit prout actu ſunt in ſeipſis, & in ſuis cauſis determinatis; non eſt ille ſenſus, ꝙ ab actualitate, & determinatione cauſarum futurorum contingentium, ſuæ cognitionis certitudinem, & infallibilitatem deſumat ipſe Deus: cùm deſumatur ex ipſamet diuina eſſentia, & nullo modo ab alio. At ſenſus eſt, quod huiuſmodi contingentia non poſſunt ſubdi cognitioni diuinæ, certæ & infallibili, niſi actu ſint & in ſeipſis, aut in cauſis determinatis. Quandoquidem ſi detur oppoſitum, non eſt res contingens, ſeu ipſius rei euentus, capax, ut diuinæ ſubdatur cognitioni, certæ & infallibili; cùm non ſit ullò pacto cognoſcibilis. Vnde res ipſa contingens aliter ſemper ſe habet ad diuinam cognitionem ut actu eſt & in ſeipſa, ſeu in cauſa determinata; quàm in potentia, & in cauſa indeterminata. Et cum hac diuerſa diſpoſitione in re, ut ſcilicet modò ſit in actu, modò in potentia, modò neceſsitatem quandam inducat, modò non; ac demum ſit modò in cauſa determinata atque completa, modò in cauſa omnino indeterminata; ſtat unica & perfectiſsima Dei cognitio. Et quando dicimus quòd Deus cognoſcit futura contingentia in cauſis ſuis determinatis; illud annotandum uenit, quòd cauſæ contingentes quatenus diuinæ ſubduntur cognitioni certæ & infallibili, eatenus ſunt determinatæ ad operandum; ſimpliciter tamen acceptæ & conſideratæ, contingentes ſemper manent, atque indeterminatæ ad operandum, & earum effectus ſimpliciter futura contingentia appellari debent. Id quod noſtri dicere ſolent in ſenſu compoſito, & in ſenſu diuiſo.

Vnde Deus ipſe Benedictus ex parte cognoſcentis, & ex parte obiecti primi ſuæ cognitionis, futura contingentia in ſuis cauſis determinatis & non impeditis optimè cognoſcit. Ex parte uerò ipſius rei cognitæ, & obiecti ſecundarij ſuæ diuinæ cognitionis, eadem futura contingentia in ſuis cauſis cognoſcit indeterminatis, incompletis, atque impedibilibus. Quare Deus optimè nouit quòd Antichriſtus nunc habet eſſe in cauſa merè contingente, & indeterminata, & quæ circa eius productionem impediri poteſt.

Illud etiam eſt annotatione dignum, quòd cùm dicimus aliquod futurum, nolumus ob id habere, illud eſſe contingens; propterea quòd poteſt aliquid eſſe futurum neceſſarium; at uolumus innuere quòd non habet eſſe niſi in cauſis ſuis. Modò ſi huiuſmodi cauſæ ſint contingentes, aut erunt determinatæ magis ad unum quàm ad oppoſitum, aut ita ad unum, ꝙ nullatenus ad oppoſitum. Et tunc effectus in huiuſmodi cauſis conſiderati & accepti, futuri quidem ſunt, à contingentia tamen declinant, ſecundùm ꝙ magis uel minus exigit ipſarum cauſarum determinatio. Si uerò eædem cauſæ contingentes ſunt omnino indeterminatæ ad operandum;

tunc

tunc earum effectus non erunt conſiderandi ut futuri; ſed ut futuri penitus contingentes. Et propterea rectè diximus nos in ſuperioribus aduerſus Grego. Ariminen., ꝙ ubicunque eſt determinatio in cauſa, ceſſat ſemper contingentia in effectu; vel ſimpliciter, uel ſecundùm quid. Simpliciter quidem, reſpectu cauſæ neceſſariæ; ſecundùm quid uerò, reſpectu cauſæ contingentis, penes eius maiorem, minoremuè determinationem. Et vbicunque eſt indeterminatio ſimpliciter in cauſa, eſt ſemper contingentia ſimpliciter in effectu futuro; quare propoſitiones huiuſmodi enunciantes, ſunt ſemper indeterminatæ veritatis; cuius tamen oppoſitum aſſerebat ipſe Grego. aduerſus Ariſtotelem. Et loquimur ſemper de ſtatu, non de natura contingentiæ; iuxta ea quæ in ſuperioribus annotata reliquimus. Tot de primo à D.Thoma intento.

Conclu.4. Quod verò ad ſecundum attinet, hanc intendit concluſionem: Omnia futura contingentia ſecundùm ſtatum quo actu ſunt, ab æterno ſimul, Deus optimè cognoſcit. Quam veram eſſe, tali oſtendit ratiocinio: AEternitas tota ſimul exiſtens, ambit totum tempus, & Dei cognitio menſuratur æternitate. Nouit igitur ſimul quæ ſucceſsiuè fiunt, & omnia quæ ſunt in tempore, ſunt præſentia Deo ab æterno. Nedum quia rationes eorum habet præſentes apud ſe; uerùm etiam quia eius intuitus ab æterno fertur ſupra omnia ut ſunt in ſua præſentialitate. Contingentia igitur quatenus ſecundùm ſuam præſentialitatem diuino ſubduntur conſpectui, à Deo infallibiliter cognoſcuntur. Quòd autem Dei cognitio menſuretur æternitate, ex eo liquidò conſtat; inquit Beatus Thomas; quoniam eſſe Dei menſuratur æternitate. Ex his demum infert, quòd hæc duo adinuicem minimè pugnant, at optimè ſimul conuenire poſſunt; ꝙ nempe aliquid ſit futurum contingens, & certò ſciatur. Quandoquidem hæc ei inſunt, ſecundum diuerſos ſtatus; quatenus ſcilicet actu eſt, & prout eſt in cauſis ſuis. Iuxta primum, ſubditur certæ & infallibili Dei cognitioni. Iuxta uerò ſecundum, eſt futurum contingens. Hæc ſanè voluit D.Thomas in illo ſuo à nobis memorato articulo.

Quæ quidem non ita ſunt intelligenda, quòd Dei ſcientia capiat certitudinem ab alio obiecto, quàm à ſua eſſentia; ſeu ꝙ ex illa contingentium præſentialitate in æternitate, deſumatur infallibilitas diuinæ cognitionis. Sed eſt ille ſenſus, ꝙ ut futura contingentia ſint obiectum diuinæ cognitionis, neceſſaria conditio eſt, quòd repræſententur Deo, tanquam illi præſentia in æternitate. Quoniam nihil poteſt eſſe obiectum certæ & infallibilis cognitionis, niſi in ſe certitudinem habeat; ſecus non cognoſceretur; quemadmodum diximus ſupra.

Huiuſmodi doctrina in hunc modum expoſita & intellecta, ſemper mihi peroptimè arriſit; eo maximè, quando illam ex ſacris, antiquioribusue Doctoribus excerptam vtique noui. Præſertim ex diuo patre Auguſtino, qui

Tom.8. ſuper Pſal.49., exponens illud (& ſpecies agri mecum eſt) ita notatum reliquit: Pulchritudo agri, ubertas omnium in terra gignentium mecum eſt; inquit. Quomodo cum illo? Vtrum & antequàm fierent? Cum illo enim erant omnia futura, & cum illo ſunt omnia præterita; futura ita ut non ei

detrahantur omnia præterita. Cum illo ſunt omnia cognitione quadam ineffabilis ſapientiæ Dei,in Verbo conſtituta, & in ipſum Verbum omnia. Hæc ille. Qui paucis interpoſitis, ita concludit: Et quare apud ipſum omnia? Quia & antequam eſſent omnia,aut crearentur, ei nota erant omnia. Ita Auguſtinus. Ex cuius uerbis habemus, ꝙ ab æterno Deus omnia nouit; futura & præterita. Aut igitur hæc nouit vt præterita, & vt futura, aut vt ſibi præſentia. Non primum; quoniam apud Deum non eſt præteritum, neque futurum. Datur igitur ſecundum. Quod quidem ex ipſa prouenit æternitate, totum tempus ambiente. Quoniam ſi Deus omnia futura contingentia cognoſcit ut ſibi præſentia, hoc habere non poſſunt, niſi actu ſint in ſeipſis, & extra ſuas cauſas. Quandoquidem res non habet rationem futuri, niſi quatenus eſt in propria cauſa; veluti diximus ſupra.


Vndecimò quoque libro de Ciuita. Dei, cap. 21. ita inquit: Ille quip- *Tom.5.*
pe, non ex hoc in illud, cogitatione mutata, ſed omnino incommutabiliter videt; ita vt illa quidem quæ temporaliter fiunt, & futura nondum ſint, & præſentia iam ſint, & præterita iam non ſint; ipſe verò hæc omnia ſtabili ac ſempiterna præſentia comprehendat; nec aliter oculis, aliter mente; non enim ex animo conſtat & corpore. Nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter poſtea; quoniam non ſicut noſtra, ita & eius quoque ſcientia trium temporum, præſentis videlicet & præteriti, vel futuri varietate mutatur; apud quem non eſt immutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim eius intentio de cogitatione in cogitationem tranſit, in cuius incorporeo contuitu ſimul adſunt cuncta quæ nouit. Hactenus Auguſtinus. Qui perquam clariſsimè docet, Deum quæ ſucceſsiuè fiunt, cuncta ſimul, & vnico intuitu cognoſcere. Id quod aſſerebat. D.Thomas in quarta concluſione. Huiuſmodi autem intuitiua cognitio, rem in ſua præſentialitate, dubio procul reſpicit ſemper, & in ea notat actualitatem.

Boethius quoque libro.5. de Philo. cõſolatio. proſa.6.& vltima, inquit: *Boethi.*
Omne nanque futurum diuinus præcurrit intuitus, & ad præſentiam propriæ cognitionis retorquet ac reuocat; nec alternat; ut tu æſtimas; nunc hoc nunc illud prænoſcendi vices; ſed vno ictu, mutationes tuas, manens, præuenit atque complectitur. Quam comprehendendi omnia viſendiq; præſentiam, non ex futurarum prouentu rerum, ſed ex propria Deus ſimplicitate ſortitus eſt. Ex quo illud quoque reſoluitur, quod paulò ante poſuiſti; indignum eſſe ſi ſcientiæ Dei cauſam futura noſtra præſtare dicantur. Hæc enim ſcientiæ vis præſentaria notione cuncta complectens, rebus omnibus modum ipſa conſtituit, nihil verò poſterioribus debet. Hæc ille. Et rectè quidem; quoniam ni Deus omnia ſimul quæ in tempore ſucceſsiuè eueniunt vnico cognoſceret intuitu; eius vtique ſcientia variabilis eſſet; proptereaꝙ cognitioni unius ſuccederet cognitio alterius. Et hoc eſt quod intendebat. D.Thomas in quarta, quam aſsignauimus concluſione; nimirum quia æternitas tota ſimul exiſtens, ambit totum tempus, & Dei cognitio menſuratur æternitate; ideo omnia, quæ ſucceſsiuè in tempore fiunt, ſimul optimè nouit; & omnia quæ ſunt in tempore, ſunt ei præſentia ab æterno.

Pulcher-

Pulcherrima doctrina, quæ duplici exemplo confirmari poteſt; altero quidem naturali, mathematico uerò altero. Naturale habemus ex D. Patre Auguſtino, qui libro de cognitione veræ vitæ, cap. 34., ait: Si lumen ponatur in medio, non minus in meis, & non magis lucet in alterius oculis; ſed in ſingulis totum, & in ſeipſo manet totum. Sic anima ubique in corpore, & in ſingulis membris eſt tota. Vnde tacto vno membro, dolet tota, non tamen tot tota; ſicut vox in auribus omnium non particulariter, ſed ſonat tota, & in ſeipſa remanet tota. Ita Auguſtinus. Quemadmodum igitur anima rationalis, quæ eſt forma ſpiritualis & indiuiſibilis, coexiſtit tota ſimul ſingulis partibus corporis humani, ob eius excellentiam & perfectionem; ita æternitas eſt menſura ſimpliciſsima & indiuiſibilis, quæ propter ſui eminentiam coexiſtit tota ſimul omnibus differentijs noſtri temporis, præteriti atque futuri. Et inde fit conſequens, ut omnia quæ erunt uel fuerunt in tempore, modò ipſi coexiſtant æternitati. Poſſumus deinde mathematica demonſtratione (quantum licet hæc inferiora ſupernis comparare) modum, ſecundùm quem æternitas totum ambit tempus oſtendere in hunc modum; Catharinum & Camerarium imitati.

Tom. 9.



Ex tali nanque figura facilè cognoſcitur totum tempus Petri, ab. A. uſque ad. B. terminari, & quomodo eiuſdem temporis plura nunc, ſub unico nunc æternitatis ſimul comprehendantur. Dei autem cognitio cùm æternitate menſuretur, quòd omnia illa nunc, ſeu temporis inſtantia ſimul cognoſcat, & intueatur unico & ſimplici intuitu, fit neceſſariò cõſequens. Licèt enim ipſius temporis nunc uaria & diuerſa, quæ in figura demonſtrantur ita ſe habeant, ꝙ unum eſt origine altero prius; nihilotamen ſecius

quia

quia ſub vnico æternitatis nunc ſimul comprehenduntur, Deus ipſe Benedictus ſimul oĩa cognoſcit, vnà cum eorũ varietate, prioritate, atq. poſterioritate; ꝙ ſcilicet vnũ eſt origine altero prius, ꝙ vnum non eſt aliud, & id genus alia. Vnde tpe iuſtificationis Petri, quod ſub ſecundo inſtanti deſignatur, non vidit Deus Petrũ ſub ira; atqui tpe præcedẽti, deſignato ſub primo inſtanti. Neq. è regione, Deus vidit Petrum eſſe iuſtũ, tpe quo ſub ira naſcebatur; & ſi ambo hæc duo ſub vnico ęternitatis nunc, ei pſentia ſint, & ſimul oĩa cognoſcat. Idẽ quoq. de reliquis erit iudicium; abnegationẽ nimirum Petri, Pœnitentiã Petri, necnon mortem, atq. Petri ſalutẽ, pro his tẽporibus Deũ vidiſſe, quæ ſub tertio, quarto, & quinto deſignãtur, tametſi cernat oĩa ſimul. Ex quo ſequitur, nunq̃ Deum Petri ſalutẽ, tanq̃ ſibi futurã, ſed tanq̃ præſentem vidiſſe, ſub eo tẽpore quo ſaluatur; quoniã ſcientia Dei eſt æterna, quæ neq. in pteritum, neq. in futurum tranſire põt; ſed vnicũ nunc ęternitatis habet. Et propterea quando dicimus ꝙ futura cõtingentia ſunt nũc præſentia in æternitate; non eſt ille ſenſus, ꝙ actualis exiſtentia futurorum contingentium menſuretur hoc inſtanti tẽporis præſentis. Hoc.n. eſt falſiſsimum. At intendimus hoc, nempe ꝙ in iſto inſtanti temporis pſentis, uerum eſt dicere, ꝙ futura contingentia ſunt præſentia in æternitate. Quoniã ſicut ad hoc vt aliquid ſit pſens noſtræ viſioni corporali, nil aliud exigitur, niſi ꝙ illud ſit viſibile, & adſit pro menſura durationis, qua menſuratur, & eſt, ipſa viſio noſtra. Ita pari paſſu, ad hoc vt aliquid ſit ſecundùm ſe pręſens diuino conſpectui, exigitur ꝙ ſit & adſit ſecundùm illam durationis menſuram, qua mẽſuratur viſio ipſa diuina. Hæc aũt cùm ſit æternitas, ſat eſt ꝙ ſint præſentia ſecundùm æternitatem, minimè autem præterita, neq. futura, licèt hæc eis inſint ſi ſecundùm tempus conſiderentur. Et quia pręſentia rei exigit eius exiſtentiam, propterea ſemper exiſtet in ordine tantùm ad illam menſuram in qua eſt præſens. Futura igitur contingentia exiſtunt in æternitate, quia in ea ſunt præſentia. Rei tamen præſentia actualis ſimpliciter accepta, nunq̃ venit conſideranda in ordine ad menſuram inadæquatã, & primam; at in ordine ad menſuram adæquatã, & propriam ipſius rei. AEternitas aũt eſt menſura omnium prima; quare in ordine ad eam, nõ eſt attendenda rei cõtingentis præſentia actualis, & exiſtentia ſimpliciter accepta; Vt valeat hunc in modũ inferre: Antichriſtus eſt præſens & exiſtens in æternitate; In hoc igitur inſtanti temporis eſt actualiter præſens & exiſtẽs. Nec intendit Beatus Doctor, ꝙ ſint præſentia ſecundùm modum eſſendi quẽ habent in diuina eſſentia, in qua ſunt virtualiter & eminenter; prout arbitrabatur Thomas Anglicus, in primo Theologicarũ ſent., d. 39., q. 2.; ſed eius intentio eſt, ꝙ ſint pſentia Deo in æternitate, ſecundùm illudmet eſſe quod habebũt extra ſuas cauſas, in tpe futuro; veluti docet Caiet. in prima par. Sũmæ Theo. D. Tho. q. 14., ar. 13., & Ferrarien. primo aduerſus gẽtiles, cap. 66., vnà cũ Dominico Bãnes, in prima par. Sũmę D. Th., q. 14., ar. 13. Hęc itaq. eſt ſentẽtia Beati Doctoris, ea qua potui facilitate diſcuſſa & exarata; quã nunq̃ Scotica ſubtilitas pcipere potuit. Vnde aduerſus eam multipliciter arguebat in primo ſent., d. 39.; quemadmodũ videbimus in cap. ſeq.

Rationes Scoti & aliorum aduerſus D.Tho. recenſentur. Cap. 23.

.1. RAtiocinatur aduerſus Beati Doctoris ſententiam Scotus, in præcitato loco, prima via in hunc modum: Quod non eſt, nulli coexiſtere poteſt; quoniam coexiſtere dicit relationem realem & relatio non eſt realis, cuius fundamentum non eſt reale. Futura autem non ſunt. Quare nec poterunt coexiſtere æternitati.

.2. Amplius; Si effectus habet eſſe in ſeipſo reſpectu cauſæ primæ, ſimpliciter eſt in ſe. Quia reſpectu nullius habet verius eſſe Vnde illud quod dicitur tale reſpectu cauſæ primæ, poteſt dici ſimpliciter tale. Si igitur aliquod futurum ſit in actu reſpectu Dei, erit actu ſimpliciter; & ita impoſsibile eſt quòd poſtea ponatur amplius in actu.

.3. Adhuc; Si ſeſsio mea futura, non tantum quantum ad entitatem quã habet in eſſe cognoſcibili; ſed etiam quantũ ad entitatem quam habet in eſſe exiſtentiæ, eſt nunc præſens æternitati. Eſt igitur nunc producta in illo eſſe à Deo. Iſtam autem ſeſsionem Deus producet; Illud igitur quod iam ab ipſo eſt productum, iterum producetur in eſſe.

.4. Præterea; Doctrina iſta. D. Thomæ non iuuat ad id conuincẽdum quod præcipuè intendit, nimirum certitudinem ſcientiæ Dei reſpectu futurorum contingentiũ. Dicebat enim. D. Thomas: Omnia quæ fiunt in tẽpore ſunt præſentia æternitati. Idcirco Deus cognoſcit certè futura contingentia. Atqui huiuſmodi certitudo diuinæ cognitionis non põt cõuinci ex illa p̃ſentialitate, ſed eſt aliunde inquirenda. Quod quidẽ tali pacto deduci põt: Seſsio mea ſub ea ratione qua eſt futura, aut cadit ſub certa Dei notitia, aut non. Si detur primum, hoc igitur nõ prouenit ex eo quia eſt p̃ſens in æternitate, at ſecundùm ꝙ eſt futura. Si verò admittatur ſecundũ; Illam igitur Deus producit nõ prænoſcendo. Cùm autem fuerit actu producta, ipſam certò cognoſcet. Nouit igitur aliter facta quàm fienda, contra Auguſtinum de Ciuitate Dei, lib. 10. cap. 12.

Tom. 5.

.5. Item: Ponit Beatus Doctor ꝙ æuum Angeli eſt omnino ſimplex, coexiſtens toti tempori. Angelus ergo qui eſt in æuo, erit præſens toti fluxui tpis, & omnibus eius partibus; & ita cognoſcet naturaliter futura contingẽtia.

6. Vlterius; Sicut Deus eſt formaliter æternus, ita formaliter immẽſus. At propter ſuam formalem immenſitatem non coexiſtit locis non exiſtentibus, ſed ijs duntaxat quæ ſunt exiſtentia. Ergo nec propter ſuam æternitatem coexiſtit partibus temporis non actualiter exiſtentibus, ſed præſentibus ſolùm. Hæc ratio eſt confirmatio primæ.

Aureolus. Huic ſententiæ Scoti ſubſcribunt alij, & præcipuè Aureolus, in primo Theologicarum ſent., d. 26., q. 1.; Propterea eius rationes quæ maiorẽ habent apparentiam, & ab illis Scoti diuerſitatẽ, enarrabimus, & ſoluemus.

.1. Sit igitur hæc prima ratio: Nulla relatio realis ponenda eſt in Deo in ordine ad creaturam. Præſentia autem ad aliquod tempus, dicit relationẽ ad ipſum; quandoquidem præſens dicitur alicui præſens. Non igitur poteſt

dici

dici quòd Deus ſit tempori coexiſtens per modum præſentialem.

Item; Præſentia eſt relatio ſimultatis, fundata ſuper vnitate durationis, .2.
vel ſitus; Deus autem nullam habet durationem formaliter; quoniã duratio
omnis eſt formaliter quædam diſtenſio prioris & poſterioris, vel terminus
illius diſtenſionis; & ita tempus, vel nunc temporis. Quæ cùm ipſi Deo mi-
nimè competant, ꝙ nec ſit præſens alicui tempori neceſſum eſt fateri.

Rurſus; Si poneretur humanitas abſtracta modo quo ponebat Plato; ab- .3.
ſtraheretur à loco, ſitu, tempore, & coexiſtentia cum eiſdem. Cùm itaque
Deus non ſit niſi diuinitas ſubſiſtens, & abſtracta ab omni loco, ſitu, & tẽpo
re; ꝙ ſit etiam abſtracta à coexiſtentia cum eis, fit neceſſariò conſequens.

Ad hęc; Coexiſtere ipſi nunc tpis, eſt eſſe ſimul cũ eo. Deus autem nullo .4.
modo eſt ſimul cũ nunc temporis; quia tunc eſſe Dei, & nunc tẽporis clau-
derentur vnica menſura. Nihil eſt igitur dictu, ꝙ Deus coexiſtat tempori.

Præterea; Si ſit aliquod attingibile continuum & diuiſibile, attingens ue .5.
rò indiuiſibile; attingentia nihilominus erit ſemper continua & diuiſibilis.
Decurſus aũt temporis eſt diuiſibilis, pariterq́. continuus. Etſi igitur æter-
nũ ſit indiuiſibile, nõ poterit attingere totum tpis decurſum, vna & ſimpli-
ci attingentia; immo continua & diuiſibili; quod ſuperq́. ſatis à ueritate
abhorret. Prior iſtius ratiocinij pars ex eo conſtat, ꝙ ſi punctus attingeret
continuũ, & ſuper ipſum moueretur; alia eſſet attingentia qua coexiſteret
primæ parti continui, ab illa qua coexiſteret alteri parti. Idem patet in cen
tro, quod dicitur præſens cuilibet puncto circunferentiæ; & per aliam &
aliam lineam, attingit aliud & aliud punctum. Et hoc ideo, quia attingẽtia,
ſeu præſentialitas apprehenditur per modum habitudinis, mediantis inter
attingens & attactum. Habitudo autem multiplicatur ratione extremorũ;
quia impoſsibile eſt inter punctum indiuiſibile, & multa alia puncta, adinui
cem diſparata, vnicam lineam mediate.

Amplius; Creatio paſsiua eſt quædã creatura, & tamen non eſt ipſi Deo .6.
præſens. Quia crearetur modò anima Antichriſti. Nulla igitur creatura fu
tura habet actualiter ſimultatem cum Deo.

Item; quæ dicuntur ex tpe de Deo, non inſunt ei ab æterno. Non.n. ab .7.
æterno creauit. Si aũt præſentia dicat ſimultatẽ aliquam, relatio ſimultatis
eſſet realis ex parte creaturæ, & rationis ex parte Dei; & ex cõſequenti nõ
erit niſi denominatio noua dicta de Deo; q̃a ex poſitione reali ipſius crea-
turæ. Non igitur poteſt attribui præſentialitas Deo ab æterno.

Addit Lelius Ballionius in ſuo tractatu de prædeſtinatione, cap.4., ꝙ ſi *Ballionius.*
res coexiſtunt æternitati, vt cum ipſo Deo in nunc ęternitatis exiſtãt, neceſ .1.
ſariò oportet. Ex quo ſequitur ꝙ ſint ab æterno, & nõ in tpe productæ. Quã
doquidẽ ſimultas eſt relatio realis, quę requirit extrema in actu. Coexiſtere
aũt dicit ſimultatẽ realem actualẽ. Quare ſunt ab æterno; quod eſt abſurdũ.

Item; Vel habent eſſe reale, vel rõnis. Si primũ admittatur, habeo inten- .2.
tum. Si uerò ſecundum, illud neceſſariò conſequitur, ꝙ nihil ſint. Quoniam
eſſe rationis factum eſt ab intellectu noſtro; qui cùm nondum ſit, nec ipſum
erit eſſe rationis; Quare nihil erunt ipſæ res.

Amplius; Volunt ipſi D. Tho. diſcipuli, vnà cum eorum Magiſtro, ꝙ ex .3.

hoc quòd res coexiſtunt æternitati, Deus cognitionem habeat determinatam & infallibilem. Sequitur ergo quòd aliquod extra Deum exiſtens, Dei terminat cognitionem; quod minimè admittendum uenit.

Argumenta aliorũ. .1. Arguitur; inſuper; ex alijs tali pacto: Si res præſentes, præteritæ, atq. futuræ, coexiſtunt Dei æternitati, coexiſtunt ẽt ſibiipſis & ita præteritũ & futurũ erunt ſimul vtpotè Adã & Antichriſtus; quod eſt nimis abſurdum. Id quod cõſequitur ex eo maximè conſtat, ꝙ quæ ſunt idẽ vni tertio, ſunt idem inter ſe; quæ igitur coexiſtunt uni tertio, ſ. æternitati, coexiſtunt inter ſe.

.2. Præterea; ſtante huiuſmodi doctrina, duo inter ſeſe verificarentur contradictoria. Proptereaꝗ vtraq. iſtarum erit vera: Antichriſtus eſt in æternitate, Antichriſtus non eſt in æternitate. Prima nanq. eſt vera ex D. Tho.; quoniam Antichriſtus dicitur eſſe in æternitate, ex eo quia habebit eſſe in aliqua temporis differentia, quam æternitas ambit. Eadem itaque ratione, vera erit & ſecunda; quandoquidem Antichriſtus non habet eſſe in aliqua temporis differentia, quam æternitas ambit.

Et Confirmatur; Quoniam per regulam dialecticam, valet arguere ab infinito ad finitum, hunc in modum: Antichriſtus habet non eſſe in æternitate. Ergo Antichriſtus nõ habet eſſe in æternitate. Id quod antecedit ex eo patet, quia Antichriſtus non habet eſſe in differentia tẽporis præſentis, cui æternitas optimè correſpondet.

.3. Arguunt tertiò ad hunc modum: Deus cognoſcit futura contingentia quatenus ſunt ei præſentia. Non igitur futura cognoſcit, ſub ea ratione formali, qua futura ſunt. Hoc autem à veritate abhorrere, pro comperto habemus. Illud igitur etiam ex quo effluxit.

.4. Item; Si Antichriſtus nunc in æternitate exiſtit, iam erit creatus. Quoniam non poteſt exiſtere niſi media creatione. Id autem quod conſequitur eſt omnino abigendum. Quare & illud ex quo emanauit.

Prænarratæ rationes diſſoluuntur. *Cap. 24.*

EX ijs quæ in præcedentibus recenſuimus ratiocinijs, facilè conſtare poteſt, an eorũ authores, mentem perceperint D. Doctoris, necne. Si

Ad primũ Scoti. quidẽ Scotus in primo ſuo motiuo ſuperq. ſatis deficit, cũm inquit futura cõtingentia nõ eſſe. Non. n. ſunt in hoc tpe, ſunt nihiloſecius in æternitate. Cum itaq. arguit dicens: Non ſunt in hoc inſtanti tẽporis. Non igitur exiſtunt æternitati. Eſt proceſſus à minori ad maius negatiuè; ſeu ab eo quod eſt minus, ad id quod eſt magis amplũ, qui non admittitur. Exiſtit igitur futurum contingens; vtpotè Antichriſtus; in æternitate, & eſt præſens Deo, non pro tẽpore præſenti, ſed pro eo quo verum erit dicere: Antichriſtus eſt. Quemadmodum in figura quam ſupra deſcripſimus facilè inſpicere poſſumus. Ob id tamen non eſt inferendum, ꝙ Antichriſtus ſit actu ſimpliciter, & abſolutè; veluti arbitrabatur Scotus in ſua ratione ſecunda.

Ad. 2. In qua dicebat: Si aliquod futurum eſt in actu reſpectu Dei, erit actu ſimpliciter. Conſequutio nanque uenit omnino neganda. Quoniam tametſi quod dicitur tale reſpectu cauſæ primæ, poſſit dici ſimpliciter tale pro menſura

ſura ſibi propria & adæquata; non propterea ita eſt, ſi pro diuerſis menſuris intelligatur, quod de re ipſa dicitur ad primam cauſam comparata, & in ſe ſimpliciter accepta. Vnde ſi dicatur: Reſpectu primæ cauſæ Antichriſtus eſt in actu pro tempore præſenti; eſt igitur in actu ſimpliciter; utique uerum dicitur, dato ꝙ ſit. Si autem dicatur: Antichriſtus eſt in actu reſpectu Dei in æternitate; Igitur eſt in actu ſimpliciter; nullam in ſe continet ueritatem. Quandoquidem eſſe in actu, quod dicitur de re ad primam cauſam comparata, & in ſe ſimpliciter accepta, pro diuerſis intelligitur menſuris; æternitate nempe atque tempore. Quare ſi dicamus etiam: Antichriſtus eſt in actu reſpectu Dei, uerificatur pro menſura præſenti, quæ eſt ęternitas. Si uerò dicamus; Antichriſtus eſt in actu: intelligitur pro pręſenti menſura, quæ eſt tempus. Idcirco primum eſt uerum, ſecundum uerò falſiſsimum.

Per idem quoque, eius tertium argumentum relinquitur ſolutum. Conſequutio nanque negatur, cùm dicit: Si ſeſsio mea eſt pręſens ęternitati in eſſe exiſtentię, Erit igitur in tali eſſe ſimpliciter producta. Quoniam cùm dicitur ꝙ ſeſsio mea eſt pręſens ęternitati, ſiue Deo in æternitate, non intelligitur ꝙ ſit pręſens in hoc pręſenti tempore; ſed in aliqua menſura pręſenti, quæ eſt ęternitas. Intelligitur autem ꝙ ſit ſimpliciter producta & abſolutè, quando eſt in tempore, ſermonem nostrum menſurante. Vnde eſt proceſſus à magis amplo ad minus amplum, affirmatiuè; qui à uera Dialectica nimis abhorret. Vt ſi dicatur: Socrates eſt in noſtro Conuentu, conſequens igitur ſit, ꝙ ſit in mea Cellula. Princeps poteſt expugnare ciuitatem. Igitur & priuatus miles. Conſequutionem eſſe falſam, etiam illi qui à limine tantùm ipſam Dialecticam ſalutarunt, optimè norunt. Quare tres iſtę rationes eadem infirmitate laborant. *Ad 3.*

Quarta etiam ſatis eſt ruinoſa, quandoquidem minor propoſitio eſt omnino falſa. Cumq. eam probare intendit, exquirendo nunquid ſeſsio ſua ea ratione qua eſt futura, ſub Dei cadat certa notitia & infallibili, nec ne? Reſpondetur affirmatiuè, ex parte obiecti ſecundariò cogniti loquendo ſemper, prout eſt in cauſis determinatis, non autem ex parte cognoſcẽtis. Quoniam Deus ex parte cognoſcentis, futura contingentia minimè cognoſcit, ſi uelimus loqui formaliter, atqui potius pręſentia. Et cùm infert Scotus: Non igitur ex eo ꝙ futurũ contingens eſt Deo pręſens in ęternitate, cognoſcitur ab eo, ſed quia eſt futurũ; Negatur illatio. Hoc utique uerũ eſſet, ſi Deus ex parte cognoſcentis, futurũ contingens ſub ea ratione qua eſt futurũ agnoſceret. Tunc.n. ab eius futuritione certitudinẽ deſumeret ſuę cognitionis. At cùm dicimus ꝙ illud cognoſcit ex parte obiecti ſecũdariò cogniti; ſenſus eſt, ꝙ cognoſcit illud nobis eſſe futurũ. Quod tamen eſt ei pręſens. Propterea quando ſubdit: Aliter igitur cognoſcit Deus facta q̃ fienda; non tenet argumentũ. Teneret quidem, ſi Deus ipſe, Benedictus ex parte cognoſcentis, ea quę ſunt in actu, ut p̃ſentia cognoſceret; ea uerò quę futura ſunt, ut in cauſis, & ut futura formaliter; ita ut ab eis certitudinẽ deſumeret ſuę cognitionis. Seu ſi facta certò cognoſceret; fienda uerò non niſi per coniecturam. Seu facta ut in ſe; fienda uerò, ut in cauſis; quemadmodum & nos. Verùm Deus non ita cognoſcit; at omnia ſimul, & ut ſibi *Ad 4.*

 pręſen-

præſentia. Licèt eadem cognoſcat prout ſunt futura nobis, in propria temporis menſura. Et horum primum cognoſcendi modum, comprehendimus nos ſub Dei cognitione ex parte cognoſcentis. Secundum autem, ſub cognitione ex parte obiecti ſecundario cogniti. Vnde valde aberrat Scotus, quando dicit quòd ni Deus cognoſcat eius ſeſsionem ſub ea ratione qua eſt futura, illam producit non prænoſcendo, cognoſcit autem poſtquàm eſt in actu producta. Quoniam futurum nunquam attenditur penès ipſum Deum; atqui ſemper conſideratur ex parte noſtri. Quocirca res ipſa in ſe conſiderata, aliter ſe habet ad Dei cognitionem ut eſt in actu: & aliter vt eſt in potentia. Quia primo modo eſt in ſeipſa; ſecundo autem modo eſt in cauſa. Si autem conſideretur reſpectu Dei, eſt ſemper in actu & præſens.

Si itaque dicamus: Deus non deſumit certitudinem & infallibilitatem ſuæ cognitionis à futuritione ſeſsionis meæ, ſed habet eam ſemper ſibi præſentem. Ergo eam producit non prænoſcendo. Nónne conſequutio eſt ineptiſsima? Si dicant quod Scotus loquebatur ex parte cognoſcentis; an neſcit quòd Deo nulla aduenit noua cognitio?

Ad. 5. Sed quintam eius aggrediamur rationem. Pro cuius ſolutione, id quod conſequitur inficiamur omnino. Propterea Angelus reſpectu æui, & Deus reſpectu æternitatis non tendunt de pari. Nam æternitas vſqueadeo eſt tota ſimul, ut nullam in ſe patiatur ſucceſsionem neque diuiſionem, minuſué in re æterna, tam reſpectu eſſe, quàm reſpectu operationis. AEuum autem licèt ſit totum ſimul, & nullam habeat partium diuerſitatem; in re tamen æuiterna, aliquam patitur ſucceſsionem & diuiſionem; non quidem in eſſe ipſius, quia eſt totum ſimul; aſt in operatione. Angeli ſiquidem operatio, qua res alias à ſe diſtinctas intelligit, non eſt tota ſimul; ſed vni intellectioni ſuccedit alia; idcirco non menſuratur æuo, ſed tempore diſcreto; quod habet ſucceſsionem. Vnde plures intellectiones angelicæ tempore menſurantur diſcreto; vna verò menſuratur unico inſtanti temporis diſcreti. Et quia ſpecies intelligibilis eſt principium intelligendi in ipſo Angelo, & eius repræſentatio reſpectu temporalium non menſuratur æuo, atqui de nouo aduenit, & non eſt tota ſimul, ſed ſucceſsiua iuxta ipſarum rerum ſucceſsionem in eſſe; propterea Angeli non cognoſcunt naturaliter futura contingentia.

Ad. 6. Sexta quoque Scoti ratio, idem cum prima concipit uitium; quando putat omnes partes temporis actualiter minimè exiſtere: Non quidem exiſtunt ſimpliciter & abſolutè; exiſtunt tamen in æternitate, & reſpectu Dei; quemadmodum crebrius diximus.

Scotiſtarum impugnatio. 1. Scotiſtæ nihilotamenſecius hanc ſui ipſius magiſtri doctrinam ſuſtinere, atque defendere contendunt. Et præcipuè Lychetus in primo ſenten., d. 39., q. vnica, & Bargius ibidem. Primus nanque animaduertit in illud quod de rerum contingentium præſentialitate reſpectu æternitatis diximus; nimirum quòd ſunt præſentes Deo in æternitate, ſecundùm illudmet eſſe quod habebunt extra ſuas cauſas in tempore futuro; exquirens, nunquid de rebus actu ſimpliciter exiſtentibus, & æternitati coexiſtentibus,

ſermonem

ſermonem habeamus; an potius de rebus non in ſe actu ſimpliciter exiſtentibus, at quatenus æternitati duntaxat exiſtunt? Si primo modo, ducit ad inconueniens, & hunc ſenſum dicit aduerſari. D. Tho. in ea quam recenſuimus littera. Si verò ſecundo modo rem ipſam intelligimus, manifeſtè patet; inquit; ꝙ argumenta Scoti contra hoc facta non ſunt ſoluta; nec iudicio peritorum virorum ſolui poſſunt; loquendo ſemper de rigore ſermonis; nempe ꝙ temporalia coexiſtant æternitati, & ſint ei præſentia. Quoniam præſentia eſt relatio realis, & per conſequens inter extrema realia, & realiter diſtincta.

Secundo loco quærit, quomodo Antichriſtus nunc ab intellectu diuino cognoſcatur; qui tamen eſt verè futurus, & à cauſa determinata; vt patet. .2.
Si dicatur ꝙ per æternitatem, cui omnia ſunt ſimul præſentia; Vrget ſtatim in hunc modum: Futurum ut futurum, & in ſe non exiſtens, nulli eſt præſens. AEternitas igitur non eſt ratio præſentialitatis. Vt aliam itaque aſsignemus cauſam, quare futura cognoſcat, neceſſariò oportet. Si enim futura vt futura certò non nouit; Illa igitur producit non prænoſcens. Cognoſcit autem cùm fuerint producta. Nouit itaque aliter facta quàm fienda; contra Auguſtinũ. Multa alia dicit uir iſte aduerſus huiuſmodi. D. Tho. doctrinam, & expoſitionem doctiſsimi Caietani, quæ re vera ſunt indigniſsima viſu; proptereaꝙ non intelligendo quæ dicit vir ille doctiſsimus, arguit ſemper à magis amplo, ad minus amplum affirmatiuè, & idem repetit quod Scotus.

Quocirca illa omittendo, ad eius tertium principale dictum deſcendo. .3.
Arguit itaque aduerſus ſolutionem quintæ rationis Scoti in hunc modum: Sicut totum tempus & omne temporale eſt præſens æternitati, & contra recurrit oratio; æternitas nempe & æternum eſt præſens toti tempori, & omni temporali. Ita à paritate terminorum, ſi exiſtentia Angeli menſuratur æuo, & æuum eſt omnino ſimplex, atque toti tempori & omni temporali coexiſtens; Angelus igitur ut æuo menſuratus & in eo exiſtens, habebit præſens totum tempus, & omne temporale. Et ita poterit naturaliter cognoſcere futurum. Vnde ſuperſtes adhuc ſtat ratio Scoti; eo non obſtante, ꝙ operatio angelica non menſuretur æuo. Idem uult habere Iacobinus Bargius; addendo ꝙ expoſitio Caietani eſt contra mentem D. Tho.; qui loquitur; inquit; de nunc temporis; & Caietanus uult eum loqui de nunc æternitatis.

Cæterùm nugæ iſtæ; quoniam cùm dicunt in prima ratione quòd præſentia dicit relationem realem, & per conſequens inter extrema realia, & inter ſeſe realiter diſtincta; libens admittimus. Aſt cùm ſubdere uolunt, Ad.1.
extrema haudquaꝗ eſſe realia, & inter ſeſe realiter diſtincta, id inficiamur omnino. Propterea quòd licèt creatura quæ nobis eſt futura, non fundet relationem realem ad æternitatem, pro illa temporis parte, qua nondum eſt actu ſimpliciter fundat tamen pro illo tempore, quo actu eſt. Quemadmodum Antichriſtus non fundat relationem præſentialitatis ad Deum, pro tempore quo fuit Lychetus, uel quo ſum ego; at pro tempore, quo ipſe erit; quod quidem tempus, eſt nihiloſecius præſens æternitati; ueluti ſuperius

ſuperius optimè declarauimus. Sed hæc ipſi non intelligunt.

Ad.2. Minuſq. percipiunt ea quæ ſecundo loco adducunt; quandoquidem mordicus volunt, Deo aliquid eſſe futurum, & quòd ipſe futurum cognoſcat, ſub ea ratione qua eſt futurum, ex parte cognoſcentis; quod tamen eſt blaſphemum; cum omnia nuda ſint & aperta oculis eius. Ex parte uerò obiecti ſecundariò cogniti, uerum eſt quòd futurum cognoſcit ſub ea ratione qua eſt futurum; ideſt uidet & cognoſcit hoc & illud nobis eſſe futurum; non tamen certitudinem ſuæ cognitionis deſumit ab eo. Veluti ſuperq. ſatis diximus in ſolutione ad quartum Scoti. Cui cùm nihil ipſe addat, ſed idem ſimpliciter repetat, nec nos ulterius progrediemur; maximum cùm ſit uitium, idem crebrius abſque neceſsitate repetere.

Ad.3. Ad id uerò quod tertio inducebatur loco, facilè reſpondetur, ſi eius ſimilitudinem eamus inficias. Nempe quòd ſicut æternitas coexiſtit toti tempori & omni temporali, & ècontra; ita etiam æuum. Hoc enim non eſt neceſſum. Quandoquidem ſi æternitas coexiſtit toti tempori, & omni temporali, illud inde prouenit, quia tempus & omnem aliam menſuram continet eminenter. Et hoc ideo, quia eſſe diuinum infinitum, quod menſuratur ęternitate, continet eminenter omne aliud eſſe, quod menſuratur alijs menſuris: vt ſemper ſit proportio inter menſuram & menſuratum. Quia igitur Dei cognitio menſuratur ęternitate, & futura contingentia coexiſtunt ęternitati; idcirco Deus illa naturaliter cognoſcit. AEuum autem non continet tempus eminenter, quia angelicum eſſe non continet eminenter eſſe horum inferiorum, quod tempore menſuratur. Quo fit, ut non toti tempori, nec omni temporali ſimul coexiſtat; nequidem hoc ſit neceſſum, ea quam præinduximus ratione. Quod cùm ita ſit, nec tempus nec temporalia ipſi æuo coexiſtere poſſunt, ad ſenſum quem Lychetus & Bargius intendebant. Ceterùm dato etiam quòd futura contingentia æuo coexiſterent, ob id Angelus ea minimè cognoſceret; quandoquidē, cùm eius notitia qua res à ſe diſtinctas intelligit & cognoſcit non menſuretur æuo; non coexiſterent menſurę cognitionis angelicę; quod tamen eſt neceſſarium, ad hoc ut ea intelligere queat. Volumus nihiloſecius, & ſi ęuum ſit totum ſimul, quòd omnibus inſtantibus temporis coexiſtat, & habeat ſucceſsionem uirtualiter. Quemadmodum eſſe diuinum eſt in hoc & alio inſtanti, ſine ſucceſsione. Sed de hoc non eſt noſtrum diſputare modò. Quòd uerò expoſitio Caietani aduerſetur. D. Tho.; veluti Bargius arbitrabatur, iudicium relinquatur ijs qui eius dicta, vnà cum noſtris in ſuperioribus habitis, rectè examinarunt, & expendendo perceperunt, ad aliaq. pedem conuertamus. Nam libido contradicendi, fecit eos unà cum magiſtro, in multis deceptos abire.

Ad.5. Aureoli. Aureolus quoque eſt in eadem naui; cuius quidem prima ratio, per interemptionem poſterioris orationis optimè ſoluitur. Falſum ſiquidem eſt, & à veritate omnino alienum, quòd pręſentia Dei ad creaturam, ſit relatio realis, ex parte Dei, ſed eſt tantùm rationis; realis uerò ex parte creaturæ.

Impug. Stante nihilominus huiuſmodi reſponſo, e ueſtigio urget ipſe Aureolus, hunc in modum: Præſentia eſt relatio ęquiparantiæ, ſicut amicitia; Non

poteſt

poteſt igitur dici, ꝙ creatura ſit Deo præſens, quin etiam dicatur quòd Deus eſt ei præſens.

Pro diſſolutione iſtius argutiei, id quod conſequitur abigendum uenit. Propterea quòd licèt præſenrialitas ſit relatio æquiparantiæ, ob id tamen non eſt neceſſum quòd ſit ex vtraq. parte realis; veluti de ſimilitudine Dei ad creaturam, & huius ad illum, & de diſtinctione vtriuſque adinuicem, optimè conſtat. *Solutio.*

Secunda quoque ratio eodem poteſt tramite ſolui; minorem ſcilicet negando propoſitionem. A veritate ſiquidem prorſus abhorret, quòd Deo non conueniat duratio formaliter. Cumq. negatum probare intendit, ex eo quia duratio eſt formaliter diſtenſio quædam Prioris & poſterioris, vel terminus ipſius diſtenſionis; illud in creaturis admittendo, in diuinis abſolutè inficiamur. Duratio nanque vnicam non habet rationem, ſeu non dicitur uniuocè, de Deo & creatura; quemadmodum nec ſapientia; quæ eſt in creatis qualitas, in Deo autem ſubſtantia. Et ſi in rigore ſermonis perſiſtere velimus, id quod ipſe arguens tanquam uerum ſimpliciter ſupponit, nos uolumus eſſe falſum. Nempe ꝙ ratio formalis durationis, in quadam extenſione conſiſtit. Quandoquidem continuitas, vel extenſio, non eſt de ratione durationis, ſed per modum numeri, vel vnitatis actualitatis ipſius concipitur ſemper. Nomina enim durationem ſignificantia, ad aures omnium ferè Theologorum ſunt tria, AEternitas ſcilicet, AEuum, & Tempus; quæ quidem duratio attenditur ſemper, ſecundùm ꝙ aliquid eſt in actu. Quoniam tandiu res durare dicitur, quandiu eſt in actu. Actus autem duplex eſt; incompletus nempe & completus; verùm completus adhuc eſt duplex; alter cum principio & fine fine, ſine principio & ſine alter. Primo, qui eſt motus, reſpondet tempus; quia motus eſt actus exiſtentis in potentia, ſecundùm quòd huiuſmodi; dicebat Ariſtoteles in. 3. auſcultatorio libro; & tempus eſt numerus motus ſecundùm prius & poſterius; ex. 4. citati uoluminis. Cui quidem tempori accidit continuitas, ratione motus quem menſurat; eodem atteſtante Ariſtotele, quinto ſapientiæ libro, ſub 18. conſilio. Secundo autem actui, qui principium habet ſine fine, reſpondet æuum. Tertio demum, qui principio caret & fine, reſpondet æternitas. In actu igitur primo eſt ſucceſsio prioris & poſterioris; & hæc duo ſecundùm quòd numerantur per animam, habent rationem menſuræ per modum numeri. In actu autem completo non datur prius & poſterius, nec ſucceſsio; quare menſura quæ ei reſpondet, non eſt per modum numeri, at potius per modùm unitatis. Quemadmodum igitur prius & poſterius temporis prout intelliguntur numerata, temporis complent rationẽ; ita permanentia actus, quatenus intelligitur in ratione unius quod habet rationem menſuræ, rationem complet æui, pariterq. æternitatis. Ex quo patet ꝙ continuitas uel extenſio non eſt de ratione ipſius durationis, nec etiam temporis. Quod tamen uolebat Aureolus ſolùm eſſe durationem; contra communem omnium Theologorum opinionem, atq. ſententiam. Et hinc eius deceptio originem traxit. Sed de his hactenus. *Ad. 2.*

Ad tertium ratiocinium conſtat quid dicendum ex ijs quæ in ſuperiori- *Ad. 3.*

bus ha-

bus habuimus. Siquidem cùm dicit quòd ſi poneretur humanitas eo modo quo illam ponebat Plato, abſtraheretur à loco, ſitu, & tempore; omnia libenti animo concedimus, in hoc ſenſu; quòd ſcilicet non indigeret tempore, loco, nec ſitu. At cùm addit, quòd itidem abſtraheretur à coexiſtentia cum eiſdem; hoc conſtantiſsimè negamus. Abſtrahere enim à tempore contingit dupliciter; Primò, quia tempori nullatenus coexiſtere poteſt. Et in hoc ſenſu, priorem orationem negamus omnino. Secundò, quia tempore minimè indiget. Et hoc pacto admittimus ratiocinium; verùm noſtrum inſtitutum nequaquam impugnat. Propterea quòd cum eiuſmodi abſtractione optimè ſtat concomitantia temporis.

Ad.4. Quartæ uerò deductionis falſa eſt media propoſitio, itemq́. eiuſdẽ comprobatio. Non enim approbamus, quòd ſi Deus ſit ſimul cum nunc temporis, quòd etiam unica claudantur menſura ſibi adæquata; verùm quòd utiq. ſunt in eadem menſura; Deo quidem adæquata, nunc verò tẽporis inadæquata, & excedente. Vnde ſi dicamus: Motus eſt, Angelus eſt, & Deus eſt. Tunc ſi loquamur de nunc temporis, motus eſt in tempore, tanquam in menſura ſibi adæquata; Deus autem & Angelus, in eo duntaxat ſunt per concomitantiam. Si uerò de nunc æternitatis ſermonem habeamus, ita ſcilicet vt uelimus illa tria eſſe in nunc æternitatis; tunc Deus eſt in eo, tanquam in ſibi adæquata menſura. Angelus autem & motus in eo ſunt, veluti in menſura ſuperexcedente. Cùm itaque ait arguens: Deus & nunc temporis ſunt in eadem menſura. Igitur in unica menſura clauduntur ſibi adæquata. Negatur illatio.

Ad 5. Itemq́. Prior oratio; ſeu; vt dicunt noſtri; maior propoſitio negatur quintæ rationis, ſi de attingentia loquamur, ex parte attingentis indiuiſibilis. Cùm probat, dicimus quòd eſſet alia & alia attingentia reſpectu attacti, non autem attingentis indiuiſibilis; ſed eſſet ſemper eadem. Id quod perquam clariſsimè conſtat in exemplo ab ipſo arguente allato; nimirum de centro & circunferentia. In qua plura cùm ſint puncta, multiplicatur quidem attingentia ex parte illorum punctorum; at ex parte puncti centralis, non eſt diuerſa, ſed vnica. Vnde uerum eſt quòd per aliam & aliam lineam attingit aliud & aliud punctum in circunferentia; ſed huiuſmodi lineæ protractæ à centro ad circunferentiam, non ſunt inter ſeſe diſtinctæ, ex parte ipſius puncti centralis, at ſolummodo ex parte circunferentiæ. Quoniam in centro nullam habent diſtinctionem, ſed in eo uniuntur omnes; & quantò magis ab eo recedunt, tantò magis ab inuicem diſtant; & quanto magis ad punctum accedunt, tantò minus diſtant. Quando uerò addit, quòd huiuſmodi attingentia apprehenditur, & concipitur per modum habitudinis; libens admittimus. Verùm cùm ſubdit quòd habitudo multiplicatur ratione extremorum; illud ſimpliciter negamus, nec tanq̃ generatim uerum acceptamus. Idem ſiquidem Pater, ad multos filios eadem paternitate refertur. Relatio enim non multiplicatur, niſi multiplicato fundamento; & quia punctus centralis per idem fundamentum fundat præſentiam ad omnia puncta circunferentiæ, & non conuertitur; idcirco attingentia, ſeu præſentia ex parte eius eſt unica; ex parte uerò pun-

ctorum circunferentię, multiplex. Ita in propoſito, præſentia Dei ad omnes partes temporis non fundatur in diuerſis partibus æternitatis, atqui in tota ipſa æternitate. Huius autem indiuiſibilis virtutis, imagines plures in ipſis etiam ſenſibilibus reperiuntur. Dato ſiquidem; exempli gratia; procedendi ſigno ab alicuius exercitus Imperatore, patet, ſigni huius vim ad omnes quidem exercitus partes, ſimul, & indiuiſibiliter perduci; cùm tamen hæ omnes partes huic edicto obtemperantes, non indiuiſibiliter, ſed ſerie quadam ſeruata iter ſuſcipiant. Alias enim præcedere neceſſum eſt, alias uerò ſequi, idq́. longiori, aut breuiori temporis intercapedine, prout ipſarum uiarum anguſtiæ, procedentiumq́. commoditas exquirunt. Itidem tempus, ſimul & temporalia, ſucceſsionem temporalem continent, cùm tamen ipſa æternitas, & nouitatem & ſucceſsionem omnem reijciat. Et ſicut lumen lucernæ in oculis omnium aſtantium totum lucet, & in ſeipſo totum manet, non à ſeipſo recedit ut ad præſentes perueniat, nec unũ relinquit vt alij luceat, ſed potius ſingulis & omnibus ſimul totum lucet, & in ipſo totum manet: ſic Deus vbique & in omnibus eſt totus, & in ſeipſo permanet totus, & à ſe non recedit, ſed cuncta in ſe colligit. Exemplum eſt D. Patris Auguſtini, libro de cognitione veræ vitæ, cap. 29.; ex quo facilè colligitur, ꝙ Deus unica præſentialitate eſt omnibus præſens, & unica attingentia omnia attingit; quemadmodum & anima, unica eſt præſentialitate omnibus membris præſens, & vnica attingentia eadem attingit. Hæc ad maiorem noſtrę doctrinę exaggerationem, & ut adoleſcentes facilius addiſcant dixiſſe voluimus. Nunc pergamus ad alia. *Tom. 9.*

Ad illa nempe, quę ſexto adducebantur argumento. cuius quidem antecedens oratio, duas cùm habeat partes, ſecundam inficiamur omnino. Quandoquidem paſsiua Antichriſti creatio eſt Deo pręſens, & actualiter coniuncta virtuti creatiuę Dei. Cumq́. probat, quia modò anima crearetur Antichriſti; id quod conſequitur minimè admittendum venit. Propterea quòd illud verbum (creat) cùm ſit pręſentis temporis, non niſi tempus pręſens ſecum admittere poteſt; Illud ſcilicet in quo nos hanc proferrimus orationem. Si autem ab huiuſmodi abſtraheret connotatione, vtique concedere poſſemus, quòd Deus actu creat animam Antichriſti; non tamen in tempore quo loquimur, ſed in alio. Quod nihilotamenſecius eſt Deo pręſens, licèt ſit futurum nobis; veluti in ſuperiori Figura optimè conſtat. *Ad 6.*

Septima uerò ratio illud ſolummodò conuincit, quòd pręſentialitas Dei ad creaturam, & creaturę ad Deũ, actualis & ſimpliciter accepta, non eſt ęterna; Id quod inſtituto noſtro minimè aduerſatur. Quoniam uolumus, Deum in tota ſua ęternitate, illam habere pręſentialitatem ad creaturam temporalem, & creaturam temporalem ad totam ęternitatem. Et in hoc ſenſu huiuſmodi reſpectus rationis Dei ad creaturam; ueluti ſunt reſpectus Creatoris, Domini, Saluatoris, coexiſtẽtis, pręſentis, & cęteri huiuſmodi, conueniunt Deo ab ęterno, ideſt in tota ſua ęternitate; licèt ei non conueniant in omni tempore. Et hac de cauſa dicuntur ei ex tempore conuenire; quia; inquam; non competunt ei in qualibet parte temporis. *Ad 7.*

Cum

Cum quo tamen ſtat, ꝙ ei conueniant in tota æternitate. Reſpectus autem Ideales, & qui operationem conſequuntur intellectus & uoluntatis, conueniunt Deo Benedicto in omni tempore, & in qualibet menſura; Idcirco dicuntur ei conuenire ab æterno; id eſt in tota æternitate, & in omni menſura. Id quod non conuenit primis reſpectibus.

Ad argumentum itaq. cùm dicit: Quæ dicuntur de Deo ex tempore, nõ inſunt ei ab æterno. Ad præmiſſum ſenſum negamus. Nempe: Non inſunt ei ab æterno, id eſt in tota æternitate. Cùm probat, quia Deus creaſſet ab æterno; Negatur illatio. Laborat enim in æquiuoco; quoniam arguit de conuenientia æterna pro tota æternitate, & pro qualibet menſura. Nos autem loquimur de tota æternitate ſola. Vt ſit ſenſus: Inſunt ei ab æterno; ideſt in tota æternitate. Cum quo ſtat, quòd non inſint ei pro qualibet menſura, & pro omni parte temporis; ueluti iam diximus. Vnde ſi dicuntur ei ex tempore conuenire, & non ab æterno; illud eſt ex parte noſtri tantùm.

Ad.1. Ballionij. Hanc eandem uiam inſequens Lelius Ballionius, ex quo res creatæ cũ ipſo Deo æternitati coexiſtunt, inferebat, eas ab ætetno ſimpliciter fuiſſe productas. Quoniam coexiſtere dicit ſimilitudinem realem, quæ eſt relatio realis, extrema requirens in actu. Verumenimuerò id quod conſequitur, à veritate nimis abhorret; cùm ſit proceſſus à magis amplo, ad minus amplum, affirmatiuè. Ad probationem concedimus ibi relationem realem; ex conſequenti extrema realia. Non quidem pro qualibet temporis parte; at pro illa tantùm, in qua res eſt actu ſimpliciter; ueluti ad primum Lycheti ſatis diximus.

Ad.2. Cumq. ſecundo loco exquirit, an ipſarum rerum ſit eſſe reale, uel rationis; primum admittimus. Cæterùm cùm dicit, ſe habere intentum; illud iterum negamus. Et eſt idem modus procedendi cum primo; quare & eodem modo diſſoluendus.

Ad.3. Tertio & poſtremo loco ad hunc modùm procedebat: Ex hoc quòd res coexiſtunt æternitati; Deus certam habet cognitionem & infallibilem. Aliquid igitur extra Deum exiſtens, Dei terminat cognitionem. Verùm non ſequitur. Quandoquidem infallibilitas & certitudo diuinæ cognitionis, non eſt deſumenda ex aliquo obiecto extrinſeco, at ex ipſamet diuina eſſentia. Quòd autem ad huiuſmodi cognitionem certam & infallibilem, exigatur ipſarum rerum præſentialitas, non eſt quia ex illa præſentialitate infallibilitas deſumatur diuinæ cognitionis; atqui eſt conditio, ſine qua minus intelligerentur, quemadmodum ſatis in ſuperioribus diximus.

Ad primum alterius partis. Proximum eſt modò, ut rationibus pro alia parte contendamus facere ſatis. Ad primam itaq. negatur illatio. Cumq. probatur ex eo, quia quæ uni tertio coexiſtunt, inter ſe coexiſtere uidentur; libenti animo illam admittimus propoſitionem, ſi illud tertium ſit quid ſimpliciſsimum formaliter, & virtualiter, cuiuſmodi non eſt æternitas. Quandoquidem licèt menſura ſit formaliter ſimpliciſsima atque indiuiſibilis; uirtualiter nihilominus ęquiualet omnibus differentijs temporis. Vnde argumentum peccat, à menſura communi, ad particularem procedendo; perinde ac ſi etiam

à com-

à communi loco ad particularem deſcendendo, conſequutionem hunc in modum erigeremus: Socrates & Plato ſunt in hac aula ſimul; Quare ſunt etiam ſimul in hac cathedra. Quod non ſequitur.

Illatio quoque pro ſecunda ratione eſt prorſus abigenda. Quoniam *Ad.2.* oratio illa negatiua, nempe: Antichriſtus non eſt in æternitate; eſt falſa. Nec eius ualet probatio cùm dicitur: Antichriſtus non eſt in æternitate, quia non eſt in aliqua temporis differentia, quam æternitas ambit. Propterea quòd ad illius propoſitionis veritatem, non ſufficit quòd Antichriſtus non habeat eſſe in aliqua particulari temporis differentia, ſed eſſet neceſſarium, quòd in nulla temporis differentia haberet eſſe. Et huius ratio eſt, quia negatio illius propoſitionis fertur ſupra totam æternitatem, quæ ambit omnes temporis differentias.

Per idem patet ad confirmationem; Id enim quod antecedit eſt ſimpliciter falſum. Quoniam cùm dico: Antichriſtus habet non eſſe in æternitate; æquiualet huic: Antichriſtus eſt non ens. Quare conſtat ex contradictorijs extremis. Ad probationem, ex præcedente reſponſo iam patet quid dicendum. Oporteret enim quòd haberet non eſſe pro qualibet temporis differentia; ea quam præinduximus ratione.

Aſt quid dicendum ad regulam illam logicalem, qua dicebatur quòd à *Dubitatio.* propoſitione affirmatiua de prædicato infinito, ad negatiuam de prædicato finito ualet conſequentia? Nam optimè ſequitur: Plato eſt non videns; ergo non eſt uidens. lapis eſt non homo; ergo non eſt homo. Ita pari ratione ſi dicamus: Antichriſtus habet non eſſe; Igitur non habet eſſe; optimè ſequitur.

Dicitur quòd regula illa eſt ſemper vera, & habet locum vbicunque antece- *Diſſolutio.* dens oratio de prædicato infinito eſt uera; in propoſito autem eſt falſa. Quare non negamus regulam; at id quod in ea ſtat pro fundamento; nempe antecedens. Quod quidem falſum cùm ſit, conſequens & ipſum falſum erit.

At quis poſſet adhuc importunè hunc in modum arguere: Ea ratione *Dubitatio.* conceditur, Antichriſtum eſſe in æternitate, quia habebit eſſe in aliqua temporis differentia, quam æternitas ambit. A paritate igitur terminorum, concedendum uenit, Antichriſtum non habere eſſe in æternitate, quia in aliqua temporis differentia quam æternitas ambit, non habet eſſe. Eſt enim hinc inde eadem ratio.

Dicitur quòd illa utique eſt ratio, quare concedimus Antichriſtum habere *Diſſolutio.* eſſe in æternitate; ſed cùm hac additione, quòd propoſitio illud enuncians, cadit & fertur ſuper totam æternitatem; & ita Antichriſtus habet eſſe in tota æternitate. Id quod etiam cùm faciat propoſitio negatiua, ſequeretur, Antichriſtum non habere eſſe in tota æternitate; quod eſt contradictorium primi. Si autem æternitas non eſſet in ſe tota ſimul exiſtens & indiuiſibilis, at eſſet continua, & ad modum temporis diuiſibilis, proculdubio illa duo contradictoria poſſent ſimul eſſe uera.

Atqui non eſſent propriè contradictoria; quia nõ eſſent reſpectu eiuſdẽ obiecti ſimpliciter; iuxta ea quæ notata reliquit ex Aphrodiſiade magnus ille peripateticus Alexãder, primo. lib. ſuarũ naturaliũ quæſtionũ, cap. 12., ſub

his uerbis: Neque quòd impoſsibile ſit contraria ſimul eidem ineſſe, eſt ſimpliciter uerum, ſed ſecundùm idem; nec ſimpliciter uoluptas dolori contraria eſt. Non enim omnis uoluptas omni dolori contraria. Non eſt enim uoluptati quæ eſt ex ſpeculatione, dolor qui eſt ex ſiti, contrarius; ſed quæ eſt ab eodem uoluptas, dolori qui eſt ab eodem, eſt contraria. Quos & impoſsibile eſt ſimul eidem ineſſe; neque enim ſimul uoluptate & dolore affici poſsibile eſt, ſpeculando quòd diameter eſt lateri incommenſurabilis. Ob id neque fameſcentem, dum fameſcit, poſsibile eſt ſimul uoluptate & dolore affici; cùm tamen dolore ex fame affectum, ſimul ex comeſtione uoluptate affici non eſt impoſsibile. Non enim eſt contrarius illi uoluptati huiuſmodi dolor; eſt enim dolor in indigentia, uoluptas uerò, in indigentiæ ipſius medela; idcirco, quouſque quidem fuerit indigens medela, medelam recipiens, uoluptate afficitur; ſimul autem medela indiget, & eſt in dolore. Quòd enim non ab eodem ſit uoluptas & dolor, manifeſtum eſt ex eo, quòd qui fameſcunt, non autem cibantur, dolore ſolùm afficiuntur; & eò quòd, qui cibantur, minuunt dolorem. Hoc pacto indigentia quidem doloris ſola eſt cauſa; repletio uerò uoluptatis. Scabioſi quoque, & ſcalpentes, non quia ſcalpunt ſe, dolore afficiuntur; ſed quia iterum indigent ſcalpore; quemadmodum & qui cibantur, quia adhuc indigent, dolore afficiuntur, non quia cibentur. Hæc ille.

Ex quibus perquàm clariſsimè conſtat, quòd delectatio & triſtitia ſunt contraria, ad idem ſimpliciter & omnino comparata; non autem ad diuerſa. Vnde ſi in uno & eodem ſubiecto, duo ſint ſuapte natura contraria, dummodo non ſint ratione unius & eiuſdem obiecti, non ſunt propriè contraria; ueluti in eſuriente iam ſatis conſtare uidetur. Siquidem in eo ſimul poſſunt eſſe triſtitia, & lætitia; illa quidem, reſpectu indigentiæ nutrimenti hæc uerò, ex aſſumptione cibi. Quæ cum non ſint ratione eiuſdem obiecti, nempe comeſtionis, uel eſuriei tantùm, non ſunt contraria; inquit rectè Alexander. Quemadmodum igitur duo contraria non ſunt propriè contraria, niſi ſint reſpectu eiuſdem obiecti, licèt ſint in eodem ſuſceptiuo, ita duo contradictoria non erunt propriè contradictoria, niſi ſint reſpectu unius & eiuſdem obiecti, etſi ſint reſpectu eiuſdem rei ſuſceptiuæ. Quocirca ſi dicamus: Antichriſtus eſt præſens Deo; Antichriſtus non eſt præſens Deo; ſunt quidem contradictoria; ſed negatiua eſt falſa. Necnon ſi dicamus: Antichriſtus non habet eſſe in æternitate; huiuſmodi negatiua eſt ſemper falſa; & affirmatiua ei oppoſita eſt ſemper uera; Quia ſunt reſpectu eiuſdem obiecti; nempe Dei, vel æternitatis. Et eſt idem ac ſi diceremus: Socrates eſt; Socrates non eſt; reſpectu eiuſdem temporis præſentis. Si uerò dicamus; Antichriſtus habet eſſe in æternitate; Antichriſtus non habet eſſe in æternitate; loquendo cum reſpectu ad diuerſas temporis differentias; tunc utraque illarum propoſitionum poteſt admitti; ſed non ſunt contradictoriæ, cùm non ſint reſpectu eiuſdem obiecti; ſeu eiuſdem temporis differentiæ. Et eſt ſimile huic: Socrates eſt pro tempore præſenti, & non eſt pro tempore futuro.

Vnde.

Vnde.D.Tho. in primo de interpretatione, lectio.9.,expoſitione vltima,dicebat ex Ariſtotele,quòd ubi eſt diuerſitas ex parte menſurę,vtpotè loci uel temporis, ibi nulla eſt contradictio. Vnde ad argumentum poterit laconicè reſponderi, negando illas duas propoſitiones eſſe contradictorias. Et ita regula illa logicalis erit uniuerſaliter uera; contra Ferrarienſem.

Primo. Contra Gent. cap.66.

Verùm quia diximus contraria non eſſe propriè contraria, niſi ſint reſpectu eiuſdem obiecti; illud annotandum venit, ꝙ obiecta triſtitiæ & lætitiæ, (ut in exemplis adductis perſiſtamus) ſe habent ad illas paſsiones, veluti cauſa effectiua. Contraria autem tam uidentur eſſe contraria ſi ſint à diuerſis cauſis contrarijs, quàm ſi ab una ſint & eadem. Calidum enim & frigidum ſi producant & efficiant album & nigrum, hæc duo ita erunt contraria & incompoſsibilia, ſicuti ſi ab eadem procederent cauſa. Quare uidetur quòd contraria reſpiciant ſemper ſubiectum, circa quod fiunt, & non cauſas, ſiue obiecta. Et ita ſiue ab una, ſiue à pluribus exeant cauſis, nunquam poterunt recipi in eodem ſubiecto, nequidem de eis duæ oppoſitæ poterunt uerificari propoſitiones, reſpectu eiuſdẽ. Eapropter animaduertendum eſt, contraria eſſe in duplici diſcrimine; quædam enim ſunt merè abſoluta; utpotè calidum & frigidum, album & nigrum. Quædam uerò ſunt abſoluta, ſed connotant deinde reſpectum ad ea, à quibus dependent; veluti triſtitia & lætitia in ptopoſito, ad indigentiam & comeſtionem. Et hæ quidem licèt ſint qualitates abſolutæ, habent tamen reſpectũ ad obiecta, à quibus dependent; quia ſine eis minus eſſe poſſunt; & propterea dicuntur ab eis eſſentialiter dependere. Prima igitur contraria dicuntur dependere cauſaliter tantùm; & idcirco ſunt contraria reſpectu ſuſceptiui. Alia uerò dicuntur dependere cauſaliter & eſſentialiter; propterea ſunt contraria reſpectu eiuſdem obiecti. Vnde in eadem anima ſtat ignorantia Aſini, cum ſcientia lapidis. Hæc digredi uolui, vt Iuuenes ingenio præſtantes & ſalſi, hanc urgeant occaſionem, ad ulterius progrediendum.

Ad.3. Interim & ego ad ulteriora progrediendo, dico ꝙ Deus ex parte ſui non cognoſcit futura, quoniam ſunt ei omnia præſentia; quia tamen ea quæ ſunt ei præſentia, uel ſunt, uel poſſunt eſſe nobis futura, idcirco dicimus Deum cognoſcere futura, ut futura ſunt; non quidem ratione ſui, at ratione noſtri. Quod eſt dictu, Deum cognoſcere futura ut futura ſunt, ex parte obiecti ſecundariò cogniti; non autem ex parte cognoſcẽtis; veluti aliàs diximus. Vnde ſub hac declaratione, tertiæ rationis cõſequutio negatur; loquendo ex parte obiecti ſecundariò cogniti. Si verò ex parte Dei cognoſcentis ſermonem habere velimus, tunc negatur aſſumptum. Hoc nẽpe à ueritate abhorrere.

Ad.4. Ad id uerò quod quarto & poſtremo loco inducebatur, dicimus conſequutionem itidem eſſe à ueritate prorſus alienam. Non enim ſequitur: Antichriſtus exiſtit in æternitate, ideo in præſenti eſt creatus tempore. Et cùm probatur, quia non poteſt exiſtere niſi per creationem; libens admittimus. Cæterùm addimus poſtea, quòd eo modo quo Anti-

chriſtus exiſtit, eſt etiam creatus. Exiſtit autem in æternitate; quare & eſt in æternitate creatus. Ad hoc autem ut ſit in æternitate creatus, non eſt neceſſum ut ſit creatus tempore præſenti; ſed erit ſatis ipſum creari in tempore futuro. Et pro diſſolutione obiectorum, tot mihi dicta ſint ſatis. Verùm pro huiuſcæ doctrinæ confirmatione, maioriq. exageratione, audiant aduerſarij D. Patrem Auguſtinum iterum loquentem; qui libro 22. (Tom.5.) illius voluminis, cui titulus eſt de ciuitate Dei, cap. 2., in hæc prorupit uerba: Secundùm illam uerò uoluntatem ſuam quæ cum eius præſcientia, ſempiterna eſt, profectò in cœlo & in terra, omnia quæcunque voluit, non ſolùm præterita uel præſentia, ſed etiam futura iam fecit. Verùm antequã ueniat tempus quo voluit vt fieret, quod ante tempora uniuerſa præſciuit atque diſpoſuit, dicimus, fiet quando Deus voluerit. Si autem non ſolùm tempus quo futurum eſt, verùm etiam utrum futurum ſit, ignoramus; dicimus, fiet ſi Deus uoluerit; non quia Deus nouam uoluntatem, quam non habuit, tunc habebit; ſed quia id quod ex æternitate, in eius immutabili præparatum eſt uoluntate, tunc erit. Hactenus Auguſtinus. Ex quo facilè conſtat, quòd futurum, etſi nondum ſit abſolutè, & actu; In conſilio tamen diuino, & præſcientia, iam factum eſt. Nec prius erit, quàm Deus præuidit futurum; & ſcit Deus certum & præfinitum tempus, quo illud futurum ſit, quamuis ignoremus. Et hoc eſt, quia non eſt ei futurum, ſed in æternitate præſens. Addo quòd ipſemet Auguſtinus (Pſ.125. Tom.8.) ediſſerens locum illum Pſalmographi: Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro, dicit omnia quæ futura ſunt, Deo iam (Tom.5.) facta eſſe. Et lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 12., de miraculis loquens, quæ per Sanctorum Angelorum miniſterium Deus operatur, oſtendit Deum non aliter nouiſſe facta, quàm fienda.

(Eccle. cap.1. Tom.5.) Diuus quoque Hieronymus ſuper illud Eccleſiaſtæ: Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. &c., inquit: Dicendum eſt, quòd ex præſcientia & prædeſtinatione Dei, iam ea facta ſunt, quæ futura ſunt. Qui enim electi ſunt à Chriſto ante conſtitutionem, in prioribus ſæculis iam fuerunt. Hæc ille. Qui cum Beato Auguſtino non vult intelligere, quòd electi à Deo fuerint actu ſimpliciter & abſolutè, ante mundi creationem; quandoquidem fuiſſent, antequam fuiſſent; quinimmo fuiſſent & non fuiſſent. Atqui vult Deo eſſe præſentia in æternitate; cùm electio non ſit eorum quæ nullo modo ſunt. Quod eſt idem cum eo, quod uolebat D. Thomas, & nos cum illo. Verùm de hoc ſatis.

Num præſcientia Dei inferat rebus neceſſitatem. Cap. 25.

IN prima huius noſtri uoluminis ſectione, eiuſdemq. cap. primo, ad initium, diximus Prouidentiam Diuinam, ſcientiam præſupponere; hanc uerò eſſe prorſus infallibilem. Ex quo ſequi videbatur, omnia ineuitabili euenire neceſsitate. Qua de re, mox in rerum natura contin-

contingentiam dari oſtendimus, Denmq́. vnico intuitu omnia cognoſcere, neceſſaria ſcilicet, contingentia, temeraria, fortuita, poſsibilia, impoſſibilia, ac demum omnia; modo ſupremæ, perfectiſsimæ, ac diuinæ naturæ ſuæ magis, quàm rebus ipſis congruo; Auguſtiſsimo nempe, atque excellentiſsimo. Quapropter illud concluſum reliquimus, ꝙ infallibilitas diuinæ cognitionis non repugnat contingentiæ creaturæ. Id quod Cicero (vt aliàs diximus) & alij quamplurimi ſuſtinere minimè poterant. Vnde pro eorum tuenda ſententia, in hunc modum poſſet quiſpiam dubitare: Omnis conditionalis vera, cuius antecedens eſt neceſſarium abſolutè, conſequens eſt neceſſarium abſolutè. Doctrina colligitur ex Ariſtotele primo de poſteriori reſolutione; quo loci habetur, quòd ex principijs neceſſarijs, non ſequitur concluſio niſi neceſſaria. Antecedens autem ſe habet ad conſequens, veluti principia ad concluſionem. Atqui hæc eſt quędam conditionalis vera: Si Deus præſciuit hoc futurum eſſe; hoc utique erit. Quandoquidem ſcientia Dei non eſt niſi verorum. Et eius antecedens eſt neceſſarium abſolutè; tum quia eſt ęternum, tum quia ſignificatur ut præteritum. Conſequens igitur erit & ipſum neceſſarium abſolutè. Et ita quicquid ſcitur à Deo erit neceſſarium abſolutè. Ex quo fit conſequens, vt ſcientiæ Dei infallibilitas repugnet contingentiæ creaturæ. Vel ſi datur contingentia, ꝙ rerum contingentium nulla ſit præſenſio; quemadmodum volebat Cicero.

Verumenimuerò duo inter ſeſe maximè pugnantia claudit huiuſmodi Ciceronis aſſertio, atque doctrina. Siquidem in libris de natura Deorum, aduerſus impijſsimum Cottam, qui nullam naturam diuinam eſſe contendebat, pro Lucilio Balbo, Deum affirmante; rectè quidem ſententiam tulit. In libris uerò de diuinatione; ut ſuperius quoque monuimus; apertiſsimè futurorum præſcientiam oppugnat. Idq́. totum facere uidetur, ne fatum eſſe conſeutiat, & humanam inde perdat libertatem. Putabat enim conceſſa futurorum præſcientia, ita eſſe conſequens fatum, vt haudquaquã negari poſsit. Vnde ex una parte Deum affirmare, ex alia uerò ipſum præſcium futurorum negare; nihil aliud eſt, quàm Deum affirmare, ſimul atque negare vt optimè de Ciuitate Dei libro quinto, cap. 9., in eum animaduertit Diuus Pater Auguſtinus. Qui enim; inquit Diuus ille Pater; non eſt præſcius omnium futurorum, non eſt vtique Deus. Noſtri idcirco benè cordati Patres Theologi, vtrumq́. ſimul eſſe uolunt; contingentiam nempe, & futurorum omnium, Dei infallibilem præſcientiam.

Contra Ciceronem.

Tom. 5.

Illud tamen in primis annotari iubent, ꝙ in Deo ipſo Glorioſo atq. Benedicto, dempta perſonarum ſimpliciſsima trinitate, nulla reperitur diſtinctio realis. Quo fit ut intellectus, voluntas, intelligere, velle, prouidere, ꝑdeſtinare, & id genus alia; idē ſint in Deo actus infinitiſsimus, atq. ſimpliciſsimus. Scientia quoque, præſcientia, prouidentia, prædeſtinatio, & reprobatio, reapſe idem omnino ſunt, nec ex parte rei ullo pacto diſtinguũtur, niſi formaliter virtualiter; ex parte uerò intellectus noſtri ratiocinantis, formaliter diſtinguuntur actualiter. Eapropter nullam inter ſe habent prioritatem & poſterioritatem; aſt illam ſolam quam noſtra mens operatur, in

R 3 plura

plura ſeiungens, quæ omnimoda gaudent vnitate,tam immenſam celſitudinem attingere minimè valens. Inde proinde euenit, vt vnum iſtorum prius, alterum verò poſterius intelligamus;& iuxta hunc noſtrum intelligendi modum,aſſeueremus intellectum diuinum voluntatem præcedere,& actiones illius, actiones iſtius.

Dicimus;inſuper prædeſtinationem & reprobationem,prouidentiam ſupponere; & prouidentiam,præſcientiam; ac demum præſcientiam,ſcientiam ipſam. Vnde ſcientia,ſiue ſapientia,bonorum eſt omnium,ſimul atq. malorum; præſentium,præteritorum,& eorum quæ futura ſunt; temporalibus & æternis minimè ſecluſis. Præſcientia verò, eſt quidem bonorum & malorum,at ſolummodo futurorum;& ita ſupra ſcientiam,quandam addit præcognitionem. Prouidentia verò, ipſam includit præſcientiam; ſuperq. eam addit rerum prouiſarum promotionem, in earum finem. Prædeſtinatio denique & reprobatio, aliquid tum ex parte ſubiecti,tũ ex parte finis, addunt ſupra ipſam prouidentiam. Ex parte ſiquidem ſubiecti; quoniam prouidentia eſt omnium creaturarum ſimpliciter; prædeſtinatio verò & reprobatio, non niſi hominum & angelorum. Ex parte finis autem, quia prouidentia eſt reſpectu cuiuslibet finis; naturalis ſcilicet & ſupernaturalis; prædeſtinatio verò & reprobatio eſt reſpectu finis duntaxat ſupernaturalis. Illa quidem fęlicitatis æternæ; hæc autem interminabilis miſeriæ.

In eam itaque ſententiam veniunt omnes Patres Theologi, quòd Deus omnia, etiam futura,contingenterq́.& temerè euentura,certè & determinatè intelligat. Item quòd diuina præſcientia idem ſit, quod diuina ſcientia; differat autem pro noſtro modo intelligendi, ab illa, ſola quadam intelligentiæ ratione. Quòd ſcientia dicitur inquantùm eſt omnium; præſcientia uerò, quatenus eſt futurorum tantùm in tempore euentuum. Quocirca Beatus Pater Auguſtinus, ad Simplicianum lib.2., quæſtione.2., pulcherrimo habito diſcurſu, demum in hunc modum concludit: Placet ergo ut non dicamus præſcientiam Dei, ſed tantummodo ſcientiam. Hoc autem dicit Auguſtinus, non ut nobis hoc nomine (præſcientia) interdicat; at potius ut inter ſcientiam & præſcientiam Diuinam, realem diſtinctionem è medio tollat. Quandoquidem aliquid tum ſcientiæ Dei temporaliter accederet;quod eſt abſurdorum omnium abſurdiſsimum. Bis enim; inquit;res Deus ipſe ſentiret;vno quidem modo,ſecundùm futurorum p̄ſcientiam;altero uerò modo,ſecundùm præſentium ſcientiam. Ne igitur ſcientiæ Dei aliquid temporaliter accedere dicamus, ꝙ unum & idem ſit cum eius præſcientia fateamur oportet. Et quia non niſi ab obiecto oritur æterno; diuina nimirum eſſentia; quòd & ipſa ſit æterna, neceſſariò conſequitur.

Tom.4.

His igitur prælibatis, & pro iunioribus ita conſtitutis; duo pręcipuè facilè colliguntur. Alterum quidem, quòd Dei infallibilis pręſcientia non repugnat contingentię creaturę. Aliud uerò,quòd ex his quæ diximus, nulla ſequitur in Deo mutatio,nec alteratio. Agedum rem ipſam itaque propius aggrediendo, rationi qua nitebantur nonnulli, repugnantiam conuincere,

uincere, inter diuinæ cognitionis infallibilitatem, & creaturæ contingentiam, ſupereſt modò facere ſatis. Quia igitur uis tota præfati ratiocinij ex illa conſequutione pendet: Deus, nempe, hoc præſciuit contingens futurum; vtpotè Petrum ſaluari. Petrus igitur ſaluabitur. Id autem quod antecedit cùm neceſſarium eſſe videatur; Id etiam quod conſequitur erit neceſſarium. Et ita Dei præſcientia, rebus inferet neceſsitatem. Propterea circa illius conſequutionis primam partem, ſeu antecedens, ſunt qui varia dicunt.

[*Opinio prima.*] Primo nanque loco eſt illorum opinio, qui illud antecedens negant eſſe neceſſarium, at volunt eſſe contingens. Et pro ratione ponderant, quia licèt ſit preteritum dum dicimus; Deus præſciuit. Importat nihilotamenſecius reſpectum ad futurum, dum ſalutem Petri prænouit, quod quidem futurum, ſui natura eſt ſemper contingens.

Hanc ſententiam imitando, eſt conſectatus Ocham, in ſuo centilogio, concluſione.84.; & cum eo Gabriel Biel, in primo Theologicarum ſenten., d.39., q. vnica, ar.3., dub.8. Etiam VValdenſis, tomo primo, lib. primo, art. primo, cap.29.

[*Confutatur. Prima par. q.14. artic. 13. ad.2.*] Quæ tamen doctrina, Sanctiſsimo Doctori Thomæ Aquinati, hac ratione non placet: Quoniam tametſi præteritum illud, reſpectum habeat ad futurum, ob id ei non tollitur neceſsitas. Quoniam id quod habuit reſpectū ad futurum, id eſt, antea uidiſſe quod eſt futurum; neceſſe eſt habuiſſe reſpectum ad futurum, & neceſsitatem, ut Deus uiderit; licèt etiam futurum non ſequatur quandoque. Sic enim futura, quæ quandoque non ſunt, Deus ex parte ſui neceſſariò cognoſcit, tametſi non fiant. Et ideo cùm hæc opinio prima, .D.Thomæ non placeat, ſecundam aliorum opinionem refert, ſubnectens:

[*Opinio ſecunda.*] Alij uerò dicunt, hoc antecedens eſſe contingens; quia eſt compoſitum ex neceſſario & contingenti. Hoc eſt ex præterito, quia Deus ſciuit, quod eſt neceſſarium; & futuro, Petrum ſcilicet ſaluum fore, quod eſt contingēs. Pro quo, ſequens ponunt exemplum: Sicut iſtud dictum eſt contingens: Sortem eſſe hominem album.

[*Reijcitur.*] Cæterùm nequidem huiuſmodi opinio ei arridet; quia cùm dicitur: Deus ſciuit eſſe futurum hoc contingens; contingens non ponitur ibi niſi ut materia uerbi; & non ſicut principalis pars propoſitionis. Vnde contingentia eius, uel neceſsitas, nihil refert, ad hoc quòd propoſitio ſit neceſſaria, uel contingens, uera uel falſa. Ita enim poteſt eſſe uerum, me dixiſſe, hominem eſſe Aſinum, ſicut me dixiſſe ſortem currere, uel Deum eſſe; & eadem ratio eſt de neceſſario & contingenti.

[*Camera. Dialogo. 2., ſin Proteſtāte, par. 2. cap.4.*] Improbatio hæc .D.Thomæ, à quibuſdam difficillima cenſetur, ijs qui Logicam ignorāt facillima uerò, ijs qui Logicam callent. Propterea illam exponendo atque declarando, magis ei caliginem & tenebras offundunt, quàm illuſtrent, eamq. patefaciant. Qua de re nobis uiſum eſt, eam propter iuniores, in terminis ſcholaſticis, quemadmodum iacet, exponere. Ille eſt igitur ſenſus; quòd propoſitio de præterito, cuius copula & uerbum, actum animæ importat; & dictum eſt aliquid impoſsibile, aut contingens;

tingens; dummodo fuerit ſemel uera illud dictum, ſiue contingens ſit, ſiue impoſsibile, eius non tollit neceſsitatem. Quod ut ab omnibus facilius percipiatur, agamus exemplis. Sunt igitur propoſitiones de præterito, in quibus uerbum, actum animę importat, ſimiles iſtis: Plato dixit hominem eſſe Aſinum. Voluit ſortem currere; Sciuit hominem eſſe animal. Et primæ propoſitionis dictum eſt impoſsibile; quia impoſsibile eſt hominẽ eſſe Aſinum. Secundæ uerò dictum eſt contingens: Quia ſortem contingit currere. Tertiæ demum dictum eſt neceſſarium; quia neceſſum eſt hominem eſſe animal. Dato igitur quòd omnes iſtę tres propoſitiones fuerint ſemel ueræ, tam eſt neceſſaria prima, cuius dictum eſt impoſsibile; & ſecunda, cuius dictum eſt contingens; quàm tertia, cuius dictum eſt neceſſarium. Quoniam quod dixit, uoluit, & ſciuit Plato; non poteſt non dixiſſe, non uoluiſſe, non ſciuiſſe. In. 6. nanque de moribus, cap. 2., ex cuiuſdam Agathonis ſententia dicebat Ariſtoteles, hoc ſolum negandum eſſe diuinæ potentiæ, quòd id quod factum eſt, non poſſit infectum reddere. Huiusq. doctrinæ rationem reddit. D. Tho., quia dictum illud non eſt pars præcipua illius propoſitionis, ſed eſt materia illius uerbi, dixit, ſciuit &c. Quod quidem uerbum, actum quendam importat præteritum, & ex conſequenti neceſſarium. Actus autem iſte ſe habet ſicuti forma, dictum uerò ſicuti materia, in propoſitione; cùm ſit illud ſuper quod tranſit ipſe actus. At uerò unumquodque denominatur tale, ab eo quod eſt in eo formale. Quare propoſitio de qua in præſenti loquimur, denominatur uera, uel falſa, contingens, uel neceſſaria, à uerbo: non autem à dicto. Eapropter. D. Thomas in primo Theologicarum ſenten., d. 38., q. 1., art. 5., ad 4., dicebat ꝙ ueritas & neceſsitas propoſitionis, ex uerbo pendet principali; & dictum eiuſdem propoſitionis non ſumitur ut uerum, uel falſum, aut ueluti neceſſarium, uel contingens; aſt ut dictum quoddam tantùm. 2

Quando igitur dicit ſecunda opinio, quòd illud antecedens eſt contingens, quia eſt compoſitum ex neceſſario & contingenti: dicit Beatus Doctor hoc nihil eſſe. Quandoquidem illud contingens eſt dictum in propoſitione illa antecedente. Quod quidem dictum, ſe habet ueluti materia, à qua non denominatur propoſitio. Relinquitur ergo, ꝙ ab eo denominetur, quod eſt in ea neceſſarium. Vnde erit neceſſaria. Et ita ratio quã pręmiſimus, adhuc ſuperſtes & inuicta manet. 3

3. *Opinio.* Quare aliam uiam aſsignat ipſe Beatus Doctor, inquiens: Vnde dicendum eſt, quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè. Nec tamen ſequitur (ut quidam dicunt) quòd conſequens ſit neceſſarium abſolutè. Quia antecedens eſt cauſa remota conſequentis, quod propter cauſam proximam contingens eſt. Hęc eſt tertia opinio, quę nitebatur eandem tollere difficultatem. 4

Camera. vbi ſupra. Et hanc quidam uentilantes, literam uolunt eſſe corruptam, ut ita legamus: Nec tamen ſequitur (ut quidam dicunt) quòd conſequens non ſit neceſſarium abſolutè. Vnde dicunt in litera. D. Tho. quam modò recenſuimus, deficere unum: non: quod ipſi addunt. Verumenimuerò, litera ſicut iacet in textu pręcitato uenit legenda; minimè autem prout ipſi dicunt.

cunt. Siquidem illa tertia opinio præmiſſæ difficultati ſatisfacere intendens, vim & neruum ipſius cum alijs ponderat, qui in illa conſecutione conſiſtit. Et inde reſpondens, ait antecedens quidem eſſe neceſſarium abſolutè; at ob id non ſequi, conſequens fore abſolutè neceſſarium.

Huiuſq́ue ratio eſt, quia unumquodque denominatur à ſua cauſa proxima & immediata. Sol enim & homo generant hominem; ex ſecundo auſcultatorio libro; homo tamen, non à Sole, qui eſt eius cauſa remota; ſed ab homine, eius cauſa proxima & immediata denominatur. Hoc autem conſequens, de quo modò uerba facimus, duplicem habet cauſam; remotam nempe, atque immediatam & proximam. Ab hac itaque, & non ab illa denominandum venit. Quæ quidem contingens cùm ſit, & ipſum conſequens contingens fore, neceſſariò conſequitur. Vnde cùm dicitur: Deus vidit Petrum ſaluari, Igitur Petrus ſaluabitur. Dicit iſta opinio, quòd antecedens licèt ſit neceſſarium abſolutè, ratione infallibilitatis cognitionis, uiſionisq́. diuinæ. Conſequens tamen eſt contingens; quia à libero prouenit Petri arbitrio, tanquam à cauſa proxima & immediata. Id quod etiam exemplo ſatis apto, à Sole deſumpto, facilè conſtare poteſt. Sol enim quamuis ſit cauſa neceſſaria arboris florulentæ; floreſcere tamen, quod eſt eius effectus, eſt contingens; propterea quòd ipſius arboris uis generatiua, quæ eſt emiſsionis florum cauſa proxima & immediata, eſt uariabilis, & impediri poteſt. Si uerò antecedens quod eſt neceſſarium abſolutè, cauſa ſit proxima & immediata ipſius conſequentis, erit proculdubio & ipſum neceſſarium abſolutè. Iſte igitur eſt ſenſus illius tertiæ opinionis, ſeu diſſolutionis, ad præmiſſam difficultatem; quemadmodū apud D.Tho. de ueritate, .q.2., ar.12., ad.7., facilè uideri poteſt. Non eſt igitur corrupta litera, in prima par. Summæ. Quinimmo ſi ita legeretur ueluti ipſi uolebant, conſequens admitteretur neceſſarium abſolutè, ſicuti & antecedens. Quandoquidem duæ negationes affirmant. Hoc autem non poteſt uelle illa tertia opinio; quoniam ſuſtinere intendit atque defendere, quòd infallibilitas diuinæ cognitionis, non repugnat contingentiæ creaturæ.

Cæterùm adhuc; inquit. D.Tho.; non eſt ratio eneruata, minuſué difficultas è medio ſublata. Quandoquidem omnis conditionalis, cuius antecedens eſſet cauſa remota neceſſaria, & conſequens effectus contingens, eſſet falſa. Vtpotè ſi dicamus: Si ſol mouetur, herba germinabit. Hoc autem à ueritate ſuperq́. ſatis abhorret; & illud igitur ex quo effluxit. Nam illa quam præmiſimus conditionalis eſt ueriſsima; quoniam oppoſitum conſequentis, repugnat antecedenti. Eſt enim impoſsibile quòd nunquā germinet herba, ſi Sol moueatur; nihilotamen ſecius eius antecedens eſt cauſa remota conſequentis. Non igitur uerum eſt, quòd ex antecedente neceſſario abſolutè, non ſequatur conſequens neceſſarium abſolutè, niſi quando antecedens eſt cauſa proxima & immediata ipſius conſequentis. Ratio autem deceptionis huius tertiæ opinionis, fuit prauus intellectus memoratæ regulæ Ariſtotelis. Quæ ab eo non probatur ratione cauſalitatis, at ratione conſequentiæ; ſecundùm quam, ex neceſſario ſequitur *Refellitur.*

neceſſa-

neceſſarium; ſiue ſit effectus, ſiue cauſa proxima, ſiue remota. Vera enim conditionalis eſt ſemper neceſſaria. Non quidem neceſsitate abſoluta, ſed conſequentiæ.

Opinio. 4. & vera. Vnde Beatus Doctor, ſuam quæ ſequitur ponit opinionem, inquiens: Et ideo aliter dicendum eſt, ꝙ quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ; conſequens eſt accipiendum non ſecundùm eſſe quod in ſe eſt; ſed ſecundùm ꝙ eſt in anima. Aliud enim eſt eſſe rei in ſcipſa, & eſſe rei in anima. Vtputa ſi dicam: Si anima intelligit aliquid; illud eſt immateriale. Intelligendum eſt, quòd illud eſt immateriale, ſecundùm ꝙ eſt in intellectu; non ſecundùm quòd eſt in ſeipſo. Et ſimiliter ſi dicam: Si Deus ſciuit aliquid, illud erit. Conſequens intelligendum eſt prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ, ſcilicet prout eſt in ſua præſentialitate. Et ſic neceſſarium eſt, ſicut & antecedens. Quia omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; ut dicitur in primo Perihermeniarum. Hæc Beatus Thomas. Ex quibus tria præcipuè habentur; primum eſt, quòd hæc propoſitio: Deus ſciuit Antichriſtum futurum; eſt abſolutè neceſſaria. Secundum eſt, quòd hæc propoſitio: Antichriſtus erit: eſt ſimpliciter contingens. Tertium eſt, quòd hæc propoſitio: Antichriſtus erit: in huiuſmodi conſequentia: Deus ſciuit Antichriſtum futurum: Ergo Antichriſtus erit: non eſt abſolutè & ſecundùm ſe accipienda; ſed prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ. Vnde eſt neceſſaria ſicut & antecedens. Et hæc relinquuntur examinanda.

Quomodo prænarratum antecedens ſit neceſſarium abſolutè. Cap. 26.

Varij ac diuerſi ſunt circa præmiſſum antecedens diſputantes, & Angelici Doctoris dogmata funditus repudiantes; propterea eius mentem prius aperiemus, & ad alia poſtea nos accingemus. Dicit ergo, ꝙ illud antecedens: Deus uidit; eſt neceſſarium abſolutè; non quidem ut Deus neceſsitate aliqua cognoſcat; quandoquidem liberè cognoſcit; atqui propter infallibilitatem, ſeu immutabilitatem. Pro cuius quidem clariori notitia, illud animaduertendum proponimus, ſcientiam nēpe diuinam, ſub ea qua eſt ſcientia formali ratione, eſſe neceſſariam, poſſe bifariam intelligi. Aut ſcilicet neceſsitate abſoluta, aut neceſsitate immutabilitatis. Modò ſi loquamur de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ naturaliter actum præcedit uoluntatis; ſaltem ſecundùm rationem; tum dicimus illam eſſe neceſſariam, neceſsitate abſoluta; ueluti docet. D. Tho., prima par. Summæ Theologiæ, q. 19., ar. 3. ad. 6., & Caietanus ibidem; nullumque de hoc habetur dubium. Si uerò de ſcientia uiſionis ſermonem habere uelimus, illud perſpicuum eſt & clarum, quòd non eſt neceſſaria niſi neceſsitate immutabilitatis. Quandoquidem ſi eſſet neceſſaria neceſsitate abſoluta, Deo tunc abſolutè repugnaret neſcire quicquid nouit ſcientia uiſionis; ita quòd non poſſet omnino non nouiſſe; quemadmodum dicimus, hominem neceſſariò animal eſſe rationale, quia ei omnino

nino repugnat non eſſe tale animal. Huiuſmodi autem repugnantia non reperitur in Deo, ratione ſcientiæ uiſionis. Quare nec illa erit neceſſaria, neceſsitate abſoluta. Et ꝙ illa in Deo repugnantia minus reperiatur, ex eo facilè conſtat, quia cùm ſcientia uiſionis, determinationem ſequatur diuinæ uoluntatis. Sicuti ab æterno determinauit Deus Antichriſtum fore, ita potuit ab æterno determinare illum non fore; quoniam non cogitur Deus ad productionem creaturarum. Quemadmodum igitur ab æterno cognouit Antichriſtum fore, quia uoluit ipſum fore; ita potuit ab æterno cognouiſſe ipſum non fore; quia poterat nolle ipſum fore.

Quòd vero ſit neceſſaria neceſsitate immutabilitatis, ex eo facilè conuincitur, quia quod Deus ab æterno ſciuit fore, ſemper ſcit, & non poteſt mutari, ut prius ſciat, & poſtmodum neſciat; ueluti accidit nobis. Quando igitur dicit D.Tho., illud antecedens eſſe neceſſarium abſolutè, ſermo eſt de ſcientia uiſionis; & propterea dicit ꝙ eſt neceſſarium, propter diuinæ ſcientiæ immutabilitatem. In primo ſiquidem Theologicarum ſenten., d.38., q.1., ar.5. ad quartum, huiuſmodi habet uerba formalia: Et ideo aliter dicendum eſt, quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè. Tum ex immobilitate actus. Tum etiam ex ordine ad ſcitum. Quia iſta res non ponitur ſubiacere ſcientiæ diuinæ, niſi dum eſt in actu, ſecundùm quòd determinationem & certitudinem habet. Ipſum enim neceſſe eſt eſſe dum eſt. Et ideo ſimilis neceſsitas inferenda eſt in conſequente; ut ſcilicet accipiatur ipſum quod eſt Sortem currere, ſecundùm ꝙ eſt in actu; & ſic terminationem & neceſsitatem habet. Vnde patet ꝙ ſi ſumatur Sor. currere ſecundùm hoc ꝙ ex antecedente ſequitur, neceſsitatem habet. Non enim ſequitur ex antecedente, niſi ſecundùm quòd ſubſtat diuinæ ſcientiæ, cui ſubijcitur, prout conſideratur præſentialiter in ſuo eſſe actuali. Vnde etiam ſic ſumendum eſt conſequens. Quo modo patet ꝙ conſequens neceſſarium eſt. Neceſſe enim eſt Sortem currere, dum currit. Hactenus D.Tho. Ex cuius quidem uerbis & doctrina, quatuor præcipuè colliguntur. Primum, ꝙ hîc eſt ſermo de ſcientia uiſionis. Secundum, ꝙ huiuſmodi ſcientia nõ eſt neceſſaria neceſsitate abſoluta, quia determinationem ſequitur diuinæ uoluntatis; ſed eſt neceſſaria neceſsitate immutabilitatis. Tertium eſt, ꝙ hoc antecedens: Deus ſciuit hoc eſſe futurum; eſt neceſſarium abſolutè. Quartum demum & ultimum eſt, ꝙ eſt neceſſarium abſolutè, tum ex immobilitate actus, tum ex ordine ad ſcitum. Modò his ſtantibus, mox contradictio in dictis apparet D.Tho., quandoquidem ſi eſt ſermo de ſcientia uiſionis, quæ non eſt neceſſaria neceſsitate abſoluta, quia ſequitur diuinæ uoluntatis determinationem; at eſt neceſſaria neceſsitate duntaxat immutabilitatis; quomodo illud antecedens erit neceſſarium abſolutè? *Dub. contra D.Th.* Adhuc, in primo ſen. dicit ꝙ eſt neceſſarium abſolutè, ex immobilitate actus, & ex ordine ad ſcitum. At illa neceſsitas non eſt neceſsitas abſoluta, ſed potius conditionata. Eſt igitur contradictio, ꝙ ſit neceſſarium abſolutè, & ſit neceſsitas immutabilitatis, atque ex ordine ad ſcitum.

Opinio Caietani. Caietanus in prima par. Summæ Theologiæ D.Tho., q.14., ar.13. Exponendo ſolutionem ſecundi argumenti, inquit ꝙ quæſtio de neceſsitate

ſcientiæ,

ſcientiæ, uel præſcientiæ Dei reſpectu futurorum, poteſt in propoſito diſcuti. duplici via; primò abſolutè & ſecundùm rem; ſecundò uerò, ut ſignificatur per tales propoſitiones. Prima uia eſt extra propoſitum illius argumenti, quod uim propoſitionum diſcutit, non rerum abſolutè. Idcirco de præmiſſa quæſtione in ſecundo ſenſu, & prò ſecunda uia accepta, habetur ſermo in præfato argumento; quatenus ſcilicet diſcutitur quæſtio de ſcientia Dei non in ſe, at ſolummodo prout ſignificatur per tales propoſitiones. Huiuſmodi autem propoſitiones contingentes, ſeu in materia contingenti; quantùm ad propoſitum ſpectat; ſunt in duplici differentia; quædam enim ſunt de præſenti, quędã uerò de præterito. Et illud inter utranque ueram, diſcrimen reperitur; ꝙ illa de præſenti non eſt neceſſaria abſolutè; quæ uerò eſt de præterito, eſt neceſſaria abſolutè. Veluti ex ſub aſsignatis exemplis facilè conſtat; ut ſi dicamus: Plato ſedet; & Plato ſedit. Prima nanque non eſt neceſſaria abſolutè, at ſecundùm quid tantùm; dum ſcilicet Plato ſedet. Quoniam unumquodque dum eſt, neceſſe eſt eſſe; ex primo Periher.; & propterea illius contradictorium abſolutè eſt poſsibile; ſcilicet Plato non ſedet. Secunda uerò quia eſt de præterito, ideo eſt neceſſaria abſolutè; ita ut eius contradictorium, etiam per diuinam potentiam, ſit omnino impoſsibile; ſcilicet Plato non ſedit. Hoc enim ſolum diuinæ potentiæ negandum uenit, quòd id quod factum eſt, non poſsit infectum reddere; dicebat Ariſt. in. 6. Ethi. c. 2., ex ſententia cuiuſdam Agathonis. Cùm igitur; inquit Caietanus; omnis propoſitio uera de præterito ſit neceſſaria abſolutè, conſequens eſt, quòd licèt iſta ſit contingens: Deus ſcit Antichriſtum fore; iſta tamen eſt abſolutè neceſſaria: Deus ſciuit Antichriſtum fore. Et propterea rectè & ſubtiliter dixit. D. Tho., quòd iſtud antecedens: Deus ſciuit hoc futurum eſſe; eſt neceſſarium abſolutè; quia ſcilicet eſt propoſitio de præterito, in materia contingenti. Hæc eſt doctiſsimi Caietani ſententia atque opinio; ex qua quidem, duo præcipuè elicio. Primum, quòd Beatus Doctor eo loci non loquitur de ſcientia Dei in ſe, atqui ut ſignificatur per uerbum præteriti temporis, ſeu prout ſignificatur per tales propoſitiones. Secundum autem illud eſt; nimirum quòd huiuſmodi propoſitio: Deus nouit Antichriſtum futurum, eſt ſimpliciter de præterito; quare & eſt ſimpliciter neceſſaria, & abſolutè.

Contra Caietan. 1. Ratio. 1 Verumenimuerò neutrum iſtorum placet. Siquidem primo aduerſatur. D. Tho. in Primo Theologicarum ſenten., d. 38., art. ultimo, ad quartum; quo loci, hæc habet uerba formalia: Et ideo aliter dicendum eſt; quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè. Tum ex immobilitate actus. Tum etiam ex ordine ad ſcitum. Quia iſta res non ponitur ſubiacere ſcientiæ diuinæ, niſi dum eſt in actu; ſecundùm quòd determinationem & certitudinem habet. Ipſum enim neceſſe eſt eſſe, dum eſt. Et ideo ſimilis neceſsitas eſt inferenda in conſequente; ut ſcilicet accipiatur ipſum quod eſt Sor. currere, ſecundùm quòd eſt in actu, & ſic terminationem, & neceſsitatem habet. Vnde patet, ꝙ ſi ſumatur Sor. currere ſecundùm hoc quòd ex antecedente ſequitur, neceſsitatem habet. Non enim ſequitur ex antecedente, niſi ſecundùm quòd ſubſtat diuinæ ſcientiæ. Cui ſubijcitur,

prout conſideratur præſentialiter in ſuo eſſe actuali. Vnde etiam ſic ſumendum eſt conſequens. Quo modo patet ꝙ conſequens neceſſarium eſt. Neceſſe.n. eſt Sortem currere, dum currit. Hæc ille. Ex quibus facilè conſtat, ꝙ loquitur de ſcientia Dei in ſe, non autem prout ſignificatur per verbũ præteriti temporis. Conditiones nanque illæ conueniunt ſcientiæ Dei in ſe, non autem vt ſignificatur; quemadmodum etiam peroptimè annotauit Ferrarienſis, primo libro aduerſus Gentiles, cap. 67. Sed audiamus rurſus eundem. D. Tho. q. 2. de uerita., ar. 12., ad. 7., ita loquentẽ: Et ideo aliter dicendum eſt, ꝙ hoc antecedens eſt ſimpliciter neceſſarium, & conſequens eſt neceſſarium abſolutè, eo modo quo ad antecedens ſequitur. Aliter.n. eſt de his quæ attribuuntur rei ſecundùm ſe, aliter de his quæ attribuuntur rei ſecundùm ꝙ eſt cognita. Illa enim quæ attribuuntur rei ſecundùm ſe, cõueniunt ei ſecundùm ſuum modum. Sed illa quæ attribuuntur ei, vel quæ conſequuntur ad ipſam inquantum eſt cognita, ſunt ſecundùm modum cognoſcentis, & non ſecundùm modum rei cognitæ; Vt ſi dicam: Si ego intelligo aliquid, illud eſt immateriale. Non enim oportet ut quod intelligitur ſit immateriale, niſi ſecundùm ꝙ eſt in intellectu. Et ſimiliter cùm dico: Si Deus ſcit aliquid, illud erit; conſequens eſt ſumendum, non ſecundùm diſpoſitionẽ rei in ſeipſa; ſed ſecundùm modum cognoſcẽtis. Quãuis aũt res in ſeipſa ſit futura, tamẽ ſecundùm modum cognoſcentis eſt pſens. Et ideo magis eſſet dicendum: Si Deus ſcit aliquid, illud eſt; q̃ hoc erit. Vnde idem eſt iudiciũ de iſta: Si Deus ſcit aliquid, hoc erit; & de hac: Si ego video Socratem currere, Socrates currit; quorum utrunq. eſt neceſſarium, dum eſt. Hactenus. D. Tho. Cuius quidẽ uerba adeo clara ſunt & manifeſta, ut nemo ſanę mentis ambigere ualeat, nunquid de ſcĩa Dei in ſe loquatur, an potius prout ſignificatur per uerbum præteriti temporis. Et cùm eadem doctrina ſub eiſdẽ uerbis habeatur in Sũma Theologię, fit cõſequens, ut ẽt ibi de ſcĩa Dei in ſe uerba faciat; id quod omnino repugnat Caietano. Qui quidem ſi diceret, argumentum illud ſecundum, vim duntaxat propoſitionũ diſcutere; & ex conſequenti. D. Tho. præter rem locutum fuiſſe; quinimmo, ſtante hac noſtra doctrina, in eiùs reſponſione latere æquiuocationem; hoc profectò falſum eſſe arbitrarer, (parcat mihi tantus uir) & ab eodem argumento prorſus alienũ. Siquidẽ, & uim propoſitionũ, & rerũ abſolutè diſcutere intẽdit argumentum. Id qđ ex eo facilè cõſtare põt, quoniã antecedens pexpoſitæ cõditionalis pbat eſſe neceſſariũ duplici uia; nimirũ q̃a eſt ęternũ, & q̃a ſignificatur vt præteritũ. Modò aũt, ſi intentũ argumenti erat, vim tãtùm ꝓpoſitionũ diſcutere, illud pfectò antecedẽs, ſuperq. ſatis probatũ fuiſſet neceſſarium, ex eo q̃a ſignificatur ut pteritum; nulla alia cogẽte neceſſitate, vt aliã adderet rõnẽ; quia nẽpe eſt ęternũ. Nõ eſt aũt ęternum, niſi q̃a ſcĩa Dei eſt ęterna, & nõ ſolùm ſignificatur ut æterna. Si igit̃ ex eo ꝙ ſcĩa Dei eſt ęterna, illud antecedẽs relinquitur ęternũ, & inde neceſſariũ; ꝙ argumẽtũ, rerũ ẽt uim abſolutè diſcutiat, & nõ tantùm ꝓpoſitionũ, fit neceſſariò cõſequẽs. Idcirco. D. Th. in diſſolutione eiuſdẽ rõcinij, eius attẽta vi & robore, illã q̃ pręmiſimus ſecũdã pbationẽ poſthabuit, & deſpicatui duxit; tũ ne fieret lis in verbis, cùm de rebus altiſsimis ptractaretur; tũ ẽt q̃a nõ ꝓbabat intẽtum.

Quandoquidem ad hoc ut propoſitio de præterito neceſsitatem ſimpliciter inducat, nedum oportet ꝙ ſit vera, & modum habeat præteritū ſignificādi, verùmetiam ꝙ menſuretur menſura, præteritum includēte formaliter. Et ad hoc vt ſit vera, non ſolùm requiritur modus ſignificandi præteritum in ea, at etiam ꝙ res ſignificata ſit propriè præterita; cuiuſmodi non eſt ſciētia Dei in illo antecedente aſſumpta. Cùm itaque huiuſmodi propoſitio: Deus ſciuit Antichriſtum fore: menſuretur æternitate, in qua nullum eſt p̄teritum, neque futurum, at ſolummodo præſens; illud perſpicuum relinquitur & clarum, ꝙ non menſuratur menſura includente formaliter præteritum; & ex conſequenti, quòd res per eam ſignificata, non ſit propriè præterita. Quare non erit illa propoſitio neceſſaria, niſi ſecundùm quid; cùm talis non ſit niſi penes modum ſignificandi. Meritò igitur, iureq. optimo, eā pro nihilo habuit ſanctiſsimus Doctor. Et de more ſuo altiſsimè loquēdo, pariterq. ſubtiliſsimè, ad primæ probationis diſſolutionem ſe accinxit, inquiens, illud antecedens eſſe neceſſarium abſolutè; non quia ſignificetur vt præteritum, (de hoc enim ne verbum quidem habuit) at ea quam poſtea aſsignabimus ratione.

.2. Interim dicamus, ſecundum quoque eiuſdem Caietani dictum, ex his quæ modò habuimus, de falſitate conuinci. Id quod etiam tali ratione fulciri pōt: Illa propoſitio eſt de præſenti, abſolutè loquendo, atque ſimpliciter. Non igitur eſt de p̄terito. Id quòd anteceditex eo ſatis conſtat, ꝙ ſciētia Dei menſuratur æternitate. Modò autē in æternitate nihil eſt p̄teritum, ſiue futurum, at ſunt oīa præſentiā. Verum igitur quod in oratione antecedebat. Et ex eo confirmatur, quoniā optimè ſequitur: Deus ſciuit Antichriſtum futurum. Deus igitur ſcit Antichriſtum futurum. Et iterum: Deus ſcit Antichriſtum futurum. Ergo Deus ſciuit Antichriſtum futurum. Licèt igitur illa propoſitio uideatur eſſe de præterito; re ipſa tamen eſt de præſenti; quoniam æquiualet propoſitioni de præſenti.

Solutio. Ad rationē ſi dicat, æternitatem reſpondere ōibus differentijs noſtri tēporis, ēt præteriti, quia licèt ſit tota ſimul, eminenter tamen comprehēdit omnes t̄pis differentias. Et ad eius confirmationē, ſi quis dicat, illarum conſecutionum utranque bonā eſſe materialiter, minimè autem formaliter, ad modum attendēdo ſignificandi terminorum. Et propter eà velit ꝙ propoſitio de p̄ſenti, & de præterito non ſint æquiualentes, formaliter loquendo.

Impugnatio. Vtrumq. certè reſponſum à ueritate abhorret. Quādoquidē licèt æternitas cōprehendat eminenter oēs t̄pis differentias; formaliter tamē eſt mēſura ſimpliciſsima, & tota ſimul; illaq. menſuratur diuina ſcientia, & non t̄pe. Et hoc eſt quod declarat primum reſpōſum eſſe oīno nullum. Itemq. ſecundum eſt nullum; qm̄ rō formalis propoſitionis de p̄terito, uel de p̄ſenti, nō deſumitur ex modo ſignificādi terminorum ſimpliciter, at p̄cipuè à mēſura qua mēſuratur. Huiuſmodi.n. ꝓpoſitio: Adā fuit. Nō eſt de p̄terito, niſi qa p̄ter modum ſignificandi terminorum, fuit ēt tēpus in quo fuit uerum dicere: Adā eſt. Vnde qa menſura qua menſuratur cōtinet in ſe formaliter & ꝓpriè p̄teritum; Idcirco dr̄ propoſitio uerè, ꝓpriè, & formaliter de p̄terito. Illa autem quā modò diſcutimus, cùm nō ita ſe habeat; non erit formaliter

de præ-

de præterito, at de præſenti; quod erat principale intentum.

Id quod etiam authoritate. B. Tho. cõfirmari poteſt; qui in primo Theologicarũ ſent. d. 39., q. 1., ar. 1. diſputat nũquid Deus poſsit nõ ſcire illud quod eſt ſcitũ ab eo; Et pro parte aduerſa in hunc modũ erigit rõnem: Secũdùm Auguſtinum, Hiero., & Philoſophũ in. 6. Ethi., Deus non põt facere, vt id quod eſt præteritum, non fuerit. Cùm aũt dicitur, hoc eſt ſcitũ à Deo, ſignificatur ut pręteritũ. Ergo non poteſt non eſſe ſcitũ à Deo. Ad hanc autem rationẽ ita formaliter reſpondet: Actus ſcientiæ diuinæ nunq̃ tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt in actu; & ideo ſemper manet in libertate voluntatis. Ecce ꝙ. D. Tho. non curat de modo ſignificandi propoſitionũ, ſed de re ipſa ſignificata. Et propterea cùm dicitur ꝙ hæc propoſitio: Hoc eſt ſcitũ à Deo: ſignificatur vt præteritum; reſpondet ꝙ licèt habeat modũ ſignificandi præteritum, & videatur eſſe de præterito; at re vera eſt de præſenti; quoniã, inquit; actus ſcientiæ diuinæ nunquã tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt in actu. Quorſum hæc verba? Niſi ꝙ ratio formalis propoſitionis de præterito, nõn ſumitur à modo ſignificandi ſimpliciter, atqui à menſura ꝑcipuè, qua menſuratur? Cùm itaq. propoſitio illa antecedens, non ſit ꝓpriè & ſimpliciter de præterito, at ſecundùm quid tantùm; nequidem erit neceſſaria ſimpliciter & abſolutè, verùm ſecundùm quid tantum; & ita ratio atque principalis difficultas, adhuc in ſuo robore conſiſtit.

Pro cuius quidem diſſolutione animaduertendum eſt, neceſſarium abſolutè; in propoſito; bifariã intelligi poſſe; Primò, pro eo quod ex terminorum rõnibus eſt neceſſariũ, ita vt eius oppoſitũ ſit omnino impoſsibile, & ex terminis implicans contradictionẽ; veluti hominem eſſe aĩal rationale. Vſqueadeo enim neceſſariũ eſt hominem eſſe animal rõnale, ꝙ eius oppoſitum eſt omnino impoſsibile, & contradictionem implicans. Secundò accipitur pro eo, quod in ſe eſt neceſſariũ, & non ſolùm per dependentiam ad aliam propoſitionẽ; & ita propoſitio illa dicitur neceſſaria abſolutè, cuius proprium ſignificatũ eſt neceſſarium; & non prout ſubeſt alteri propoſitioni; ſiue, vt aiunt, neceſsitate conſequentiæ; & ſub hoc continetur neceſſariũ, neceſsitate immutabilitatis. Cùm itaq. in illo antecedente, duplex poſsit eſſe neceſsitas; nempe conſequentiæ, & neceſsitas ſignificati in ſe; determinauit. D. Tho. modũ neceſsitatis, dicẽs ipſum eſſe neceſſarium abſolutè; ſcilicet ſecundùm ſuum propriũ ſignificatum. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: In huiuſmodi conditionali: Si Deus nouit Antichriſtum fore, ille profectò erit; antecedẽs nedũ eſt neceſſariũ neceſsitate illationis, quia. ſ. ad aliquod antecedens neceſſario ſequatur, nimirum ad hoc, ꝙ Deus voluit illum eſſe; quoniã ſcientia viſionis ꝓſupponit actum uoluntatis; uerũ etiã eſt neceſſarium in ſe; hoc eſt ſecundum ſuum proprium ſignificatum; quãdoquidẽ eſt neceſſarium neceſsitate immutabilitatis; cùm de vero in falſum minimè uariari poſsit; & ſecundùm ſuum ꝓprium ſignificatũ, ſignificat immutabilitatẽ. Et quia conſequens eiuſdẽ conditionalis, quatenus ad illud ſequitur antecedẽs, &, vt aiunt; in ſenſu cõpoſito acceptum, eſt ẽt immutabile; idcirco relinquitur neceſſarium abſolutè, ſicut & antecedens; quemadmodũ. D. Th. peroptimè declarauit in. q. de verità., loco paulò ante citato. Ad rationẽ

igitur,quæ probabat antecedens illud eſſe neceſſarium abſolutè, tum quia eſt æternũ,tum quia ſignificatur vt p̃teritum,reſpondet.D.Tho.;ꝙ eſt quidem neceſſariũ abſolutè; at nõ quia ſignificetur vt præteritũ, quoniã ut ſic, non eſſet neceſſariũ,niſi ſecundùm quid;veluti diximus; nequidem ſimpliciter,& in ſenſu diuiſo;quandoquidem tunc ſcientia uiſionis in Deo,eſſet neceſſaria ſimpliciter,& abſolutè,in primo quẽ pręmiſimus ſenſu;id quod eſſe falſum oſtendimus ſupra. Dicitur ergo neceſſariũ abſolutè,quia eſt neceſſarium ſecundùm ſemetipſum,& non tantùm prout ſubeſt alteri propoſitioni; quæ quidem neceſsitas,dicitur & eſt neceſsitas immutabilitatis. Id quod etiam apertiſsimè docet in primo ſent.d.39.q.1.art.1.ad.3.dicens: Illud quod eſt,neceſſe eſt eſſe dum eſt;abſolutè tamen loquendo,nõ neceſſe eſt eſſe. Ita Deum ſcire neceſſe eſt dum ſcit; non tamen neceſſe eſt eũ ſcire,niſi neceſsitate immobilitatis.Ita.D.Tho. Ex quo patet, quãtùm in hac parte à veritate deuiauerit Caietanus. Fundamentũ iſtius doctrinæ deſumptum eſt ex Ferrarienſi,lib.primo de Catholica veritate,cap.67.Quod tamen non arridet Dominico Bannes in prima par.Summæ.D.Tho.q.19., ar.8., ad primum argumentũ,contra primã concluſionem eiuſdẽ.D.Tho., quo loci vult illud antecedens: Deus ſciuit Antichriſtũ futurũ eſſe abſolutè neceſſariũ,id eſt non dependenter à futuro; vt aiebat quædam opinio à D.Tho. reiecta. Verùm hoc non ſufficit;quoniã etſi non depẽdeat à futuro, depẽdet tamen ab alia propoſitione;nempe ab illa,quia Deus uoluit Antichriſtum fore,ideo ſciuit ipſum futurũ. Et ita adhuc eſt dubitatio, quomodo illud antecedens ſit neceſſarium abſolutè. Quare melius vt diximus.

Quòd non obſtante illa neceſsitate, praexpoſita antecedens propoſitio eſt ſimpliciter contingens. Cap. 27.

IN ſuperioribus habuimus,ꝙ Deus Benedictus non eſt cauſa cõtingens, neque neceſſaria,reſpectu eorũ quæ ſunt ad extra,ſed eſt eminẽter continẽs vtrũq.; vnde relinquebatur ipſum eſſe cauſam liberã.Habuimus; inſuper; contingentiã quantùm ad ſuã rõnem formalẽ deſumi à poſſe, non ab eſſe effectus; ſiue per ordinẽ ad cauſam,à qua egreditur; quę quidẽ cauſa debet eſſe eiuſdẽ effectus proxima & immediata. Cõtingẽtia nanq., itẽq. neceſsitas,necnon & libertas cuiuſcunq. effectus, immediatè & formaliter deſumitur ex proxima cauſa ipſius,& immediata. Vlterius illud certum & exploratũ habuimus, ꝙ nẽpe Dei ſcientia viſionis,actũ pręſupponit diuinę uoluntatis,eiuſq. determinationẽ inſequitur ſemper;quare actus illius ſciẽtiæ eſt liber,& non neceſſarius,niſi neceſsitate immutabilitatis. Demum habuimus ꝙ huiuſmodi propoſitio: Deus nouit Antichriſtum futurum; eſt de præſenti ſimpliciter,non autem de præterito, niſi ſecundùm quid.

2. His igitur ita conſtitutis, nunc liceat in hunc modum rationem erigere: In eiuſmodi propoſitione,actus importatur ſcientiæ uiſionis diuinę; Huiuſmodi autem ſcientia eſt libera. Illa igitur propoſitio actum importat ſimpliciter & formaliter liberum; quare eſt propoſitio contingens. Diſcurſus ex dictis ſatis conſtat; unde concluſio uera.

Amplius:

Amplius: Illa eadem propoſitio, ſola voce eſt de præterito, & re ipſa de præſenti. Eſt igitur ſimpliciter & abſolutè contingens. Id quod conſequitur non poſſumus ire inficias; quandoquidem cùm propoſitio illa nihil aliud enunciet, præterquam rem ipſam contingentem; Antichriſtum nimirum futurum, & ſit de præſenti, pro comperto habemus, ipſam eſſe ſimpliciter contingentem, & abſolutè. Id uerò quod antecedit patet ex dictis, atque prænotatis. .2.

Item; Fauet Ioannes de Baccone, qui in primo Theologicarum ſenten., d.40., q.1., art.2. ſub finem, inquit, quòd illa propoſitio antecedens .3. eſt contingens; ſed non accipiendo contingentiam quamcunque ex parte diuinæ uoluntatis & intellectus; ſed accipiendo contingentiam intellectus diuini, ut ſe extendit ad contingens in creatura. Quod eſt dictu, non ponimus contingentiam in diuina uoluntate, neque in diuino intellectu; ſed quia propoſitio illa importat actum ſcientiæ uiſionis diuinæ, qui eſt liber, & ſe extendit ad creaturam ſimpliciter & abſolutè contingentem; Inde fit, vt & ipſa ſimpliciter ſit & abſolutè contingens. Ex quo ſequitur contra Caietanum, quòd etſi illa propoſitio eſſet de præterito, eſſet nihiloſecius ſimpliciter contingens. Quoniam includit aliquid contingens; nẽpe Antichriſtum futurum.

Nec obſtat id, quod aduerſus huiuſmodi rationẽ habere uoluit. D.Tho., inquiens, quòd quamuis illa propoſitio includat aliquid futurum contingens, non tamen inde poteſt colligi, illam eſſe ſimpliciter contingentem. Propterea quòd id quod habuit reſpectum ad futurum, neceſſe eſt habuiſſe; licèt etiam futurum non ſequatur quandoque. Hoc; inquam; non obſtat; quandoquidem nil aliud intẽdit Beatus Doctor in illa ſua reprobatione, niſi quòd veritas illius propoſitionis, non dependet ab illo futuro contingenti; quoniam Dei ſcientia non pendet à creaturis. Vnde fit conſequens, ut eiuſdem propoſitionis contingentia, non oriatur ex aliqua dependentia, quam Dei ſcientia habeat à futuro contingenti. Ob id tamen non dicit, quòd illa propoſitio non ſit contingens, & quòd illud futurum contingens non concurrat ad eius contingentiam, vt conditio neceſſaria, & ueluti obiectum ſecundariò cognitum; licèt importet actum diuinæ cognitionis, prout egreditur de præſenti ab intellectu diuino, liberè operante. At niſi ſe extenderet ad obiectum verè contingens, nec ipſa propoſitio & actum & obiectum importans & includens, eſſet ſimpliciter & abſolutè contingens. Propterea diximus, ꝙ illud futurum contingens concurrit ad eiuſdem propoſitionis contingentiam, tanquam conditio neceſſaria. Nec ex eo ꝙ veritas illius propoſitionis non dependet ab illo futuro, vult habere. D.Tho., ꝙ propoſitio ipſa ſit abſolutè neceſſaria; ſed ſufficit ei arguendo ad hominẽ, oſtendere ꝙ ex illo reſpectu ad futurũ, non eſt ſimpliciter contingens; quoniam illud non ſufficit, cùm ſit ibi aliqua neceſsitas; ſed requiritur & actus diuini intellectus, liberè agentis, & obiectum ſimpliciter contingens. Cùm itaque veritas illius propoſitionis dependeat à diuino intellectu primò, & ſecundariò ſe extendat ad futurum contingens; optimè infert. D.Tho., ꝙ ex eo non poteſt eſſe ſimpliciter contingens.

plura ſeiungens, quæ omnimoda gaudent vnitate,tam immenſam celſitudinem attingere minimè valens. Inde proinde euenit, vt vnum iſtorum prius, alterum verò poſterius intelligamus; & iuxta hunc noſtrum intelligendi modum,aſſeueremus intellectum diuinum voluntatem præcedere,& actiones illius, actiones iſtius.

Dicimus;inſuper prædeſtinationem & reprobationem,prouidentiam ſupponere; & prouidentiam, præſcientiam; ac demum præſcientiam,ſcientiam ipſam. Vnde ſcientia,ſiue ſapientia,bonorum eſt omnium,ſimul atq. malorum; præſentium,præteritorum, & eorum quæ futura ſunt; temporalibus & æternis minimè ſeclusis. Præſcientia verò, eſt quidem bonorum & malorum,at ſolummodo futurorum;& ita ſupra ſcientiam,quandam addit præcognitionem. Prouidentia verò, ipſam includit præſcientiam; ſuperq. eam addit rerum prouiſarum promotionem, in earum finem. Prædeſtinatio denique & reprobatio, aliquid tum ex parte ſubiecti,tũ ex parte finis, addunt ſupra ipſam prouidentiam. Ex parte ſiquidem ſubiecti; quoniam prouidentia eſt omnium creaturarum ſimpliciter; prædeſtinatio verò & reprobatio, non niſi hominum & angelorum. Ex parte finis autem, quia prouidentia eſt reſpectu cuiuslibet finis; naturalis ſcilicet & ſupernaturalis; prædeſtinatio verò & reprobatio eſt reſpectu finis duntaxat ſupernaturalis. Illa quidem felicitatis æternæ; hæc autem interminabilis miſeriæ.

In eam itaque ſententiam veniunt omnes Patres Theologi, quòd Deus omnia, etiam futura,contingenterq.& temerè euentura,certè & determinatè intelligat. Item quòd diuina præſcientia idem ſit, quod diuina ſcientia; differat autem pro noſtro modo intelligendi, ab illa, ſola quadam intelligentiæ ratione. Quòd ſcientia dicitur inquantùm eſt omnium; præſcientia uerò, quatenus eſt futurorum tantùm in tempore euentuum. Quo-
Tom.4. circa Beatus Pater Auguſtinus, ad Simplicianum lib.2., quæſtione.2., pulcherrimo habito diſcurſu, demum in hunc modum concludit: Placet ergo ut non dicamus præſcientiam Dei, ſed tantummodo ſcientiam. Hoc autem dicit Auguſtinus, non ut nobis hoc nomine (præſcientia) interdicat; at potius ut inter ſcientiam & præſcientiam Diuinam, realem diſtinctionem è medio tollat. Quandoquidem aliquid tum ſcientiæ Dei temporaliter accederet;quod eſt abſurdorum omnium abſurdiſsimum. Bis enim; inquit, res Deus ipſe ſentiret; vno quidem modo, ſecundùm futurorum p̃ſcientiam; altero uerò modo,ſecundùm præſentium ſcientiam. Ne igitur ſcientiæ Dei aliquid temporaliter accedere dicamus, ꝙ unum & idem ſit cum eius præſcientia fateamur oportet. Et quia non niſi ab obiecto oritur æterno; diuina nimirum eſſentia; quòd & ipſa ſit æterna, neceſſariò conſequitur.

His igitur prælibatis, & pro iunioribus ita conſtitutis; duo pręcipuè facilè colliguntur. Alterum quidem, quòd Dei infallibilis pręſcientia non repugnat contingentię creaturę. Aliud uerò,quòd ex his quæ diximus, nulla ſequitur in Deo mutatio,nec alteratio. Agedum rem ipſam itaque propius aggrediendo, rationi qua nitebantur nonnulli, repugnantiam conuincere,

uincere, inter diuinæ cognitionis infallibilitatem, & creaturæ contingentiam, ſupereſt modo facere ſatis. Quia igitur uis tota præfati ratiocinij ex illa conſequutione pendet: Deus, nempe, hoc præſciuit contingens futurum; vtpotè Petrum ſaluari. Petrus igitur ſaluabitur. Id autem quod antecedit cùm neceſſarium eſſe videatur; Id etiam quod conſequitur erit neceſſarium. Et ita Dei præſcientia, rebus inferet neceſsitatem. Propterea circa illius conſequutionis primam partem, ſeu antecedens, ſunt qui varia dicunt.

Opinio prima. Primo nanque loco eſt illorum opinio, qui illud antecedens negant eſſe neceſſarium, at volunt eſſe contingens. Et pro ratione ponderant, quia licèt ſit preteritum dum dicimus; Deus præſciuit. Importat nihilotamenſecius reſpectum ad futurum, dum ſalutem Petri prænouit, quod quidem futurum, ſui natura eſt ſemper contingens.

Hanc ſententiam imitando, eſt conſectatus Ocham, in ſuo centilogio, concluſione. 84.; & cum eo Gabriel Biel, in primo Theologicarum ſenten., d. 39., q. vnica, ar. 3., dub. 8. Etiam VValdenſis, tomo primo, lib. primo, art. primo, cap. 29.

Confutatur. Prima par. q. 14. artic. 13. ad 2. Quæ tamen doctrina, Sanctiſsimo Doctori Thomæ Aquinati, hac ratione non placet: Quoniam tametſi præteritum illud, reſpectum habeat ad futurum, ob id ei non tollitur neceſsitas. Quoniam id quod habuit reſpectū ad futurum, id eſt, antea uidiſſe quod eſt futurum; neceſſe eſt habuiſſe reſpectum ad futurum, & neceſsitatem, ut Deus uiderit; licèt etiam futurum non ſequatur quandoque. Sic enim futura, quæ quandoque non ſunt, Deus ex parte ſui neceſſariò cognoſcit, tametſi non fiant. Et ideo cùm hæc opinio prima, .D. Thomæ non placeat, ſecundam aliorum opinionem refert, ſubnectens:

Opinio ſecunda. Alij uerò dicunt, hoc antecedens eſſe contingens; quia eſt compoſitum ex neceſſario & contingenti. Hoc eſt ex præterito, quia Deus ſciuit, quod eſt neceſſarium; & futuro, Petrum ſcilicet ſaluum fore, quod eſt contingēs. Pro quo, ſequens ponunt exemplum: Sicut iſtud dictum eſt contingens: Sortem eſſe hominem album.

Reijcitur. Cæterùm nequidem huiuſmodi opinio ei arridet; quia cùm dicitur: Deus ſciuit eſſe futurum hoc contingens; contingens non ponitur ibi niſi ut materia uerbi; & non ſicut principalis pars propoſitionis. Vnde contingentia eius, uel neceſsitas, nihil refert, ad hoc quod propoſitio ſit neceſſaria, uel contingens, uera uel falſa. Ita enim poteſt eſſe uerum, me dixiſſe, hominem eſſe Aſinum, ſicut me dixiſſe ſortem currere, uel Deum eſſe; & eadem ratio eſt de neceſſario & contingenti.

Camera. Dialogo. 2., fin Proteſtāte, par. 2. cap. 4. Improbatio hæc .D. Thomæ, à quibuſdam difficillima cenſetur, ijs qui Logicam ignorāt facillima uerò, ijs qui Logicam callent. Propterea illam exponendo atque declarando, magis ei caliginem & tenebras offundunt, quàm illuſtrent, eamq. patefaciant. Qua de re nobis uiſum eſt, eam propter iuniores, in terminis ſcholaſticis; quemadmodum iacet; exponere. Ille eſt igitur ſenſus; quòd propoſitio de præterito, cuius copula & uerbum, actum animæ importat; & dictum eſt aliquid impoſsibile, aut contingens;

tingens; dummodo fuerit ſemel uera; illud dictum, ſiue contingens ſit, ſiue impoſsibile, eius non tollit neceſsitatem. Quod ut ab omnibus facilius percipiatur, agamus exemplis. Sunt igitur propoſitiones de præterito, in quibus uerbum, actum animę importat, ſimiles iſtis: Plato dixit hominem eſſe Aſinum. Voluit ſortem currere; Sciuit hominem eſſe animal. Et primæ propoſitionis dictum eſt impoſsibile; quia impoſsibile eſt hominē eſſe Aſinum. Secundæ uerò dictum eſt contingens; Quia ſortem contingit currere. Tertiæ demum dictum eſt neceſſarium; quia neceſſum eſt hominem eſſe animal. Dato igitur quòd omnes iſtę tres propoſitiones fuerint ſemel ueræ, tam eſt neceſſaria prima, cuius dictum eſt impoſsibile; & ſecunda, cuius dictum eſt contingens; quàm tertia, cuius dictum eſt neceſſarium. Quoniam quod dixit, uoluit, & ſciuit Plato; non poteſt non dixiſſe, non uoluiſſe, non ſciuiſſe. In.6. nanque de moribus, cap.2., ex cuiuſdam Agathonis ſententia dicebat Ariſtoteles, hoc ſolum negandum eſſe diuinæ potentiæ, quòd id quod factum eſt, non poſsit infectum reddere. Huiusq. doctrinæ rationem reddit. D.Tho., quia dictum illud non eſt pars præcipua illius propoſitionis, ſed eſt materia illius uerbi, dixit, ſciuit &c. Quod quidem uerbum, actum quendam importat præteritum, & ex conſequenti neceſſarium. Actus autem iſte ſe habet ſicuti forma, dictum uerò ſicuti materia, in propoſitione; cùm ſit illud ſuper quod tranſit ipſe actus. At uerò unumquodque denominatur tale, ab eo quod eſt in eo formale. Quare propoſitio de qua in præſenti loquimur, denominatur uera, uel falſa, contingens, uel neceſſaria, à uerbo; non autem à dicto. Eapropter. D.Thomas in primo Theologicarum ſenten., d.38., q.1., art.5., ad 4., dicebat ꝙ ueritas & neceſsitas propoſitionis, ex uerbo pendet principali; & dictum eiuſdem propoſitionis non ſumitur ut uerum, uel falſum, aut ueluti neceſſarium, uel contingens; aſt ut dictum quoddam tantùm.

Quando igitur dicit ſecunda opinio, quòd illud antecedens eſt contingens, quia eſt compoſitum ex neceſſario & contingenti; dicit Beatus Doctor hoc nihil eſſe. Quandoquidem illud contingens eſt dictum in propoſitione illa antecedente. Quod quidem dictum, ſe habet ueluti materia, à qua non denominatur propoſitio. Relinquitur ergo, ꝙ ab eo denominetur, quod eſt in ea neceſſarium. Vnde erit neceſſaria. Et ita ratio quā prę miſimus, adhuc ſuperſtes & inuicta manet.

3. Opinio. Quare aliam uiam aſsignat ipſe Beatus Doctor, inquiens: Vnde dicendum eſt, quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè. Nec tamen ſequitur (ut quidam dicunt) quòd conſequens ſit neceſſarium abſolutè. Quia antecedens eſt cauſa remota conſequentis, quod propter cauſam proximam contingens eſt. Hęc eſt tertia opinio, quę nitebatur eandem tollere difficultatem.

Camera. vbi ſupra. Et hanc quidam uentilantes, literam uolunt eſſe corruptam, ut ita legamus: Nec tamen ſequitur (ut quidam dicunt) quòd conſequens non ſit neceſſarium abſolutè. Vnde dicunt in litera. D.Tho. quam modo recenſuimus, deficere unum: non: quod ipſi addunt. Verumenimuerò, litera ſicut iacet in textu pręcitato uenit legenda; minimè autem prout ipſi dicunt.

cunt. Siquidem illa tertia opinio præmiſſæ difficultati ſatisfacere intendens, vim & neruum ipſius cum alijs ponderat, qui in illa conſecutione conſiſtit. Et inde reſpondens, ait antecedens quidem eſſe neceſſarium abſolutè; at ob id non ſequi, conſequens fore abſolutè neceſſarium.

Huiuſquę ratio eſt, quia unumquodque denominatur à ſua cauſa proxima & immediata. Sol enim & homo generant hominem; ex ſecundo auſcultatorio libro; homo tamen, non à Sole, qui eſt eius cauſa remota; ſed ab homine, eius cauſa proxima & immediata denominatur. Hoc autem conſequens, de quo modò uerba facimus, duplicem habet cauſam; remotam nempe, atque immediatam & proximam. Ab hac itaque, & non ab illa denominandum venit. Quæ quidem contingens cùm ſit, & ipſum conſequens contingens fore, neceſſariò conſequitur. Vnde cùm dicitur: Deus vidit Petrum ſaluari, Igitur Petrus ſaluabitur. Dicit iſta opinio, quòd antecedens licèt ſit neceſſarium abſolutè, ratione infallibilitatis cognitionis, uiſionisq. diuinæ. Conſequens tamen eſt contingens; quia à libero prouenit Petri arbitrio, tanquam à cauſa proxima & immediata. Id quod etiam exemplo ſatis apto, à Sole deſumpto, facilè conſtare poteſt. Sol enim quamuis ſit cauſa neceſſaria arboris florulentæ; floreſcere tamen, quod eſt eius effectus, eſt contingens; propterea quòd ipſius arboris uis generatiua, quæ eſt emiſsionis florum cauſa proxima & immediata, eſt uariabilis, & impediri poteſt. Si uerò antecedens quod eſt neceſſarium abſolutè, cauſa ſit proxima & immediata ipſius conſequentis, erit proculdubio & ipſum neceſſarium abſolutè. Iſte igitur eſt ſenſus illius tertiæ opinionis, ſeu diſſolutionis, ad præmiſſam difficultatem; quemadmodũ apud D.Tho. de ueritate, q.2., ar.12., ad.7., facilè uideri poteſt. Non eſt igitur corrupta litera, in prima par. Summæ. Quinimmo ſi ita legeretur ueluti ipſi uolebant, conſequens admitteretur neceſſarium abſolutè, ſicuti & antecedens. Quandoquidem duæ negationes affirmant. Hoc autem non poteſt uelle illa tertia opinio; quoniam ſuſtinere intendit atque defendere, quòd infallibilitas diuinæ cognitionis, non repugnat contingentiæ creaturæ.

Cæterùm adhuc; inquit. D.Tho.; non eſt ratio eneruata, minuſuè difficultas è medio ſublata. Quandoquidem omnis conditionalis, cuius antecedens eſſet cauſa remota neceſſaria, & conſequens effectus contingens, eſſet falſa. Vtpotè ſi dicamus: Si ſol mouetur, herba germinabit. Hoc autem à ueritate ſuperq. ſatis abhorret; & illud igitur ex quo effluxit. Nam illa quam præmiſimus conditionalis eſt ueriſsima; quoniam oppoſitum conſequentis, repugnat antecedenti. Eſt enim impoſsibile quòd nunquã germinet herba, ſi Sol moueatur; nihilotamenſecius eius antecedens eſt cauſa remota conſequentis. Non igitur uerum eſt, quòd ex antecedente neceſſario abſolutè, non ſequatur conſequens neceſſarium abſolutè, niſi quando antecedens eſt cauſa proxima & immediata ipſius conſequentis. Ratio autem deceptionis huius tertiæ opinionis, fuit prauus intellectus memoratæ regulæ Ariſtotelis. Quæ ab eo non probatur ratione cauſalitatis, at ratione conſequentiæ; ſecundùm quam, ex neceſſario ſequitur Refellitur.

neceſſa-

neceſſarium; ſiue ſit effectus, ſiue cauſa proxima, ſiue remota. Vera enim conditionalis eſt ſemper neceſſaria. Non quidem neceſsitate abſoluta; ſed conſequentiæ.

Opinio. 4. & vera. Vnde Beatus Doctor, ſuam quæ ſequitur ponit opinionem, inquiens: Et ideo aliter dicendum eſt, ꝙ quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ; conſequens eſt accipiendum non ſecundùm eſſe quod in ſe eſt; ſed ſecundùm ꝙ eſt in anima. Aliud enim eſt eſſe rei in ſeipſa, & eſſe rei in anima. Vtputa ſi dicam: Si anima intelligit aliquid; illud eſt immateriale. Intelligendum eſt, quòd illud eſt immateriale, ſecundùm ꝙ eſt in intellectu; non ſecundùm quòd eſt in ſeipſo. Et ſimiliter ſi dicam: Si Deus ſciuit aliquid, illud erit. Conſequens intelligendum eſt prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ, ſcilicet prout eſt in ſua præſentialitate. Et ſic neceſſarium eſt, ſicut & antecedens. Quia omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; ut dicitur in primo Perihermeniarum. Hæc Beatus Thomas. Ex quibus tria præcipuè habentur; primum eſt, quòd hæc propoſitio: Deus ſciuit Antichriſtum futurum; eſt abſolutè neceſſaria. Secundum eſt, quòd hæc propoſitio: Antichriſtus erit: eſt ſimpliciter contingens. Tertium eſt, quòd hæc propoſitio: Antichriſtus erit: in huiuſmodi conſequentia: Deus ſciuit Antichriſtum futurum: Ergo Antichriſtus erit: non eſt abſolutè & ſecundùm ſe accipienda; ſed prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ. Vnde eſt neceſſaria ſicut & antecedens. Et hæc relinquuntur examinanda.

Quomodo prænarratum antecedens ſit neceſſarium abſolutè. Cap. 26.

VArij ac diuerſi ſunt circa præmiſſum antecedens diſputantes, & Angelici Doctoris dogmata funditus repudiantes; propterea eius mentem prius aperiemus, & ad alia poſtea nos accingemus. Dicit ergo, ꝙ illud antecedens: Deus uidit; eſt neceſſarium abſolutè; non quidem ut Deus neceſsitate aliqua cognoſcat; quandoquidem liberè cognoſcit; atqui propter infallibilitatem, ſeu immutabilitatem. Pro cuius quidem clariori notitia, illud animaduertendum proponimus, ſcientiam nempe diuinam, ſub ea qua eſt ſcientia formali ratione, eſſe neceſſariam, poſſe bifariam intelligi. Aut ſcilicet neceſsitate abſoluta, aut neceſsitate immutabilitatis. Modò ſi loquamur de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ naturaliter actum præcedit uoluntatis; ſaltem ſecundùm rationem; tum dicimus illam eſſe neceſſariam, neceſsitate abſoluta; ueluti docet. D. Tho., prima par. Summæ Theologiæ, q. 19., ar. 3. ad. 6., & Caietanus ibidem; nullumque de hoc habetur dubium. Si uerò de ſcientia uiſionis ſermonem habere uelimus, illud perſpicuum eſt & clarum, quòd non eſt neceſſaria niſi neceſsitate immutabilitatis. Quandoquidem ſi eſſet neceſſaria neceſsitate abſoluta, Deo tunc abſolutè repugnaret neſcire quicquid nouit ſcientia uiſionis; ita quòd non poſſet omnino non nouiſſe; quemadmodum dicimus, hominem neceſſariò animal eſſe rationale, quia ei omnino

nino repugnat non eſſe tale animal. Huiuſmodi autem repugnantia non reperitur in Deo, ratione ſcientiæ uiſionis. Quare nec illa erit neceſſaria, neceſsitate abſoluta. Et ꝗ illa in Deo repugnantia minus reperiatur, ex eo facilè conſtat, quia cùm ſcientia uiſionis, determinationem ſequatur diuinæ uoluntatis. Sicuti ab æterno determinauit Deus Antichriſtum fore, ita potuit ab æterno determinare illum non fore; quoniam non cogitur Deus ad productionem creaturarum. Quemadmodum igitur ab æterno cognouit Antichriſtum fore, quia uoluit ipſum fore; ita potuit ab æterno cognouiſſe ipſum non fore; quia poterat nolle ipſum fore.

Quòd verò ſit neceſſaria neceſsitate immutabilitatis, ex eo facilè conuincitur, quia quod Deus ab æterno ſciuit fore, ſemper ſcit, & non poteſt mutari, ut prius ſciat, & poſtmodum neſciat; ueluti accidit nobis. Quando igitur dicit. D.Tho., illud antecedens eſſe neceſſarium abſolutè, ſermo eſt de ſcientia uiſionis; & propterea dicit ꝗ eſt neceſſarium, propter diuinæ ſcientiæ immutabilitatem. In primo ſiquidem Theologicarum ſenten., d.38., q.1., ar.5. ad quartum, huiuſmodi habet uerba formalia: Et ideo aliter dicendum eſt, quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè. Tum ex immobilitate actus. Tum etiam ex ordine ad ſcitum. Quia iſta res non ponitur ſubiacere ſcientiæ diuinæ, niſi dum eſt in actu, ſecundùm quòd determinationem & certitudinem habet. Ipſum enim neceſſe eſt eſſe dum eſt. Et ideo ſimilis neceſsitas inferenda eſt in conſequente: ut ſcilicet accipiatur ipſum quod eſt Sortem currere, ſecundùm ꝗ eſt in actu; & ſic terminationem & neceſsitatem habet. Vnde patet ꝗ ſi ſumatur Sor. currere ſecundùm hoc ꝗ ex antecedente ſequitur, neceſsitatem habet. Non enim ſequitur ex antecedente, niſi ſecundùm quòd ſubſtat diuinæ ſcientiæ, cui ſubijcitur, prout conſideratur præſentialiter in ſuo eſſe actuali. Vnde etiam ſic ſumendum eſt conſequens. Quo modo patet ꝗ conſequens neceſſarium eſt. Neceſſe enim eſt Sortem currere, dum currit. Hactenus D.Tho. Ex cuius quidem uerbis & doctrina, quatuor præcipuè colliguntur. Primum, ꝗ hîc eſt ſermo de ſcientia uiſionis. Secundum, ꝗ huiuſmodi ſcientia nõ eſt neceſſaria neceſsitate abſoluta, quia determinationem ſequitur diuinæ uoluntatis; ſed eſt neceſſaria neceſsitate immutabilitatis. Tertium eſt, ꝗ hoc antecedens: Deus ſciuit hoc eſſe futurum: eſt neceſſarium abſolutè. Quartum demum & ultimum eſt, ꝗ eſt neceſſarium abſolutè, tum ex immobilitate actus, tum ex ordine ad ſcitum. Modò his ſtantibus, mox contradictio in dictis apparet. D.Tho., quandoquidem ſi eſt ſermo de ſcientia uiſionis, quæ non eſt neceſſaria neceſsitate abſoluta, quia ſequitur diuinæ uoluntatis determinationem: at eſt neceſſaria neceſsitate dumtaxat immutabilitatis: quomodo illud antecedens erit neceſſarium abſolutè? *Dub. contra D.Th.* Adhuc; in primo ſen. dicit ꝗ eſt neceſſarium abſolutè, ex immobilitate actus, & ex ordine ad ſcitum. At illa neceſsitas non eſt neceſsitas abſoluta, ſed potius conditionata. Eſt igitur contradictio, ꝗ ſit neceſſarium abſolutè, & ſit neceſsitas immutabilitatis, atque ex ordine ad ſcitum.

Caietanus in prima par. Summæ Theologiæ. D.Tho., q.14., ar.13. Exponendo ſolutionem ſecundi argumenti, inquit ꝗ quæſtio de neceſsitate *Opinio Caietani.*

ſcientiæ,

ſcientiæ, uel præſcientiæ Dei reſpectu futurorum, poteſt in propoſito diſcuti. duplici via; primò abſolutè & ſecundùm rem; ſecundò uerò, ut ſignificatur per tales propoſitiones. Prima uia eſt extra propoſitum illius argumenti, quod uim propoſitionum diſcutit, non rerum abſolutè. Idcirco de præmiſſa quæſtione in ſecundo ſenſu, & prò ſecunda uia accepta, habetur ſermo in præfato argumento; quatenus ſcilicet diſcutitur quæſtio de ſcientia Dei non in ſe, at ſolummodo prout ſignificatur per tales propoſitiones. Huiuſmodi autem propoſitiones contingentes, ſeu in materia contingenti; quantùm ad propoſitum ſpectat; ſunt in duplici differentia; quædam enim ſunt de præſenti, quędã uerò de præterito. Et illud inter utranq. ueram, diſcrimen reperitur; ꝙ illa de præſenti non eſt neceſſaria abſolutè; quæ uerò eſt de præterito, eſt neceſſaria abſolutè. Veluti ex ſub aſsignatis exemplis facilè conſtat; ut ſi dicamus: Plato ſedet; & Plato ſedit. Prima nanque non eſt neceſſaria abſolutè, at ſecundùm quid tantùm; dum ſcilicet Plato ſedet. Quoniam unumquodque dum eſt, neceſſe eſt eſſe; ex primo Periher.; & propterea illius contradictorium abſolutè eſt poſsibile; ſcilicet Plato non ſedet. Secunda uerò quia eſt de præterito, ideo eſt neceſſaria abſolutè; ita ut eius contradictorium, etiam per diuinam potentiam, ſit omnino impoſsibile; ſcilicet Plato non ſedit. Hoc enim ſolum diuinæ potentiæ negandum uenit, quòd id quod factum eſt, non poſsit infectum reddere; dicebat Ariſt. in. 6. Ethi. c. 2., ex ſententia cuiuſdam Agathonis. Cùm igitur; inquit Caietanus; omnis propoſitio uera de præterito ſit neceſſaria abſolutè, conſequens eſt, quòd licèt iſta ſit contingens: Deus ſcit Antichriſtum fore; iſta tamen eſt abſolutè neceſſaria: Deus ſciuit Antichriſtum fore. Et propterea rectè & ſubtiliter dixit. D. Tho., quòd iſtud antecedens: Deus ſciuit hoc futurum eſſe; eſt neceſſarium abſolutè; quia ſcilicet eſt propoſitio de præterito, in materia contingenti. Hæc eſt doctiſsimi Caietani ſententia atque opinio; ex qua quidem, duo præcipuè elicio. Primum, quòd Beatus Doctor eo loci non loquitur de ſcientia Dei in ſe, atqui ut ſignificatur per uerbum præteriti temporis, ſeu prout ſignificatur per tales propoſitiones. Secundum autem illud eſt; nimirum quòd huiuſmodi propoſitio: Deus nouit Antichriſtum futurum, eſt ſimpliciter de præterito; quare & eſt ſimpliciter neceſſaria, & abſolutè.

Contra Caietanũ. 1. Ratio. Verumenimuerò neutrum iſtorum placet. Siquidem primo aduerſatur. D. Tho. in Primo Theologicarum ſenten., d. 38., art. ultimo, ad quartum; quo loci, hæc habet uerba formalia: Et ideo aliter dicendum eſt; quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè. Tum ex immobilitate actus: Tum etiam ex ordine ad ſcitum. Quia iſta res non ponitur ſubiacere ſcientiæ diuinæ, niſi dum eſt in actu; ſecundùm quòd determinationem & certitudinem habet. Ipſum enim neceſſe eſt eſſe, dum eſt. Et ideo ſimilis neceſsitas eſt inferenda in conſequente; ut ſcilicet accipiatur ipſum quod eſt Sor. currere, ſecundùm quòd eſt in actu, & ſic terminationem, & neceſsitatem habet. Vnde patet, ꝙ ſi ſumatur Sor. currere ſecundùm hoc quòd ex antecedente ſequitur, neceſsitatem habet. Non enim ſequitur ex antecedente, niſi ſecundùm quòd ſubſtat diuinæ ſcientiæ. Cui ſubijcitur,

prout

prout conſideratur præſentialiter in ſuo eſſe actuali. Vnde etiam ſic ſumendum eſt conſequens. Quo modo patet ꝙ conſequens neceſſarium eſt. Neceſſe.n. eſt Sortem currere, dum currit. Hæc ille. Ex quibus facilè conſtat, ꝙ loquitur de ſcientia Dei in ſe, non autem prout ſignificatur per verbũ præteriti temporis. Conditiones nanque illæ conueniunt ſcientiæ Dei in ſe, non autem vt ſignificatur; quemadmodum etiam peroptimè annotauit Ferrarienſis, primo libro aduerſus Gentiles, cap. 67. Sed audiamus rurſus eundem. D. Tho. q. 2. de uerita., ar. 12., ad. 7., ita loquentẽ: Et ideo aliter dicendnm eſt, ꝙ hoc antecedens eſt ſimpliciter neceſſarium, & conſequens eſt neceſſarium abſolutè, eo modo quo ad antecedens ſequitur. Aliter.n. eſt de his quæ attribuuntur rei ſecundùm ſe, aliter de his quæ attribuuntur rei ſecundùm ꝙ eſt cognita. Illa enim quæ attribuuntur rei ſecundùm ſe, cõueniunt ei ſecundùm ſuum modum. Sed illa quæ attribuuntur ei, vel quæ conſequuntur ad ipſam inquantum eſt cognita, ſunt ſecundùm modum cognoſcentis, & non ſecundùm modum rei cognitæ; Vt ſi dicam: Si ego intelligo aliquid, illud eſt immateriale. Non enim oportet ut quod intelligitur ſit immateriale, niſi ſecundùm ꝙ eſt in intellectu. Et ſimiliter cùm dico: Si Deus ſcit aliquid, illud erit; conſequens eſt ſumendum, non ſecundùm diſpoſitionẽ rei in ſeipſa; ſed ſecundùm modum cognoſcẽtis. Quãuis aũt res in ſeipſa ſit futura, tamẽ ſecundùm modum cognoſcentis eſt p̃ſens. Et ideo magis eſſet dicendum: Si Deus ſcit aliquid, illud eſt; q̃ hoc erit. Vnde idem eſt iudiciũ de iſta: Si Deus ſcit aliquid, hoc erit; & de hac: Si ego video Socratem currere, Socrates currit; quorum utrunq. eſt neceſſarium, dum eſt. Hactenus. D. Tho. Cuius quidẽ uerba adeo clara ſunt & manifeſta, ut nemo ſanę mentis ambigere ualeat, nunquid de ſcĩa Dei in ſe loquatur, an potius prout ſignificatur per uerbum præteriti temporis. Et cùm eadem doctrina ſub eiſdẽ uerbis habeatur in Sũma Theologię, fit cõſequens, ut ẽt ibi de ſcĩa Dei in ſe uerba faciat; id quod omnino repugnat Caietano. Qui quidem ſi diceret, argumentum illud ſecundum, vim duntaxat propoſitionũ diſcutere; & ex conſequenti. D. Tho. præterĩtem locutum fuiſſe; quinimmo, ſtante hac noſtra doctrina, in eius reſponſione latere æquiuocationem; hoc profectò falſum eſſe arbitrarer, (parcat mihi tantus uir) & ab eodem argumento prorſus alienũ. Siquidẽ, & uim propoſitionũ, & rerũ abſolutè diſcutere intẽdit argumentum. Id qđ ex eo facilè cõſtare põt, quoniã antecedens p̃ expoſitæ cõditionalis ꝓbat eſſe neceſſariũ duplici uia; nimirũ q̄a eſt ęternũ, & q̄a ſignificatur vt præteritũ. Modò aũt, ſi intentũ argumenti erat, vim tãtùm ꝓpoſitionũ diſcutere, illud ꝑfectò antecedẽs, ſuperq. ſatis probatũ fuiſſet neceſſarium, ex eo q̄a ſignificatur ut p̃teritum; nulla alia cogẽte neceſſitate, vt aliã adderet rõnẽ; quia nẽpe eſt ęternũ. Nõ eſt aũt ęternum, niſi q̄a ſcĩa Dei eſt ęterna, & nõ ſolùm ſignificatur ut æterna. Si igiĩ ex eo ꝙ ſcĩa Dei eſt ęterna, illud antecedẽs relinquitur ęternũ, & inde neceſſariũ; ꝙ argumẽtũ, rerũ ẽt uim abſolutè diſcutiat, & nõ tantùm ꝓpoſitionũ, fit neceſſario cõſequẽs.

Idcirco. D. Th. in diſſolutione eiuſdẽ rõcinij, eius attẽta vi & robore, illã q̃ pręmiſimus ſecũdã ꝓbationẽ poſthabuit, & deſpicatui duxit: tũ ne fieret lis in verbis, cùm de rebus altiſſimis ꝑtractaretur; tũ ẽt q̄a nõ ꝓbabat intẽtum.

Quandoquidem ad hoc ut propoſitio de præterito neceſsitatem ſimpliciter inducat,nedum oportet ꝙ ſit vera,& modum habeat pręteritū ſignificādi,verùmetiam ꝙ men ſuretur menſura, præteritum includēte formaliter. Et ad hoc vt ſit vera,non ſolùm requiritur modus ſignificandi præteritum in ea,at etiam ꝙ res ſignificata ſit propriè præterita; cuiuſmodi non eſt ſciētia Dei in illo antecedente aſſumpta. Cùm itaque huiuſmodi propoſitio: Deus ſciuit Antichriſtum fore: menſuretur æternitate, in qua nullum eſt p̄teritum,neque futurum,at ſolummodo præſens; illud perſpicuum relinquitur & clarum, ꝙ non menſuratur menſura includente formaliter præteritum;& ex conſequenti,quòd res per eam ſignificata, non ſit propriè præterita. Quare non erit illa propoſitio neceſſaria,niſi ſecundùm quid; cùm talis non ſit niſi penes modum ſignificandi. Meritò igitur,iureq. optimo,eā pro nihilo habuit ſanctiſsimus Doctor. Et de more ſuo altiſsimè loquēdo, pariterq. ſubtiliſsimè,ad primæ probationis diſſolutionem ſe accinxit,inquiens,illud antecedens eſſe neceſſarium abſolutè;non quia ſignificetur vt præteritum, (de hoc enim ne verbum quidem habuit) at ea quam poſtea aſsignabimus ratione.

.2. Interim dicamus, ſecundum quoque eiuſdem Caietani dictum, ex his quæ modò habuimus,de falſitate conuinci. Id quod etiam tali ratione fulciri pōt: Illa propoſitio eſt de præſenti,abſolutè loquendo,atque ſimpliciter. Non igitur eſt de p̄terito.Id quod antecedit ex eo ſatis conſtat,ꝙ ſciētia Dei menſuratur æternitate. Modò autē in ęternitate nihil eſt p̄teritum, ſiue futurum,at ſunt oīa præſentia. Verum igitur quod in oratione antecedebat. Et ex eo confirmatur,quoniā optimè ſequitur: Deus ſciuit Antichriſtum futurum.Deus igitur ſcit Antichriſtum futurum. Et iterum: Deus ſcit Antichriſtum futurum. Ergo Deus ſciuit Antichriſtum futurum.Licèt igitur illa propoſitio uideatur eſſe de præterito;re ipſa tamen eſt de præſenti; quoniam æquiualet propoſitioni de præſenti.

Solutio. Ad rationē ſi dicat, æternitatem reſpondere oībus differentijs noſtri tēporis,ēt præteriti,quia licèt ſit tota ſimul,eminenter tamen comprehēdit omnes tpis differentias. Et ad eius confirmationē,ſi quis dicat,illarum conſecutionum utranque bonā eſſe materialiter, minimè autem formaliter, ad modum attendēdo ſignificandi terminorum. Et propter eà velit ꝙ propoſitio de p̄ſenti, & de præterito non ſint æquiualentes, formaliter loquendo.

Impugnatio. Vtrumq. certè reſponſum à ueritate abhorret. Quādo quidē licèt æternitas cōprehendat eminenter oēs tpis differentias; formaliter tamē eſt mēſura ſimpliciſsima,& tota ſimul;illaq. menſuratur diuina ſcientia, & non tpe. Et hoc eſt quod declarat primum reſpōſum eſſe oīno nullum. Itemq. ſecundum eſt nullum; qm rō formalis propoſitionis de p̄terito,uel de p̄ſenti,nō deſumitur ex modo ſignificādi terminorum ſimpliciter,at p̄cipuè à mēſura qua mēſuratur. Huiuſmodi.n. ꝓpoſitio: Adā fuit. Nō eſt de p̄terito,niſi qa p̄ter modum ſignificandi terminorum,fuit ēt tēpus in quo fuit uerum dicere: Adā eſt. Vnde qa menſura qua menſuratur cōtinet in ſe formaliter & ꝓpriè p̄teritum;Idcirco dr̄ propoſitio uerè, ꝓpriè, & formaliter de p̄terito. Illa autem quā modò diſcutimus,cùm nō ita ſe habeat; non erit formaliter

de præ-

de prætetito, at de præſenti; quod erat principale intentum.

Id quod etiam authoritate. B. Tho. cõfirmari poteſt; qui in primo Theologicarũ ſent. d. 39., q. 1., ar. 1. diſputat nũquid Deus poſsit nõ ſcire illud quod eſt ſcitũ ab eo; Et pro parte aduerſa in hunc modũ erigit rõnem: Secũdùm Auguſtinum, Hiero., & Philoſophũ in. 6. Ethi., Deus non põt facere, vt id quod eſt præteritum, non fuerit. Cùm aũt dicitur, hoc eſt ſcitũ à Deo, ſignificatur ut prꝫteritũ. Ergo non poteſt non eſſe ſcitũ à Deo. Ad hanc autem rationẽ ita formaliter reſpondet: Actus ſcientiæ diuinæ nunq̃ tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt in actu; & ideo ſemper manet in libertate voluntatis. Ecce ꝙ. D. Tho. non curat de modo ſignificandi propoſitionũ, ſed de re ipſa ſignificata. Et propterea cùm dicitur ꝙ hæc propoſitio: Hoc eſt ſcitũ à Deo: ſignificatur vt præteritum; reſpondet ꝙ licèt habeat modũ ſignificandi præteritum, & videatur eſſe de præterito; at re vera eſt de præſenti; quoniã; inquit; actus ſcientiæ diuinæ nunquã tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt in actu. Quorſum hæc verba? Niſi ꝙ ratio formalis propoſitionis de præterito, nõn ſumitur à modo ſignificandi ſimpliciter, atqui à menſura ꝑcipuè, qua menſuratur? Cùm itaq. propoſitio illa antecedens, non ſit ꝓpriè & ſimpliciter de præterito, at ſecundùm quid tantùm; nequidem erit neceſſaria ſimpliciter & abſolutè, verùm ſecundùm quid tantum; & ita ratio atque principalis difficultas, adhuc in ſuo robore conſiſtit. *3.*

Solutio vera. Pro cuius quidem diſſolutione animaduertendum eſt, neceſſarium abſolutè; in propoſito; bifariã intelligi poſſe; Primò, pro eo quod ex terminorum rõnibus eſt neceſſariũ, ita vt eius oppoſitũ ſit omnino impoſsibile, & ex terminis implicans contradictionẽ; veluti hominem eſſe aĩal rationale. Vſqueadeo enim neceſſariũ eſt hominem eſſe animal rõnale, ꝙ eius oppoſitum eſt omnino impoſsibile, & contradictionem implicans. Secundò accipitur pro eo, quod in ſe eſt neceſſariũ, & non ſolùm per dependentiam ad aliam propoſitionẽ; & ita propoſitio illa dicitur neceſſaria abſolutè, cuius proprium ſignificatũ eſt neceſſarium; & non prout ſubeſt alteri propoſitioni; ſiue, vt aiunt, neceſsitate conſequentiæ; & ſub hoc continetur neceſſariũ, neceſsitate immutabilitatis. Cùm itaq. in illo antecedente, duplex poſsit eſſe neceſsitas; nempe conſequentiæ, & neceſsitas ſignificati in ſe; determinauit. D. Tho. modũ neceſsitatis, dicẽs ipſum eſſe neceſſarium abſolutè; ſcilicet ſecundùm ſuum propriũ ſignificatum. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: In huiuſmodi conditionali: Si Deus nouit Antichriſtum fore, ille profectò erit; antecedẽs nedũ eſt neceſſariũ neceſsitate illationis, quia. ſ. ad aliquod antecedens neceſſariò ſequatur, nimirum ad hoc, ꝙ Deus voluit illum eſſe; quoniã ſcientia viſionis ꝑſupponit actum uoluntatis; uerùmetiã eſt neceſſarium in ſe; hoc eſt ſecundum ſuum proprium ſignificatum; quãdoquidẽ eſt neceſſarium neceſsitate immutabilitatis; cùm de vero in falſum minimè uariari poſsit; & ſecundùm ſuum ꝓprium ſignificatũ, ſignificat immutabilitatẽ. Et quia conſequens eiuſdẽ conditionalis, quatenus ad illud ſequitur antecedẽs, &, vt aiunt; in ſenſu cõpoſito acceptum, eſt ẽt immutabile; idcirco relinquitur neceſſarium abſolutè, ſicut & antecedens; quemadmodũ. D Th. peroptimè declarauit in. q. de verita. loco paulò ante citato. Ad rationẽ *.2*

S 2 igitur,

Amplius: Illa eadem propoſitio, ſola voce eſt de præterito, & re ipſa de præſenti. Eſt igitur ſimpliciter & abſolutè contingens. Id quod conſequitur non poſſumus ire inficias; quandoquidem cùm propoſitio illa nihil aliud enunciet, præterquam rem ipſam contingentem; Antichriſtum nimirum futurum, & ſit de præſenti, pro comperto habemus, ipſam eſſe ſimpliciter contingentem, & abſolutè. Id uerò quod antecedit patet ex dictis, atque prænotatis. 2.

Item; Fauet Ioannes de Baccone, qui in primo Theologicarum ſenten., d. 40., q. 1., art. 2. ſub finem, inquit, quòd illa propoſitio antecedens 3. eſt contingens; ſed non accipiendo contingentiam quamcunque ex parte diuinæ uoluntatis & intellectus; ſed accipiendo contingentiam intellectus diuini, ut ſe extendit ad contingens in creatura. Quod eſt dictu, non ponimus contingentiam in diuina uoluntate, neque in diuino intellectu; ſed quia propoſitio illa importat actum ſcientiæ uiſionis diuinæ, qui eſt liber, & ſe extendit ad creaturam ſimpliciter & abſolutè contingentem; Inde fit, vt & ipſa ſimpliciter ſit & abſolutè contingens. Ex quo ſequitur contra Caietanum, quòd etſi illa propoſitio eſſet de præterito, eſſet nihiloſecius ſimpliciter contingens. Quoniam includit aliquid contingens; nēpe Antichriſtum futurum.

Nec obſtat id, quòd aduerſus huiuſmodi rationē habere uoluit. D. Tho., inquiens, quòd quamuis illa propoſitio includat aliquid futurum contingens, non tamen inde poteſt colligi, illam eſſe ſimpliciter contingentem. Proptereaquòd id quod habuit reſpectum ad futurum, neceſſe eſt habuiſſe; licèt etiam futurum non ſequatur quandoque. Hoc; inquam; non obſtat; quandoquidem nil aliud intendit Beatus Doctor in illa ſua reprobatione, niſi quòd veritas illius propoſitionis, non dependet ab illo futuro contingenti; quoniam Dei ſcientia non pendet à creaturis. Vnde fit conſequens, ut eiuſdem propoſitionis contingentia, non oriatur ex aliqua dependentia, quam Dei ſcientia habeat à futuro contingenti. Ob id tamen non dicit, quòd illa propoſitio non ſit contingens, & quòd illud futurum contingens non concurrat ad eius contingentiam, vt conditio neceſſaria, & ueluti obiectum ſecundariò cognitum; licèt importet actum diuinæ cognitionis, prout egreditur de præſenti ab intellectu diuino, liberè operante. At niſi ſe extenderet ad obiectum verè contingens, nec ipſa propoſitio & actum & obiectum importans & includens, eſſet ſimpliciter & abſolutè contingens. Propterea diximus, ꝙ illud futurum contingens concurrit ad eiuſdem propoſitionis contingentiam, tanquam conditio neceſſaria. Nec ex eo ꝙ veritas illius propoſitionis non dependet ab illo futuro, vult habere. D. Tho., ꝙ propoſitio ipſa ſit abſolutè neceſſaria; ſed ſufficit ei arguendo ad hominē, oſtendere ꝙ ex illo reſpectu ad futurū, non eſt ſimpliciter contingens; quoniam illud non ſufficit, cùm ſit ibi aliqua neceſsitas; ſed requiritur & actus diuini intellectus, liberè agentis, & obiectum ſimpliciter contingens. Cùm itaque veritas illius propoſitionis dependeat à diuino intellectu primò, & ſecundariò ſe extendat ad futurum contingens; optimè infert. D. Tho., ꝙ ex eo non poteſt eſſe ſimpliciter contingens.

Et quoniam huiuſmodi actum diuinæ cognitionis poſtquam eſt, neceſſe eſt eſſe, propter eiuſdem cognitionis & uoluntatis diuinæ immutabilitatem; & res dum eſt, neceſſarium eſt ꝙ ſit; ex Ariſtotele primo periher. c. vltimo; hinc fit, ut propoſitio illa: Deus nouit Antichriſtum futurum: Sit neceſſaria ſecundùm quid. Vnde concludendo, & omnia in unum reducendo, dicimus ꝙ poſtquam Deus ſciuit Antichriſtum futurum, manet potentia ad hoc ut non ſit, ex conſequenti, ad hoc quòd Deus non ſcinerit ipſum futurum. Quoniam Deus liberè ſimpliciter ſcit Antichriſtum fore; & inde ſequitur, ꝙ poſsit ſimpliciter non ſcire ipſum fore. Illud enim quod liberè fit, poteſt ſimpliciter non fieri, etiam in illo inſtanti in quo fit. Hæc omnia colliguntur ex dictis, & in ſenſu diuiſo veniunt ſemper intelligenda. Quoniam ſi coniunctim atque in ſenſu compoſito acciperentur, eſſent omnino falſa, & mutabilem redderent diuinam cognitionem. In ſenſu igitur compoſito non habet Deus potentiam, ut non ſciat Antichriſtum fore; ideſt, ſuppoſito ꝙ ſciat, non poteſt non ſcire; propter diuini intellectus immutabilitatem.

An huiuſmodi conſequentia: Deus nouit Antichriſtum fore; Ergò erit: Sit bona, & quomodo valeat. Cap. 28.

QVamplurimos equidem torſit de diuina præſcientia quæſtionum profunditas, & inexplicabilis abyſſus; ſi tamen caſtigato mentis oculo, ſobriè eas perpendere, ac ſummiſsè nos gerere velimus, mox res facilis erit & prompta. Illud igitur in primis proponitur annotandum, quod Ariſtoteles in ſuæ Meta. libro tertio dicere ſolebat; nimirum, quòd ſoluere non eſt ignorantis nodum; id eſt qui neſcit nodum, ligatum minimè ſoluere poteſt. Quocirca prænoſcendum uenit, nodum huiuſcæ quæſtionis exiſtere in contraria ratione ſcientiæ, & contingentię. Scientia nanque ab opinione cùm per certitudinem differat, non poteſt eſſe niſi neceſſariorum; quoniam ſi cognitum poſsit aliter eſſe, nō eſſet eius ſcientia; ſed incerta, & fallax opinio. E regione uerò, contingens aliter ſe habere, non uidetur poſſe eſſe ſcitum, aut præſcitum; quandoquidem ſi neceſſarium reputetur; hoc non eſt ſcientia, ſed error. Proinde quamplurimi, ac ferè omnes animo anguntur, & eos mirum in modum illa exagitat quæſtio, quomodo ſcilicet Deus Benedictus contingentia infallibiliter nouerit; & ſi infallibiliter, certoq. noſcuntur, quomodo in eis ſeruabitur contingentia? Et ſi hæc ſuperſtes & inuicta manet, quomodo non erit idem neceſſarium ſimul & contingens? Cùm itaque ſciſcitamur, nunquid à nobis præmiſſa illatio bona ſit, & quomodo valeat; undique difficultates emergunt. Quandoquidem ſi dicamus: Deus ſciuit: Antichriſtum fore: Diuina ſcientia cùm ſit omnino infallibilis & certa, propoſitio illa relinquitur neceſſaria. Et cùm, ex Dialecticorum regula, ex neceſſario non ſequatur niſi neceſſarium, ſicuti ex vero non niſi uerum; quòd & huiuſmodi conſequens: Antichriſtus erit: ſit omnino neceſſarium, nemo ibit inficias: & ita om-

Cap. 1.

ita omnia de neceſsitate euenient, & peribit in nobis libertas arbitrij. Quæ quidem omnia fauent perfidiſsimis erroribus ſceleratiſsimi Machometi; qui in ſuo Alchorano aſſerit omnia in hoc mundo de neceſsitate euenire; Et rurſus, quòd in coniunctione animæ uniuſcuiuſque cum corpore, Angelus ipſe uniuerſa animæ præſcribit, quæ ei eueniunt, & qualem finem habebit; nec aliquid horum poterit immutari. Fauent; inſuper; execrabili hæreſi maledicti Vuiclefi, libertatem tollentis arbitrij per diuinam uoluntatem, ita ut medium neceſsitatis, ſola eſſet diuina uoluntas. Cuius nos tantùm inſtrumenta quædam eſſe uolebat; & magis agi, quàm agere ea quæ agere uidemur. Succeſsit poſtea Lutherus, Melanchton, Caluinus, & alij quamplurimi, quorum modò non eſt cur ſententias recenſere uelimus. Si verò dicamus conſequens illud eſſe contingens; inde fit ut poſsit Antichriſtus non eſſe; & ita variabilis uidetur & incerta diuina ſcientia. Sequitur etiam ex neceſſario contingens; quod eſt abſurdum.

Solutio. Quòd ſi ad euitanda huiuſmodi incommoda, ad illud confugiamus, ꝙ antecedens cùm ſit propoſitio de præſenti, eſt ſimpliciter contingens, ſecundùm quid autem neceſſaria; id quod etiam de conſequente fatendum venit.

Impugnatio. Mox aderit oppoſitio; quandoquidem & ſi propoſitio illa antecedens ſit de præſenti, habet nihiloſecius neceſsitatem quandam ſibi annexam, ob diuini intellectus immutabilitatem. Illa verò poſita in conſequente, nempe: Antichriſtus erit: nullam habet in ſemetipſa neceſsitatem, ſed meram contingentiam.

Contra Ioanne de Bacco. Tom. 9. Vnde nec Ioannes ille de Baccone benè ſe geſsit, quando in primo libro Theologicarum ſenten., d.40., q.1.ar.3., dixit antecedens & cōſequens eſſe ſimpliciter contingens. Idq. deſumebat ex Diuo Patre Auguſtino, de triplici habitaculo, cap.5.; ubi concedit Deum ab æterno ſciuiſſe Adam peccaturum; negat tamen ꝙ ob id Adam neceſſariò peccauerit, hac unica ratione: Quoniam Deus ſciuit Adam peccaturum, ita quòd non peccaret, niſi ſecundùm modum, penès quem Deus ſciuit eum peccaturum. Deus autem non ſciuit Adam peccaturum, niſi quia præſciuit ipſum malè uſurum ſuo libero arbitrio. Sciuit igitur eum liberè & contingenter, minimè autem neceſſariò peccaturum. Ex quo infert Ioannes, quòd in huiuſmodi conſequutione: Deus præſciuit Adam peccaturum; Ergo peccabit: nonnullæ ſunt addendæ conditiones, tum ex parte antecedentis, tum etiam ex parte conſequentis, hunc in modum; Deus ſcit Adam peccaturum mediante actu ſui liberi arbitrij; Ergo ſcit eum liberè & contingenter peccaturum. Antecedens; inquit; eſt Auguſtini; Conſequentia autem eſt clara; quia conſequens debet ſequi ex antecedente, ſecundùm quòd in eo continetur; Verbi gratia: Sortes contingenter currit; Ergo contingenter mouetur. Et ſortes neceſſariò eſt homo; Ergo neceſſariò eſt animal. Modò autem in antecedente ponitur contingentia, ſeu libertas. Relinquitur ergo quòd ſit contingens. Quare & antecedens & conſequens erit contingens; vnde non ſequitur; inquit; Deus ſcit hoc fore; Ergo neceſſariò hoc erit.

Optima quidem doctrina in ſeipſa conſiderata; verùm ad quæſtionem nihil. Propterea quòd dupliciter cùm ſumatur præſcitum, materialiter nempe atque formaliter, & quæſtio ſit de præſcito formaliter accepto, Ioannes uerò de eo ſermonem habeat materialiter ſumpto; q ambiguitati non faciat ſatis, perſpicuum relinquitur & clarum. Præſcitum enim materialiter accipitur pro re ipſa, quatenus eſt in ſuis cauſis, vel in ſua natura, & non inquantùm præſcita. Sicq. ſi neceſſarias habeat proprias cauſas, eſt vtique neceſſaria; vt Solem cras oriri. Si uerò cauſas habeat contingentes, erit contingens; vt pluuiam cras euenire, ſeu fore nauale bellum; & hoc pacto res contingens poteſt non euenire. Præſcitum autem formaliter, accipitur pro re ipſa, non inquantùm eſt in ſuis cauſis, ſeu in ſua natura; at ſub ea præciſa, formaliq. ratione, qua eſt præſcita; & ita non poteſt non euenire, ob diuini intellectus immutabilitatem. Ex qua quidem immutabilitate, cùm in antecedente aliqua ſequatur neceſsitas, nulla verò in conſequente reperiatur, ſed mera contingentia; quomodo erit utrunque ſimpliciter contingens? Quòd autem quæſtio ſit de præſcito formaliter conſiderato, ex eo facilè conſtat; quoniam cum quærimus an ſcientia diuina rebus neceſsitatem imponat, & ipſarum tollat contingentiam; non quærimus, an res ipſæ à parte rei conſideratæ, & acceptæ prout in ſuis exiſtunt naturis, abſque ordine ad diuinam ſcientiam, ſint contingentes; at quæritur, nunquid poſita diuina ſcientia, ſaluetur in rebus contingentia.

Et hoc eſt quærere, an præſcitum à Deo, quà præſcitum, neceſſariò, vel contingenter eueniat. Ioannes autem dicit, Adam contingenter & liberè peccare, quia peccat ex malo uſu ſui liberi arbitrij, & Deus ita nouit eum peccaturum. Ecce q loquitur de Adam in ſua natura, non in ordine ad diuinam ſcientiam. Poſſet enim quiſpiam dicere: Tametſi Adam ſecundùm ſui naturã contingenter, ſeu liberè ſit lætali crimini obnoxius; quatenus tamen ſtat ſub infallibili ſcientia Dei, non poteſt non peccare; & ita neceſſariò peccat. Nec officit dictum Beati Patris Auguſtini; quoniam loquebatur ipſe de præſcito materialiter accepto, ut oſtenderet diuinam ſcientiam non uariare naturas rerum, neque proprietates. Et non intendebat diſputare, nunquid præſcitum à Deo, quà præſcitum, neceſſariò, uel contingenter eueniat; ut ex eius uerbis colligi poteſt. Inquit enim: Cuius præſcientia (ſcilicet Dei) neminem cogit ad peccandum, vt multi errantes dicunt. Si enim (inquiunt) præſciuit Adam peccaturum eſſe, non peccare non potuit. Ex quo errore naſcitur, Deum cauſam eſſe peccati; quod nefas eſt dicere; & illi tamen ſuis uerbis alligantur. Si enim quod præſcientia Dei habet, neceſſe eſt fieri, ideo uoluntate propria homo peccauit, & non alia neceſsitate; quia in præſcientia Dei fuit, ut uoluntate & libero arbitrio, & non neceſsitate cogente, peccaret. Si ergo præſcientia Dei non poteſt uitari, non potuit homo aliter peccare niſi uoluntate, nulla alia ui cogente; quia ita Deus præſciuit peccaturum. Si ergo uoluntariè, non coactus eſt. Si enim non coactus eſt ad peccandum, potuit ſine dubio nõ peccare, ſi uellet; ideoq. pœnã meruit, quia non inuitus peccauit; alioquin à Deo pœnã mortis non ſuſciperet. Ita Auguſtinus.

Ex cuius

Ex cuius verbis perquam clariſsimè conſtat, q; eius intentio eſt oſtendere diuinam præſcientiam non cogere hominem ad peccandum, at illum relinquere liberum, & dominum ſuorum actuum. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet in terminis noſtris. Stante ſcientia Dei de Antichriſto futuro, illud non eſt aſſeuerandum, quòd nulla maneat cõtingentia in cauſis, quæ Antichriſtũ ſunt producturæ, ſed ſint totaliter determinatæ ab ipſa diuina præſcientia, vt neceſſariò producant Antichriſtum, in tempore à Deo diſpoſito atq. ſtatuto. Hoc enim aduerſatur Fidei Catholicæ; quoniam fatetur diuinam præſcientiam contingentiam tollere ab omnibus rebus, nec non & libertatem. Non igitur; inquit Auguſtinus; Dei præſenſio cogit naturam rerum, quia nihil imprimit in re ſcita. Vnde patet quòd. D. Auguſtinus loquitur de p̄ſcito materialiter accepto; ſcilicet de re ipſa prout eſt in ſuis cauſis, vel in ſua natura. Non autem de præſcito formaliter ſumpto; quoniam tunc nõ inficiaretur quin ibi eſſet aliqua neceſsitas; neceſsitas, inquam, infallibilitatis, ſeu immutabilitatis. Propterea quòd ſicuti ſcientia Dei eſt neceſſaria, tum quia eſt immutabilis, tum etiam quia certa eſt omnino & infallibilis; (loquimur ſemper de ſcientia viſionis) ita etiam res ſcita, vt ſic, aliquã habet neceſsitatem, in ratione obiecti ſciti, per ordinem ad ipſam Dei ſciẽtiam. Et quidem huiuſmodi neceſsitas quam habet res ſcita in ratione obiecti ſciti, nihil aliud ſonat, quàm omnimodam infallibilitatem, quæ eſt in ea, prout eſt obiectum ſcitum à Deo. Et hæc infallibilitas non prouenit ex eo, quòd diuina ſcientia imprimat aliquid in re ſcita; ſed ex eo q; diuina ſcientia attingit ſuum obiectum, quatenus eſt actu præſens in æternitate, exiſtens extra ſuas cauſas. Vnumquodque autem dum eſt, neceſſe eſt eſſe. Ex illa igitur infallibilitate, aliqua ſequitur neceſsitas; quã poſtea declarabimus. Et hanc neceſsitatem optimè nouit. D. Pater Auguſtinus, quãdo in eodem libello de triplici habitaculo, cap. 4.; ſub finem, dicebat: Cuius cognitioni; ſcilicet Dei; præterita & futura, non præterita & futura, ſed præſentia ſunt. Vnde non diem iudicij videbit, & primum diem ſeculi non uidit, ſed utrunque uidet. Hæc ille. Si igitur omnia ſunt Deo præſentia in æternitate, eius cognitio terminatur ad ea, ſaltem impropriè; & cùm huiuſmodi cognitio ſit omnino infallibilis & certa; illud relinquitur clarum, quòd res ipſæ ſcitæ infallibiliter euenient. Cùm itaque dicitur; Deus ſciuit Antichriſtum fore, ſiue Adam peccaturum; In propoſitione eſt aliquã neceſsitas. Sed cùm infertur: Ergo Antichriſtus erit, vel Adam peccabit; In hoc conſequente eſt mera cõtingentia; tum quia cauſæ quæ ſunt Antichriſtum producturæ, ſunt contingentes, tum etiam quia Adam eſt naturæ liberæ. Non igitur antecedens eſt ſimpliciter contingens, ſicut & cõſequens; veluti dicebat Ioannes de Baccone.

Solutio. Qui fortaſsis diceret, Adam etiam ſub ratione obiecti ſciti à Deo, contingenter, ſeu liberè peccaſſe; quia eo modo peccauit, ſecundùm quẽ Deus vidit eum peccaturum.

Impugnatio. At hoc nihil refert; quandoquidem etſi Adam eo modo peccauerit, quo uidit eum Deus peccaturum, & ideo contingenter & liberè; id certè euenit non ſub ratione obiecti ſciti, ſed ex ſua propria natura, quæ eſt li-

libera

berà & contingens, & ob id poterat non peccare. Sub ratione autem obiecti ſciti, nõ poterat non peccare ; ſecus diuina ſcientia mutabilis eſſet atq; variabilis ; & quod peius eſt, non eſſet ſcientia, ſed purus error ; cùm ſcientia non ſit niſi eorum quæ ſunt neceſſaria.

Tom 3. 3. Accedit authoritas D. Patris Anſelmi, qui in libro concordiæ præſcientiæ & liberi arbitrij dicit ; Quod præſcit Deus, neceſſe eſt eſſe futurum. Rei igitur ueritatem, non quæſtionis nodum attendit Ioannes.

Alexander de Ales. Et ante eum Alexander de Ales ; qui in prima par. Summæ Theologiæ, q. 24. memb. 4., ad. 4. argumentum, dicit illud uerum eſſe, quòd ſi antecedens eſt neceſſarium, etiam conſequens eſt neceſſarium ; uerùm aliquid eſſe præſcitum, non eſt neceſſarium. Et cùm dicitur quòd antecedens eſt neceſſarium, dicit quòd neceſsitas poteſt notari reſpectu eius quod dicitur ſcitum, vel reſpectu eius quod dicitur futurum. In primo ſenſu, uerum eſt, præſcitum eſſe neceſſarium, hoc eſt neceſſariò ſcitum ; ob id tamen non ſequitur, quòd ſit futurum neceſſariò. In ſecundo uerò ſenſu, falſum eſt, pſcitum eſſe neceſſarium ; ideſt, hoc ſcitum eſſe futurum neceſſariò. Si enim, inquit, antecedens eſſet hoc modo neceſſarium, tunc & conſequens eſſet neceſſarium. Hæc eſt in Summa ſententia Alexandri.

Contra Alexandrum de Ales. Verùmenimuerò deficit & ipſe in hac ſua reſponſione. Tum quia non tangit nodum quæſtionis, quę eſt de præſcito formaliter accepto ; ipſe autem loquitur de præſcito materialiter ſumpto ; veluti patet intelligenti. *1.* Tum quia uidetur in ea duo claudere pugnantia. Proptereaquia dicit, præſcitum à Deo, eſſe neceſſariò ſcitum ; negat tamen, quòd ſit futurum neceſſariò. Si enim præſcitum à Deo, ſub præciſa, formalique ratione præſciti, non eſt neceſſarium, erit ergo contingens. Quare Dei ſcientia non erit ſcientia, ſed error ; quia ſcientia non eſt niſi neceſſariorum, cùm ſit certa & infallibilis. Et ſi dicat quòd non loquitur de præſcito ſub ratione præſciti, ſed prout eſt in ſuis cauſis, vel in ſua natura ; ut de facto loqui uidetur ; iam patet quòd non ſatisfacit quæſtioni ; & ita eius reſponſio eſt præter rem.

2. Addo, quòd ſi præſcitum eſt neceſſariò ſcitum, ob id tamen non eſt neceſſariò futurum ; antecedens erit neceſſarium, conſequens uerò contingens ; contra regulam aſsignatam. Quare huiuſmodi conſequutio : Deus nouit Antichriſtum fore ; ergo erit, non eſſet bona.

Richardus de Media villa. His ergo reiectis, audiamus Richardum de Media uilla, in primo Theologicarum ſenten. d. 38. q. 6. ad. 7. ; quo loci habet quòd diuinum ſcire licèt ſit in ſe neceſſarium, ordinatio tamen rei futuræ ad ipſum ſcire Dei eſt contingens. Et propterea quia præſcire importat diuinum ſcire, & ordinationem rei futuræ ad ipſum ; idcirco ipſum præſcire Dei, ratione habitudinis rei futuræ ad ipſum, non eſt neceſsarium.

Contra Richardum. 1. Hæc doctrina, eandem uim habere uidetur cum illa prima opinione ſuperius ex D. Tho. reiecta, cap. 25. ; nihilotamenſecius præter ea quæ ibi adduximus, hoc non paruum ex ea uidetur ſequi incommodum ; nimirum quòd Dei preſcientia ex creaturis & earum futuritione dependeat. Ex quo enim præſcire Dei non eſt neceſsarium ratione habitudinis rei futuræ

ad ipſum; ſit neceſſariò conſequens, ut ad rem futuram, aliquam habeat in hac parte dependentiam.

Amplius; ex hac reſponſione facilè colligitur, antecedens ſimul & conſequens eſſe contingens. Contingens; inquam; ſimpliciter & pari contingentia. Id quod tamen exploſum reliquimus ſupra. .2.

Quare nobis cum D. Tho. eiusq. fidis aſſeclis dicendum venit, conſequutionem illam bonam, quin etiam optimam eſſe. Quoniam eius antecedés eſt neceſſarium; conſequens autem, licèt in ſenſu diuiſo ſit ſimpliciter contingens; at in ſenſu compoſito, ſtante videlicet & ſuppoſita antecedẽtis neceſsitate; eſt neceſſarium; & ita ex neceſſario ſequitur neceſſarium. Quandoquidem; dicebat D. Tho.; conſequens non debet accipi abſolutè, at prout ſubeſt ſcientiæ Dei. Vnde iſta neceſsitas ex parte utriuſque nõ eſt neceſsitas ſimpliciter & abſoluta, ita ſcilicet, ut eius oppoſitum dicat contradictionem; ſed eſt neceſsitas ex ſuppoſitione, ſecundùm quid, in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo, & neceſsitas conſequentiæ, non cõſequentis; idem enim ſonant hæc. Quòd autem antecedens ſit neceſſarium ſecundùm quid tantùm, & ex ſuppoſitione, ex eo liquidò conſtat; quoniã licèt omnia ſint Deo nota & manifeſta, & quatenus ab eo ſciuntur, dicãtur & ſint neceſſaria, rationibus præinductis; huiuſmodi tamen neceſsitas dicitur conditionata, non abſoluta. Quod quidem vt clarius euadat, illud repetendum uenit, quod in ſuperioribus ſemel atque iterum tetigimus; nempe quod hic ſermo eſt de ſcientia Dei, quæ uiſionis appellatur, & non ſimplicis intelligentiæ. Et quoniam huiuſmodi ſcientia, rationem habere poteſt tum ſcientiæ præciſè, tum cauſæ rerum ſcitarum; idcirco declaro quo modo ex parte utriuſque rationis ſit in ea neceſsitas. Et primò ea ratione qua eſt cauſa; eſt enim ſcientia Dei cauſa rerum, ut ſcientia artificis eſt cauſa artificialium; qui quidem artifex operatur per ſuum intellectum, adiuncta uoluntate ad determinandum effectum; & hæc ſcientia Dei, ſecundùm quòd eſt cauſa rerum, ſcientia approbationis nominari conſueuit. Et hoc eſt quod dicitur ſapientiæ cap. 7.: Omnium enim artifex docuit me ſapientia, omnem habens uirtutem, omnia proſpiciens. Et Magiſter Sententiarum in primo libro, d. 38. dicebat: Ita etiam dicimus ſcientiam, uel præſcientiam Dei, non eſſe cauſam eorum quæ fiunt; niſi talem ſine qua non fiunt; ſi tamen ſcientiam ad notitiam tantum referamus. Si verò nomine ſcientiæ includitur etiam beneplacitum atque diſpoſitio, tunc rectè poteſt dici cauſa eorum quæ Deus facit. Hæc ille. Scientia igitur beneplaciti in Deo eſt cauſa rerum.

Opinio. D Tho. & vera.

Id quod etiam docebat D. Tho. in primo Theologicarum ſenten., d. 38. q. 1., ar. 1.; inquiens: Sciendum eſt igitur, quòd ſcientia ſecundùm rationem ſcientiæ non dicit aliquam cauſalitatem; aliàs omnis ſcientia cauſa eſſet; ſed inquantum eſt ſcientia artificis operantis res, ſic habet rationẽ cauſæ, reſpectu rei operatæ per artem. Vnde ſicut eſt cauſalitas artificis per artem ſuam, ita conſideranda eſt cauſalitas diuinæ ſcientiæ. Eſt ergo iſte proceſsus in productione artificiati. Primò ſcientia artificialis oſtendit finem. Secundò uoluntas eius intendit finem illum. Tertiò voluntas im-

tas imperat actum, per quem educatur opus; circa quod opus, ſcientia artificis ponit formam conceptam. Vnde ſcientia ſe habet ut oſtendens finem, & uoluntas vt dirigens actum, & informans opus operatum. Et ideo conſtat, ꝙ quicquid accidit in effectu per defectum à forma artis, vel à fine, non reducitur in ſcientiam artificis, ſicut in cauſam. Patet etiam quòd principalitas cauſalitatis conſiſtit penès voluntatem, quæ imperat actum. Hactenus. D. Thomas. Et ibidem in reſponſione ad primum inquit: Scientia artificis non eſt completa cauſa artificiati, niſi addatur uoluntas; vt dicit Philoſophus. 9. Meta.; & ſimiliter eſt etiam de ſcientia Dei.

In reſponſione quoq. ad ſextum dicit: Sicut creaturæ non exeunt à Deo per neceſsitatem naturæ, vel potentiæ naturalis; ita nec per neceſsitatem ſcientiæ; ſed per libertatem voluntatis, in qua completur ratio cauſalitatis. Et ideo non quandocunque ſciuit, creauit, ſed quandocunque voluit.

Tom. 3. Accedit. D. Pater Auguſtinus, qui libro de Trinitate. 3., cap. 4. ait: Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum, atq. motionum. Nihil enim fit uiſibiliter & ſenſibiliter quod non de interiore inuiſibili, atque intelligibili aula Summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur ſecundùm ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum; gratiarum, & retributionum; in iſta totius creaturæ ampliſsima quadam, immenſaq. republica. Hæc ille. Ex quibus omnibus conſtat, quòd, ſecundùm noſtrum modum intelligendi, ſcientia in Deo, ſiue ars faciendi eſt prior, quàm uoluntas exercendi artem. Sed quantùm ad exercitium, uoluntas determinat immediatè effectum, ut fiat. Vnde poſſumus dicere, ꝙ ſcientia non habet rationem cauſæ in actu; niſi ex uoluntate determinante, & applicante ſcientiam ad opus. Quare conſtantiſsima & inuictiſsima permanet noſtrorum Sacrorum Theologorum doctrina, quòd ſcientia Dei uiſionis & approbationis, actum ſemper præſupponit uoluntatis imperantis, atque determinantis; id quod etiam bis atque iterum diximus ſupra. Quo quidem ſtante, facile eſt uidere quo modo ſit in ea neceſsitas. Non enim eius neceſsitas in hoc conſiſtit, vt neceſſariò producat effectum; cùm prima cauſa liberè operetur ad extra, & non neceſſariò. At conſiſtit in immutabilitate diuini intellectus & voluntatis; propter quam ſi ſemel determinauit ſe ad operandum, non poteſt non operari; quoniam neceſſariò manet ad operandum determinata. Et cùm huiuſmodi prima cauſa ſit adeo efficax, quòd nulla ſecunda cauſa & inferior reſiſtere poſsit, nequidem ſe

Roma. 9. ab eius ſubtrahere determinatione; Diuo atteſtante Apoſtolo, qui ait: Voluntati eius quis reſiſtet? In hac efficacia conſiſtit etiam eius neceſsitas; & utraque eſt neceſsitas ex ſuppoſitione.

Si uerò loquamur de ſcientia Dei, ſub ea formali ratione qua eſt ſcientia, duplici ratione erit neceſſaria; primò quidem, quoniam eſt immutabi-

Malach. 3. lis, Ego enim Dominus & non mutor; illudq. in ſuperioribus reliquimus clarum. Secundò uero eſt neceſſaria, quia eſt omnino certa & infallibilis. Harum itaque neceſsitatum prior, eſt neceſsitas ex ſuppoſitione, & ſecundùm quid; proptereaꝙ cùm ſit ſcientia uiſionis, quæ ſemper actum præſupponit uoluntatis; non nouit Deus huiuſmodi ſcientia niſi ea, quæ

voluntas

uoluntas uoluit eſſe;ſicut nec ſcientia approbationis nihil operatur,præter ea quæ voluntas imperat,atque determinat. Voluntas autem eſt libera;quare Deus ab æterno poterat velle,& poterat non velle producere creaturas; ex cõſequenti poterat eas ſcire, & poterat non ſcire. At verò poſtquàm determinauit, & eas producere voluit, non potuit non producere, minusq́. potuit non ſcire,ob eius uoluntatis & intellectus immutabilitatem. Et propterea huiuſmodi neceſsitas appellatur neceſsitas immutabilitatis,ex ſuppoſitione, ſecundùm quid, & non ſimpliciter. Atqui ſecunda neceſsitas poteſt appellari neceſsitas ſimpliciter; quoniam infallibilitas & certitudo eſt intrinſeca & potiſsima perfectio ſcientiæ,vt ſcientia eſt. Modò autem neceſsitas hæc immutabilitatis,ex ſuppoſitione, & ſecundùm quid, quæ in ſcientia Dei reperitur tum quatenus eſt cauſa, tum etiam quatenus eſt propriè ſcientia,non inducit neceſsitatem ſimpliciter in effectu. Non quidem prima;quandoquidem etſi primæ cauſæ uirtus ſit efficaciſsima, ita vt omnes ſecundas cauſas adeo determinet ad producendos ſuos effectus, q̃ nulla illarum ab eius determinatione haudquaquam exire poſsit; nihiloſecius tamen eius concurſus ſimul ſuauis eſt & efficax, conformans ſe cum naturis ſecundarum cauſarum;itaquòd cùm cauſa neceſſaria neceſsitatem efficiat, & cum contingenti contingentiam. Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter,& diſponit omnia ſuauiter. Sap. ca. 8. Huiusq́. ratio eſt, quoniam Deus Benedictus eſt auctor totius naturæ; & propterea quamlibet naturã iuxta modum eius mouere poteſt; ita quòd ſaluetur efficacia primæ cauſæ, ſimul & modus operandi proprius cauſæ ſecundæ. Accedit efficacia diuinæ uoluntatis, quæ nedum effectum quem intendit, quantùm ad eius ſubſtantiam producere valet; verùmetiam quantùm ad omnem modum, quo ipſa vult producere; neceſſariò nimirum, aut contingenter. Sed de his in ſuperioribus diximus ſatis. Quòd verò neceſsitas illa conditionata quæ reperitur in Dei ſcientia, quà propriè ſcientia eſt, non inducat in effectu neceſsitatem ſimpliciter, illud eſt quod principaliter ad noſtrum attinet inſtitutum. Quare vt eò redeat vnde digreſſa eſt oratio noſtra, quæſtionis nodum attingendo, pariterq́. diſſoluendo dicimus, quòd non obſtante ſcientiæ & contingentiæ ratione contraria,Deus Benedictus ſcientiam habet infallibilem futurorum contingentium; quoniam ſunt ei præſentia in æternitate; veluti declarauimus ſupra. Omne autem quod eſt,quando eſt, neceſſe eſt eſſe; ex primo Perihermeniarum. Eſt igitur ibi aliqua neceſsitas. Quæ quidem neceſsitas, non tollit à rebus contingentiam. Licèt enim omnia relata ad diuinam cognitionem, ei præſentia exiſtant; quia tamen uidet neceſſaria neceſſariò euenire, & contingentia contingenter accidere; à rebus idcirco neceſſarijs non tollitur neceſsitas, nec à contingentibus contingentia. Quemadmodum docebat Boethius, libro quinto de philoſophica cõſolatione, proſa.6.& vltima, ſub his verbis: Quare hęc diuina prænotio, naturam rerum, proprietatemq́. non mutat. Taliaq́. apud ſe præſentia ſpectat, qualia in tempore olim futura prouenient. Nec rerum iudicia confundit; unoq́. ſuæ mentis intuitu, tã neceſſaria quàm non neceſſaria uentura dignoſcit. Hæc ille. Qui poſtea omnia exemplo ſenſibili ma-

nifeſtat dicens, quòd nos homines pariter & in eodem inſtanti uidemus hominem aliquando ambulare in terra, & Solem oriri in cœlo. Et licèt utrũque ſit ſimul & unico intuitu conſpectum, ita vt in neutro decipiamur; diſcernimus tamen & iudicamus hominis curſum eſſe uoluntarium, & ortum Solis eſſe neceſſarium. Nihilominus tamen propter talem uiſionem, ab hominis curſu & deambulatione, non tollitur contingentia, nec ab ortu Solis neceſsitas amouetur. Ita ſimiliter diuinus intuitus cũcta deorſum aſpiciens, rerum contingentiam atque neceſsitatem minimè perturbat. Rerũ; inquam; apud ſe præſentium ratione æternitatis; ſed futurarum ad conditionem temporis. Quo fit; inquit; ut Dei cognitio futurorum tanquam præſentium, nõ ſit opinio, ſed cognitio ueritate confirmata; cùm cognoſcit aliquid eſſe futurum, quod idem optimè noſcat, neceſsitate exiſtendi carere.

Albertus quoque Pighius libro octauo, cap. 1. ſui uoluminis, cui titulus eſt; de libero hominis arbitrio, hoc adducit exemplum: Quemadmodum nos quæ intuemur, in hunc intuemur modum. Solem ſuis temporibus oriri, occidere, mediare cœlum, cum Luna congredi, eidem èregione ferri, eclipſari, neceſſariò. Platonem uerò diſputare contingenter & liberè. Aequè tamen certi ſumus utrunque fieri, ſeu contingens id ſit, ſeu neceſſariũ, quando ipſum videmus fieri. Itaque cùm in hunc modum, diuinæ mentis oculum nihil poſsit effugere, ſed uniuerſa, ex ipſa uiſus ſui ratione, neceſſariò contueatur uno contuitu, æquè futura ut præſentia; ſed quæque talia, qualia ſunt, aut futura ſunt; neceſſaria, cõtingentia, arbitraria; quamuis infallibiliter omnia intueatur, dico, & nõ prænoſcat uelut in cauſis, quemadmodum & nos futura prænoſcimus; ut uidentes terram cultam iacto in eam ſemine, ꝙ triticum, hordeum, auenam feret, prædicimus; ſed intueatur uelut ſub ipſis oculis præſentia, nihil hoc rerum ipſarum naturam, qualitatem, aut conditionem de mutat. Hęc ille. Et re uera ita eſt; quoniam ex hoc ꝙ ego Socratem agnoſco ſimul atque Platonem, nihil ob id reale ponitur in eis. Ita pari ratione, ex eo ꝙ Deus uidet Antichriſtum futurum, nulla realis diſpoſitio prouenit ipſi Antichriſto; ſed optimè ſeruatur eius natura cõtingens, item & in cauſis eum producturis; cùm ea ratione qua contingẽtes ſunt, poſsint impediri, ne ipſum producant.

Addo, ꝙ ſi Dei cognitio aliquam realem diſpoſitionem cauſaret in re ipſa cognita, Deus cauſaret & produceret ſeipſum, quoniam ſeipſum cognoſcit. Eſſet cauſa peccati, & mundum creaſſet ab æterno; quandoquidem & mundum & peccatũm nouit ab æterno. Eſſet; inſuper; mendax diuinus intellectus; proptereaquòd res ipſas cognoſceret ſub conditionibus oppoſitis earum conditionibus naturalibus. Quemadmodum ſi cognoſceret ignem eſſe frigidum, aquam calidam, equum uolare, & non uolucres cœli, eſſet falſus & mendax; ita pari paſſu erit falſus & mendax, ſi rem contingentem intelligat eſſe neceſſariam abſolutè; quoniam intelligeret rem ipſam ſub conditione & qualitate ſibi oppoſita. Quocirca D. Pater Auguſtinus lib. 3. de Libero arbitrio, cap. 4., tomo primo, dicebat: Sicut tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt, ſic Deus præſciẽtia ſua non cogit facienda quæ futura ſunt. Et ſuo libro de fato, cap. 16. dicebat

Alexander

Alexander Aphrodiſeus: Si præcognitio neceſsitatem inferre poteſt, conſequens eſt, vt impoſsibilia neceſſaria dicantur; eo quòd rationi conſonum ſit, ipſa Deum non ignorare.

Sed erronea quædam cogitatio, in multis eſt erroris cauſa, pariter & origo. Quia imaginamur Deum ipſum res ipſas velut in cauſis ſuis cognoſcere; & non animaduertimus vniuerſa quæ ſunt in ęternitate, ipſi eſſe pręſentia, vniuerſaq. intueri vt præſentia; quemadmodum aliàs expoſuimus, & optimè notat Albertus Pighius, in memorato loco. Illud ẽt addendo, q; cùm diuinam præſcientiam de aliquo futuro, ſub rõne iam præteriti apprehendamus, & ex eius infallibilitate, qua neceſſariò; neceſsitate conſequentiæ; ſequitur præſcitum fore, imaginemur ipſam eſſe ſimpliciter, & ita abſolutè neceſſariam, q; eius oppoſitum contradictionem implicet; inde conſequens volumus fieri, vt & res ipſæ creatæ non poſsint non euenire. Sed falſa & erronea ſtatim apparet huiuſmodi imaginatio. Quoniam præſcientia Dei eſt rei futuræ, velut præſentis, intuitio. Quinimmo ipſi diuinæ mentis oculo, res futura, eo modo, conditione, & qualitate, q̃bus eſt futura, eſt ẽt præſens. Erit igitur idem ſimul neceſſarium atque contingens? Quid ni? Audiant, amabò, iſti lumine capti Boethium in proximè citato loco, ita loquentem: Si mutabilia ad diuinam notitiam referantur, neceſſaria ſunt; ſi per ſe conſiderentur, ſunt neceſsitatis nexibus abſoluta. Sicut omne quod ſenſibus patet, ſi ad rationem referas, vniuerſale eſt; ſi ad ſeipſum reſpicias, ſingulare. Hæc ille. Ex quo patet, q; idem relatum ad diuerſa, contingens ſimul atq. neceſſarium eſſe poteſt. Quemadmodum idem etiam ad diuerſa comparatum, rationem habet vniuerſalis & ſingularis. Vniuerſale enim eſt dum intelligitur; particulare verò dum ſentitur. Ita pari paſſu, futurum contingẽs ad diuinam p̃ſcientiã comparatũ, eſt neceſſariũ conditionaliter; in ſe autẽ cõſideratum, eſt contingens. Id quod ẽt optimè docuit Beatus Thomas, in primo Theologicarũ ſent., d.38., q.1., ar.5., ad.3., ſub his verbis: Futurum ipſum contingens, in ſe conſideratũ, eſt cõtingens; ſed relatum ad Dei cognitionem, eſt neceſſarium; quia ad ipſam non refertur, niſi ſecundùm q; eſt in eſſe actuali. Et ideo ſimile eſt, ſicut ſi ego videam Socratem præſentialiter currere; quod quidem in ſe eſt contingens; ſed relatum ad viſum meum, eſt neceſſarium. Vnde bona eſt diſtinctio, q; eſt neceſſarium neceſsitate conſequentiæ, non conſequentis. Vel neceſsitate conditionata, non abſoluta. Hactenus Beatus Thomas.

Diuus quoque Anſelmus, libro de concordia præſcientiæ, & prædeſtina *Tom.3.*
tionis, cap.1., hoc idem per aliud ſimile declarat dicens: Quãuis neceſſe ſit eſſe quod ſcit, aut præſcit Deus, tamen multa fiunt nulla neceſsitate, ſed libera volũtare. Nempe quid mirũ ſi hoc modo aliquid eſt ex libertate, & non ex neceſsitate, cùm multa ſint quæ recipiunt oppoſita diuerſa ratione?

Quæ nanque magis oppoſita ſunt, q̃ adire & abire? Videmus tamẽ cùm tranſit aliquis de loco ad locum, quia idem ire, eſt ei adire & abire. Abit enim de loco, & adit ad locum. Itẽ ſi conſideremus Solem ſub aliqua parte cœli, cùm ſemper cœlũ luſtrando ad eandem partem feſtinet, videmus quia idẽ locus eſt à quo recedit, & ad quem accedit; & indeſinenter ei, eodẽ tem-

pore appropinquat, à quo elongatur. Patet etiam curſum eius non ignorantibus, quia ſi cœlum conſideremus, ſemper tranſit ab occidentali parte ad orientalem. Si uerò terram attendimus, nunquam niſi ab orientali ad occidentalem. Ita ergo nulla oritur repugnantia, ſi ſecundùm prædictas rationes aſſerimus idem aliquid eſſe neceſsitate futurum, quia eſt futurum, & nulla cogi neceſsitate eſſe futurum, niſi ea neceſsitate, quam ſupra dixi fieri libera voluntate. Ita Beatus Anſelmus. Qui ſupra in eodem capite, duplicem aſsignauerat neceſsitatem; antecedentem ſcilicet, quæ ponit rem eſſe; & conſequentem, quæ nihil cogit. Omne enim præſcitum à Deo, neceſſe eſt euenire, neceſsitate conſequẽte, quæ nihil cogit. Ideo cum hac neceſsitate, contingentia utiq. ſtare poteſt, atq. libertas arbitrij. Non tamen eſt neceſſarium neceſsitate antecedente, quæ de neceſsitate facit rem eſſe. Illud enim eſt neceſſarium neceſsitate antecedente, quod cùm eſt futurum, & vt eſt futurum, neceſsitatem habet; Vnde ortus Solis eſt neceſſarius, neceſſitate antecedẽte. Sed illud eſt neceſſarium neceſsitate cõſequente, quod non eſt neceſſarium, niſi ex eo ꝙ ponitur in eſſe. Omne enim quod eſt, quãdo eſt neceſſe eſt eſſe. Et hęc dicitur neceſsitas conſequens, quia non antecedit, ſed ſequitur eſſe rei; ponitur enim neceſſe eſse rem eſse, quia eſt. Et quia omnia relata ad Dei ſcientiam ſunt ei præſentia, & ponuntur quodammodo in eſse; Dicere: Si hoc eſt à Deo ſcitum, hoc eſt neceſsarium; Idem eſt ac ſi diceremus: Si hoc eſt, neceſsarium eſt.

Idem vult habere Boethius in memorato loco, quando duplicem aſsignat neceſsitatem; nimirum ſimpliciter & conditionis. Omne enim ſcitum à Deo, eſt neceſsarium; inquit; non neceſsitate ſimpliciter, ſed neceſsitate conditionis; ſicut omne quod eſt, quando eſt, neceſse eſt eſse. Iſtæ autẽ duæ neceſsitates ita exponuntur; ut illud dicatur neceſsarium ſimpliciter, quod eſt tale ex principio ſibi intrinſeco, ita ꝙ eius oppoſitum implicet contradictionem; veluti ſi dicamus: Homo eſt animal rationale. Eſt enim implicatio in adiecto, ꝙ ſit homo, & non ſit animal rationale. Idcirco dicimus illam propoſitionem eſse neceſsariam ſimpliciter. Illud uerò dicitur neceſsarium neceſsitate conditionis, quod non eſt tale niſi ex aliqua præmiſsa conditione; quemadmodum ſi diceremus: Si Petrus currit, Petrus mouetur. Antecedens eſt contingens; ſecus Petrus ſemper curreret. Igitur & conſequens eſt contingens; aliàs Petrus moueretur ſemper. Quatenus tamen ſequitur ex illo antecedente conditionali, eatenus dicitur neceſsarium, neceſsitate conditionis. Dato enim quòd Petrus currat, conſequens fit, ut neceſsariò moueatur. Magiſter uerò ſententiarum, libro primo, diſtin. 38., eandem diſtinguit neceſsitatem, ſub neceſsitate in ſenſu diuiſo, & in ſenſu compoſito. Quæ quidem diſtinctio, exemplo ſenſatiſsimo in hunc modum poteſt exponi: Sit hic Plato, qui in propria ſiniſtra manu quendam teneat librum, ſiue aliquid aliud; deinde ipſi iungatur dextera manus, ita ut liber inter utranque ſeruetur, ne labatur, atq. deorſum feratur. Tunc manibus Platonis iunctis exiſtentibus, erit ſenſus cõpoſitus; illis uerò ſeiunctis, erit ſenſus diuiſus. Vnde dicemus in ſenſu compoſito: Impoſsibile eſt vt liber ille cadat. Hoc eſt, dũ

manus

manus dextera iuncta ſiniſtræ perſtiterit, impoſsibile eſt codicem, vel librũ illum ex manibus cadere. At verò in ſenſu diuiſo, poſsibile eſt librum cadere & labi. Ideſt, ſeiuncta dextera à ſiniſtra manu, poſsibile eſt vt ſiniſtra eum minimè teneat, quare non eſt impoſsibile ipſum cadere. Ita in propoſito cùm dicimus: Omne præſcitũ à Deo neceſſe eſt euenire. In ſenſu compoſito veriſsimum eſt; quia dum iungitur ſcientiæ diuinæ, non poteſt non eſſe, propter diuinæ ſcientiæ immutabilitatem. In ſenſu verò diuiſo falſiſſimum eſt, & inter abſurda abſurdiſsimum. Quoniam ſi ſeparetur à Dei ſcientia, cùm ſit ſuapte natura contingens, (de his enim ſit ſermo) poſsibile eſt vt non eueniat. Fuerunt & alij, qui diſtinctionem illam inuenerunt, de neceſsitate conſequentiæ, & conſequentis. Quæ tali pacto venit exponenda: Vt ſcilicet illa dicatur neceſsitas conſequentiæ, quando antecedẽs eſt contingens, necnon & conſequens. At poſito antecedente, neceſſariò ſequitur conſequens. Et ratione iſtius ſequelæ, dicitur neceſsitas conſequẽtiæ; quoniam ibi nulla alia reperitur neceſsitas, in antecedente ſcilicet nec in conſequente, niſi illa, q vnũ ſequitur ad aliud. Vtpotè ſi dixero: Si Plato currit, Plato mouetur. Vtraque propoſitio eſt contingens, nẽpe antecedens & conſequens; quoniã Plato contingenter currit, & cõtingenter mouetur, cùm poſsit nõ currere, & non moueri. Quia tamen ad curſum neceſſariò ſequitur motus, hinc fit vt dicatur neceſsitas cõſequentiæ. Illa verò dicitur neceſsitas conſequentis, quando antecedens ſimul & conſequens eſt neceſſarium. Vt ſi dicamus: Homo eſt animal rationale. Suapte igitur natura eſt mortalis, & beatificabilis. Iam conſtat antecedens eſſe neceſſarium; quandoquidem non poteſt eſſe homo, quin ſit animal rationale. Item etiã conſequens; cùm non poſsit eſſe animal rationale, quin etiam ſit mortale, atque beatificabile. Quia igitur ex uno ſequitur aliud neceſſarium, & conſequens ſolitariè acceptum, ideſt abſque vlla dependẽtia ad antecedens, eſt ſimpliciter neceſſarium, idcirco huiuſmodi neceſsitas, dicitur neceſsitas conſequentis. Alium etiam dicendi modum inſequũtur Sacri Theologi noſtri, in ſcholis diſceptantes atque legentes; qui propoſitionẽ de ſenſu compoſito, vocant propoſitionem de dicto; illam verò de ſenſu diuiſo, vocant propoſitionẽ de re. Vnde ſi dicamus: Omne ſcitũ à Deo, neceſſe eſt eſſe. Volũt eſſe uerã de dicto, non de re. Quia primo mõ eſt cõpoſita, & eſt ſenſus: Hoc dictũ, ſcitum à Deo eſſe, eſt neceſſariũ. Secundo uerò modo eſt diuiſa, & eſt ſenſus: oĩs res quã Deus ſcit, eſt neceſſaria; qđ eſt falſum. Tali modo loquẽdi vſus eſt. D. Th., in prima par. Sũmæ Theologię, q. 14., ar. 13., ad. 3. argumentũ, & alibi. Itẽ Alexander de Ales, in prima par. Sũmæ, q. 24., mẽbro. 4. ad ultimũ argumentũ. Cur aũt ita loquãtur, ea eſt rõ; qm̃ in propoſitione de ſenſu cõpoſito, modus ponitur tanq̃ totius dicti determinatio. Cùm. n. dicitur: Omne ſcitum à Deo, neceſſe eſt eſſe; ille eſt ſenſus: Iſta propoſitio, ſeu hoc dictum. Scitũ à Deo fore, erit; eſt neceſſarium. Vbi patet, q modus neceſsitatis, totum quod dicitur determinat. In illa aũt de ſenſu diuiſo, modus determinat rem ſubiecti. Quoniam quando dicitur: Omne ſcitũ à Deo, neceſſe eſt eſſe; in ſenſu diuiſo ille eſt ſenſus, huic rei; puta Antichriſto; quam Deus ſcit, conuenit ut ſit de neceſsitate, non autem contingenter.

Hæc pauca dixiſſe uolui propter iuniores; quandóquidem memini me audiuiſſe Baccalaureos, necnon Doctores in Theologia, huiuſmodi ſermones penitus ignorantes, nec exprimere valentes. Poterunt, inſuper, videre Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inimici, eiuſque ritibus & doctrinis infenſiſsimi, an ſint nugæ iſtæ, fallaceſq. nugancium hominum inuentiones; an potius veriſsimę, ſimul atque realiſsimæ diſtinctiones, & argutiæ; quibus non homines falluntur, ſed optimè docentur. Verùm non intelligunt grammatici iſti & pædagogi, quoniam non piè quærunt, velocioreſq. ſunt ad excu-

Tom. 1. ſationē, quàm ad confeſsionem peccatorum ſuorum; dicebat. D. Pater Auguſtinus, libro tertio, & cap. 2., de Libero arbitrio.

His igitur ita conſtitutis, facilis redditur reſponſio ad præinductā quæſtionem; nunquid ſcilicet & quomodo valeat huiuſmodi cōſequutio: Deus ſciuit Antichriſtum fore. Ergo erit. Valet enim ex eo, quia antecedens eſt neceſſarium neceſsitate immutabilitatis; & conſequens etiam eſt neceſſarium in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo. Hoc eſt, non ſolitariè acceptum, at prout ſubeſt ſcientiæ Dei. Stante enim ſcientia Dei de Antichriſto futuro, hæc propoſitio: Antichriſtus erit: manet ſimpliciter contingens; quoniam diuina ſcientia non tollit contingentiam cauſarum, quæ Antichriſtum ſunt producturæ. In ſenſu tamen compoſito, & quatenus ſubeſt ſcientiæ Dei, eatenus dicitur, & eſt neceſſaria; ſed iſta neceſsitas eſt neceſsitas ſecundùm quid, & reſpectiua. Prout ſcilicet infertur ex illo antecedente. Vnde formaliter dicitur, quòd huiuſmodi conſequens propoſitio: Antichriſtus erit: eſt neceſſaria in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo. Seu (& eſt idē) neceſsitate conſequentiæ, non conſequentis. Et ea eſt ratio quam aſsignauit. D. Thomas; uidelicet, quòd quando in antecedente ponitur aliquid ptinens ad actum animæ, conſequens non eſt ſumēdum ſecundùm eſſe, quod in ſe eſt; atqui ſecundùm ꝙ eſt in anima. Quandoquidem aliud eſt eſſe rei in ſeipſa, & eſſe rei in anima. Quemadmodum ſi dicamus: Si anima aliquid intelligit, illud eſt immateriale. Non ita eſt intelligendum, quòd ſit immateriale in ſeipſo; at quatenus eſt in intellectu. Ita in propoſito, ſi dixero: Si Deus ſciuit aliquid, illud erit. Conſequens non eſt accipiēdum ſecundùm ꝙ eſt in ſeipſo, nec ſolitariè; ſed prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ; & tunc eſt neceſſarium in ſenſu compoſito. Vnde quando Beatus Doctor dicit, quòd conſequens eſt neceſſarium ſicut & antecedens, comparatio in hoc conſiſtit, quòd ſicut antecedens eſt neceſſariū in ſe, & ſecundùm proprium ſignificatum, infallibile, & immutabile; quia ſcientiæ Dei omnia ſunt præſentia, eo quod menſuratur æternitate; ita etiam conſequens, quatenus ſubeſt illi ſcientiæ, eſt neceſſarium in ſe, & ſecundùm proprium ſignificatum, infallibile, & immutabile. Quare vtrúque erit neceſſarium ex ſuppoſitione. Et ita futura contingentia non ſunt neceſſaria abſolutè, quia hoc implicat contradictionem; ſed ſunt neceſſaria ex ſuppoſitione. Quòd autem illud antecedens ſit neceſſariū in ſe, & ſecundùm ſuum proprium ſignificatum, ex eo facilè conſtat, quòd ſcientia Dei ex ſe & ſecundùm proprium ſignificatum, eſt infallibilis & immutabilis. Scitum igitur à Deo, eadem ratione erit ex ſe, & ex proprio ſignificato infallibile, & immutabile, ſub

le, ſub ea ratione qua eſt ſcitum; de hoc enim ſemper eſt ſermo. Et quia ſcitum à Deo vt ſic, eſt infallibile & immutabile ex ſe, & non per relationem ad aliud, idcirco dicitur neceſſarium abſolutè. Nunc igitur manet diſſoluta quæſtio, ſub ſermone & verbis de præſcito, formaliter accepto. Verùm de his hæc mihi dicta ſint ſatis.

Aduerſus ea quæ diximus, nonnulla adducuntur difficultates. Cap. 29.

MVLTA in præcedentibus diximus, eaq́. ex Sanctiſsimis, necnon Doctiſsimis Patribus; nihilotamenſecius adhuc angimur animo, nec plenè acquieſcit intellectus; quandoquidem talis eſt iſta materia, vt vna dubitatione ſucciſa, innumerabiles aliæ, velut Hydræ capita, ſuccreſcant; dicebat Boethius, .4. de Philoſophica conſolatione, proſa.6. Proinde ut omnium ora perſtringantur, illa omnia quæ in ſuperioribus dictis obijci poſſe videntur, in medium proferam; eiſq́., diuina fauente Clementia, obnixè & pro uiribus contendam facere ſatis.

Illud igitur in primis habuimus, quòd nempe idem poteſt eſſe contin- .1.
gens, ſimul atque neceſſarium.

Deinde illam approbauimus diſtinctionem, quæ de ſenſu compoſito .2.
atque diuiſo induci ſolet; & proinde concluſum reliquimus, præmiſſæ illationis conſequens in ſenſu compoſito eſſe neceſſarium, at in ſenſu diuiſo profectò contingens.

Statuimus etiam Dei ſcientiam, quam approbationis vocant, rerum eſſe .3.
cauſam; & quòd diuina ſcientia ut ſic, nequidem vt cauſa, neceſsitatem inducit in effectu.

Amplius, pro ratione illorum quæ modò tertio induximus loco dice- .4.
bamus, quòd quia Deus eſt auctor totius naturæ, propterea quamlibet naturam iuxta modum eius mouere poteſt.

Addidimus poſtea efficaciam diuinæ uoluntatis; ꝙ ſcilicet eſt in cauſa .5.
quare diuina ſcientia, ſub ea ratione qua eſt cauſa, non inducat neceſsitatem in effectu; quoniam res ſicuti vult producit.

Diximus; inſuper; quòd uoluntas diuina principalitatem obtinet ſu- .6.
pra ſcientiam in cauſando.

Rationem item D. Tho. remis & uelis proſequuti ſumus, qua illud con- .7.
ſequens probat eſſe neceſſarium, ſicut & antecedens. Quia ſcilicet quando in antecedente aliquid ponitur ad actum animæ ſpectans, non eſt conſequens ſumendum ſecundùm eſſe quod in ſe eſt; verùm prout eſt in anima.

Virtutem quoque primæ cauſæ diximus eſſe efficaciſsimam, ob id ta- .8.
men neceſsitatem in effectu nequaquàm inducere; quoniam diſponit omnia ſuauiter.

Decreuimus poſtmodum, Deum ſcientia viſionis nihil ſcire, niſi quæ .9.
prius (noſtro ſeruato modo loquendi) à voluntate diuina decreta fuere.

Aduer-

Contra primum dictum .1. Aduerſus itaque huiuſmodi dicta, quamplurimæ difficultates emergunt; & primo loco arguitur, idem non poſſe ſimul eſſe contingens, atque neceſſarium. Oſtendimus enim in ſuperioribus, ens diuidi in neceſſarium & contingens; itaquod totum uniuerſum conſtat ex his duabus partibus oppoſitis. Si igitur eadem res ſimul eſt neceſſaria & contingens; duo pugnātia claudentur in ea; quod eſt abſurdum.

.2. Amplius; doctrina eſt Ariſtotelis in quinto Sapientiæ libro, ad contextum. 17., quòd impoſsibile illud eſt, cuius contrarium eſt neceſſariò verum. Quemadmodum ſi dicamus diametrum eſſe commenſurabilem coſtæ; hoc utique eſt falſum, non quodcunque; ſed falſum impoſsibile. Eius 1.
vero contrarium, nedum eſt verum, at neceſſariò uerum. Vtpotè diametrum non eſſe commenſurabilem coſtæ. Deinde dicit, quòd poſsibile eſt contrarium huic impoſsibili; & eſt illud, cuius contrarium non eſt ex neceſsitate falſum; Sicut hominem ſedere poſsibile eſt; quia non ſedere, non eſt neceſſario falſum. In nono uero eiuſdem uoluminis libro, ſub finem, dicit Ariſtoteles, quòd circa entia immobilia non eſt deceptio ſecundùm quando; quia ſemper eodem modo ſe habent; ut triangulum habere tres, & hominem eſſe animal; unde per entia immobilia intelligit neceſſaria.

His ergo ita ſe habentibus, in hunc modum erigo rationem: Impoſsibi- 2.
le eſt illud, cuius contrarium eſt neceſſariò uerum. Neceſſarium eſt illud, cuius oppoſitum eſt neceſſariò falſum, & impoſsibile. Poſsibile uerò illud eſt, cuius contrarium non eſt neceſſariò falſum. Poſsibile igitur, medium tenet inter neceſſarium & impoſsibile. Neceſſarium autem & impoſsibile, unam tantùm reſpiciunt partem contradictionis, ut patet ex diſcurſu, & eorum deſcriptionibus. Relinquitur ergo, quòd poſsibile reſpiciat utranque. Quare poterit eſſe & non eſſe. Contingens autem & poſsibile, idem ſunt. Poterit igitur & ipſum contingens eſſe & non eſſe. Neceſſarium autem non poteſt non eſſe. Si igitur idem eſt neceſſarium & contingens, à primo uſque ad ultimum deducendo, ꝙ duo in ſe claudat pu- 3.
gnantia, neceſſario conſequitur.

Prima conſequutio ex eo conſtat, quandoquidem ex quo poſsibilis contrarium non eſt neceſſariò falſum, ſequitur ꝙ poſsit eſſe uerum, & poſsit etiam eſſe falſum. Hoc autem eſt reſpicere utranque partem contradictionis. Atqui neceſſarium & impoſsibile, unam duntaxat reſpiciunt partem contradictionis. Poſsibile igitur, medium inter utrunque ſibi uendicat locum.

Contra.2. Aduerſus illud quod ſecundo loco dicebatur, ſolet fieri inſtantia talis. Videtur ꝙ ſit malè tranſlata ab iſtis inferioribus, ſiue à creatis in Deum, illa diſtinctio de ſenſu diuiſo & ſenſu compoſito. Propterea quòd in for- 4.
mis, ſiue in rebus ſeparabilibus licèt habeat locum; ex eo quia ſedentem ambulare eſt poſsibile, ſi accipiatur in ſenſu diuiſo; non autem ſi accipiatur in ſenſu compoſito. Quoniam nemo poteſt ſimul ſedere & ambulare. Vnde quia ſeſsio eſt ſeparabilis à ſubiecto cui ineſt; ideo in propoſito, illa diſtinctio habet locum. Quia tamen rationabilitas non eſt ſeparabilis ab homi-

ab homine, idcirco hanc propoſitionem: Hominem rationalem, poſsibile eſt eſſe irrationalem, nullus diſtingueret modo prædicto. Cùm itaque ſemel ſcitum à Deo, ſit ſemper ab eo ſcitum, ita vt non poſsit diuino non ſubiacere intuitui; hanc propoſitionem: Præſcitum à Deo de neceſsitate eueniet: diſtinguere ſecundùm ſenſum compoſitum & diuiſum, ſatis ſuper fluum videtur atque inane. Vt ſcilicet illam dicamus eſſe veram in ſenſu compoſito, non autem in ſenſu diuiſo.

Amplius; ex data diſtinctione concluſum fuit, quòd illius prænarratæ conſequutionis propoſitio conſequens, eſt neceſſaria in ſenſu compoſito, .2.
minimè autem in ſenſu diuiſo. Quo quidem ſtante, illud neceſſariò conſequitur, vt diuina ſcientia tollat contingentiam à rebus. Quoniam ſuppoſita veritate & neceſsitate illius antecedentis: Deus nouit Antichriſtum futurum. Aut Antichriſtus naſcetur contingenter in mundo, aut non. Si detur primum, igitur conſequens illud, etiam in ſenſu compoſito erit contingens; & ita diſtinctio nulla. Si verò admittatur ſecundum, id eſt quod volumus. Nempe ſcientiam Dei tollere contingentiam à rebus.

Adhuc; Iterum probo ꝙ etiam in ſenſu compoſito, neceſſe eſt illud con .3.
ſequens: Antichriſtus erit: eſſe contingens; unde ruet ſemper illa diſtinctio, & adhuc præexpoſita conſequentia reddetur ſuſpecta. Cùm enim quęritur, nunquid ſcientia Dei tollat rerum contingentiam, quæſtio non eſt de re in ſeipſa conſiderata, & in ſenſu diuiſo; ſed quatenus ſubeſt diuinæ ſcientiæ, & in ſenſu compoſito. De ſcito nanque formaliter accepto, loquimur ſemper. Dicere itaque ꝙ illud conſequens eſt neceſſarium in ſenſu compoſito; idem eſt perinde ac ſi diceremus ad quæſtionem, diuinam ſcientiam, rerum tollere contingentiam. Hoc autem aduerſatur Fidei Catholicæ. Igitur conſequens illud, etiam in ſenſu compoſito erit contingens. Quare an conſequentia illa ſit bona, & quomodo valeat, nondum videtur diſcuſſum. Sequeretur enim ex neceſſario contingens, & alia redeunt quæ præinduximus incommoda. Diſtinctio igitur illa de ſenſu compoſito atque diuiſo, videtur omnino poſthabenda.

Illud quoque quod tertio induximus loco, calumniam pati uidetur; quã *Contra.3.*
doquidem ijs quæ in ſuperioribus diximus aduerſari ſatis conſpicimus. .1.
Siquidem in hac diſceptatione de ſcientia Dei, non de ſcientia ſimplicis intelligentię, at de ſcientia viſionis, obnũciauimus, nos verba facere ſemper. Modò autem huiuſmodi ſcientia, actum præſupponit voluntatis; ita vt ea Deus nihil intelligat & ſciat, niſi quæ ab eius voluntate decreta fuere. Accedit, nos docuiſſe ſcientiam Dei, rerum eſſe cauſam, adiuncta uoluntate. Ac demum habuimus, ꝙ uoluntas diuina eſt efficaciſsima; adeo quòd nulla ſecunda cauſa ei reſiſtere poteſt; dicente. D. Apoſtolo: Voluntati eius quis reſiſtet? Et quòd in huiuſmodi efficacia, eius conſiſtit neceſsitas. In tertio autem dicto aſtruimus quòd diuina ſcientia, nec ſub ea ratione qua eſt ſcientia, nec ſub ea qua eſt cauſa, in effectu neceſsitatem inducit. Quod autem hæc adinuicem pugnent, in hunc modum oſtendo: Diuina ſcientia eſt cauſa rerum, accedente uoluntate, & de contingentium rerum euentibus neſcit diuinus intellectus, niſi ea quæ à uoluntate diuina decreta fuerunt.

Res

Res autem ita ſe habet, ꝙ diuinus intellectus omnia nouit; id quod ſuperq. ſatis in ſuperioribus oſtendimus. Omnia igitur quæ vel euenerunt, vel eueniunt, vel etiam euentura ſunt, decreta prius fuerunt à diuina uoluntate. Nihil autem in toto uniuerſo reperitur, quod eius decreto reſiſtere ualeat. Qualitercunque igitur, ſiue neceſſariò, ſiue liberè, à diuina uoluntate illa decreta fuerunt; quantùm ad res ipſas attinet; non euenire non poterunt; Etiam ſi per cauſas liberas & contingentes, eas euenire decreuerit. Omnia igitur; quod ad res ipſas attinet; fatali quadam neceſsitate euenire uidentur. Hoc autē repugnat tertio noſtro dicto. Sequitur igitur, ut ſint adinuicem hæc & illa repugnantia; quod intendimus probare.

Contra.4. & .5. Et hæc ratio aduerſatur etiam, & militat contra quartum & quintum dictum. Quoniam ſtabant pro ratione, ad oſtendendum quòd Dei ſcientia, nec ut ſcientia, nec ut cauſa inducit neceſsitatem in effectu; tum quia Deus eſt Author totius naturæ; ideo poteſt mouere omnem naturam iuxta eius modum. Tum quia diuina uoluntas cùm ſit efficaciſsima, producit effectum ſicut uult. At hoc non obſtante, ſequitur neceſsitas in rebus. Quandoquidem & ſi de rebus liberè Deus decernat, & uelit etiam per contingentes cauſas eas produci; decretæ nihilominus; quod ad eas attinet; non euenire ipſæ non poſſunt. Vnde ſi ad res ipſas tantùm, intentionem habere uoluerimus; illud perſpicuum relinquitur & clarum, quòd non contingenter, ſed fatali quadam neceſsitate, & diuino quodam, atque impermutabili decreto, illæ eueniant; nec euenire non poſsint. Id quod etiam exemplo ſenſibili confirmari poteſt; Quoniam ſi dicamus quòd fur ideo contingenter ſuſpenditur, quia in eum iudex liberè & contingenter animaduertit, & in eum per cauſas liberas & contingentes iuſsit animaduerti; ob id non tollimus, quin fur ipſe; quantùm ad ſe attinet; ſtante iudicis ſententia, ineuitabili neceſsitate ſuſpendatur. Propterea quòd nemini dubiū eſt, ꝙ mortem, mortem; inquam, ita turpem euitaret, ſi poſſet. Suſpenditur ergo coactus, pariterq. neceſsitatus.

.2. Quòd poſtea Diuina ſcientia non ſit cauſa rerum, at potius contra, res ſint cauſa ipſius ſcientiæ, multæ Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum extant authoritates, illud perſuadentes. Diuus nanque Hieronymus, illum *Tom.4. Cap.26.* Hieremiæ locum exponens: Noli ſubtrahere uerbum, ſi fortè audiant, & conuertantur unuſquiſque à uia ſua mala, & pœniteat me mali, (ſiue quieſcam à malo) quod cogito facere eis, propter malitiam ſtudiorum eorum. Ita notatum reliquit: Verbum ambiguum; forſitan; maieſtati Domini nō poteſt conuenire, ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum homini ſeruetur arbitrium; ne ex præſcientia eius, quaſi neceſsitate, uel facere quid, uel nō facere cogatur. Non enim ex eo ꝙ Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit; quaſi præſcius futurorum. Hæc ille. Diuus quoque Iuſtinus Philoſophus & martyr, in quæſtionibus ad orthodoxos, .q.58., in hūc modum dicebat: Si Chriſtum oportebat ab uno Diſcipulorum ſuorum prodi, ut fieret quod ſcriptum erat, Chriſtus cauſa eſt impletionis ſcripturæ, non proditionis Iudæ. Huius enim Iudas ipſe fuit Author, quam futuram ſciens Deus, prædixit per literas; nec eſt præ-

notio

notio cauſa eius quod futurum erat; ſed quod futurum erat, cauſa eſt prænotionis. Non enim prænotionem ſequitur res futura,ſed rem futuram pręnotio; nec vllo pacto qui prænoſcit,cauſa eſt rei futuræ. Itaque non Chriſtus cauſa eſt proditionis,ſed proditio cauſa eſt prænotionis Domini. Hactenus Iuſtinus.

Sed & Beatus Chryſoſtomus, Homilia.60. in Matthæum, circa principium,exponens illud: Neceſſe eſt vt veniãt ſcandala; inquit: Non ergo prædictio ipſius; ſcilicet Domini; ſcandala inducere putanda eſt. Non enim quia futura ſcandala prædixit, idcirco veniunt;ſed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit. Non enim fierent, ſi nollent ea excogitare nequam homines,atque peſtiferi; quòd ſi ventura non fuiſſent, nec ipſe futura prædixiſſet. Ventura verò erant,quia multi erant grauiter ęgrotantes, qui noluerunt non agere malignè; & ipſe,quod futurum erat prædixit. Sed ſi illi curati fuiſſent; quiſpiã diceret;ac nemo eſſet qui ſcandala faceret, nónne hic ſermo falſitatis crimine teneretur? Certè ſi curari,ſanariq́. omnes voluiſſent, non dixiſſet neceſſe eſt ſcandala uenire. Sed quia ſua ſponte incurabiles futuros perſpiciebat,ideo ventura omnino prædixit. Ita Chryſoſtomus. *Tom.2.*

Cui, ſimul & alijs, aſſentitur Origenes, ſuper Epiſtola Pauli ad Romanos,cap.8., exarans illud: Quos aũt prædeſtinauit,hos & vocauit. Quo loci ita ſcribit: Nam & ſi communi intellectu de præſcientia ſentiamus,non propterea erit aliquid,quia id ſcit Deus futurum;ſed quia futurum eſt,ſcitur à Deo antequam fiat. Nam etſi (verbi gratia) fingimus Deum non pręnoſcere aliquid futurum, tamen ſine dubio ita erat; vtputa Iudas proditor factus eſt; & hoc ita futurum Prophetæ prædixerunt. Non ergo quia Prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Iudas; ſed quia futurus eſſet proditor,ea quæ ille ex propoſiti ſui nequitia geſturus erat, prædixerunt Prophetæ. Cùm vtique Iudas in poteſtate habuiſſet,ut eſſet ſimilis Petro & Ioanni ſi uoluiſſet; ſed elegit pecuniæ cupiditatem, magis quàm Apoſtolici cõſortij gloriam. Et hanc eius voluntatem futuram præuidentes Prophetæ, librorum tradiderunt monumentis. Hæc ille. *Tom.2.*

Fauet Hugo de Sancto Victore, libro primo de Sacramentis, parte.2., cap.vlt., vbi hæc habet uerba formalia: Dicunt quidam, ſi prouidentia mutari non poteſt, nec caſſari,euentus,autem impediri poteſt,ut nõ fiat quod futurum eſt;Si autem impediretur euentus rei,quod fieri poteſt,mutaretur, vel caſſaretur prouidentia; quod fieri omnino non poteſt. Sed nos reſpondemus,ꝙ ſi mutaretur euentus, quod fieri poteſt,nec mutaretur, nec caſſaretur prouidentia; quia hoc fieri omnino non poteſt;ſed potius nunq̃ fuiſſet præuiſum quod nunquã fuerat futurum, & conſtaret prouidentia in eo ut non fieret, ſicut modò conſtitit in eo ut fieret. Hactenus Hugo. Et ibidem cap.14. ait: Non ergo in Deo æterna ſcientia, vel præſcientia eſſet, niſi futurum eſſet aliquid, de quo eſſet. Hæc ille. Qui cùm dicat quòd potius nunquàm fuiſſet præuiſum quod nunquàm fuerat futurum; inde poteſt inferri,ꝙ futurum ſit cauſa præſcientiæ diuinæ. Id quod etiam præinductæ authoritates pſuadere videntur. Et hoc eſt quod intẽdimus probare. *Tom.3.*

Illud

Contra.6. Illud etiam quod ſexto diximus loco non uidetur omnino tutum; quo-
.1. niam ſecundùm noſtrum intelligendi modum, ſcientia Dei uidetur magis proximum principium in creaturarum productione, quàm uoluntas; id quod tali pacto perſuaderi poteſt: Scientia Dei in ordine ad creaturas producendas, habet rationem artis. In effectu autem artificioſo, proximũ principium eſt ars ipſa, & non uoluntas artificis.

Confirmatur adhuc; quoniam Deus immediatè per imperium creaturas producit; ueluti ex Gene.cap.1. facilè conſtat; Fiat lux, & facta eſt lux. Imperium autem eſt opus ſcientiæ practicæ. Vnde ſatis habetur intentum.

.2. Arguitur ſecundò, & oſtenditur quòd ſcientia Dei principalius concurrit ad effectum, quàm ipſa uoluntas. Illud enim perſpicuum eſt, & pro comperto habemus, ſcientiam Dei in ordine ad effectus productos, artis rationem habere. Ars autem artificis ptincipalius concurrit ad effectum artificioſum, quàm eius uoluntas. Propterea quòd ſpecies & ratio effectus producti, non correſpondet; formaliter loquendo; uoluntati artificis, ſed arti. Scientia igitur Dei, ad effectum principalius concurrit, quàm ipſa uoluntas. Et ita perit quod ſexto habuimus loco. Nempe uoluntatem diuinam, in rerum productione principem ſibi uendicare locum.

Contra.7. Contra ſeptimum dictum non deſunt qui uarijs modis inſurgant, & pri-
.1. mò ad hunc modum: Iſta conſequentia ualet: Scio lapidem eſſe materialem; Ergo lapis eſt materialis. Nihiloſecius conſequens intelligitur de lapide in ſeipſo, & non ſecundùm eſſe quod habet in anima. Lapis enim in ſeipſo eſt materialis, in anima uero immaterialis; ut etiam dicit D.Thomas.

.2. Amplius: Conſequutio hæc valet: Deus ſciuit & ſcit Antichriſtum eſſe futurum. Antichriſtus igitur eſt futurus. Et antecedens eſt uerum. Ad aures tamen D.Thomæ, & iuxta id quod ſeptimo annotauimus loco, conſequens eſſet ſumendum quatenus ſubeſt antecedenti, & ſcientiæ diuinæ. Id quod tamen fieri nequit. Quandoquidem ut ſubeſt diuinæ ſcientiæ, eſt præſens; ueluti diximus ſupra. Si igitur ita accipiatur, Antichriſtus erit præſens, & conſequentia erit falſa; quorum utrunque à ueritate ſuperq; ſatis abhorret. Iſtæ duæ rationes ſunt Gregorij Ariminenſis, in primo ſent. d.38., q.2., ar.3.

.3. Deinde arguunt alij, quos recitat Ioannes de Baccone, in primo Theologicarum ſenten., d.40.q.1., ar.2.; dicentes quòd huiuſmodi doctrina Sancti Thomæ eſt contra communem logicam; propterea quòd ea ſtante, nulla eſſet conſequentia falſa; Vtpotè ſi dicam: Iſte homo eſt mortuus. Ergo eſt homo. Si conſequens intelligendum uenit prout ſubeſt antecedenti, patet quòd illatio eſſet uera, quod tamen non admittitur. Et ſi dicatur quòd regula tenet ſolùm quando in antecedente ponitur aliquid pertinẽs ad actum animæ; hoc nihil eſſe uolunt. Quoniam in illo antecedente nihil ponitur, præter id quod pertinet ad actum animæ. Conſequens autem abſolutè poſitum, & ſeorſum à conſequentia, non magis intelligitur, & in ſe ueritatem continet prout ſubeſt illi antecedenti, quàm alijs. Quare ſi eſt falſum in una conſequentia, erit etiã falſum in alia. Quod in huiuſmodi

exemplis

exemplis facilè conſtat: Si enim dixero: Homerus eſt mortuus. Ergo Homerus eſt. Conſequentia eſt falſa; vt patet. Si dixero ulterius: Homerus eſt in opinione. Ergo Homerus eſt. Conſequutio adhuc eſt falſa; & nihilotamen ſecius in antecedente ponitur aliquid pertinẽs ad actum animę. Quo fit, ut non magis concedatur iſta: Homerus eſt in opinione. Ergo Homerus eſt. Quàm iſta alia: Hic homo eſt mortuus. Ergo eſt homo. Cùm vtraque ſit à veritate prorſus aliena. Conſequens igitur abſolutum, non magis eſt verum quatenus ſubeſt antecedenti, quod in ſe continet aliquid pertinens ad actum animæ, quàm prout ſubeſt alijs. Quoniam primum non magis ponit illud in eſſe, quàm ſecundum; cùm actus animę nihil reale ponat in eo; veluti patet de opinione, quæ eſt actus animæ, reſpectu Homeri. Non enim ex hoc ꝙ Homerus eſt in opinione mea, ſequitur ꝙ ſit in rerum natura. Quod cùm ita ſit, dictum illud redditur omnino & ſimpliciter falſum, ꝙ nempe cõſequens intelligitur, prout ſubeſt antecedenti.

4. Arguunt deinde alij tali pacto: Aſſumpta huiuſmodi cõſequentia: Deus nouit Antichriſtũ fore. Ergo Antichriſtus erit. Mox erigitur rõ talis: Si cõſequẽs ſumitur atq. intelligitur quatenus ſubeſt antecedẽti, nemini dubiũ, quin ſit propoſitio de pñti, minimè aũt de futuro; qḋ eſt à veritate alienũ. Id quod conſequitur ex eo maximè conſtat, ꝙ Antichriſtus à Deo cognoſcitur, prout eſt ei pſens in æternitate; quemadmodũ in ſuperioribus diximus.

5. Ad hæc: Stante præiacto fundamento, ſequitur hanc eſſe bonã conſequentiam: Ego exiſtimo Petrum currere; Ergo Petrus currit. Quoniã conſequẽs accipiendum uenit non ſecundùm ſe, at prout eſt in æſtimatione meã. An autem teneat conſequentia illa, poteſt unuſquiſque iudicare.

6. Similiter hæc etiam eſſet bona: Petrus vult furari; ergo furari eſt bonum. Si enim conſequens accipiatur prout ſubeſt antecedenti, accipietur procul dubio quatenus ſubeſt voluntati; & ita furari erit bonum; quoniam bonũ eſt obiectum uoluntatis.

7. Amplius; Poſito caſu quòd Deus velit me loqui modò, & loquar de facto; Tunc arguitur: Deus vult me loqui modò; Ergo ego loquor modò. Cõſequentia eſt bona; & tamen conſequens accipitur etiam ſecundùm quòd in ſe eſt. Non obſtante quòd in antecedente ſumatur aliquid pertinens ad actum animæ. Fundamentum igitur illud D.Thom., quod nos remis & velis proſequuti ſumus, ſuperqueſatis de falſitate ſuſpectum eſſe videtur.

Contra.8. Aduerſus verò illud quod octauo diximus loco, militant ea quæ in tertium noſtrum dictum præinduximus. Habuimus enim octauo loco, ꝙ uirtus primæ cauſæ eſt efficaciſsima; ob id tamen neceſsitatem in effectu minimè inducit; quoniam diſponit omnia ſuauiter. Cæterùm adhuc ratio in oppoſitum urgere uidetur. Quandoquidem, omnia quæ ſunt, fuerunt, & erunt, à diuina uoluntate decreta fuere; veluti ſupra oſtendimus. Diuinæ autem uoluntati non eſt quod reſiſtere ualeat. Vtcũque igitur ſuas creaturas diſponat Deus, vel ſuauiter, vel minus, adhuc videntur; quod ad ſeipſas attinet; fatali quadam neceſsitate, impermutabiliq; decreto euenire.

Contra.9. Hæc eadem deſtruere uidentur ea quæ nono habuimus loco. Siquidem ſcientia uiſionis Deus nihil nouit, niſi quæ à diuina uoluntate decreta

creta fuere; idq. iuxta noſtrum loquendi & intelligendi modum. At hoc non obſtante, adhuc in rebus ſeqitur præmiſſa neceſsitas. Quoniam licèt omnia ſint à diuina voluntate libere decreta; ob id tamen res ipſæ; quantùm ſit ex ſe; non poſſunt non euenire; cùm nihil diuinæ voluntati reſiſtere valeat.

Pro diſſolutione prainductarum difficultatum, quædam declarantur. Cap. 30.

VT ea quæ dicturi ſumus iuniores facilius percipere queant; operæ pretium nos facturos ſumus arbitrati, ſi vim illarum duarum rationum quæ primo loco inductæ fuere, dederimus exaratam, aliaq́ue nonnulla expoſuerimus. Illud igitur repetendum duximus, quod huius noſtri voluminis Libro primo, habuimus; nimirum neceſſarium & contingens duos eſſe modos entis principales, atque poſitiuos, necnon & oppoſitos. Poſitiui quidem ſunt, quoniam poſsibile & contingens reapſe idem ſunt, & non diſcriminantur niſi ſola intelligentiæ ratione. Proptereaquod poſsibile dicitur illud quod eſt actu, cum potentia ad oppoſitum; nempè ad nō eſſe. Contingens verò eſt illud quod non eſt, poteſt tamen eſſe. Atqui eſſe actu non variat naturam rei contingentis, ſed ſtatum, & modum eſſendi. Vnde contingens & poſsibile non differunt, niſi penès modum eſſendi, & vtriuſque ſtatum; cùm vnum ſit in actu, aliud verò in potētia. Modò autem poſsibile eſt quid poſitiuum; Ergo & contingens. Quòd verò neceſſarium ſit quid poſitiuum, nemo eſt qui dubitet.

Sunt deinde neceſſarium & contingens modi entis, inter ſeſe contradictoriè oppoſiti. Quandoquidem ſi omnia velimus oppoſitionum genera conſiderare, illud non erit difficile uidere. Siquidem oppoſitio relatiua, eſt repugnantia relatiui, & ſui corellatiui, reſpectu eiuſdē ſubiecti; cùm in eodē reſpectu eiuſdem, minimè ſe compatiantur. Neceſſarium aūt & contingens non ſunt corellatiua, vt patet. Nō igitur opponuntur relatiuè. Oppoſitio autem contraria, eſt repugnantia duorum contrariorum, nō ſe in eodē ſubiecto compatientium, at mutuò ſe ab eodem expellentium; niſi alterū eorum inſit ſubiecto à natura. Horū aūt quædam ſunt mediata, quædā immediata. Immediata; inquā; per remotionē medij poſitiui; non aūt per remotionem medij per abnegationem, Vtpotè ſanū & ægtū. Patet enim ꝙ inter vtrunq. nihil eſt medium eiuſdem generis. Vnde neceſſe eſt omne animal eſſe aut ſanū, aut ægrum. Eſt tamen lapis, qui nec ſanus eſt, nec æger. Neceſſarium aūt & contingens non recipiuntur in eodem ſubiecto, nec per conſequens mutuò ſe ab eodem expellunt; Quoniam omne quod eſt neceſſariū eſt ſemper neceſſarium, cùm ſit perpetuò immobile. Et omne quod eſt contingēs, ſemper eſt contingēs & mobile. Itē ſunt immediata per remotionē medij poſitiui; quia omne qđ eſt, aut eſt neceſſariū, aut cōtingens. Et cùm nil reperiatur in toto vniuerſo, q̄n ſit neceſſariū, aut contingēs; relinquitur concluſum, ꝙ hęc duo ſint immediata ēt per remotionē medij p abnegationē. Et ita eorum oppoſitio, nullam habet conuenientiā cū oppoſitione cōtraria.

Minuſq.

Minusq́. cum oppoſitione priuatiua; quoniam hæc eſt repugnantia habitus & priuationis,& priuariuè oppoſita fiunt circa idē ſubiectum,ordine irregreſsibili. Neceſſariū aūt & contingens ſunt modi entis poſitiui,nec fiūt circa idē ſubiectum;vt probauimus. Non igitur opponuntur priuatiuè. Eſt nihilominus inter ea quędā diſtantia formalis; vt patet. Alia eſt.n. ratio formalis neceſſarij,aliaúe contingentis. Et nedū diſtant formaliter, verùmetiā ſubiectiuè;quod non pōt cōuenire diſparatis,ſub ea rōne formali,qua ſunt diſparata;vt de Muſica,Grammatica, colore,& ſapore ſatis conſtat. Diſtāt nanque formaliter,at ſubiectiuè nequaq̄. Et ſi reperiātur diſparata aliqua,
ac quæ ſubiectiuè diſtent; vt Homo, & Aſinus;id non prouenit ratione diſparationis in ſe,ſed materiæ;ſecus omnia diſparata ſubiectiuè diſtarēt;quod eſſe falſum iam probauimus. Neceſſarium igirur atque contingens,cùm inter ſeſe formaliter diſtent,& ſubiectiuè, ꝙ non ſint diſparata cōſpicuum eſt. Sunt igitur oppoſita; At non relatiuè,nec contrariè, nequidem priuatiuè. Igitur cōtradictoriè. Quare ſicuti neceſſarium opponitur per ſe primò poſſibili non eſſe,tanq̄ contradictorio. Et cōtingens dicit poſsibile eſſe,& poſſibile non eſſe; ita ratione huius ſecundæ partis,neceſſarium opponitur cō tingenti,tanq̄ contradictorio. Vnde optimè deducebant duæ illæ primæ rationes,ꝙ eſt implicatio contradictionis,idem eſſe contingens, ſimul atque
ac neceſſarium. Idem enim eſt ac ſi diceremus;idem eſt neceſſarium,& non neceſſarium;contingens,& non contingens;quæ eſt manifeſta contradictio.

Notent; inſuper; iuuenes noſtri,ꝙ neceſſarium in propoſito multifariā accipitur;nimirum abſolutiſsimè,abſolutè,Logicè,ſeu Metaphyſicè,& ex ſuppoſitione. Primo modo ſolus Deus eſt quid neceſſarium,cùm à nullo, ſed omnia ab ipſo dependeant. Vnde dicitur in pſalmo. 101. Initio,tu Domine terram fundaſti,& opera manuum tuarū ſunt cęli. Ipſi peribunt, tu aūt in æternū pmanebis. Ipſi peribunt,tu aūt idē ipſe es,& anni tui nō deficiēt. Solius igitur Dei eſſe,eſt neceſſariū oīno abſolutè,& independenter ab aliquo. Secundo modo, cœlū eſſe, Angelos eſſe,& mundū eſſe,dicuntur eſſe ne
3° ceſſaria. Nō ita tamē ſunt neceſſaria,ut eorū neceſsitas oriatur per ſe primò ab intrinſeca rōne ipſorum, quemadmodū ex rationali oritur riſibile;atqui dicuntur neceſſaria abſolurè,quia poſtq̄ receperunt eſſe, non eſt in tota rerum natura,cauſa intrinſeca vel extrinſeca,per quam poſsint nō eſſe,& corrumpi. Reſpectu aūt ipſius Dei,non habenr eſſe ex neceſsitate; quia ab illo nō neceſſariò,ſed liberè procedunt. Quare ſicut id quod eſt dicitur de Deo & creaturis analogicè,ita etiam neceſſarium abſolutè,dicitur de Deo & de Angelis, Cœlo,& mundo, analogicè. Quæ quidem omnia dicuntur etiam neceſſaria naturaliter.

Tertio modo dicitur neceſſarium illud,quod eſt æternæ veritatis. Vtpo-
4° tè quando definitio, vel pars definitionis affirmatur de definito; vel paſsio de proprio ſubiecto; vt homo eſt aīal rationale;homo eſt riſibilis; hæc enim ſunt neceſſaria,& perpetuæ atque æternæ veritatis; ut quilibet intelligens optimè nouit. Quarto modo dicitur & eſt neceſſarium ex ſuppoſitione,quādo aliquid neceſſariò ſequitur ex alio pręſuppoſiro,per bonā cōſequentiā; vt ſuppoſito ꝙ ego velim finem aliquem, ex neceſsitate poſtea volo etiam

media ad finem. Sed de hoc ſatis diximus ſupra. Modò itaque aliud noto ex doctiſsimo Thoma VValdenſe, tomo primo, libro primo, artic. primo, cap. 26. ꝙ nempe diuina præſcientia, ſi propriè & formaliter ſumatur, nedum dicit præcognitionem rei futuræ; quia tunc parum diſtaret à ſimplici notitia; verùmetiã addit ipſi rei futuræ applicationẽ odij, vel amoris. Odij quidem, quando præſcientia cum reprobatione conuertiur; amoris verò, quando cum p̃deſtinatione confertur vel approbatione; iuxta illud. D. Apoſtoli ad Roma. 8.: Quos præſciuir, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Tom. 2. Origenes. Quem locum exponens Origenes, inquit: Non ſecundùm communem vulgi opinionem putandum eſt, bona malaq́. præſcire Deum, ſed ſecundùm ſcripturæ ſanctæ conſuetudinem ſciendũ eſt. Obſeruet enim qui ſtudioſus eſt in ſcripturis ſic, vbi inuenit ſcripturã dicere quia malos p̃ſcierit Deus, ſicut in præſenti loco de bonis manifeſtè dicit. Quia quos prę́ſciuit, & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui. Si enim quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes eſſe imaginis filij ſui; nullus autem malus conformis poteſt imaginis eſſe filij Dei; manifeſtũ eſt quia de bonis tantùm dicit. Præſcijt quos prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui. Cæteros verò, non modo præſcire, ſed neſcire quidem dicitur Deus. Nouit enim Dominus eos qui ſunt eius. 2. Thi. 2. Ad eos autem qui nõ ſunt digni vt ſciantur à Deo, Saluator dicit: Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis, quia non cognoui vos. Sic ergo & in hoc præſenti loco, quos præſciuit Deus, ipſos & prædeſtinauit, conformes imaginis filij ſui. Cęteros autem qui præſciri non dicuntur, non ꝙ aliquid latere poſsit illam naturam, quæ vbique eſt, & nuſq̃ deeſt. Sed quia omne quod malum eſt, ſcientiæ eius, vel præſcientiæ habetur indignum. Hæc ille. Quibus vult præſcientiam in ſcripturis referri tantùm ad iuſtos, cum applicatione amoris & pręmij. Quòd verò dicatur etiã cum applicatione odij & pœnæ, declarat. D. Anſel. D. Anſelmus, eundem exponens locum, his verbis: Prædeſtinatione quippe Deus ea p̃ſciuit, quæ fuerat ipſe facturus. Vnde dictũ eſt: Fecit quæ futura ſunt. Præſcire autem poteſt ẽt quæ ipſe non facit, ſicut quæcũque peccata. Ita. D. Anſelmus. Cui aſſentitur Beatus Thomas; qui eundem exarans textum, inquit: Dicit autem; Quos prædeſtinauit, non quia omnes præſcitos prædeſtinet; ſed quia eos p̃deſtinare D. Tho. non poterat, niſi p̃ ſciret. Hactenus Beatus Thomas. Si ergo non oẽs p̃ſcitos prędeſtinat Deus, fit cõſequens, vt aliquos dãnet. Quare præſcientia dr̃ etiã cũ applicatione odij & pœnæ. Et ita optimè dicitur, ꝙ p̃ſcientia eſt p̃cognitio rei futurę, cũ applicatione odij vel amoris. Licèt in ſcripturis ſacris ꝓprius ad iuſtos referatur; cùm & peccatores & eorum mala opera videatur Deus neſcire, iuxta illud pſalmi. 16.: De abſcõditis tuis adimpletus eſt vẽter eorũ. Nouit q̃dẽ Deus peccatores, & eorũ mala opera, ſcĩa ſimplicis intelligentię; Auguſtin. at non ſcĩa uiſionis, nec approbationis. Quocirca. D. Pater Auguſtinus, illud pſalmi, q̃d p̃miſimus dictũ explanãs, inquit: Nõ ſolùm aũt iſta pœna eos conſequetur uiſibilis, ſed etiam de peccatis; quę tanquam tenebrę abſconduntur à lumine ueritatis tuæ, adimpleta eſt memoria eorum, ut obliuiſcantur Deum. Hęc ille. Michael de Bononia. Michael quoque de Bononia, olim totius Carmelitici inſtituti Prior & Magiſter Generalis, in ſuis commentarijs in omnes pſalmos,

pſalmos, quæ ſub nomine incogniti Authoris, typis commiſit Carolus Peſnot, bibliopola Lugdunenſis, anno Domini. 1581., memoratum Dauidicum verſiculum aggrediens, inquit: Sicut Deus ſe abſcōdit ab aliquibus; ita aliqui abſconduntur à Deo. Abſcondit enim ſe Deus à peccatoribus. Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſsima eorum. Sed à Deo abſconduntur peccata, quæ non videt, ideſt non approbat. Vnde peccatoribus propter peccatum dicit: Amen dico vobis, neſcio vos. Hactenus Michael. Diuina igitur præſcientia, rem futuram reſpicit cum applicatione odij vel amoris; ſed in ſacris ſcripturis præcipuè refertur ad iuſtos; contra eos qui dicunt, ꝙ præſcitus, idem ſonat quod damnatus. Queadmodum itaque in Sole eſt aliquid accipiendū in ratione actus immanentis, ſicut lucere; & aliquid in ratione actus emanantis & effluentis, vt illuminare; ita ēt in Dei ſcientia. Conſideratur enim ibi actus ipſe ſcientiæ certę futurorum euentuum, & aliquid quaſi conſequens ex iſto, inque ratione actus emanantis; ſcilicet præparatio pœnæ, vel præmij, correſpondens.

Deutero. 32.
Matt. 25.

Et quoniam quod non eſt, nec vnq̄ erit, nec fuit, non præmiatur, nequidem punitur; Idcirco loquendo de diuina præſcientia, ſub ea formali ratione qua eſt præſcientia, & non aliter nec alio modo; eius proprium & formale obiectum, volumus eſſe futurum de certo, minimè autem de poſsibili. Propterea quòd futurum de poſsibili, licèt cognoſcatur à Deo, & ſciatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quia tamen nunq̄ erit, ideo non poteſt à Deo præſciri; ſecus eius falleretur præſcientia. Multa nanque poſſunt eſſe futura, quæ nunquàm erunt.

Quapropter de concordia præſcientiæ & prædeſtinationis, non longè à principio, dicebat. D. Anſelmus: Si quis intellectum verbi propriè conſiderat, hoc ipſo quòd præſciri aliquid dicitur, futurum eſſe pronunciatur. Non enim niſi quod futurum eſt præſcitur; quia ſcientia non eſt niſi veritatis. Hæc ille.

D. Anſel. Tom. 3.

Et Chryſoſtomus Homilia. 4. de laudibus Diui Pauli Apoſtoli, nō longè à principio, rationem reddens, cur tpe quo videbat reſurgere mortuos, ambulare claudos, paralyticos roborari, dœmones effugari, non ſe conuertit Paulus ad Chriſtum, dicit: Quia necdum utique uocatus fuerat à Chriſto. Tu verò hoc audiens, noli uocationem iſtam neceſsitatem putare. Non enim Deus cogit homines vocando; ſed poſt vocationem quoque permittit eos propriarum eſſe dominos uoluntatum. Nam & Iudæis, ſeipſum quando oportuit, reuelauit; ſed illi propter gloriam, quam ab hominibus requirebant, vltro ſe offerentem ſuſcipere noluerunt. Hactenus. D. Chryſoſtomus. Ex quo facilè conuincitur, quòd. D. Apoſtolus, poſt Chriſti uocationem poterat non obedire; èregione uerò, Iudæi quoque ipſi poterant Chriſtum ſuſcipere, & eſſe Paulo ſimiles in merito, eiuſdemúe gratiæ participes; at noluerunt. Multa igitur ſunt poſsibilia, quæ nunquam fuerunt, nec ſunt, nec erunt. Ne igitur diuina fallatur præſcientia, cogimur dicere cum Sanctis Patribus, quòd obiectum formale & adæquatum eiuſdem diuinæ præſciētiæ, eſt futurū de certo; de poſsibili aūt nequaquam; ne dicamus cum Ioanne VVitclef, omne poſsibile eſſe verum,

Chryſoſto. Tom. 4.

Et ſi dicamus diuinam præſcientiam eſſe reſpectu poſsibilis quod nunquã erit;non intelligimus hoc eſſe ea ratione formali, qua eſt præſcientia;ſed quatenus eſt ſimplex intelligentia. Adæquatè autem & propriè;inquãtùm ſcilicet eſt præſcientia;non eſt niſi reſpectu determinatè futuri. Vnde quãdo arguunt curioſi: Hoc præſcit Deus. Hoc poteſt non eſſe. Dei ergo præſcientia poteſt falli. Veram non callent Philoſophiam; quæ docet potentiam non decipi niſi circa proprium obiectum. Potentia nanque uiſiua non decipitur circa dulce, tametſi nigrum apparens ſit vtique dulce. Diuina igitur præſcientia non poteſt falli circa futurum ſolùm de poſsibili;atqui deciperetur, ſi determinatè futurum non veniret. Deus enim ſua præſcientia, non aliud quàm quomodo contingenter res contingens ad vnam partem determinatè perueniet, intuetur. Siquidem videt ex qua parte pondus in libra deſcendet;nec tamẽ vt neceſsitatẽ inducat alterutri Lancis Brachio manum premit; immo ſic pondus in libra, ſine omni aſpiciente, deſcenderet. Poterat etiam Iudas prodere,& non prodere Sacroſanctum Magiſtrum ſuum, & eſſe ſimilis Petro atque Ioanni; Deus quoque vtrunque optimè nouit;nimirum poſsibile,nunquam reducendum ad actũ: & quod erat de certo futurum. Sed primum nouit ratione ſimplicis intelligentiæ; ſecundum verò; proditionem ſcilicet;ratione præſcientiæ ſempiternæ. Futurum igitur ſolum determinatè & de certo, eſt prædictionis & præuiſionis diuinæ obiectum formale & adæquatum. Et hæc diuina præcognitio, non ſubinfert rebus præuenientem neceſsitatem quamcunque, at ſolummodo futuritionem de certo. Quòd ſi eſſet de aliqua re non de certo futura, tunc falſa eſſet,& nulla præſcientia. Cuius quidem præſcientiæ tota ratio infallibilitatis, eſt certa futuritio contingentis euentus;non quidem cauſaliter,ſed obiectiuè. Et tam eſt certa ſcientia diuina atque neceſſaria de rebus contingentibus, ſicut de ſummè neceſſarijs;quia non cauſatur à rebus,veluti humana,ſed eſt intus, & cauſa rerum. Hæc dixiſſe volui, non ut diuinam præſcientiam ponam diſtinctã à ſcientia viſionis in Deo; cùm ratione ſui ibi nulla ſit præſcientia, quoniam omnia ſimul uidet in nunc æternitatis; ſed ratione noſtri tantùm, quia modus intelligendi noſter eſt per prius & poſterius, ſiue per ſucceſsionem; ob id dicimus quòd Deus ab æterno præſciuit lucem, antequam diceret: Fiat lux. Vnde ſequitur quòd Deus; quantùm ad ſe;nullum intelligat futurum,at ſolùm ratione noſtri; Quoniam omnia ſunt ei præſentia; quemadmodum in ſuperioribus latius oſtendimus; nunc itaque pergamus ad alia.

Prainductæ difficultates diſſoluuntur. Cap. 31.

HIS omnibus ad clariorem, pinguioremq́. mineruam prænotatis, ſupereſt modò, ut ad præmiſſarum difficultatum ſolutiones, pedem conuertamus.

Ad primã & ſecundam. Ad primam igitur, ſimul atque ſecundam,dicimus; quòd contingens & neceſſarium,abſolutè & ſimpliciter ſi accipiantur,dubio procul adinuicem pugnant; ſi uerò contingens accipiatur ſimpliciter, & neceſſarium ſecundum

dum quid; totum ſequitur oppoſitum. Modò autem quando diximus non eſſe inconueniens, idem eſſe contingens ſimul & neceſſarium; iuxta ſecundum ſenſum illud admiſimus. Quo fit, ut non ſit idem contingens & neceſſarium, reſpectu eiuſdem, at ratione diuerſorum. Eſt quidem contingens ſimpliciter ab intrinſeco, & ex propria natura. Neceſſarium uerò ſecundùm quid, & ab extrinſeco. Quemadmodum dicimus eundem hominem nigrum eſſe ſimpliciter, album verò ſecundùm quid. Ita pari paſſu, hæc propoſitio: Antichriſtus erit; eſt ſimpliciter contingens; quandoquidem huiuſmodi effectus ex propria ſui natura, & ex proximis eius cauſis, habet intrinſecam contingentiam. Per reſpectum autem ad diſpoſitionem diuinæ ſcientiæ, & determinationem diuinæ uoluntatis, eſt neceſſaria ſecundùm quid. Nullum igitur ſequitur incommodum, ſi dicamus idem eſſe contingens ſimpliciter, & neceſſarium ſecundùm quid; quoniam huiuſmodi neceſsitas eſt neceſsitas ex ſuppoſitione; quæ compatitur ſecum modum contingentiæ ab intrinſeco.

Verùm adhuc ſuboritur difficultas; quoniam dictum eſt in cap. præcedenti, ꝙ neceſſarium & contingens opponuntur contradictoriè. Modò autem dicitur, ꝙ hæc propoſitio: Antichriſtus erit: eſt ſimpliciter contingens, neceſſaria autem ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione. Neceſſarium autem ex ſuppoſitione, inter neceſſarium & contingens ſimpliciter & abſolutè acceptum mediare uidetur. Duo igitur erunt contradictoria mediata; uel peribit huiuſmodi neceſsitas ex ſuppoſitione. Qua quidem ſublata, adhuc ratio ſuperſtes & inuicta manet. *Dubitatio.*

Iulius Sirenius, libro octauo, & cap. 14., eius uoluminis, cui titulus eſt de Fato, declarans atque rationem reddens, quare cum ſuppoſitionis neceſsitate ſtet contingentia, fortuna, caſus, pariterq́. temeritas, eam inquit eſſe rationem, quia neceſsitas ipſa ex ſuppoſitione, ſpecies quædam eſt contingentiæ. Qua quidem ſtante doctrina, præmiſsi ratiocinij ſecundam negaret propoſitionem. Quandoquidem neceſsitas ex ſuppoſitione, cùm ſpecies quædam ſit contingentiæ, alteram duntaxat reſpicit partem contradictionis; nimirum contingens; quare non medium tenet locum inter neceſſarium & contingens ſimpliciter acceptum. *Iulius Sirenius.*

Cæterùm his non obſtantibus, ratio adhuc urgere videtur; quoniam cõtingens, ea ratione qua eſt contingens, indifferenter ſe habet ad eſſe & non eſſe. Neceſſarium vero quatenus tale, oppoſito modo ſe habet; quoniã eſt determinatum ad unum; nempe ad eſſe. Si igitur neceſsitas ex ſuppoſitione, ſpecies quædam eſt contingentiæ; fit neceſſariò conſequens, vt neceſſarium ex ſuppoſitione; indifferenter ſe habeat ad eſſe & non eſſe; & ita eo perit omnis neceſsitas; quod eſt abſurdum. Stantibus itaque contingentia & neceſsitate in eodem, erit profectò idem partim determinatum, partimúe indeterminatum, Ex conſequenti partim contingens, & partim neceſſarium. Quod autem eſt tale, participat utrunque extremorum; & ita medium ſibi uendicat locum, inter neceſſarium & contingens, ſimpliciter acceptum & abſolutè. Quare adhuc redit prima ratio. *Contra Sirenium.*

Eapropter nos eandem negando propoſitionem; mediam ſcilicet; di- *Propria ſolutio.*

cimus

cimus neceſsitatem ex ſuppoſitione, ſpeciem eſſe neceſsitatis, non contingentiæ; nec ob id ſequitur, illam medium tenere locum, inter neceſſarium & contingens ſimpliciter acceptum. Quandoquidem ad conſtituendum tale medium, oportet vt participet neceſsitatem & contingentiam, ſecundum propriam eius naturam, quemadmodum medij colores, ſecundùm eorum naturas & intrinſecè, participant albedinem & nigredinem. Neceſſarium autem ex ſuppoſitione non ita ſe habet; quoniam ſecundùm ſui naturam & intrinſecè, eſt merè & ſimpliciter contingens. Neceſsitatem verò participat quantùm ad eius ſtatum ſolùm & modum eſſendi; cuius ratione, declinat aliquantulum à contingentia. Res enim contingens, bifariam venit conſideranda; tum in cauſis ſuis, tum in ſeipſa. Iuxta primum modum, eſt contingens quantùm ad naturam, & quantùm ad ſtatum, eiuſque modum eſſendi. Secundo verò modo, eſt contingens ſecundùm naturam tantùm, neceſſaria autem ſecundùm ſtatum. Propterea dicimus, quòd huiuſmodi neceſsitas ex ſuppoſitione, eſt ſpecies quædam neceſsitatis, non contingentiæ. Nec tamen tollit contingentiam; quoniam uariatio ſtatus, non uariat rei eſſentiam; & hanc ob cauſam, dicimus quòd neceſſarium ex ſuppoſitione, eſt contingens ſimpliciter, neceſſarium autem ſecundùm quid.

Ad primā contra ſecundum dictum. Ad primam autem, quæ contra ſecundum dictum inferebatur, reſpondet D. Tho. prima par., q. 14., ar. 13., ad tertium argumentum, quòd illa inſtantia & ratio haberet locum, dummodo eſſe ſcitum importaret aliquā diſpoſitionem, ſubiecto inhærentem. Atuerò cùm actum ſolummodo ſciētis importet, & ſi res ipſa ſcita ſemper ſciatur, poteſt nihiloſecius ei aliquid attribui ſecundùm ſe, quod non attribuitur quatenus ſtat ſub actu ſciendi. Veluti eſſe materiale attribuitur lapidi ſecundùm ſe, quod non attribuitur ei quatenus ſub intelligentiam cadit. Licèt igitur res omnes à Deo ſciantur, & non poſsit dari inſtans, in quo non ſint ſub Dei ſcientia; quia tamen huiuſmodi diuina ſcientia nihil in eis imprimit reale; idcirco etſi ab ea nō poſsint ſecundùm actum ſeparari, id tamen eis conuenit ſecundùm relationem. Poteſt enim res à Deo ſcita referri ad eius ſcientiam, vel ad cauſas proximas & immediatas. Et huiuſmodi diuerſitas ad hoc ſufficit, ut idem contingens & neceſſarium dicatur. Non eſt igitur deſpicienda præmiſſa diſtinctio; quoniam licèt omnia ſciantur à Deo, & ea ratione, aliqualem habeant in ſe neceſsitatem; poſſunt tamen referri in cauſas proximas, penès quas contingentia eſſe poſſunt.

Ad 2. Ad ſecundum, id quod conſequitur inficiamur omnino. Cùm probatur, dicimus quod ſuppoſita ueritate & neceſsitate illius antecedentis: Deus nouit Antichriſtum futurum: Adhuc naſcetur Antichriſtus contingenter in mundo. Et cùm infertur: Igitur conſequens illud, etiam in ſenſu compoſito erit contingens; ſcilicet Antichriſtus erit; admittimus certè quòd ſit contingens ſimpliciter, neceſſarium autem ſecundùm quid. Dictum eſt enim, quòd neceſsitas ex ſuppoſitione non variat rei naturam, ſed ſtatum. Seu notat ſtatus, non naturæ uariationem. Siquidem Antichriſtus quatenus ſubeſt diuinæ ſcientiæ, & eſt præſens in æternitate, eatenus eſt in actu,

& extra

& extra ſuas cauſas reſpectu ipſius Dei;ex conſequenti pro tali inſtanti tem poris quo eſt Deo præſens,infallibiliter ueniet.Iſta autem infallibilitas nō ſignificat nobis diuinam ſcientiam immutare naturam rei, & aliquid in ea realiter imprimere;atqui notat nobis,diuinam ſcientiam eſſe omnino infal libilem. Ob id tamen non ſequitur, quin cauſæ quæ Antichriſtum ſunt producturæ,ſint ſimpliciter contingentes, & remaneant prorſus in ſua natura; ex qua ſequitur contingentia in effectu. Diſtinctio igitur illa de ſenſu com poſito & diuiſo, optima eſt,& non inanis & uana.

Ad 3. Ad tertiam patet per idem. Negatur enim conſequentia; quoniam dicere quòd illud conſequens; Antichriſtus erit; eſt neceſſarium in ſenſu compoſito; idem eſt perinde ac ſi diceremus illud eſſe contingens ſimpliciter, neceſſarium autem ſecundùm quid;nimirum ex ſuppoſitione,ratione & modo prædeclarato.

Ad primum contrarium. Solutio. D.Thomæ. Eſt,inſuper, ratio prima hoc loco diſſoluenda,quæ aduerſus tertium noſtrum dictum fuit erecta. Vnde Beatus Thomas,prima par. Summæ Theologiæ,q.19.,ar.8.,docet diuinam uoluntatem fontem eſſe,originem,primā cauſam,& radicem omnis contingentiæ; idq́. propter ſuam efficaciam;qua non ſolùm fiunt ea quæ Deus uult fieri, at etiam eo modo fiunt, quo Deus uult ea fieri; ueluti fuſius aliàs diximus. Vult autem quædam fieri neceſſariò,& quædam contingenter; ut ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi. Et idcirco quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias,quæ deficere non poſſunt,ex quibus effectus de neceſsitate proueniunt. Quibuſdā uerò adaptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniunt. Quare licèt Deus ſit omnium cauſa, & immutabilis; & præuiſa atque decreta ſint apud eum omnia;& nihil eius uoluntati reſiſtere ualeat. Nonnulla tamen contingenter eueniunt, quia ab eo decretum eſt,illa contingenter euenire. Vnde tametſi diuino ſtante decreto,non euenire non poſsint; contingenter tamen eueniūt,quia ſic ipſe ſtatuit,& unuſquiſque effectus denominatur à cauſa ſua proxima, atque immediata. Et ita,quia non eſt quod diuinæ uoluntati reſiſtere ualeat; inde prouenit, ut nedum ea fiant quę Deus fieri uult,uerùm etiam eo modo fiant quo uult; cōtingenter ſcilicet uel neceſſariò.

Ad rationem igitur formaliter, iuxta huiuſmodi.D.Tho.ſanctionem,dicitur illud profectò uerum eſſe, quòd Deus omnia prænouit, & à uoluntate diuina omnia decreta fuere; Negatur tamen ꝗ huiuſmodi pręſenſio atq. decretum, tollant à rebus contingentiam; quoniam non niſi eo modo ueniunt,quo Deus ipſe ſtatuit,pariterq́. decreuit.

Contra. D.Tho. Verùm enim uerò adhuc curioſus & importunus non acquieſcit intellectus. Propterea quòd,ſi diuina ſcientia eſt cauſa rerum accedente uoluntate,& diuina uoluntas decreuit omnia fore; nec eſt quod ei reſiſtere ualeat. Quamuis res ipſæ futurę,per cauſas producantur cōtingentes; nihilotamēſecius, quantum ad res ipſas attinet,non poterunt non euenire; propter diuinum decretum omnino impermutabile. Et currit exemplum de fure, in argumento allato.Non igitur adhuc ſubterfugere uidemur,quin omnia fatali quadam eueniant neceſsitate.

Dominicus

Solutio : Dominici Bannes. Dominicus Bannes in prima par. D. Thom: q. 19. ar. 8., hanc difficultatem appellat importunam; pro cuius ſolutione dicit, quòd ſtante etiam diuino decreto, ob id non ſequitur neceſsitas in rebus, niſi ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione. Suppoſito enim quòd Deus ab æterno liberè uoluit res ipſas eſſe in tempore, non poſſunt non eſſe, propter diuinę uoluntatis immutabilitatem. Sed iſta neceſsitas non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione. Quoniam ſi dicamus: Deus uoluit hoc eſſe. Ergo hoc erit. Antecedens; inquit, eſt neceſſarium ex ſuppoſitione; ergo etiam conſequens. Vnde conſequēs erit neceſſarium ſecundùm quid, at ſimpliciter contingens; cùm tale ſit reſpectu ſecundæ cauſæ, vnde recipitur formaliter contingentia. Et licèt omnis effectus, reſpectu Dei volentis, infallibiliter eueniat, contingenter autem reſpectu cauſæ ſecundæ; non tamen dicitur omnis effectus ſimpliciter infallibilis, quemadmodum dicitur ſimpliciter contingens, reſpectu illius cauſæ ſecundæ atque defectibilis; quoniam omnis effectus debet denominari ſimpliciter talis ab illa cauſa, reſpectu cuius eſt aptus talem ſuſcipere denominationem. Sicuti etiam homo dicitur ſimpliciter criſpus, quamuis criſpitudo competat ei ſecundùm unam partem tantùm, nimirum ſecundùm caput; quia ſecundùm illam tantùm eſt aptus habere criſpitudinem. Vnde quia ex ſola cauſa ſecunda, effectus contingens eſt aptus denominari contingens, idcirco reſpectu illius tantùm dicitur ſimpliciter contingēs; licèt dependeat etiam à prima cauſa, & à diuina uoluntate. Ratione cuius, nulla eſt differentia rerum creatarum, quantùm ad neceſsitatem eſſendi, uel poſsibilitatem non eſſendi; itaquod una dicatur procedere à diuina uoluntate neceſſariò, alia uerò contingenter; quoniam in hoc omnes conueniunt, quòd liberè ſunt productæ, & liberè conſeruantur in eſſe. Omnia pariter ſunt anihilabilia, & omnia ſunt contingentia, Logicè loquendo; quia ſcilicet poſsibile eſt ꝙ ſint, & poſsibile eſt ꝙ non ſint, ad primam cauſam ſi habeant relationem; cùm omnia liberè ſint à Deo producta, & liberè conſeruentur in eſſe. Item reſpectu eiuſdem diuinæ uoluntatis, omnia ſunt neceſſariò ex ſuppoſitione. Vnde relinquitur ut tota ratio neceſsitatis & cōtingentiæ ſimpliciter in naturalibus, ſumatur ab eorum cauſis proximis & immediatis. Et ita uoluntas diuina non tollit contingentiam à rebus, quamuis ſit omnino immutabilis.

Contra Bānes. Optima doctrina quidem, catholichiſsima, & ab omnibus Theologis recepta; ueruntamen non deſinunt importuni ratione importuna faceſſere negotium, & exhibere moleſtiam. Non enim capiunt, quo modo aliqua & ex neceſsitate, & contingenter euenire poſsint; cùm modi iſti, neceſſariò & contingenter, contradictoriè opponantur.

Solutio. Et ſi repetamus nos quòd non omne neceſſarium contingenti opponitur, atqui ſolum neceſſarium abſolutè & ſimpliciter acceptum. Stante autem diuino decreto, non eſt in rebus neceſsitas, niſi ex ſuppoſitione; quæ ſtat cum contingentia.

Impugn. Repetent & ipſi importuni ratione importuna, ꝙ ſtante reſponſo, contingentia eſt ex parte cauſæ ſecundæ, neceſsitas uerò ex parte primæ. Modò autem prima cauſa magis efficit quàm ſecunda; uidebitur itaque effe-

ctus

ctus quilibet plus habere neceſsitatis, quàm contingentiæ. Et quòd prima cauſa magis efficiat quàm ſecunda, probant diuerſimodè, & primo ex illa prima propoſitione libri de cauſis, quæ ita ſe habet: Omnis cauſa primaria plus eſt influens ſupra cauſatum ſuum, quàm cauſa uniuerſalis ſecunda. Et. D.Tho. exponendo, dicit hoc verum eſſe in omni genere cauſarum, quæ ſunt per ſe ordinatæ. Vnde ſermonem habens de cauſis efficientibus, inquit: Manifeſtum eſt enim, quòd quantò aliqua cauſa efficiens eſt prior, tantò eius virtus ad plura ſe extendit. Item Ariſtoteles in 8. auſcultatorio libro, contextu. 38., inquit: Manifeſtum eſt, ꝙ & à ſuperiore mouente mouetur id quod mouetur omne, & magis à primo mouentiū. Et contextu. 41. eiuſdem libri ait: Quod enim prius, magis cauſa eſt mouendi, quàm ſequens, & mouebit magis. Adhuc igitur manet difficultas illa vulgaris & importuna.

Solutio.

Diceret fortaſsis Dominicus, verum eſſe, primam cauſam magis efficere quàm ſecunda; negatur tamen ꝙ effectus plus habeat neceſsitatis, quàm contingentiæ, ſtante eius infallibilitate reſpectu primæ cauſæ. Tum quia ratio formalis neceſſarij & contingentis ſimpliciter & abſolutè accepti, non attenditur penès primam, at penès ſecundam cauſam. Tum quia prima cauſa non concurrit cum ſecundis, nec vult effectus egredi ab eis, niſi iuxta earum naturalem & proprium modum. Non enim Deus ita concurrit cum cauſis ſecundis, ut cum cauſa neceſſaria, concurrat vt cauſa neceſſaria, & cum contingenti, ut contingens.

Impugn.

Pulcherrima certè, ſubtilis, & realis doctrina. Cæterùm nondum ceſſant exhibere moleſtiam iſti importuni. Propterea quòd, ſi ratio formalis neceſſarij, & contingentis ſimpliciter & abſolutè accepti, non ſumitur à cauſa prima, ſed à ſecunda; nec prima cauſa concurrit cum ſecundis, niſi iuxta earum modum naturalem & proprium. Ratio etiam formalis, quare omnis effectus dicatur, & ſit omnino, atque ſimpliciter infallibilis, deſumitur à diuina uoluntate; uelut ipſe teſtatur, loco proximè citato, tertium diſſoluendo ratiocinium. Quamuis igitur prima cauſa concurrat cum ſecundis, iuxta earum modum proprium, & naturalem; ob id non tollitur, quin ſtante diuino decreto, effectus infallibiliter eueniat. Non poterit igitur; quantùm ad rem ipſam attinet; non euenire. Quare neceſſariò eueniet; quantùm ſit ex ſe.

Solutio. Heruei.

Diceret fortè ſicut dicit ſubtiliſsimus Herueus, in primo Theologicarū ſenten., d.46., q.2., ad ſecundum argumentum; nempe ꝙ ſicut contingens eſſe contingens, eſt neceſſarium; non tamen contingens eſt ſimpliciter neceſſarium; ita quod Deus vult contingenter euenire, hoc ſuppoſito, eſt neceſſarium euenire contingenter. Illud tamen non eſt neceſſarium abſolutè, ſed ex ſuppoſitione. Nec etiam iſta neceſsitas ponitur circa euentum, ſecundùm ſe & abſolutè acceptum, ſed circa euentum, cum ſua conditione conſideratum. Vnde non dicitur ſimpliciter quòd hoc ſit neceſſariū; ſed ꝙ hoc euenire contingenter, eſt neceſſarium; ſuppoſito ꝙ Deus uelit ipſum contingenter euenire.

Impugn.

Subtiliſsima doctrina quidē & vera, apud ueros & cordatos Theologos.

Verun-

Veruntamen regulas Ariſtotelis perturbare uidetur; qui in libro Perihermeniæ.2., cap.3., tradidit iſta æquiualere: Non poſsibile eſt non eſſe, & neceſſe eſt eſſe. Regulam autem ualere uoluit de neceſsitate ſimpliciter accepta & abſolutè; quemadmodum intelligentes optime norunt. Adhuc igitur eſt locus diſputationi; & curioſus, ſeu in falſa atque erronea doctrina pertinax, dicet hæc potius eſſe audientium confuſiones, quàm rationum diſſolutiones.

Et augetur difficultas; quoniam admiſſo ꝙ ex uoluntate Dei non ſequatur in rebus neceſsitas abſoluta, immò cum hoc quòd res eſt uolita à Deo, in ſua quoque remaneat contingentia; ſit nihilominus neceſſaria ex ſuppoſitione; uidetur ꝙ ſaltem conſequens ſit ineuitabile & immutabile. Propterea quòd cùm aliquid neceſſariò dependet ex aliquo antecedente, ſi antecedens ſit ineuitabile, & conſequens ineuitabile erit, atque immutabile; quare fatuum erit conari in oppoſitum. Quemadmodum ſi Socrates non poſſet mutari à curſu, à motu pariter nequidem mutari poſſet; & fatuū utique eſſet conari ut Socrates non moueretur, niſi ceſſaret etiam à curſu. Cùm igitur diuina uoluntas ſit immutabilis, ſequitur ꝙ uolitum à Deo ſit omnino immutabile, & ineuitabile. Quare fatuum eſt ſolertem eſſe & induſtrium, ut non eueniat. Vnde uoluntas diuina, talem neceſsitatem rebus uolitis imponere uidetur, quæ & liberum tollat arbitrium, & omne conſilium.

Solutio. Ferrarienſis. Ad hanc confirmationē reſpondet Ferrarienſis, in primo aduerſus Gentiles, cap.85., ſub finem; ꝙ Deus quædam uult contingenter euenire, mediantibus cauſis ſecundis, & non aliter, nec alio modo; utpotè ſegetum copiam, mediante aratione terræ, & ſeminum iactu. Vnde fatuus eſſet qui ſegetes uellet, & ſolum nollet aratro perſtringere, minusq́. ſementem facere. Quantum igitur ad hæc attinet, diuina uoluntas, noſtram non tollit ſolertiam, neque diligentiam.

Addit ſecundò, ꝙ fatuum eſſet conari, ad hoc ut aliquid ſimul ſit uolitum à Deo, & tamen eius ſequatur oppoſitum. Sicut quòd Deus velit mortem alicuius, & quòd mors non eueniat; cùm nullus diuinæ uoluntatis efficaciam impedire ualeat. Non tamen fatuum eſt conari ad oppoſitum eius quod Deus uult; puta ad uitam eius, cuius Deus uult mortem; quia Deus uult huius mortem prouenire à cauſa contingenti, & impedibili. Non eſt autem fatuum, conari ad impedimentum illius cauſæ, quæ abſolutè impediri poteſt, & per conſequens ad oppoſitum effectum. Et licèt ſtante diuino decreto, cauſa illa contingens non poſsit impediri, propter efficaciam diuinæ uoluntatis; quia tamen uult Deus, ut fallibiliter & impedibiliter ab illa proueniat effectus, ſecundùm ſe poſſet impediri; & ideo qui ad hoc conatur, non conatur ad impoſsibile, ſed ad poſsibile; quāuis non conſequatur intentum. Vnde illa propoſitio: Fatuum eſt conari in oppoſitum eius, quod Deus uult futurum eſſe; uera eſt in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo.

Ioann. de Bacco. Conſimilem doctrinam tradit Ioānes de Baccone, in primo ſent.d.40., q.1. ar.4., diſtinguendo de triplici ineuitabili. Ex natura rei, ut Solē oriri. Ex effi-

Ex efficaci Dei uoluntate; ut animam intellectiuam creari in corpore; corpore ad hoc ultimatè diſpoſito. Et concomitanter, ſeu conditionaliter; ut ſunt omnia quæ ſubſunt generali Dei influentiæ, & eius uoluntati permiſsiuæ, & ſubſunt ſimul cauſis liberis, fortuitis, & quibuſcunque contingẽtibus. Vt me ſedere cras, vel non ſedere; & fodiendo inuenire, vel non inuenire theſaurum. Hæc; inquit; & ſimilia in ſe ſunt euitabilia, & conſiliabilia; & ſolùm ſunt ineuitabilia concomitanter, & conditionaliter. Dicuntur enim ineuitabilia propter conditionem pręſcientię Dei, quę eſt de his, & cõcomitantur illam, quę eſt immutabilis. Vnde huiuſmodi ineuitabile tertio modo acceptum, dicitur ineuitabile extrinſecè, intrinſecè uerò eſt euitabile, & per conſequens circa eum eſt conſulendum; ſiue dicitur euitabile per ſe, ineuitabile autem per accidens. Et circa tale ineuitabile eſt conſulendũ; non autem circa primum, nec circa ſecundum.

Vterque iſtorum doctorum optimè dicit; nihilotamenſecius inſurgent ſtatim iſti importuni aduerſus ea, quæ ſecundo loco habuit Ferrarienſis, dicentes: Obiectum formale diuinæ præſcientiæ eſt futurum de certo; ueluti probauimus ſupra; & non poſsibile. Ideo etiam quod Deus vult fore, eſt futurum de certo, & non poſsibile; quoniam tale poſsibile nunquam erit. Id quod ſatis capite pręcedente declarauimus. Et ad ſenſum Ferrarienſis, ſermo eſt de voluntate efficaci. His ita conſtitutis, erigamus rõnem ad hũc modum: Rectè admittit Ferrarienſis, ꝙ fatuũ eſſet conari ad hoc ut aliquid ſimul ſit uolitum à Deo, & tamen eius ſequatur oppoſitũ. Non tamen eſt fatuum conari ad oppoſitũ eius quod Deus vult; quoniã vult illud eſſe per cauſam contingentem & per ſe impedibilem. Modò aũt, conari ad oppoſitum eius quod Deus vult, eſt conari & laborare circa futurum de poſsibili, & nõ de certo. Erit igitur laborare & conari circa id qđ nunq̃ erit. Laborare aũt circa talia vr̃ ſatis fatuũ. Sicut ergo fatuũ eſt conari ad hoc ut aliquid ſimul ſit volitũ à Deo, & tamen eius ſequatur oppoſitum, ꝑp efficaciã diuinę uolũtatis, cui nõ eſt quod reſiſtere ualeat; ita pari paſſu, fatuũ eſſe videtur conari ad oppoſitum eius quod Deus vult; cùm ſit conari ad id quod nunquã erit. *Impugnatio Ferrarien.*

Et cùm dicit Ferrarienſis, ꝙ ſufficit conari ad id quod ex ſe non eſt impoſsibile. Hoc nihil ad importunum; quoniam etiam Iudas potuit eſſe ſimilis Petro & Ioanni, non tamen fuit. Meritò igitur, iureq. optimo, hoc dubium uoluit eſſe difficillimum Ferrarienſis.

Propterea non mirum, ſi etiam Ioannes de Baccone, conſimiles patitur anguſtias. Inquit enim, quòd circa ineuitabile per accidens & ab extrinſeco, eſt conſulendum. Sed quærit importunus nunquid huiuſmodi ineuitabile per accidens & ab extrinſeco, ſit futurum de certo, nec ne. Si neget, fallax igitur diuina præſcientia. Si affirmet, erit igitur prorſus ineuitabile. Siue modò ſit ineuitabile per ſe, ſiue per accidens; ſufficit iſti importuno, ꝙ conari, laborare, & conſulere circa eius oppoſitum, eſt conſulere circa id quod nunquam erit. Hoc aũt ſatis inconueniens eſſe uidetur. Nõ igitur adhuc ceſſat difficultas. Et ꝙ conſulere circa eius oppoſitũ, ſit conſulere circa id quod nunq̃ erit, ꝑter ea quę diximus ſupra, audiamus Hugonẽ de Sancto Victore, de Sacramentis libro primo, parte ſecũda, cap. 17. *Contra Ioann. de Bacco.* *Hugo.*

ita dicẽtem: Quod futurum fuit,ad hoc ſpectabat,quod futurum fuit;quod eſſe potuit,ad hoc ſpectabat,quod eſſe potuit,& futurum non fuit;& currebant ſimul ab æterno duo hæc, quod futurum fuit & quod eſſe potuit quod futurum non fuit. Hæc ille. Oppoſitum autem eius quod eſt futurum de certo,eſt futurum de poſsibili;vt conſtat. Hoc autem nunquam erit. Conſulere igitur circa oppoſitum eius quod eſt futurum de certo.& per conſequẽs ineuitabile; ſiue per ſe,ſiue per accidens; eſt conſulere circa id quod nunquam erit.

Solutio propria. Aliam igitur doctrinam aſsignemus oportet. Altius itaque exordiendo dicimus,ꝙ licèt uoluntas Dei ſit vna,& nullo modo diuerſa, & illa verè ſit & propriè,quæ in ipſo eſt,& idem eſt quod ſua eſſentia; quæ nec multiplicitatem capit,nec mutabilitatem. Aliquando tamen ſecundùm quandam dicendi figuram,uoluntas Dei appellatur,quæ ſecundùm proprietatem nõ eſt verè uoluntas eius, ut præceptum, prohibitio,conſilium, permiſsio,& operatio. Et idcirco ſancta atque diuina ſcriptura,quandoque pluraliter

Pſal. 110. uoluntates Dei pronunciat. Vnde Propheta; Magna opera Domini,exquiſita in omnes uoluntates eius; Cùm tamen non ſit niſi vna Dei uoluntas. Pluraliter tamen dicitur uoluntates, quia pluribus ac varijs modis accipitur. Propriè nempe,& impropriè; aut ſigni,& beneplaciti. Voluntas ſigni dicitur aliquod ſignum, prætendens Deum aliquid velle; uel prætendens aliquid in Deo, ſecundùm ꝙ ſe habet ad modum uoluntatis. Vnde præceptum,prohibitio,atque conſilium, dicuntur ideo uoluntates Dei,quia ſunt ſigna diuinæ uoluntatis; quemadmodum ſigna iræ quæ foris oſtenduntur, quibus iratus dicitur Deus,ira Dei dicuntur. Et punitio qua Deus aliquem punit,oſtendit ſeipſum habere ad modum irati; licèt non ita propriè dicatur Deus iraſci,ſicut dicitur illa uelle, quorum ſunt illa ſigna; quæ quidem ſigna diuinæ uoluntatis, in illa quinque diuiduntur,quæ parùm ſupra induximus; nimirum præceptum, conſilium, prohibitionem, operationem,& permiſsionem. Hæc enim ſignificant aliquem velle; quoniam qui aliquid conſulit,vel præcipit,uidetur illud velle; & ſic de alijs dicendum uenit. Huiuſmodi ergo diuina uoluntas,quæ dicitur uoluntas ſigni; ſiue iſta ſigna diuinæ uoluntatis,quæ Dei uoluntates dicuntur,non ſemper implentur. Præ-

Gene. 22. cepit nanque Deus Abrahæ immolare filiũ;non tamen uoluit;ſed ut Abrahę fides oſtenderetur. Præcepit Dominus noſter in Euangelio,Sanato, ne cui diceret; ille autem prædicabat ubique; intelligens Deum non prohibuiſſe quin vellet opus ſuum prædicari; ſed ut daret formam homini, humanam laudem declinandi. Voluntas autem Dei propriè accepta,quæ eſt efficax, & beneplacitum Dei,ſemper impletur,& inexpleta eſſe non poteſt. Sed de iſta uoluntate Dei efficaci, aliàs diximus ſatis. Nunc itaque vlterius progrediẽdo dicimus,ꝙ omnium rerum,earumq́. affectionum & proprietatũ, uniuerſa & integra cauſa,eſt huiuſmodi efficax diuina uoluntas, cui nõ eſt qđ reſiſtere ualeat,& Deus ipſe optimus maximus. Et hoc pōt cuilibet eſſe manifeſtũ,ex primis uerbis libri Geneſis: In principio creauit Deus cęlũ &

Pſal. 113. terrã. Quibus quidẽ ſubſcribens Propheta,dicebat: Deus aũt noſter in cęlo;

Pſal. 135. oĩa quęcunque voluit fecit. Et alibi; Qui fecit cœlos in intellectu;quoniam

in æter-

in æternum miſericordia eius. Non enim Deus fecit cœlos de neceſsitate naturæ; ſicut terra producit herbam; at per intellectum & voluntatem. Vnde illud exarans. D. Pater Auguſtinus, dixit: Vniuerſam creaturam nō vtiq; Deus per aliquam creaturam, ſed ſolus fecit. Res igitur, rerumq. naturæ, illo modo cunctæ productæ ſunt, quo ab æterno illas & diuinus nouit intellectus, & diuina uoluntas producere decreuit. Propterea. D. Auguſtinus. 15. de Trinitate Libro, cap. 13., inquit: Vniuerſas aūt creaturas ſuas ſpiritales & corporales; non quia ſunt, ideo nouit; ſed ideo ſunt, quia nouit. Nō enim neſciuit quę fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit; non quia creauit, ſciuit. Nec aliter ea ſciuit creata, quàm creanda. Hæc ille. Qui et. 6. ſuper Geneſim ad literam, cap. 15., diſputans illam quæſtionem, nunquid Deus hominem repente in virili ætate fecerit, an perficiendo, atque ætates augendo, ſicuti nunc format in vtero matris; concludit quòd Adam in ætate uirili continuò factus eſt; idq. ſecundùm ſuperiores, nō inferiores cauſas; ideſt, ſecundùm uoluntatem & potentiam Dei. Vnde illud caput terminat his verbis: Manifeſtum eſt etiam ſic non factum eſſe hominem, contra quod erat in illa prima conditione cauſarum; quia ibi erat etiam ſic fieri poſſe, quamuis non ibi erat ita fieri neceſſe eſſe; hoc enim non erat in conditione creaturæ, ſed in placito Creatoris; cuius uoluntas, rerum neceſsitas eſt. Hactenus. D. Pater Auguſtinus. Ex quo perquamclariſsimè habemus, quòd rerum condendarum neceſsitas eſt Dei uoluntas; quia conditio creaturæ non eſt in propria libertate, ſed in placito Creatoris. Et quia non eſt in propria libertate, neceſsitas eſt; non tamen omnimoda neceſsitas, ſed ex parte uolentis eſt contingens; quia eſt in placito Creatoris, ut faciat, & non faciat. Res tamen condenda, non ex ſe huiuſmodi habet neceſsitatem, ſed à Dei uoluntate; quæ utique rebus ut ſint neceſsitatem imponit, ſibi ipſi liberam poteſtatem reſeruans; quemadmodum cap. 17. eiuſdem memorati libri deducit Auguſtinus, his uerbis: Sed fortaſsis in mundo eſt, vt neceſſe ſit iſtum hominem ſeneſcere. Si autem nec in mundo eſt, in Deo eſt. Hoc autem neceſſariò futurum eſt, quod ille vult, & ea uerè futura ſunt, quæ ille præſciuit. Ita Auguſtinus. Vnde hoc perſpicuum relinquitur & clarum, quòd rerum ipſarum ſubſtantiæ, pariterque eſſentiæ, necnon & proprietates, ex parte ſui, & quantùm ad eas attinet, neceſsitatem habent à Dei uoluntate ut ſint; cum poſsibilitate tamen ad oppoſitum, ex parte eiuſdem uoluntatis liberè operantis. Senectus enim non ſubeſt liberæ hominis poteſtati; ſed nec prolongatio uitæ. Ezechiæ; ſed computantur inter res quæ à Deo in homine, præter hominem fiunt. Et propterea ex parte ſui neceſsitatem habent à Dei uoluntate; cui non eſt quod reſiſtere ualeat. Non enim eſt homo liber, rationis particeps, erectæ figuræ, & in partibus ſuis ita diſpoſitus, quia ipſe ita diſponi uoluerit; ſed quia Deus, diuina uoluntas, atque diuina clementia, ab æterno talem eſſe decreuit. De Aſino quid dicendum? Nunquid rudibilis, quadrupes, ad ferendas ſarcinas duntaxat aptus eſt, quia ad hunc modum, ita rudem, tam ineptum, & ſtupidum, aſinus uoluerit ſe conſtitui? Minimè quidem. Nemini cer-

In Pſal. 135. Tom.8. — *Tom.3.* — *Tom.3.* — *Iſaia.38.*

tè dubium eſſe poteſt, quòd ſi aſino data fuiſſet optio, homo potius quàm aſinus eſſe uoluiſſet; dicebat doctiſsimus pater Sirenius. Sed & eiſdé quas condidit rebus vim quandam indidit Deus, vt per eam vnaquęque illarum pro ſui ratione aliquid operaretur. Id quod in principio libri Geneſis latè declaratur; ubi Deum uim herbis, & animantibus cunctis indidiſſe legitur; per quam ſingula facerent ſemen, prò generis cuiuſque ratione, ut creſcerent, & multiplicarentur, & replerent terram. Fruſtra nanque fuiſſet rèbus illa uirtus inſerta, niſi etiam pro uirtutis ratione, aliquid operaturæ fuiſſent. Et idcirco huic ſacræ doctrinæ optimè quoque ſubſcribit humana philoſophia; quando magnus Commentator Auerroes, lib. ſapientię. 9., & Commen. 7., dicit: Cùm entia non habuerint actiones proprias, non habebunt eſſentias proprias; actiones enim non diuerſantur, niſi per eſſentias diuerſas. Itemque Ariſtoteles. 2. lib. de cœlo, ad contextum. 17. inquit: Eorum unumquodque, quorum eſt opus, eſt gratia operis. Si itaque vnumquodque habens opus, eſt gratia ſuæ operationis; conſequens fit, ut vnaquæque res à Deo creata, ſuam habeat propriam operationem, & uim quandam naturalem ad operandum. De qua quidem vi & operatione, ſi iuxta Dei potentiam abſolutam ſermonem habere velimus; nemini dubium, quin Deus ipſe Benedictus, omnium quoruncunque, ſiue naturaliter, ſiue liberè agentium, operationes ſuſpendere & immutare queat, & producendorum alioquin ab eiſdem effectuum, tota cauſa eſſe poſsit. Omnia clara ſunt apud verè Catholicos; & in Sacris, diuiniſque eloquijs, quamplurima non deſunt exempla. Atuerò ſi de huiuſmodi rerum operationibus, & proprijs cuiuſque naturæ functionibus, ſecundùm Dei potētiam ordinariam, & (quod aiunt) de lege communi, uerba fecerimus; dubio procul nullas ab ipſa diuina uoluntate ita decretas res eſſe reperiemus, ut ſuæ operationis, & ſuæ effectionis omnis, tota & integra cauſa, ſit ſola diuina uoluntas; ſed eſt cauſa Deus, quæ alijs cauſis cunctis auxiliatur; & eis ut cauſæ ſint, & ut aliquid operentur, eſt cauſa; quibus etiam ſuppetias perpetuò ferre non deſinit; quòd ſi deſineret, nil ulterius illæ agere poſſent. Vnde balbutientes, & ut poſſumus altiſsima Dei reſonantes, dicimus, quòd ratione operationum cuiuſque naturæ creatæ, Deus non eſt tota & integra cauſa, at potius modo quodam concauſa dici poteſt. Si enim aquæ in Lebete poſitæ ſupponatur ignis, illa profectò ebulliet. At nunquid illius ebullitionis tota & integra cauſa eſt Deus Benedictus? Minimè quidem. Si enim ignes ſubduxerimus, illam ſtatim deferuere conſpiciemus. Quòd ſi ebullitionis tota & integra cauſa fuiſſet Deus, nulla relinqueretur ratio, quare aqua ſubtracto igne deferueat. Et hoc ſi in agentibus merè naturaliter clarum conſpicimus; cur id in homine inficiabimur, qui eſt uoluntatis & arbitrij particeps, necnon inter ſubcęleſtia excellentiſsimum agens? Ob id. D. Eucherius ſuper Geneſim, cap. 2., ſibi autem. 10., dubitans quomodo conueniat illud quod Dominus in Euangelio ait: Pater meus uſque modò operatur, & ego operor; cum hoc quod ait Moſes: Requieuit Deus ab operibus ſuis. Dicit: Requieuit ſcilicet, quia deinceps nullam nouam condidit creaturam;

non

non autem ceſſauit ab opere regendi, vel adminiſtrandi omnia quæ creauit. Hæc autem quo modo regat, vel adminiſtret Deus, optimè declarat. D. Pater Auguſtinus, libro.7. de Ciuitate Dei, cap.30., ſub his verbis: ſic itaque adminiſtrat omnia quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat. Agentium ergo operationes, & futuri euentus, non ita ſunt à diuina uoluntate decreti, ueluti ſunt rerum eſſentiæ, atque naturæ. De his nanque ſolo ſuo conſilio, ſine rebus ipſis ſeipſa decernit. Atqui de illis, non ſine ipſis rebus, ſed vnà cum eis, hoc eſt, pro rerum ipſarum natura, ui, potentia, & appetitu decernit. Vnde ſapientię cap.8. ita legimus: Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Attingit quidem à fine vſque ad finem fortiter, quatenus cuncta, à ſuprema vſque ad infimam creaturam, creat, conſeruat, curat, atque adminiſtrat. Diſponit uerò omnia, inquantùm res uniuerſas certo quodam ordine diſtribuit, miriſq. dotibus exornat, atque virtutibus; quibus aliquid agere illæ valeant & operari. Quin etiam eaſdem, dum operantur adiuuat, atque dirigit, non autem urget, aut cogit; aut alio earum uim & actionem inflectit, quàm quo ipſæ uolunt, aut earum formæ, & eiſdem à Deo inditæ naturæ inclinantur; ſecus non res, & rerum virtutes, pariterq. actiones, ſuauiter, ſed inſuauiter & rigidè; quia violenter, & præter earum naturam diſponeret. Res igitur pro earum ratione & natura, operationes proprias Deus agere ſinit; non illas relinquendo, & deſerendo; ſed adiuuando, & ad optatum ab eis finem, ſingulas dirigendo. Deus enim eſt omnium cauſa efficiens & finis; & quia omnia efficit propter ſe, idcirco ei optimè congruit, ut omnia in ſe dirigat, tanquam in finem.

Tom.5.

Ad hominem modò hæc omnia applicando dicimus; quòd noſtrarum operationum nos dominos eſſe Deus voluit ſemper, uoluntatemq. noſtrã ita à natura liberam eſſe conſtituit, ut neque ab ipſo ſuo conditore, pluſquam eadem voluerit, cogi poſsit. Noſtrum eſt enim, noſtraq. in poteſtate collocatum eſt velle, nolle, appetere, non appetere, aſſentire, aut diſſentire, eligere, aut reijcere, ſequi, aut declinare; perſequi quod inchoatum eſt, aut abijcere; vel iam abiectas actiones reſumere, & reſumptas deponere, ac vertere, ſeſeq. ad alia reflectere. Nec iam ſunt, vel aliquando futuræ ſunt vnius, vel alterius generis, noſtræ, ſiue bonæ, ſiue malæ actiones, & operationes, quoniam tales ab æterno Deus illas nouerit: ſed contrà, quoniam tales à nobis, vel ſunt, uel futuræ ſunt; pro arbitrio ſcilicet, & ex noſtræ uoluntatis electione, illas propterea huius, uel illius generis eſſe, uel futuras eſſe, nouit ab æterno Deus. Hæc omnia probant authoritates Sanctorum Patrum ſupra inductę, cap.29., rõne ſecunda aduerſus tertium noſtrum dictũ. Sed eas proprio loco exarabimus. Interim aũt cœpta proſequẽdo, dicimus, quod ſpeciali quadam ſuauitate, res humanas diſponit ipſe Deus Glorioſus, & peculiari modo hominis procurationẽ habet. Diuo atteſtãte Apoſtolo, qui ait: Quis militat ſuis ſtipendijs vnq̃? Quis plãtat vineam, & de fructu eius nõ edit? Quis paſcit gregẽ, & de lacte gregis non mãducat? Nunquid ſecũdùm hominẽ hęc dico? An & lex hęc nõ dicit? Scriptum eſt.n. in lege Moyſi: Nõ alligabis os boui triturãti. Nũquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos 1.Corin.9. Deut.25.

vtique hoc dicit? Quem locum exponens Beatus Theodoretus, inquit: Non hoc dicit, boues non eſſe Deo curæ; curæ enim ſunt, ſed propter nos curæ ſunt; nam illos etiam propter nos fabricatus eſt. Quamobrem dicit etiam Beatus Dauid: Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Hæc ille. Et. D. Anſelmus ait: Non ſic intelligitur, tanquam non ipſe (ſupple tu, Deus) paſcat animalia bruta, & uolatilia; quę non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horreum; ſed quia ei cura non eſt præcepto monere hominem, quo modo boui ſuo conſulat. Nunquid ergo de bobus cura eſt Deo, vt de his in lege præciperet? Hæc Anſelmus. Sed &. D. Apoſtolus ad Roma. cap. 8., rurſus dicit: Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundùm Deum poſtulet pro Sanctis. Vnde Beatus Anſelmus dicebat: Nos neſcimus quid oremus ſicut oportet, ſed ipſe Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis; ideſt poſtulantes nos facit, inſpirans nobis deſiderium adhuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam expectamus. Et ipſe Spiritus Sanctus dicitur gemere, eò quòd nos gemere faciat deſiderio futuræ beatitudinis. Ita enim dictum eſt poſtulat, quia poſtulare nos efficit, nobisq́. poſtulandi & gemendi inſpirat affectum; ſicut illud in Euangelio: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Neque enim & hoc ita ſit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus Sancti ſic expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur, quòd vt faciamus facit. Vſitati enim ſunt tales locutionum modi, quando per efficientem ſignificatur id quod efficitur; ſicut frigus pigrum dicimus, quia pigros facit. Hęc ille. Nedum igitur Deus creauit hominem cum uirtute ad operandum; verùmetiam excitat, eumq́. inflammat, & ei auxiliatur ad benè operandum. Sed & alia propter eum producere uoluit, atque creare. Siquando igitur dicimus, & alij dicunt euentus omnes, ideſt vniuerſa cunctarum ſimul rerum opera, diuina voluntate eſſe decreta; ad hunc modum decretum ilud venit intelligendum; quòd ſcilicet ipſa diuina uoluntas, in omnibus rerum euentibus, & ipſarum operationibus, ita fieri decreuit, vt nouit agentia cuncta pro tempore, & eorum natura, & poſſe & velle facere. Non enim decreuit diuina uoluntas, vt uelim, nolim, tractatum hunc de diuina prouidentia conſcribam; ſed ſua ineffabili ſapientia nouit ab æterno, ijs me temporibus hoc velle & poſſe facere; & quia nouit, decreuit; ideſt hanc meam uoluntatem admiſit. Nec tantùm admiſit, at etiam ſe auxiliatricem exhibuit. Admiſit autem, quia cauſarum ordinem, quæcunque illæ ſint, ad hanc ſcripturam vſque, non impediri optimè nouit; mihi quoque & ſpiritui meo, qui rectiſsimus eſt, ſuppetias ſe laturam decreuit. Ita igitur cuncta, ſiue eueniant, ſiue non, ſtant apud diuinam voluntatem decreta, ut ſunt eorum cauſæ, & principia in natura, & in Orbe uniuerſo diſpoſita. Quæ, ſiue ex naturæ ratione, ſiue ex voluntatis arbitrio, & electione agant; apud eandem nota, ideſt nuda prorſus, & aperta conſiſtunt. Quæ nulla neceſsitate & coactione, ſed pro cuiuſque naturæ ratione, liberè, vel naturaliter, benè, uel malè, ab eadem agere permittuntur; nec permittuntur ſolùm, ſed eiſdem etiam,

Psal. 146.

Matt. 10.

ſi benè

ſi benè & rectè operatura ſunt, auxiliatur; nec auxiliari deſinit, quouſque optatum ab eis finem, uel etiam optato fine quid melius denique conſequantur.

Mala autem, & hominum peccata, non modo prædicto, adiuuando ſcilicet & admittendo, ſed dimittendo, aut permittendo, decernit Deus Benedictus, cùm peccati author ſit minimè ipſe. Propterea. D. Damaſcenus de Orthodoxa Fide, lib. 2., cap. 30., inquit: Operæpretium eſt agnoſcere, omnia præſcire Deum, non autem omnia prædefinire, atque prædeſtinare. Præſcit enim & ea quæ in nobis, non prædefinit autem hæc. Ita Damaſcenus. Qui inter præſcire & prædefinire ipſius Dei, hoc ponit diſcrimen, atq. diſsidium; ut ſcilicet illud ſit latius, atque diffuſius; hoc uerò contractius & ſtrictius. Siquidem præſcire dicitur Deus omnia, quæ uentura præcognoſcit; ſiue ſe authore futura, ut bona; ſiue permittente ſolùm, ut mala. Siue item in noſtra ſint poteſtate cõſtituta, ut ſunt liberæ actiones humanæ; ſiue nobis non ſubiecta, ut rerum diſpoſitiones, ex prouidentiæ ſuæ occultiſsimis legibus, noſq. latẽtibus, conſtitutæ. Prædefinire autem ea dicitur Deus Benedictus, quæ prædiſponit, atque prædeterminat futura, conſilioq. ſuo indemutabili conſtituit demum uentura. Et talia, quemadmodum ſtatuit euenient; nulloq. obſtaculo, quo minus impleantur, impedientur. Mala igitur & peccata licèt præſciat Deus, nõ autem propriè determinat; inquit Damaſcenus; quare non eſt eorum author. Si autem dicamus, Deum ipſa mala decernere dimittendo, uel permittendo; D. Auguſtini ueſtigia ſequemur, Libro de gratia & Libero arbitrio, cap. 20., at ob id nullum erit diſcrimen niſi in uerbis, quoniam Damaſcenus accipit decernere, pro uerè approbare; D. autem Auguſtinus loquitur ſemper cum adiuncto; ſcilicet decernit dimittendo idelt, permittendo. Ideo quia ſecundùm Auguſtinum Deus non decreuit de malis niſi dimittendo, quod eſt uerè decernere, & propriè determinare; propterea Damaſcenus abſolutè negauit Deum peccata decernere. Omnium denique orthodoxorum certa eſt & indubitata ſententia, Deum non eſſe authorem malorum; hoc eſt, peccatorum, impietatum, & ſcelerum, quæ uerè mala ſunt. Nolle peccata fieri; quæ nihilominus & fieri ſinit; cùm ſuæ creaturæ rationali, liberum dederit uoluntatis arbitrium. Ad bonũ quidem, ſed quo poſſet etiam flagitia committere, & auerti à bono. Alioquin, eodem, nec liberè poſſet adhærere bono; Vnde ipſi foret eiuſdem boni aſſecutio, & poſſeſsio. Et hæc pro ſolutione illius difficillimi ratiocinij dicta ſufficiant.

Quæ quidem ut in pauca refferantur, ad ſex capita principalia ueniunt redutenda; quorum primum eſt, quòd à uoluntate Dei efficaci ſunt omnes res & creaturæ, quantùm ad eſſentias, earumque affectiones, & proprietates. .1.

Alterum uerò eſt, quòd quantùm ad hæc, ex parte ſui, & quantùm ad eas attinet, habent creaturæ à Dei uoluntate neceſsitatem ut ſint; quoniã conditio creaturæ non eſt in propria libertate, ſed in placito Creatoris; cuius uoluntas, rerum neceſsitas eſt; dicebat D. Pater Auguſtinus. .2.

Tertium eſt, quòd iſtis rebus uim quandam indidit Deus ad operãdum; .3.

quam de potentia abſoluta, & ſuſpendere, & immutare poteſt; ut ſit ipſe tota & integra cauſa ſuarum operationum. Quemadmodum id paucis operatus eſt Deus, ut oſtenderet quantum ipſe poſsit, ſi uelit; præteretiam & contra uim, & ordinem ſecundarum cauſarum, & rerum omnium à ſe pro-
Pſal 105. ductarum: Dicente Propheta: Et ſaluauit eos propter nomen ſuum; ut notam faceret potentiam ſuam.

4. De potentia autem ordinaria, diuina uoluntas non eſt tota & integra cauſa operationum & effectionum creaturarum, ſed eis auxiliatur ad operandum; ita tamen, ut eas proprios motus agere ſinat. Vnde agentiũ operationes & futuri euentus, nõ ita ſunt à diuina uoluntate decreti, quemadmodum ſunt rerum eſſentiæ, atque naturæ. Quia de his ſolo ſuo conſilio, ſine rebus ipſis, ſeipſa decernit. De illis autem, non ſine ipſis rebus, ſed unà cum eis, id eſt, pro earum natura, decernit. Et hoc eſt quartum.

5. Ex quo ſequitur quintũ; nempe q́ Deus uult hominẽ Dominũ eſſe actionum ſuarum: & liberè uult eum ſemper operari. Vnde non quia eius operationes nouerit Deus, ideo bonæ ſunt, uel malæ; at contra, quia tales ſunt, uel futuræ ſunt, ideo eas nouit Deus. Et etiam uoluntate ſua efficaci, uult nos ſemper liberè operari, & non aliter, nec alio modo; licèt res humanas ſpeciali quadam ſuauitate diſponat. Non enim decreuit diuina uoluntas ſuarum creaturarum operationes, niſi ut nouit agentia cuncta pro tempore, & eorum natura, & poſſe, & uelle facere.

6. Annotabamus ſexto & ultimo loco, quòd de malis, ſeu peccatis & ſceleribus, nulla eſt apud Deum uera & propria determinatio; at permiſsio tantùm.

Solutio formalis. His igitur ita conſtitutis, facile eſt uidere, quæ & quanta ſit uis illius ratiocinij. Cùm enim dicit: Diuina ſcientia eſt cauſa rerum, accedente uoluntate. Dicimus, quòd de rebus ipſis atque creaturis, poſſumus in propoſito bifariam ſermonem habere. Aut quod ad ſuas attinet eſſentias, affectiones, atque proprietates; aut quantùm ad ſuas operationes & effectiones. Si loquamur in primo ſenſu, admittimus quòd ſola diuina uoluntas, ſiue ſcientia diuina accedente uoluntate, eſt tota & integra cauſa omnium rerum, atque creaturarum. Si uerò iuxta ſecundum ſenſum ſermonem habere uelimus, illud inficiamur omninò: cùm diuina uoluntas non ſit tota & integra cauſa operationum creaturarum, ſed & ipſæ iuxta earum naturas & proprietates concurrant; quemadmodum prænotarum reliquimus. Vnde cùm ſequitur arguens, dicens: Et de contingentium rerum euenti-
1. bus neſcit diuinus intellectus, niſi ea quæ à uoluntate diuina decreta fuere. Patet ipſum unum aſſumere falſum: nempe diuinam uoluntatem de operationibus rerum, & earum effectionibus ita decreuiſſe, quemadmodum & de earum eſſentijs & proprietatibus; ita ut ſola diuina uoluntas ſit illarum ope-
2. rationum tota & integra cauſa: quod non admittimus. Eapropter dictum illud uenit negandum ſimpliciter. Vnde falſum eſt, quòd omnia quæ uel euenerunt, uel eueniunt, uel etiam euentura ſunt, decreta prius fuerint à diuina uoluntate. Verum quidem eſt, quod Deus ipſe Benedictus uult nos
3. ſemper benè, & rectè operari, nec unquam ab eius declinare mandatis; at

non illa uoluntate efficaci, cui non eſt quod reſiſtere ualeat; ſed uoluntate ſigni, ſeu beneplaciti antecedente, quæ non ſemper adimpletur. Res igitur ſi conſiderentur quantùm ad earum eſſentias atque proprietates; tunc dicimus quod ex parte ſui ſunt neceſſariò, cùm earum conditio non ſit in ſua libertate, ſed in uoluntate Conditoris. Id quod etiam admittimus in ijs quæ operatur Deus præter curſum naturæ, & de potentia abſoluta, ad oſtendendam & manifeſtandam ſuam potentiam. Et in hoc ſenſu habet locum exemplum de fure contingenter ſuſpenſo; cùm eius ſuſpenſio tota dependeat à uoluntate iudicis; unde ex parte ſui neceſſariò ſuſpenditur. Cæterùm ita non venit aſſeuerandum de rerum operationibus, & quæ de lege communi fiunt effectionibus; quia ipſæ non à ſolo Deo dependent, ſed ab eo & à creatura ſimul. Vnde optimè manent liberum hominis arbitrium, conſilia, iura, ſollicitudines, & id genus alia. Quare omnia benè conſonant. Si uerò loquamur de rerum eſſentijs, & proprietatibus, itemq. de ijs quæ de potentia abſoluta operatur Deus, & quorum ipſe eſt tota & integra cauſa, in ordine ad ipſum Deum, tunc dicimus quòd nulla eſt ibi propriè neceſsitas, cùm Deus omnia extra liberè operetur. Et ſi aliqua admittatur neceſsitas, non eſt niſi ex ſuppoſitione; quæ non tollit libertatem, nec contingentiam; quemadmodum in ſuperioribus deduximus. Et ex ijs patet etiam ad ea quæ aduerſus quartum, & quintum dictum inducebantur. Si quis itaque hunc in modum argueret: Quæcunque ſunt à Dei uoluntate efficaci decreta, ex parte ſui neceſſariò euenient, ita ut pro eis omnia ceſſent conſilia, & ſollicitudines. Omnia autem fuerunt à Dei uoluntate efficaci decreta. Omnia igitur ex parte ſui neceſſariò euenient. Et ita pereunt conſilia, iura, & ſollicitudines. Admiſſa maiore propoſitione; quoniam ceſſarunt conſilia & ſollicitudines Pharaonis contra populum Iſraeliticum, in exitu eorum de AEgipto; quoniam; ſaluauit eos propter nomen ſuum, ut notam faceret potentiam ſuam. Ceſſabant etiam *Pſal.105.* conſilia & ſollicitudines Tyrannorum aduerſus Martyres Chriſti; ut patet in tot & tantis miraculis. Admiſſa igitur maiore, negatur minor. Quoniam operationes creaturarum ita ſunt à diuina uoluntate decretæ, ut unaquęque illarum pro ſui ratione operetur.

Fauet D. Bonauentura, qui in primo Theologicarum ſent., d.38., q.1., *D.Bonauentura.* ita notatum reliquit: Futurum in triplici eſt differentia. Quoddam enim eſt, cuius Deus eſt tota cauſa; ut ſunt illa quæ creantur. Quoddam, cuius creatura, aut uoluntas eſt tota cauſa; ut ſunt defectus & peccata. Quoddam, cuius Deus & creatura ſimul ſunt cauſa; ut ſunt opera naturalia, & opera moralia; quia Deus cooperatur creaturæ. Hęc ille. Ex quo peroptimè ſequitur concluſio noſtra, & inde ſolutio ad rationem difficillimam.

Ad ſecundum contra idem tertium dictum, quo authoritatibus Sanctorum Patrum probabatur, quòd diuina ſcientia non eſt cauſa rerum, ſed potius è contra, diuerſi diuerſa loquuntur, pro illarum authoritatum expoſitione, licèt illam tantùm Origenis inducant; uerùm quia ex illius declaratione, reliquæ apertæ & exaratæ relinquuntur; propterea diuerſorum Grauiſsimorum Virorum expoſitiones ad illam Origenis authoritatem in medium *Ad.2.*

dium afferam, ut inde loci uidere unuſquiſque ualeat, quid ad alias, iuxta eorum dogmata dicendum ueniat.

Magiſter ſententiarum.

Primo itaque loco ſeſe offert Magiſter ſententiarum; qui primo libro, d.38., cap. Hanc igitur, dicit, quòd quando Origenes ait quòd futurum non ſciretur à Deo, niſi futurum eſſet; ob id non ſequitur quod futurum ſit cauſa præſcientiæ Dei propriè dictæ; atqui notatur ibi cauſa tantùm ſine qua non.

Cõtra Magiſtrum.

Cæterùm huiuſmodi ſolutio non placet Diuo Bonauenturæ, loco proximè citato; q.2.; tum quia hoc nomen, cauſa, importat ſemper honorabilitatem, reſpectu cuius dicitur cauſa, & quandam ſuperpoſitionem. Tum quia non ſoluit authoritatem Origenis; quoniam ipſe negat conuerſam. Non igitur eſt cauſa ſine qua non.

Solutio D. Bonauen.

Et propterea ipſe aliter dicit; nimirum quòd cauſa tripliciter accipitur, ſecundùm rationem ſcilicet eſſendi, ſecundùm rationem inferendi, & ſecundùm rationem dicendi. Primo modo, præſcientia Dei poteſt eſſe cauſa aliquorum præſcitorum, licèt non omnino, ſed nullo modo conuertitur oratio. Secundo modo ſunt mutuò cauſæ, quia mutuò antecedunt & conſequuntur; & antecedens eſt cauſa conſequentis. Tertio modo, futurum eſt cauſa præſcientiæ, & non ècontra. Nam præſcientia, inquit, dicitur ſcientia ante rem; quare conſtat quòd importat ordinem ad poſterius. Et quoniam ſi ſcitum eſſet ſemper præſens, eſſet ſcientia, & non præſcientia. Nam ad hoc ut præſcientia dicatur, uenit ex futuritione rei. Et ſic intelligit Origenes. Hæc eſt ſententia iſtius uiri, quæ in hoc conſiſtit, quòd futurum non eſt cauſa diuinæ præſcientiæ, niſi ſecundùm dici, ut dicatur præſcientia à re ipſa futura.

Richardus de Media Villa.

In hanc eandem ſententiam uidetur deſcendiſſe Richardus de Media uilla, in primo Theologicarum ſententiarum, d.38.q.3. Quo loci dicit, quòd præſcientia dicit relationem quandam rationis reſpectu rei futuræ, nempe prioritatem. Et futurum, aliam dicit relationem rationis, reſpectu præſcientiæ, ſcilicet poſterioritatem. Sed iſtæ relationes rationis non ſunt ſibi inuicem cauſa, ſed ipſa diuina ſcientia & res ſcitæ ſunt earum cauſa ueluti extrema ſunt cauſa relationum inter ipſa. Illa tamen, inquit, relatio rationis per quam ſcientia habet rationem præſcientiæ, magis eſt per ſcientiam, quàm per res ſcitas. Quia ſcientia Dei approbatiua, cauſa eſt ut res futura eueniat, & illa duo ſunt cauſa illius relationis, per quam ſcientia dicitur præſcientia.

Impugnatio præmiſſæ doctrinæ.

Verumenimuerò, doctrina placere non debet; quandoquidem diſputatio & quæſtio non eſt de nominibus, atqui de rebus. Non enim quæritur unde dicatur præſcientia, at nunquid præſcientia cauſa ſit rei futuræ, uel potius è contra. Vnde hæretici ponentes primum, inde tollunt liberum hominis arbitrium. Quocirca D. Hieronymus dicebat: Non enim ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt, ſed quia futurum eſt, Deus nouit, quaſi præſcius futurorum. Et D. Iuſtinus Philoſophus & martyr, in quæſtionibus ad orthodoxos, q.58., inquit: Si tribuere Chriſto ignorantiam, impium eſt, non dubium eſt quin habeat omnium perfectam

ctam

ctam cognitionem. An non igitur eſt ipſe cauſa proditionis Iudæ,& negationis Petri,cùm iureiurando coniunctæ, qui hæc præſciuerit,nec tamen impediuerit? Ac de Diaboli, & primi hominis à Deo lapſu, eadem dici poſſunt. Hæc ille. Qui poſtea reſpondet prout ſupra.

Idem patet in authoritatibus aliorum,quas ſupra citauimus. Ex quibus perquamfacillimè conſtat, quòd nulla eſt quæſtio de nominibus, ſed de re ipſa.

Amplius, deficit Richardus in eo quod dicit,relationem illam rationis, per quam ſcientia habet rationem præſcientiæ, magis eſſe per ſcientiam, quàm per res ſcitas; quoniam ſcientia Dei approbatiua, cauſa eſt ut res futura eueniat. Deficit; inquam; quoniam licèt ſcientia Dei approbatiua cauſa ſit rei futuræ,quæ à ſolo Deo producitur; non tamen eius quę à Deo producitur, ſimul & à creatura; nempe operationum creaturarum; & de his eſt quæſtio.

Alexander igitur de Ales,in prima par. Summæ,q.24., memb.3; duplicem affert reſponſionem; prima talis eſt, quòd cùm dicit Origenes: Quia futurum eſt,ideo præſcitur. Illud uerbum (ideo) non dicit ibi cauſam; ſed ſolùm rationem, uel relationem,reſpectu eius quod dicitur præſciri. Vnde futurum ratio eſt,uel cauſa, quare dicatur pręſcientia; ſed non eius quod eſt pręſcientia. *Alexander de Ales.*

Alia reſponſio eſt, ꝙ Origenes ponit paſsiuum, & non actiuum. Vt ſit ſenſus: Quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo. Et non: Quia futurum eſt, ideo ſcit Deus. Et ità; inquit; notatur cauſa aptitudinis ad ſciendum ex parte ſcibilis. In actiuo autem magis notatur cauſa reſpectu alicuius in ſciente.

Cæterùm neutra iſtarum ſolutionum mihi arridet. Non quidem prima, quoniam quæſtio eſt de re in ſeipſa,minimè aũt de nominibus;quemadmodum dictum eſt. Nec ſecunda arridet reſponſio; propterea quòd, ſi ibi pònit Origenes paſsiuum, & non actiuum; ut notetur cauſa aptitudinis ad ſciendum ex parte ſcibilis; fit neceſſariò conſequens,ut ratio formalis quare aliquid noſcatur à Deo,ſit ipſa futuritio; & ita non cognoſcet Deus quę nunquam fuerunt,nec ſunt,nec futura ſunt; quod eſt blaſphemum. *Impugn.*

Addo, quòd ſi ibi ſolummodo notatur aptitudo ad ſciendum paſsiuè, adhuc lis ſub iudice pendet. Non enim quæſtionis nodus eſt diſſolutus. Quæritur enim,an Dei præſcientia ſit cauſa rei futuræ; an contra, res futura,cauſa ſit præſcientię. Origenes autem ſecundum affirmare uidetur. Et Alexander dicit, quod ibi notatur tantùm aptitudo, ad ſciendum paſsiuè. Non igitur ad eius expoſitionem ſequitur,ꝙ res futura ſit cauſa pręſcięntię. Quare contra recurret oratio; ut pręſcientia cauſa ſit rei futurę.Quod tamẽ aduerſatur dictis Sanctorum. Et ita quęſtio adhuc irreſoluta manet.

Diuus Thomas in prima par.Summę; q.14., art.8., in diſſolutione primi argumenti, inquit, quòd dictum Origenis intelligendum uenit ſecundùm cauſam conſequentiæ, & non ſecundum cauſam eſſendi. Sequitur enim, ſi aliqua ſunt futura, ꝙ Deus ea pręſcierit. Non tamen res futuræ ſunt cauſa quòd Deus ſciat. *D.Tho.*

At re

Impugnatio ex Sirenio.

At re vera in re tam ſeria, ac tantæ molis, iocis non egemus logicalibus; ait Sirenus. Si enim; inquit; res futura non eſt cauſa eſſendi, at inferendi tantùm præſcientiæ Dei; quæ nam eſt cauſa ut illa ſciatur à Deo? Si dicatur quòd eſt Deus ipſe; ſequitur ſtatim, quòd Deus fuerit cauſa proditionis Iudæ. Quod maximum eſt incommodum. Illud quod conſequitur, ex eo maximè conſtat; quoniam ex quo Deus eſt cauſa ut ab eo noſcatur homo; & ſcientia Dei eſt cauſa omnium rerum, fit neceſſariò conſequens, vt homo ſit à Deo. Ita pari paſſu; ſi res futura non eſt cauſa præſcientiæ Dei, ſed Deus eſt cauſa quare noſcatur ab eo; & ſcientia Dei eſt cauſa omnium rerum; ita ſimpliciter aſſerente D. Tho., & nulla habita rerum ipſarum diſtinctione; quomodo præſcientia Dei non erit cauſa rei futuræ?

Iulius Sirenius reſpondet.

Propterea, Codice cui titulus eſt de fato, lib. 8., cap. 18., vult quòd cognitio & præſcientia; quam de rerum effectionibus habet Deus, aliquo modo, & impropriè effectus ipſarum operationum dici poſſit; non quidem vt ſunt in tempore, ſed vt relucent in æternitate, & idem ſunt quod diuina eſſentia. Hoc ipſe aſſerit, D. Tho. reiecto reſponſo.

Contra Sirenium.

Veruntamen huiuſmodi doctrina mihi non probatur. Quoniam ſi diuina præſcientia eſt aliquo modo effectus operationum creaturarum quæ futuræ ſunt, quatenus relucent in æternitate, & idem ſunt quod diuina eſſentia; oportet ut ad eas aliquo pacto terminetur; quandoquidem omnis ſcientia ad ſuum terminatur obiectum, à quo cauſatur. Aut igitur terminatur ad eas tanquam ad obiectum primarium, aut ſecundarium. Non primum, quoniam illud eſt diuina eſſentia; veluti in ſuperioribus latius oſtendimus. Datur igitur ſecundum. Nunc ſic: Si terminatur ad eas tanquam ad obiectum ſecundarium; aut terminatur propriè, aut impropriè & metaphoricè. Primum non eſt admittendum; quoniam ſupra oſtendimus diuinum intuitũ non terminari propriè niſi ad diuinam eſſentiam. Relinquitur ergo ſecundum. At huiuſmodi terminus non cauſat ſcientiam. Quoniam quæ tali pacto diuinum terminant intuitum, nõ cognoſcuntur à Deo niſi reſultatiuè; ut ſupra probauimus. Quæ autem cognoſcuntur reſultatiuè à Deo, eius non poſſunt terminare intuitum, ita ut inde eueniat ſcientia. Huiuſmodi autem ſunt omnes creaturæ, ut etiam relucent in æternitate, & idem ſunt quod diuina eſſentia. Nulla igitur creatura, etiam ut ſic, poterit diuinum terminare intuitum. Ex quo fit conſequens, ut nec ſcientiam in Deo quouis modo cauſare poſſit.

Solutio propria, qua mens. D. Th. & aliorum Sãctorũ Patrum elucidatur.

Nobis igitur uidetur aliter dicendum; nimirum ꝙ loquendo de operationibus creaturarum futuris, nec Dei præſcientia eſt cauſa rei futuræ, nec res futura eſt propriè cauſa diuinæ præſcientiæ. Pro cuius declaratione, animaduertendum uenit, quòd tota huius rei difficultas, conſiſtit in dictis Sanctorum Patrum, & ex eorum pendet authoritatibus. Habito igitur illorum germano ſenſu, omnia peroptimè conſonabunt. Illud ergo in primis adnotandum velim; ꝙ ſcilicet Sancti Patres loquebantur in præinductis authoritatibus, de rerum effectionibus, non de earum eſſentijs, minusq́. affectionibus, & proprietatibus. Modò iſtarum effectionum, Deus non eſt tota & integra cauſa; ut in ſuperioribus deduximus.

Itemꝗ. futurum & præſcientia in ſe & abſolutè conſiderata, ita ſe habēt, ꝙ præſcientia præſupponit futurum de certo; ſecus non eſſet præſcientia; cùm eius proprium obiectum ſit futurum de certo; veluti oſtendimus ſupra. Et ſicut ſcientia præſupponit ſuum obiectum eſſe, ita etiam pręſcientia præſupponit ſuum obiectum futurum eſſe. Ex quo patet, ꝙ præſcientia non eſt cauſa rei futuræ.

At res futura eſt ne cauſa præſcientiæ? Vtique; ſi de re futura loquamur & præſcientia, in ſe & abſolutè conſideratis. Sicut enim obiectum ſcientiæ eſt cauſa ſcientiæ, ita pari ratione obiectum præſcientiæ eſt cauſa præſcientiæ. Ex hoc enim ꝙ Aſtrologus prænunciat Eclipſim, ob id non eſt cauſa Eclipſis; at contra, Eclipſis quia eſt futura de certo, cauſat prænotionem in Aſtrologo.

Atuerò ſi hæc ipſi Deo aptare uelimus, illud clarum eſt, quòd res futura, ſeu operatio noſtra futura, non eſt cauſa diuinæ præſcientiæ, nec per ſe, nec per accidens, nec quouis alio modo.

Quoniam iſtæ operationes cùm ſint creaturarum, & creaturæ nō cognoſcantur à Deo niſi reſultatiuè, & per quaſdam conſequias, relinquitur quòd nec diuinum intuitum terminare queant.

Ad quid igitur uolunt doctores Sancti rem futuram, cauſam eſſe pręſciētiæ in Deo? Prò intelligentia dictorum Sanctorum Patrum, animaduertendum eſt, quòd tempore ipſorum Sanctorum Patrum, illa vigebat hæreſis, quam hiſce temporibus noſtris, & Lutherus, & Caluinus ab inferis reuocarunt; omnia nempe ex neceſsitate euenire, & præſcientiam Dei, rebus imponere neceſsitatem. Vt autem oppoſitum iſtius maledictæ hæreſis conuincerent Sancti Patres, vim faciebant in hoc, quod ſicut ſcientia ſuum præſupponit obiectum, nec ipſum cauſat, at potius cauſatur ab eo; ita præſcientia non poteſt cauſare proprium obiectum, quod eſt futurum de certo, verùm potius cauſabitur ab eo. Vnde ex quo aliquid eſt de certo futurum, inde ſequitur prænotio, & non contra recurrit oratio. Cùm ergo res ita ſe habeat, fit neceſſariò conſequens, ut Dei præſcientia non ſit cauſa rei futuræ, at potius èdiuerſo. Et hoc eis ſufficiebat ad conuincendos hæreticos.

Cæterùm quando dicunt, ꝙ futurum eſt cauſa diuinæ præſcientiæ; uerbis utuntur, quibus pro contraria concluſione vtebantur hæretici, dicētes, Dei præſcientiam cauſam eſſe omnium futurorum. Quem quidem dicendi modum, adhuc ordinariè ſeruant arguentes ad hominem. At re vera in proprio & germano ſenſu, accipiunt cauſam pro ſigno. Vt ſit eorum ſenſus: Res futura eſt cauſa prænotionis diuinæ; ideſt, res futura eſt ſignum, ꝙ pręſcitur à Deo. Et hoc eſt cauſa à poſteriori, & quantùm ad nos. At ſufficiebat eis, conuincere oppoſitum concluſionis hæreticorum, dicentium diuinam pręſcientiam cauſam eſſe omnium futurorum, ex conſequenti rebus omnibus futuris imponere neceſsitatem, cùm ſit omnino immutabilis. At Sancti Doctores oppoſitum conuincebant ad hunc modum: Pręſcientia præſupponit ſuum obiectum, & cauſatur ab eo. Hoc patet ex dictis. Atqui futurum de certo eſt obiectum pręſcientiæ; prout etiam oſtendimus ſupra.

Præſcientia igitur illud præſupponit, & cauſatur ab eo. Quomodo igitur diuina præſcientia erit cauſa rei futuræ? Ecce quomodo ex his optimè cõuincitur hæreticus. Qui quidem hæreticus, ſi adhuc inferret: Res igitur futura eſt cauſa diuinæ præſcientiæ. Id quod conſequitur mox negarent Sancti Patres. Quoniam; dicerent; non eſt cauſa, ſed ſignum. Et hunc ſenſum habuit. D. Thomas.

His igitur ita conſtitutis, modò ad ſecundum argumentum contra tertium dictum dicimus, ꝙ quando aſtruimus Dei ſcientiam, rerum omnium eſſe cauſam accedente voluntate, ſermo eſt de rebus quantùm ad earum eſſentias & proprietates. Authoritates autem Sanctorum, de rerum operationibus veniunt exponendæ. Quæ quidem operationes, ſub ea ratione qua futuræ ſunt, ſigna dicuntur diuinæ præſcientiæ; id eſt, ꝙ à Deo praenoſcantur; & nobis ſunt cauſa, ut in talem deueniamus notitiam. Hæc itaque pro tertio, quarto, & quinto dicto ſufficiant.

Ad quartū & quintum dictū.

Ad primū contra ſextum.

Sextum autem dictum erat, quòd voluntas diuina in rerum productione, principem ſibi vendicat locum. Quod tamen Dominico Bannes minus arridet; veluti apud ipſum videre eſt, prima par. Summæ Theologiæ. D. Tho. q. 14., ar. 8. Quo loci illas erigit rationes, quas nos ſupra induximus, aduerſus ſextum noſtrum dictum. Cæterùm authoritates Sanctorum Patrum, in oppoſitam me trahunt ſententiam. Eſt enim authoritas. D. Patris Auguſtini, quam ex eius tertio de Trinit. libro, cap. 4. ſupra citauimus, cap. 28. huius ſectionis. Cui ſuccedit non paruæ authoritatis vir ille, Hugo de Sancto Victore; libro primo de Sacramentis, par. 2., cap. 6., ex quo habetur, ꝙ cùm ſint tria in Deo, ſapientia, uoluntas, & potentia; Primordiales cauſæ à uoluntate quidem diuina quaſi proficiſcuntur; per ſapientiam diriguntur, per potentiam producuntur. Voluntas enim mouet, ſapientia diſponit, poteſtas explicat. Hæc ſunt æterna fundamenta cauſarum omnium, & principium primum. Hæc ex Hugone. Ex quo patet intentum; quoniam ſcientia & potentia cùm ſe habeant indeterminatè ad multa, & voluntas ſit quæ utranque determinat, meritò, iureq. optimo, actualis productio creaturæ, magis attribuitur uoluntati ſicut cauſæ, quàm ſcientiæ, vel potentiæ. Sed ibidem par. 4. cap. primo loquens de diuina uoluntate, inquit: Hæc ſola eſt vnde ortum habet quicquid eſt. Et Anſelmus lib. 2. cur Deus homo, cap. 17., ait: Non eſt in Deo vlla faciendi neceſsitas, non faciendi impoſsibilitas; quia ſola in eo operatur voluntas.

Hugo. Tom. 3.

Accedit. D. Th., qui in primo Theologicarũ ſen. d. 45., q. 1., art. 3., ità inquit; Potentia autem Dei cùm ſit infinita, nõ magis terminatur ad hoc, ꝙ̃ ad illud; nec ex parte materię, quia opus eius determinationẽ recipere põt; quia ipſe ẽt materiã & formam producit. Vnde oportet ꝙ ſupra rõnem potentię ſit aliquid aliud, per quod opus determinetur. Hoc aũt fit per ſcientiam, quæ propriam rõnem rei cognoſcit. Sed quia ſcientia ſe habet ad oppoſita; eſt enim & bonorũ & malorum; ideo oportet aliquid adhuc addere, in quo pficiatur rõ cauſæ; & hoc eſt uoluntas; quę determinatè accipit unũ ex duobus, quę ſcit, vel quæ põt. Vnde pfecta ratio cauſalitatis in his quę nõ agunt ex neceſsitate naturæ, inuenitur primo in uoluntate. Hæc ille.

Sed & D.Hilarius libro de Synodis, inquit; Omnibus creaturis ſubſtantiam voluntas Dei contulit. Talia enim cuncta ſunt creata, qualia ea eſſe Deus uoluit. Hæc ille. *Hilarius.*

Verùm quia vir iſte vim facit in doctrina.D.Tho., prima ſecūdæ,q.17., ar.1., vbi ait, quòd mouere imperando eſt rationis eſſentialiter,ex virtute voluntatis;videamus oportet an rectè mentem attigerit.D.Thomę. Ex pręmiſſa enim.D.Thom. doctrina,quæ eſt Ariſto.6.Ethi. libro,cap.8. & deinceps,occaſionem deſumit Dominicus,pro ſua fulciēda opinione,& inquit: Licèt diuina voluntas ſit formaliter potentia executiua,& quaſi motiua;tamen ipſa executio & motio,immediatè fit per imperium diuinū, quatenus determinatur ſcientia Dei practica per uoluntatem eiuſmodi imperium. Itaque imperium mouet,& exequitur ſeipſum in virtute diuinæ voluntatis. Ex quo ſequitur,quòd ſcientia Dei,ſimpliciter loquendo,proximius concurrat ad effectum, quàm diuina voluntas. Hoc eſt fundamētum iſtius viri.

Quod tamen (mea quidem cenſura) noſtrum principale inſtitutum minimè perturbat. Quandoquidem minus benè, D.Thomæ & Ariſtotelis doctrinam,ſuo aptat propoſito. Siquidem & Ariſtotelis et.D.Thomæ doctrina,in moralibus veritatem habet; nos autem de artificialibus ſermonē habemus; in quibus totum ſequitur oppoſitū. Quocirca.D.Thomas prima ſecundæ,q.60., ar.1., dicebat: Manifeſtum eſt autem, quòd in moralibus ratio eſt ſicut imperans, & mouens; uis autem appetitiua ſicut imperata & mota. In proœmio autem eiuſdem primæ ſecundæ,de artificialibus,ſeu de ijs quæ à Deo proceſſerunt per modum artis, verba faciens, inquit: Poſtquam prædictum eſt de exemplari, ſcilicet de Deo,& de his quæ proceſſerunt ex diuina poteſtate ſecundùm eius uoluntatem,reſtat vt cōſideremus de eius imagine &c. Ecce quòd Doctor Sanctus non dicit; quæ proceſſerunt ex diuina poteſtate ſecundùm eius ſcientiam. At, ſecundùm eius voluntatem. Quæ quidem, ijs quæ in primo Theologicarum ſenten., d.45. q.1.ar.3., ad primum & ſecundum argumentum habuerat, optimè conſonant. Primo ſiquidem loco, ita notatum reliquit: In ſcientia non perficitur ratio cauſalitatis,niſi adiuncta uoluntate. Ideo uoluntas potius dicitur cauſa,quàm ſcientia. Secundo uerò loco,inquit: Voluntas eſt principium operationis,ut primum imperans opus. Sed potentia in his quæ agunt per uoluntatem,eſt principium operis ut exequens; & in hoc conſiſtit ratio potentiæ,ut ſit proximum principium operis,& non primum. Et ſic uoluntas Dei potius dicitur cauſa rerum, quàm potentia. Hæc ille. Ex quibus,talis poteſt erigi ratio: Potentia eſt principium proximum operis ut exequens; ob id tamen non dicitur, nec eſt cauſa operis, ſed uoluntas. Ita pari paſſu, datoq; imperium rationis practicæ ſit principium proximū ipſius operis,& exequens; non ſequitur ob id quòd ſit cauſa illius operis, ſed voluntas; quoniā ipſa omnia determinat. Propterea Bartholomęus à Medina, in prima ſecūdæ.D.Thomæ,q.60.ar.1.dicebat: Intellectus mouet uoluntatē,quantùm ad ſpecificationē,dirigendo, proponendo obiectū; volūtas verò mouet intellectū,quantùm ad exercitiū,applicando illū ad operandū. Secūdò dicit; De intellectu & uolūtate poſſumus loqui dupliciter; vno modo,

ſicut loquuntur Naturales,& Metaphyſici;ſcilicet inquantum ſunt quędam entitates naturales. Alio modo, ſicuti loquuntur Philoſophi morales. Priori modo,uoluntas mouet intellectum;nam applicat illum ad operandū. Poſteriori verò modo,intellectus mouet uoluntatem. Nam gubernat & dirigit,& eſt oculus voluntatis. Rurſus,Intellectus ponit leges & imperia uoluntati; quibus uoluntas obtemperare tenetur; atque adeo tota perfectio uoluntatis in hoc ſita eſt,ut rationi obediat & obtemperet. Hæc ille.

Sed huic doctrinæ ſubſcribit tota Theologorum ſeries. Et primo Thomiſtarum ſubtiliſsimus Herueus,in primo Theologicarum ſenten., d.46., q.1.ar.4. Richardus de Mediauilla ibidem; d.45., art.2. q.1. AEgidius ibidem, d.38., q.1., & d.45., q.3. Thomas ab Argentina ibidem d.38. & 39. q.1. ar.1. concluſione.2., & d.45.& 46.; q.1.ar.2. conc.1. Durandus ibidem, d.38.q.1., & d.45. q.2. Quo loci talem erigit rationem: Ille actus magis pertinet ad rerum productionem,quo poſito, ponitur earum productio. Actus autem diuinæ uoluntatis eſt huiuſmodi; quoniam ſequitur: Deus vult aliquid producere. Illud ergo producetur,ſicut eſt uolitum produci. At non ſequitur: Deus ſcit aliquid producere. Ergo illud producetur: Quoniam multa ſcit, quæ non faciet. Actus igitur diuinæ uoluntatis magis pertinet ad rerum productionem,quàm actus intellectus. Aliam rationem adducit,quam miſſam facio,breuitatis ergo.

Adeſt quoque D. Bonauentura, primo ſen.d.45. art.2. q.1., idem aſſerens,& docens.

Verùm & naturalis philoſophia,huic optimè conſonat doctrinæ. Siquidem Ariſto.in.6. moralium Nicomachiorum, cap. 10., de perſpicacia & prudentia ſermonem habens,inquit: Ideo circa eadem quidem, circa quæ prudentia, verſatur; ſupple tu, perſpicacia; idem tamen prudentia & perſpicacia non eſt. Prudentia enim præceptiua eſt; quid enim agendum,aut non agendum ſit, finis eſt ipſius; perſpicacia verò, iudicatiua tantummodo. Hæc ille. Ex quo habetur, quòd prudentia eſt præceptiua. Aut igitur eſt præceptiua in his quæ ſunt ab arte,aut in moralibus tantùm. Non quidem primum;quoniam oppoſitum docet in.6. Sapientiæ,contextu primo, ſub his verbis: Principium rerum actiuarum eſt in agēte,aut intellectus,aut ars,aut aliqua virtus. Et principium artis eſt in artibus; ſcilicet uoluntas. Artificiatum enim & volitum ſunt idem. Hactenus Ariſtoteles. Cuius quidem verba exponens Auerr., inquit: Principium rerum factarum à nobis eſt in agente; ſcilicet ab intellectu, aut in arte, aut in alijs potentijs, ſimilibus arti. Et in nobis non eſt potentia, aut principium faciens naturalia. Et eſt manifeſtum, ꝙ primum principium rerum artificiatarum, quod eſt in nobis,ſcilicet in artifice,eſt uoluntas. Artificiatum enim & uoluntas idem ſunt in forma. Hæc ille. Voluntas igitur eſt primum principium artificiatorum. Relinquitur ergo ꝙ prudentia ſit præceptiua in moralibus tantùm. Prudentia autem pertinet ad rationem practicam. Imperium igitur rationis practicæ, non ſe extendit niſi ad moralia.

Et confirmatur: Quoniā ad rōnem imperij rationis practicę, tria concurrūt; nimirum ordinatio alicuius ad aliquid, intimatio, & motio. Hęc aūt nō requi-

requiruntur ad artificiata. Quare imperium illud non eſt principium iſtorum.

Supereſt igitur vt Dominici rationes diſſoluamus. Cùm itaque arguit, quòd ſcientia Dei in ordine ad creaturas producendas, habet rationem artis; admitto. At cùm ſubdit, ꝙ in effectu artificioſo, proximum principium eſt ipſa ars, & non uoluntas artificis; hoc minimè admittendũ venit; loquendo, prout in propoſito, de cauſalitate. Ars enim reſpectu artificiatorũ non habet niſi rationem dirigentis, dicente Ariſtotele in.6.Ethi.cap.4., ꝙ ars eſt habitus cum ratione vera effectiuus. Voluntas autem eſt quæ determinat, & imperat; potentia autem executiua & motiua eſt quæ immediatè elicit actionem, per quam res producitur. Et quemadmodum potentia non habet rationem cauſę, licèt ſit principium proximum effectus; vt in ſuperioribus ex.D.Thom. oſtendimus; ita nec ars; dato etiam ꝙ eſſet principium proximum. Quoniam non determinatur niſi à uoluntate, & non operatur niſi ad imperium uoluntatis. Propterea Ariſtoteles in.2.auſcultatorio libro naturam definiens, dixit: Natura eſt principium primum eius in quo eſt &c. Modò autem perſpicuum eſt & clarum, ꝙ natura non operatur niſi medijs potentijs, quæ ſunt immediatæ ipſi effectui; & nihiloſecius effectus ipſi & operationes, ſoli attribuuntur naturæ, veluti cauſæ. Ita pari ratione; ars & potentia operantur ad imperium uoluntatis. Perfectio igitur cauſalitatis conſiſtit in uoluntate. *Ad primā Dominici rationem.*

Ad confirmationem, cùm dicit ꝙ Deus immediatè per imperium creaturas produxit; admittimus. At cùm poſtea ſubdit, ꝙ imperium eſt opus ſcientiæ practicæ; hoc negamus; quod tamen ipſe non probat. Veruntamen ex eo probari poſſet, quia Gene.cap.1.dicit ſcriptura: Dixit Deus, fiat lux; & facta eſt lux. Dicere autem eſt actus intellectus. Quare Deus intelligendo creauit; ex conſequenti per imperium rationis practicæ.

Ingenioſa deductio quidem, & proceſſus apparens; nihilotamenſecius doctrinæ noſtræ minus officiens. Quandoquidem ita loquitur ſcriptura, ut innuat, Deum omnia in ſapiẽtia feciſſe; id quod clarius alibi docuit ſub his verbis: Quam magnificata ſunt opera tua Domine; omnia in ſapientia feciſti; impleta eſt terra poſſeſsione tua. *Pſal.103.* Dictio itaque Dei; inquit Diuus Eucherius; uerbum Dei eſt; ſed diuina ſcriptura paruulis congruens, & quodam modo eos lactans, vt proficiant, & cibum ſpiritualem capiãt, uoluit ſemper per omnem creaturæ formationem, dictionẽ Dei nuncupare. Sed ante omnem creaturam, ſuum uerbum genuit. Vnde quando Sacroſancta, diuinaq. Scriptura inquit: Dixit Deus: Fiat lux. Dixit, pro, fecit, poſuit ſcriptor, vt celeritatem, vel facilitatem operis Dei oſtenderet. Doctrina; inquam; eſt. D.Eucherij ſuper Gene.cap.1., & eius cap.2.

Michael quoque de Bononia, illud exponens diuinæ ſcripturæ dictum, quod ſupra ex Pſalmo citauimus, nempe: Omnia in ſapientia feciſti; inquit: Quæ tamen omnia in Sapientia fecit; quia per verbum ſuum; quia omnia per ipſum facta ſunt; quod verbum, eſt ſapientia Patris.

Accedit Ioannesmaria Verratus, qui illud.D.Ioannis exponens: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil; ait: Omnia per ipſum *Cap.1. Tom.2.*

facta ſunt, ideſt, omnia viſibilia & inuiſibilia, ſpiritualia & corporalia, naturam conſeruantia. Omnis forma, omnis materia, omne ſimplex, omne compoſitum, omnis compago, omnis concordia partium, omnia hæc per ipſum, ſcilicet Verbum à Patre genitum, facta ſunt, ideſt, condita & in eſſe producta. Et parùm infra: Hoc autem uerbum; inquit; non voce profertur, ſed eſt ſemper in ſinu, ideſt, ſecreto & corde Patris; manens cuncta diſponit, regit, & operatur. Non enim loquendo, ſed volendo cuncta efficit Deus. Et licèt omnia ſint facta etiam per Spiritum Sanctum; magis propriè tamen dicitur pater operari per Filium, quia quilibet per ſapientiam ſuam operatur. Filius autem eſt ſapientia Patris, ideo omnia per ipſum efficere, & operari congruè dicitur; iuxta illud Pſalmi: Omnia in ſapientia feciſti; Domine; ideſt per ſapientiam tuam. Hæc ille. Quo autem modo omnia Deus fecerit in ſapientia, notat Michael de Bononia in memorato loco, inquiens: Notandum eſt, quòd omnia creata producuntur à Deo, ſicut artificiata ab artifice; cùm ipſe Deus ſit agens non neceſsitate naturæ, ſed per intellectum & uoluntatem. Vnde de ipſo dicitur ſapientiæ.7., quòd omnium eſt artifex. Quod autem producitur per intellectum & artem, producitur per exemplum artificiati, quod eſt in intellectu artificis; ſicut dicit Philoſophus.7. Meta., ꝙ domus quæ eſt extra, producitur à domo quæ eſt in anima. Et ſic per ſapientiam artificis quæ eſt in eius mente, producuntur omnia artificiata. Cùm autem verbum diuinum, ſiue filius Dei, ſit ſapientia Dei; ut dictum eſt; ſequitur ꝙ per ipſam ſapientiam Deus omnia producit. Hæc ille. Non igitur ualet: Per ſapientiam artificis omnia producuntur artificiata. Ergo per imperium artis; ſiue rationis practicæ. Quoniam iſta ſcientia determinatur à uoluntate.

Tom.3. Confirmatur doctrina ex D. Patre Auguſtino; qui ſuper Geneſim ad literam, libro primo, cap.2., diſputat quomodo dixerit Deus; fiat lux; vtrum temporaliter, an in uerbi æternitate. Demum concludit quòd per diuinum Verbum facta eſt, ita loquendo: Cùm enim de illo dicitur; (ſupple tu, Verbo) omnia per ipſum facta ſunt; ſatis oſtenditur & lux per ipſum facta, cùm dixit Deus: Fiat lux.

Chriſtianus quoque Maſſæus, libro primo Chronicorum multiplicis hiſtoriæ utriuſque teſtamenti, ad initium, ait: Spiritus autem Sanctus ferebatur ſuper aquas, ſicut uoluntas artificis ſuper opus ſuum. Dixitq. Deus. Nõ ſtrepitu verborum; ſed æternam uoluntatis ſuæ cognitionem in operis effectu prodens. Fiat lux &c. Modò autem, manifeſtare uoluntatis ſuæ cognitionem; nihil aliud ſonat, quàm manifeſtare ſe cognouiſſe uoluntatem ſuã uelle ſic, & tali, uel tali modo operari. Voluntas igitur diuina, in ordine ad creaturas producendas, primum obtinet locum. Et ita patet ad primũ Dominici Bannes obiectum, cum eius confirmatione.

Ad.2. Ad ſecundum autem, cùm dicit quod diuina ſcientia in ordine ad effectus productos habet rationẽ artis; hoc iam admiſimus. Verùm cùm ſubdit; quòd ars artificis principalius concurrit ad effectũ artificioſum, quàm eius voluntas; id omnino inficiamur. Cùm probat, quia ſpecies & ratio effectus producti, non correſpondet uoluntati artificis, ſed arti; cedo. Atvero cùm

rò cùm infert: Scientia igitur Dei, ad effectum principalius concurrit, quàm ipſa uoluntas, negatur illatio. Quoniam ſcientia determinatur à uoluntate.

Ad ſeptimum.

His peractis & in hunc modum conſtitutis, ſupereſt modò ut eis occurramus, quæ aduerſus ſeptimum noſtrum dictum inducebantur. Ibi enim ex. D. Tho. docuimus, quòd quando aliqua formatur cōſequentia, in cuius antecedente aliquid ponitur ad actum animæ ſpectans, non eſt conſequens ſumendum ſecundùm eſſe quod in ſe eſt; atqui prout eſt in anima. Et quia ex malo huius regulæ intellectu, quamplurimi ei aduerſantur, idcirco prius eam declarare ſtatuimus, vt inde facilius omnia tollantur obiecta.

Sciendum itaque primò, quòd præmiſſa regula formaliter ſemper, & nunquam materialiter venit intelligenda. Vt ſcilicet intelligatur de conſequente, quantùm ad illud quod ex vi actus animæ poſiti in antecedente, in eo conſequitur & infertur; & non ex aliquo alio aſſumpto in antecedente. Et de eodem conſequente uenit intelligenda, ex ui actus animæ illato, ut ſic; ſeu quatenus ex tali actu infertur; minimè autem abſolutè.

Animaduertendum eſt ſecundò, quòd eſſe in anima ſumitur in propoſito, prout eſt commune ad illum modum eſſendi, quo diſtinguuntur entia in anima, ab entibus extra animam, & ad illud eſſe, ſeu ad illam diſpoſitionē, qua res terminat actum animæ. Eſſe autem in ſe, accipitur pro eſſe tantùm quod ipſi rei conuenit abſolutè, ut ſic; hoc eſt inquantum conuenit ei abſolutè; ſiue tale eſſe conueniat ſibi ſecundùm prædicata quidditatiua; ut homo eſt animal; ſiue ſecundùm prædicata exiſtentiæ; ut Sortes eſt, aut currit. Vnde ſenſus regulæ eſt, quòd quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, conſequens inquantum ſequitur ex ui illius actus animæ, eſt intelligendum ſecundùm eſſe quod habet in anima; ideſt ſecundùm eſſe obiectiuum, aut ſecundùm conditiones in obiecto, terminantes actum animæ; & non ſecundùm eſſe quod habet in ſe; ideſt & nō eſt illud intelligendum abſolutè & ſimpliciter, ut ſic. Doctrina eſt Cardinalis Caietani, in prima par. D. Tho., q. 14., ar. 13.; qui regulam tali pacto intellectam, ueram eſſe generatim, in hunc modum oſtendit: Actus animæ de quibus eſt ſermo, ſunt immanentes; nec ſunt niſi cognoſcere & appetere. Tales autem actus ut ſic; nihil ponunt in ſuis obiectis. Idcirco quod ex eorum ui infertur conuenire obiectis ut ſic, non conuenit rebus obiectis abſolutè. Quare ſi gratia materiæ, ea quæ conueniunt alicui abſolutè, coincidant cum illatis de eodem ex ui actus animæ, & per conſequens, id quod infertur ex ui actus animæ conueniat rei abſolutè & in ſe, illatum ſemper formaliter intelligendum uenit, & quatenus infertur ex ui actus animæ, & non aliter, nec alio modo. Quoniam etſi idem ei conueniat in ſe & abſolutè, hoc ei accidit inquantum pendet ex actu animæ. Vnde iſta conſequentia: Scio Sortem curſurum: Ergo Sortes curret: Eſt optima; & non tenet niſi ex vi actus ſciendi; Quia ſcilicet eſt uerus, certus, atque infallibilis. Quo fit, ut conſequens non ſit accipiendum in ſe; ideſt, tanquam una propoſitio uera, certa, & infallibilis per ſeipſam ſeorſum; aſt quatenus ex illo infertur antecedente. Vt iſte ſit ſenſus: Ergo Sortes curret, ea ueritate, certitudine,

& in-

& infallibilitate, qua ſcitur curſurus. Iſta verò conſequentia: Scio hominem eſſe corruptibilem. Ergo eſt corruptibilis; eſt bona quemadmodum & præcedens; & formaliter intellecta, infert conſequens intelligendum, ſicut præcedens: ſed gratia materiæ, conſequens etiam ſeorſum ſumptum eſt certum.

Ad primũ contra ſeptimum. His ex Caietano præmiſsis, uideamus modò quàm facile ſit, omnes aduerſus prænarratam regulam diſſoluere argutias erectas. Quando igitur primo loco arguit Gregorius ariminen., inquiens, quòd huiuſmodi cõſequutio eſt bona: Scio lapidem eſſe materialem. Ergo lapis eſt materialis; Admittimus. At uerò cùm ſubdit, conſequens intelligi de lapide in ſeipſo; & non ſecundùm eſſe quod habet in anima; illud inficiamur omnino. Cùm probat, quia lapis in ſe eſt materialis, in anima uerò immaterialis; dicimus, quòd licèt lapis in ſe ſit materialis, & ex conſequenti gratia materiæ, conſequens illud ſecundùm ſe, & ſeorſum acceptum, ſit verum & certũ. At non eſt ita ſumendum, ſed formaliter, & quatenus infertur ex ui illius actus animæ; qui eſt uerus, certus, & infallibilis. Conſequutio igitur illa nõ tenet, niſi ex ui illius actus animæ, qui aſſumitur in antecedente; ſcilicet ex ui actus ſciendi. Vnde conſequens non eſt accipiendum in ſe, id eſt tanquam una propoſitio uera, certa, & infallibilis, per ſeipſam ſeorſum; at quatenus infertur ex illo antecedente. Vt ſit ſenſus: Ergo lapis eſt materialis, ea ueritate, certitudine, & infallibilitate, qua ſcitur materialis.

Ad.2. Ad ſecundum quando inquit quòd huiuſmodi cõſequentia ualet: Deus ſcit Antichriſtum eſſe futurum. Antichriſtus igitur eſt futurus; admittimus omnia. Veruntamen cùm addit, quòd conſequens non eſt ſumendum prout ſubeſt antecedenti, hoc negamus. Probat ipſe nihiloſecius tali pacto: Quoniam Antichriſtus ut ſubeſt diuinæ ſcientiæ, eſt præſens. Si igitur conſequens accipiatur prout ſubeſt antecedenti, Antichriſtus erit præſens, & non futurus; quare ipſa conſequentia erit falſa. Ad hanc probationem dicimus, quòd Antichriſtus quatenus ſubeſt diuinæ ſcientiæ, bifariam conſiderari poteſt; Vno modo reſpectu ipſius Dei; alio modo reſpectu noſtri. In primo ſenſu, utique uerum eſt, quòd Antichriſtus eſt præſens, quatenus ſubeſt diuinæ ſcientiæ. At in ſecundo ſenſu eſt futurus; quia Deus non nouit Antichriſtum futurum, niſi ratione noſtri. Si igitur conſequens accipiatur prout ſubeſt antecedenti, profectò Antichriſtus erit futurus; Quoniam utrobique ſumitur futuritio ratione noſtri. Vnde ſenſus illius conſequentiæ eſt iſte: Deus nouit Antichriſtum futurum ex parte noſtri. Ergo Antichriſtus eſt futurus ex parte noſtri. Et ita non eſt præſens, ſed futurus; & inde conſequentia uera.

Ad.3. Ad ea quæ tertio inducebantur loco dicimus, falſum eſſe quod regula iſta. D. Tho. ſit contra communem Logicam. Huiusq. dicti probationem inficiamur omnino; nimirum quòd ſtante huiuſmodi regula, nulla eſſet conſequentia falſa. Et cùm dicit arguens, quòd ſtante regula noſtra, iſta conſequentia eſſet uera; Iſte homo eſt mortuus. Ergo eſt homo. At falſum eſt quòd ſit uera. Reſpondemus, quòd hæc illatio non eſt ad propoſitum, propter rationem quam ipſe arguens inducit. Nempe quòd regula

noſtra

noſtra tenet ſol. m,& tunc habet uim, quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ. Quando autem oppoſitum inducit inquiens, quòd in illo antecedente nihil ponitur præter id quod pertinet ad actum animæ;libenti animo concedimus. At cùm ſubdit,quòd conſequens abſolutè poſitum,& ſeorſum à conſequentia,non magis in ſe veritatem cõtinet prout ſubeſt illi antecedenti,quàm alijs; hoc minus eſt admittẽdum. Quoniam id quod infertur ex ui actus animæ conuenire obiectis vt ſic, non conuenit rebus obiectis abſolutè. Et ſi eis conuenit,non eſt niſi gratia materiæ, & per accidens,non gratia formæ. Et multa conueniunt obiecto illato in ipſo conſequente ex ui actus animæ,quæ ei non conueniunt abſolutè. Vnde fuit deceptus vir iſte, quia regulam materialiter, non formaliter intelligebat. Eapropter cùm dicit, quod huiuſmodi conſequutio eſt falſa: Homerus eſt mortuus. Ergo Homerus eſt; conceditur. Verùm cùm ait hanc etiam eſſe falſam; Homerus eſt in opinione. Ergo Homerus eſt; negatur. Quoniam non ſumitur conſequens materialiter;ſed formaliter.Quatenus ſcilicet infertur ex ui actus animæ. Et tum verum eſt,quòd Homerus eſt in eſſe opinato,& terminat actum animæ ſub ratione exiſtentiæ. Idem quoque dicimus de alijs quæ inducit uir iſte. Cuius fundamentum eſt falſiſsimum,quia ſumit ſemper obiectum materialiter,& non formaliter;cùm tamen nos totum velimus oppoſitum.

Ad quartum ratiocinium iam patet ex his, quæ ad ſecundum Gregorij dicta fuere. *Ad 4.*

Ad reliqua tria, quæ ſunt Dominici Bannes in prima par.D.Tho.q.19. ar.8., iam patet ex dictis. Veruntamen propter iuniores,ad omnia formaliter reſpondere minimè grauabimur. Ad quintum itaque negamus illam conſequentiam eſſe falſam; nempe,ego exiſtimo Petrum currere. Ergo Petrus currit. Eſt quidem falſa materialiter intellecta,at non formaliter.Quoniam ut ſic, cõſequens habet uim,quia infertur ex ui actus animæ tantùm; & ita obiectum in eo illatum, ſub ratione curſus actum terminat animæ. *Ad 5.*

Ad ſextũ negamus iterum conſequentiam illam eſſe falſam; nimirum, Petrus vult furari. Ergo furari eſt bonum. Si enim materialiter ſumatur, vtique eſt falſa. Si vero formaliter, minimè. Quoniam licèt furari in ſe ſit malum; quatenus tamen pendet à voluntate Petri, eatenus habet rationem boni. *Ad 6.*

Ad ſeptimum quando dicit, poſito caſu quòd Deus velit me loqui modò,& loquar de facto,tunc arguitur: Deus vult me loqui modò. Ergo loquor modò. Conſequentia eſt bona. Admittimus omnia. Verùm cùm ſubdit, quòd conſequens accipitur etiam ſecundùm quòd in ſe eſt; illud omnino reijcimus. Quoniam illud conſequens ſi formaliter ſumatur, non eſt uerum,certum, & infallibile,quatenus eſt una propoſitio uera,certa, & infallibilis per ſeipſam ſeorſum. At ea ueritate, certitudine,& infallibilitate, qua Deus vult me loqui modò. Si poſtea illud idem conſequens eſt uerum, certum, & infallibile ſecundùm ſe, eſt gratia materiæ,& per accidens. *Ad 7.*

Propter hæc tria argumenta uoluit Dominicus Bannes in memorato *Opinio Bannes.*

loco,

loco, regulam hanc & fundamentum D.Tho. non eſſe uerum generatim. At ſenſum illius eſſe, quòd quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animę, ſeu intellectus, aut uoluntatis, conſequens non neceſſariò accipitur ſecundùm eſſe quod habet in ſe; ſed poteſt accipi aliquando ſolùm ſecundùm eſſe quod habet in intellectu, aut uoluntate. Atqui ob id non excluditur, quin aliquando utroque modo poſsit accipi conſequẽs ipſum; ſcilicet & ſecundùm eſſe quod habet in ſe, & ſecundùm eſſe quod habet in anima.

Contra Bannes. Verùmenimuerò decipitur uir iſte; tum quia accipit regulam materialiter tantùm, & non formaliter. Tũ quia ſumit eſſe in anima prout ſe extendit tantùm ad eſſe obiectiuum rei, & non ad conditionem inhærentem rei obiectæ, qua terminat actum animæ. Quorum utrunque aduerſatur. D.Tho. in prima par. q. 14. ar. 13. ad ſecundum. Primum patet; quoniam eo in loco dicit Beatus Doctor, quòd quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, conſequens eſt accipiendum non ſecundùm eſſe quod in ſe eſt, at ſecundùm ꝙ eſt in anima. Modò autem, ſi non debet accipi conſequens ſecundùm eſſe quod habet in ſe, at ſecundùm ꝙ eſt in anima, fit neceſſariò conſequens, ut debeat accipi quatenus fluit & infertur, ex ui illius actus animæ; & ita formaliter.

Confirmatur, quandoquidem D.Tho. nihil haberet contra illud ſecundum ratiocinium, quod diſſoluere contendit. Proptereaquòd, conſequens illius conditionalis, loquebatur de eſſe actu in rerum natura; D. autẽ Tho. dicit; ipſum eſſe accipiendum ſecundùm quòd eſt in anima. Cæterùm ſi conſequens poteſt aliquando accipi ſecundùm eſſe quod habet in ſe, & aliquando ſecundùm eſſe quod habet in anima; arguens ſiſcitari poſſet, cur magis accipitur in hac conditionali ſecundùm eſſe quod habet in anima, quam ſecundùm eſſe quod habet in ſe? Et ita D.Tho. reſponſum eſſet nullum; tantò magis, cùm non reddat rationem, quare ſic & non ſic ueniat intelligendum.

Confirmatur adhuc, quoniam ueri Philoſophi, pariterq́. Theologi, in rebus arduis loquuntur ſemper formaliter.

Conſtat etiam ſecundum; quandoquidem argumentum quod D.Tho. diſſoluere intendit, habet uim ex una conditionali, quæ talis eſt: Si Deus ſciuit hoc futurum eſſe, Hoc erit. Manifeſtum eſt autem, ꝙ huius conditionalis conſequens loquitur de eſſe in actu in rerum natura. Ex quo ſequitur, quòd rei obiectæ, atque in eo illatæ, conuenit eſſe actu in rerum natura, & in ſeipſa.

D. autem Tho. aſsignata regula, & doctrina inducta, quòd illud conſequens debeat intelligi ſecundùm quòd eſt in anima; duo alia ſubſumit, ſeu duo affert exempla; unum pertinens ad eſſe obiectiuum, & aliud ſpectans ad conditionem inhærentem rei obiectæ, qua terminat actum animæ. Primum eſt hoc: Intelligo lapidem. Ergo lapis eſt immaterialis. Secundum tale eſt: Si Deus ſciuit aliquid, illud erit. Conſequens; inquit; D.Tho.; eſt intelligendum prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ; ideſt prout eſt ſub ſua præſentialitate. Et hæc eſt conditio, qua res obiecta intellectui diuino

uino,ſuo modo eius terminat actũ; veluti in ſuperioribus latius habuimus. Hoc iacto fundamento, in hunc modum erigitur ratio: Eſſe in actu conuenit rei in ſeipſa, quæ infertur in illo conſequente. Accipere autem eam, ut diuinam terminat ſcientiam,& ſecundùm ſuam præſentialitatem,non eſt accipere eam in ſeipſa; at ſecundùm quod eſt in anima. Eſſe igitur in anima, ad aures.D.Tho., quatenus huic deſeruit inſtituto,ſe extendit ad eſſe obiectiuum,& ad conditionem, ſeu rationem,qua res obiecta terminat actũ animæ. Et ex ijs facilè conſtat, quod res obiecta tunc ſumitur tantùm ſecundùm eſſe in ſe, quando ſumitur ſecundùm id,quod conuenit ei abſolutè ut ſic;& non vt infertur ex actu animæ. Cuius tamen oppoſitum aſſerebat Dominicus Bannes. Regula igitur Beati Thomæ eſt uera generatim;cui etiam ſubſcribit Ioãnes de Baccone, in primo Theologicarum ſen.d.40., q.1.,ar.3. Et hæc de ſeptimo dicto.

Ad octauum & nonum dictum.

Ad ea quæ aduerſus octauum & nonum dicta fuere,iam ſatis conſtat ex ijs, quæ pro diſſolutione primi & ſecundi argumenti contra tertium dictũ habuimus; propterea de huiuſmodi quæſtionibus,hæc mihi dicta ſint ſatis. Supereſt modo uidere, nunquid Dei ſcientia,practica ſit,an potius ſpeculatiua. Et quia huiuſmodi quæſitum multa præſupponit ſcitu digniſsima, propterea ad pinguiorem mineruam, quædam neceſſaria præmittere decreui. Et primò an praxis ſit actus intellectus, uel uoluntatis. Ad hæc igitur accedamus.

Nunquid praxis actus ſit intellectus vel potius voluntatis. Cap. 32.

QVoniam practica diſciplina talis denominatur à praxi,idcirco operæpretium me facturum ſum arbitratus,ſi de praxi prius ſermonem haberem,quàm de alijs uerba facerem. Et quia Doctores de ea loquentes, inter ſeſe minus benè conueniunt;ſed eorum quidam uolunt praxim actum eſſe intellectus, & nullo modo uoluntatis; quidam uerò è diuerſo procedunt; illam ſcilicet aſſerentes actum eſſe voluntatis,minimè autem intellectus. Hanc ob cauſam, huiuſmodi quæſitum exarandum ſtatui, atque decreui.

Opinio Bacconis.

Qui igitur primam inſequuntur opinionem, ſunt Bacconitani, quorum præceptor & magiſter,in.q.4.prolo. primi Theologicarũ ſent.,ar.2., hanc ſibi ſtatuit concluſionem: Praxis eſt operatio intellectus mediante habitu practico; ita quòd ad quidditatem praxis non pertinet alia operatio uoluntatis,nec elicita,nec imperata.

Prius, ob iuniores,concluſionem expono atque ſententiam,deinde eius rationes in medium afferam. Ad hoc igitur ut homo aliquid operetur, prius oportet ut per intellectum practicum quid agendum diſcurrendo, ſpeculetur; deinde habita concluſione, dictet uoluntati, illam præſentando concluſionem, quid agendum. Voluntas conſentiendo, eligit & uult illam concluſionem; & iſte dicitur actus elicitus. Et facta electione, im-

perat potentijs exequutiuis, vt eius exequantur imperium; & iſte dicitur actus imperatus. Præter quem, alium etiam habet; illum nempe quo intellectui imperat ut ſpeculetur. Dicit igitur Ioannes de Baccone, quòd praxis non eſt actus uoluntatis, nec elicitus, nec imperatus; atqui eſt ſola illa actio intellectus practici, qua dictat uoluntati quid agendum. Exempli gratia, laborat Socrates graui infirmitate; tunc uolūtas imperat intellectui, vt ad ſanitatem inducendam, uiresq́. reuocandas, quid agendum ſpeculetur. Mox intellectus diſcurrit, & ꝙ niſi per talem herbam minimè ſanari poteſt, hunc in modum arguendo concludit: Hoc corpus eſt ſanandum. Non poteſt autem ſanari, niſi per talem herbam. Talis igitur herba eſt reperienda.

At reperiri non poteſt, niſi hortum adeamus; Hortum igitur adire eſt neceſſe. Concluſionem hanc, ſcilicet quòd ob Socratis ſanitatem, hortum adire eſt neceſſe, ut talis inueniatur herba, præſentat intellectus ipſi uoluntati. Quæ ſtatim eligit & vult hoc eſſe agendum; & propterea potentijs imperat exequutiuis, nimirum pedibus, vt hortum petant; & manibus vt illam colligant herbam, & emplaſtrum componant, illudqúe Socrati apponant, ut ſanetur. Illud igitur dictamen rationis, ſeu intellectus, quo dictat uoluntati eundum eſſe ad hortum propter talem herbam, eſt praxis apud Ioannem; non autem actus uoluntatis elicitus, nec imperatus.

Quia; inquit, quemadmodum intellectus dicitur ſpeculatiuus, quoniam uerſatur circa ſcibile ſimpliciter; & practicus, quia uerſatur circa ſcibile operabile; ita proportionaliter operatio practica, quæ eſt praxis; accipitur pro omni operatione intellectus, qua ipſe conſiderat ſcibilia operabilia. Et quia multi ſunt huiuſmodi actus, ideo dicit quòd praxis eſt operatio intellectus, qua dicit quid agendum, quidúe fugiendum. Idq́. multis probat rationibus.

1. ratio. Et primò tali pacto: Quod eſt prȩter omnem actum uoluntatis, habet quidditatem ſuam, ſecluſo omni actu uoluntatis. Praxis autem ita ſe habet. Igitur &c.

Minor probatur ex Auerroe, .2. Meta., com. 3., qui ait: Scientia enim operatiua quamuis utatur ratiocinatione, & ſpeculetur de cauſis, tamen nō eſt digna uocari ſcientia ſpeculatiua; quia non perſcrutatur de cauſis rerum, & de definitionibus earum, niſi ut ſcientes eam agant; & non ſciant, ſicut eſt in ſcientijs ſpeculatiuis. Ibi igitur cùm loquatur de operatione practica, eam uocando ratiocinationem, nullamq́. de uoluntate mentionem faciens; ſignum eſt, quòd uult ſolum actum intellectus eſſe praxim.

.2. Secundò arguit in hunc modum: Ariſtoteles .6. Ethi. libro, cap. 3. habitus diſtinguit intellectuales, cuiuſmodi ſunt etiam habitus practicus & ſpeculatiuus. Nunquam autem poſuit huiuſmodi habitum, niſi ſibi correſponderet eius actio intellectualis. Praxis igitur eſt operatio quidditatiuè intellectualis, ſicut ſpeculari. Minor patet inductiuè. Sapientia enim dicit uerum circa principia, ſcientia circa concluſiones, prudentia dirigit circa operabilia &c., ut patet .6. Ethi. Ergo. &c.

.3. Amplius: Ariſtoteles nunquam poſuit uirtutem moralem, niſi ſibi cor-

reſponderet

reſponderet operatio moralis; nec naturalem, niſi ſibi correſponderet operatio naturalis. Ponendo igitur in nobis habitum practicum, operationem ſibi correſpondentem ponat oportet. Et hæc erit praxis.

Confirmatur doctrina: Quandoquidem Ariſtoteles. 3. de anima libro, ad contextum. 49., intellectum practicum à ſpeculatiuo diſtinguit, & dicit ꝙ practicus differt à ſpeculatiuo fine; quoniam practicus dicit aliquid de immitabili, aut fugibili. Vult ergo quod praxis ſit operatio intellectus, quæ eſt dictatio.

Ad hæc: Ariſtoteles in. 6. Ethi., cap. 2. dicit, quòd eſt in mente affirma- 4.
tio & negatio; in appetitu uerò proſecutio & fuga. Quo ſtante, arguitur ſic: Diſtinguit Ariſto. affirmationem & negationem in intellectu practico, contra proſecutionem & fugam imperatam à uoluntate. Talis autem dictatio intellectus eſt praxis; ut iam probatum reliquimus. Nullus igitur actus uoluntatis elicitus, ſiue imperatus, eſt quidditatiuè praxis.

Item: Ariſt. in. 6. Ethi. cap. 3., quinque enumerat habitus, quibus anima dicit affirmando, uel negando. Huiuſmodi autem enumeratio nihil ualeret, niſi in intellectu præciſè concluderet praxim. Quia iſti ſunt quinque habitus intellectuales, quibus anima dicit affirmando, vel negando. Ergo &c. Minor ex eo liquido conſtat, quia Philoſophus in. 6. Ethi. ſemper determinat, quòd intellectus practicus eſt qui affirmat aliquid, & negat. 5.

Præterea: Commentator Euſtratius in primo Ethi., cap. 1., comm. 1., definiendo praxim, dicit quòd eſt ſecundùm electionem hominis energeya; id eſt operatio. Atqui tota huiuſmodi definitio completur in intellectu. Nullus igitur actus uoluntatis eſt praxis. Minor deducitur; Quoniam vult Commentator, quòd praxis & energeya ſint idem, ſed praxis addit ſuper energeyam, quod eſt operatio ſecundùm electionem. Ita quòd per electionem diſtinguitur praxis ab energeya. Iſtam autem electionem vult conſiſtere in iudicio, & dictamine rationis. Igitur &c. Huiuſmodi minor probatur. Quandoquidem Commentator ait: Electio verò eſt de duobus propoſitis iudicium hominis, hoc præ altero præponens. Deinde ſubdit: Sequitur autem poſt electionem, motus & impetus ad actum. Ergo &c. 6.

Iſtæ ſunt rationes Ioannis de Baccone, quibus nitebatur oſtendere atque demonſtrare, praxim actum eſſe intellectus, minimè autem uoluntatis. Volebat tamen, uoluntatem pertinere ad praxim antecedenter, & conſequenter; quatenus ſcilicet imperat intellectui, ut dictet quid agendum, & proſequitur id quod dictatum eſt.

Duplicem quoque ponebat electionem; alteram quidem in intellectu, qua iudicat quid alteri ſit præponendum. Aliam uero in uoluntate, qua mouet & impellit. Primaq. iſtarum ponitur in definitione praxis. Secunda uerò ſequitur praxim; quare non eſt practica, niſi per participationem; non autem per eſſentiam.

Præmiſſa opinio improbatur. *Cap. 33.*

Contra Bacconē. ETſi eſt Ioannes de Baccone vir in omni doctrina præclarus, eius tamen ſententia mihi in hac parte minimè probatur. Propterea quòd electio quæ ponitur in definitione praxis, eſt actus voluntatis elicitus, (vt mea fert opinio) minimè autem intellectus; vt fatebatur ipſe. Idq́. tali pacto demonſtrari poteſt.

1. ratio. Commentator Euſtratius in primo Ethi., comm. primo, definiendo praxim, dicit quòd eſt operatio per electionem. Et prope finem eiuſdem commenti, mouet dubium quare Ariſto. ad initium primi Ethi. libri, præpoſuerit artem & diſcendi viam actioni & electioni, ſub his verbis: Omnis ars, omniſq́. diſcendi uia, actio item atque electio, bonum quoddam expetere videtur. Ad dubium autem reſpondens, dicit id Ariſtotelem feciſſe, quoniam ars & diſcendi uia, rationem & ſpeculationem afferunt; & homines quia rationales ſunt, atque in ratione maximè ſuum finem habentes, idcirco in omnibus actionibus & electionibus, ratione atque ſpeculatione tanquam duce ſemper vti debent. Quoniam hoc ſolo modo fieri poteſt, vt in actione & electione perfectio ſequatur, ſi ratio præceſſerit, eiſq́. cognitionis boni & honeſti lumen accenderit. Ex hoc, in hunc modum erigo rationem: Si ad perfectionem actionis & electionis, neceſſe eſt rationem præcedere; quæ quidem boni atque honeſti eis lumen accendat, ſeu rationem oſtendat. Aut horum rationem, ſeu lumen, ratio ſibimetipſi oſtendit, aut alteri. Non ſibi; quia iam cognoſcit. Ergo alteri. Hæc autem eſt uoluntas. Relinquitur ergo quòd electio ſit actus voluntatis; & ex conſequenti praxis, quia eſt actio hominis per electionem.

2. Amplius; dicit Euſtratius, quòd in omnibus actionibus & electionibus, uti debemus ratione tanquam duce. Nunc ſic: Ratio eſt dux actionis & electionis humanæ. Aut igitur actionis & electionis, quæ eſt dictatio & actus intellectus; aut electionis quæ eſt actus uoluntatis. Non primum; quoniam idem ſeipſum dirigeret. Detur ergo ſecundum oportet. Et hoc eſt quod uolumus.

Solutio: ra cita obiectio. Nec poteſt dici quòd Euſtratius ibi loquatur de electione quę eſt actus voluntatis; in definitione autem praxis, de electione quæ eſt actus intellectus. Quoniam utrobiq́. loquitur de electione quæ ponitur in textu. Et in expoſitione textus, declarauit quid ſit electio; ueluti dictum fuit ſupra. Poſtea dubitat, quare artem & uiam diſcendi, actioni & electioni præpoſuerit; & reſpondens, illam reddit quam diximus rationem. Niſi ergo Cōmentatorem de electione æquiuocare velimus, cogimur dicere, ꝙ de eadem vtrobique loquatur; & ita redit intentum.

3. Adhuc: Ariſtoteles in. 3. Ethi. libro, cap. 2., ad finem, ipſam definiendo electionem, inquit: Electio ſpontaneum id eſt, cuius conſultatio præceſſit. Et Euſtratius hoc declarans, in hunc modum effatur: Illi eligere dicuntur, qui vbi aliqua de re conſultarint, eiq́ue aſſenſum adhibuerint, eam, ſubſequente etiam uoluntate, amplectuntur atque appetunt.

Hæc

Hæc ille. Qui & in calce eiuſdem commenti dicit: Cùm enim quiſpiam quid ex multis eligat, conſultat. Ad unum demum tanquam eligendum propendet, eoq́. & aſſenſum & appetitum incitatum habet. Hæc ille. Ex quibus perquamclariſsimè conſtat, quòd electio eſt actus uoluntatis, à ratione directus. Quod quidem cum ijs quæ in primo libro dixerat, peroptimè conſonare uidetur. Cùm itaque praxis ſit hominis per electionem operatio, & electio ſit actus uoluntatis; ſequitur quòd & praxis ſit actus uoluntatis, & non intellectus; quemadmodum arbitrabatur Ioannes.

Iterum; Ariſto. in.3.Ethi. libro, cap.3., comparat conſultationem & electionem adinuicem, ut inde perfectam, exactamq́. electionis definitionem eliciat. Dicitq́., quòd conſultatio præcedit electionem, quare terminata conſultatione, ſubſequitur electio. Conſultatio autem pertinet ad intellectum; Igitur electio ad uoluntatem. .4.

Vnde Commentator dicit: Vbi igitur mens noſtra quaſi rex conſultauerit ac decreuerit quippiam, appetituiq́. decretum ſuum communicauerit, & ipſe aſſentiens approbauerit, tum demum electio facta eſſe dicitur. Ecce quàm conſonent hæc ijs quæ ſupra dixerat; nimirum in libro primo, commento primo, in diſſolutione primi dubij; ſcilicet ꝙ in actionibus & electionibus utuntur homines ratione, tanquam duce.

Rurſus: Ariſtoteles eodem in loco prope finem dicit, quòd eligibile nihil aliud eſt, quàm conſultabile appetibile, eorum quæ in nobis ſunt. Si igitur eligibile eſt conſultabile & appetibile, ſequitur ꝙ ad electionem utraque potentia concurrit; intellectus nempe atque uoluntas; illa conſultando, iſta eligendo. Quare dicit ibi Commentator: Inquit Ariſtoteles, eligibile eſſe conſultabile, quia ex conſultatione iam fuerat definitū. Dicit quoque ipſum eſſe appetibile, quia id quod eligitur, uoluntatis appetitione eligi conſueuit. .5.

Et confirmatur ratio, ex perfecta, completaq́. electionis definitione; quam tradens ibidem Ariſtoteles, dicit: Electio eſt eorum quæ in nobis ſunt, conſultatiua appetitio. Quare electio non eſt actus intellectus propriè, at uoluntatis; duce tamen & dirigente ratione, & intellectu. Quod optimè conuenit cum ijs, quæ dixit Euſtratius in primo libro.

Ad hæc: Ariſtoteles in.3.Ethi. cap.2. probat electionem non eſſe opinionem, quia tunc idem homo qui optima opinaretur, eadem eligeret. Hoc autem non fit; inquit Ariſtoteles; quoniam quidam opinatur melius, ob uitium autem eligit peius; ſiue illa quæ non oportet. Opinio autem pertinet ad intellectum: Ergo electio ad uoluntatem. .6.

Item: Ariſtoteles in.6.Ethi. cap.2. docet, intellectum & uoluntatē principia eſſe humanarum actionum, ex hoc quia quod eſt affirmatio & negatio in intellectu, eſt proſequutio & fuga in uolūtate. Proſequutio autem in uoluntate non eſt niſi electio, ſiue actus imperatus; non autem affirmatio in intellectu. Electio igitur eſt actus ſolius uoluntatis. Quod ad primam partem minoris attinet propoſitionis, iam patet ex dictis, & eſt ab ipſo Ioanne admiſſum. Id uerò quod ad ſecundam attinet partem, in hunc .7.

modum probatur: Euſtratius, illum præinductum textum exarans inquit, ꝙ appetitus, ſeu voluntas ſe habet ad intellectum, ſicut miniſter ad dominũ, ſeu diſcipulus ad magiſtrum; qui cùm aliquid mandet & doceat, ipſa ſtatim excipiat, & vt bonum eligat, aut vt malum fugiat & euitet. Ad ſolam igitur voluntatem pertinet electio.

Euaſio. Diceret fortè Ioannes ad hoc & omnia alia ſimul, ꝙ & ipſe fatetur electionem ad uoluntatem pertinere; at non omnino, cùm etiam ad intellectum pertineat; vtpotè quando iudicat quid alteri ſit præponendum. Tũc enim & ipſe eligit, & voluntas etiam proſequendo & imperando. Et ita duplex eſt electio; quarum prima pertinet ad praxim.

Improb. At hoc non obſtat; proptereaquòd probatum fuit ſupra, ꝙ intellectus non concurrit ad electionem, niſi tanquam dux & dirigens, non autem elicitiuè; ſed hoc eſt voluntatis officium & munus. Dixit enim Euſtratius, ꝙ in electionibus & actionibus vtimur ratione tanquam duce. Et Ariſtoteles illam definiens, in eodem definiuit ſenſu; vt patuit ſupra. Concurrit igitur intellectus & ratio ad electionem tanquã princeps & dux, uoluntas autem tanquam miniſter formaliter eligens. Et ita non confunduntur potentiæ, ſed utraque ſuum propriũ munus exercet. Quare dicebat Ariſtoteles in 6. Ethi. cap. 2., ꝙ electio eſt appetitus deliberatiuus; ideſt appetitus cum deliberatione. Quæ quidem oĩa, cum his quę docuit Ariſt. in 3. de anima libro, ad contextũ. 49. peroptimè conueniunt. Dicit. n. ꝙ intellectus practicus ratiocinatur propter aliquid, nẽpe propter finem. Qui quidẽ finis eſt obiectum appetitus, & principiũ mouens intellectum. Intellectus aũt, illum propriè non conſequitur finẽ, cùm nõ ſit eius propriũ obiectũ, ſed voluntatis. Non ergo ſpeculatur, nec ratiocinatur, niſi vt voluntas talem poſsit conſequi finem. Quare illa propriè dicitur praxis, quę eſt operatio potentię, quę eſt principium elicitiuum conſequendi talem finem. Hęc autem eſt voluntas. Igitur. &c. Vnde dicunt communiter doctores, ꝙ intellectus extẽſione fit practicus; quia ſcilicet extendit ſe ad operationem alterius potentiæ, propter quam operatur, atque ratiocinatur. Licèt hæc verba non habeantur ibi formaliter ab Ariſtotele; vt dicit Ioannes; eliciuntur tamen; vt patet. Quare intellectus dicitur practicus à notitia practica, quę eſt illa quã habet de obiecto à nobis operabili. Et hæc notitia dicitur practica à praxi, cuius eſt directiua. Quæ quidem praxis eſt ipſa electio uoluntatis; non quidem reſpectu finis, cùm in illum naturaliter inclinetur, ſed reſpectu eorum quæ ducunt in finem, ſeu mediorum quibus conſequitur finem. Secunda verò praxis eſt actus imperatus à uoluntate.

Definitio praxis. Vnde in hunc modum definiri poteſt: Praxis eſt actio alterius potentiæ ab intellectu, poſsibilis regulari à recta operatione illius. Ex qua quidem definitione colligitur, ꝙ ſolus actus voluntatis elicitus, vt electio; vel imperatus, vt adminiſtratio; ſit praxis. Et hæc definitio correſpondet definitioni Euſtratij; qua dicebat, praxim eſſe operationem hominis per electionẽ. At electio non eſt niſi per voluntatem. Ex hoc igitur quòd dicit illam eſſe operationem per electionem, voluit habere quòd eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu. Et ex hoc quòd dicit illam eſſe operationem per

 electio-

electionem, indicat praxim eſſe regulabilem ab intellectu. Quoniam electio non eſt niſi per regulam intellectus; vt probatum fuit ſupra. Et ſermo eſt de praxi recta. Scimus enim & operationem malam eſſe praxim.

Hanc eandem concluſionem inſequitur Scotus in primo ſent.q.vltima prologi;Sueſſanus in ſuo dilucidario,diſputatione.12.,cap.2.Paulus Soncinas in.6.Meta.q.2.;Iauellus in.6.Met.q.4.;Geraldus de Odonis,6.Eth. Lectio.3.q.2.;Gregorius Ariminen.in primo ſen.q.5.prologi.Sed prȩter hoc,vult etiam ꝙ operatio aliqua intellectus ſit praxis;id quod à noſtra diſcordat concluſione & ſententia; ſi ſimpliciter ſumatur.

Eius autem motiua ex eo pendent, quia aliqua notitia practica eſt directiua intellectus ad operandum, ſeu ſpeculandum. *Opinio Greg. Ariminen.*

Cæterùm facilis eſt omnium ſolutio,ſi dicamus quòd notitia non dicitur practica,niſi quatenus dirigit aliam potentiam ab intellectu,nempe voluntatem,in veram praxim. Nec intellectus dicitur practicus, niſi quia eſt directiuus actuum,non ſuorum,at voluntatis;quemadmodum ſuperq. ſatis ex dictis iam conſtare poteſt. Falſum eſt etiam ꝙ notitia practica dirigat intellectum ad ſpeculandum;ſed eſt id quo ipſe dirigit voluntatem. Et eſto ꝙ notitia practica dirigat intellectum; ob id non ſequitur ꝙ actio intellectus ſit praxis; quia praxis diſtinguitur contra ſpeculationem;& omnis operatio intellectus eſt ſpeculatio.Secus tamen poſſet dici,ſi acciperetur ſecundùm electionem & imperium voluntatis. *Solutio.*

Eſt tamen dubitatio atque difficultas, aduerſus huiuſmodi determinationem emergens. Dicit enim Euſtratius, quòd praxis eſt operatio hominis ſecundùm electionem. Ex hoc igitur videtur velle,ꝙ ſolus actus imperatus uoluntatis ſit praxis,minimè autem elicitus. Propterea quod actus imperatus,qui eſt actus potentiæ exequutiuæ,ſubſequitur ad electionem, quæ eſt actus elicitus. *Dub.1.*

Secundò: Dicit Ariſtoteles in.6.Ethi.cap.2.; quòd electio eſt principiũ actus. Ergo praxis ſubſequitur electionem. *2.*

Tertiò: In.6.Meta.contextu primo,diſtinguens Ariſto.ſcientias actiuas & factiuas à theoricis,ponit quòd ſcientiæ actiuę ſunt circa ea,quorũ principium eſt in agente prohæreſis; ideſt electio. Igitur.&c. *3.*

Ad horũ primum dr̃, ꝙ illud verbum (ſecundũ) poſitum in definitione praxis,accipitur effectiuè,vel formaliter.Primo mõ accipit̃ reſpectu actus imperati;ſecundo mõ reſpectu actus eliciti. Vt ſit ſenſus; ſecũdùm electionẽ,i. quę eſt ipſa electio primò,ſecũdùm ꝙ cõformatur cõſilio intellectus. *Solutio ad primum.*

Ad ſecundum dicitur,ꝙ Ariſtoteles eo in loco ſermonẽ habet de actibus humanis exterioribus, non autem de interioribus, & de primò praxi. Et tunc uerum eſt,quòd illorum principium eſt electio;non ob id tamen ſequitur,quin electio ſit primò & uerè praxis. *Ad 2.*

Ad tertiũ reſpondet Auerroes,exponendo pro hæreſim ꝑ uoluntatẽ; & eligibile per volũtariũ. Quare ſcĩæ actiuę erunt circa ea,quorũ ſumus principiũ per voluntatẽ;qđ & nos fatemur.Reiecta igit̃ Ioãnis de Baccone doctrina atq. ſñia de praxi,reliquum eſt vt eius rõnibus tẽtemus facere ſatis. *Ad 3.*

Rationes diſſoluuntur Ioannis de Baccone. Cap. 34.

AD rationes itaque Ioannis de Baccone priuſquam reſpõdeamus, illud eſt adnotandum, quod etiam ſupra tetigimus; quòd ſcilicet aliud eſt loqui de notitia practica, & aliud ſermonem habere de praxi. Eſt enim priús habitus practicus, qui eſt ille qui verſatur circa à nobis agibile. Eſt deinde intellectus practicus; qui dicitur talis ab illo habitu practico. Sequitur poſtea notitia practica, quæ eſt illa, quando intellectus actu ſpeculatur, & deliberat quid agendum. Nomenq. deſumit à praxi, quam dirigit. Quæ quidem praxis, ultimum ſibi vendicat locum; & eſt operatio voluntatis, conſilium ſequens, & dictamen rationis practicæ. Et hæc eſt electio, quinimmo etiam actus imperatus ipſius voluntatis. Vnde ſi rectè attendatis, hîc pulcherrimum videbitis potentiarum ordinem; omni penitus ſecluſa confuſione. Deceptio igitur Ioannis fuit, quia non diſtinxit inter notitiam practicam, & praxim.

Ad. 1. argum. Ioannis de Baccone. Ad primam itaque eius rationem dicimus, minorem negando propoſitionem. Ad probationem reſpondemus, quòd Auer. per ratiocinationẽ circa à nobis operabile, intelligit notitiam practicam, & hæc eſt ab intellectu ſolo elicitiuè, ſiue effectiuè. At hæc non eſt praxis; quemadmodum ex dictis iam ſatis conſtat.

Ad. 2. Ad ſecundum patet per idem. Verum eſt enim, quòd habitui practico correſpondet ſua operatio. Cæterùm cùm infert: Ergo eſt praxis. Id quod conſequitur inficiamur ſtatim. Eſt quidem illa operatio notitia practica, verùm minimè praxis.

Ad. 3. Tertia quoque, eadem è medio tollitur doctrina. Negatur enim ꝙ illa operatio correſpondens habitui practico ſit praxis; ſed eſt notitia practica. Per idem ad confirmationem. Siquidem negatur illatio. Quoniam vult Ariſtoteles, quòd ibi ſit operatio correſpondens habitui, quæ dicitur notitia practica.

Ad 4. Ad quartam iam patet ſolutio. Neganda enim venit minor. Quoniam dictatio illa intellectus, eſt quidem notitia practica; at praxis minimè.

Ad. 5. Quintæ itidem rationis negatur minor. Et ad eius probationem negatur illatio. Non enim valet: Intellectus practicus eſt qui affirmat & negat. Ergo praxis eſt actus intellectus. Sed: Ergo eſt ibi notitia practica, dirigens praxim.

Ad. 6. Ad ſextam quoque negatur minor. Ad probationem, adhuc negatur minor. Cùm probat, dicimus quòd quando actus duarum potentiarum adinuicem ordinantur, in utroque eſt aliquid, quod eſt alterius potentiæ; & idcirco uterque actus, ab utraque potentia denominari poteſt. Actus igitur rationis dirigentis, in his quæ ſunt ad finem, & actus uoluntatis ſecundùm regimen rationis in ea tendentis, ad ſeinuicem ordinantur. Et propterea in actu uoluntatis, quæ eſt electio, apparet aliquid rationis; ſcilicet ordo. In conſilio, ſiue in iudicio, quod eſt actus rationis, apparet aliquid uoluntatis ſicut materia; quia eſt ſicut motiuum intellectus; ut patuit ſupra. Vterque igitur actus, ab utraque potentia denominari poteſt;

quemadmo-

quemadmodum Ariſto. in.6.Ethi.cap.2. dicebat, quòd electio eſt intellectus appetitiuus; vt ad electionem, utrunque concurrere oſtenderet. Et Damaſcenus dicebat, quòd conſilium eſt appetitus inquiſitiuus; ut conſilium aliquo modo pertinere oſtenderet ad uoluntatem, circa quam & ex qua fit inquiſitio, & ad rationem inquirentem. Ita Euſtratius definiuit electionem per iudicium; ut innueret, intellectum & uoluntatem ad ipſam concurrere. Illum tanquam ducem, iſtam uerò tanquam elicitiuam & productiuam.

Huiuſmodi doctrinam elicui ex.D.Tho.in prima ſecundæ, .q.14.art.1. ad primum; et.q.13.ar.1. in corpore. Vbi docet, quòd electio eſt actus uoluntatis; & non rationis, niſi quatenus dirigit voluntatem. Et quando dicit Euſtratius, quòd poſt electionem ſequitur motus & impetus ad actũ; hoc eſt contra Ioannem. Propterea quòd datur intelligi, quod electio eſt actus uoluntatis elicitus; poſt quem ſequitur proſequutio & fuga, qui eſt actus imperatus. Hoc ideo magis dat oppoſitum, quàm propoſitum Ioannis. Perit etiam diſtinctio illa de duplici electione; intellectus ſcilicet & uoluntatis. Et ſi Ariſto. & Euſtratius in.3.Ethi. cap.3. ſub finem dicunt, quòd intellectus eſt qui eligit; intelligendi ſunt formaliter, non elicitiuè. Quia ſcilicet electio, quãtùm ad ſuum eſſe formale, attribuitur intellectui, tanquam potentiæ ſuperiori dirigenti. Voluntati autem attribuitur ſubſtantialiter, & productiuè; ut dicit.D.Tho. in memorato loco, q.13. Non igitur fatendum eſt cum Ioanne de Baccone, praxim actum eſſe intellectus; ſed uoluntatis. Et quoniam à praxi denominatur notitia practica; ueluti in ſuperioribus diximus; non erit abſurdum inquirere, quænam ſit formaliter & propriè practica diſciplina.

De totius Philoſophiæ prima diuiſione. *Cap. 35.*

VT noſtrum igitur aggrediamur inſtitutum, ſatis appoſitè omnia procedere uidebuntur, ſi prius de prima totius Philoſophiæ diuiſione, uerba fecerimus. Sunt itaque qui Philoſophiam in duas diuidunt atque ſecant partes, nimirum in actiuam & contemplatiuam; ueluti Simplicius: per actiuam intelligens moralem, & per contemplatiuã, Metaphyſicam, Phyſicam, & Mathematicam. Hanc doctrinam inſequutus eſt excellentiſsimus dominus Ludouicus Cartarius Bononien., ad initium libelli, quem edidit ſuper proœmio de phyſico auditu. Idqúe deducit ex Ariſt., tum ſecundo diuinorum, contextu.3., tum.6.eiuſdem operis, ad initium. Quòd ſi huiuſmodi excellentiſsimi, pariterq́. grauiſsimi viri, abutendo uocabulis, actiuam latè accipiunt, eam ſcilicet ad factiuam etiam extendendo, ſumus concordes; ſin autem, mihi aliter occurrit dicendum; ut ſcilicet latè, communioriq́. vocabulo Philoſophiam accipiendo, illam in tres præcipuas partes ſecandam fore cenſuerim; in ſpeculatiuam nempe, actiuam, & factiuam. Id quod Ariſto. in.6.Ethi.libro, cap.3. ad ini-

Simplicius.

ad initium innuere uoluit, cùm intellectuales habitus enumerando, in hæc prorupit uerba: Sint itaque ea quibus uerum anima dicit affirmando, aut negando, numero quinque. Hæc autem ſunt ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus. Hæc ſunt, inquit Ariſto. quibus anima dicit uerum affirmando, aut negando; ex conſequenti ſunt ea quibus anima rectè Philoſophatur. Huiuſmodi autem habitus, qui totam in ſe claudunt Philoſophiam, ita ſe habent, quòd illorum nonnulli ſunt ſpeculatiui; vt intellectus, ſcientia, & ſapientia; aliqui uerò actiui, ut prudentia; ac demum ſunt & alij factiui, ut ars. Quare & Philoſophiam in ſpeculatiuam, actiuam, & factiuam rectè diximus eſſe diuidendam. Id quod etiam teſtatum reliquit Ariſto. in.6.Sapientię, cap. primo, inquiens quòd omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut ſpeculatiuus eſt. Nec dixit; aut practicus, aut ſpeculatiuus eſt; ut omnes ferè perperam dicunt. Nam ibi propriè & formaliter loquebatur Ariſtoteles; illud innuere uolēs, quòd ſola illa Philoſophiæ pars quæ dicitur actiua, eſt uerè & formaliter practica. Illa uerò quæ dicitur factiua, minimè. Sed de his inferius. Interim dicimus, quòd de Philoſophia latè ipſi loquuti ſumus, ut ex eius maxima communitate; Ariſtotelem immitantes; ad eius tandem formalem & ſimplicem rationem deueniremus.

Quapropter preſsius ipſam accipiendo Philoſophiam, quatenus ſcilicet magis habet rationem ſcientiæ; illam in actiuam & contemplatiuam diuidimus & ſecamus. Id quod innuere uoluit Ariſtoteles in primo Topicorum libro, cap.9. ad initium, quādo dixit, ꝙ problema uel eſt actiuum, uel ſpeculatiuum. Et hoc idem uoluit Euſtratius, in præfatione libri Ethi. primis in uerbis. Quare & Simplicius & Cartarius; ſi ad hunc ſenſum; benè loquuti ſunt. Quem quidem ſenſum ſe habuiſſe Cartarius oſtendit, cùm dicit id eſſe verum quod aſſeruit, philoſophiam accipiendo prout eſt animi perfectio, non ut nomen ſonat; quoniam Philoſophia amorem ſignificat ſapientiæ. Cùm itaque pars actiua, ſeu practica, non ſit gratia ſapientiæ, ſed operis, perſpicuum eſt, ipſam uerè proprieq́. Philoſophiam minimè eſſe. Vnde Ariſto. in.2.Sapientiæ cap. 1.& tex.3., de ea propriè & formaliter loquendo; ut Metaphyſicum decet; ita dixit: Rectè autem ſe habet Philoſophiam ſcientiam, ueritatis contemplatricem appellaſſe. Idq́. probat inquiens: Speculatiuę etenim finis ueritas, practicę autē opus. Quo fit, ut Philoſophiam in contemplatiuam & practicam minimè diuidat; ueluti nonnulli putarunt; at eius propriam, formalemq́. definitionem tradit dicens, quòd Philoſophia eſt ſcientia, ueritatis contemplatrix. A qua quidem definitione, practicam excludens, dixit quòd ideo ipſa non eſt propriè Philoſophia, quia eius finis eſt opus; Philoſophiæ uerò, non niſi ueritas. Et id maximè patet ex illo uerbo (etenim;) nam eſt dictio cauſalis; ut conſtat. Et hoc ſi rectè perpendamus, omnia peroptimè ſibi cohærere pro comperto habebimus. Ariſto. nanque in.6. Ethi. cap.3., diſtribuit habitum intellectualem in quinque eius ſpecies, uel quaſi ſpecies, quibus anima uerum dicit, affirmando, uel negando. Et hoc eſt Philoſophari; ut innuit Ariſto. in.2. Sapientiæ; cap.1.,.& Alexander ex

Aphro-

Aphrodiſiade ibidem, enarratione prima. Verum autem dicere, non ex æquo ſe habet ad omnes huiuſmodi habitus, ſed ordine quodam. Quare nec Philoſophari, nec ex conſequenti Philoſophia.

Alexander enim in.2.Meta. enarratione quinta, dicit q Ariſto. Philoſophiæ definitionem, adiectione diſciplinarum actiuarum docuit; propterea quòd ueritas propriè & maximè ea eſt, quæ de rebus ſempiternis habetur; non quæ uerſatur in rebus agendis. Actiui enim; inquit; de præcipua ueritate non conſiderant; ſed de ea quæ alicui & aliquando ueritas eſt; contemplationem ad actionem referentes.

Et ibidem enarratione prima dicit, quòd Ariſtoteles vult, primam Philoſophiam ueritatem contemplari, non ex hoc quia ſola in ueritate uerſetur, quia & ciuilis & actiua Philoſophia, in ſua quæque ueritate uerſatur. Quin & artes, ſibi ſubiectas ueritates conſiderant; cùm ſit ars habitus efficiens cum uera ratione. Sed illud ideo uult, quia ſolius primæ Philoſophiæ finis, eſt cognitio ueritatis eius, quæ propriè ueritas eſſe intelligitur. Et quænam ſit huiuſmodi propriè ueritas, declarat ibidem ſub his verbis: Nam primæ cauſæ, primaq. principia maximè omnium ſunt; quæ autem maximè ſunt, ea ſunt maximè uera. Et hæc ſunt cæteris cauſæ ut ſint, & ueritatis quæ in ipſis habetur. Hæc docet Alexander, uir quidem apud uere peripateticos magnæ authoritatis. Ex cuius dictis, tria præcipuè elicio. Primum, q ueritas propriè eſt de rebus ſempiternis. Secundum, quod inter ſempiterna, ſubſtantiæ ſeparatæ primum ſibi uendicant locum; ex conſequenti, de eis maximè eſt ueritas. Tertium, quòd quæ uerſatur in rebus agendis, eſt quidem ueritas, at non propriè, nec maximè. Quod ſi in agendis uerum eſt, tantò magis in fiendis, & in artibus; ut liquidò conſtat.

Veritas igitur cùm in agendis & fiendis non niſi impropriè reperiatur, in ſempiternis autem propriè, & in abſtractis maximè propriè; ſequitur etiam, quod cùm uerum dicere & inquirere ſit Philoſophari, quòd ita Philoſophia dicetur de arte, de actiua, & de contemplatiua; quemadmodum ueritas eſt in fiendis, agendis, & ſempiternis. In primis autem & ſecundis, non eſt niſi impropriè; in ultimis autem, propriè. A primo itaque uſque ad ultimum deducendo, nec Philoſophia dicetur de arte, & actiua, niſi impropriè; de contemplatiua autem, propriè atque formaliter. Et inter contemplatiuas diſciplinas, cùm Metaphyſica primum obtineat locum; authore Ariſtotele in proœmio Meta. & alibi, de ea propriiſsimè & maximè dicetur Philoſophia. Ex hoc itaque liquidò conſtat, quòd ſi Philoſophia latè ſumatur, in actiuam, factiuam, & contemplatiuam ſecatur. Si uerò preſsè, non niſi in actiuam & contemplatiuam. Si adhuc preſsius & propriè, de ſola contemplatiua dicetur; & nobiliori modo de Metaphyſica.

Et confirmatur doctrina ex Ariſtotele & Auerroe, in.2. Sapientiæ libro, textu & commento.4. Quo loci, uterque illorum idem docet, quòd Alexander. Vnde ſicut datur ordo in rebus, ita etiam in Philoſophia & diſciplinis. Quæ quidem diſciplinæ, ab authoribus ſolent communiter

diuidi

diuidi & ſecari in practicas & ſpeculatiuas. Ita vt velint etiam artes, & illam philoſophiæ partem quæ dicitur factiua, contineri ſub habitu practico. Quod an verum ſit, futurum eſt ut inquiramus.

Quanam ſit propriè & formaliter practica diſciplina. Cap. 36.

Moderniores philoſophantes recedentes ab antiquorum dogmatibus, omnem ſcientiam voluerunt practicam eſſe, vel ſpeculatiuã. Et quoniam nonnullas reperiebant diſciplinas & facultates, quæ non erant ſpeculatiuę: utpotè Medicina & conſimiles; propterea dicebant, illas eſſe ſcientias practicas. Vnde artes etiam mechanicæ erant ſcientiæ practicæ. Nos autem antiquiores inſequuti, ſolam illam philoſophiæ partem quæ dicitur actiua, volumus eſſe verè, propriè, & formaliter practicam. Hæc autem cùm ſit Moralis diſciplina; relinquitur q, ſola illa ſit verè, propriè, & formaliter practica. Id quod nobis perſuadet Ariſtoteles, in. 6. Ethi. libro, cap. 4., ſecundùm interpretationem Argyropili. Quo loci docet idem verſari diſcrimen inter πράττειν & ποιεῖν, quod inter agere & facere. Agere autem & facere ſunt omnino diuerſa; veluti demonſtrat Ariſtoteles in memorato loco ad initium; & propè finem ita concludit: Cùm autem effectio atque actus diuerſa ſint; artē effectionis eſſe, non actus neceſſe eſt. Idem cap. quinto, vbi dicit: Ars autem, quòd aliud actionis, aliud effectionis eſt genus. Reſtat ergo habitùm ipſam eſſe (ſupple tu, prudentiam) agendi vera cum ratione, circa ea quæ ſunt bona homini, atque mala. Finis enim effectionis eſt quid aliud præter ipſam effectionem; actionis uerò non ſemper. Eſt enim ipſa bona actio finis. Hæc Ariſtoteles.

Hoc igitur eſt diſcrimen inter agere & facere, quòd poſt factionem, aliquid remanet operatum, ſeu factum, tanquam finis. Vt poſt ædificationem remanet domus. Poſt actionem autem nihil; ut poſt uelle, intelligere, uidere, & id genus alia, nihil remanet extra. Nam actio eſt perfectio agentis, & bonum actionis eſt in eo cuius eſt actio. Effectio uerò terminatur ad opus externum & eſt perfectio operis illius, & rei fabricatæ.

Addit Ariſtoteles, quòd effectio ordinatur ad ulteriorem finem. Actio uerò interdum eſt finis agentis bonum; ueluti felicitas ipſa, quæ eſt operatio animi ſecundum prudentiam. Hoc idem docet Ariſtoteles multis alijs in locis; at hæc ſufficiant, ad propoſitum noſtrum, intentumq́. commoſtrandum. Cùm itaque πρᾶξις & πρακτὸν unius ſint cognationis, & ποίησις & factio alterius; ſequitur neceſſariò, quòd idem ſit diſcrimen inter praxim & effectionem, quod eſt inter agere & facere. Agere autem & facere ſunt omnino diuerſa. Quare praxis etiam & effectio erunt omnino diuerſa. Atqui praxis pertinet ad habitum actiuum, qui eſt prudentia; effectio uerò ad habitum effectiuum, qui eſt ars. Solus igitur habitus actiuus erit uerè, propriè, & formaliter practicus. A praxi enim dicitur habitus practicus;

ctiuus; & praxis eſt hominis operatio ſecundùm electionem; quæ quidem electio, pertinet ad uoluntatem; veluti ſupra demonſtrauimus.

271 Et quòd ſola prudentia ſit habitus actiuus, optimè conſtat ex præinductis Ariſtotelis uerbis; quando ſcilicet dixit, quòd finis effectionis eſt quid aliud præter ipſam effectionem; actionis uero non ſemper. Eſt enim ipſa bona actio finis. Ex his enim uerbis diſtinguit Ariſtoteles prudentiam, nedum ab artibus effectiuis, uerùm etiam ab artibus actiuis. Quæ quidem artes effectiuæ, ſunt ædificatoria, ſtatuaria, & id genus aliæ. Præter quarum operationes, quoddam effectum, & operatum habent; ut ædificatoria ædes, ſtatuaria ſtatuam, & cæteræ effectiuæ ſua unaquæque opera. Actiuæ uerò ſunt, militaris, familiaris, & quæſtuaria. Quarum fines non ſunt quidem effecta aliqua opera, ſed quædam tamen alia præter operationes, quæ operationes ipſarum conſequuntur; ut militaris uictoria, familiaris & quæſtuariæ diuitiæ. Et quia facilè fieri poterat, ut una ex his artibus actiuis prudentia eſſe exiſtimaretur, idcirco ſubdidit Ariſtoteles in præcitatis uerbis, quòd finis actionis non eſt ſemper aliquid præter eius operationem. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: inter artem & prudentiam ea eſt differentia, quòd præter operationem artis eſt ſemper aliquid, quod eſt eius terminus & finis; prudentiæ autem minimè. Omnis nanque effectio, opus quoddam effectum neceſſariò habet, quod præter effectionem ipſam, quæ artificis effectiui eſt operatio, exiſtit. At non omnis actio, aliũ præter actionem, finem habet; ſed illæ tantùm, quæ artes actiuæ appellantur. Nam prudentia ſibi ipſam bonam actionem, nullumq. alium præter ipſam, finem proponit. Sola igitur prudentia eſt propriè actiua; concludebat Ariſtoteles. Doctrina eſt Euſtratij, in.6. Ethi. cap.quinto.

Itẽ: Ariſtoteles libro primo magnorum moralium, cap.ultimo ſub finẽ, oſtẽdit quòd prudentia primò cadit ſub laudem, per locum à minori, tali pacto: Iuſtitia & fortitudo, cæteræq. uirtutes quæ ſub actionem cadunt, ſunt laudabiles. Ergo & prudentia. Id quod conſequitur probat Ariſtoteles, ex eo quia prudentia præſcribit fortitudini quid ſit per eam agendum, & ipſa ſtatim operatur. Tunc arguit Ariſtoteles: Si fortitudo ſub laudem cadit, ea faciendo quæ præſcripſit prudentia. Etiam ſine controuerſia prudentia ſub laudem cadit, & eſt uirtus.

Deinde probat Ariſt. ꝙ prudentia ſub actionem cadit, hunc in modum: Sicut in ædificatoria ſunt Architectus & faber, ſiue miniſter; ita etiam in uirtutibus. Omnium autem uirtutum, Prudentia tanquam architectus quidam eſt. Quandoquidem ut ipſa præſcripſerit, ita uirtutes agunt. Cùm igitur uirtutes ſub actionem cadant, etiam ſub actionem cadet prudentia. Ex his itaque patet, quòd ſola prudentia inter habitus intellectuales eſt actiua. Moralis autem diſciplina ſola eſt prudentia. Ergo ſola actiua. Ergo ſola practica. Praxis enim propriè accepta ſumitur à Pratto, uerbo Græco, quod eſt ago. Vnde idem ſonat diſciplina practica, quod diſciplina actiua.

Vnde. D. Pater Auguſtinus. 8. de Ciuitate Dei, cap.4. dicit, quòd Plato laudatur, quia totam philoſophiam diuiſit in tres partes; & pro eo his utitur Tom.5.

tur verbis: Socrates in actiua excelluiſſe memoratur, Pythagoras verò magis contemplatiuæ, quibus potuit intelligentiæ viribus inſtitiſſe. Proinde Plato utrunque iungendo, philoſophiam perfeciſſe laudatur, quam in tres partes diſtribuit. Vnam moralem, quæ maximè in actione verſatur. Alteram naturalem, quæ contemplationi deputata eſt. Tertiam rationalem, qua verum diſterminatur à falſo. Hæc ille. Quæ etiam traduntur ab Euſebio, de præparatione Euangelica lib. 11. cap. 1. Ecce ergo quòd Auguſtinus ſecundùm Platonem dicit, totam Philoſophiam actiuam, ideſt practicā, ad mores inſtruendos pertinere. Euſtratius quoque in. 6. Ethi. cap. 4. circa principium, habet hæc verba formalia: Aliud eſt actiua, ideſt πρακτικὴ, & aliud actio. Aliud item ποιητικὴ; ideſt effectiua, & aliud effectio. Actiua enim & effectiua habituum, actio & effectio, tractationum atque operationum ſunt nomina. Quare iuxta huius etiam grauiſsimi viri placitum, praxis ad ſolam attinet partem actiuam. Et ita ſola illa pars, verè, propriè, & formaliter practica dicitur & eſt. Hæc autem eſt moralis; vt probauimus. Sola igitur moralis eſt uerè, propriè, & formaliter practica.

Contra Fonſe. & Pererii.

Cuius tamen oppoſitum docet Petrus Fonſeca, in. 2. Meta. cap. 3. q. 2. ſectio. 3.; vbi vult, artem etiam ſcientiam eſſe practicam. Vult etiam praxim extendi ad actum intellectus; at de hoc in quæſtione de praxi diximus ſatis. Hoc idem de practico & ſpeculatiuo ſentit Benedictus Pererius, in libro quem edidit de communibus rerum principijs, libro primo cap. 2.; quo loci, vult practicum extendi ad moralem diſciplinam, Medicinam, & artes Mechanicas; licèt de praxi benè ſentiat. Verum eſt tamen, quòd dicit, ſe praxis nomen latè accipere; quatenus ſcilicet extenditur etiam ad effectionem. Quòd etſi Fonſeca ita loquitur, uterque illorum tolerari poteſt. At nos formaliter loquimur, vt vnicuique attribuamus quòd verè, propriè, & formaliter ſuum eſt, & inde omnem tollamus confuſionem. Siquidem effectio bifariam accipi poteſt; primò, ut eſt præcisè ab intellectu; & ab aliqua potentia organica, membrorum motiua, & vt per ſolam artis rationem dirigitur; & tali pacto non eſt praxis, nec praxis eſt effectio. Secundò ſumitur prout habet eſſe ex imperio voluntatis, & vt dirigitur per rationem mentis practicæ, ſeu intellectus appetitiui; & hoc modo eſt verè praxis imperata; vt etiam diximus ſupra. Dicendo itaque ꝙ praxis extenditur etiam ad effectionem, eſt affirmare, effectionem primo modo acceptam eſſe verè praxim; quod tamen eſt falſum. Etenim una & eadem operatio ſecundùm ſubſtantiam, poteſt eſſe recta & non recta, ad alterum & alterum principium, ad aliam & aliam regulam relata. Quoniam fabricatio unius pulchri, atque optimè proportionati Idoli, poteſt eſſe rectiſsima, ad potentiam organicam, ad mentem factiuam, & ad rationem artis relata; quia in nullo iſtorum inuenietur aliquis error, & ipſum opus erit ſecūdùm artem aptiſsimum. Hæc tamen fabricatio relata ad appetitum, & ad intellectum appetitiuum, pariterq́. ad intentionem, erit operatio minimè recta; quinimmo obliqua & nequiſsima. Quare Ariſto. 2. Ethi. cap. 4. dicebat, quòd non eſt ſimile in artibus & uirtutibus; quoniam quæ ab artibus ſunt, quòd benè & artificiosè effecta ſint, in ſe habent, ex ipſisq́. an ſecun-

dùm

dùm artem, an minimè ſint effecta, ſolemus iudicare; ut ſatis ſit ſi ipſa aliquo modo effecta fuerint. Quæ aũt ſecundùm uirtutes fiunt, requirunt qualiter operans operetur. Primò quidẽ ſi ſciens, deinde ſi eligens; & ſi eligẽs, propter hoc eligat; utpotè propter bonum honeſtum. Nulla igitur ars eſt propriè practica, minuſq. effectio eſt propriè praxis.

Hallucinantur ergo illi, qui Medicam artem inter practicas connumerant. At uerò optimè Hugo de Sancto Victore, qui in Didaſcalicon eam dicit eſſe mechanicam, idq. de mente etiam antiquorum. Sed ſi dicitur practica, non eſt niſi metaphoricè; quemadmodum etiam Ariſtoteles appellat Metaphyſicam prudentiam, in eius proœmio. Idem dicitur etiam de aliquibus alijs artibus, & artificibus, qui metaphoricè dicuntur practici, ſicut & aliqui dicuntur ſapientes apud Ariſtotelem, in memorato loco. Non quod eorum ars ſit ſapientia, ſed quia magis eſt ſimilis ſapientiæ. .1.

Ratio formalis practicæ diſciplinæ.

Ex his modò practicæ diſciplinæ rationem formalem colligamus oportet. Vt ſcilicet perfectio ſit mentis practicæ, conformiter ſe habentis appetitui recto; quòd uerſetur circa res à nobis operabiles; quòd tradat præcepta, regulas, & modum operandi. Ita moralis diſciplina, quoniam uerſatur circa naturam uirtutum, de eiſq. optimè agit; eſt cõformis appetitui recto; perfectio mentis practicæ; ac demum tradit præcepta, regulas, & modum, quibus agere, operari, & uiuere ualeamus. Eſt igitur formaliter practica.

Non autem Geometria, nec Muſica, nequidem ſcientia Naturalis, minuſue doctrina de anima. Omnes enim huiuſmodi ſcientiæ uerſantur & agunt de rebus à nobis operabilibus; ob id tamen practicæ rationem non habent, cùm aliæ deſint conditiones. Prima ſiquidem uerſatur circa pentagonum, triangulum, quadrangulum, & id genus alia, quæ poſſunt fieri à Fabro.

Secunda uerſatur circa notulas, quæ poſſunt fieri à Muſico. Tertia circa aurum, quod ab Alchimiſtis fieri poteſt. Quarta circa humanas actiones. Hæc omnia ex ſe facilè conſtant.

Colligimus etiam ex dictis, ꝙ ſicut datur ordo in rebus, ita etiam in philoſophia & diſciplinis. Inde propterea ſequitur, ꝙ habitus intellectuales .2. (ſi propriè & formaliter, ueluti philoſophantes decet, loqui uelimus) non diuiduntur adæquatè in practicum & ſpeculatiuum, ut eſt arbitratus Benedictus Pererius, opere proximè citato, libro primo cap. 3., ſub finem; at potius in factiuum, actiuum, & contemplatiuum. Nec id analogo repugnat, ut diuiſione trimembri diuidatur; cùm & ens in decem genera ſecetur. De habitu ſiquidem eſt ſermo, in ordine ad obiectum & finem, non prout eſt qualitas; quoniam ſic eſt inter uniuoca numerabilis. Et cùm huiuſmodi habituum intellectualium ſit diſtinctio realis, quòd habitus actiuus contra contemplatiuum realiter diſtinguatur, ſit neceſſariò conſequens. Habitus autem contemplatiuus extenditur ad intellectum, ſcientiam, & ſapientiam; actiuus uerò non niſi ad prudentiã. Relinquitur ergo ꝙ prudentia diſtinguatur realiter ab intellectu, ſcientia, & ſapientia.

Et cùm Moralis diſciplina ſit prudentia, ex conſequenti habitus actiuus & practicus; quí fieri poteſt ut contra ſcientiam non diſtinguatur realiter? Toto igitur Coelo, (ut aiunt) totaq́. Terra aberrant illi, qui practicam diſciplinam uolunt eſſe ſcientiam. Id quod nobis in ſequentibus latius relinquitur exarandum.

Quòd practicæ diſciplinæ, nomine ſcientiæ minimè ſint appellandæ. Cap. 37.

PRæter ea quæ in ſuperioribus dicta fuere, non deſunt Rationes ad oſtendendum practicam diſciplinam non eſſe propriè ſcientiam.

.1. Et primo loco nobis occurrit Euſtratius, in primo Ethi., cap. 1. expoſitione prima, circa finem; quando inueſtigat cur Ariſto. in textu cùm dixerit artem & diſcendi uiam bonum expetere, de ſcientia mentionem nullam fecit. Quo loci pro diſſolutione præinductæ difficultatis tres cauſas aſſignat; & pro tertia in hunc modum effatur; Duo ſunt quæ hominem ad primum bonum reducunt; affectuum, perturbationumq́ue uacatio, & ueritas; quarum altera in actione, altera in ſpeculatione conſiſtit. Quoniam igitur nunc de bono quod eſt in actione agitur, & ſcientia in ſpeculatione & contemplatione uerſatur; nullam hic ſcientiæ fecit mentionem. Hæc ille.

Modò autem ſi in facultate de moribus agitur de bono quod eſt in actione, & ſcientia in ſpeculatione uerſatur, quare Ariſto. nullam fecit ſcientiæ mentionem; ſit neceſſariò conſequens, ut actio & ſpeculatio ſint duo inter ſe ſe realiter diſtincta. Secus nulla eſſet ratio Euſtratij. Mox inde ſequitur, quòd facultas quæ in actione uerſatur, ſit realiter diſtincta ab ea quæ in ſpeculatione & contemplatione uerſatur. Illa autem eſt facultas de moribus, & hæc eſt ſcientia. Facultas igitur de moribus eſt à ſcientia realiter diſtincta. At ſola facultas de moribus eſt uerè, propriè, & formaliter practica; ut probauimus. Relinquitur ergo, & pro comperto habemus, practicā diſciplinam non eſſe ſcientiam.

.2. Amplius; Ariſto. in 6. Ethi. cap. 3., probat ſcientiam diſtingui ab alijs quatuor enumeratis habitibus, tum ex obiecto, tum ex alijs eius proprijs conditionibus; inquiens primò, quòd verſatur circa neceſſaria, ex conſequenti circa æterna; & ita circa ingenerabilia & incorruptibilia. Deinde inquit, quòd ſit ex antecedente cognitione, & ex ſyllogiſmo demonſtratiuo; ſe tandem remittens ad ea quæ in de poſteriori reſolutione notatum reliquerat. In cap. autem quinto eiuſdem libri, probat quòd prudentia ex eo non ſit ſcientia, quia eſt de ijs quæ cadunt ſub conſilio, & deliberatione, quæ poſſunt aliter & aliter ſe habere; ſcientia autem eſt de æternis. Ergo; concludit Ariſtoteles; prudentia non eſt ſcientia. Idemq́. docet de arte, eodem in loco, cap. 4. Quòd autem facultas de moribus ſit prudentia, iam ſatis conſtat ex his quæ diximus. Et hæc ſola eſt practica. Igitur practica diſciplina non eſt ſcientia.

Adhuc;

Adhuc; Ariſtoteles in primo Ethi. cap. 3. apertiſſimè docet, Moralem illam doctrinam non eſſe propriè ſcientiam, quia non eſt demonſtratiua, & à cauſis neceſſarijs, concluſiones minimè deducit; ſed à contingentibus tantùm, vt ſunt actiones humanæ. Arguit nanq. tali pacto: Illa doctrina cuius materia non eſt neceſſaria, ſed uaria, non eſt ſcientia. Moralium autem materia eſt varia. Facultas igitur Moralis non eſt propriè ſcientia. Minorem probat Ariſto., tam ex parte eorum quæ fiunt à nobis, quàm ex parte externarum rerum; quia non omnes homines eodem modo putant iuſta & honeſta. Et quod nunc uidetur iuſtum, alio tempore mutatis rerum conditionibus, non putatur. Et quod nobis videtur iuſtum, non fortè apud Scythas. Ex hoc itaque loco patet etiam, quòd practica diſciplina non eſt ſcientia. 13.

Hoc idem confirmat Ariſtoteles eodem in loco, cap. 7., propè finē. ſub his uerbis. Oportet autē & ea quæ ſupra diximus in memoria habere, & ipſum exactum non in omnibus eodem modo, ſed in ſingulis ut patitur ſubiecta materies, & eouſq. quouſq. ad doctrinam attinet, flagitare. Nam Faber & Geometra, diuerſo modo angulum rectum inquirunt. Alter enim quòd utilis eſt ad opus, alter quidnam ſit, & quale, quidem ipſum inquirit; contemplator enim eſt ueritatis. Idem modus & in cæteris eſt ſeruandus, ne ijſce quæ inſtituimus agere, plura fiant ea quæ fines illorum egrediūtur. Hæc ille. Ex cuius quidem uerbis idem habetur, quod etiam ſupra dixerat in cap. 3.; nimirum q in facultate morali, demonſtrationes exactiſſimas exquirere non oportet; ſed quales exigit ſubiecta materia, de qua loquitur, atq. pertractat; unà cum eius modo procedendi. Huiuſmodi autem materia de ijs eſt, quæ ſæpe fieri ſolent. De illis ergo non eſt exactiſſimè loquendum, at ſecundùm q exigit materia. &c. 4.

Addit exemplum aptiſſimum de Fabro & Geometra ad probandum ſecundum. Nam uterque illorum, angulum rectum conſyderat; diuerſimodè tamen. Quia Geometra quid & quia inquirit de eo, cùm ſit ſpeculator ueritatis; Faber autem, non niſi in ordine ad opus; utpotè ad hoc ut per illū rectè erigat columnam, vel rectum faciat parietem, & aliquid huiuſmodi. Quare ſequitur, quòd Geometria ſit ſcientia; ars autem fabrilis minimè. Et ſi aliter conſideraretur angulus rectus ab iſtis, proculdubio terminos, ſuæq. artis cancellos tranſgrederentur. Conſtat igitur quòd diuerſæ diſciplinæ, diuerſas habent deductiones, iuxta earum diuerſas ſubiectas materias, & modum conſyderandi diuerſum, ſi diuerſæ cùm ſint inter ſe, eandem rem habeant pro obiecto; ueluti conſtat ex præmiſſo exemplo. Moralis autem doctrina uerſatur circa materiam contingētem, minimè autem neceſſariā; & omnia conſyderat in ordine ad actionem, & non ſimpliciter ad ueritatē; quoniam moralia non addiſcimus ut ſciamus; atqui ut boni fiamus. Moralis itaq. doctrina non eſt uerè, proprieq. ſcientia. Quare nec practica diſciplina erit ſcientia. Idem de Morali diſciplina affirmat Euſtratius, in primo Ethi. libro, cap. 3. ad initium, & deinceps.

Amplius: Scientia non eſt uſus cauſa. Non igitur eſt propter aliquod opus. Iam patet conſequutio; quandoquidem opera ſunt uſus cauſa; .5.

vtpotè ad voluptatem, uel ad neceſsitatem.

Id autem quod antecedit eſt Ariſtotelis in procemio Sapientiæ; ubi dicit quòd cæperunt homines philoſophari non cuiuſquam uſus gratia, cùm omnia haberent quæ ad uoluptatem & neceſſitatem faciebant; at ob ſimplicem notitiam & cognitionem. Cùm itaque practica diſciplina ob aliquam actionem, & alicuius ſit gratia uſus, rationem ſcientiæ quomodo ſubibit?

Hanc noſtram ſententiam confirmat Auerro. 2. Meta. commen. 3., &. 6. eiuſdem uoluminis, comm. primo, ſub finem. Et ſi Ariſto. aliquando practicam diſciplinam nomine ſcientiæ nuncupare uideatur, id non niſi latè, impropriè, & communiori uocabulo; ut etiam atteſtatur Alexander in 6. Meta. enarratione. 2. Quòd & ſi hoc idem uolunt docentes practicam diſciplinam eſſe ſcientiam; eo maximè quia Ariſt. in. 2. Ethi. dicit non ſolũ particulares, ſed etiam uniuerſales ſermones de rebus moralibus eſſe parũ certos & exquiſitos; tunc nulla ſit inter nos controuerſia, niſi q nos propriè, ipſi autem impropriè loquuti ſunt; quod candidè philoſophantibus ſatis aduerſari uidetur. Ex his colligamus oportet eos hallucinari, qui de aliqua diſciplina inquirunt & ſiſcitantur nunquid ſit ſcientia, neo ne; & concluſa parte affirmatiua, ulterius exquirunt ſitne practica, uel ſpeculatiua. Illud minimè attendentes, q eſt manifeſta contradictio, aliquam diſciplinam aſſeuerare ſcientiam, ſimul atq. practicam; cùm practicum & ſpeculatiuum ſint penitus diuerſa; veluti demonſtrauimus. Valeat igitur inter alios Ioan-

Cõtra Bacconem. nes de Baccone; qui in prologo primi ſent. q. 4. ar. 4., ex una parte concludit quòd Sacra noſtra Theologia eſt ſcientia una, quemadmodum & Metaphyſica; ex alia uerò parte ſtatuit, ipſam magis practicam eſſe, quàm ſpeculatiuam.

Cõtra Concilia. Nec minus redarguendus uenit Conciliator; qui differentia. 4. vult Medicinam quantùm ad eius primam partem, theoricam eſſe; quantùm verò ad aliam, practicam. Et differentia. 3., illam ſcientiam eſſe decreuit. Quare autem uelit Medicam artem ſcientiam eſſe, hæc eſt ratio; quoniam etſi finalitèr ſanitatem opere faciat adipiſci; id tamen, actionem, ſeu laborem corporeum non importat; ſed qualitatem dicit, & modum operandi. Quæ quidem cùm Medicina generatim doceat, quod ſit ſcientia, & hæc ſpeculatiua; inquit, neceſſariò conſequitur. Hinc dicit, Hugonem de Sancto Victore & Iſidorum eam à longe ſpectaſſe, quando illam inter artes connumerarunt.

Cæterum valde vir iſte decipitur, quoniam ſi ars Medica eſt practica, iam non poteſt eſſe ſcientia; veluti probauimus. Etſi docet qualitatem, regulas, & modum operandi, inde ſequitur q ſit propter uſum & opus; quare non eſt ſcientia, ex ijs quæ diximus. Nec obſtat q tradat eiuſmodi regulas in uniuerſali; quoniam & Moralis diſciplina eodem tramite procedit, nec tamen eſt ſcientia; ut ſatis oſtendimus. Minuſq. eſt practica ipſa Medicina; quandoquidem licèt doceat qualitatem & modum operandi, alijs tamen caret conditionibus, neceſſario ad practicam diſciplinam conſtituendam requiſitis. Cùm igitur nec ſpeculatiua ſit nec practica diſciplina;

quòd ſit

ꝙ ſit ars ſit neceſſariò conſequens. Etenim inter habitus intellectuales nullum alium poteſt ſibi vendicare locum, vt patet.

Sed quòd ſit ars, ex eo adhuc facilè conſtat, ꝙ omnium rerum naturaliũ, ſuarumuè cauſarum notitia atq. cognitio ad Naturalem pertinet Philoſophiam; è qua hauritur quicquid in alijs diſciplinis de natura corporum naturalium dicitur, quemadmodum & ipſi Medici fatentur. Naturalis autem Philoſophus, de elementis tractatum facit ſcientialem; nempe non, vt hominis, ſeu humani corporis materia ſunt, ſed vt materia miſtorum omnium. Necnon de partibus homogeneis, & hæterogeneis, prout animalium partes ſunt, non prout hominis tantùm ſpeculationem habet, ut propoſitiones ſint per ſe & vniuerſales, & inde veram pariant ſcientiam. At uerò Medicus in ſolo corpore humano, minusuè in aliorum animaliũ corporibus, ſanitatem inducere atq. omnino conſeruare intendens, eam totam doctrinam humano corpori accommodat. Qua de re non amplius ſcientialis, at potius artificialis doctrina venit nuncupanda. Vtpotè quæ è naturali Philoſophia hæc omnia deſumens, ab uniuerſali & ſcientiali conſideratione, ad particularem, & artificialem, ea transferre dicitur; quippe operandi, nõ ſciendi gratia. Optimè igitur dicebat Auerr. in 2. lib. Colliget cap. primo; nimirum quòd Medicorum tractationes non ſunt ſcientiales, neque demonſtratiuæ; quia propoſitiones quibus utuntur non ſunt per ſe & vniuerſales; cùm res vniuerſales attribuant ſubiecto particulari.

Id quod etiam confirmari poteſt ex ordine quem ſeruarunt peritiores in deſcribenda huiuſmodi arte. Satis enim in Philoſophia eruditi, alium ordinem ſcientijs, alium artibus conuenire, optimè norunt; ita vt ſcientiæ ordo conueniat compoſitiuus; quemadmodum in Ariſtotelis tota naturali Philoſophia perſpicuum eſt; arti verò reſolutiuus. Quandoquidem artes procedunt ſemper à notione finis ad principia, quibus poſſit finis introduci & acquiri. Propterea Galenus in libro de artis medicæ conſtitutione, dicit Medicinam eſſe ex numero artium effectricium, earumq. omnium conſtitutionem eſſe à notione finis, quam dicit priſcorum Philoſophorum ſententiam fuiſſe. Idq. habet in primo, & penultimo, necnon & ultimo capite memorati libri Galenus igitur profitetur ibi ſe ordinem ſeruare reſolutiuum.

Scribit enim ad Patrophilum, dicitq. in ſuam gratiam duos uelle Commentarios conſcribere; alterum in quo monſtratur quamlibet artem à finis notione, ſuam habere conſtitutionem; alterum vbi oſtendit methodum eam quæ omnes alias artes, ipſam quoque Medicinam conſtituiſſe. Deinde ſubdit: Cùm igitur artium ipſarum aliæ quidem in ſola naturæ rerum contemplatione, quas ſibi propoſuerunt conſyderandas, ſuum habeant finem; vt Aſtrologia & Phiſica. Aliæ edant, præterea, nonnullas actiones, à quibus ceſſantes, nullum permanens opificium oſtendunt, ut ſaltatoria. Aliæ opificium aliquod poſſint oſtendere; ut ars ædificatoria, & fabrilis. Aliæ deniq. nihil efficiant ipſæ, aliquid tamen aucupari conentur; vt Venatoria. Manifeſtum utique eſt, artem Medicam ex effectiuarum genere exiſtere. Habet enim aliquod opificium, quod finita actione poſſit oſtendere. Qua-

re iam operæprecium fuerit, eandem methodum, quam in cæteris factiuis artibus priori commentario tradidimus, ad hanc quam in præſenti conſtituere conamur, transferre; poſito hic quoq. eodem principio, quod in alijs eſt ſtatutum; nempe finis notione. Ita Galenus. Qui in ſubſequentibus docet inchoandum eſſe in arte Medica ab humani corporis conſyderatione, omniumq. eius partium declaratione. Et quemadmodum, inquit, ille qui extruit domum, nunquam cognitionem particularium, niſi ex reſolutione aſſequi poterit, ita nos corporis humani notitiam, ex illius diſſectione conſequimur. Hæc eſt breuibus collecta ſententia Galeni. Quare malè Conciliator, qui artem Medicam volebat eſſe ſcientiam. E diuerſo autem, optimè ſe geſſit Hugo de Sancto Victore, qui antiquiorum ſententię inhærendo, illam ſtatuit artem eſſe mechanicam. Cui etiam aſtipulari videtur Iſidorus, libro Ethimologiarum quarto, cap. 3.

Confirmatur doctrina ex Ariſtó. in. 7. Sapientiæ, ad contextum. 23.; quo loci, docet omnes artes effectrices tradendas eſſe ordine reſolutiuo, qui eſt à notione finis. Hoc eodem ordine traditur ars Medica; erit igitur inter effectrices artes connumeranda. Quare nec ſcientia erit, nec practica diſciplina. Hoc idem docet Auerr. in ſuo libro, qui dicitur colliget, lib. primo. cap. 1., & deinceps. Statutum itaq. modò cùm ſit atq. decretum, practicam diſciplinam minimè ſcientiam eſſe; facilè inde colligendum eſſe, nunquid practicum & ſpeculatiuum, ſint ſcientiarum differentiæ eſſentiales. Cæterùm quia inter Doctores ſunt qui uaria dicant atque diuerſa; idcirco hanc relinquimus difficultatem, ſeorſum pertractandam.

An practicum & ſpeculatiuum ſint differentiæ eſſentiales habitus ſcientifici in communi. Cap. 38.

DIgladiantur deinde inter ſe Doctores, practicum ne ſimul atq. ſpeculatiuum, differentiæ ſint eſſentiales habitus ſcientifici, communiter accepti. Et illorum ſunt, qui ſcientiam bifariam accipi poſſe uolunt; nimirum prout eſt habitus perficiens intellectum, eumq. aptum & promptum reddens ad intelligendum. Et quatenus confertur cum ſuo ſcibili obiecto. Si ſecundùm primam rationem ſumatur, ens utiq. eſt abſolutum. Si uerò iuxta ſecundam rationem conſyderetur, tunc eſt relatiuum; authore Ariſtotele, quintò Sapientiæ, particula. 20. Et iuxta eius ſecundam acceptionem, dicunt practicum & ſpeculatiuum eſſe differentias eſſentiales. Idq. docent Sueſſanus in ſuo dilucidario, libro. 6., diſputatione. 2. & Benedictus Pererius, lib. primo, cap. 3. Primus probat intentũ ex hoc, quia relationes ſunt differentiæ eſſentiales relatiuorum.

Sueſſa. & Pererius.

Secundus uerò, quoniam non accidit ſcientiæ eſſe practicam, vel ſpeculatiuam.

Iauellus.

Iauellus in. 6. Meta. q. 6. tradit ſpeculatiuum & practicum, tùm ex fine, tũ ex obiecto ſumi poſſe. Si primo accipiatur modo, non ſunt differentiæ eſſentiales; quia reſpectus non eſt differentia eſſentialis abſoluti. Si uerò ſecundo

cundo modo conſiderentur, vtiq. ſunt differentiæ eſſentiales; quia diuidūt habitum ſcientificum in communi; & conſtituunt ſpecies ſcientiarum; veluti patet.

Amplius, dicit reſpondendo ad primum argumentum, ꝙ ſpeculatiua nō deſtinguitur à practica per ſcire & non ſcire; ſed per ſcire tantùm, & per ſcire ordinatum ad opus.

Conſimilem doctrinam habet Iandunus in 6. Meta. q. 2., & Antonius andreæ in 6. Meta. q. 2. Paulus quoque Soncinas in 6. Meta., per plures quæſtiones, multa dicit circa huiuſmodi propoſitum, quæ minus uera ſunt. *Iandunus & Antonius andrea.*

Cæterùm quicquid ſit de ijs quæ acceſſoriè dicunt, (non enim noſtrum eſt omnia in præſentiarum diſcutere) hoc tamen vnum uerum eſt, ꝙ omnes quærunt nodum in ſcirpo. Si enim practica diſciplina non eſt propriè neq. formaliter ſcientia, at ſola ſpeculatiua; veluti probauimus; quomodo ſcientia, ſeu habitus ſcientificus erit quid commune ad utranq.? Et ſi non eſt quid commune ad utranq., quomodo practicum & ſpeculatiuum erunt differentiæ eſſentiales diuiſiuæ ipſius, & conſtitutiuæ alterius? Falſum eſt igitur, practicum & ſpeculatiuum, quocunque modo ſumantur, differentias eſſe eſſentiales ipſius habitus ſcientifici. *Paulus Soncinas. Cōtra oēs.*

At ſunt quaſi differentiæ ipſius habitus non abſolutè ſumpti, uerùm ut reſpicit tantùm actiuum & ſpeculatiuum. Habitus enim in ſe & abſolutè cōſideratus, diuiditur in factiuum, actiuum, & ſpeculatiuum; quemadmodum in ſuperioribus reliquimus demonſtratum. Et hæc omnia ſubdiuiduntur. Speculatiuum, in Metaphyſicum, Phyſicum, & Mathematicum. Actiuum, in Ethicum, AEconomicum, & Politicum; licèt actiuum latiùs ſumatur, ita tamen vſus obtinuit, vt ad ſolam Moralem propriè referatur. Factiuum uerò, in lanificium Agriculturam, & id genus alia. Inter huiuſmodi autem ſunt qui uelint non omnes artes quarum opus eſt in agendo, mechanicas eſſe nuncupandas; at eas tantùm, quæ manibus & labore non paruo ipſum opus conſtruunt. Quare Doctores qui uoluerunt Medicam artem inter Mechanicas eſſe connumerandam, impropriè loquuti ſunt, & extenſo uocabulo. Quemadmodum igitur habitus eo modo ſecatur atq. diuiditur, ita etiam ſecatur ens pariterq. diuiditur in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, &c. Quæ quidem omnia ſubdiuiduntur; ut liquido conſtat. Si quis ergo inquireret nunquid ſubſtantiuum (ita liceat loqui) & quantitatiuum ſint differentiæ eſſentiales ipſius ſubſtantiæ, nonne quærerent nodū in ſcirpo? Sed accedamus ad alia.

Quòd practica diſciplina non habet quòd ſit propriè talis ab obiecto ſed a fine. Cap. 39.

DIſputatur deinde ab omnibus ferè Doctoribus nūquid practica diſciplina ſit propriè & formaliter talis ab obiecto, uel à fine. Ioannis de Baccone in primo Theologicarum ſententiarū. q. 4. prologi, ar. 1., dicit quæſtionem hanc nullam eſſe; quoniam in practicis ea- *Baccone.*

dem

dem eſt ratio finis & obiecti. Formalis nanq. ratio finis, eſt ratio boni; & hæc eſt eadem ratio obiecti in practicis. Scientia enim moralis non eſt ut ſciamus, uerùm ut boni efficiamur; authore Ariſtotele, in .2. de moribus, cap. 2.

Iauellus. Iauellus autem in .6. Meta. q. 5. docet oppoſitum, & Ioannem impugnat de Baccone. Inquit enim primò, ꝙ ſcientia poteſt eſſe practica dupliciter; in habitu ſcilicet atque in actu. Prima uia dicitur practica ſcientia, quæ licèt ſit ordinabilis ad opus, actu nihiloſecius minimè ordinatur. Sicut ille, qui ſcientiam addiſcit medendi, non tamen mederi intendit. Secunda uerò via dicitur practica; quæ ex modo conſiderandi & ex propoſito ordinatur ad opus. Quemadmodum ille qui ſcientiam politicam addiſcit, intendens regere & gubernare Ciuitatem. Dicit ſecundò, ꝙ ſcientia habet ꝙ ſit practica in habitu & uirtualiter, ſiue radicaliter, & primò, ab obiecto. Perfectè autem, ſiue actu, ab ipſo fine, intentioneq. operandi. Vnde neutrum iſtorum per ſe ſolum ſufficit, ad reddendam, conſtituendamq. ſcientiam practicam in actu, ſiue perfectè. Ex conſequenti ſi quis habet artem, ſeu ſcientiam medendi, ſine intentione & propoſito medendi, illa ſcientia non eſt practica niſi uirtualiter, & radicaliter. Si quis uerò illam habeat cū tali propoſito, practica eſt formaliter, in actu, atq. perfectè.

Ex quibus Ioanni de Baccone contendit facere ſatis, diſtinguendo de obiecto; adæquato nempe, & principaliter intento. Doctrina Ioannis uera eſt; inquit; de obiecto ſecundo modo accepto, non autē de obiecto primo modo ſumpto; de quo tamen ipſi loquuntur in titulo quæſtionis. Quæ quidem ex his apparet non uana, ſed ponderanda; inquit Iauellus.

Pererius. Conſimilem doctrinam tradit Benedictus Pererius, lib. primo, cap. 3. in calce. Et ratio eſt; inquit; quoniam diſtinctio finium practicæ & ſpeculatiuæ ſcientiæ, oritur ex diſtinctione obiectorum. Vnde niſi eſſet obiectum à nobis operabile, non eſſet finis. At non contra recurrit oratio. Propterea; inquit; Ariſt. modò ex fine; vt in .2. Sapientiæ ad contextum .3.; modò ex obiecto; ut in .6. & in .11. eiuſdem uoluminis, eas diſtinguit.

Contra utrumq. Verumenimuerò grauiſſimi iſti uiri decipiūtur ualde in hac parte, (mea quidem cenſura) licèt magis Iauellus quàm Pererius. Quandoquidem ille ponit neceſſariam eſſe intentionem operandi in ſciente, ad hoc ut ſcientia, ſeu diſciplina ſit practica; iſte autem minimè. Duo igitur dicit Iauellus; alterum eſt, ꝙ diſciplina dicitur & eſt practica uirtualiter ab obiecto; à fine autem in actu & perfectè. Alterū uerò, ꝙ neceſſariò requiritur intentio operandi in ſciente, ad hoc ut ſit practica.

Pererius autem dicit ꝙ eſt practica ab obiecto radicaliter & originatiuè; à fine autem perfectè. Aduerſus itaque primum Iauelli, dictum, & Pererij ſententiam, huiuſmodi pono concluſionem.

Pr. cõclu. Diſciplina ſumit rationem practici formaliter & propriè à ſolo fine.

Aduerſus ſecundum dictum Iauelli aliam pono cōcluſionē, quæ talis eſt:

2. conclu. Ad hoc vt aliqua diſciplina ſit uerè, propriè, formaliter, & perfectè practica, nulla requiritur intentio operandi in ſciente; ſed omnia habet à proprio fine.

Propri-

Pro primæ concluſionis probatione, illud mihi aſſumo quod tradit Ariſto. in 2. auſcultatorio libro, contextibus. 11. & 12.; ubi docet quòd unũquodque dicitur & eſt tale, inquantùm eſt formaliter & actu tale. Lignum enim non dicitur ſcamnum quia eſt lignum, ſed quia habet formam ſcamni. Quo ſtante, hanc ſubſumo minorem propoſitionem: Ratio autem formalis à qua deſumit diſciplina quòd ſit practica, eſt tota à fine, minimè autē ab obiecto. Igitur concluſio uera. Minor propoſitio ex his facilè deducitur, quæ docet Ariſtoteles in primo de poſteriori reſolutione; ꝙ ſcilicet una ſcientia diſtinguitur ab alia, per id quo eius obiectum ſibi redditur proprium; per rationem ſcilicet formalem. Et hoc ideo, quia ratio materialis poteſt eſſe pluribus communis.

Nulla eſt autem ratio formalis obiecti practicę diſciplinæ ſibi intrinſeca, qua diſtinguatur ab alijs, ſed totum hoc habet à fine. Igitur. &c.

Adhuc minor probatur; quoniam ſicut ſubiectum, ſeu obiectum ſpeculatiuæ & ueræ ſcientiæ, per rationem formalem ita reſtringitur ut ſit ei proprium, & nulli alteri commune; ita obiectum practicæ diſciplinæ à fine ita reſtringitur, quòd nulli alij poteſt eſſe commune. Finis igitur eſt ratio formalis quare ſit practica. Eius quod antecedit ſecunda pars, ſeu ſimilitudo ex eo facilè conſtat, quòd homo, ſiue anima humana, eſt obiectum Moralis diſciplinæ. De his autem conſyderat etiam Naturalis philoſophia. Sunt igitur communia hæc Moralidiſciplinæ atque Naturali philoſophiæ. Quare ſe habent ſicuti ratio materialis obiecti utriuſque diſciplinæ. Atqui ratio formalis quare homo, ſiue anima humana cadat ſub cōſyderatione phyſicæ diſciplinæ, illa eſt quoniam uel eſt pars, uel principium corporis naturalis. Ergo pari paſſu, ratio formalis quare anima humana ſit obiectum, & cadat ſub conſyderatione Moralis diſciplinæ, eſt ut generet & efficiat uirtutes in ea. Hic autem eſt finis præfatæ diſciplinæ: ut patet. Erit igitur quoque ratio formalis quarę dicatur & ſit propriè, perfectè, & formaliter practica.

Præterea. In ſpeculatiuis, & quæ ueræ ſcientiæ ſunt, obiectum duas habet partes, materialem uidelicet atque formalem, qua una ſcientia diſtinguitur ab alijs; & utraq; illarum proponitur ut exiſtens, & ut ipſum obiectũ ſcientiæ conſtituens atque perficiens. Ergo pari ratione, ſi obiectum practicæ diſciplinæ haberet aliquid formale, quo ab alijs diſtingueretur diſciplinis, profectò eſſet in eo exiſtens, quemadmodum & in ſpeculatiuis. Hoc autem non eſt; quia formale eſt efficiendum, ſicuti uirtus in anima. Obiectum igitur practicæ diſciplinæ non eſt in cauſa ut ea ſit practica: at illud qđ efficitur in eo. Iſte autem eſt finis. Igitur finis eſt tota ratio quare ſit practica. Vnde ſi quis diceret Medicam artem ſcientiam eſſe practicam, eiuſque obiectum eſſe corpus humanum ut ſanandum, uolens quòd ex his tanquam ex duabus partibus, materia ſcilicet & forma, eiuſmodi obiectum conſtitueretur; impropriè & minus appoſitè loqueretur: ut patet: cùm ſanitas nondum ſit, corpore humano exiſtente ſanando. Propriè tamen loqueretur, ſi diceret alteram duntaxat partem obiectum eſſe, nempe humanum corpus; alteram uerò, non obiectum, ſed finem; ſcilicet

ſani-

ſanitatem. Quæ quidem cùm propria ſit illius artis, corpus uerò humanum ſit quoddam commune, uel poſſit eſſe, ad alias artes & diſciplinas; ſequitur q; per illum finem reſtringatur ad artem Medicam, & ex conſequenti finis ille ratio ſit formalis, dans eſſe tali diſciplinæ & arti. Diſciplina igitur practica habet obiectum ſibi neceſſarium, veluti cauſam materialem, & ſine qua non; finem verò, ut cauſam formalem dantem ſibi eſſe; cùm nihil habeat eſſe niſi per formam; ex Ariſto. 2. Phyſicorum. Quare non habet q; ſit practica ab obiecto radicaliter, neque in habitu, ſed omnia habet à fine. Secus ita etiam de ſcientijs propriè dictis & acceptis dicere poſſemus; q; ſcilicet à ratione materiali obiecti haberét radicaliter, quòd eſſent talis uel talis ſpeciei, à ratione autem formali, perfectè.

3\. Amplius: Scopus diſciplinæ ſpeculatiuæ, eſt proprij obiecti perfecta cognitio; ut ſcilicet eius omnia principia, & accidentia propria cognoſcãtur. Diſciplinæ autem practicæ ſcopus non eſt ſcire, at operari. Idcirco obiectum ei ad operandum, minimè autem ad ſciendum, proponitur. Vt ſcilicet in ipſo forma aliqua, quæ eſt finis ipſius diſciplinæ, generetur et fiat; ut Moralis Philoſophus uirtutes in anima humana, Medicus ſanitatem in corpore humano, Faber formam clauis in ferro; ſi nomen praxis ad huiuſmodi etiã artes, cum alijs extendere uelimus. Cùm enim ſubſtantiam aliquã per aliquem intellectus noſtri habitum facere minimè ualeamus, atqui ſolummodo accidentia ipſa; propterea neceſſe eſt, nobis aliquam materiam proponi, quæ ſit apta ad illam formam ſuſcipiendam; quoniam ex nihilo nihil fit. Et ideo illa materia eſt obiectum; non ad ſciendum, ſed ad operandũ; quia hac unica ratione proponitur, ut in ea aliquid efficiatur. Quamobrem, illius propoſiti ſubiecti non eſt neceſſaria perfecta cognitio; ſed tanta quanta ſufficit ad talem finem conſequendum. Quo fit, ut multoties à practico non ſciantur principia ſui obiecti, ſeu ſubiecti. Veluti Moralis Philoſophus non cognoſcit perfectè animæ humanæ partes, proprietates, &c., nec eſt ei neceſſaria huiuſmodi cognitio; authore Ariſto. primo Ethi. cap. ultimo. Et ſi loquamur de arte cuius opus eſt in efficiendo, patet etiam, q; Faber naturam ferri ignorat, multaſq; eius proprietates; cùm ad introducendam in eo formam clauis, minimè ſint neceſſariæ, ut ſciantur ab eo. Sed quędam ferri, eiuſq; accidentium, rudis ei ſufficit cognitio. Cùm igitur ſubiectum practicæ diſciplinæ ſit tanq̃ materia, finis uerò tanq̃ forma, propter quam illa requiritur materia, itaq; ſi forma poſſet introduci ſine ea, nullatenus proponeretur; ſequitur q; finis tantùm ſit tota ratio, quare diſciplina aliqua dicatur, & ſit practica.

4\. Adhuc: Si cum Iauello & alijs quamplurimis, uelimus etiam ad artes nomen praxis extendere, nunc in hunc modum erigamus rationem: Scientiæ ſpeculatiuæ non diſtinguuntur ab inuicem, niſi per rationem formalem ſui obiecti. Et practicæ diſciplinæ non diſtinguuntur niſi per finem; cùm earum ſubiectum poſſit eſſe pluribus commune, ut probatum eſt. Earum igitur tota ratio formalis eis dans eſſe, deſumitur à fine. Qui quidem finis, cũ diſciplinam practicam conſtituat, quemadmodum obiectum, ipſam ſpeculatiuam; inde factum eſt, ut Ioannes de Baccone formaliter loquendo, ut

philoſophum

philoſophum decet; dixerit finem & obiectum practicæ idem eſſe. Eſt tamen impropria & metaphorica loquutio, ſi dicamus finem eſſe obiectum practicæ diſciplinæ; cùm finis & obiectum ſint inter ſe diuerſa.

Quare nec Ioannes de Baccone optimè ſe geſſit in hac parte. Philoſophia nanq. Moralis hominem animalem habet pro ſubiecto; pro fine autẽ uirtutes, ſeu bonas actiones. *Obiectum & finis diſtinguntur.*

Amplius: Finis habet aliqualem ſimilitudinem cum ſubiecto, & etiã aliqualem diſſimilitudinem. Similitudo eſt, ꝙ ſicuti de ſubiecto præcognoſcitur quid nominis, ita etiam de fine. Impoſſibile nanq. eſt ꝙ aliquem finem conſequamur, niſi prius noſcamus quid per eius nomen importetur. Diſſimilitudo autem eſt, quoniam de ſubiecto præcognoſcitur quia eſt; de fine autem minimè. Quia non ut exiſtens, ſed ut à nobis generandus proponitur. .2.

Præter hæc; ſubiectum habet principia & accidentia; & etiam finis; diuerſimodè tamen; & ita diuerſimodè in arte conſyderantur. Etenim accidentia ſubiecti ſpeculatiuæ diſciplinæ, demonſtrantur de ipſo ſubiecto, ex eiuſdem principijs. Vnde principia ſubiecti ſunt termini à quibus, accidentia uerò ſunt termini ad quos: Quoniam in ſcientijs, à principijs ad accidentium demonſtrationem progredimur. In practicis autem, quædam ſunt ipſius finis proprietates & accidentia, quorum cognitio confert ad principiorum cognitionem, ſeu inuentionem. Quædam uerò quæ conducunt ad ipſius finis uſū. Si igitur loquamur de primis, ecce diſſimilitudinẽ; quia accidentia ſubiecti demonſtrantur de eo per eius principia. At ipſius finis accidentia precognoſcuntur cum eo, ut inde colligantur principia, ex quibus conſtruatur. Non igitur ex principijs ſuis accidentia demonſtrantur de fine; at potius per ea, ipſius principia declarantur. Si autem de ſecundis uerba faciamus, quanquam ad principiorum notitiam non conferant, ad bonum tamen uſum conferunt ipſius finis. Propterea hæc nequidem de fine demonſtrantur, at potius eius iam inuenta principia conſequuntur. .3.

Quòd ſi iuniores hæc minus attingunt, exemplum deſumamus ab arte, & hæc ſit ædificatoria. In qua quidem, ita procedimus, ut ſi illam aliquem docere uelimus, proprietates quaſdam, quas domus habitura eſt, abſq; vlla probatione accipiamus neceſſe eſt, ut plenam ipſius finis notitiam habentes, meliùs illa principia quæ ad talem finem; domum nempe; conducunt, inueſtigare & inuenire ualeamus. Et principijs inuentis ex quibus domus conſtruatur, debet etiam artifex de vſu domus ſermonem habere, eaſq. proprietates declarare, quarum cognitio ad eius uſum conferat. Hæc itaque accidentia conſequuntur principia inuenta; illa uerò prima, definitionem ipſius finis. Quare & cum ipſo fine præcognoſcuntur. Ex his igitur patet, ꝙ finis in practica diſciplina non poteſt dici ſubiectum, niſi impropriè & metaphoricè. Ioannes itaq. de Baccone licèt impropriè ſit loquutus, à formali tamen ratione nomen deſumpſit, & ab ea rectè uoluit practicam diſciplinam denominari.

Nec huic noſtræ declarationi obſtat ꝙ Ariſtoteles modò à fine, modò *Reſponſio*

ab

ad Pers. ab obiecto, huiuſmodi diſtinguat diſciplinas. Quoniam ab obiecto, non niſi ut ex eo tanq̃ à notiori, finis innoteſcat. Ex hoc enim φ aliqua diſciplina uerſatur circa aliquod obiectum à nobis operabile, ſequitur ſtatim φ ſit ob aliquem finem producendũ & conſequendum: & ex conſequenti quòd ſit practica.

Probatio ſecunda Concluſionis. Ex his etiam patet probatio ſecundæ concluſionis. Iam enim eſt manifeſtum, φ ſolus finis eſt totalis ratio quare diſciplina dicatur & ſit practica; itaq; nec obiectum concurrit, niſi ueluti cauſa ſine qua non. Igitur multò minus intentio ſcientis.

Notādū. Et hæc omnia intelligenda ſunt de fine intrinſeco ipſi diſciplinæ, non autem de extrinſeco. Pro cuius notitia animaduertendum uenit, φ omnes candidè philoſophantes, diſciplinæ ſpeculatiuæ & practicæ in hunc modũ diſcrimen aſſignant; φ ſcilicet ſpeculatiua eſt illa per quam cognoſcimus tantum & ſcimus, talisq́. cognitio ad nullum eſt opus ordinata. Practica uerò eſt illa, cuius cognitio ordinatur ad opus; itaq; quòd non addiſcimus per eam, niſi ut operemur. Et hoc diſcrimen declarauit Auerr. 2. Meta. comm. 3. ubi dicit: Per ſpeculatiuam ſcimus, ut ſciamus; per practicam ſumus ſcientes, ut operemur. Quo fit, ut finis ſpeculatiuæ ſit ueritas, practicæ uerò actio ipſa; ut etiam docuit Ariſto. 2. Sapientiæ, contex. 3. Cæterùm utriuſque finis in duplici uerſatur diſcrimine; quidam enim intrinſecus eſt, quidam uerò extrinſecus. Primus eſt, in quem ex ſui natura ordinatur ipſa diſciplina; ueluti philoſophia in ueritatem, & Moralis in uirtutes, ſeu bonas actiones. Extrinſecus autem eſt ille, quem ſibi ſtatuit addiſcens. Quemadmodum ſi quis addiſcat Philoſophiam, uel aliquam ſcientiam ſpeculatiuam, ut lucretur. Aut Moralem diſciplinam, ut ſciat tantùm, non ut bonus efficiatur. Et loquendo de artibus quarũ opus eſt in agendo, ſeu (ut aiunt) de effectricibus; ſi quis addiſcat artem ædificandi ut ſciat, non ut ædificet. Finis itaque extrinſecus non conſtituit diſciplinam ſpeculatiuam, neque practicam; at ſolum finis intrinſecus. Et intelligitur ſemper de fine principaliter intento, non de proximo & immediato; neque de alio in quem poſſet ordinari principalis. Quod dico propter practicam; cuius finis immediatus eſt cognitio, principalis autem operatio. Et ſi eius finis principalis ordinaretur in alium, ille alius eſſet etiam extrinſecus. Id quod noto, propter eos qui praxim etiam ad artes extendunt. Vnde cùm ars ædificatoria habeat pro fine ipſam domum, & domus ipſa in habitationem ordinetur, illa profectò habitatio erit finis extrinſecus; cùm non ſit ab AEdificatore principaliter intenta. Et hæc de practicis diſciplinis mihi dicta ſint ſatis. Reliquum eſt modò, ut eò redeat unde digreſſa eſt oratio noſtra; inquirendo ſcilicet an Dei ſcientia practica ſit, uel ſpeculatiua.

Num ſcientia Dei reſpectu aliorum à ſe practica ſit, an potius ſpeculatiua.

Cap. 40.

Illis determinatis quæ pro notione cognitionis Dei Benedicti neceſſaria ſunt; illud non eſſe prætermittendum nonnulli arbitrantur, an huiuſmodi cognitio quam de rebus habet ipſe Deus, ſit ſpeculatiua, uel practica. Quod quidem quæſitum à diuerſis pertractatur Theologis; & his quidem egregijs; præcipuè à D. Tho. prima par. q. 14. ar. 16. Quo loci habet, quòd aliqua ſcientia eſt ſpeculatiua tantùm, aliqua ſolummodo practica, aliqua uerò medio modo ſe habens; quia eſt ſecundùm aliquid practica, & ſecundùm aliquid ſpeculatiua. Pro cuius declaratione notat, quòd aliqua ſcientia poteſt dici ſpeculatiua tripliciter; nempe ex parte obiecti, ex parte modi, & ex parte finis. Primo modo illa ſcientia dicitur ſpeculatiua, in qua de rebus pertractatur, quæ non ſunt operabiles à nobis; quemadmodum eſt ſcientia, quam habet homo de rebus naturalibus, uel diuinis. Secundo modo eſt ſpeculatiua ſcientia, quando quis conſyderat operabilia à nobis, modo ſpeculatiuo, & non applicando formam ad materiã. Vtpotè ſi ędificator conſyderet domum definiendo, diuidendo, & ſecundùm eius prædicata uniuerſalia; non autem ſecundùm q eſt operabilis. Tertio modo ſcientia illa dicitur ſpeculatiua, quando res cõſyderatur à nobis operabilis, quo ſcilicet modo fieri poſſit, eam in finem operationis minimè ordinando. Veluti ſi ædificator conſideret qualiter poſſet fieri domus, nihil ordinans ad finem operationis, ſed omnia ad cognoſcendum tantùm. Ex hoc præexpoſito antecedente, infert D. Tho. ſuum principale intentum; quòd nimirum aliqua ſcientia eſt ſimpliciter ſpeculatiua, aliqua ſimpliciter practica, & aliqua ſecundùm quid practica, & ſecundùm quid ſpeculatiua. Quoniam ſpeculatiua ex obiecto, eſt ſpeculatiua tantùm. Speculatiua ex modo tantùm, aut ex fine tantùm, eſt ſecundùm quid practica, & ſecundùm quid ſpeculatiua. Propterea quòd ſpeculatiua ex modo tantùm, ex practica ratione obiecti; quia eſt à nobis operabile; eſt autem ſpeculatiua ratione modi conſyderandi; quia obiectum conſyderatur modo ſpeculatiuo; ut dictum eſt. Speculatiua uerò ex fine tantum, eſt practica etiam ratione obiecti; quoniam eſt à nobis operabile, & eſt ſpeculatiua ratione finis, quia ſciens non ordinat obiectum, nec eius conſyderationem in finem operationis; atqui utrunque ad cognoſcendum tantùm. Quæ uerò nullo iſtorum modorum eſt ſpeculatiua, relinquitur quod ſit ſimpliciter practica; nempe ex obiecto, ex intentione operandi, & ex ipſo fine.

Ex hoc itaq. proceſſu reſpondet quæſito D. Tho. inquiens; Scientia Dei de ſeipſo eſt ſpeculatiua tãtũ; quia ipſe nõ eſt operabilis. Sciẽtia aũt quã ha

bet de alijs à ſe, eſt practica ſimul atque ſpeculatiua, diuerſa tamen ratione, Speculatiua quidē, quia omnia nouit modo ſpeculatiuo; ſcilicet quid ſint, qualia ſint. &c. Item habet Deus ſcientiam ſpeculatiuam de ijs quæ facere poteſt, at ſecundùm nullum tempus facit; ſpeculatiuam; inquam; ex parte finis, non ex parte obiecti; propterea eſt etiam uirtualiter practica; inquit Caietanus. De his uerò quæ aliquando fiunt, habet Deus ſcientiam ſimpliciter & actu practicam. Hæc eſt ſententia. D. Tho. Ex qua quidem hæc per ordinem colliguntur.

.1. Primò, ꝙ praxis extenditur, etiam ad artes.

.2. Secundo, ꝙ intentio ſcientis, ſiue intentio agendi concurrit ad conſtitutionem practicæ diſciplinæ; & ꝙ hæc eſt ſcientia.

.3. Tertiò, ꝙ diſciplina habet ab obiecto ꝙ ſit uirtualiter practica,

.4. Quartò, quòd obiectum, intentio agendi, & finis, conſtituunt formaliter, perfecte atque ſimpliciter practicam diſciplinam. Et forte iſte locus fuit in cauſa ꝙ Iauellus à ueritate deuiauerit. Sed nos in præcedentibus omnia reiecimus.

.1. Veruntamen Caietanus nonnihil in medium affert, quod relinquitur diſcutiendum. Et primò dicit, ꝙ practicum & ſpeculatiuum eo in loco ſumitur à .D. Tho., non ſolùm ut ſunt conditiones ſcientiæ ſecundùm ſe, at etiam ex parte ſcientis. Et propterea cùm dicit Beatus Thomas, ꝙ ars domificatiua non intendens domificare eſt ſpeculatiua ex fine, practica autem ex modo & obiecto; intelligendum uenit de fine ex parte ſcientis, non ipſius ſcientiæ.

.2. Secundò notat, ꝙ practica dicitur tripliciter. Primò ex obiecto, modo, & fine, etiam ſcientis; & hæc eſt tantùm practica. Secundò ex obiecto, modo, & fine ſcientiæ, non ſcientis; & hæc eſt uerè practica. Sed. D. Tho. appellat eam ſecundùm quid ſpeculatiuam, nempe ex parte finis ſcientis. Tertiò ex obiecto, ſed nō modo neque fine ſcientiæ; & hæc eſt etiam ſecundùm quid practica, ſcilicet ex parte obiecti; & ſecundùm quid ſpeculatiua, nimirum ex modo & fine ſcientiæ; quia ſe concomitantur. Cùm enim aliquid practicè ſcitur, ex ſe ad opus ordinatur, & è contra.

.3. Tertium quod notat illud eſt, ꝙ per ſpeculatiuum ex modo tātùm; id eſt de obiecto operabili, modo ſpeculatiuo conſiderato, non intelligitur ſcientia de operabili in uniuerſali; ſed de operabili, ſerutans quid eſt &c.; ut dicit. D. Tho. in littera; non autem quo modo res fiat. Quoniam talis cognitio non ſpectat ad artifices, ſed ad philoſophos; qui cùm ſciant quid eſt cithara, aut domus; ſcientiam tamen illam faciendi non habent. Hæc ſunt quæ notat Caietanus; ex quibus arbitratur, ſe omnibus occurriſſe difficultatibus, quæ aduerſus. D. Tho. emergere poſſent.

Cōtra Caietanum. .1. Cæterum in proprietate & formalitate rei, atque ſermonis perſiſtendo, adhuc non ceſſat difficultas. Quandoquidem id quod primo loco dicebat, unum falſum à nobis reiectum includit; nimirum ꝙ finis extrinſecus, ſeu ex parte ſcientis, conſtituit practicam diſciplinam. Inquit enim, quòd practicum ſimul atque ſpeculatiuum ſumitur à .D. Tho., non ſolùm ut ſunt conditiones ſcientiæ ſecundùm ſe, at etiam ex parte ſcientis.

Intentio igitur operandi in ſciente, qui eſt finis ipſius, aſt practicæ diſci-
plinæ finis extrinſecus, concurrit ad eius conſtitutionem; cuius oppoſitum
oſtendimus ſupra.

Amplius: Cōcedit Caietanus in hoc ſuo primo notando, practicum & .2.
ſpeculatiuum eſſe conditiones ſcientiæ ſecundùm ſe. Vult igitur practicam
diſciplinam eſſe propriè ſcientiam. Quod tamen eſſe falſum, in ſuperiori-
bus demonſtrauimus.

Item: Si ſpeculatiuum nedum ſumitur ut eſt conditio ſcientiæ ſecundū .3.
ſe, uerùm etiam ex parte ſcientis; inde fit neceſſariò conſequens, ut intentio
ſcientis valeat ad conſtituendam ſcientiam. Cuius tamen oppoſitum mul-
tis in locis clamat Ariſtoteles. Nouimus enim unamquamque ſcientiam
conſtitui per rationem formalem ſui proprij obiecti. Id quod etiam docuit
Caietanus, tum in prima par. Summæ Theologiæ. D. Tho., tum in primo li-
bro de poſteriori reſolutione. Sed hæc nota ſunt.

Deficit etiam idem Caietanus in eius ſecundo notando, cùm uelit practi- .4.
cam diſciplinam ſumi tripliciter. Quoniam ſupra iam oſtenſum eſt, huiuſ-
modi diſciplinam propriè & formaliter non conſtitui, niſi à fine ſibi intrin-
ſeco. Quare unico modo, & non tripliciter ſumitur. Vt ſolùm illa dica-
tur & ſit practica diſciplina, cuius cognitiò ordinatur ad opus.

Ad hæc: Sola Moralis diſciplina eſt uerè, propriè & formaliter practica; .5.
veluti in præmiſſis oſtendimus. Ipſe autem nomen praxis ad omnes artes
extendit. Impropriùs igitur, minusq. formalis, eius redditur ſermo. Cùm
tamen in tota ferè ſua doctrina, admodum innuet, ut Philoſophi pariterque
Theologi, formaliter loquantur ſemper.

Accedit quòd ego non uideo quo modo ſeipſum à contradictione uin- .6.
dicare ualeat. Etenim ex una parte dicit atque concedit, intentionem ſci-
entis concurrere ad conſtituendam practicam diſciplinam. Alia uerò ex
parte dicit, quòd cùm aliquid practicè ſcitur, ex ſe ordinatur ad opus. Hęc
autem, duo claudunt inter ſe pugnantia. Igitur. &c. Media probatur: Pro-
ptereaquòd ſi obiectum practicæ diſciplinæ inquantùm huiuſmodi, habet
ut ex ſe ordinetur ad opus; qui eſt finis intrinſecus ipſi diſciplinæ; non er-
go requiritur finis extrinſecus, & interio ſcientis, ordinātis ipſum ad opus.
Quandoquidem quod eſt per ſe tale, non eſt tale per aliud. Dicere nanq.
Socratem per ſe moueri, & non moueri niſi per alium, eſt contradictio ma-
nifeſta.

Hallucinatur deinde Caietanus in 3. notando, cùm ait artificem non cō- .7.
ſiderare quid eſt, & id genus alia de ſuo obiecto; at id ſpectare ad philoſo-
phos. Non enim animaduertit cuiuſque artis duas eſſe partes; unam do-
centem, quæ cognitionem tradit ipſius artis; alteram uerò, quæ ex cogni-
tione operatur. Doctrina eſt Ariſtotelis, 7. Sapientiæ, ad contex. 23. Pars
autem illa docens, ſui obiecti definitionem, diuiſionem, qualitates, & id
genus alia, quæ ad eius ſufficientem cognitionem faciunt, optimè nouit.
Proptereaque ubicunque eſt uerum & falſum, ibi poſſumus uti Logica facul-
tate, cùm ipſa inſtrumentum ſit & organum, cuius finis eſt diſcernere uerum
à falſo. In omnibus autem artibus uerum & falſum, eorumque cognitio, lo-

cum habent; quoniam in eis eſt affirmatio & negatio; & quælibet noſtræ mentis cognitio, ſimulq́. affirmatio quælibet, uel negatio, uera eſt aut falſa. In omnibus itaq. artibus, Logica uti poſſumus facultate. At hæc modum tradit definiendi, diuidendi, cæteraq́. alia cognoſcendi, quæ ad quamlibet artem pertinere noſcuntur. Eapropter Ariſtoteles in memorato loco habet, ꝙ artifex in ſuo artificio procedit modo reſolutorio. Quoniam primò intelligit finem, ſecundò intelligit ea quæ ſunt ad finem; & ſemper reſoluit vnum ad aliud de his quæ ſunt ad finem, donec ad illud perueniat, quod eſt ultimò intellectum; & ab eo incipit operationem. In huiuſmodi autem modo reſolutorio, definitio habetur, ſimul atq. diuiſio, tum finis, tum obiecti cuiuſlibet artis. Id quod manifeſtè habetur in Morali diſciplina, quam tradens Ariſtoteles modo & ordine reſolutiuo; ut optimè conſtat; definitionem aſſignat beatitudinis, uirtutis, omniumq́. illorum definitionẽ tradit, pariterq́. diuiſionem & alia, quæ ad perfectionem attinent illius facultatis. Dicit tamen libro primo cap. 3., non eſſe in ea diſciplina quærendas exquiſitas demonſtrationes; ſed tales, quales ſubiecta poſtulat materia. Debemus enim; inquit; eſſe contenti, ſi pingui quadam minerua, & figurata adumbratione uerum oſtendamus. Veritatem igitur ſe traditurus aſſerit, de eligendis ac fugiendis rebus. Habita nihiloſecius huiuſmodi ueritate, ob id nondum aliquid agimus; licèt aptiores ad benè agendũ, per eam cognitionem reddamur. Actio nanque cognitionem ſequitur, & eſt extra morales libros conſtituta. Ecce igitur cuiuſque facultatis traditæ modo reſolutorio, duas partes principales; docentem ſcilicet, & quæ ex cognitione operatur.

Inde Auerroes in ſuo libro qui dicitur Colliget, docens artem Medicam eſſe tradendam ordine reſolutiuo, dicit eam in tres tractationes eſſe diuidẽdam, hoc ordine diſpoſitas; ut in prima agatur de ſubiecto, in quo eſt operandũ. In ſecũda de fine tractetur, quẽ vult artifex in ſubiecto illo efficere. In tertia demum inquiramus inſtrumenta, quibus finem illum in eo ſubiecto efficere ualeamus.

Hæc autem ſunt ipſa principia, ex quibus, ſeu per quæ artifex operatur. Quare in eis definit artis doctrina, & ab eis incipit operatio. His itaq. ſtantibus, liquidò conſtat, ꝙ ars etiam ædificatoria duas huiuſmodi habet partes. Quare poteſt ædificator uti Logica facultate, ex conſequenti definitione, diuiſione, & id genus alijs, in tradenda arte ædificatoria; non autem in operatione, atq. domus conſtructione. Primam igitur partem ipſius artis non conſiderans Caietanus, illam uoluit ad Philoſophos ſpectare. Cùm tamen nullus ſit Philoſophus, qui artificialia per ſe conſideret. Vel enim eſſet Mathematicus, qui ſemper quantitatẽ præ oculis habet; uel Naturalis, qui ſola natura cõſtantia ſpeculatur; aut Metaphyſicus, qui diuina contẽplatur.

Et iſta pars artis quæ dicitur docens, ea eſt quam ipſe Caietanus cum D. Tho. ſpeculatiuam ſecundùm modum appellat; cùm tamen ſit purè atque ſimpliciter practica. Nomen praxis cum eis nunc etiam ad artes extendendo. Non igitur omnes difficultates è medio ſuſtulit, uerùm potius eas auxit ipſe Caietanus.

Conſimilem

Conſimilem doctrinam habet cum D. Tho. Richardus de Media uilla, in primo ſent. d. 35. q. 5. & eſt omnibus ferè communis; hac unica ratione, quia nomen practicæ ad omnes artes extendunt, & finem, ſeu intentionem ſcientis, uolunt practicam conſtituere diſciplinam. Quæ tamen omnia reprobauimus formaliter loquendo; ſed ipſi extenſo ſunt uſi uocabulo, ut eorum facilior redderetur doctrina. Hanc ob cauſam in primo ſent. d. 39. q. 2. ar. 1. dicit D. Thomas, quod ſcientia quam habet Deus de rebus creatis; eſt quaſi practica. Vt Ly (quaſi) dictio ſit modificatiua; *Richardus*

Nos autem principale noſtrum inſtitutum proſequentes, corde & ore profitemur diuinam ſcientiam eſſe omnino unam, ſimpliciſſimam, atque perfectiſſimam, cum in Deo præter diuinarum perſonarum Trinitatem, nulla reperiatur diſtinctio realis, at uirtualis duntaxat, & actualis ex parte intellectus noſtri ratiocinantis, qui in plura ſeiungit, quæ omnimoda unitate gaudent. Propterea & ſi diuina ſcientia re ipſa ſit ſimpliciter una, ſub diuerſa tamen ratione, diuerſimodè nuncupari poteſt. Vt modò intellectus appelletur, modò ſcientia, aliquando ſapientia, quandoque prudentia, ars, præſcientia, prouidentia, prædeſtinatio, necnon & reprobatio. Idq; ob eius celſitudinem, & eminentiam. Cuius ratione, intellectus noſter illa ſummè unita ſeiungendo non redditur falſus, quia ſic enunciati, uirtuale fundamentum exiſtit. Quo quidem ſtante, ſub diuerſis rationibus de una eademq; re, diuerſa uerè & propriè enunciat intellectus noſter. Vt diuina ſcientia dicatur intellectus, quatenus Deus ipſe Benedictus naturam ſuam, & ſeipſum intelligit, qui eſt omnium principium. Dicitur poſtea ſcientia, quatenus cognoſcendo ſeipſum, tanquam per ueram, propriam, & immediatam cauſam, alia cognoſcit. Sapientia deinde nuncupatur, prout cognoſcit naturam ſuam eſſe; quæ inter omnes cauſas altiſſimum ſibi uendicat locum. Prudentia ulterius dicitur, prout alia in ſuum ultimum ordinat finem. Quoniam Deus non ſolùm producit res ſecundùm ſubſtantiam, ſed etiam ordinat eas in finem ipſarum. Artis nomine meritò etiam appellatur, inquantum inſtar exemplarium ſuorum res ipſas producit. Vnde Sapientiæ .7. Omnium artifex docuit me ſapientia. Præſcientia quoque dicitur, quatenus eſt futurorum cognitio. Prouidentia verò, prout eſt ratio ſiue cognitio, & directio, ſiue diſpoſitio rerum prouiſarum in ſuum finem; & eſt principalis pars prudentiæ. Prædeſtinatio demum ac reprobatio, quatenus eſt diſpoſitio naturæ intellectualis in proprium finem, & hunc ſupernaturalem; nempè in æternam felicitatem; uel in æternam miſeriam. His ita conſtitutis, atque in hunc modum præexpoſitis, reliquum eſt ut iuxta eorum ſenſum, ad clariorem, ampliorem que intelligentiam; nonnullas ponamus concluſiones per ordinem; quarum prima talis eſt. *Opinio propria.*

Cognitio qua Deus ipſe Benedictus ſeipſum, ſimul atque creaturas cognoſcit, eſt ſpeculatiua; ex conſequenti uerè & propriè ſcientia. *Prima Concluſio.*

Probatur. Finis enim ſcientiæ propriè acceptæ eſt ueritas, & à proprio obiecto trahit originem; quemadmodum in præcedentibus oſtendimus. Præmiſſa autem Dei cognitio ita ſe habet. Conſequens igitur fit, ut ueræ, propriæq; ſcientiæ rationem habeat.

ni. Media ex eo liquidò conſtat, quoniam illa cognitio quam habet Deus de ſeipſo, non ordinatur ad opus, & ſeipſum per ſeipſum cognoſcit, ueluti ab omnibus receptum eſt. Cognitio igitur qua ſeipſum cognoſcit Deus, eſt ſpeculatiua. Atqui ſub eadem ratione ſcientiæ, ſeipſum cognoſcit & creaturas; quoniam eas reſultatiuè cognoſcit. Cognitio igitur quam ſimpliciter habet de creaturis, eſt ſpeculatiua.

Confirmatur doctrina; quandoquidem ſcientia Dei reſpectu creaturæ, non eſt propter ipſius creaturæ productionem; cùm ſcientia Dei nobilior ſit ipſa creatura, & eius productione; quoniam finis nobilior eſt his quæ ſūt ad finem. Practica autem diſciplina, ſeu cognitio practica ordinatur ad opus. Quare noſtra manet firma concluſio. Nec obſtat quod creatura ſit à Deo producibilis. Quoniam illud non ſufficit ad conſtitutionem cognitionis practicæ, nec ab obiecto, ſed à fine conſtituitur practica diſciplina; ueluti oſtendimus ſupra.

Item: Sola prudentia conſtituit intellectum practicum, quemadmodū demonſtrauimus in præcedentibus. Cognitio autem qua Deus ſeipſum cognoſcit & ſimpliciter creaturas, non habet rationem prudentiæ, nec alicuius eius partis. Igitur non poteſt conſtituere intellectum practicum; & ex conſequenti nec ipſa habet rationem practicæ.

Secunda Concluſio. Secunda concluſio eſt hæc: Cognitio quam habet Deus de creaturis, ſub ea ratione formali qua ſunt ab eo producibiles, non habet rationem practicæ notitiæ, ſed artis.

Probatur: Quoniam illa cognitio uel habet rationem ſcientiæ, uel prudentiæ, uel artis. Non ſcientiæ; quia cùm notitia illa ſit cauſa rerum accedente uoluntate, ipſam determinante; ueluti in ſuperioribus oſtendimus ſatis; ſequeretur tunc omnem ſcientiam eſſe cauſam.

Amplius: Finis ſcientiæ eſt ueritas. Finis autem huiuſmodi cognitionis eſt opus. Non igitur habet rationem ſcientiæ.

Nec prudentiæ. Quoniam munus prudentiæ eſt ordinare creaturas in ſuum ultimum finem. Quare creaturas ipſas præſupponendo, non poteſt earum eſſe cauſa. Relinquitur ergo q; habet rationem artis.

Id quod etiam omnes fatentur noſtri Sacri Theologi; & præcipuè D. Tho., primo ſen. d. 38. q. 1. ar. 1.; & d. 39. q. 2. ar. 1. & alibi. Sed etiam illud conſtat ex Sacris Diuiniſq; Eloquijs. Sapientiæ ſiquidem. 7. dicit Salomon: Omnium artifex docuit me Sapientia. Et cap. 8. Si autem ſenſus operatur, quis horum quæ ſunt, magis q̄ illa eſt artifex? Habet igitur cognitio illa rationem artis, non ſcientiæ, neque prudentiæ. At non ſequitur: Habet rationem artis; ergo eſt practica. Quoniam oſtendimus ſupra quòd ſola prudentia eſt propriè practica. Vnde Beatus Thomas in primo theologicarum ſenten., d. 39. q. 2. ar. 1. optimè dicebat, q; Deus ſcientiam habet quaſi practicam de rebus creatis.

Tertia Concluſio. Tertia Concluſio ita ſe habet: Cognitio qua Deus Benedictus ordinat creaturas in ſuum ultimum finem, habet rationem prudentiæ; & hæc eſt practica.

Probatur: Quoniam prudentia eſt recta ratio agibilium, authore Ariſto-

tele.6.Ethi.cap.5.; unde illi dicuntur prudentes, qui ſunt ad conſultãdum apti. Nunc ſic: Vbicunq. eſt conſilium, ibi eſt prudentia. In Deo eſt conſilium. Igitur in Deo eſt prudentia. Maior eſt Ariſtotelis, & minor probatur ex .D.Apoſtolo,qui ad Epheſios primo,dicebat: Qui operatur omnia,ſecundùm conſilium uoluntatis ſuæ. Et licèt in Deo non ſit conſilium, prout inquiſitionem importat;eſt tamen in Deo ut dicit terminum conſilij,qui eſt rectitudo iudicij, ad quam conſultantes inquirendo perueniũt. Modò autem ipſius prudentiæ proprium eſt,ordinare alia in eorum finem; hoc atteſtante Ariſtotele,ſuo libro de moribus,loco proximè inducto.Relinquitur ergo,ꝙ illa cognitio qua Deus ordinat creaturas in ipſarum finẽ, habeat rationem prudentiæ. Et hæc fuit prima pars noſtræ concluſionis.

Quòd uerò eiuſdem concluſionis ſecunda pars uera ſit & certa; nempe ꝙ illa cognitio habeat rationem practicæ, patet ex dictis; quibus probauimus ſolam prudentiam eſſe practicam.

Hæc ſunt quæ de diuina ſcientia, necnon & præſcientia habuiſſe uolui: De qua quidem multa dixi,& quamplurima notaui, propter maledictos hæreticos, & præcipuè Armacanum, & Albanenſes. Primus nanque fuit Hibernicus, & floruit anno à CHRISTO nato, 1360.; Gabriele atteſtante Prateolo. Et referente VValdenſe, lib.primo,art.1.cap.29., viginti annorum ſtudio, hoc argumentum nunꝗ ſoluere nouit: Deus præſciuit, prophetauit, uel aſſeruit hoc eſſe futurum. Ergo hoc eſt, fuit, uel erit. Iſta conſequentia eſt bona; antecedens eſt neceſſariũ abſolutè; Ergo & conſequens. Nunꝗ; inquit Thomas VValdenſis; ſoluere nouit, niſi dicendo cõtra mores catholicos, ꝙ CHRISTVS errare poſſet, & totam Eccleſiam fallere. Sed quid dicendum iuxta catholicam ueritatem,iam ſatis conſtat.

De ſecundis verò dicit Prateolus, ꝙ inter reliquos qui ab orbe condito extitere diuinæ doctrinę corruptores, fuerunt ſceleratiſſimi; & emerſerunt circa annum Domini .796. Iſti maledicti uoluerunt Deum non præſcire ex ſe aliquod malum, ſed per aduerſarium ſuum; uidelicet Dæmonem. Verùm & iſtis noſtris temporibus non deſunt qui de Dei preſcientia malè ſentiant. Sed abeant omnes in malam crucem, & nos huic ſecundo libro iam finem imponamus.

LIBRI SECVNDI DE DEI PROVIDENTIA

FINIS.

REVE-

rle.6.Ethic.cap.5.; unde illi dicuntur prudentes, qui ſunt ad conſiliandum apti. Nunc ſic: Vbicunq; eſt conſilium, ibi eſt prudentia. In Deo eſt conſilium. Igitur in Deo eſt prudentia. Maior eſt Ariſtotelis, & minor probatur ex D. Apoſtolo, qui ad Ephesios primo, dicebat: Qui operatur omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Et licet in Deo non ſit conſilium, prout inquiſitionem importat; eſt tamen in Deo ut dicit terminum conſilii, qui eſt rectitudo iudicii, ad quam conſultantes inquirendo perueniſt. Modo autem ipſius prudentiæ proprium eſt ordinare alia in eorum finem; hoc atteſtante Ariſtotele, ſuo libro de moribus, loco proxime inducto. Relinquitur ergo, quod illa cognitio qua Deus ordinat creaturas in ipſarum finē, habeat rationem prudentiæ. Et hæc ſuit prima pars noſtræ concluſionis.

Quód uero eiuſdem concluſionis ſecunda pars uera ſit & certa, nempe quod illa cognitio habeat rationem practicæ, patet ex dictis; quibus probauimus illam prudentiam eſſe practicam.

Hæc ſunt quæ de diuina ſcientia, necnon & præſcientia habuiſſe uolui: De qua quidem multa dixi, & quamplurima notaui, propter maledicos hæreticos, & præcipue Armacanum, & Albanenſes. Primus namque fuit Hibernicus, & floruit anno à CHRISTO nato, 1360. Gabriele atteſtante Prateolo. Et referente VValdenſe, lib. primo, art. 1. cap. 29., uiginti annorum ſtudio, hoc argumentum nunquam ſoluere nouit: Deus præſciuit, prophetauit, uel aſſeruit hoc eſſe futurum. Ergo hoc eſt, fuit, uel erit. Iſta conſequentia eſt bona: antecedens eſt neceſſarium abſolute: Ergo & conſequens. Nunquam inquit Thomas VValdenſis, ſoluere nouit, niſi dicendo contra maiores catholicos, quod CHRISTVS errare poſſet, & totam Eccleſiam fallere. Sed quid dicendum iuxta catholicam ueritatem, iam ſatis conſtat.

De ſecundis uero dicit Prateolus, quod inter cæteros qui ab orbe condito exſtitere diuinæ doctrinæ corruptores, fuerunt ſceleratiſſimi: & emerſerunt circa annum Domini .796. Iſti maledici uoluerunt Deum non præſcire ex ſe aliquod malum, ſed per aduerſarium ſuum, uidelicet Dæmonem. Verum & iſtis noſtris temporibus non deſunt qui de Dei præſcientia male ſentiant. Sed abeant omnes in malam crucem, & nos huic ſecundo libro iam finem imponamus.

LIBRI SECVNDI DE DEI PROVIDENTIA

FINIS.

REVE-

REVERENDI ADMODVM SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PHILOSOPHI PRAESTANTISSIMI, *LACTANTII DOMANINII MANTVANI, CARMELITÆ,*

DE DIVINA PROVIDENTIA LIBER TERTIVS.

IN QVO DE PHILOSOPHIA, SEV SAPIENTIA HVMANA, ET REVELATA PERTRACTATVR.

Præfatio.

QVAMPLVRIMIS diebus & annis iacuit animus meus mœrore oppreſſus, malorum hominum liuorem atq; maleuolentiam conſiderans; quod nempe ijs impediuntur, ne à certo & vero ſenſu iudicare valeant. Aduerò hac me non mediocriter cogitatio confirmauit, quod impetum proditorum hominum virtus Spiritus Sancti frangit, reprimit, atq; retundit. Siquidem Arnoldus à Villanoua, olim medicus inſignis, at poſtea Hæreticus, omnem prorſus philoſophiam condemnando, dicebat quod omnes Theologi, qui Philoſophiam immiſcuerunt operibus ſuis, non rectè hac in re fecerunt. Et huius rei teſtimonium locupletiſſimum dicunt Nicolaus Eymericus, in ſuo directorio, parte. 2., q. 11.; Prateolus de ſectis Hæreticorum, libro primo, cap. 6 9.; necnon & Sebaſtianus Medices, in Summa omnium hæreſum, cap. 128. In hanceandem ſententiam venit maledictus Caluinus; qui in illa ſua peſtilentiſſima

tiſſima inſtitutione Chriſtianæ Religionis, cap. 13. 18. & 19. cùm dixit Scholaſticos Theologos docere Miſſam eſſe ſacrificium; infert quæ ſequuntur: Valeant, inquit, ipſi cum ſpinoſis ſuis argutijs; quæ licèt vtcunq; cauillando defendi queant; ideo tamen repudianda ſunt bonis omnibus, quòd nihil quàm (vera claritati) multas tenebras inducunt. Ita vir ille maledictus, eodem referente Prateolo, in memorati voluminis libro tertio, cap. 4.; cùm tamen philoſophia, aliaq; ſcientiæ & artes, hominibus ſint à Deo reuelatæ, & inde vt optimæ ſint, neceſſario ſequatur. Id quod in ſequentibus demonſtrare intendimus.

Quòd per creaturas, Dei cognitio habeatur.

Cap. Primum.

ANTIQVIORES iuxta Platonis dogmata philoſophantes, lumen, eiuſq. naturam perueſtigantes, dixerunt illud eſſe actum quendam, & imaginem perſpicuam intelligentiæ. Alij uoluerunt lucem in Coelo ſenſum eſſe, atque radios paſſim è luce protendere; & ſic ſingula perſentire ſicq. facere ſingula, faciendoq. ſentire. Fuerunt etiam dicentes lumen eſſe quandam ſpeciem ignis; quia tres ponebant ſpecies ignis; nempe carbonem, flammam, & lumen. Empedocles aſſerebat lumen eſſe corpus protenſum de Coelo ad terram. Atqui Democritus dicebat lumen eſſe quaſdam corporum athomalium deciſiones, defluentium à corpore lucido. Veruntamen Ariſtoteles in 2. de anima libro, particula 69. lumen huc in modum definiuit: Lumen autem eſt actus huius perſpicui, ſecundùm q eſt perſpicuum. Vnde quidam collegerunt, q ſicut nil notius lumine eſt quantùm ad eſſe, & nil eo ignotius quantùm ad quid eſt; ita Deo quantùm ad eſſe nil notius eſt. Nil, contra, obſcurius, q̃ quid ſit Deus. Eapropter varij de Deo varia ſenſerunt. Siquidem Thales mileſius eum mente dixit, qui ex aqua cuncta creauit. Anaxagoras mentem infinitam dixit, ſeipſam mouentem. Criſippus naturalem vim ratione præditam, & diuinam neceſſitatem appellauit. Zeno naturalem, diuinamq; legem nuncupauit. Cleantes & Anaximenes aerem eſſe dixerunt. Hermes triſmegiſtus Deum in hunc modum definiuit: Deus eſt Sphera infinita, cuius centrum eſt ubiq., circunferentia nuſq̃.

Caſſiodorus tamen ſuper Pſal. 3. dicit, q non poteſt Deus ſubſtancialiter per genus & differentias definiri. Et Damaſcenus primo libro de Orthodoxa Fide, cap. 4., Deum non eſſe corpus efficaciter probat multi-

plici ratione; quarum prima eſt: Nullum corpus eſt infinitum, interminatum, infiguratum, intangibile, inuiſibile, ſimplex, incompoſitum. Clauditur enim corpus omne ſua ſuperficie, figuraq́; determinatur, ſenſu perceptibile eſt & compoſitum. Deus autem eſt infinitus, interminatus, infiguratus, intangibilis, inuiſibilis, ſimplex, & incompoſitus; ut ex Sacræ Scripturæ teſtimonio non operoſum eſſet deducere. Igitur Deus non eſt corpus. Alias quinque rationes inducit, quas miſſas facio; Et D. Patris Auguſtini teſtimonio idem confirmo, qui Soliloquiorum libro, cap. 31. in hunc modum effatur; Ego erraui ſicut ouis quæ perierat, quęrēs te exterius, qui es interius, & multum laboraui quærens te extra me, & tu habitas in me, ſi tamen ego deſiderem te. Circumiui uicos & plateas ciuitatis huius Mundi quærens te, & non inueni, quia malè quærebam foris quod eras intus. Miſi nuncios meos omnes ſenſus exteriores, ut quærerem te, & non inueni, quia malè quærebam. Video enim; lux mea Deus; qui illuminaſti me, quia malè te per illos quærebam, quia tu es intus, & tamen ipſi ubi intraueris neſciuerunt. Nā oculi dicunt, ſi coloratus non fuit, per nos non intrauit. Aures dicunt, ſi ſonitum non fecit, per nos non tranſiuit. Naſus dicit, ſi non oluit, per me nō venit. Guſtus dicit, ſi non ſapuit, per me non introiuit. Tactus etiam addit, ſi corpulentus non eſt, nihil me de hac re interroges. Non iſta igitur ſūt in te; Deus meus; non enim ſpeciem corporis, non decus temporis, non cādorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarum cantus, & quæcunque dulce ſonantia, non florum & unguentorum, uel aromatum odores, nō mella, uel manna guſtui delectabilia, non cætera ad tangendum, uel amplexandum amabilia, nec omnia alia ſenſibus his ſubiecta quęro, cùm Deum meum quæro. Hæc ille. *Tom. 9.*

Quare longè melius alijs præinductis Philoſophis Cicero ſenſit, atq; Virgilius. Ille nanque dicebat: Nec uerò ipſe Deus qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera ſegregatione ab omni concretione mortali. Iſte uerò, mentem & ſpiritum ipſum appellat, inquiens:

Spiritus intus alit, totamq́; infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

At uerò confuſa adhuc & terminata loquutio, quæ & Angelis partim facilè conuenire poſſet. Idcirco libro ſuo de Myſtica Theologia, cap. ultimo, oſtendit D. Dionyſius Areopagita, q nil intelligibilium eſt, qui intelligibilis omnis rei author eſt, inquiens: Rurſus autem aſcendentes dicimus, ut neque anima eſt, neque ſenſus; neque imaginationem, aut opinionem, aut rationem, aut intelligentiam habet; neque ratio eſt, neque intelligentia, neque dicitur, neque intelligitur; neque numerus eſt, neque multitudo, neque ordo, neque magnitudo, neque paruitas, neque æqualitas, neque ſimilitudo, neque diſſimilitudo, neque ſtat, neque mouetur, neque agit quietem, neque uirtutem habet, neque uirtus eſt, neque lux eſt, neque uiuit, neque uita eſt, neque ſubſtantia eſt; neque ſeculum, neque tempus,

neque

neque tactus eſt ipſius ſpiritalis, neque ſcientia, neque ueritas eſt, neque regnum, neque ſapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas aut bonitas; neque ſpiritus eſt, quantùm ſcire ipſi poſſumus, neque filij, neque patris eſt denominatio, neq. aliud aliquid ex ijs, quę nobis aut alteri cuiquã in mundo eſt cognitum; neque aliquid eorum quæ non ſunt, neque eorum quæ ſunt, eſt; neque ea quæ ſunt illam ſciunt; ſicut ipſa eſt; neque ſcit ipſa quæ ſunt, ſicuti ſunt; neque ſermo ipſius eſt, neque nomen, neque ſcientia, neque tenebræ, neque lux eſt; neque error, neque ueritas; neque eſt ipſius ulla omnino poſitio, neque ablatio. Hæc ille.

Deus igitur nec eſt corpus, nec mẽs, minusq́; ſpiritus definibilis, nequidem à priori (ut aiunt) cognoſcibilis, nec totaliter à nobis perceptibilis. Idcirco Dionyſius Carthuſianus, præmiſſa exponens uerba, inquit: In propoſitionibus Miſticæ Theologiæ; cùm dico: Deus non eſt ens, nec eſſe, neque eſſentia, nec uiuens, nec uita. Item; Deus non eſt Vnus, nec Vnitas, nec Trinus, nec Trinitas, nec Sapiens, nec Sapientia, nec Virtus, neq. Omnipotẽs, nec Verus, nec Veritas. In his & cõſimilibus propoſitionibus non eſt pura priuatio, quę locũ nõ hẽt in ĩuariabili Deo. Nec pura negatio; alioqui nõ plus eſſet dicere: Deus nõ eſt uerus, nec ueritas, &c. quã Deus nõ eſt Chymæra, neq. nõ Chymæra; vel q̃ dicere: Chymæra, neq. Chimæra. Immo in huiuſcemodi ꝓpoſitionibus negatiuis, relinqtur, ac ſupponit̃, ſeu ꝑſupponitur poſitio, & affirmatio aliqua, ſenſusq́; poſitiuus; utputà ꝙ Supergloriosiſſimus, & Supereſſentialiſſimus Deus, eſt ens, & eſſe, atq; eſſentia; & Deus, ac Deitas, unus, & unitas, trinus, & trinitas, uiuens & uita, ſapiens, ac ſapientia, infinitè ſublimius, perfectius, & glorioſius, q̃ capere ualemus. Itaquod nihil horum intelligimus, concipimus, intuemur ſecundùm naturam & modum, quibus in ipſo eſt, & ei cõuenit, & eſt quod ipſe eſt; quia nihil horum intelligimus quantùm ad quid eſt, & à priori, aut in ſeipſo; ſed ex ſuis effectibus, & in illis, & quantùm ad quia eſt; putà à poſteriori. Ita Dionyſius. Et Damaſcenus in memorato loco dicit; cùm dico Deum eſſe incorporeum, hoc non eſt ſubſtantiæ eius definitiuum; ut neque ingenerabile, ſine principio, inalterabile, & incorruptibile. Hæc enim non eius quid eſt ſignificant, ſed quid non eſt. Atqui oportet eum qui vult alicuius ſubſtantiam aſſignare, quid eſt dicere; non quid non eſt. De Deo tamen quid eſt ſecundùm ſubſtantiam dicere, impoſsibile; conuenientiusque de Deo longè eſt per omnium ablationem facere ſermonem. Hæc ille.

Vnde Ioannes de Gerſon in ſuo tractatu de Myſtica Theologia dat exẽplum de Sculptore, qui ex ligno uel lapide abradens, format agalma pulcherrimum; ideſt ſimulacrum; per ſolam ablationem. Conformiter ſpiritus remouens omnia per abnegationem, quæ hic poteſt cognoſcere, quæ ſuam utique ſecum gerunt imperfectionem, uel potentialitatis, uel dependentiæ, uel priuationis, uel mutabilitatis, inuenit omnibus his ablatis, tandem pulcherrimum Dei agalma, ideſt notitiam rei actualiſſimæ ſine potentialitate, ſupremæ ſine dependentia, perfectæ & purę ſine priuatione, neceſſariæ ſine contingentia. Non igitur mirum, ſi in illa ſua omnium creaturarum profundiſſima perſcrutatione, Deum ipſum Benedictum affirmã-

do non

do non inuenit Diuus Pater Auguſtinus, quando in memorato loco in hunc modum effatur: Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua ſero te amaui, & tu intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa quæ feciſti deformis irruebam. Mecum eras, & ego tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ eſſe non poterant niſi in te. Circumibam enim omnia quærens te, & propter omnia derelinques me. Interrogaui Terram ſi eſſet Deus meus, & dixit mihi quòd non, & omnia quę in ea ſunt, hoc idem confeſſa ſunt. Interrogaui Mare & Abyſſos, & Reptilia quæ in eis ſunt, & reſponderunt; Non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos eum. Interrogaui ſtabilem aerem, & inquit vniuerſus aer cum omnibus incolis ſuis; Fallitur Anaximenes, non ſum ego Deus tuus? Interrogaui Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas, Neque nos ſumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus his qui circumſtant fores carnis meæ, dicite mihi de Deo meo quod vos noſcitis, dicite mihi aliquid de illo. Et clamauerunt omnes voce grandi, ipſe fecit nos. Interrogaui proinde Mundi molem, Dic mihi ſi es Deus meus, an non? Et reſpondit voce forti, Non ſum; inquit, ego, ſed per ipſum ſum ego, quem quęris in me, ipſe fecit me, ſuper me quęre eum, qui regit me, qui fecit te. Interrogatio Creaturarum, profunda eſt cōſideratio ipſarum, reſponſio earum, atteſtatio ipſarum de Deo; quoniam omnia clamant, Deus nos fecit. Quoniam, vt ait Apoſtolus; Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, à creatura Mundi intellecta conſpiciuntur. Rom. 1. Hæc ille. Quibus patet, quòd ex illa ſua omnium creaturarum profundiſſima conſideratione, non potuit conuincere ipſius Dei eſſentiam, ſeu definitionem. Habuit tamen quòd eſt Omnipotens, AEternus, Incomprehenſibilis, Immenſus, Immortalis, Inenarrabilis, Imperſcrutabilis, & Innominabilis. Id quod probat D. Apoſtoli teſtimonio. Cuius quidem verba exponens Beatus Pater Ambroſius, inquit; Notitia Dei manifeſta eſt ex mundi fabrica. Tom. 9. Vt enim Deus, qui natura inuiſibilis eſt, etiam à viſibilibus poſſit ſciri, opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, vt per certum incertum poſſit ſciri; vt per hoc quod cæteris impoſſibile eſt, ille eſſe Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit. Quia cùm per ſe potentia & maieſtas Dei, creaturæ oculis aſpici non poſſint, opere mundanæ fabricæ intellecta conſpiciuntur. Hęc ille, paucis interpoſitis. Et apud Eſaiam cap. 6. ita legimus: Seraphim ſtabant ſuper illud; ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Quo loci Beatus Hieronymus ita notatum reliquit: Tom. 4. In Cherubim oſtenditur Dominus; in Seraphim ex parte oſtenditur, ex parte celatur. Faciem enim & pedes eius operiunt, quia & præterita ante mundum, & futura poſt mundum ſcire non poſſumus; Sed media tantùm, quæ in ſex diebus facta ſunt, contemplamur. Hactenus Beatus Hieronymus. Vt per faciem Domini velatam, notet diuinam eſſentiam nobis eſſe incognitam, neq; à nobis contemplari poſſe; atqui medijs creaturis, aliqualem de ea habere cognitionem atque notitiam.

Quibus aſtipulatur id quod Exodi habetur cap. 33. quando ſcilicet Moſes cum Deo facie ad faciem loquebatur, ſicut loqui ſolet homo cum amico ſuo, & ei inter loquendum dixit: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi teipſum. Cui reſponſum eſt: Faciem meam non videbis, ſed poſteriora mea videbis. Quem quidem locum exponens Rupertus Abbas in Exodum lib. 4. cap. 35. ait: Si Deus erat cum quo loquebatur facie ad faciem, (ſupple tu, Moſes,) cur ſe petebat uidere quem videbat? Sed hac eius petitione colligitur, quia eum ſitiebat per incircumſcriptam naturę ſuę claritatem cernere, quem iam coeperat per quaſdam imagines uidere; ut ſic ſuperna eſſentia mentis eius oculis adeſſet, quatenus ei ad æternitatis viſionem, nulla imago creata temporaliter intereſſet. Hæc ille. Ex quo perquam clariſſimè conſtat, quòd licèt per creaturas perfectam de Deo cognitionem habere minimè valeamus, ex eis tamen aliquas eius poſſumus conuincere proprietates. Propterea dixit Dominus Moſi: Faciem meam non videbis; quia Deum nemo vidit vnquam; ſed poſteriora mea videbis. Nempe effectus & opera mea; ex quibus imperfectam mei aliquam poteris cognitionem arguere. Vnde Nicolaus de Lyra dicebat; Et videbis poſteriora mea; id eſt concedam tibi cognitionem mei, imperfectam tamen; ſicut aliquis videns hominem à parte poſteriori, cognoſcit ipſum eſſe hominē, non tamen cognoſcit quis ſit, ſcilicet Socrates, vel Plato, vel huiuſmodi. Hæc autem Dei cognitio imperfecta, non eſt niſi per creaturas; quemadmodum vnico ore docent vtriuſque Eccleſiæ Sacratiſſimi Theologi. Et præſertim D. Pater Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia, lib. 1. cap. 1. vbi ait: Atque Deum, diuinamq; virtutem, coeleſtes quidem illæ ſubſtantiæ (quippe quæ ſpiritus ac mentes ſunt) intelligunt, iuxta quod eis fas eſt; nos autem viſibilibus imaginibus ad diuinas intelligentias pro virium noſtrarum modo, conſcendimus. Et vt verè ac propriè dixerim, vnum quidem eſt quod appetunt omnes, qui vnius ſpeciem præ ſe ferunt; ſed non vno modo, eius quod vnum atque idem eſt, participes fiunt; verùm vt cuique pro merito ſortem diuina & æquiſſima libra diſtribuit. Huic doctrinæ ſubſcribit Diuus Iuſtinus, Philoſophus & Martyr, in quæſtionibus Græcanicis, quæſtione 6. inquiens: Vnde perſpicuum eſt an omnino ſit Deus? Reſponſio. Ex rerum ſtatu & permanſione. Nec enim eſſent quæ ſunt, niſi Deus eſſet ante ea, qui partes omnes creaturæ vt opus erat, ad vtilitatem totius creaturæ conſtituit. Hoc idem fatetur Tertullianus libro primo aduerſus Marcionem, capite 18. ſub his verbis: Nos definimus Deum primò naturâ cognoſcendum, deinde doctrinâ recognoſcendum; naturâ ex operibus, doctrinâ ex prædicationibus. Duo igitur ſunt modi quibus de Deo non plenam neq; perfectam, at magis minusq; perfectam cognitionem conſequi poſſumus. Alter quidem naturalis, ſupernaturalis alter. Ille ex rebus effectis; quibus poteſt homo deuenire in cognitionem vnius Dei, eiusq; bonitatis, omnipotentiæ, ſimplicitatis, prouidentię, & huiuſmodi. Iſte verò ex diuina reuelatione; qua poteſt cognoſcere homo Deum eſſe trinum & vnum, alterā perſonam aſſumpſiſſe naturam humanam vnione hypoſtatica, cæteraq; alia no-

.1. Joan. cap.4.

Tom.3.

ſtræ

Religionis ſumma myſteria. Et hanc ob cauſam operæpretium fuit, nobis iſta per Verbum Dei reuelari. Quod quidem, primò per Prophetas, deinde per ipſum filium Dei, eiuſque Apoſtolos, ad omnium ſalutem eſt factum. Vnde ſatis appoſitè, qui dixerunt de Deo ſicut de lumine, quòd ſemper nil notius ei quoque quantum ad eſſe, & nil obſcurius quantum ad quid eſt. Primum quidem facilè cognoſcitur; propterea Cicero lib. 1. de natura Deorum, tres tantum ad ſua tempora uſque fuiſſe refert, qui dubitarint an Deus eſſet. Nulla enim fuit unquam tam effera, & barbara natio, quæ Deum neſcierit habendum. Secundum autem eſt impoſſibile, cùm Deus ſit incomprehenſibilis, quemadmodum reliquimus probatum. Quòd verò ſit trinus & vnus, quòd Filius ſit incarnatus, & id genus alia, non niſi per diuinã reuelationem habentur. Quòd demum ſit vnus, ſimpliciſſimus, æternus, & huiuſmodi, naturaliter cognoſcitur. Naturalis autem iſta cognitio non habetur, niſi mediante laborioſo admodum, & longo diſcurſu. Et iſte ad humanam attinet philoſophiam. Quare humana philoſophia verum docet de Deo. Perperam igitur, & temerè eam damnant nugatores hæretici: cùm non damnanda, at ſemper veniat honoranda; veluti in ſequenti relinquitur demonſtrandum.

Quòd humana Philoſophia non eſt ſimpliciter damnanda, ſed vtilis potius, atque honoranda.

Cap. 2.

DIximus in ſuperioribus, humanam Philoſophiam & alias quoq. artes, fuiſſe à Deo reuelatas; quibus quidem uerbis nil aliud habere & ſignificare volumus, niſi quòd ſunt à Deo, & eius dona ſunt. Id quod ſatis comprobari poteſt authoritate Eccleſiaſtici, cap. 38., vbi ſic legitur: Dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis. Veruntamen primis noſtris Parentibus ſcientiam boni & mali pollicetur Diabolus Gene. 3., inquiens: Nequaquam morte moriemini; Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, (ſuppleas tu, ligno) aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. Ex quo quidem rectè poſſumus inferre, non omnem ſcientiam eſſe à Deo. Id quod etiam D. Apoſtolo ſummopere arridet; quoniam totam ſcientiam in tria præcipua capita diſtinguit. Primũ Dei, Secundũ naturalẽ ſciẽtiã cõtinet; Tertium verò inanem & fallacem philoſophiam. Per Dei ſcientiam, Sacram intelligit Scripturam; de qua quidem ad Ephe. cap. 6. verba faciens, dicebat: Galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei. Dauid hanc eandem, legem ſanctam appellat & immaculatam, cùm Pſalmo 18. ait: Lex Domini immaculata, conuertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Zacharias ſcientiam ſalutis nuncupauit Luc. 1. inquiens: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum. Eſt igitur huiuſmodi ſcientia gladius ſpiritus, lex immaculata, & ſcientia ſalutaris. De Naturali autem ſcientia ad Romanos cap. 1. ſcribens Apoſtolus, ait: Reuelatur ira Dei de Coelo, ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui ueritatem Dei in iniuſtitia detinent; quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius uirtus & diuinitas; ita ut ſint inexcuſabiles. Per ſcientiam uerò fallacem, & inanem philoſophiam, intelligit Apoſtolus Sophiſticam diſciplinam; quæ lenocinio & ſublimitate uerborum, additis fallaciſſimis argutijs, homines decipit. Propterea in Epiſtola ad Coloſſen. cap. 2. de hac ſermonem habens dicebat: Videte ne quis uos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum CHRISTVM. De ſcientia igitur impropriè loquendo, & quatenus etiam ſe ad Sophiſticam extendit atque fallacem, illud clarum, manifeſtumque relinquimus, quòd non omnis ſcientia eſt à Deo. Quòd autem ab eo ſit Lex ſancta & immaculata, patet ex uerbis Apoſtoli ad Ephe. 6. ueluti ſupra induximus; & de hoc nulla eſt controuerſia. Naturalem quoque ſcientiam eſſe à Deo, declarat Apoſtolus ad Romanos. 1., ex præcitatis eius uerbis. Quòd demum Sophiſtica non ſit à Deo, probat Apoſtolus, ex eo quia inanis eſt & fallax, necnon & erroribus plena. Verùm quia eam nomine philoſophiæ deſcribit, inde fortaſſis occaſionem captarunt Heretici damnandi philoſophiam, nulla de ea habita diſcretione.

Id quod tamen nunquam feciſſent, ſi Diui Apoſtoli uerba diligenter ſpectaſſent. Siquidem primò ſibimetipſi non conſtaret, cùm de Naturali Philoſophia dicat ad Roma. 1., quòd in ſe continet ueritatem; & ad Coloſſenſes. 2. diceret poſtea, quòd eſt inanis & fallax. Veritas enim & fallacia, ſeu mendacium, minimè conueniunt; quemadmodum nec CHRISTVS Dominus & Diabolus. Secundò quòd in illis uerbis ad Coloſſen. intentio non ſit Apoſtoli ſermonem habere de Naturali Philoſophia, ex eorum proceſſu optimè conſtat. Dixit nanque: Videte ne quis uos decipiat per Philoſophiam. Et quoniam optimè nouerat Apoſtolus, Philoſophiam uocabulum eſſe honeſtum, illamque in ſe optimam eſſe, idcirco adiecit: Et inanem fallaciam. Velut interpretans quod ante dixerat. Sumitur enim coniunctio (&) interpretatiuè. Vt ſit ſenſus: Videte ne quis vos decipiat per inanem & fallacem Philoſophiam. Metuebat enim Paulus, ne Coloſſenſes à Gnoſticis in Philoſophia inſtructis, abducerentur ad hæreſim; quoniam uolebant Religionem Chriſtianam ſitam eſſe in ſcientia Coelorum & aliorum; idque Sophiſticis inducebāt rationibus. Doctrina deſumpta eſt ex Adamo Sasbout, illa .D. Apoſtoli uerba exponente. De Sophiſtica igitur, non de Naturali Philoſophia loquebatur Apoſtolus.

Cui quidem ſententiæ ſubſcribit Claudius Guilliaudus, eadem uerba expo-

ba expo-

ba exponens, cùm dicit: Neque hoc loco Paulus reprobat philoſophiam quatenus eſt ſcientia loquendi, & rerum naturalium & ciuilium morum, ut ea de rebus tantùm naturalibus ac moribus ciuilibus affirmat ac docet, quæ certa ratione comprehendit. Eſt enim uera & bona creatura Dei. Quis enim damnaret iudicium puri philoſophi, aut alterius, ſola lege naturæ illuſtrati, iudicantis neminem lædendum eſſe, gratiam pro benefactis habendam eſſe, Magiſtratibus obſequendum eſſe, & ſic de alijs? Cùm ergo Paulus dicit: Vt nemo uos decipiat. &c. non eſt accipiendū de philoſophia, ꝙ illa philoſophia quæ docet naturas corporū, aut ciuiles mores, ſit uana. Non enim uetat numerare, aut metiri corpora; non uetat ædificare, aut pingere, aut mederi corporibus, aut iudicia exercere. Immo quia hæc audis dona Dei eſſe tradita naturæ, multò magis debes honorificè hāc philoſophiam excipere, quam Deus dedit ad uitæ præſidia paranda. Vult enim Deus nos laborare; & uiuūt commodius qui ſciunt remedia morborum; qui ſciunt regere reſpublicas, quàm Barbari. Sed Paulus uetat, ne uerborum lenocinio & ſublimitate, ornatu ſcilicet & comitate, & elegantia quadam dicendi decipiamur. Quid enim ſi afferat quiſpiam quæ ad perſuadendum plurimum ualeant, ipſe uerò ſit prorſus ueritatis ignarus? Id ſanè nihil aliud eſt, niſi captiunculis quibuſdam, Sophiſticis argutijs, Rhetoricis argumentis, quaſi ueriſimilibus, ſpecioſo fuco rationis humanæ, & ſophiſmatibus niti. Ita Claudius. Qui paucis interpoſitis, ad hunc modum ſequitur: Non damnat quæ optimi medici in curandis moribus quandoque obſeruāt. Sunt enim in medendo, temporum diſcrimina quædam ſeruanda, ſicut uidere eſt ex Aphoriſmo Hippocratis. Apparet eſſe aliquas aſtrorum uires in adficiendis corporibus, & temperandis qualitatibus corporum, quæ ſint obſeruandæ medico. Nec ea temporum obſeruatio ſuperſtitioſa eſt; quemadmodum nec ſuperſtitio eſt, ſed diuina ordinatio, Hyeme aut vere ſerere, Aeſtate metere, uino interdicere febricitāti, & huiuſmodi. Non damnat philoſophiam illam Paulus, quæ nihil affirmat, niſi certa ratione, aut experiētia animaduerſum; ſed uanam, ac ſuperſtitioſam illam, quæ non eſt ſecundùm CHRISTVM; id eſt, quę pietati Chriſtianę, & Fidei aduerſatur. Hæc ille. Ex quibus oībus perquā clariſſimè conſtat, ꝙ nō damnat. D. Apoſtolus ueram, Naturalemq́. Philoſophiam, at Sophiſticam tantū, & quæ homines decipit, noſtrámque Religionem vult in his temporalibus conſiſtere. Quam tamen, Philoſophiam appellat, non quia uera ſit Philoſophia; ſed quoniam mundus ei tale nomen impoſuit.

Hanc igitur miſſam facimus, & ad ueram, naturalemque rurſus philoſophiam pedem conuertendo, illam alijs rationibus conuincimus eſſe à Deo. Sed illud in primis notandum duximus, quòd nimirum per naturalem philoſophiam, illam totam intelligimus notitiam atque doctrinam, quæ ſolo acquiritur lumine naturali; ut ſic etiam Metaphyſicam includamus. Solent maledicti Hæretici ut ſuas hæreſes facilius defendere uideantur, nihil præter Sacram, Diuinamq́. Scripturam recipere, ac admittere, omnia alia tanquā pernicioſa, uel ſaltem minus utilia negando atque damnando. Id quod etiam de uera, naturalique Philoſophia in ſuperioribus habuimus

At uerò quantum illud à ueritate abhorreat, præter ea quæ dicta ſunt, aliæ rationes emergunt, quarum prima eſt hæc.

Tom. 5. Beatiſſimus Pater Ambroſius in Commentarijs ſuper Epiſtolam D. Pauli ad Corinthios primam, cap. 12. inquit: Quicquid uerum à quocunque dicitur, à Sancto dicitur Spiritu. Philoſophia autem Naturalis ueritatem docet. Quare eſt à Spiritu Sancto. Minor ex eo facilè conſtat, quod multa docet de Deo quæ ueriſſima ſunt. Ergo; per locum à minori: tanto magis de rebus naturalibus, ueram debet continere doctrinam. Id quod antecedit, ex uerbis D. Apoſtoli ad Romanos primo, perquàm clariſſimè conſtat; Quo loci, oſtenditque in Euangelio, Dei iuſtitia ad omnium ſalutem reuelatur, ut ex eo ſcire ualeant omnes, Fidem in CHRISTVM id eſſe quo iuſtificamur, & inter iuſtos annumeramur. Oſtendit, inſuper, quod in eodẽ Euãgelio reuelatur ira eiuſdem Dei in eos, qui ueritatem eius per iniuſtitiam retinent. Vt inde noſcat Iudæus & Gentilis, ex conſequenti uniuerſus Orbis, quod ſicut Fide uiuà nos iuſtitiam conſequimur, ita ſi eadem deſtituamur, iniuſtitiæ ſerui facti ſumus. Idque artificioſiſſima continuatione fecit Apoſtolus, ut iuſtitiæ utranque partem aperiret; nimirum bonorum præmiationem, & malorum uindictam. Deinde ad Gentiles conuerſus, & poſtea ad Iudæos, obnunciat utriuſque Legis, naturalis nempe, ſcriptæque tranſgreſſores, graui poena plectendos. Ad Gentiles demum reuerſus, eos accuſat, & in eorum accuſatione tria peragit. Oſtendit primò, quam habuiſſet notitiam Dei, iuriſq. naturalis. Mox quanta nihilominus cõmiſiſſent flagitia, ac demum quales exoluiſſent poenas, inquiens; Reuelatur enim ira Dei de Coelo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui ueritatem Dei in iniuſtitia detinent. Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius uirtus & diuinitas; ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. (Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis.) Qui commutauerunt ueritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ, potius quàm Creatori; qui eſt Benedictus in ſæcula, Amen.

His ita conſtitutis, hunc in modum erigo rationem. In Euangelio iuſtitia Dei reuelatur ad omnium ſalutem, pariter & ira ad malorum uindictam. Eorum præſertim, qui eius ueritatem in iniuſtitia detinent. Huiuſmodi autem ſunt Philoſophi. Ergo Philoſophia continet ueritatẽ; & ita eſt à Deo. Maior eſt D. Pauli, ut oſtendimus. Minor uerò ex eiuſdem deducitur ſubſequentibus uerbis, cùm ait: Quod de Deo, naturali acumine, abſque ſpeciali reuelatione, ſpeculando conſequi ualet ratio noſtra, manifeſtum fuit inter illos; hoc eſt, Philoſophos. Sua igitur naturali philoſophia, de Deo

ueritatem habuerunt naturales Philoſophi. Quòd antecedens, illũ habeat, quem diximus ſenſum, ex eiuſdem Beati Pauli probatione conuincitur, cũ dicit: Deus enim illis manifeſtauit: Aut enim D. Apoſtolus ex his uerbis vult habere, ꝙ Deus illa reuelauerit, quæ naturalem tranſcendũt rationem; aut ea quæ naturali poſſunt conſequi lumine. Non primum; quia illa eſt cognitio Iudæorum, & Euangelica; quam paulò ante, fidem appellauit, & de ea ſermonem habuit. Quòd igitur intelligat ſecundum, fit neceſſariò cõſequens. Hæc autem ad naturales Philoſophos attinere, non eſt qui ambigere queat. Diuus igitur Apoſtolus, de ueritate loquebatur, & de his quæ de Deo, naturali lumine agnouerunt Philoſophi. Et licèt lumen iſtud ſit naturale, meritò nihiloſecius idem manifeſtationem appellat Apoſtolus. Quandoquidem & ſi lumen hoc, debitum ſit cõditioni, & naturæ hominis, ſicuti ſua ſingulis naturis debita, congenitaq. ſunt accidentia; quia tamen Deus eſt naturæ parens, qui res ex nihilo cõdidit; opera ipſa naturalia, quę fiunt per formas, ab ipſo rebus inditas, perque generale auxilium, ſunt eius munera.

Amplius; Idem probatur, quem diximus, ſenſus, ex ſequentibus Apoſtoli uerbis, cùm dicit: Quantum eſt hoc ædificium mundi, nihil aliud eſt, ꝙ̄ radius quidam, quo ſe Deus effundere, & manifeſtare conſtituit. Vnde inacceſſa illa Lux diuina, à creatione mundi effulgere, promicareq. coepit. Ita quòd tria ſunt, inquit; quę de Deo, hæc rerum uniuerſitas nobis indicat; nimirum inuiſibilia Dei, mox ſempiterna eius uirtus, ac tertiò diuinitas. Per primum intelligit Apoſtolus, Dei attributa, quæ negationis etiam forma aliquando proferuntur; ut quòd ſit infinitus, immenſus; &c. Per ſecundum, intelligit ꝙ ſit principium operandi primum, idemq. unum. Per tertium, inacceſſam Dei maieſtatem in nos effuſam intelligit, & ut noſter eſt finis. Hæc autem nouerunt Philoſophi lumine naturali. Diuus igitur Apoſtolus, de eorum naturali cognitione, eo in loco ſermonem habet. Ex conſequenti, Philoſophia eſt à Deo, quia cõtinet ueritatem. Quòd uerò illa tria, lumine naturali de Deo nouerint Philoſophi, non erit difficile probare; & hoc etiam probato, noſtrum clarius intentum euadet.

Prima igitur uia quà rimati ſunt Philoſophi uirtutem Dei, à ratione motus deſumpta eſt; quandoquidem per ſe notum, ac ſenſu compertiſſimum primum omnium habuerunt, res corporeas uniuerſas moueri; nempe alterari adinuicem, corrumpi, generari, & quæ pereunt ſementem facere, unde ſimiles repullulent; Coelos uerò, harum uiciſſitudinis mutationum expertos, loco ſaltem cieri. Sub hac autem ſenſuali experientia aſſumpſerũt, quicquid mouetur, ab alio moueri. Id quod Ariſtoteles. 7. & 8. phy. acutè ualdè eſt ratiocinatus. Et ab hoc principio eluceſcere illis coepit cauſarum ſeries, naturaliſq. catena; qualiter inferior quæque à ſuperioribus moueretur; nempe ſublunaria hæc agentia, ſubiecta eſſe coeleſtibus lationibus, ut eorum uirtus inde gubernetur; quemadmodum in Meteoris, idem docet Ariſtoteles. Qui optimè perſpexit, quòd Sole ad nos accedente, quàm plurima terræ naſcentia germinantur, quæ, recedente, exareſcunt. Vnde illud dictum promanauit: Sol & homo generant hominem. At quà ratione &

ni. Media ex eo liquidò conſtat, quoniam illa cognitio quam habet Deus de ſeipſo, non ordinatur ad opus, & ſeipſum per ſeipſum cognoſcit, ueluti ab omnibus receptum eſt. Cognitio igitur qua ſeipſum cognoſcit Deus, eſt ſpeculatiua. Atqui ſub eadem ratione ſcientiæ, ſeipſum cognoſcit & creaturas; quoniam eas reſultatiuè cognoſcit. Cognitio igitur quam ſimpliciter habet de creaturis, eſt ſpeculatiua.

Confirmatur doctrina; quandoquidem ſcientia Dei reſpectu creaturæ, non eſt propter ipſius creaturæ productionem; cùm ſcientia Dei nobilior ſit ipſa creatura, & eius productione; quoniam finis nobilior eſt his quæ ſũt ad finem. Practica autem diſciplina, ſeu cognitio practica ordinatur ad opus. Quare noſtra manet firma concluſio. Nec obſtat quòd creatura ſit à Deo producibilis. Quoniam illud non ſufficit ad conſtitutionem cognitionis practicæ, nec ab obiecto, ſed à fine conſtituitur practica diſciplina; ueluti oſtendimus ſupra.

2. Item: Sola prudentia conſtituit intellectum practicum, quemadmodũ demonſtrauimus in præcedentibus. Cognitio autem qua Deus ſeipſum cognoſcit & ſimpliciter creaturas, non habet rationem prudentiæ, nec alicuius eius partis. Igitur non poteſt conſtituere intellectum practicum; & ex conſequenti nec ipſa habet rationem practicæ.

Secunda Concluſio. Secunda concluſio eſt hæc: Cognitio quam habet Deus de creaturis, ſub ea ratione formali qua ſunt ab eo producibiles; non habet rationem practicæ notitiæ, ſed artis.

Probatur: Quoniam illa cognitio uel habet rationem ſcientiæ, uel prudentiæ, uel artis. Non ſcientiæ; quia cùm notitia illa ſit cauſa rerum accedente uoluntate, ipſam determinante; ueluti in ſuperioribus oſtendimus ſatis; ſequeretur tunc omnem ſcientiam eſſe cauſam.

Amplius: Finis ſcientiæ eſt ueritas. Finis autem huiuſmodi cognitionis eſt opus. Non igitur habet rationem ſcientiæ.

Nec prudentiæ. Quoniam munus prudentiæ eſt ordinare creaturas in ſuum ultimum finem. Quare creaturas ipſas præſupponendo, non poteſt earum eſſe cauſa. Relinquitur ergo q; habet rationem artis.

Id quod etiam omnes fatentur noſtri Sacri Theologi; & præcipuè D. Tho., primo ſen. d. 38. q. 1. ar. 1. & d. 39. q. 2. ar. 1. & alibi. Sed etiam illud conſtat ex Sacris Diuiniſq; Eloquijs. Sapientiæ ſiquidem. 7. dicit Salomon: Omnium artifex docuit me Sapientia. Et cap. 8. Si autem ſenſus operatur, quis horum quæ ſunt, magis q̃ illa eſt artifex? Habet igitur cognitio illa rationem artis, non ſcientiæ, neque prudentiæ. At non ſequitur: Habet rationem artis; ergo eſt practica. Quoniam oſtendimus ſupra quòd ſola prudentia eſt propriè practica. Vnde Beatus Thomas in primo theologicarum ſenten., d. 39. q. 2. ar. 1. optimè dicebat, q; Deus ſcientiam habet quaſi practicam de rebus creatis.

Tertia Concluſio. Tertia Concluſio ita ſe habet: Cognitio qua Deus Benedictus ordinat creaturas in ſuum ultimum finem, habet rationem prudentiæ; & hæc eſt practica.

Probatur: Quoniam prudentia eſt recta ratio agibilium, authore Ariſtotele.

tele.6.Ethi.cap.5.; unde illi dicuntur prudentes, qui ſunt ad conſultãdum apti. Nunc ſic: Vbicunq. eſt conſilium, ibi eſt prudentia. In Deo eſt conſilium. Igitur in Deo eſt prudentia. Maior eſt Ariſtotelis, & minor probatur ex .D.Apoſtolo, qui ad Epheſios primo, dicebat: Qui operatur omnía, ſecundùm conſilium uoluntatis ſuæ. Et licèt in Deo non ſit conſilium, prout inquiſitionem importat; eſt tamen in Deo ut dicit terminum conſilij, qui eſt rectitudo iudicij: ad quam conſultantes inquirendo perueniũt. Modò autem ipſius prudentiæ proprium eſt, ordinare alia in eorum finem; hoc atteſtante Ariſtotele, ſuo libro de moribus, loco proximè inducto. Relinquitur ergo, ꝙ illa cognitio qua Deus ordinat creaturas in ipſarum finé, habeat rationem prudentiæ. Et hæc fuit prima pars noſtræ concluſionis.

Quòd uerò eiuſdem concluſionis ſecunda pars uera ſit & certa; nempe ꝙ illa cognitio habeat rationem practicæ, patet ex dictis; quibus probauimus ſolam prudentiam eſſe practicam.

Hæc ſunt quæ de diuina ſcientia, necnon & præſcientia habuiſſe uolui: De qua quidem multa dixi, & quamplurima notaui, propter maledictos hæreticos, & præcipuè Armacanum, & Albanenſes. Primus nanque fuit Hibernicus, & floruit anno à CHRISTO nato, 1360.; Gabriele atteſtante Prateolo. Et referente VValdenſe, lib. primo, art. 1. cap. 29., uiginti annorum ſtudio, hoc argumentum nunq̃ ſoluere nouit: Deus præſciuit, prophetauit, uel aſſeruit hoc eſſe futurum. Ergo hoc eſt, fuit, uel erit. Iſta conſequentia eſt bona; antecedens eſt neceſſariũ abſolutè; Ergo & conſequens. Nunq̃; inquit Thomas VValdenſis; ſoluere nouit, niſi dicendo cõtra mores catholicos, ꝙ CHRISTVS errare poſſet, & totam Eccleſiam fallere. Sed quid dicendum iuxta catholicam ueritatem, iam ſatis conſtat.

De ſecundis verò dicit Prateolus, ꝙ inter reliquos qui ab orbe condito extitere diuinæ doctrinę corruptores, fuerunt ſceleratiſſimi; & emerſerunt circa annum Domini .796. Iſti maledicti uoluerunt Deum non præſcire ex ſe aliquod malum, ſed per aduerſarium ſuum; uidelicet Dæmonem. Verùm & iſtis noſtris temporibus non deſunt qui de Dei preſcientia malè ſentiant. Sed abeant omnes in malam crucem, & nos huic ſecundo libro iam finem imponamus.

LIBRI SECVNDI DE DEI PROVIDENTIA

FINIS.

REVE-

tele.6.Ethi.cap.5.; unde illi dicuntur prudentes, qui ſunt ad conſul.... apti. Nunc ſic: Vbicunq. eſt conſilium, ibi eſt prudentia. In Deo eſt conſilium. Igitur in Deo eſt prudentia. Maior eſt Ariſtotelis, & minor probatur ex D. Apoſtolo, qui ad Ephesios primo, dicebat: Qui operatur omnia, ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Et licét in Deo non ſit conſilium, prout inquiſitionem importat, eſt tamen in Deo ut dici terminum conſilii, qui eſt rectitudo iudicii, ad quam conſultatores inquirendo perueniſt. Modo autem ipſius prudentiæ proprium eſt ordinare alia in eorum finem; hoc atteſtante Ariſtotele, ſuo libro de moribus, loco proximé inducto. Relinquitur ergo, quod illa cognitio qua Deus ordinat creaturas in ipſarum finē, habeat rationem prudentiæ. Et hæc fuit prima pars noſtræ concluſionis.

Quód uero eiuſdem concluſionis ſecunda pars uera ſit & certa; nempe q illa cognitio habeat rationem practicæ, patet ex dictis, quibus probauimus ſolam prudentiam eſſe practicam.

Hæc ſunt quæ de diuina ſcientia, necnon & præſcientia habuiſſe uolui: De qua quidem multa dixi, & quamplurima notaui, propter maledicos hæreticos, & præcipue Armacanum, & Albanenſes. Primus nanque fuit Hibernicus, & ... uit anno à CHRISTO nato, 1360. Gabriele atteſtante Prateolo. Et referente VValdenſe, lib. primo, art. 1. cap. 23, uiginti annorum ſtudio hoc argumentum nunq̄ ſoluere potuit: Deus præſciuit, prophetauit, uel ... it hoc eſſe futurum. Ergo hoc eſt, fuit, uel erit. Illa conſequentia eſt bona: antecedens eſt neceſſariū abſolute. Ergo & conſequens. Nunq. ... uit Thomas VValdenſis, ſoluere nouit, niſi dicendo contra mores catholicos, q. CHRISTVS errare poſſet, & totam Eccleſiam fallere. Sed quid dicendum, iuxta catholicam ueritatem, iam ſatis conſtat.

De ſecundis uero dicit Prateolus, q inter aliquos qui ab orbe condito extitere diuinæ doctrinę corruptores, fuerunt ſceleratiſſimi: & emerſerunt circa annum Domini .796. Iſti maledicti uoluerunt Deum non præſcire ex ſe aliquod malum, ſed per aduerſarium ſuum: uidelicet Dæmonem. Verùm & illis n... temporibus non deſunt qui de Dei præſcientia male ſentiant. Sed abeant omnes in malam crucem. & nos huic ſecundo libro iam finem imponamus.

LIBRI ... DE DIVI. PROVIDENTIA

FINIS.

REVE-

REVERENDI ADMODVM SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PHILOSOPHI PRAESTANTISSIMI, *LACTANTII DOMANINII MANTVANI*, *CARMELITÆ*,

DE DIVINA PROVIDENTIA LIBER TERTIVS.

IN QVO DE PHILOSOPHIA, SEV SAPIENTIA HVMANA, ET REVELATA PERTRACTATVR.

Præfatio.

QVAMPLVRIMIS diebus & annis iacuit animus meus mœrore oppreſſus, malorum hominum liuorem atq; maleuolentiam conſiderans; quod nempe ijs impediuntur, ne à certo & vero ſenſu iudicare valeant. At verò hac me non mediocriter cogitatio confirmauit, quod impetum proditorum hominum virtus Spiritus Sancti frangit, reprimit, atq; retundit. Siquidem Arnoldus à Villanoua, olim medicus inſignis, at poſtea Hæreticus, omnem prorſus philoſophiam condemnando, dicebat quod omnes Theologi, qui Philoſophiam immiſcuerunt operibus ſuis, non rectè hac in re fecerunt. Et huius rei teſtimonium locupletiſsimum dicunt Nicolaus Eymericus, in ſuo directorio, parte 2, q. 11. Prateolus de ſectis Hæreticorum, libro primo, cap. 69. necnon & Sebaſtianus Medices, in Summa omnium hæreſum, cap. 128. In hanceandem ſententiam venit maledictus Caluinus; qui in illa ſua peſtilen-

tiſsima

tiſsima inſtitutione Chriſtianæ Religionis, cap. 13. 18. & 19. cùm dixit Scholaſticos Theologos docere Miſſam eſſe ſacrificium, infert quæ ſequuntur: Valeant, inquit, ipſi cum ſpinoſis ſuis argutijs; quæ licèt vtcunq; cauillando defendi queant; ideo tamen repudiandæ ſunt bonis omnibus, quòd nihil quàm ſeræ claritati multas tenebras inducunt. Ita vir ille maledictus, eodem referente Prateolo, in memorati voluminis libro tertio, cap. 4. cùm tamen philoſophia, aliaq; ſcientiæ & artes hominibus ſint à DEO reuelata, & inde vt optima ſint, neceſſario ſequatur. Id quod in ſequentibus demonſtrare intendimus.

Quòd per creaturas, DEI cognitio habeatur.
Cap. Primum.

ANTIQVIORES iuxta Platonis dogmata philoſophantes, lumen, eiuſq; naturam peruestigantes, dixerunt illud eſſe actum quendam, & imaginem perſpicuam intelligentiæ. Alij uoluerunt lucem in Coelo ſenſum eſſe, atque radios paſſim è luce protendere; & ſic ſingula pertentire ſicq; facere ſingula, faciendoq; ſentire. Fuerunt etiam dicentes lumen eſſe quandam ſpeciem ignis; quia tres ponebant ſpecies ignis; nempe carbonem, flammam, & lumen. Empedocles aſſerebat lumen eſſe corpus protenſum de Coelo ad terram. Atqui Democritus dicebat lumen eſſe quaſdam corporum athomalium deciſiones, defluentium à corpore lucido. Veruntamen Ariſtoteles in 2. de anima libro, particula 69. lumen huc in modum definiuit: Lumen autem eſt actus huius perſpicui, ſecundùm q; eſt perſpicuum. Vnde quidam collegerunt, q; ſicut nil notius lumine eſt quantùm ad eſſe, & nil eo ignotius quantùm ad quid eſt; ita Deo quantùm ad eſſe nil notius eſt. Nil, contra, obſcurius, q; quid ſit Deus. Eapropter varij de Deo varia ſenſerunt. Siquidem Thales mileſius eum mentẽ dixit, qui ex aqua cuncta creauit. Anaxagoras mentem infinitam dixit, ſeipſam mouentem. Criſippus naturalem vim ratione præditam, & diuinam neceſſitatem appellauit. Zeno naturalem, diuinamq; legem nuncupauit. Cleantes & Anaximenes aerem eſſe dixerunt. Hermes triſmegiſtus Deum in hunc modum definiuit: Deus eſt Sphera infinita, cuius centrum eſt ubiq; circunferentia nuſq;.

Caſsiodorus tamen ſuper Pſal. 3. dicit, q; non poteſt Deus ſubſtantialiter per genus & differentias definiri. Et Damaſcenus primo libro de Orthodoxa Fide, cap. 4. Deum non eſſe corpus efficaciter probat multiplici

plici ratione; quarum prima eſt: Nullum corpus eſt infinitum, interminatum, infiguratum, intangibile, inuiſibile, ſimplex, incompoſitum. Clauditur enim corpus omne ſua ſuperficie, figuraq; determinatur, ſenſu perceptibile eſt & compoſitum. Deus autem eſt infinitus, interminatus, infiguratus, intangibilis, inuiſibilis, ſimplex, & incompoſitus: ut ex Sacræ Scripturæ teſtimonio non operoſum eſſet deducere. Igitur Deus non eſt corpus. Alias quinque rationes inducit, quas miſſas facio; Et D. Patris Auguſtini teſtimonio idem confirmo, qui Soliloquiorum libro, cap. 31. in hunc modum effatur: Ego erraui ſicut ouis quæ perierat, quærens te exterius, qui es interius, & multum laboraui quærens te extra me, & tu habitas in me, ſi tamen ego deſiderem te. Circumiui uicos & plateas ciuitatis huius Mundi quærens te, & non inueni, quia malè quærebam foris quod erat intus. Miſi nuncios meos omnes ſenſus exteriores, ut quærerem te, & non inueni, quia malè quęrebam. Video enim; lux mea Deus, qui illuminaſti me, quia malè te per illos quærebam, quia tu es intus, & tamen ipſi ubi intraueris neſciuerunt. Nã oculi dicunt, ſi coloratus non fuit, per nos non intrauit. Aures dicunt, ſi ſonitum non fecit, per nos non tranſiuit. Naſus dicit, ſi non oluit, per me nõ venit. Guſtus dicit, ſi non ſapuit, per me non introiuit. Tactus etiam addit, ſi corpulentus non eſt, nihil me de hac re interroges. Non iſta igitur ſũt in te; Deus meus, non enim ſpeciem corporis, non decus temporis, non cãdorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarum cantus, & quæcunque dulce ſonantia, non florum & unguentorum, uel aromatum odores, nõ mella, uel manna guſtui delectabilia, non cætera ad tangendum, uel amplexandum amabilia, nec omnia alia ſenſibus his ſubiecta quęro, cùm Deum meum quæro. Hæc ille.

Tom. 9.

Quare longè melius alijs præinductis Philoſophis Cicero ſenſit, atq; Virgilius. Ille nanque dicebat: Nec uerò ipſe Deus qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera ſegregatione ab omni concretione mortali. Iſte uerò, mentem & ſpiritum ipſum appellat, inquiens:

Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

At uerò confuſa adhuc & terminata loquutio, quæ & Angelis partim facilè conuenire poſſet. Idcirco libro ſuo de Myſtica Theologia, cap. ultimo, oſtendit D. Dionyſius Areopagita, ꝗ nil intelligibilium eſt, qui intelligibilis omnis rei author eſt, inquiens: Rurſus autem aſcendentes dicimus, ut neque anima eſt, neque ſenſus; neque imaginationem, aut opinionem, aut rationem, aut intelligentiam habet; neque ratio eſt, neque intelligentia, neque dicitur, neque intelligitur; neque numerus eſt, neque multitudo, neque ordo; neque magnitudo, neque paruitas, neque æqualitas, neque ſimilitudo, neque diſſimilitudo, neque ſtat, neque mouetur, neque agit quietem, neque uirtutem habet, neque uirtus eſt, neque lux eſt, neque uiuit, neque uita eſt, neque ſubſtantia eſt, neque ſeculum, neque tempus,

do non inuenit Diuus Pater Auguſtinus, quando in memorato loco in hunc modum effatur: Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua ſero te amaui, & tu intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa quæ feciſti deformis irruebam. Mecum eras, & ego tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ eſſe non poterant niſi in te. Circumibam enim omnia quærens te, & propter omnia derelinques me. Interrogaui Terram ſi eſſet Deus meus, & dixit mihi quòd non, & omnia quę in ea ſunt, hoc idem confeſſa ſunt. Interrogaui Mare & Abyſſos, & Reptilia quæ in eis ſunt, & reſponderunt, Non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos eum. Interrogaui flabilem aerem, & inquit vniuerſus aer cum omnibus incolis ſuis; Fallitur Anaximenes, non ſum ego Deus tuus. Interrogaui Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas, Neque nos ſumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus his qui circumſtant fores carnis meæ, dicite mihi de Deo meo quod vos noſcitis, dicite mihi aliquid de illo. Et clamauerunt omnes voce grandi, ipſe fecit nos. Interrogaui proinde Mundi molem, Dic mihi ſi es Deus meus, an non? Et reſpondit voce forti, Non ſum; inquit; ego, ſed per ipſum ſum ego, quem quęris in me, ipſe fecit me, ſuper me quęre eum, qui regit me, qui fecit te. Interrogatio Creaturarum, profunda eſt cõſideratio ipſarum, reſponſio earum, atteſtatio ipſarum de Deo; quoniam omnia clamant, Deus nos fecit. Quoniam, vt ait Apoſtolus, Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, à creatura Mundi intellecta con- Rom. 1. ſpiciuntur. Hæc ille. Quibus patet, quòd ex illa ſua oĩum creaturarum profundiſſima conſideratione, non potuit conuincere ipſius Dei eſſentiam, ſeu definitionem. Habuit tamen quòd eſt Omnipotens, Æternus, Incomprehenſibilis, Immenſus, Immortalis, Inenarrabilis, Imperſcrutabilis, & Innominabilis. Id quod probat D. Apoſtoli teſtimonio. Cuius quidem verba exponens Beatus Pater Ambroſius, inquit; Noti- Tom. 9. tia Dei manifeſta eſt ex mundi fabrica. Vt enim Deus, qui natura inuiſibilis eſt, etiam à viſibilibus poſſit ſciri, opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, vt per certum incertum poſſit ſciri; vt per hoc quod cæteris impoſſibile eſt, ille eſſe Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit. Quia cùm per ſe potentia & maieſtas Dei, creaturæ oculis aſpici non poſſint, opere mundanæ fabricæ intellecta conſpiciuntur. Hęc ille, paucis interpoſitis. Et apud Eſaiam cap. 6. ita legimus: Seraphim ſtabant ſuper illud; ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Quo loci Beatus Hieronymus ita notatum reliquit: Tom. 4. In Cherubim oſtenditur Dominus; in Seraphim ex parte oſtenditur, ex parte celatur. Faciem enim & pedes eius operiunt, quia & præterita ante mundum, & futura poſt mundum ſcire non poſſumus; Sed media tantùm, quæ in ſex diebus facta ſunt, contemplamur. Hactenus Beatus Hieronymus. Vt per faciem Domini velatam, notet diuinam eſſentiam nobis eſſe incognitam, neq; à nobis contemplari poſſe; atqui medijs creaturis, aliqualem de ea habere cognitionem atque notitiam.

 Quibus

Quibus aſtipulatur id quod Exodi habetur cap. 33., quando ſcilicet Moſes cum Deo facie ad faciem loquebatur, ſicut loqui ſolet homo cum amico ſuo, & ei inter loquendum dixit: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi teipſum. Cui reſponſum eſt: Faciem meam non videbis, ſed poſteriora mea videbis. Quem quidem locum exponens Rupertus Abbas in Exodum lib. 4. cap. 35., ait: Si Deus erat cum quo loquebatur facie ad faciem, (ſupple tu, Moſes,) cur ſe petebat uidere quem videbat? Sed hac eius petitione colligitur, quia eum ſitiebat per incircumſcriptam naturę ſuę claritatem cernere, quem iam cœperat per quaſdam imagines uidere; ut ſic ſuperna eſſentia mentis ejus oculis adeſſet, quatenus ei ad æternitatis viſionem, nulla imago creata temporaliter intereſſet. Hæc ille. Ex quo perquam clariſſimè conſtat, quòd licèt per creaturas perfectam de Deo cognitionem habere minimè valeamus, ex ijs tamen aliquas eius poſſumus conuincere proprietates. Propterea dixit Dominus Moſi: Faciem meam non videbis; quia Deum nemo vidit vnquam; ſed poſteriora mea videbis. Nempe effectus & opera mea; ex quibus imperfectam mei aliquam poteris cognitionem arguere. Vnde Nicolaus de Lyra dicebat; Et videbis poſteriora mea; id eſt concedam tibi cognitionem mei, imperfectam tamen; ſicut aliquis videns hominem à parte poſteriori, cognoſcit ipſum eſſe hominē, non tamen cognoſcit quis ſit, ſcilicet Socrates, vel Plato, vel hujuſmodi. Hæc autem Dei cognitio imperfecta, non eſt niſi per creaturas; quemadmodum vnico ore docent vtriuſque Eccleſiæ Sacratiſſimi Theologi. Et preſertim D. Pater Dionyſius Areopagita, de Eccleſiaſtica Hierarchia, lib. 1. cap. 1., vbi ait: Atque Deum, diuinamq́; virtutem, cœleſtes quidem illæ ſubſtantiæ (quippe quæ ſpiritus ac mentes ſunt) intelligunt, iuxta quod eis fas eſt; nos autem viſibilibus imaginibus ad diuinas intelligentias pro virium noſtrarum modo, conſcendimus. Et vt verè ac propriè dixerim, vnum quidem eſt quod appetunt omnes, qui vnius ſpeciem præ ſe ferunt; ſed non vno modo, eius quod vnum atque idem eſt, participes fiunt; verùm vt cuique pro merito ſortem diuina & æquiſſima libra diſtribuit. Huic doctrinæ ſubſcribit Diuus Iuſtinus, Philoſophus & Martyr, in quæſtionibus Græcanicis, quæſtione 6., inquiens: Vnde perſpicuum eſt an omnino ſit Deus? Reſponſio. Ex rerum ſtatu & permanſione. Nec enim eſſent quæ ſunt, niſi Deus eſſet ante ea, qui partes omnes creaturæ vt opus erat, ad vtilitatem totius creaturæ conſtituit. Hoc idem fatetur Tertullianus libro primo aduerſus Marcionem, capite 18., ſub his verbis: Nos definimus Deum primò naturâ cognoſcendum, deinde doctrinâ recognoſcendum; naturâ ex operibus, doctrinâ ex prædicationibus. Duo igitur ſunt modi quibus de Deo non plenam neq; perfectam, at magis minusq; perfectam cognitionem conſequi poſſumus. Alter quidem naturalis, ſupernaturalis alter. Ille ex rebus effectis; quibus poteſt homo deuenire in cognitionem vnius Dei, ejusq; bonitatis, omnipotentiæ, ſimplicitatis, prouidentię, & huiuſmodi. Iſte verò ex diuina reuelatione; qua poteſt cognoſcere homo Deum eſſe trinum & vnum, alterā perſonam aſſumpſiſſe naturam humanam vnione hypoſtatica, cæteraq; alia no-

.1. Ioan. cap. 4.

Tom. 3.

rum Religionis ſumma myſteria. Et hanc ob cauſam operæpretium fuit, nobis ea per Verbum Dei reuelari. Quod quidem, primò per Prophetas, deinde per ipſum filium Dei, eiuſque Apoſtolos, ad omnium ſalutem eſt factum. Vnde ſatis appoſitè, qui dixerunt de Deo ſicut de lumine, quòd nempe nil notius vtrique quantùm ad eſſe, & nil obſcurius quantùm ad quid eſt. Primum quidem facilè cognoſcitur; propterea Cicero lib. 1. de natura Deorum, tres communia ad ſua tempora uſque fuiſſe refert, qui dubitarint an Deus eſſet. Nulla enim fuit unquam tam efera, & barbara natio, quæ Deum neſciuerit habendum. Secundum autem eſt impoſſibile, cùm Deus ſit incomprehenſibilis, quemadmodum reliquimus probatum. Quòd verò ſit trinus & vnus, quòd Filius ſit incarnatus, & id genus alia, non niſi per diuinã reuelationem habentur. Quòd demum ſit vnus, ſimpliciſſimus, æternus, & huiuſmodi, naturaliter cognoſcitur. Naturalis autem iſta cognitio non habetur, niſi mediante laborioſo admodum, & longo diſcurſu. Et iſte ad humanam attinet philoſophiam. Quare humana philoſophia verum docet de Deo. Perperam igitur, & temerè eam damnant nugatores hæretici: cùm non damnanda, at ſemper veniat honoranda; veluti in ſequenti relinquitur demonſtrandum.

Quod humana Philoſophia non eſt ſimpliciter damnanda, ſed vtilis potius, atque honoranda.

Cap. 2.

Diximus in ſuperioribus, humanam Philoſophiam & alias quoq. artes, fuiſſe à Deo reuelatas; quibus quidem verbis nil aliud habere & ſignificare volumus, niſi quod ſunt à Deo, & eius dona ſunt. Id quod ſatis comprobari poteſt authoritate Eccleſiaſtici, cap. 38., vbi ſic legitur: Dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis. Veruntamen primis noſtris Parentibus ſcientiam boni & mali pollicetur Diabolus Gene. 3., inquiens: Nequaquam morte moriemini; Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, (ſupple tu, ligno) aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. Ex quo quidem rectè poſſumus inferre, non omnem ſcientiam eſſe à Deo. Id quod etiam D. Apoſtolo ſummopere arridet; quoniam totam ſcientiam in tria præcipua capita diſtinguit. Primũ Dei, Secundũ naturalẽ ſciẽtiã cõtinet; Tertium verò inanem & fallacem philoſophiam. Per Dei ſcientiam, Sacram intelligit Scripturam; de qua quidem ad Ephe. cap. 6. verba faciens, dicebat: Galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Dauid hanc eandem, legem ſanctam appellat & immaculatam, cùm Pſalmo. 18. ait: Lex Domini immaculata, conuertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis;

Zacharias ſcientiam ſalutis nuncupauit Lucæ. I. inquiens: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum. Eſt igitur huiuſmodi ſcientia gladius ſpiritus, lex immaculata, & ſcientia ſalutaris. De Naturali autem ſcientia ad Romanos cap. I. ſcribens Apoſtolus, ait: Reuelatur ira Dei de Coelo, ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui ueritatem Dei in iniuſtitia detinent; quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius uirtus & diuinitas; ita ut ſint inexcuſabiles. Per ſcientiam uerò fallacem, & inanem philoſophiam, intelligit Apoſtolus Sophiſticam diſciplinam; quæ lenocinio & ſublimitate uerborum, additis fallaciſſimis argutijs, homines decipit. Propterea in Epiſtola ad Coloſſen. cap. 2. de hac ſermonem habens dicebat: Videte ne quis uos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm CHRISTVM. De ſcientia igitur impropriè loquendo, & quatenus etiam ſe ad Sophiſticam extendit atque fallacem, illud clarum, manifeſtumque relinquimus, quòd non omnis ſcientia eſt à Deo. Quòd autem ab eo ſit Lex ſancta & immaculata, patet ex uerbis Apoſtoli ad Ephe. 6. ueluti ſupra induximus, & de hoc nulla eſt controuerſia. Naturalem quoque ſcientiam eſſe à Deo, declarat Apoſtolus ad Romanos. 1., ex præcitatis eius uerbis. Quòd demum Sophiſtica non ſit à Deo, probat Apoſtolus, ex eo quia inanis eſt & fallax, necnon & erroribus plena. Verùm quia eam nomine philoſophiæ deſcribit, inde fortaſſis occaſionem captarunt Hæretici damnandi philoſophiam, nulla de ea habita diſcretione.

Id quod tamen nunquam feciſſent, ſi Diui Apoſtoli uerba diligenter ſpectaſſent. Siquidem primò ſibimetipſi non conſtaret, cùm de Naturali Philoſophia dicat ad Roma. 1., quòd in ſe continet ueritatem; & ad Coloſſenſes. 2. diceret poſtea, quòd eſt inanis & fallax. Veritas enim & fallacia, ſeu mendacium, minimè conueniunt; quemadmodum nec CHRISTVS Dominus & Diabolus. Secundò quòd in illis uerbis ad Coloſſen. intentio non ſit Apoſtoli ſermonem habere de Naturali Philoſophia, ex eorum proceſſu optimè conſtat. Dixit nanque: Videte ne quis uos decipiat per Philoſophiam. Et quoniam optimè nouerat Apoſtolus, Philoſophiam uocabulum eſſe honeſtum, illamque in ſe optimam eſſe, idcirco adiecit: Et inanem fallaciam. Velut interpretans quod ante dixerat. Sumitur enim coniunctio (&) interpretatiuè. Vt ſit ſenſus: Videte ne quis vos decipiat per inanem & fallacem Philoſophiam. Metuebat enim Paulus, ne Coloſſenſes à Gnoſticis in Philoſophia inſtructis, abducerentur ad hæreſim; quoniam uolebant Religionem Chriſtianam ſitam eſſe in ſcientia Coelorum & aliorum; idque Sophiſticis inducebant rationibus. Doctrina deſumpta eſt ex Adamo Sasbout, illa D. Apoſtoli uerba exponente. De Sophiſtica igitur, non de Naturali Philoſophia loquebatur Apoſtolus.

Cui quidem ſententiæ ſubſcribit Claudius Guilliaudus, eadem uerba expo-

ba exponens; cùm dicit: Neque hoc loco Paulus reprobat philoſophiam quatenus eſt ſcientia loquendi, & rerum naturalium & ciuilium morum, ut ea de rebus tantùm naturalibus ac moribus ciuilibus affirmat ac docet, quæ certa ratione comprehendit. Eſt enim uera & bona creatura Dei. Quis enim damnaret iudicium puri philoſophi, aut alterius, ſola lege naturæ illuſtrati, iudicantis neminem lædendum eſſe, gratiam pro benefactis habendam eſſe, Magiſtratibus obſequendum eſſe, & ſic de alijs? Cùm ergo Paulus dicit: Vt nemo uos decipiat. &c. non eſt accipiendũ de philoſophia, ꝙ illa philoſophia quæ docet naturas corporũ, aut ciuiles mores, ſit uana. Non enim uetat numerare, aut metiri corpora; non uetat ædificare, aut pingere, aut mederi corporibus, aut iudicia exercere. Immo quia hæc audis dona Dei eſſe tradita naturæ, multò magis debes honorificè hãc philoſophiam excipere, quam Deus dedit ad uitæ præſidia paranda. Vult enim Deus nos laborare; & uiuũt commodius qui ſciunt remedia morborum; qui ſciunt regere reſpublicas, quàm Barbari. Sed Paulus uetat, ne uerborum lenocinio & ſublimitate, ornatu ſcilicet & comitate, & elegantia quadam dicendi decipiamur. Quid enim ſi afferat quiſpiam quæ ad perſuadendum plurimum ualeant, ipſe uerò ſit prorſus ueritatis ignarus? Id ſanè nihil aliud eſt, niſi captiunculis quibuſdam, Sophiſticis argutijs, Rhetoricis argumentis, quaſi uerisimilibus, ſpecioſo fuco rationis humanæ, & ſophiſmatibus niti. Ita Claudius. Qui paucis interpoſitis, ad hunc modum ſequitur: Non damnat quæ optimi medici in curandis moribus quandoque obſeruãt. Sunt enim in medendo, temporum diſcrimina quædam ſeruanda, ſicut uidere eſt ex Aphoriſmo Hippocratis. Apparet eſſe aliquas aſtrorum uires in adficiendis corporibus, & temperandis qualitatibus corporum, quæ ſint obſeruandæ medico. Nec ea temporum obſeruatio ſuperſtitioſa eſt, quemadmodum nec ſuperſtitio eſt, ſed diuina ordinatio, Hyeme aut uere ſerere, Aeſtate metere, uino interdicere febricitãti, & huiuſmodi. Non damnat philoſophiam illam Paulus, quæ nihil affirmat, niſi certa ratione, aut experiẽtia animaduerſum; ſed uanam, ac ſuperſtitioſam illam, quæ non eſt ſecundùm CHRISTVM; id eſt, quę pietati Chriſtianę, & Fidei aduerſatur. Hæc ille. Ex quibus oĩbus perquàm clariſſimè conſtat, ꝙ nõ damnat D. Apoſtolus ueram, Naturalemq́. Philoſophiam, at Sophiſticam tantũ, & quæ homines decipit, noſtramque Religionem vult in his temporalibus cõſiſtere. Quam tamen, Philoſophiam appellat, non quia uera ſit Philoſophia; ſed quoniam mundus ei tale nomen impoſuit.

Hanc igitur miſſam facimus, & ad ueram, naturalemque rurſus philoſophiam pedem conuertendo, illam alijs rationibus conuincimus eſſe à Deo. Sed illud in primis notandum duximus, quòd nimirum per naturalem philoſophiam, illam totam intelligimus notitiam atque doctrinam, quæ ſolo acquiritur homine naturali; ut ſic etiam Metaphyſicam includamus. Solent maledicti Hæretici ut ſuas hæreſes facilius defendere uideantur, nihil præter Sacram, Diuinamq́. Scripturam recipere, ac admittere, omnia alia tanquã pernicioſa, uel ſaltem minus utilia negando atque damnando. Id quod etiam de uera, naturalique Philoſophia in ſuperioribus habuimus.

At uerò quantum illud à ueritate abhorreat, præter ea quæ dicta ſunt, aliæ rationes emergunt, quarum prima eſt hæc.

Tom.5. Beatiſſimus Pater Ambroſius in Commentarijs ſuper Epiſtolam D. Pauli ad Corinthios primam, cap. 12. inquit: Quicquid uerum à quocunque dicitur, à Sancto dicitur Spiritu. Philoſophia autem Naturalis ueritatem docet. Quare eſt à Spiritu Sancto. Minor ex eo facilè conſtat, quòd multa docet de Deo quæ ueriſſima ſunt. Ergo; per locum à minori tanto magis de rebus naturalibus, ueram debet continere doctrinam. Id quod antecedit, ex uerbis D. Apoſtoli ad Romanos primo, perquàm clariſſimè conſtat: Quo loci, oſtendit quòd in Euangelio, Dei iuſtitia ad omnium ſalutem reuelatur, ut ex eo ſcire valeant omnes, Fidem in CHRISTVM id eſſe quo iuſtificamur, & inter iuſtos annumeramur. Oſtendit, inſuper, quòd in eodē Euāgelio reuelatur ira eiuſdem Dei in eos, qui ueritatem eius per iniuſtitiam retinent. Vt inde noſcat Iudæus & Gentilis, ex conſequenti uniuerſus Orbis, quòd ſicut Fide uiuâ nos iuſtitiam conſequimur, ita ſi eadem deſtituamur, iniuſtitiæ ſerui facti ſumus. Idque artificioſiſſima continuatione fecit Apoſtolus, ut iuſtitiæ utranque partem aperiret; nimirum bonorum præmiationem, & malorum vindictam. Deinde ad Gentiles conuerſus, & poſtea ad Iudæos, obnunciat utriuſque Legis, naturalis nempe, ſcriptæque tranſgreſſores, graui poena plectendos. Ad Gentiles demum reuerſus, eos accuſat, & in eorum accuſatione tria peragit. Oſtendit primò, quam habuiſſet notitiam Dei, iurisq. naturalis. Mox quanta nihilominus cōmiſiſſent flagitia, ac demum quales exoluiſſent poenas, inquiens; Reuelatur enim ira Dei de Coelo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui ueritatem Dei in iniuſtitia detinent. Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius uirtus & diuinitas; ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. (Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis.) Qui commutauerunt ueritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ, potius q̄ Creatori; qui eſt Benedictus in ſæcula, Amen.

His ita conſtitutis, hunc in modum erigo rationem. In Euangelio iuſtitia Dei reuelatur ad omnium ſalutem, pariter & ira ad malorum uindictam. Eorum præſertim, qui eius ueritatem in iniuſtitia detinent. Huiuſmodi autem ſunt Philoſophi. Ergo Philoſophia continet ueritatē; & ita eſt à Deo. Maior eſt D. Pauli, ut oſtendimus. Minor uerò ex eiuſdem deducitur ſubſequentibus uerbis, cùm ait: Quod de Deo, naturali acumine, abſque ſpeciali reuelatione, ſpeculando conſequi ualet ratio noſtra, manifeſtum fuit inter illos; hoc eſt, Philoſophos. Sua igitur naturali philoſophia, de Deo

ueritatem

ueritatem habuerunt naturales Philoſophi. Quòd antecedens, illũ habeat, quem diximus ſenſum, ex eiuſdem Beati Pauli probatione conuincitur, cũ dicit: Deus enim illis manifeſtauit: Aut enim D. Apoſtolus ex his uerbis vult habere, ꝙ Deus illa reuelauerit, quæ naturalem tranſcendũt rationem; aut ea quæ naturali poſſunt conſequi lumine. Non primum; quia illa eſt cognitio Iudæorum, & Euangelica; quam paulò ante, fidem appellauit, & de ea ſermonem habuit. Quòd igitur intelligat ſecundum, fit neceſſariò cõſequens: Hæc autem ad naturales Philoſophos attinere, non eſt qui ambigere queat. Diuus igitur Apoſtolus, de ueritate loquebatur, & de his quæ de Deo, naturali lumine agnouerunt Philoſophi. Et licèt lumen iſtud ſit naturale, meritò nihiloſecius idem manifeſtationem appellat Apoſtolus. Quandoquidem & ſi lumen hoc, debitum ſit cõditioni, & naturæ hominis, ſicuti ſua ſingulis naturis debita, cõgenitaq́; ſunt accidentia; quia tamen Deus eſt naturæ parens, qui res ex nihilo cõdidit; opera ipſa naturalia, quę fiunt per formas, ab ipſo rebus inditas, perque generale auxilium, ſunt eius munera.

Amplius; Idem probatur, quem diximus, ſenſus, ex ſequentibus Apoſtoli uerbis, cùm dicit: Quantum eſt hoc ædificium mundi, nihil aliud eſt, q̃ radius quidam, quo ſe Deus effundere, & manifeſtare conſtituit. Vnde inacceſſa illa Lux diuina, à creatione mundi effulgere, promicareq́; coepit. Ita quòd tria ſunt, inquit; quę de Deo, hæc rerum uniuerſitas nobis indicat; nimirum inuiſibilia Dei, mox ſempiterna eius uirtus, ac tertiò diuinitas. Per primum intelligit Apoſtolus, Dei attributa, quæ negationis etiam forma aliquando proferuntur; ut quòd ſit infinitus, immenſus; &c. Per ſecundum, intelligit ꝙ ſit principium operandi primum, idemq́; unum. Per tertium, inacceſſam Dei maieſtatem in nos effuſam intelligit, & ut noſter eſt finis. Hæc autem nouerunt Philoſophi lumine naturali. Diuus igitur Apoſtolus, de eorum naturali cognitione, eo in loco ſermonem habet. Ex conſequenti, Philoſophia eſt à Deo, quia cõtinet ueritatem. Quòd uerò illa tria, lumine naturali de Deo nouerint Philoſophi, non erit difficile probare; & hoc etiam probato, noſtrum clarius intentum euadet.

Prima igitur uia qua rimati ſunt Philoſophi uirtutem Dei, à ratione motus deſumpta eſt; quandoquidem per ſe notum, ac ſenſu compertiſſimum primum omnium habuerunt, res corporeas uniuerſas moueri; nempe alterari adinuicem, corrumpi, generari, & quæ pereunt ſementem facere, unde ſimiles repullulent; Coelos uerò, harum uiciſſitudinis mutationum expertos, loco ſaltem cieri. Sub hac autem ſenſuali experientia aſſumpſerũt, quicquid mouetur, ab alio moueri. Id quod Ariſtoteles. 7. & 8. phy. acutè ualdè eſt ratiocinatus. Et ab hoc principio eluceſcere illis coepit cauſarum ſeries, naturaliſq́; catena; qualiter inferior quæque à ſuperioribus moueretur; nempe ſublunaria hæc agentia, ſubiecta eſſe coeleſtibus lationibus, ut eorum uirtus inde gubernetur; quemadmodum in Meteoris, idem docet Ariſtoteles. Qui optimè perſpexit, quòd Sole ad nos accedente, quãplurima terræ naſcentia germinantur, quæ, recedente, exareſcunt. Vnde illud dictum promanauit: Sol & homo generant hominem. At quã ratione &

cauſa

cauſa, terrena hæc à Coelis mouentur, & Coelos neceſſe eſt ab alio circumferri. Eos nanque moueri & rotari conſtat. In cauſis autem non eſt abitio in infinitum; quoniam tunc nulla eſſet prima, quæ alias mouere inciperet; ex conſequenti nullus daretur motus. Quare ad unám primam, & hác immobilem, neceſſe eſt deuenire; ſecus & ipſa moueretur aliunde. Ecce quo modo uia motus perueſtigata eſt prima omnium cauſa. Et indé concluſerunt hanc primam cauſam unicam eſſe; quoniam ſi duæ eſſent primæ cauſæ, aut una egeret ope alterius, aut nón. Si primum; non eſt igitur cunctipotens. Si uerò detur ſecundum, altera igitur illarum ſuperflua relinquitur. Quare Ariſtoteles .12. Sapientiæ in calce dicebat: Entia nolunt malè gubernari; non eſt bonum pluralitas principatuum. Vnus ergo princeps.

Eadem quoque via & methodo inſiſtentes, contemplati ſunt unius primæ cauſæ, ſeu unius Dei uirtutem ſempiternam eſſe. Quoniam uirtus & ſubſtantia quæ immobilis eſt, illa quidem neque habet unde gigni, neque à quo poſſit corrumpi. Iterũ ſi ab ea habet Coelum ꝙ ſit durationis ſempiternæ, maiori longè ratióne & ipſa eius uirtus erit ſempiterna. En; Caluine; quomodo uia motus habuerunt Philoſophi, Deum eſſe primum omnium principium, idemque unum, ac denique ſempiternum. At nunquid & eius diuinitatem agnouerunt? Qùi illud Caluinus inficiari ualeat, non eſt facile uidere. Siquidem aliter Dei eſſentia denotatur nomine Deitatis, & aliter nomine Diuinitatis. Deitas nanque naturam Dei abſolutè exprimit; ſed, Diuinitas, eandem ſignificat, qua ratione rebus extra diffuſa participatur, & eſt omnium finis. Eſt enim id diuinum, quod eſt Deitatis particeps. Quamobrem Deus non dicitur diuinus, licèt dicãtur attributa diuina, quia ſignificantur modo intelligendi humano, ueluti accidentia. Cognouerunt igitur Deum philoſophi, ſe quodammodo rebus communicare, atq. adeo cuncta propter ſeipſum, ceu ſupremum finem, mouere. Non enim Deus appetitu & deſiderio ullius rei acquirendæ qua carcat, operatur; ſed amore ſuæ effundendæ bonitatis. Eadem itaque methodo, & motus ratione, potuerunt ultimi finis; ueluti primi authoris, rationem indágare tali pacto; Illud perſpicuum eſt & in natura clarum, res uidelicet cunctas agere, vel agi propter finem; doctrina eſt Ariſt. phyſicorum libro ſecundo. Vapores enim ſurſum, natura effectrice, & in aera, ut pluát, eleuantur. Pluit autem propter fruges; & fruges propter animantium uſum & alimoniam creſcunt. Et animalium, hominumqué præſertim membra, & organa, atque potentiæ, in ſua quæque officia, functionesque diſtributa, firmiſſimo ſunt teſtimonio, in ſuos ipſorum fines, ſuapte natura referri.

Cùm res igitur irrationales; quippe quæ non ſeipſæ arbitrio moueant; in ſuos ſe fines dirigere nequeant; planè colligitur, à ſapiente ſuo primo motore, in ſuos quæque dirigi, propellique fines; ueluti mittitur in ſcopum ſagitta. Et quoniam finem unum in alium ordinari, compertum eſt, neque uerò eſt in infinitum p illos aſcendere, ſed ad ſummum ſit tandem perueniendum; ſit neceſſarió conſequens, ut ipſe qui primus eſt Motor, ſupremus quoque ſit finis, propter quem ipſe cuncta fabricauit. Neque uerò id tan-

tum, ſed inde facilè ſapientes illi intelligebant, uirtutem illam primam, nō
ideo ſolùm ſempiternam eſſe, eandemq; omnium finem, ꝙ eſſet perpetuò
immota permanſura; ſed quòd iugi, perpetuaque prouidentia, ab initio
cuncta gubernaret. Vnde Cicero de natura Deorum libro ſecundo ad ini- *Tom.4.*
tium, dicebat: Quid enim poteſt eſſe tam apertum, tamq; perſpicuum, cùm
coelum ſuſpeximus, coeleſtiaque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod
numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? Et Lactantius ille Fir-
mianus, diuinarum inſtitutionum libro primo cap. 2. inquit: Nemo eſt tā
rudis, tam feris moribus, qui non oculos ſuos in Coelum tollens, tametſi
neſciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne quod cernitur, aliquam
tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, con-
ſtantia, utilitate, pulchritudine, comparatione. Sed de his inferius. *Lib.6.*
Interim dicimus hæc eſſe, in quorum meditationem, uoces nos iſtæ duę
miſerunt, ſempiterna uirtus, & Diuinitas: unde ex præmiſſis, duo relin-
quuntur probata, ſecundum nimirum, & tertium. Sed & primum, ex his
peroptimè innoteſcit, quoniam diuinæ eſſentiæ attributa, hac eadem me-
thodo Philoſophi deduxerunt, nempe bonitatem, ob quam operatur, Sa-
pientiā qua uniuerſa gubernat, & id genus alia, quæ Paulus uocat inuiſi-
bilia Dei. Quæ quidem, & ſi ſimplicitiſſima in ſe ſint una ſubſtantia, cùm ta-
men nobis non niſi per huiuſmodi perfectiones innoteſcant, quæ in nobis
multæ ſunt atque diuerſæ, pluratiuo numero ait Apoſtolus, Inuiſibilia. Et
quamuis humana cognitio, à uirtute Dei ad eius eſſentiam contemplan-
do conſcendat, quia tamen eſſentia prior eſt ſecundum rationem, quàm
potentia, eo ordine quo in ſe ſunt, ait, Inuiſibilia, uirtus, & diuinitas. Et
circa inuiſibilia adhuc inſiſtendo, dicimus ꝙ animaduertentes Philoſo-
phi ꝙ in nobis ſunt uiuere, ſapere, eſſe, & id genus alia, limitato atque im-
perfecto modo, & alia ex parte, Deum ipſum ſuſpicientes, & ꝙ ſit omnino
indepēdens, pro comperto habuerunt, Deum excellentiſſimo modo & per
ſe eſſe, per ſe uiuere, per ſe intelligere, & ſapere, & cætera huiuſmodi. Rur-
ſus, via negationis incedentes, remotionis, & depurationis eorum quæ
in nobis compoſita, mortaliaque ſunt, aut quouis alio modo indigna ut di-
uinæ ſubſtantiæ apponantur, quod in nobis affirmabant, in Deo negabant.
Vtpotè quia eſſentię noſtrę anguſtę ſunt, & certis terminis, àc periodis cō-
tractæ; in Deo infinitam, immenſamque eſſentiam intelligebant; immor-
talem, incomprehenſibilem. &c. Et quæ in nobis ſunt corpora ſeu accidē-
tia ſenſibilia, illic incorporea, per ſe ſubſiſtentia, & inſenſibilia exiſtima-
bant. Quæ denique in nobis compoſita ſunt & craſſa, eadem ſimplicia, ab
hiſque omnibus conditionibus immunia, nuda, pura, & defoecata, necnō,
vt ait Apoſtolus, inuiſibilia, Deo tranſcribebāt. Vnde Ariſtoteles in proœ-
mio ſuæ Metaphyſicæ dicebat, ꝙ Deus eſt omnium primum principium, &
cauſa. Et. 2. coeli ad contex. 17. inquit: Dei autem operatio immortali-
tas eſt; hoc autem eſt vita ſempiterna. Auerroes libro cui titulus eſt Deſt-
ructio deſtructionum, diſputatio 13. in ſolutione 18. dubij, habet quòd
Deus eſt cauſa agens, finis, & forma omnium intelligentiarum; omnium
autem entium ſenſibilium, cauſa eſt efficiens, forma, & finis. Et. 12. Sapiē-
tiæ, com-

tiæ, commento: 37. dicit quòd Deus uidetur habere [illegible] entia. Et comm. 39. dicit quòd multiplicitas attributorum [illegible] Deo eſt ſecundùm rationem, non ſecundùm eſſe. Diſputatione quoque [illegible] in ſolutione .3. dubij, inquit: Patet ergo quòd oportet quòd mundus habeat [illegible] ſagaciſſimum & ſapientiſſimum, à quo entia cuncta [illegible]. Et diſputatione .10. in ſolutione primi dubij, [illegible]. Et idem [illegible] (ſupple tu, philoſophi,) quòd tres ſunt denominationes in Deo; ſcilicet quòd [illegible], quòd eſt nobilis, & quòd eſt potens. Item diſputatione quinta, in ſolutione [illegible] bij, inquit: Deus Benedictus eſt unus ſimplex, licèt de pluribus [illegible] tionibus denominetur. Ex his itaque optimè [illegible] Apoſtolum in prænarrato loco [illegible] facere, de Philoſophorum [illegible] cognitione; & ex conſequenti docere, Philoſophi [illegible] ueritatem; & ita eſſe à Deo. Quibus quidem maximè conuenit [illegible] quæ Sapiens dicebat Eccleſiaſtici [illegible]

Tom.3. Fauet D. Pater Auguſtinus, qui de ſpiritu & litera cap. [illegible] præmiſſa D. Apoſtoli uerba inducens, ait: Vide quemadmodum non eos (ſupple, tu, Philoſophos,) dixerit ueritatis ignaros; ſed quòd ueritatem in iniquitate detinuerit; quia occurrebat animo, ut quæreretur unde illis eſſe potuerit cognitio ueritatis, quibus Deus legem non dederat. [illegible] habere potuerint. Inuiſibilia namque eius à creatura [illegible] intelligentiam inuiſibilium Creatoris. [illegible] Si igitur non fuerunt ueritatis ignari, philoſophi illi naturales, [illegible] in iniquitate detinuerunt, conſequens eſt, ut naturalis philoſophia ueritatem contineat: & inde conclusum relinquitur & clarum, quòd ſit à Deo. Quapropter nil mirum, ſi ſint inexcuſabiles, & in ſuis euanuerint cogitationibus, atque dialogiſmis, & Dei iudicio fuerint condemnati.

Confirmatur doctrina, authoritate Clementis Alexandrini, qui Pædagogi lib. 1. cap. 13. inquit: Quicquid eſt præter rectam rationem, id eſt peccatum. Et paulò inferius definiens philoſophiam, dicit quòd eſt ſtudium rectæ rationis. Modò ſic: Quicquid eſt præter rectam rationem, eſt peccatum. Philoſophia autem eſt ſtudium rectæ rationis. Non eſt ergo peccatum. Sed quòd ſit in ſe bona & à Deo proueniens, libro primo Stromatum idem exponit Clemens in hunc modum: Ante quidem aduentum Domini aduentum philoſophia Græcis neceſſaria ad iuſtitiam; nunc autem eſt utilis ad Dei cultum & pietatem, iis qui fidem colligunt per demonſtrationem. Quoniam pes, inquit, tuus non offenderit, ſi quæ bona ſunt ad Dei prouidentiam referas, ſiue Græca ſint, ſiue noſtra. Omnium enim bonorum Deus eſt cauſa: ſed aliorum quidem principaliter, ut teſtamenti ueteris & noui; aliorum autem per conſequentiam, ſicut Philoſophiæ. Fortè autem principaliter tunc etiam Græcis data fuit, priuſquam Dominus quoque [illegible] uocaſſet. Nam ipſa quoque Græcos Pædagogi more docebat, ſicut lex Hebræos ad CHRISTVM. Præparat ergo Philoſophia [illegible] qui à CHRISTO perficitur. Iam Sapientiam, inquit Salomon, uallo circunda, & te exaltabit, corona autem uoluptatis te proteget. Nam cùm [illegible] per Philoſophiam, & multam rectam eruditionem lorica munieris, Sophi-

ſtis

ſtis inacceſſam ſeruaueris. Atque eſt quidem vna via veritatis, ſed in eam tanquam in fluuium perennem, alia aliunde fluenta influunt. Diuinè ergo dictum eſt: Audi fili mi, & mea verba ſuſcipe, vt ſint tibi multæ viæ vitæ; vias enim Sapientiæ doceo te, ne te deficiant fontes, qui ex ipſa terra ſcaturiunt. Quo quidem in loco, vnius cuiuſdam iuſti vias plures ſalutares recenſuit. Infert autem alias multorum multas iuſtorum vias, hoc modo id indicans. Viæ autem iuſtorum ſplendent ſicut lux. Fuerunt autem mandata quoque, & quæ prius audiuntur diſciplinæ, viæ & adminicula vitæ. Hactenus ille. Qui adhuc paulò inferius ait: Iam quidam ancillarum ineſcati amatorijs, contempſerunt dominam Philoſophiam; & ex ipſis alij quidem conſenuerunt in Muſica, alij verò in Geometria, alij autē in Grammatica, plurimi aūt in Rhetorica. Sed quemadmodū liberales, quæ ſtāt in circulo diſciplinæ, conferunt ad Philoſophiam, quæ eſt ipſarum domina, ita etiam, ipſa Philoſophia conducit ad parandam Sapientiam. Eſt enim Philoſophia quidem exercitatio. Sapientia verò, ſcientia rerum diuinarum & humanarum, & cauſarum ipſarum. Eſt enim Sapientia domina Philoſophiæ, ſicut illa eius quæ prius auditur diſciplinæ. Si enim Philoſophia profitetur continentiam & linguæ & ventris, & eorum quæ ſunt ſub ventre, & eſt propter ſe eligenda; multò videbitur venerabilior & præſtantior, ſi exerceatur propter Dei honorem & cognitionem. Ita Clemens. Qui demum infra in hunc modum concludit: Hinc ergo dicimus, Philoſophiam nuda ratione habere inquiſitionem veritatis, & naturæ eorum quæ ſunt. Hæc autem eſt veritas, de qua ipſe dixit Dominus; Ego ſum veritas. Hæc ille. Quibus cùm nil clarius haud haberi poſſit, quid garriant neſcio maledicti Lutherani & Caluiniſtæ, quando eam abijciunt, & Scolaſticos Theologos, velut publicam perniciem exibilant. Eſt enim Philoſophia propter humanum exercitium, propter inquiſitionem veritatis, propter Dei cognitionem & honorem, ac demum eſt parans viam ad veram Sapientiam. Non eſt igitur cur ab huiuſmodi reijciatur. Eò magis, quando nec Sancti Patres reſpuerunt eam, minúſque in tergum abiectam eſſe voluerunt. Et licèt in eorum operibus non adeò expreſſa extet ratio hæc per quæſtiones diſputandi; ſummi tamen cùm fuerint Philoſophi, nulli dubium quin hanc nouerint peripateticam formam. Hoc D. atteſtatur Auguſtinus, qui de Trinitate lib. 14. cap. primo, *Tom. 3.* habita inter Sapientiam & ſcientiam diſtinctione, quòd ſcilicet rerum diuinarum notitia atque ſcientia, propriè Sapientia nuncupatur; humanarum autem, propriè ſcientiæ nomen obtinet; de hac dicit ſe diſputaſſe in eiuſdem voluminis lib. 13. non vtique quicquid ſciri ab homine poteſt in rebus humanis, vbi plurimum ſuperuacuæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribuens; ſed illud tantummodo, quo Fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur. Et contra Academicos lib. 3. cap. 17. *Tom. 1.* ſummoperè laudat Platonis Philoſophiam. Et cap. 19. vnam fatetur Platonis, & Ariſtotelis veriſſimæ Philoſophiæ diſciplinam. Et hanc non eſſe illam huius mundi Philoſophiā, quam Sacra noſtra meritiſſimè deteſtantur, apertiſſimè docet.

Vnde

Vnde cum D. Apoſtolo, fallacem & inanem, atque ſophiſticam damnat Philoſophiam; id quod etiam non prætermiſit Clemens Alexandrinus, Stromatum libro primo. Nedum igitur fuit Beatus Pater Auguſtinus Philoſophus Excellentiſsimus, uerùmetiam docuit, munus eſſe Naturalis Philoſophiæ, ſupernaturalia Fidei myſteria, non quidem demonſtrare, (ſolis enim ſunt diuinis teſtimonijs recepta) ſed tamen explicare, & contra Pſeudophiloſophos aſſerere; dum eorum eneruat argumenta, atque defringit; nihil aduerſus nos euincere declarans. Quænam eſſe poteſt perſpicacior, commodiorque ratio interpretandi, cùm Sanctorum dicta, tum maximè Sacrorum eloquia, quàm dum locus vnus in quæſtionem mittitur; vnde materia ſubiecta ex ſuis cauſis explicata, uerus depromitur ſenſus? Eſt enim homo rationale animal; qui nulla idcirco ui magis, uiaque pollet, ad eruendam undecunque ueritatem, atq. ex ſuis cauſis deducendam, quàm ratiocinatione & diſcurſu. Atq. adeò ut rerum cauſas, naturasque diſquirat, conſequentia iudicet, conciliet contraria, incognitum deniq. quiduis ex penitiſſimis latebris in lucem prodat, nulla re magis adiuuatur, quàm congreſſibus; ſi ordine fiant; cæteriſque ſcholaſticis exercitijs.

Nec Fides naturam deſtruit, at certè perficit; qua de re ſe adinuicem illuſtrant, & mutuò ſibi præſtò ſunt. Quemadmodum enim plurima nos Fides erudiuit naturæ ſecreta, Philoſophis antè inacceſſa; ita viciſſim, intelligendis & explicandis Fidei Myſterijs, plurimum rerum naturalium ancillatur cognitio. Eò potiſſimùm, quòd præter illa diuinorum arcana, cætera omnia, nempe quæ ad leges, quæ ad virtutes & vitia, quæ ad officia humana, contractus, necnon conſuetudinesque hominum attinent, ſoli ſunt Scholaſtici, à quibus diſcutiuntur, & pertractantur; nihilotamenſecius nemo ſanæ mentis reperitur, qui hæc omnia in Republica Chriſtiana non eſſe cognitu maximè neceſſaria aſſeuerare queat & audeat. Sed horum rationes, magna ex parte ſubminiſtrat philoſophia. Et ſanè D. Pater Auguſtinus, quantò ſua Dialectica & Philoſophia maius exhibuit Eccleſiæ negotium dum erat Manichæus, tantò fuit ei poſtea aduerſus Hæreticos vtilior. Quòd igitur non ſit uana philoſophia, ex hoc etiam patet diſcurſu. Cui & uerbis & ſenſu fauet doctiſſimus Soto, in præfatione primi libri de natura & gratia. Ex quo etiam facilè conſtat, à veritate nimis abhorrere id, quod iſti dictitant maledici Lutherani; nimirum philoſophorum Scholas, hæreſum ſemper officinas fuiſſe. Non enim poteſt uerus Philoſophus, minusque uera philoſophia hæreſes parere; proptereaquòd Fides & natura, cùm uicaria ſe mutuò luce perfundant; veluti diximus; vna intra proprios limites perſiſtendo, non poteſt aliam deſtruere, & auerſari. At illud perperam faciunt Pſeudophiloſophi, qui noſtræ Fidei ſacroſancta myſteria rimari natura volunt, atq. demoſtrare contendunt. Vnde Arrius hanc putauit rationem, inuictiſſimam demonſtrationem: Si in diuinis indiuidua eſſentia eſt Pater, eademque Filius. Conſequens eſt, ut Pater ſit perſona Filij. Hoc autem cùm Trinitatem tollat perſonarum, neceſſe eſt ponere aliam eſſen-

tiam

tiam eſſe Patris, & aliam filij. Ecce quòd huiuſmodi ratio innititur fundamentis naturæ; quæ cum vnitate eſſentiæ non patitur ſuppoſitorum pluralitatem, vel perſonarum, quia vtrunque eſt abſolutum, non ita autem in Deo; cùm eius eſſentia ſit quid abſolutum, perſonæ autem relatiuæ. Vnde Socrates & Plato ſunt duo ſuppoſita, ſeu duæ perſonæ, ob idq. duas habent eſſentias, quare ſunt etiam duo inter ſe diuerſa. In diuinis autem, Pater & Filius licèt ſint duæ perſonæ; non tamen duas habent eſſentias, nequidem ex conſequenti ſunt duo diuerſa, cùm ſola diſtinguantur relatione; & hanc ob cauſam, fides noſtra ponit in diuinis trinitatem perſonarum, cum vnitate eſſentiæ, & ita vnum Deum profitetur. Philoſophos itaque fuiſſe neceſſe erat, qui explicarent huiuſmodi ratiocinium non eſſe demonſtrationem, quam Arrius inuictiſsimam cenſebat.

Vrgent alij, Philoſophiam fallacem eſſe, pariterq. inanem; quoniam docet mundum æternum, aduerſus illud diuinum proloquium: In principio creauit Deus cœlum & terram. Cæterùm falſum & à veritate eſt prorſus alienum, quòd hoc doceat philoſophia; ſed ſunt Peripatetici, qui in hac parte ſunt abuſi Philoſophia. Gen. 1.

Adhuc; Ponit Fatum philoſophia certis regulis vniuerſum regere atq. gubernare, contra diuinum teſtimonium, & Pſalmum. 113., qui dicit: Omnia quæcunque voluit fecit Deus. Hoc de philoſophia inficiamur omnino; fatemur nihiloſecius, Academicorum dogma illud fuiſſe.

Item; Profitetur philoſophia animam humanam eſſe mortalem; cuius tamen oppoſitum habetur Eccle. 12., vbi legitur: Spiritus redibit ad Dominum qui fecit illum. Illud vera non docet philoſophia; atqui placitum fuit Epicuri & Alexandri.

Rurſus: Vniuerſa clamat philoſophia, quòd à priuatione ad habitum non datur regreſſus; idq. deſtruit reſurrectionem mortuorum. Quod aduerſatur fidei noſtræ articulo, & Iob cap. 19. ait: Iterum circundabor pelle mea.

Verum docet Philoſophia cùm ait, q̃ à priuatione ad habitum non datur regreſſus, naturali curſu. Id tamen non negat fieri poſſe Dei omnipotentia; quare nec mortuorum tollit reſurrectionem. Hanc tamen negant Pſeudophiloſophi; qui cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt; ſed naturam volebant omnium eſſe metrum.

Vera igitur philoſophia, non niſi veritatem docet, quia eſt ab ipſamet veritate procedens, qui eſt Deus benedictus. Vnde Iamblichus de Myſterijs, ait: Sicut lumẽ naturaliter & aſsiduè Solem ſequitur, ſic veritas Deũ.

Cùm itaque Lutherani, & cuiuſuis alterius ſectæ maledicti hæretici, à philoſophia Peripateticorum, ſeu Academicorum, ad philoſophiam in ſe & abſolutè acceptam, rationem ducunt; an neſciunt quòd fallaciam cõmittunt, à ſecundùm quid, ad ſimpliciter? Sed Logicam noluut ipſi audire, cùm tamen illa, omneſq. aliæ liberales artes, in Sacra Pagina repeꝛiantur. Sed de his in ſequenti.

Quod ſeptem artes liberales habentur in Sacra Pagina, & primo de Grammatica. Cap. 3.

IN ſuperioribus Philoſophiam latè acceptam in tres diuiſimus præcipuas partes, nimirum effectiuam, (vt aiunt) actiuam, & contemplatiuam; quę quidem ita ſe habent, quòd vna ordinatur ad aliam. Etenim artes omnes aliquam materiam tractantes & elaborantes ad ciuilem felicitatem, tanquam eius miniſtræ diriguntur; proinde nihil propter ſe efficiunt, at propter ciuilem felicitatem; quæ apud Ariſtotelem conſiſtit in actione, ex habitu virtutis proficiſcente. Actiua verò viam parat ad contemplatiuam, hæc ad Theologiam, ac demum Theologia ad veram, æternamq; felicitatem. Vnde ex hoc ordine ſolo, facilè conuincitur, totam philoſophiam à Deo ipſo procedere. Id quòd generatim in præcedentibus, de Naturali oſtendimus, & Contemplatiua; modò autem ad alias eius partes ſingulatim deſcendendo, liceat idem ad pinguiorem mineruam confirmare.

Quòd igitur Moralis diſciplina, ſeu illa philoſophiæ pars, quam actiuam nuncupamus, ſit donum Dei, ſuperq; ſatis ex veteri patet teſtamento, & ita in nouo confirmatur, vt nulla egeat alia probatione.

De artibus autem, quarum opus eſt in agendo, ſi uelimus habere ſermonem, quòd & ipſæ ſint donum Dei, ex eo perquam clariſſimè conſtat, quod legitur Exodi cap. 31. in hunc modum: Locutusq; eſt Dominus ad Moſen dicens: Ecce vocaui ex nomine Beſeleel filium Huri, filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuerſitate lignorum. Dediq; ei ſocium Ooliab, filium Achiſamech, de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi; tabernaculum fœderis, & arcam teſtimonij, & propitiatorium quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa tabernaculi, menſamq. & vaſa eius, candelabrum puriſsimum cum vaſis ſuis, & altaria thymiamatis, & holocauſti, & omnia vaſa eorum, labium cum baſi ſua, veſtes ſanctas in miniſterio Aaron Sacerdoti, & filijs eius, vt fungātur officio ſuo in ſacris, oleum unctionis, & thymiama aromatum in ſanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Videte vt ſabbatum meum cuſtodiatis; quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris; vt ſciatis quia ego Dominus, qui ſanctifico vos. Ecce quod Dominus Deus vocauit ex nomine Beſeleel, impleuitq. eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, ſcientia, & omni doctrina, ad excogitandum & faciendum opus in auro, & argento, & ære, ſculpendisq. lapidibus, & opere carpentario. Quicquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eius, ac demum præcepit vt ſabbatum cuſtodirent; idq. non ſine myſterio. Nondum igitur donum Dei ſunt artes quæ in rerum cognitione verſantur, quæ communiori vocabulo contemplatiuæ ſcientiæ dicuntur; verùm

etiam illę quarum opus eſt in agendo, ſeu quę effectrices nuncupantur. Et quoniam Medicinam inter artes illiberales enumerauimus, priusquã ad liberales deueniamus, quòd & ipſa ſit donum Dei relinquitur probandum. Sed id ſatis probant uerba Sapientis, qui Eccleſiaſtici cap. 38. inquit: Honora Medicum propter neceſsitatem; etenim illum creauit Altiſsimus. A Deo eſt enim omnis medela, & à rege accipiet donationem. Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatum collaudabitur. Altiſsimus creauit de terra medicinam, & uir prudens non abhorrebit illam. Tota igitur cùm ſit donum Dei philoſophia, & artes liberales partes ſint philoſophiæ; quòd & ipſæ ſint donũ Dei, relinquitur clarum. Sunt enim artes liberales ſeptem; nimirum Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria, Muſica, & Aſtronomia. Hæ autem ſunt partes, ſeu ad partem attinent philoſophiæ, quæ dicitur contemplatiua. Sunt igitur donum Dei. Sed hoc ſingulatim demonſtremus.

Prima itaque illarum Grammatica, ſeu loquendi peritia, ita in ſacris, diuiniſq. eloquijs adeſt, primumque affuit, ut eius primordia & communes literas, Hebræos cum lege Domini per Moſem accepiſſe, nulli ſit dubium; ueluti notauit Iſidorus, Etymologiarum lib. 1., cap. 3. Vnde ait; quæ literæ latinæ & græcæ, ab Hebræis uidentur exortæ. Apud illos enim prius dictum eſt Aleph; Deinde ex ſimili enunciatione, apud Græcos tractum eſt Alpha; Inde apud Latinos A. Tranſlator enim ex ſimili ſono alterius linguæ literam condidit, ut noſſe poſsimus linguam hebraicam, omnium linguarum, ac literarum eſſe matrem.

Diuiſiones quoque grammaticæ artis enumerat triginta, ibidem cap. 4., quæ ſunt, Partes orationis octo, uox articulata, litera, ſyllaba, pedes, accentus, poſituræ, notæ, ortographia, analogia, etymologia, gloſæ, differentiæ, barbariſmi, ſoloeciſmi, uitia, metaplaſmi, ſchemata, tropi, proſa, metra, fabulæ, hiſtoriæ. Ita à quibuſdam, inquit Iſidorus, dinumerantur; eas propterea deſcribere ac diſtinguere, non eſt præſentis negotij. Veruntamen hæc in Sacra Pagina contineri, uel obſeruari uſqueadeò uerum eſt, ut earum nonnullæ poſsint facilè explicari. Hiſtoriæ quamplurimæ ueræ & non fictæ, in libro Geneſis, Exodi, & alijs enarrantur, Præcipuè in quatuor Regnorũ, in duobus Paralipomenon, necnon in primo & ſecundo Machabæorum. Vbi prælia magna, bella internicina & exitioſa, ictus horribiles, uires extra modum, pericula & experimenta incredibilia, ac demum præclariſsimæ uictoriæ deſcribuntur. Nec fabulas preterijt, Sanctus diuinæ Scripturæ author Spiritus; dicitur enim fabula à fando, quia non eſt res facta, ſed tantùm ficta loquendo. Et ideo ſunt inductæ fabulæ, ut ficto mutorum animalium, uel etiam eorum quæ animam non habent, inter ſe colloquio, imago quędam uitę hominum noſceretur. Eapropter filius Hierobaal fabula utitur in lib. Iudicum, cap. 9., dicens: Audite me, uiri Sychem, ita ut audiat uos Dominus. Ierũt ligna ut vngerẽt ſupſe Regẽ; Dixerũtq. Oliuę: Impera nobis. Quę reſpõdit: Nũquid poſsũ deſerere pinguedinẽ meã,

qua & Dij utuntur & homines, & uenire ut inter ligna promoueat? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſsimos, & ire ut inter cætera ligna promoueat? Locutaque ſunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere uinum meum, quod lætificat Deum & homines; & inter ligna cætera promoueri? Dixeruntq. omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si uerè me Regem uobis conſtituitis, uenite, & ſub umbra mea requieſcite; ſin autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros libani. Et in Paralipomenon libro .2., cap. 25., cùm miſiſſet Amaſias Rex Iuda ad regem Iſrael, dicens: Veni, uideamus nos mutuò; ille remiſit nuncios, dicens: Carduus qui eſt in libano, miſit ad Cedrum libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Et ecce beſtiæ, quæ erant in ſylua tranſierunt, & conculcauerunt Carduum. Et Ezechielis cap. 17. legitur ꝙ, Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & uarietate, uenit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Schemata etiam, ideſt figuræ; in Sacra, Diuinaq. Scriptura reperiuntur; & pręſertim prolepſis, quæ ꝓoccupatio, ſeu præſumptio dicitur; quia id quod obijci poteſt, occupamus. Vtpotè cùm aliqua dicimus, quæ prima frō te apparent arroganter, aut ſordidè, aut obſcurè, aut minus utiliter, aut ſubtiliter, aut longiùs, aut breuiùs, aut aſpriùs, atq. liberiùs, aut minus aptè dicta; Et his, ueluti querelis prudentis lectoris, ſeu auditoris, breuiter occurrimus; & ratione oſtendimus, nos id non temerè, ſed cō ſilio dixiſſe, aut aliter fieri minimè potuiſſe; ea anteponendo, quæ ſequi deberent; ut in Pſalmo: Fundamenta eius in montibus ſanctis; diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Dicit enim Propheta, quòd Dominus diligit portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Et ne id videatur temerè dictum, & abſque conſilio, reſpondet tacitæ obiectioni, & ſui dicti rationem reddit dicens: Fundamenta eius in montibus ſanctis. Vt illud pronomen relatiuum (eius) referatur ad illud nomen (Sion) & ſit ſenſus: Quia fundamenta Sion ſunt in montibus ſanctis, ideo portas eius diligit Dominus, ſuper omnia tabernacula Iacob. Schema quidem elegantiſsimum, & mira præoccupatio; cùm ſub breuiſsimis, eiſdemque paucìſsimis uerbis, altiſsima claudat myſteria. Metra quoque, quæ ab eo dicuntur, ꝙ certis pedum menſuris atque ſpatijs terminentur, eadem Sancta Scriptura optimè nouit. Pſalterium quippe, Lyrici compoſuere pedes. Proſas mitto, Tropos, Hiſtoriæ genera, Differentias, & alias Grāmaticæ artis diuiſiones, cùm ex Sacra Pagina facilè dignoſcantur; & ad Rhetoricam pedem conuerto.

Pſal. 86.

Quod partibus Rhetoricæ benè vtatur Sacra Scriptura.

Cap. 4.

RHetorica, iuxta Iſidori placitum, eſt benè dicendi ſcientia in ciuilibus quæſtionibus, ad perſuadendum iuſta & bona, in rerũ, perſonarumque negotio. In Grammatica enim modum addiſcimus rectè loquendi, in Rhetorica uerò percipimus, qualiter ea quæ didicimus proferamus. Vnde Orator eſt uir bonus, dicẽdi peritus; qui conſiſtit artificioſa eloquentia, quæ conſtat partibus quinq.; ſcilicet inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciatione; quibus additur finis officij, quod eſt aliquid perſuadere.

Inuentionem igitur primo loco ſuſpicientes, dicimus Oratores, ſeu Rhetores illos diuinos, qui Sanctam conſcribendo Scripturam, cauſas Dei cum hominibus perorant, præcellentem, uerìſſimamq. habuiſſe inuentionem; quia uidelicet quod inuenerunt ut eloquerentur, aut pronunciarent, non ut Rhetores forenſis, aut ciuilis exercitij, de corde & ingenio proprio, ſed de Spiritu Sancto inuenerunt; authore Beato Petro, Apoſtolorum Principe, qui in 2. ſua Epiſtola, cap. 1., ſub finem, ait: Hoc primum intelligentes, ꝙ omnis prophetia ſcripturę, propria interpretatione non fit. Non enim uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines. Veriſſima igitur in eis fuit inuentio. Cùm nil aliud illa ſit, quàm excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimiliũ, quæ cauſam probabilẽ reddãt.

Diſpoſitio uerò eſt ordo, atque rerum diſtributio, quæ demonſtrat quibus in locis ſit unumquodq. collocandum. An autem rectè omnia ordinauerint atque diſpoſuerint Rhetores Spiritus Sancti, facile eſt uidere, ſi tum ueteris, tumque noui teſtamenti primam partem inſpiciamus, ut inde ad alias diuinæ ſcripturæ partes arguere liceat. Prima igitur pars ueteris teſtamenti, quæ eſt politica, ſub librorum numero quinario, miro cõtinetur ordine. Ita ut in primo libro fiat ſermo de qualitate Dei, qui legem iniungit, in ſecundo de qualitate Moſis, Dei ſerui, qui legem proponit, in tertio de qualitate cumuli, qui legem continet, in quarto de qualitate populi, legem admittentis, ac demum in quinto de breuitate epilogi, legem exponentis. Vnde ex illis libris, Geneſis, Exodi, Leuitici, Numeri, & Deuteronomij, talis poteſt oratio conſtrui: Dominus ille qui leges inſtituit, in hoc politico tractatu poſitas, eſt ſolus Deus Omnipotentiſſimus, & humano generi ſummè beneuolus. Illius igitur leges ab hominibus ueniunt obſeruandæ. Et nedum ſunt leges obſeruandæ, uerùmetiã Moſi, ipſius Dei famulo, quãtùm ad leges, quas in quodam proponit cumulo, eſt utique credendum. Et ſcientia politicæ ſi benè tractatur, debet populum diſponere, & ſub certo numero ordinare. Hæc autem politica eſt diuina, & benè tradita. Quare populus debuit ſub certis numeris ordinari.

Et vt nemo ab huius legis politicæ obſeruantia ſe rationabiliter excuſare valeat, hinc fit ut poſt eius diffuſionem, fitq à Moſe clarè expoſita, & breuiter explicata. Et ita patet hanc primam partem fuiſſe per eum mirabili ordine contextam.

Sed & noui teſtaméti pars prima, nempe quatuor Euangelia, mirum ordinem habent adinucem. Siquidem idem obiectum habent, & de eo quatuor docent attributa, hoc ordine ſeruato.

Quòd ſcilicet homo ille, qui dictus eſt IESVS, fuerit CHRISTVS in Lege promiſſus, Rex & Dominus omnium, Saluator hominum, & Filius Dei. Primum oſtendit Matthæus, Secundum Marcus, Tertium Lucas, & Quartum Ioannes. Et ex his quatuor, ueluti ex vno, hunc in modū poteſt erigi ratio: Homo ille, in quem concordant uoces omniū Prophetarum, quantùm ad omnia quæ prophetata ſunt de illo, qui debebat eſſe MESSIAS & CHRISTVS, eſt uerè CHRISTVS & MESSIAS in Lege promiſſus. In illum autem Sacrum Hominem, qui dictus eſt IESVS, omnium uoces Prophetarum, quantùm ad omnium concurſum conditionum, quas prædixerant de CHRISTO, concordarunt. Fuit igitur Homo ille CHRISTVS. Cuius quidem uirtutem, quoniam vidimus ad omnem ſpiritum creatum extendi, ſimul atque increatū, & quoniam eius poteſtatem, ad omnes corporum infirmitates, pariterque animorum, vidimus extendi, ſuper Legem Moſaicam & Sabbatum, ſuper mare, & ventum, ad mortis uinculum, ad multiplicandum cibū, & alimenta panum, ad reſtituendum auditum, loquelam, viſum, omniumque ſenſuum vſum, & id genus alia quamplurima; inde fit neceſſariò conſequens, vt ſit omnium Dominus & Rex Virtuoſiſsimus, atque Fortiſſimus. Cuius ingreſſus & introductio, conuictus & conuerſatio, conatus & recollectio, regreſſus à morte & reſurrectio, fuit per modum cuiuſdam ſpiritualis antidoti, & medicinæ ſalutaris omnium hominum; & proptèrea cenſendus eſt Saluator hominum & Medicus animarum. Qui cùm ſit uerò perſona media in Trinitate, & Deo æqualis in auctoritate, & Dominus æqualis in efficacia, in immenſitate, in modo operandi, in inſtruendo, in doctrinæ claritate, in beatitudine, in productione Spiritus Sancti, & in omnibns alijs, quòd ſit etiam Filius Dei viui, neceſſariò conſequitur. Hæc omnia clarè miroque ordine demōſtrant Euangeliſtæ; quare in eorum doctrina, óptima ſeruatur diſpoſitio. De elocutione autem nulla ſit hæſitatio; quoniam elocutio cùm ſit idoneorū verborum & ſententiarum ad inuentionem accommodatio; non eſt cur alia melior & aptior quàm illa Spiritus Sancti reperiri poſsit. Memoria eſt firma oratjonis perceptio. Pronunciatio uerò eſt uocis, & vultus, & geſtus moderatio, cum uenuſtate. Et harum utranque habuerunt Spiritus Sancti Oratores; tum quia opera extant, tum quia loquebantur uarijs linguis Apoſtoli. Partibus igitur Rhetoricæ quinque, benè utitur Sacra Scriptura.

Sex quoq. Orationis partes in Sacra Pagina optimè ſeruari facilè cōſtat. Sunt enim, Exordiū, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confu-

ratio, & Concluſio, ſiue Peroratio; nullis diſputationibus, nunquid Narratio & Propoſitio idem ſint, an potius diſtinguantur ueluti genus & ſpecies, & alijs, quæ noſtro minus fauent inſtituto.

Exordium eſt principium orationis, per quod animus auditoris præparatur ad audiendum. Idque in duas ſecatur partes, principium ſcilicet & inſinuationem; prima tamen para ſufficit ad id oſtendendum, quod principaliter intendimus; licèt utraque reperiatur in Sacra Scriptura. Et quoniam genera cauſarum ſunt quinque, nimirum honeſtum, admirabile, humile, anceps, & obſcurum; dicunt Rhetores, quod ſi genus cauſæ fuerit honeſtum, licebit uti, uel non uti principio. Honeſtũ enim cauſæ genus illud eſt, cui ſtatim ſine oratione noſtra fauet animus auditoris. Cùm aũt Sacræ Scripturæ author Spiritus Sanctus, nullam ſuſcipiat, uel à ſe audiri cauſã cupiat inhoneſtã, nil mirum ſi ei libuerit vti uel nõ vti principijs. Vndẽ Moſes nullo habito principio, ſtatim à narratione incœpit, dicens: In principio creauit Deus Coelũ & Terram. Quando autem ei viſum eſt expedire, vſus eſt principio, nõ ſolùm quo poſſit homines, ſed & ipſos coelos attentos, ipſamque terram auidam facere ad audiendum, cùm dicit: Audite Coeli quæ loquor, audiat Terra verba oris mei. Itidem facere oportunè optimè nouit Patriarchã Iacob, ubi dicit: Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſrael patrẽ veſtrum. Congregamini, ut annunciem quæ ventura ſunt uobis diebus nouiſſimis. Exordio igitur & principio in oratione vtitur Sacra, Diuinaque Scriptura.

Gen. 1. *Deute 32* *Gene. 49.*

Sed quid de narratione dicam? Narratio omnis in Sancta Scriptura, quàm eſt breuis, & quàm dilucida? Etenim narratio eſt rerum geſtarũ, aut perinde vt geſtarum, expoſitio. Cuius quidem, tres ſunt conditiones præcipuæ & neceſſariæ; nempe claritas, breuitas, ſeu mediocritas, & probabilitas. Atqui arbitramur; & certè non fallimur; quòd ſcriptorum omnium ſæcularium quantumuis accurata narratio, eius comparatione, fluxa, laciniosa, miſera ſit, atque obſcura. Sic breuis, ſic eſt lucida, ut miro, & penè ineffabili modo auditorem ſemper oblectet, ſemper nouum teneat. Quinetiam ſic facilis eſt, ut quiuis imitari ſe poſſe confidat. Sic grauis, ut nullus modum eius aſſequi præualeat. Effectuum omnium uериſsimę cauſę, perſonarum attributa certiſsima, locorum, temporum, & aliorum circunſtantiæ omnino credibiles, eam nedũ probabilem, uerisimilem, & credibilem, uerùm etiam certiſsimam, candidiſſimam, & ueriſsimam reddunt, omnique labe carentem.

Propoſitione uerò quo modo Sacra utatur Scriptura, non eſt difficile videre, ſi eius deſcriptionem perpendamus, atque naturam. Complectitur igitur Propoſitio ſummã cauſæ; & ei cùm opus fuerit additur partitio, ſiue diuiſio, quę mẽbra orationis aperit. Propterea in hunc modum eam deſcribunt Rhetores noſtri: Propoſitio eſt, qua breuiter ſtatus & ſumma totius cauſæ comprehenditur. Cui quidem, ſi fuerit ſimplex, nulla additur partitio; ſin autem, ſubijcitur diuiſio; quę breuis eſt partium Propoſitionis enumeratio. Et eſt duplex; vna, qua in omni-

ibus cauſarum generibus uti licebit; per quam explicamus, quot & quibus de rebus ſimus dicturi; & quem ſecuturi in dicendo ordinem oſtendimus. Altera eſt quæ tantùm in genere iudiciali adhibetur, per quam aperimus quid cum aduerſarijs conueniat, & quid in controuerſia relinquatur.

His igitur ita cõſtitutis, ad rem noſtram accedamus oportet; & cùm multa (& hæc quidem magnifica) inducere ualeamus exempla, unum tantùm ex Sanctiſsimo Lucæ Euangelio, cap. 7., pro noſtro tuendo inſtituto ſufficere, ſumus nihilominus arbitrati. Eo nanque loci, Rogabat IESVM quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit ꝙ IESVS accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrũ unguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis coepit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem Phariſæus qui uocauerat eum, ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quę tangit eum, quia peccatrix eſt. Modò autem in iſtis uerbis, duo præcipuè narrantur; Vnum, ꝙ illa mulier erat peccatrix; alterum uerò eſt, tactus eiuſdem mulieris, quo tangit Dominum, & Phariſæum ad murmurandum inducit. Primum, inter Dominum & Simonem conueniebat, ꝙ nempe illa mulier peccatrix erat. Secundum uerò, in cõtrouerſia relinquebatur; nunquid ſcilicet tactus ille, bonus eſſet, an malus. Illud igitur quod probare intendit, proponit Dominus Simoni, ſub his uerbis: Duo debitores erant cuidam foeneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit vtriſque. Quis ergo eum plus diligit? Reſpondens Simon, dixit: AEſtimo, quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti. Et quia propoſitio non erat ſimplex, ideo diuiſione uſus eſt Dominus; quoniam omiſſo ꝙ mulier illa peccatrix erat, quia in hoc ambo conueniebant, illud ſuſcepit defendendum, quod erat in controuerſia, dicens: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. In iſto progreſſu, ſuas partes Dominus noſter optimè defendit; quandoquidem & confirmatione utitur, & confutatione. Confirmatio nanque ad probandum, confutatio uerò ad refellendum ualet. Quare illa argumentando, cauſæ facit fidem; hæc autem aduerſariorũ argumenta, quæ uel obiecta ſunt, uel obijci poſſunt, diſſoluit. Dominus autem noſter in premiſſo diſcurſu, pœnitentis mulieris ueram iuſtitiam, quæ ex Fide & dilectione eſt, confirmat; & inde falſam reprehendens iuſtitiam, confutat. Quamobrem ꝙ eius ſit optima defenſio, nemini re-

linquitur

linquitur dubium. Concluſione tandem, quæ eſt artificioſus orationis exitus, non tam artificiosè, q̃ ſapienter & iuſtè utitur, cùm ſubdit: Fides tua te ſaluam fecit. Vade in pace. Et ita ſex habemus orationis partes in Sacra Pagina.

Quæ quidem, tria quoque cauſarum genera, nempe demonſtratiuũ, deliberatiuum, & iudiciale optimè recepit. Etenim Demonſtratiuum illud eſt, quod tribuitur in alicuius certæ perſonę laudem, aut vituperiũ. In ſacra autem, diuinaque ſcriptura, Deus ipſe Benedictus laudatur, & Diabolus uituperatur. Deliberatiuum eſt, in quo de únaquaque re deliberatur. Eius partes ſunt ſuaſio, & diſſuaſio; id eſt de expetendo & fugiendo; ſiue de faciendo, & non faciendo. Huiuſmodi partibus utitur ſacræ ſcripturę conditor Spiritus Sanctus, ſuadendo bonum, & malum diſſuadendo.

Iudiciale eſt, quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationem & defenſionem; vel petitionem & recuſationem. Sacræ Scripturæ ſæpe accuſationem tractant, atque defenſionem; iniuſtum uidelicet accuſando, & iuſtum defendendo. Id quod perquamclariſsimè conſtat ad Romanos cap. 5.; vbi accuſatur iniuſtitia unius hominis, per quam peccatores conſtituti ſunt multi; & defenditur iuſtitia unius hominis, per quã iuſti conſtituuntur multi. Tribus igitur cauſarum generibus, ſacra utitur ſcriptura. In qua, de ſtatibus & earundem cauſarum conſtitutionibus, ſic iuſtè, ſic ſapienter agitur, ut nemo unq̃ ſecularium ita egerit, vel agere potuerit.

Quando enim quæritur, ſiue diſputatur, an fuerit res aliqua, uel futura ſit, eiuſque ueritas coniecturis inquiritur; ſtatus, aut cauſæ coniecturalis cõſtitutio nuncupatur. De qua habetur Exodi cap. 22., ſub his uerbis: Si quis commendauerit proximo ſuo Bouem, Aſinum, Ouem, & omne iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, ac debilitatum, uel captum ab hoſtibus, nulluſque hoc viderit, iuſiurandum erit in medio, ꝙ non extenderit manum ad rem proximi ſui; ſuſcipietq́. Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. Si uerò à ſcripto, aut è ſcriptis, aliquid naſcatur controuerſiæ, conſtitutio, ſeu ſtatus ille, rectè legalis nuncupatur. De quo Hieremiæ cap. 7.; quando Iudæi arbitrabantur ſeſe diuinam ſcripturam adimplere, ſanctamque obſeruare legẽ, incenſum offerendo, & carnes ſacrificij manducando. Sed quid? Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael. Holocauſtomata ueſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes, quia nõ ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra AEgipti de verbo holocauſtomatum & victimarum; ſed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite uocem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate in omni via quam mandaui uobis; ut benè ſit uobis. Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed abierunt in uoluptatibus, & in prauitate cordis ſui mali, factiq́. ſunt retrorſum, & non in ante, à die qua egreſsi ſunt patres eorum de terra AEgipti, uſque ad diem hanc.

Factum

Factum autem ſi conueniat, ideſt, factum eſſe non negetur, ſed iure ſit an iniuria quæratur, Iuridicialis eſt. Eiuſque partes duæ ſunt; quarum una abſoluta, altera aſſumptiua nominatur. Et quoniam tẽpus reſpicit præteritum, ad genus pertinet iudiciale. Pars abſoluta dicitur illa, quando aliquid bonis & honeſtis rationibus uolumus eſſe factum id que tanquam bonum & honeſtum uſqueadeò defendimus, ut aliud nihil foris aſſumamus. Et propterea in iudicijs Domini Dei omnino dãnatur; quoniam ab eo nihil quod rectè factum ſit, quaſi non rectè factum quæritur. Sed de malorum actis duntaxat cognoſcit & iudicat. Quo fit, ut qui malum tanquam bonum & honeſtum, ſimpliciter & abſolutè defendere contendunt, à iuſtiſsimo illo iudice dãnentur. Hoc Saul optimè nouit; qui primo Regnorũ libro, cap. 15., contra Dei præceptum, Agag regem Amalech, multamque predam reſeruans, id ueluti bonum & rectè factum defendere curauit; Quare Dominus Deus eum à regno deiecit.

Altera pars dicitur aſſumptiua, quoniam factum non poſſumus tanq̃ rectè factum, bonum, iuſtum, & honeſtum abſolutè defendere, ſed foris aliquid defenſionis aſſumimus. Et hæc apud Deum in iudicijs eius, partim ſuſcipitur, partim damnatur; quoniam plures habet modos & partes; quæ ſunt conceſsio, remotio, trãslatio, & comparatio criminis. Conceſsio criminis eſt, cùm reus non id quod factum eſt defendit, ſed vt ignoſcatur ſuppliciter poſtulat. Et hæc apud Deum Benedictum maximè & præcipuè ſuſcipitur, & iuſtus eſt ille qui maximè concedit, & maximè ſibi poſtulat ignoſci, iuxta illud: Iuſtus in principio eſt accuſator ſui. Vnde ipſa duas habet partes; quarum altera deprecatio, & purgatio altera dicitur. Deprecatio eſt, cùm ſe & peccaſſe, & conſultò peccaſſe reus confitetur, & tamen poſtulat ut ſui miſereatur; ueluti exemplum habemus de Dauid, quando in Pſalmo. 50. dicebat: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Purgatio autem eſt, cùm factum quidem conceditur, ſed culpa remouetur; quando ſcilicet reus negat, ſe illud conſultò feciſſe, ſed aut per imprudentiam, aut per fortunam, ſeu per euentum, aut per neceſsitatem. Per imprudentiam, ut quando Gene. cap. 20., Venit Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tuliſti. Habet enim virum. Abimelech uerò non tetigerat eam. Et ait: Domine, num gentem ignorantem & iuſtam interficies? Nónne ipſe dixit mihi, ſoror mea eſt; & ipſa ait: Frater meus eſt? In ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum, feci hoc. Per fortunam, ſeu per caſum & euentum, ut quando Leuitici cap. 10., Iratus Moſes contra filios Aaron qui remanſerant, ait: Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto, quæ Sancta Sanctorum eſt? & data uobis ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Domini; præſertim cùm de ſanguine illius non ſit illatum intra Sancta; & comedere debueratis eam in Sanctuario, ſicut preceptum eſt mihi? Reſpondit Aaron: Oblata eſt hodie victima pro peccato, & holocauſtum coram domino, mihi autem accidit quod

uides. Quomodo potui comedere eam, aut placere domino in cærimonijs mente lugubri? Quod cùm audiſſet Moſes, recepit ſatisfactionem. Per neceſsitatem, ut quando Iudicum cap. 11., Iepthe voto ſubito coactus, filiam ſuam ſacrificauit. Bellum enim ſuſceperat aduerſus Ammonitas, ob idq́; votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihiq́; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocauſtum offeram domino. Tranſiuitq́; Iepthe ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius, percuſsitq́; ab Aroer uſque dum uenias in Mennith, viginti ciuitates, & uſque ad Abel, quæ eſt uineis conſita, plaga magna nimis; humiliatiq́; ſunt filij Ammon, à filijs Iſrael. Reuertenti autem Iepthe in Maſpha domum ſuam, occurrit ei vnigenita filia cum tympanis & Choris. Non enim habebat alios liberos. Qua viſa, ſcidit ueſtimenta ſua, & ait: Heu me; filia mi, decepiſti me, & ipſa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum; & aliud facere non potero. Cui illa reſpondit: Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es, conceſſa tibi ultione, atque victoria de hoſtibus tuis. Vnde eam tandem, voto coactus ſacrificauit.

Excuſatur tamen & purgatur, propter voti neceſsitatem, ita vt in Catalogo ſanctorum computari mereatur. Conceſsio igitur & eius partes; nimirum deprecatio, atque Purgatio; in iudicijs Dei ſuſcipiuntur. Remotio verò criminis dicitur, cùm à nobis non crimen, ſed cauſam ipſam amouemus, & vel in hominem transferimus, uel in rem aliquam conferimus. Huius exemplum habemus clarum Gene. cap. 3., quando dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit: Serpens decepit me, & comedi. Hæc dicens mulier, non crimen, ſed criminis cauſam à ſe amouere uoluit; illamq́; in ſerpentem, & eius deceptionem transferre. Vnde huiuſmodi remotio criminis non ſuſcipitur in iudicijs Dei, ſed ab eo damnatur.

Damnatur etiam translatio criminis; quando ſcilicet nos illud feciſſe atque perpetraſſe non negamus, ſed aliorum peccatis coactos, feciſſe dicimus. Hoc perquam clariſsimè conſtat de Adam in memorato loco, quando ad eum dixit Dominus Deus: Quis indicauit tibi quòd nudus eſſes? niſi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti? Dixitq́; Adam: Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Hæc ille dicens, crimen à ſe transferre voluit. Idcirco dixit ei Dominus Deus: Quia audiſti uocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus uitæ tuæ. Comparatio eſt cùm aliquod alterius factum, honeſtum, aut utile contenditur; quod ut fieret, illud quod arguitur dicitur eſſe commiſſum. Ita eam deſcribit Iſidorus, libro etymologiarum 2., cap. 5.; eiusq́; habemus exemplum in actis Apoſtolorum, cap. 16., de diuo Paulo; qui ad Galatas cap. 5. dicebat: Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit; Timotheum nihiloſecius circuncidere voluit. At illud fecit, non quia aliud prædicaret, & aliud faceret;

ceret; verùm propter Iudæos, qui erant in illis locis. Ad euitandum ſcilicet illorum furorem, & ne ſe exoſum eis redderet, tanquam violatorem legis. Gentiles enim Chriſtiani effecti, non circuncidebantur; Atqui Iudæi etiam Chriſtiani effecti, adhuc circuncidebantur. Ob id Timotheum filium mulieris iudeæ circuncidit, ne exoſus eſſet Iudæis, ſecum ducens incircunciſum. Qui quidem Iudæi, iam dixerant, D. Apoſtolum diſceſsionem docere à Moſe, cum quo tamen erat in ſpiritu & veritate; ſed hoc quia non poterat ratione demonſtrare, demonſtrauit quadam criminis ſimilitudine. Sed quoniam meum non eſt Rhetoricam edere modò, idcirco tot de ea mihi dicta ſint ſatis.

De natura & ratione Dialecticæ. Cap. 5.

Dialectica eſt diſciplina, ad diſcernendas rerum cauſas inuenta; quam Græci authores dixerunt inſtrumentum eſſe philoſophiæ, ſeu diſciplinam inſtrumentalem; à Philoſophis inuentam, ad diſcernendum in philoſophia verum à falſo. Et quoniam nouimus Ariſtotelem ad initium primi libri de arte Rhetorica dixiſſe, Dialecticam & Rhetoricam ſimiles eſſe inter ſe; id annotandum ſtatuimus, Ariſtotelem eo loci nomine Dialecticæ, totam Logicam haudquaquam intellexiſſe, at ſolam eius partem diſputatricem, quæ octo libris topicis continetur. Nos autem nomine Dialecticæ, totam Logicam intelligimus, vnum pro alio accipiendo, vt eorum dictis, qui ſeptem artes liberales enumerarunt, ſimus conformes. Cæterùm vt clarior noſtra reddatur doctrina; non amplius nomine Dialecticæ, at ſemper Logicæ nomine utemur; ut omnes intelligant nos de tota diſciplina, & non ſolùm de eius aliqua parte ſermonem habere. Licèt nos minimè lateat, multos eſſe elegantius philoſophantes; qui latini ſermonis candorem magis, quàm Philoſophiam ſectantes, diſciplinam hanc totam malunt Dialecticam, quàm Logicam nominare; quaſi Dialectica latinum nomen ſit; Logica verò alienum, vel barbarum; cùm tamen neutrum latinum ſit, ſed græcum vtrunque. Valeant ergo ipſi, & nos ad rem noſtram propius accedamus. Naturam igitur Logicæ aperiendam duximus, ut inde faciliori quadam methodo, breuioriq; diſcurſu, noſtrum pateat inſtitutum. Quod vt clarius euadat, ab eius definitione primordia capiamus oportet. Eſt itaque Logica diſciplina inſtrumentalis, à Philoſophis ex philoſophiæ habitu genita; quę ſecundas notiones in conceptibus rerum fingit, & fabricat, vt ſint inſtrumenta, quibus in omni re verum cognoſcatur, & à falſo diſcernatur.

Quod ſit diſciplina inſtrumentalis, ex eo patet, quòd illud Græci docuerunt enarratores, & idem facilè comprobat ratio. Inſtrumentum ſiquidem dupliciter accipitur; vno quidem modo prout à natura, alio verò modo quatenus efficitur à nobis. In primo ſenſu, partes animalium & ſtirpium ſunt inſtrumenta, quibus anima exercet operationes vitæ. In ſecundo autem ſenſu, omnia arte facta ſunt inſtrumenta, quibus vtimur ad illa nobis comparanda, quæ humanæ vitæ ſunt neceſſaria, vel ſaltem commoda;

moda;

moda; vt nauis, domus, gladius, clauis, & id genus alia. Sed & alia quædam ſunt inſtrumenta, quæ à nobis fiunt, quibus iuuatur intellectus noſter, ad rerum cognitionem adipiſcendam; & non ſunt niſi animi concep[illegible], de quibus tractatur in Logica diſciplina; propterea ſatis appoſitè, illam Græci enarratores inſtrumentalem appellarunt; id eſt, non propter ſe, ſed propter alias diſciplinas inuentam. Eſt enim inſtrumentum quod nõ propter ſe, ſed propter aliud efficitur. Vnde ceſſante vtilitate ad aliud, in eo quoque ratio ceſſat inſtrumenti. Modum autem vt noſcamus, quo animi noſtri conceptus ſunt inſtrumenta, illud animaduertendum venit, ꝙ huiuſmodi conceptus ſolent à nobis voce articulata ſignificari, quia eſt ipſa ſignum illius, qui eſt in animo, conceptus. Hæc autem vox duplex eſt, altera quidem, quæ rei conceptum ſignificat; vt homo, animal, &c. Alia verò, quæ ſignificat conceptum conceptus; ut nomen, verbum, enunciatio, genus, ſpecies, ratiocinatio, & cætera huiuſmodi. Vnde illæ primæ, iſtæ verò ſecundæ notiones appellantur. Intellectus enim noſter intelligendo producit quendam conceptum, qui eſt terminus intellectionis, in quo primò res intellecta cognoſcitur, atque intellectui manifeſtatur. Hunc ſacri noſtri Theologi verbum intellectus eſſe dicunt; ſed apud philoſophos dicitur ratio, ſeu definitio, vel ſimilitudo, aut imago rei intellectæ, in qua relucet, & fit intellectui manifeſta. Apud Logicos uerò, prima dicitur intentio, & ita prima intentio eſt conceptus, ſeu primæ notiones ſunt conceptus, quorum ſigna ſunt huiuſmodi nomina; Animal, homo, Leo, Aſinus, & his ſimilia. In his autem primis notionibus fundantur ſecundæ, in hunc modum: Dum conſideramus Platonem, Ariſtotelem, Franciſcum, Petrum & Paulum in hoc ſimiles eſſe, ꝙ homines ſunt, conceptum hominis communem mente formamus, qui dicitur conceptus rei, proinde primus conceptus, & prima notio. Poſtea uero dum huiuſmodi conceptum animaduertimus eſſe quid commune, quod de multis ſolo numero, non natura differentibus prædicatur; inde fit, ut huiuſmodi conceptum hominis, & quemcunque alium ei conſimilem, ſpeciem nuncupemus, & ſecundam effingamus notionem. Vnde ſecundum nomen, primo nomini imponimus, & in conceptu rei, alterum ſecundum conceptum formamus, ut quod primo dicebatur homo, dicatur modo ſpecies; & ita primam atque ſecundam habemus intentionem formaliter acceptam. Dixi formaliter acceptam, quoniam datur etiam prima & ſecunda intentio obiectiuè accepta. Et prima intentio obiectiuè ſumpta, eſt ſpecies illa intelligibilis præuia actui intellectus; ſiue modo ſit expreſſa, ut uoluit Ioannes de Baccone, ſiue impreſſa, ut docuit Diuus Thomas, hoc non impedit. Ad hanc autem ſpeciem, ſeu primam intentionem obiectiuè acceptam, ſequitur actus intelligendi, per quem producitur ille primus conceptus, ſeu rei intellectæ definitio, imago, & ſimilitudo, quæ dicitur prima intentio formalis. Circa quam negotiando intellectus, animaduertit, quòd eſt quid commune pluribus, & ab eis indiſtinctum, unde oritur in ea quidam reſpectus rationis, qui dicitur communitas & indiſtinctio; qui

quidem reſpectus dicitur ſecunda intentio obiectiua. Rurſus, ſi animaduertit intellectus, naturam illam eſſe quid commune pluribus ſolo numero, non [illegible] natura diſcrepantibus, & inde format aliquem conceptū qui dicitur ſpecies; & hæc eſt ſecunda intentio formalis, de qua tractatur in Logica. Et quod dicimus de ſpecie, dicatur de genere, differentia, & alijs, quæ in Logica pertractantur.

Istæ igitur ſecundæ notiones formaliter acceptæ ſunt inſtrumenta, quibus vtatur intellectus humanus, ad rerum cognitionem adipiſcendā; quoniam à nobis, niſi hanc præſtarent vtilitatem, minimè formarentur. Quo fit, vt non propter ſe, at propter aliud ſint ab intellectu fabricata, & Logica ea conſiderans, non p̄p ſe, ſed propter alias diſciplinas fuerit reperta. Et propterea meritò iureq. optimo, eam Græci enarratores diſciplinam appellarunt inſtrumentalem. Quod aūt ſit à philoſophis ex habitu philoſophiæ genita, ex his quæ tradit Ariſtoteles in calce 2. Elenchorum facilè conuincitur. Inquit enim: Et de Rhetoricis quidem erant multa, & antiqua dicta; de ſyllogiſmis autem omnino nihil habuimus prius aliud quicquam quod diceremus quam mora perquirentes, multo tempore inſudauerimus. Hæc Ariſtoteles. Quibus profitetur, ſe primum fuiſſe Logicæ inuentorem; Logicæ, inquam, non naturalis, ſed artificialis. Eſt enim duplex Logica; naturalis ſcilicet & artificialis. Naturalis eſt quidam inſtinctus naturalis, & quædam nullo humano ſtudio comparata, qua homines ratiocinia formant, & ſine vlla artis argumentandi notitia, rationes inducunt. Hac vſi ſunt antiquiores philoſophantes, qui ducti naturali inſtinctu, methodum quādam in rerum contemplatione ſeruabant, & quibuſdam notis principijs conſtitutis, ad ignota progrediebantur. Poſteriores verò philoſophi, eorum ſcripta legentes, non ſolùm philoſophiam, verùmetiam Logicam modo quodam didicerunt, & illam ad certas regulas reduxerunt; & hic fuit Ariſtoteles. Quare meritò dixit, ſe primum fuiſſe Logicę artificialis inuentorem. Et quoniam ipſe [illegible] addiſcendo, Logicam inuenit artificialem, q̄ hæc ſit pars [illegible] illius rectè con[illegible]ſit doctiſsimus & excellentiſsimus Iacobus Zabarella. Et cum philoſophia, nullaq. ſcientia, ſine Logica, ſaltem naturali, [illegible]; quod Logica ſit abſolutè neceſſaria, & non tantum ex [illegible], & ad bene eſſe, vt dicebat Iandunus, fit neceſſario conſequens. Eſt enim ſcientia effectus demonſtrationis, authore Ariſtotele in primo de [illegible] reſolutione. Qui igitur artem, ſeu viam ignorat demonſtrandi, quæ traditur, [illegible] ex Logica habetur; impoſsibile eſt, ipſum aliquam habere ſcientiam, quemadmodum optime docebat Zimara, in ſuis annotationibus aduerſus Ioannem de Ianduno ſuper quæſtionibus Metaphyſicalibus, ad quæſtionem ſecundam primi Metaphyſicæ.

Quod vero [illegible] rerum, ſecundas notiones effingat & fabricet, iam expoſitum [illegible]; hoc etiam addito, quòd illæ ſecundæ notiones ſunt inſtru[illegible] verum cognoſcitur, & diſcernitur à falſo. [illegible], non eſt cur eas [illegible] in rerum conceptibus fab[illegible]. Non igitur prop[illegible]

ſ[illegible]

propter aliud ſunt, nempe propter ſcire, & ita rationem habent inſtrumēti.

Vnde ex his oritur finis ipſius Logicæ, quod ſcilicet eſt diſcernere in philoſophia contemplatiua verum à falſo; ſiue in noſtra mente cognitionem parere. Hanc autem parere non poteſt ſine demonſtratione, & hęc non poteſt haberi ſine ſyllogiſmo. Quare ſequitur, quòd parere in nobis cognitionem, ſit ipſius Logicæ finis extrinſecus, ſyllogiſmus verò finis intrinſecus. Diximus enim ſupra, finem intrinſecum artis illum eſſe, qui producitur per eam; veluti domus eſt finis intrinſecus artis ædificatoriæ, habitatio verò finis extrinſecus. Ita etiam finis extrinſecus ipſius Logicæ eſt ſcientia perfecta, quæ extra eam quæritur, nempe in philoſophia; finis verò intrinſecus communis eſt ſyllogiſmus, præcipuus autem demonſtratio, quæ fit in Logica. Hęc omnia expreſsit Ariſtoteles in primo libro de priori reſolutione ad initium, ſub his verbis: Primum dicere circa quid, & cuius ſit conſideratio; quoniam circa demonſtrationem, & ſcientiæ demonſtratiuæ. Poſtea determinare quid eſt propoſitio, & quid terminus, & quid ſyllogiſmus, & qualis perfectus, & qualis imperfectus. In his enim verbis, mira breuitate finem Logicæ tum internum, tum externum expreſsit Ariſtoteles. Externum quidem, quando dicit, conſiderationem eſſe gratia ſcientiæ demonſtratiuæ. Internum verò tum communem, tum pręcipuũ, quando dicit agendum prius eſſe de ſyllogiſmo, vt inde ad demonſtrationē progrediatur. Syllogiſmum igitur cùm ordinet ad demonſtrationem; ꝙ hęc ſit finis internus Logicę pręcipuus, ille verò cõmunis, neceſſariò conſequitur. Id quod etiã innuere voluit Ariſt. in calce.2. Libri Elenchorum, quãdo exponere intendens ſeipſum fuiſſe primũ Logicę artificialis inuentorem, dicit ſe primũ docuiſſe de ſyllogiſmis, de quibus nemo ante locutus erat. Totã igitur artem logicam in ſyllogiſmi ædificio verſari eſt arbitratus. Quare Logica magis habet rationē artis, q̃ ſcientię. Huius enim finis internus eſt ſcire, illius autem operari; veluti in ſuperioribus exarauimus. Ariſtoteles nanq. in.6.libro de moribus, cap.4., ait: Ars aũt oĩs circa generationē verſatus, cõminiſciturq́. & contēplatur, vt eorũ aliquid fiat, quę & eſſe & non eſſe poſſunt: quorũq́. principiũ eſt in eo qui facit, non in eo quod efficitur. Et in primo libro priorũ, ad initiũ ſecundę & tertię ſectionis, aſtruit ſe generationē ſyllogiſmorũ docere; quo modo.ſ. efficiendi ſunt, & quo modo facilè à nobis fieri poſsint. Ars igitur ſi circa finis generationē verſatur, & Logica verſatur circa generationē ſyllogiſmi, q eſt finis; ꝙ habeat rõnem artis, nemo ibit inficias. In ijs.n. rebus verſatur, quę à nobis fieri poſſunt, & earũ generationē docet, quod ẽt artes faciũt. Eſt igitur ſimilior artibus, q̃ ſciẽtijs. Non eſt tamen propriè ars; quoniã ars habitus quidã eſt, cũ rõne vera effectiuus; authore Ariſtotele. in.6. de moribus, cap.4. Logica verò nõ eſt inter huiuſmodi habitus connumeranda; quoniã efficere propriè ea dicimur, quę extra edimus; eodē atteſtãte Ariſtotele, qui in ſecũdo auſcultatorio libro, ad contextũ.3., dicit artē eſſe principiũ operandi in alio. In hoc.n. diſcrimen oſtendit, quo naturã ſeparat ab arte, quoniã natura eſt principium operationis receptę in eoipſo, in quo natura ineſt, qaum immanentem communiter appellant; ars

verò eſt principium operationis in alio, quam tranſeuntem eſſe dicunt. Logica autem licèt ſit habitus animi, non tamen effectiuus alicuius operis extra animum, ſed in ipſomet animo; idcirco eius operatio eſt immanens; & ita ars propriè minimè dici poteſt. Nequidem ſcientia propriè & formaliter venit appellanda. Quandóquidem cuiuſque diſciplinæ natura ab ijs rebus pendet, quæ conſiderantur in ea. Si igitur res, aut ea quæ in Logica conſiderantur, non poſſunt conſtituere ſcientiam propriè acceptam; ꝙ ipſa non ſit propriè ſcientia, perſpicuum relinquitur & clarum. Ariſtoteles igitur in 6. lib. de moribus cap. 3., & in primo de poſteriori reſolutione ad initium, docet verã ſcientiam verſari circa ſimpliciter neceſſarium & æternum, minimè autem ex ſuppoſitione, & quod poteſt aliter ſe habere. Auicenna verò in principio ſuæ Logicæ, & in primo Meta. cap. 2., vult eiuſmodi diſciplinæ munus eſſe, ſolas ſecundas notiones conſiderare, atque pertractare; & eſt communis omnium ſententia. Modò autem huiuſmodi ſecundæ notiones opus noſtrum ſunt, & arbitratu noſtro eſſe, ac non eſſe poſſunt. Non ſunt igitur res neceſſariæ nec æternæ, ſed contingentes. Quare de eis non poteſt eſſe, nec vera haberi ſcientia.

Rurſus, Ariſtoteles in primo Topicorum lib., cap. 9. ad initium, definitionem problematis dialectici tradens, triũ problematũ genera aſsignat, contemplatiuum nempe, actiuum, & logicum. Illa tantùm aſsignare intendens, quæ ſub philoſophorũ conſideratione cadunt. De primo itaq; dicit, ꝙ tendit ad veritatem & ſcientiam. Secundi autem dicit ſcopum eſſe, non cognitionem, ſed electionem, vel fugam; id eſt, agere vel non agere. Tertiũ demum vult vtriq; auxiliari. Quam quidem ſententiam, his verbis ſequentibus in hunc modum confirmat Ariſtoteles: Quædam enim problematũ vtile eſt ſcire tantùm ad eligendum vel fugiendum; vt vtrũ voluptas ſit eligenda, an non? Quædam autem ad ſciendũ tantùm; vt vtrum mundus æternus ſit, an non? Quędam verò ipſa per ſe quidem ad neutrum horum; adminiculantia autem ſunt ad aliqua talium. Pleraque enim ipſa quidem per ſe non volumus cognoſcere, ſed aliorum gratia; vt per illa aliud quippiam cognoſcamus. Hęc Ariſtoteles. Ex quibus perquam clariſsimè conſtat, logicalia non eſſe per ſe cognitu digna, at propter alia. Quoniã ad eorum quę ſunt digna cognitu, cognitionem perducunt. Non igitur Logica eſt ſciẽtia. Ariſtoteles; inſuper; 6. Sapientię libro, ad contextum 2., diuidit ſciẽtiam in Naturalem, Mathematicam, & Diuinam; quæ omnes ſunt de ente reali. Logica aũt cùm non ſit de ente reali, nequidẽ rationẽ põt habere ſciẽtiæ.

Nec dicant, Ariſtotelẽ eo loci verba facere de ſciã reali, cuiuſmodi nõ eſt Logica; ſed eſt ſcientia rõnalis. Quoniam nugæ ſunt iſtæ & vanitates.

Siquidem Ariſtotelis proceſſus mancus vtique eſſet, atque omnino inualidus. Eius nanque intentio erat demonſtrare, Metaphyſicam, ſcientiã eſſe cõmunem, & nullam illarum particularium; cùm huiuſmodi ſcientia verſetur circa ens quà ens, reliquæ autem ſcientiæ particulares, circa partem aliquam entis. Inde tandem concludit, tres tantùm eſſe ſcientias &c. Et cùm Metaphyſica non ſit circa ens mobile, nec circa ens quantum, relinquitur; inquit Ariſtoteles; quod ſit circa ens quà ens; & ex conſe-

quenti ſcientia communis. Modò autem ſi logica diſciplina ſit propriè ſcientia, cùm & ipſa ſit communis, quòd Ariſtotelis proceſſus mancus ſit & inualidus, inde conſequitur. Quandoquidem duæ cùm ſint propriè ſcientiæ communes, Metaphyſica nimirùm & Logica, ſuum erat ulterius progrediendo, demonſtrare diſtinctionem inter utranque; ut inde propria atque germana haberetur ratio Metaphyſicæ. Et dato etiam quòd Logica ſit diſciplina quædam particularis, ſuum quoque erat eodem in loco, diſcrimen demonſtrare inter eam & Metaphyſicam; quoniam potuiſſet quiſpiam dicere: Licèt Meta. non ſit de ente mobili, nec quanto, eſt tamen de ente rationis, & ita eſt particularis. Et hoc non potuit omittere Ariſtoteles; quoniam ibi onus deſumptum erat tractandi propriam rationem Metaphyſicæ, prout contradiſtinguitur alijs ſcientijs, tam rationalibus, quàm realibus. Etſi eo in loco tractauit de ſcientijs ſolummodo realibus, de rationali ſcientia ubinam locutus eſt? De ea profectò ſaltem in.6. libro de moribus, in quo de quinque habitibus intellectus verba facit, pertractare debebat. Id quod tamen minimè fecit; ſed de ſcientia pertractando, conditiones induxit ſcientiæ realis, quemadmodum & in libris de poſteriori reſolutione, ad quos lectorem reijcit. Cùm igitur de hac ſcientia rationali nullibi pertractauerit, alterum duorum neceſſariò conſequitur; ſcilicet vel quòd Ariſtoteles defecerit, vel quòd Logica non ſit ſcientia. Primum non eſt admittendum; igitur ſecundum. Ex quo perit barbara illa diſtinctio de Logica docente & vtente. Nam ſi Logica prout eſt docens eſt ſcientia, & hæc rationalis; vbinam de ea pertractauit Ariſtoteles? Nuſquam certè. Idem igitur quod prius. Propterea Ariſtoteles in.2. Sapientiæ, particula.15., Logicam ipſam modum ſciendi appellauit; quoniam modum, regulas, & inſtrumenta tradit & docet, quibus ſcientias acquirere valeamus. Ex quo patet error Balduini; qui in Græcos enarratores animaduertens, nolebat Logicam inſtrumentum eſſe philoſophiæ, ſed facultatem inſtrumentorum; quoniam non ipſa eſt inſtrumentum, ſed facultas, inquit, docens inſtrumenta, quibus aſſequimur philoſophiam. Etenim hæc eadem animaduerſio in Ariſtotelem haberi poſſet; cùm nec modus ſciendi Logica ſit, verùm diſciplina docens modum ſciendi. At optimè nouit Ariſtoteles, & omnes eiuſdem claſsis peritiores, quòd diſciplinæ à rebus pendent in eis conſideratis, & ab eis denominationem ſuſcipiunt. Quare cùm ea quæ in Logica pertractantur ſint inſtrumenta, ſeu modi cognoſcendi res in philoſophia conſideratas; meritò iureque optimo reſpectu philoſophiæ, inſtrumentum, ſiue modus ſciendi nuncupari poteſt. Quæ cùm ſit modus ſciendi, uerè propriéque ſcientia eſſe non poteſt. Secus non dixiſſet Ariſtoteles: Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi. Hanc eandem doctrinam multorum argumentorum congerie demonſtrare poſſemus, verùm quia non eſt hoc principale inſtitutum noſtrum, cedimus, & hoc vnum volumus pro omnibus locum habere; nimirùm quòd vera ſcientia habetur ex proprijs, veris, immediatis, & id genus alijs, quæ docet Ariſtoteles in primo de poſteriori re-

ſolutione. Logicam verò procedere ex communibus & vniuerſalioribus docet ipſe in 2. de generatione animalium, cap. 6. circa principium; propterea Logicam demonſtrationem vniuerſalem atque inanem appellat. Quomodo igitur erit Logica propriè ſcientia?

Accedit Auerroes in 4. Phyſicorum, comm. 28. in paraphraſi Metaphyſicæ tracta. primo, cap. 1. ad initium, in paraphraſi primi de cœlo, ſumma 7. propè finem, in primo cœli, comm. 70. 8. phy. comm. 70. & 4. phy. comm. 87. ac demum in 2. poſteriorum, in commento magno, in principio. Idem docet Alexander in primo Topicorum, prænarrata Ariſto. verba exponens, in 4. Meta. enarratio 21. & alibi; videatur etiam Simplicius in 3. Phyſicorum, in expoſitione contextus 18. videatur item Auer. in paraphraſi Meta. tractatu 2. in initio, & in 7. Meta. comm. 2. in fine. In caſſum, his viſis, nouerimus eos laboraſſe, qui Logicam inter veras ſcientias enumerare contenderent.

E diuerſo autem, rectius illi ſenſerunt, qui illam diſciplinam, ſeu habitum intellectualem, & hunc inſtrumentalem, eſſe voluerunt. Quorum quidem ſententiæ præter ea quæ dicta ſunt, fauet Ariſtoteles in 6. Ethicorum libro, cap. 3. cum dicit: Efficitur igitur, ut ſcientia quidem demonſtratiuus ſit habitus, & quæcunque alia in Reſolutorijs definiuimus. Hic enim innuit Ariſtoteles demonſtrationem, quæ inſtrumentum eſt ſcientiæ acquirendæ; ex conſequenti etiam innuit Logicam non eſſe verè ſcientiam, atqui habitum intellectualem, diſciplinamq; inſtrumentalem, gratia ſcientiæ inuentam. Quo fit, vt eam inter habitus intellectuales minimè expreſſerit. Propterea quòd principales duntaxat habitus exprimere voluit, ſecundarios tacitè includendo; quemadmodum ſi dicamus: Lactantius Dormaninius Romam venit, ut Sanctiſſimi Domini ſui, Sixti Pontificis Maximi, & huius nominis quinti, deoſculetur pedes; hac unica dictione, ciuitatem principalem, ſeu ab ipſo Lactantio principaliter intentam; nempe Romam; expreſſè, alias verò medias, ſcilicet Bononiam, Florentiam, cæteraſúe ad quas tranſiturus eſt, tacitè ſignificamus. Ita etiam Ariſtoteles dicens ſcientiam habitum eſſe demonſtratiuum; illa unica dictione, habitum principalem, ſcientiam ſcilicet, expreſſè, illum verò, qui non eſt niſi gratia ſcientiæ, nimirum Logicam, tacitè ſignificare voluit. Cùm itaque Logica non ſit propriè ſcientia, verùm diſciplina inſtrumentalis, & artibus ſimilior quàm ſcientijs, inde ſcatet illorum defectus, qui ei modo ſcientiæ, obiectum, ſiue ſubiectum impingunt, cùm tamen ſubiectum non niſi operationis ei propriè conueniat. Sumitur enim ſubiectum quadrupliciter; nempe pro quacunque re in ſcientia conſiderata; & hoc pacto non accipitur, cùm de ſubiecto alicuius ſcientiæ verba fiunt; ſecus etiam principia, partes, & paſſiones ſubiecti, eſſent ſubiectum in ſcientia. Sumitur deinde ſubiectum, pro ſubiecto demonſtrationis; & eſt illud quod eſt verè ſubiectum in ſcientia, quandoquidem de ipſo affectiones per principia demonſtrantur. Tertio modo accipitur ſubiectum metaphoricè, pro fine ſcilicet artis, cuius opus eſt in agendo, ſiue [illegible] facultatis operatricis; vt cùm dicimus ſanitatem ſubiectum eſſe in arte Medica.

Accipitur demum ſubiectum, pro ſubiecto operationis; & eſt illud quod in operatricibus facultatibus propriè ſubiectum dicitur: ueluti in arte Medica humanum corpus, & in fabrili ferrum.

Qui igitur Logicæ ſubiectum quæſiuerunt, in ſecunda ſignificatione illud acceperunt: quoniam & ſcientiam propriè ſumptã, Logicam eſſe voluerũt. Cùm aũt non ſit propriè ſcientia, nec illud ſubiectũ, quod eſt æternum & neceſſarium, habere poteſt. Sed quia eſt diſciplina operatrix, & inſtrumentorum fabricatrix, quibus ſcientiam aſſequi valeamus; ei ſubiectum operationis, & in quarta ſignificatione ſumptum, aſsignare non ambigimus. Id enim omnibus operatricibus facultatibus eſt omnino neceſſarium; quoniã nulla forma à nobis produci poteſt, niſi in aliqua ſubiecta materia, quæ illam recipiat. Et quia Logica eſt de ſecundis intentionibus, quæ apponuntur intentionibus primo intellectis; veluti dicebat Auicenna tractatu primo ſuæ Meta., cap. 2.; propterea res omnes, ſiue earum conceptus, erunt eius ſubiectum, in quo ſecundæ notiones effinguntur. Quem enim locum habent in arte ſtatuaria æs, in fabrili ferrum, & in Medicina humanum corpus, eundem habent in Logica rerum conceptus, qui primæ dicuntur notiones. Siquidem quemadmodum ſtatuarius aſſumit ſibi æs, aut lignum, tanquam materiam & ſubiectum, in quo Mercurij formam efficiat, ſiue figuram, quæ illius artis finis eſt; ita Logicus aſſumit ſibi rerum omnium conceptus, ſeu primas intentiones, tanquam ſubiectum, in quo ſecundas notiones effingat, quæ ſunt finis Logicæ diſciplinæ; finis, inquam, intrinſecus, qui tamen in alium finem ordinatur, in acquiſitione ſcilicet ſcientiarum; ſed iſte finis eſt Logicæ extrinſecus, qui diſciplinam aliquam conſtituere non ualet, quemadmodum in ſuperioribus diximus. Subiectum igitur à Logico conſideratum ſunt res omnes, non tamen quatenus res ſunt, at quatenus ſecundis notionibus ſubſtant. Leo enim & Aſinus res ſunt, & conſiderantur à Logico, non tamen ut Leo & Aſinus, verum ut ſpecies ſunt. Conſiderat Logicus hominem eſſe riſibilem, aſinum rudibilem, cœlum circulo moueri, & id genus alia, non quidem ut res ſunt ad inuicem conuenientes, at quatenus propoſitiones, ſiue enunciationes dicuntur. Vnde Logicæ definitiones veritatem habent de ſecundis notionibus quidditatiuam, de primis verò non niſi denominatiuè. Huiuſmodi enim notiones ſecundæ, non ſunt niſi relationes quædam fundatæ in rebus intellectis; ut dudum diximus: idcirco in nominibus ſecundarum intentionum duo conſiderãmus; unde dicitur intentio, quæ relatio eſt, & res ſubiecta intentioni, quæ denominatur ab illa relatione. Propterea cùm dicimus: Homo eſt riſibilis: ibi ſubiectum habetur & prædicatum, quæ ſunt nomina ſecundarum intentionum; ideo ſubiectum denominat hominem, & prædicatum denominat riſibile. Quo fit, ut non uniformiter, & ex æquo illa duo importentur in talibus nominibus; ſed relatio ſeu ſecunda intentio propriè ſignificatur; res autem ſubiecta ſolummodo connotatur; quemadmodum docet Ariſt. de albo in prædicamentis; ſignificat enim album puram albedinem, ſed connotat ſubiectum, quod ab albedine denominatur album. Ita hoc nomen

genus, ſignificat puram intentionem ſecundam, ſiue relationem quandam rationis; ſed connotat animal. Quemadmodum igitur ſi definiatur album, definitur vnum, iuxta Ariſtotelis dogmata, .7. Sapientiæ, particula. 13., & eius definitio competit albedini quidditatiuè, ſubiecto verò non niſi denominatiuè; ita pari paſſu, ſi definiatur genus, eius definitio conuenit ſecundæ notioni quidditatiuè, rei autem ſubiectæ denominatiuè tantùm. Hoc innuere crediderim voluiſſe Auicennam, in. 3. parte ſuæ logicæ, quando dixit: Dicemus ergo imitantes priores, quòd vnumquodque eorum quę ponuntur exempla pro aliquo iſtorum quinque, eſt in ſe aliquid aliud; & in hoc quòd eſt genus, aut ſpecies, aut differentia, aut proprietas, aut accidens commune, eſt aliud aliquid. Ponamus autem in hoc exemplum generis dicentes, quòd animal eſt in ſe quoddam; & idem eſt vtrum ſit ſenſibile, aut ſit intellectum in anima. In ſe autem nec eſt vniuerſale, nec ſingulare. Si enim in ſe eſſet vniuerſale, ita quòd animalitas ex hoc quòd eſt animalitas eſſet vniuerſalis, oporteret nullum animal eſſe ſingulare; ſed omne animal eſſet vniuerſale. Si autem animal ex hoc quòd eſt animal eſſet ſingulare, impoſsibile eſſet eſſe pluſquam vnum ſingulare; ſcilicet ipſum ſingulare cui debetur animalitas, & eſſet impoſsibile aliud ſingulare eſſe animal. Animal autem in ſe eſt quoddam intellectum in mente, quod ſit animal; & ſecundùm hoc quod intelligitur eſſe animal, non eſt niſi animal tantùm. Si autem præter hoc intelligitur eſſe vniuerſale, aut ſingulare, aut aliquid aliud, iam intelligitur preter hoc, quoddam ſupra id quod eſt animal, quod accidit animalitati. Animalitas enim non fit ſingularis deſignata, niſi quia adiungitur ei aliquid quòd facit illam. Similiter eſt in intellectu; quia non fit ſingularis, niſi addiderit intellectus aliquid, per quod fiat ſingularis. Deinde non accidit extrinſecus vt ſit vniuerſale; ita vt ſit vna eſſentia verißimè, quæ eſt animal, cui accidit in vniuerſalitas extrinſecus, vt ipſa eadem habeat eſſe in multis; ſed in mente accidit huic formæ animalitati intellectæ, ut ponatur comparatio ad multa; & vt ipſius vnius formæ ſit comparatio certa ad multa, quæ ſimilantur in illa; intellectus enim prædicat illam de vnoquoque illorum. Sed qualiter ſit hoc, vlterius attende; quia ita ſicut de figura, vel de alijs; aut ſicut pannus albus. Pannus autem albus in ſe eſt quoddam, & albedo aliud quæ coniungitur; ſic quoddam aliud eſt ex vtriſque compoſitum. Similiter animal in intellectu quoddam eſt, & eius vniuerſalitas, ſiue generalitas aliud quiddam, & hoc quod eſt animal generale aliud quoddam. Et generalitas uocatur genus logicum; de qua intelligitur quòd prædicetur de multis differentibus ſpecie, ad interrogationem factam per quid; & non exprimit, vel deſignat aliquid quod ſit animal, vel aliud aliquid. Sicut album, quod in ſe eſt aliquid intellectum. Sed quòd ſit homo aut lapis, eſſet præter id quod intelligitur de illo; ſed conſequitur ad illud, & putatur eſſe vnum; & genus logicum eſt hoc. Ergo hoc quod dicitur genus, non eſt longè vt approprietur ei nomen huius intentionis, & vt denominetur hoc nomen ab eo quod accidit ei aliquo modo; quòd eſt generalitas. Hæc Auicenna, paucis interpoſitis.

Cùm

Cùm itaque res omnes, ſiue earum conceptus ſint in Logica ſubiectum, vt in eis ſecundas notiones effingat; iam ſatis conſtat, eas non eſſe ſubiectum demonſtrationis; quemadmodum in philoſophia; at operationis, velut in arte. Id quod voluit Auerroes in ultimo cap. Epitomes libri prædicamentorum, ſub his verbis: Iſta itaque ſunt genera magis vniuerſalia rebus ſenſatis; & ſpecies iſtorum & genera eorum ſunt ſubiecta in ſcientijs, & in iſta ſcientia; ſed iſtud eſt duobus modis diſtinctis. Quod poſtea declarat multis verbis, quæ in hoc conſiſtunt; quia ſcilicet ſunt ſubiectum in Logica decem prædicamenta, quatenus eis contingunt intellecta ſecunda; hoc eſt, quatenus eis ſecundæ notiones imponuntur. In ſcientijs verò, quatenus ſunt conceptus rerum, quæ extra animam ſunt, & quatenus cognoſcibilia ſunt.

Subiectum autem operationis, nec debet eſſe omnino cognitum, nec penitus incognitum; quoniam in ſubiecta materia penitus ignota, nullam poſſumus effingere, ſeu imprimere formam; ſed tantam eius cognitionem habeamus oportet, quantam ſingulorum operatio requirit. Huius exemplum inducit Ariſtoteles in cap. 13. & vltimo primi libri de moribus, quando oſtendit ad quem modum ab ipſo ciuili ſit perquirendum de anima; ſcilicet non ſimpliciter, ſed aliqua ex parte, & quatenus pertinet ad moralem materiam. Quandoquidem eius trita diſcuſsio, alterius eſt ſpeculationis; nimirum philoſophi naturalis; quoniam talis conſideratio pertinet ad librum de anima. Idem poſſumus dicere de fabro reſpectu ferri, & de quouis alio artifice. Quemadmodum videre eſt apud Auicennam in prima parte ſuæ Logicæ, qui ait: Cognitio autem compoſitorum fit duobus modis; quia aut cognoſcuntur ſecundùm hoc quòd apta ſunt ut ex eis fiat compoſitio prædicta; aut cognoſcuntur ſecundùm hoc quòd ſunt naturæ & res, quibus accidit hic intellectus. Ad ſimilitudinem domus; quæ componitur ex lignis & alijs componentium; cuius opus eſt cognoſcere ſimplicia domus, ſcilicet ligna, & lateres, & lutum. Sed ligna, & lateres, & lutum habent diſpoſitiones, propter quas fiunt apta domui, & eius conſtructioni; & alias diſpoſitiones præter has ſicut hoc quòd ligna ſunt huius ſubſtantiæ, in qua fuit anima vegetabilis, aut quòd natura eorum eſt calida, aut frigida, aut quòd operatio eorum inter ea quæ ſunt eſt talis, vel talis. Hoc autem ſcire non eſt neceſſarium artifici domorum; ſed an trabes ſit mollis vel dura, aut ſit ſana vel putrida, aut huiuſmodi, neceſſarium eſt ſcire domorum artifici. Similiter eſt in doctrina Logica; non enim conſiderat incomplexa harum rerum ſecundùm quòd ſunt alicuius duorum modorum dictorum eſſe, ſecundùm quòd eſt in his ſenſibilibus, aut in intellectu; nec ut eſt in eſſentia harum rerum, ex hoc quòd ſunt eſſentiæ; ſed ſecundùm quòd ſunt prædicata, aut ſubiecta, & vniuerſalia, aut particularia, aut huiuſmodi, quæ non accidunt his intellectibus; niſi ex hoc quòd diximus in præmiſsis. Hactenus Auicenna. Qui parum inferius ſubdit dicens: Ea quæ ſunt in intellectu, aut ſunt res formatæ in intellectu apprehenſæ extrinſecus, aut ſunt res accidentes ei ſecundùm quod ſunt in intellectu, quæ non fuerant repræſentatæ in

tatæ in aliquo extrinſeco. Cognitio autem horum duorum ſpectat ad doctrinam vnam, quorum vnum eſt ſubiectum doctrinæ logicæ, ſecundùm accidens quod accidit ei. Ecce quòd Auicenna vult ſubiectum in Logica eſſe non ens rationis; veluti quidam perperam ſenſerunt; ſed res ipſas; non quidem ſimpliciter & abſolutè acceptas, at quatenus ei deſeruiunt ad fundandas ſecundas notiones; & idcirco de eis nil aliud cõſiderat, quemadmodum oſtendit domificatoris exemplo. Hac de cauſa Ariſtoteles in ipſo exordio Logicæ diſciplinæ, librum decem categoriarum ſcribere voluit; quoniam ſcilicet neceſſaria Logico fuit aliqua ipſarum rerum cognitio, priuſquam eis ſecundas notiones imponeret; quoniam in rerum conceptibus fundantur, & ita ſecundæ non poſſunt eſſe ſine primis intentionibus; vt conſtat. Propterea Ariſtoteles in principio ipſius Logices, rerum omnium leuem ac rudem notitiã nobis tradere decreuit. Quod ſi animaduertiſſent Epiſcopus Caſertanus & Balduinus, non dixiſſent, librum illum decem categoriarum, logicum non eſſe, at metaphyſicum. Ex quo etiam conſtat, eos deceptos fuiſſe, qui ex ijs quę in illo pertractantur libello, collegerunt, Logicam eſſe de rebus abſolutè acceptis.

Arbitrabantur enim eo loci, nempe in libello decem categoriarum, agi de rebus abſolutè atque ſimpliciter, ducti illa rerum diuiſione, qua vtitur Ariſtoteles, inquiens; Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto quędam dicuntur, in ſubiecto verò nullo ſunt. In caſſum etiam laborauerunt, dicentes, principalem Ariſtotelis intentionem illam eſſe, vt ageret de vocibus, quia dicit in prima diuiſione: Eorum quæ dicuntur, alia quidem ſecundùm complexionem dicuntur, alia verò ſine complexione. Sed quoniam conceptus per voces ſignificantur; inde factum eſt, ut plerique voluerint, in illo decem categoriarum libello agi de conceptibus. Verùmenimuerò decipiuntur omnes. Quandoquidem ſi dicamus, Logicam agere de vocibus præciſè, id factum eſt; quoniam ſi quis diſputet apud ſemetipſum, non utitur voce; & ſi poſſet etiam colloqui alter alteri abſque uoce, patet quòd Logicam haberet, & decem categoriarum notitiam, non tamen per voces. Nec etiam agit de vocibus ſecundùm proprias figuras; quoniam hoc eſt munus Grammaticæ; ſed vt ad Rhetoricam ſpectat. Minuſq. de uocibus agit ut fiunt à natura; proptereaquòd de eis agit Naturalis philoſophia, vt patet ex libris de anima. Sed nec de vocibus agit vt ſignificatiuæ ſunt; quia & Grammaticus ita conſiderat, & Rhetor; ut patet intelligenti. Nam & quid ſignificent, & quatenus ſignificant de ipſis conſiderant. Sed & quod Logica ſit de vocibus non magis videtur, quàm de ſcriptis. Nam ſimiliter contingit ſcribere; quoniam accidit, nec per ſe competit, vt vel voce, vel ſcripto, Logica vtamur. Sed neque de conceptibus agit ſimpliciter Logica & abſolutè; quoniam de quibuſdam loquimur, quæ conceptui non competunt; ut ſuſcipere contraria competit ſubſtantiæ, magis & minus qualitati, & id genus alia. Sed neque de rebus; quoniam res non ingrediuntur ſyllogiſmum, aut propoſitiones; & Logica non eſſet Logica, quum ſit rationalis diſciplina, & tunc eſſet realis. Nam de rebus, omnes aliæ ſcientiæ conſiderant; Logica autem pa-

tem pa-

rem parat inſtrumenta ſciendi; vt patet ex dictis. Eſſet etiam Logica ſcientia, vel certè pars philoſophiæ de veritate rerum. Et cùm Metaphyſica de his conſideret, non videretur differentia. Nec poteſt dici, ꝙ in Metaphyſica de huiuſmodi decem categorijs pertractetur per demonſtrationem, & ſcientificè, in Logica autem probabiliter. Cùm in Metaphyſica nullas videatur Ariſtoteles rationes adducere, at ſolùm recenſere ſignificata, & ſpecies rerum, non minus probabiliter, nec magis ſcientificè, quàm in Logica.

Vt autem noſcant iuniores, quo modo in Logica de huiuſmodi agatur quæ modò recenſuimus, illud adnotandum nouerint, quod notat Ari- *Cap.1.* ſtoteles in primo Elenchorum libro, & cum eo Auicenna, in prima parte ſuæ Logicæ; nempe quod Logicus vtitur vocibus & nominibus pro rebus. Quòd ſi rebus vti, nobis eſſet ſemper conceſſum, affirmaremus, negaremus, & ratiocinaremur, non uocum, ſed rerum ipſarum officio. Et ſicut nunc connectuntur voces & diſiunguntur, ita res oſtenderentur connexæ, vel diſiunctæ.

Et quod modo voces connectantur, vel diſiungantur, id fit ratione rerum ſignificatarum, non ratione vocum ſignificantium. Quòd enim homo ſit animal, hoc vniuerſale, illud particulare, ratione rerum ſignificatarum prouenit; ſicut intelligenti patet. Cùm autem voces locum rerum teneant, neceſſe eſt vt & voces inter ſe ita ſe habeant ſicut & res.

Voces, inſuper, ſignificant res, non immediatè, ſed mediantibus conceptibus, & ſignificant rerum conceptus, non pro conceptibus, ſed pro rebus. Ea enim vox (homo) ſignificat hominem, ideſt, rem externam; non tamen immediatè, ſed mediante conceptu, ideſt, iuxta id quod concipit ratio. Non enim vox ſignificat conceptum pro conceptu, ſed quatenus conceptus tenet locum rei, quam ſignificat; & rem ſignificat, vt mente concipitur.

Ex his facilè cognoſci poteſt, quo modo in libro decem categoriarum res ipſæ conſiderentur, quo modo uoces, & conceptus. Res enim conſiderantur quatenus faciunt ad conſtruenda inſtrumenta Logicalia, ſyllogiſmos nempe, demonſtrationem, definitionem, & id genus alia; vt diximus. De uocibus autem, non præciſè & per ſe, ſed vt rerum locum tenent; & cùm per accidens uoce res ipſæ ſignificentur, per accidens quoque de vocibus agitur. Si enim poſſemus abſque voce id quod uolumus ſignificare, nullus vocum eſſet uſus; ſicut etiam ſcriptum fruſtra eſt, cùm uox adeſt; & fruſtra vox, cùm quis ſuo conceptu, ſuaq. mente diſputat. Quòd ſi etiam conceptus poſſet omitti, ita quod loco conceptus rei, poſſemus uti ipſa re, tunc ipſæ res ſatis eſſent; & tunc etiam diſputaremus nobiſcum, & apud alios, non niſi ipſarum rerum officio. Cùm enim adeſſent res ſignificatæ, non opus eſſet ſignis rerum; ideo quod inſtrumenta diſputandi ſint per ſigna, accidit. Maior tamen difficultas eſt de conceptibus, quam de ſcripto, vel voce; ſi quis nihiloſecius rectè intelligat quomodo conceptus tenet locum ſigni ſignificantis rem, & facile intelliget quod præſente re, non opus eſſet ſigno eius; ſicut præ-

ſente

ſente homine ipſo, non opus eſt imagine ſua, ad eum repræſentandum. De rebus igitur hoc pacto eſt conſideratio, quatenus faciunt ad conſtruenda inſtrumenta; .V.G. quòd ſubſtantia ſit ſubiectum contrariorum, & ſubijciatur omnibus; in libello prædicamentorum conſideratur res ipſa, quatenus debent fieri propoſitiones, in quibus voces, rerum locum tenentes, ſic ſe habent inter ſe, ſicut res ſignificatæ; quemadmodum in iſta propoſitione: Homo eſt animal: Homo ſubijcitur, & animal prædicatur; ita ſe habent res ſignificatæ. Et homo eſt albus, & homo alio tempore eſt niger; ſicut idem ſubiectum ſubijcitur duobus contrarijs in ipſis uocibus, ita in re, ſubſtantia illa quæ eſt homo, ſubijcitur duobus contrarijs; nec eſſet in propoſitione & vocibus iſta ratio, niſi prius eſſet in rebus, aut certè intelligeretur eſſe in rebus; nam diximus quòd voces non ſignificant res præciſè, ſed vt intelliguntur, & concipiuntur.

De uocibus autem erit conſideratio, quatenus ipſarum rerum locum tenent; & cùm ſic omnino pendeant à rebus in cognitione, non pertractatur de eis niſi concomitanter; quatenus ſcilicet concomitantur ſua ſignificata; immo nihil habent, niſi à ſuis ſignificatis; quia ſcilicet ponuntur loco eorum; ſic de conceptibus quoque patet.

Et rationes prædictæ nullius ſunt momenti: nam quòd ſit libellus ille decem prædicamentorum de vocibus quia dicuntur, ridiculum eſt; non enim voces dicuntur, ſed res dicuntur per voces; ſicut æquiuoca dicuntur, non nomina, ſed res ſignificatæ. Itidem quòd de rebus abſque uocibus, falſum eſt; licèt enim diuidat ea quæ ſunt, non tamen abſque uocibus, vel conceptibus, cùm his vtamur loco rerum. Verum tamen eſt, quod de rebus eſt principalis intentio, nec de vocibus eſt cura, niſi vt tenent locum rerum; ſic de conceptibus, niſi quòd neſcio quid plus addit conceptus, quàm uox; quia vox ſignificat res, non præciſè, ſed vt percipiuntur conceptibus; ideo & contingit falſitas. De rebus igitur, ſiue de earum conceptibus; cùm pingui quadam minerua, & quantum ſufficit ipſi Logicæ diſciplinæ, in libro decem categoriarum pertractet Ariſtoteles; & ut ſunt fundamentum ſecundarum notionum; neceſſe eſt, vt vocibus primæ notionis, ipſe alias ſecundas voces imponat. Propterea in libro de interpretatione, qui immediatè ſequitur ad illum de prædicamentis, accipit voces, rerum ſignificatrices, iam in illo primo libro conſideratas, & in eis incipit imponere ſecundas notiones, à ſimplicioribus primordia capiendo, quæ ſunt nomina, & verba. Id quod facilè conſtat, ſi eius verba diligenter inſpicere velimus. Inquit enim: Primùm oportet ponere quid ſit nomen, & quid verbum; poſtea quid eſt negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio. Sunt ergo ea quæ ſunt in voce, earum quæ ſunt in anima paſsionum notæ, & ea quæ ſcribuntur, eorum quæ ſunt in voce. Hic duo præcipuè facit Ariſtoteles; primo connectit librum de interpretatione cum libro decem categoriarum, ſecundò exponit quare de vocibus pertractet, ac per conſequens cur liber ille de interpretatione inſcribatur, optimè aperit. Quod igitur ad primum attinet, hos duos quos præmiſimus libros, hunc in modum adinuicem connectit. Quia

Logica eſt de ſecundis notionibus fundatis in primis, & ſecundæ notiones ſunt quidam ſecundi conceptus, & relationes rationis, fundatę in primis rerum conceptibus; cumq́. formam aliquam in materia nobis omnino ignota introducere minimè valeamus, fuit neceſſarium Logico tantam rerum notitiam habere, quantam exigit ſecundarum notionum fundatio vera; id quod factum eſt in libro decem prædicamentorum. Hoc igitur iacto totius Logicæ diſciplinæ fundamento, deuemendum eſt ad principale noſtrum inſtitutum, nempe ad ipſas ſecundas notiones. Quæ cùm ſint quidam animi noſtri conceptus, & huiuſmodi conceptus abſque vocibus exprimi nequeant, fit neceſſariò conſequens, vt de vocibus eiuſmodi conceptus ſignificantibus ſermonem habeamus. Iſtæ autem voces ſunt nomina, verba, negatio, affirmatio, enunciatio, & oratio; quare de eis primò agamus oportet. Neceſſitatem verò iſtarum vocum ſecundò loco declarat, quia ſcilicet ſunt ſigna eorum, qui ſunt in anima conceptuum, & paſsionum in anima exiſtentium interpretatio. Quare meritò iureq́. optimo liber ille inſcriptus eſt de interpretatione. Dicit igitur: Sunt ergo ea quæ ſunt in voce, earum quæ ſunt in anima paſsionum notę. Quaſi dicere velit: Et vt noſtrum proſequamur inſtitutum, à definitione interpretationis primordia capiamus oportet; vt inde iſtarum vocum neceſsitatem colligere valeamus. Eſt ergo interpretatio vox ſignificatiua, per ſe articulata, interiores paſsiones manifeſtans. Ex illis enim Ariſtotelis uerbis hæc optimè elicitur definitio; vt patet intelligenti. Qua quidem definitione præmiſſa, ſtatim diuidit eam in ſimplicem & complexam; quoniam conceptus ab ea ſignificati, alij ſimplices ſunt, alij complexi. Simplicem diuidit in nomen & verbũ; complexã verò, quę dicitur oratio, in plures poſtea diuidit ſpecies. Sed de his hactenus. In hanc ſententiã me traxit Auicenna; qui in prima parte ſuæ Logicæ, hanc apertiſsimè expoſitionem innuere videtur. Et quia diximus Logicam diſciplinã, inter illas quarum opus eſt in agendo eſſe connumerandam; inde ſequebatur ex ijs etiã quæ diximus, eã tradendam eſſe ordine reſolutiuo; quod quidẽ ei partim euenit, & partim non. Illud in prioribus & poſterioribus reſolutorijs, iſtud verò in libro prædicamentorum, de interpretatione, & uſque ad ſyllogiſmũ. Quod ideo euenit propter Logicæ intellectualem naturam, quæ dum inſtrumentorum generationẽ docet, ea ſimul generat; quia tam operatio q̃ doctrina eſt intellectualis. Logica.n. in hoc differt ab artibus, q; illa eſt effectrix inſtrumenti intellectualis, iſtæ verò inſtrumentorum materialiũ, & corporaliũ. Et hãc ob cauſam in artibus operatio diſiuncta eſt à doctrina; quoniã doctrina eſt mentalis, operatio aũt corporalis. Ideo prius neceſſe eſt vti ad docendum ordine reſolutiuo, & ad principia inuenienda, deinde compoſitiuo ad efficiendũ ex illis principijs ipſum materiale inſtrumentum; vt domũ, vel nauim. Doctrina eſt doctiſsimi, necnon ingenioſiſsimi Domini Iacobi Zabarellæ, quæ ſemper mihi ſummoperè placuit. Sit igitur hæc Logicæ natura & vtilitas; quæ non eſt diabolica & ſpinoſa, vt dicunt maledicti hæretici, ſed diuina, & in ipſa natura fundata; veluti ex ijs quæ diximus, cuilibet ſanè intelligenti iam ſatis conſtare poteſt.

Non igitur mirum, ſi ſacrarum ſcripturarum author Spiritus ſanctus, ea vſus fuerit, prout in ſequenti patebit.

Quòd Logica in ſacra reperiatur ſcriptura. Cap. 6.

Tom. 1. DIuus Pater Auguſtinus libro decem categoriarum, cap. 3. inquirens quodnam ſit in eo libro ſubiectum, inquit: Sed plerique mouere aſſolent quæſtionem, de quibus magis Ariſtoteles voluit inchoare tractatum: Primò de ijs quæ ſunt, ſecundò de ijs quæ percipiuntur, tertiò de ijs quæ dicuntur. Primò ſunt res omnes, quas natura peperit; ſecundò percipiuntur ea, quorum imagines in anima videndo formamus, & recondimus; tertiò dicuntur illa, quibus ea quæ ſunt impreſſa animo efferuntur. Id nanque quod quis concipit animo, lingua proſequente declarat. Sed, vt Themiſtio noſtræ ætatis erudito philoſopho placet, de his Ariſtoteles tractare incipit, quæ percipiuntur; id eſt, imagines rerum inſidentes animo. Verùm cùm de perceptis propoſuerit diſputare, & de ijs quæ ſunt, & de ijs quæ dicuntur, neceſſariò locuturus eſt. Percepta enim ex his oriuntur quæ ſunt, quæ videndo percipimus: perceptorum autem deerit demonſtratio, niſi eorum quæ dicuntur auxilio fuerint demonſtrata. Ergo quanquam ſeparatim poſtea ea quæ ſunt definiturus ſit, miſtam tamen de tribus diſputationem debemus accipere. Nam de perceptis qui loquitur, & originem rerum trahit, & præſidia orationis implorat. Hactenus diuus ille Pater. Qui ijs quæ in præcedenti capi. diximus optimè fauet, quando vult ſubiectum in libro prædicamentorum, ex conſequenti in vniuerſa Logica, eſſe primos rerum conceptus, & per conſequens res ipſas; & non ſimpliciter, aſt vt in eis ſecundæ notiones effinguntur. Idcirco ibidem cap. 7. ait: Nunc quoniam de categoriarum omnium generibus & ſpeciebus & differentia locuturus eſt, inſpiciendum prius videtur quid ſit genus, quid ſpecies, quid differentia. Id quod etiam voluit Porphyrius in prooemio ad ſuum Chriſaorium. Si igitur ſacratiſsimus & doctiſsimus Domini, & Spiritusſancti Propheta Moſes, in ſuis libris de genere tractauerit, de ſpecie, differẽtia, proprio, & accidente vſq; ad ſyllogiſmũ, noſtrum ne ſequetur intentũ? Vtique.

Gene. 1. Illum igitur audiamus ita loquentem: Germinet terra herbam virẽtem, & facientẽ ſemen, & lignũ pomiferũ faciens fructum iuxta genus ſuũ, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terrã. Et factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentẽ, & facientem ſemen iuxta genus ſuũ, lignumq́; faciẽs fructũ, & habens vnumquodq; ſementẽ ſecundũm ſpẽm ſuam. Et parùm infra: Creauitq́. Deus cete grandia, & omnem aĩam viuentẽ, atque motabilẽ, quã produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum. Et ſubinde: Producat terra aĩam viuentẽ in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundũ ſpẽs ſuas. Factũq; eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ, iuxta ſpẽs ſuas, & iumẽta, & oẽ reptile terræ in genere ſuo. Modò videamus ſintne genera iſta & ſpẽs, de quibus D. Pater Auguſtinus, Porphyrius, alijq; Philoſophi & Logici verba faciunt. Dicũt iſti, ꝙ genus illud eſt, qd de pluribus differẽtibus ſpecie, in eo quod quid eſt pdicatur. Spẽs verò, quæ ponitur


ſub aſsignato genere; & de qua genus in eo quod quid ſit prędicatur. Itẽ: Species eſt quæ de pluribus differentibus numero, in eo quod quid ſit prędicatur. Sed hæc quidem aſsignatio ſpecialiſsimæ eſt, inquiunt; & quæ ſolùm ſpecies eſt, aliæ verò non ſpecialiſsimarum. Diuina autem ſcriptura, & in ea ſapientiſsimus Vates cùm dicit; Protulit terra lignum pomiferũ faciens fructum iuxta genus ſuum, & habens vnumquodque ſementẽ ſecundùm ſpeciem ſuam; illud clarum relinquitur atque perſpicuum, quòd ipſum conſtituit genus: nempe lignum; quod quidem per differentias oppoſitas diuiſum, mox & ipſam ſpeciem conſtituit. Etenim cùm dicit; Germinet terra lignum, aſsignat genus. Cùm verò addit, pomiferum & faciens fructum, & habens vnumquodque ſemen; illud per differentias oppoſitas diuidit, & conſtituit ſpecies; nimirum lignum fructiferum, & infructiferum, ſiue habens ſemen tantùm.

Et quia ſunt qui velint, ſolum lignum fructiferum propriè arborem appellari; infructiferum verò minime; propterea dicimus lignum eſſe genus; differentias verò oppoſitas quibus diuiditur, fructiferum & infructiferũ; & per primam differentiam conſtituitur ſpecies ſubalterna, quæ dicitur & eſt arbor; per ſecundam verò, alia conſtituitur, quæ dicitur habens ſemen tantùm. Et ita verum eſt, ꝙ lignum prædicatur de pluribus, ſpecie differentibus, in quid. Et ipſa arbor, ſiue lignum fructiferum, cùm in plures diuidatur ſpecies, eandem ſuſcipit definitionem, quam ſuſcipit genus; & præter eam, conuenit etiam ei tum prima, tumq́. ſecunda ſpeciei definitio; vt patet. Ponitur enim ſub ligno, tanquam ſub aſsignato genere; & lignum prædicatur de ea, in quid. Quoniam ad interrogationem factam per quid eſt arbor? Reſpondetur, ꝙ eſt lignum fructiferum. Quare reſpectu ſuperiorum eſt ſpecies, reſpectu verò inferiorum eſt genus; quod Logici ſpeciei ſubalternæ propriè aſsignant. Sit igitur hęc diuiſio corporis animati in ſuas ſpecies; ad quam ſequitur diuiſio corporis animati ſenſibilis, quod diuidit Moſes in aquatile & terreſtre; aquatile diuidit in volatile ſuper terram, ſub firmamento cœli, & cete grandia. Inquit enim: Producant aquę reptile aĩæ viuentis, & volatile ſuper terrã, ſub firmamẽto cœli. Creauitq́. Deus cete grandia, & omnem animã viuentem motabilem, quã produxerant aquę in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundũ genus ſuũ. Dicitur ẽt ibi volatile animal aquatile, ſeu formatũ ex aqua; nõ quia aues & piſces de ſola aqua ſint formati, ſed de quatuor elementis, ſola tamen aqua exprimitur, propter quandã conuenientiã cũ iſtis. Habet.n. aqua humorem, & vaporẽ; per humorem conuenit cũ piſcibus; per uaporem, qui ſurſum eleuatur in aere, conuenit cũ auibus. Propterea libro de ſex dierũ creatione, die quinta dicebat Venerabilis Beda: Non dixit Deus; Produ- *Tom.8.*
cãt aquę reptile aĩæ viuentis, & producat aer volatilia ſuper terrã; ſed dixit: Producant aquę reptile aĩæ viuentis, & volatile ſuper terrã; quia aer ex aqua fit. Et quicquid vndoſum vel fluidũ eſt, hoc piſcibus datũ eſt. Quicquid aũt humidum vel vaporaliter ſuſpenſum eſt, hoc volatilibus traditũ eſſe manifeſtè cognoſcitur; quia ſicut piſces maris pinnulis ſuis in aquis natãt, ita volatilia cęli in aere, quaſi in aquis de pinnulis ſuis volitare videãtur.

Hæc ille. Animal verò terreſtre diuidit Moſes in iumenta, reptilia; & beſtias terræ, vſque ad hominem. Vnde dicit: Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia, & beſtias terræ, ſecundùm ſpecies ſuas. Et.D.Eucherius, ſuper Gene. cap.7., dicit: Hæc tria generaliter diſtinguit. In iumentis enim, animalia quæ in vſus hominum ſunt; in reptilibus, ſerpentes; In beſtijs, Leones, Pardos, Tygrides, vel quicquid ore, vel vnguibus ſæuit. Et Nicolaus de Lyra, præmiſſa verba exponens, inquit: In piſcibus, & auibus, & brutis animalibus, ſunt multæ ſpecies ſubalternæ, ac etiam ſpecialiſsimæ; & ideo in productione eorum fit mentio de generibus & ſpeciebus. His dictis, mox ad hominem fit deſcenſus, his verbis: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

Gene.c.2. & 3. Et ita creauit Deus Adam & Heuam. Vnde ex his facilè videmus in ſacra pagina genus, ſpeciem, atque differentiam; quæ tamen rectius & facilius conſpiciemus, ſi arborem effingamus, hanc ſeriem ſubſtantiæ continentem. Verùm priuſquam ad hoc deueniamus, illud obſeruemus oportet, quòd quando dicit Moſes: In principio creauit Deus cœlum & terram; ſunt qui dicant, terram eſſe omnem ſubſtantiam corpoream, ideſt, corpus omne, quod oculis corporeis inſpicitur; Cœlum verò, ſubſtantiam ſpiritualem; & incorpoream. Quoniam Deus de terra propriè loquendo, illam appellauit aridam, inquiens: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et uocauit Deus aridam terram. Vnde Gene. cap.1., dicebat.D.Eucherius: Cœli nomine, quidam cœleſtem, ideſt, angelicam creaturam creatam æſtimant. Ad cuius comparationem, cœlum hoc corporeum, terra nuncupatur. His prænotatis, ad normam eorum, quæ authore Spirituſancto induximus, arborem effingamus ſubſtantiæ, modo infraſcripto.

Corporea


Subſtantia
Corporea
Incorporea
Corpus
Palpabile
Impalpabile
Corpus Palpabile
Solidum
Nonſolidum
Corpus Solidum
Animatum
Inanimatum
Corpus Animatum
Senſibile
Inſenſibile
Animal
Terreſtre
Aquatile
Terreſtre Animal
Ad imaginem Dei
Nõ ad imaginem Dei
Homo
Adam
Eua

Ex his itaque, genus habemus, ſpeciem, atque differentiam; quę quidem illud diuidit, & hanc conſtituit. Verùm quia diuiſerunt philoſophi animal in rationale & irrationale; rurſusq. rationale in mortale, & immortale; vt & Angelos ſub animali rationali includerent, quod ab omni veritate abhorret; propterea de animali rationali, eiusq. diuiſione nullam voluit habere mentionem ſacra ſcriptura; ſed rationalitatem expreſsit in homine, dicens: Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginē Dei creauit illum. Vt non eſſe ad imaginem Dei, ſit eius differentia oppoſita; & non amplius. Et licèt iuxta quorundam, hæc verba Domini Dei exponentium, dogmata, eſſe ad imaginem Dei, idem ſit quod eſſe rationale; quoniam; inquiunt, non eſt homó ad imaginem & ſimilitudinē Dei, niſi propter vim ratiocinandi, & potentias animæ inuiſibiles. Hoc tamen nos minimè accipere volumus; qui. D. Apoſtolū. 1. ad Corinthios cap. 11., animaduertimus ita loquētem. Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt. Ex quibus verbis, vult mulierem velare caput ſuum, quia non eſt imago Dei; vir autem quia Dei eſt imago & gloria, propterea non velabit caput ſuum. Ecce quòd cùm vir & mulier, eandem habeant vim ratiocinandi, & animæ eaſdem potentias; D. tamen Apoſtolus, ſolum virum dicit imaginem & gloriam Dei eſſe. Nulla igitur redditur illorū expoſitio, & in nos animaduerſio. Quod vt clarius euadat, declaremus oportet modum, quo fuerit homo ad imaginem & Dei ſimilitudinem creatus. Circa hoc ſunt varij varia loquentes; veritas tamen eſt, quod homo non eſt imago Dei quantùm ad corpus, nequidem quantùm ad animam; ſed ratione ſui principatus, & imperij, quia Deo, & nulli creaturæ ſubditus eſt. Omnium enim creaturarum quæ ſunt in terra, imperium eſt ei creditum. Hoc perhibere

Gene. 1. videtur etiam vox diuina, quæ dicit: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Et modùm ſubiungens, ait: Et dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs terræ, & reliqua. Quemadmodum enim Deus omnibus imperat, ſic homo iſs quæ ſunt ſuper terram. Sed mulier licet reliqua ſub poteſtate teneat; virum tamen pro capite habet. Non eſt igitur homo imago Dei ſecundùm vim ratiocinandi, & potentias animæ, ſed ſecundùm imperium & poteſtatem.

Tom. 1. Doctrina eſt beati Theodoreti, in quæſtionibus ſuper Gene., q. 20.; &

Tom. 2. in Epiſtola. 1. ad Corinth. cap. 11. Vnde vſque ad ſpecialiſsimū deuenimus; de quo verificatur illa, quam præmiſimus definitio ſpeciei ſpecialiſsimæ. Et huius ſpecialiſsimi ſicut nouit ſcriptor differentiam, ita & eius proprium non ignorauit. Propterea cùm dicitur Gene. 2.: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Et ſubinde. Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Innuit Scriptor proprium ipſius: quia ſcilicet inter omnia animantia, ſolus homo riſibilis erat, & non ſolùm mentem rationalem, ſed & linguam ad loquendum habebat. Item ſolus erat capax diſciplinæ, capite ſublimi, ſtaturaq. recta, & cœlum ſpectans. Accidens verò maximum, & plurimum corū quæ

 philoſo-

philoſophi & logici inter vniuerſalia poſuerunt, fuit peccatum, & mors pœna peccati. Et de hoc, ſanctæ ſcripturæ authori Sancto ſpiritui, maxima ſemper fuit, & non indigna cura. Idcirco omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, de eo ſummoperè concertat, conteſtans quòd verè accidens eſt; quoniam Deus hominem rectum fecit, & non inuenit mortem, ſed ipſe fuit homo inuentor; quemadmodum Gene., tum.2., tum.3. capite optimè conſtat. De accidentibus autem leuiſsimis, ut potè dormitione, aut AEthiopica nigredine, ſeu quouis alio colore, agere, vel diſputare, non eſt occupati animi, & circa neceſſarium vitæ negotium ſoliciti, neque ad iſta deſcendere; ſed vacat ſanctæ illi philoſophiæ, quæ de cœlo venit; ſapientibus huius ſæculi iſta relinquens. Qui nimirum, quoniam magnum illud accidens, id eſt, peccatum, vel pœnam peccati cognoſcere dedignati ſunt, eodem contemptu, quo cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; idcirco tam inopem, tanq. anguſtã accidentis definitionem dederunt, dicentes: Accidens eſt quod adeſt & abeſt ſubiecto, præter ſubiecti corruptionem. Qua quidem definitione, nequaquam illud accidens comprehenderunt, quod ſubiectum, id eſt, hominem omnino corrumpit, & deſtruit; ita ut reuertatur in puluerem, & vt ſicut Pſalmiſta deplorando concedit, concedendo deplorat; Mane *Pſal.89.* ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat; veſpere decidat, induret, & areſcat.

Cæterùm ad ſyllogiſmum demum deueniamus oportet; quo quidem, tota logicæ diſciplinæ uirtus oſtenditur, atque utilitas. Vt igitur oſtenderet Moſes, Deum perfectiſsimum creaſſe orbem, in hunc modum rationem erexit: In principio creauit Deus cœlum & terram. Sit hæc more *Gene.1.* Græcorum minor propoſitio. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Et hæc ſit maior propoſitio. Vnde ſequitur concluſio talis: Ergo (in prima figura) Deus terram creauit inanem & uacuam. Hãc autem aſſumpſit ad operandum, & faciendas, atque diſtinguendas formas, & componendum totius orbis ornatum. Quod probat Moſes tali pacto: Dixitq. Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Cæteraq. alia in eodem primo capite deſcripta recenſendo; ac demum ad initium ſecundi capitis ita concludendo: Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Ecce ergo ſyllogiſmum in forma.

De decem categorijs multa dicit ſancta ſcriptura; atqui ratione breuitatis, hæc ſufficere decreui.

Quod Arithmetica in ſacra adinuenitur ſcriptura. Cap. 7.

Boetius in primo Libro ſuæ Arithmeticæ, cap.2. ita notatum reliquit: Omnia quæcunque à primæua rerum natura conſtructa ſunt, numerorum videntur ratione formata. Hoc enim fuit principale in animo conditoris exemplar. Hinc enim quatuor elementorum multitudo

titudo mutuata eſt, hinc temporum vices, hinc motus aſtrorum, cœliq; conuerſio. Et in cap. 3., numerum, hunc in modum voluit definiri: Numerus eſt vnitatum collectio; vel quantitatis aceruus, ex vnitatibus profuſus. Et figuræ quibus omnis numerus deſcribitur ſunt decem; ut, .1.2. 3.4.5.6.7.8.9.10., illamq. literam quæ in numero ponitur denario, Cifram, ſeu Nullam appellant huius artis peritiores; qui numerum etiam volunt eſſe tripartitum, nempe in Digitum, Articulum, & Compoſitum. Digitus eſt qui minor eſt denario; ut, .1.2.3.4.5.6.7.8.9. Articulus, qui in denas partes æquales, nullo redundante, diuidi poteſt; ut, 10.20. 30.40.50.60.70.80. &c. Semperq. in fine Nullam habet. Compoſitus, qui digito articuloq. conſtat; ut, .16.26.33.64.77.89.99. &c. Sed quilibet numerus ſemper eſt par vel, impar; ut hæc ſit eius prima diuiſio, aut propria paſsio. Numerus par ille eſt, qui poteſt in duo æqualia diuidi, vno medio non intercidente. Impar verò, quem nullus in æqualia diuidit, quin in medio prædictus vnus intercidat. Et hæc quidem definitio vulgaris eſt & nota; inquit Boetius in memorato loco, cap. 3.; uerùm ad noſtrum proſequendum inſtitutum, optima eſt atque ſufficiens: Eſt, inſuper, numerus pariter par, pariter impar, perfectus atque imperfectus; atqui de duobus primis tantùm dicamus. Pariter par numerus eſt, qui poteſt in duo paria diuidi; eiusq. pars in alia duo paria, partisq. pars in alia duo paria; vt hoc totiens fiat, uſque dum diuiſio partium ad indiuiſibilem naturaliter perueniat vnitatem. Vt. 64. numerus habet medietatem. 32., hic autem medietatem. 16., hic verò. 8., hunc quoque quaternarius in æqua partitur, qui binarij duplus eſt; ſed binarius vnitatis medietate diuiditur; quæ vnitas naturaliter ſingularis, non recipit ſectionem. Perfecti verò numeri ſunt qui rarò inueniuntur, facileq. ſunt numerabiles; quippe qui pauci ſunt, & nimis conſtanti ordine procreati. Sunt autem perfecti numeri intra denarium numerum. 6., intra centenarium. 28., intra millenarium numerum. 496., intra decẽ millia. 8128. Hæc docet Boetius in memorato loco, cap. 9. & 20. Quid modò, ſi horum numerorũ ratio inueniatur in ſacra pagina? Nunquid ibi erit Arithmetica? Ita profectò. Videamus igitur ſi ea quæ dixit Boetius, cum his conueniant, quæ diuinæ ſcripturæ author tradidit Spiritusſanctus. Dicebat nanque Boetius quòd omnia quæcunque à primęua rerum natura conſtructa ſunt, numerorum videntur ratione formata. Quoniam hoc fuit principale in animo conditoris exemplar. Libro uerò ſapientiæ, cap. 11., de laudibus Dei ad hunc modum effatur Spiritusſanctus: Sed omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Ex quo imaginantur nonnulli, q̃ à Deo cuncta procedant, ſicut numeri ab vnitate; & vnaquæq. ſpecies vniuerſi certum gradum teneat, ſecundùm diſtantiam à prima rerum cauſa; & ita volunt omnem rem eſſe in numero, ideſt, in certa diſtantia à Deo; quemadmodum quilibet numerus certam habet diſtantiam ad unitatem. Multaq. alia in ſacra pagina reperiuntur, quę abſque numerorum cognitione non intelliguntur. Senarius enim qui partibus ſuis primus perfectus eſt, mundi perfectionem, quadam ſui ipſius ſignifi-

catione

ratione declarat. Similiter &.40. dies, quibus Moſes & Helias, necnon & ipſe Dominus ieiunauerunt, numerorum ratione ignorata, haudquaquã intelligi poſſunt, nec eorum myſteria inueſtigari. Sic & alij in ſcripturis ſanctis numeri exiſtunt, quorum figuras non niſi huius artis, ſcientiæq. periti ſoluere poſſunt. Propterea ſapientiores dicunt, quòd in numero illo quadragenario pœnitentia deſignatur; vnde in quadrageſima, omnes Chriſtiani ieiunijs & operibus pœnitentiæ indulgent. Ratio autem quare huiuſmodi numerus ſit pœnitentiæ conſecratus, ea eſt, quoniam ſi omnes eius partes aliquotas capiamus, reddent præcisè quinquaginta. Vnde quadraginta eſt numerus ſuperabundans. Partes autem aliquotæ ipſius ſunt, .1. 2. 4. 5. 8. 10. 20.; quæ ſimul iunctæ, illum reddunt quem diximus numerum; qui eſt numerus gratiæ & remiſsionis, ſecundùm quem computatur annus iubileus in lege Iudæorum. Propterea Apocalypſis cap.21. legitur, quòd Angelus qui muros ciuitatis Hieruſalem mẽſurauit, habuit menſuram arundineam, & menſus eſt muros eius.144. cubitorum. Et per ciuitatem intelligunt moraliter animam humanam, in qua Deus benedictus per gratiam inhabitare dignatur. Eius autem murus eſt corpus corruptibile. Vnde murus corporis noſtri debet habere.144. cubitos; quia non ſolùm oportet nos habere obedientiam diuinorum præceptorum, verùmetiam pœnitentiam peccatorum; quia in multis offendimus omnes; & ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nosipſos ſeducimus. In centenario igitur obedientia præceptorum deſignatur; quoniam decies decem, centum conſtituunt. Nos itaque ſi quinque ſenſus exteriores, & quinque interiores, ad decem præcepta decalogi reducamus, decem multiplicamus per decem, & ad centenarium obedientiæ præceptorum peruenimus; & ita in centum annis ædificamus arcam, qua ſaluamur à diluuio huius vitæ; Gene.6.

Pœnitentia verò peccatorum in numero deſignatur quadragenario, ea quàm diximus ratione. Et uterque illorum numerorum eſt articulus; quia in duas partes æquales, nullo redundante, diuidi poteſt; vt.100. in.50., &.44. in.22., totus verò ſimul in.72., & eſt numerus humanæ ſaluti deputatus. In cuius figuram Ioannes vidit.144. millia ſignatos; Apocalyp.7.&.144. millia virgines agnum ſequentes; Apoca.14. Vnde patet Arithmetica in ſacra pagina; & eius peritia, multa in ea aperit arcana. Quemadmodum conſtat etiam in Euangelio Matthæi, cap.18.; quando accedens Petrus ad Ieſum, dixit: Domine, quotiens peccabit in me frater meus & dimittam ei? Vſque ſepties? Ex quo mirantur doctores; cur ſcilicet de numero ſeptenario potius mentionem fecerit Petrus. An fortè, inquiunt, quia ſciebat hunc numerum poſitum eſſe in pœnis; cùm dixerit Dominus Deus, Gene.4.: Qui occiderit Chaim, ſeptuplum punietur? Vel quia, ſepties in die iuſtũ cadere, Salomon prodit prouer.24.? Vel quia ſeptem ſunt capitalia peccata? Vel fortè quia ſeptenarius numerus mirabilis videtur? Mirabilis utique eſt; quoniam Deus qui ſolus nullam nouit imperfectionem, omnia ferè in numero ſeptenario condidit, & ordinauit. Septem nanque planetis corpora inferiora natura-

liter

liter reguntur, & cœlum ornatur. Sex diebus operatus eſt Deus, & ſeptimo die requieuit ab operibus ſuis. Septem virtutibus, tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus, Chriſtus animam adornauit. Septem ſunt ſacramenta à Chriſto in ſua Eccleſia inſtituta. Septem dona Spiritusſancti. Septem opera miſericordiæ. Librum ſignatum ſeptem ſigillis vidit Ioannes in Apocalypſi, ac ſeptem candelabra lucentia ante altare. Septem cornua Agni immaculati, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei. Septem ſunt horæ canonicæ, ac demum ſeptem artes liberales.

Dicunt; inſuper; magiſtri noſtri, quòd huiuſmodi ſeptenarius numerus ad homines gignendos & conformandos pertinet. Primis enim ſeptē diebus ſemen conglobatur, & coagulatur, fitq́. idoneum ad figuram capiendam. Septima hora poſt egreſſum ab vtero, decernitur an ſit victurus infans. A ſeptimo die de eius nomine tractatur, tanquam ſaluti eius tunc primùm ſit confidendum. Poſt ſeptimum menſem dentitiones fiunt, & incipiunt dentes è mandibulis emergere. Poſt annos ſeptem, primi dentes cadunt, & alij ſubnaſcuntur, ad ſolidum cibum apti. Septimo anno etiam abſoluitur plenè integritas loquendi; vnde ſeptem ſunt vocales in vſu apud Græcos. Annis bis ſeptenis pueri pubeſcunt, & initium fit generationis. Annis ter ſeptenis fit robuſta genitura; & ſeptimo ſeptenario, annorum prudentia & lingua conſumatur. Item medici in morbis, ſeptimo die maiora conſiſtunt diſcrimina; ideo illi hoc maximè obſeruāt, & ſeptimos dies iudiciales appellant, quoniam tunc de ægris iudicatur. Et Hippocrates ſeptimum diem efficaciſsimum exiſtimabat. Eſt liber Galeni de diebus criticis, in quo tradit ſeptimum diem omnibus iudicialibus antecellere potentia & nobilitate. Et ſicut ſeptimus eſt decretorius in morbis, ita per omnem vitam ſeptimus quiſque annus eſt periculoſus; & inter hos annos, .49., quem complent anni ſepties ſeptem. Mirabilis igitur eſt numerus iſte; qui ex pari conſurgit atque impari; & ſi hæc virtus alijs minoribus numeris ineſt, non niſi vt ſeptenarij partibus ineſt. Quinarius enim numerus, ex pari conſurgit & impari, nempe ex. 3. et. 2.; attamen eſt pars ſeptenarij. Qui in ſacris, diuiniſq́. eloquijs ſæpè pro toto, & pro cuiuſque rei numeroſitate poni ſolet; quoniam totus impar numerus primus, ternarius eſt. Totus verò par, quaternarius; ex *Pſal. 118.* quibus duobus conſurgit ſeptenarius. Idcirco dicebat Propheta: Septies *Pſal 33.* in die laudem dixi tibi. Quod alibi alio modo dictum eſt: Benedicam *Tom 3.* Dominum in omni tempore; ſemper laus eius in ore meo. Vnde beatus Pater Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana lib. 3., cap. 35., ait: Legitimos autem numeros dicit, quos eminentius diuina ſcriptura commendat, ſicut ſeptenarium, vel denarium, vel duodenarium, & quicunque alij ſint, quos legendo ſtudioſi libenter agnoſcunt. Plerunque enim huiuſmodi numeri pro vniuerſo tempore ponuntur; ſicut, ſepties in die laudem dixi tibi; nihil eſt aliud, quàm: Semper laus eius in ore meo. Hæc ille. Idem quoque docet locutionum lib. 3. in fine. Et propterea noſtrum optimè ſequitur intentum; nimirum quòd nedum in ſacra ſcriptura numerorum ratio & Arithmetica reperitur, verùm etiam multa in ſe claudunt myſteria,

ſteria, numeri in ea commendati. Quare Boetius ſemper laudandus, qui dixit: Omnia quæcunque à primæua rerum natura conſtructa ſunt, numerorum videntur ratione formata. Vnde Iſidorus etymologiarum lib. 3., cap. 4., ait: Tolle numerum in rebus omnibus, & omnia pereunt. Adime ſeculo computum, & cuncta ignorantia cæca complectitur, nec differre poteſt à cæteris animalibus, qui calculi neſcit rationem. Omnia igitur fecit Deus in numero, pondere, & menſura. Quare optime conſonant omnia.

Quod multa ſecundum Geometriam in Scripturis inueniantur. Cap. 8.

ISidorus libro etymologiarum 3., cap. 10., de Geometrica diſciplina verba faciens, inquit: Geometriæ diſciplina primùm ab Ægyptijs reperta dicitur; quia inundante Nilo, & omnibus poſſeſſionibus eius limo obductis, initium terræ diuidendæ per lineas & menſuras nomen arti dedit. Quæ deinde longius acumine ſapientum profecta, & maris & cæli, & aëris ſpatia metiuntur. Nam prouocati ſtudioſi, cœperunt poſt terræ dimenſionem, & cæli ſpatia quærere, quanto interuallo Luna à terris, à Luna Sol ipſe diſtaret, & vſque ad verticem cæli quanta ſe menſura diſtenderet; ſicque interualla ipſa cæli, orbiſque ambitum, per numerum ſtadiorum, ratione probabili diſtinxerunt. Sed quia ex terræ dimenſione hæc diſciplina cœpit, ex initio ſui & nomen ſeruauit. Nam Geometria de terra & de menſura nuncupata eſt. Terra enim græcè γῆ vocatur, μέτρα menſura. Huius diſciplinæ ars continet in ſe lineamenta, interualla, magnitudines, & figuras; & in figuris, dimenſiones & numeros. Hæc ille. Quæ & in ſacris ſcripturis aliqua ex parte deſcribantur, ſiquidem ea quæ in conſtruendo quippiam ad Domini Dei præceptum, commodè & rationabilibus menſuris deſeruiunt. Parum enim vtilitatis nobis affert ſcire vel opinari, quantis à terra ſtadijs ſubleuatus ſit globus Lunæ aut Solis, quanto ſuperet magnitudinem terræ magnitudo Solis, quibus terra ipſa tendatur ſtadijs. Et horum exempla quamplurima reperiuntur in ſacris eloquijs; Gene. enim 6. præcepit Deus Noe, vt fabricaret arcam, dicens: Fac tibi arcam de lignis leuigatis: Manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus & extrinſecus, & ſic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Feneſtram in arca facies, & in cubito conſummabis ſummitatem eius; oſtium autem arcæ pones ex latere deorſum: Cœnacula & triſtega facies in ea. Exodi vero cap. 26. habetur tabernaculi Moſaici, veli atrij, propitiatorij, menſæ, candelabri, & tentorij forma, atque conſtructio. Libro 3. Regum cap. 6., & deinceps, figura & fabrica templi deſcribitur, multaque alia habentur in ſacra pagina, quæ continent cubitos, lineas, figuras triangulares, quadrangulares, circulares, ſeptangulares, & id genus alia, quæ ad Geometricam attinet diſciplinam. Quare hic ubi habentur ex quadam parte, Lectoris animus non parum ædificatur.

De

De Muſica, quòd & ipſa reperiatur in ſacra pagina, ſitq́; ei valde familiaris. Cap. 4.

QVidam hæreticus maledictæ ſectæ Arrianæ, nomine Hilarius, can-
tibus ſacris Eccleſiæ detrahebat, illosq́; irridebat: Gabriele atte-
ſtante Prateolo, de vitis & ſectis hæreticorum, libro.8., cap.18.;
quem poſtea inſequutus eſt Ioannes Vuicleffus; & aduerſus hanc hereſim
Tom.3. ſcripſit Thomas VValdenſis de ſacramentalibus, titulo.2. Nec deſunt his
noſtris temporibus, qui eundem ſequantur errorem, dicentes Chriſtum
Dominum, cantum minimè inſtituiſſe, nequidem unquam muſica arte
cum Apoſtolis ſuis vſum fuiſſe. Quibus nihilominus illud aduerſatur,
quod Matthæus Euangeliſta deſcribit cap.26.; vbi Sanctam Domini cœ-
nam deſcribens, addidit: Et hymno dicto, exierunt in Montem Oliueti.
Et iterum Marci cap.14.: Hymno dicto, exierunt in Montem Oliuarum.
Hymnus autem eſt canticum; diuo atteſtante Iſidoro, Etymologiarum
lib.6., cap.19., qui ait: Hymnus eſt canticum laudantium, quod de græ-
co in latinum, laus interpretatur, pro eo quòd ſit carmen lætitiæ & lau-
dis. Propriè autem hymni ſunt continentes laudem Dei. Si ergo ſit laus,
& non ſit Dei, non eſt hymnus. Si & ſit laus, & Dei laus, & non cante-
tur, non eſt hymnus. Si ergo & in laudem Dei dicitur, & cantatur, tunc
Tom.8. eſt hymnus. Hæc ille. Qui habuit ex D. Patre Auguſtino, ſuper Pſalmũ
72. in titulo, vbi ait: Hymni laudes ſunt Dei cum cantico. Hymni can-
tus ſunt continentes laudes Dei. Si ſit laus & non ſit Dei, non eſt hym-
nus. Si ſit & laus & Dei laus, & non cantetur, non eſt hymnus. Oportet
ergo vt ſi ſit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum.
Hactenus Auguſtinus. Dominus igitur Ieſus vnà cum diſcipulis ſuis, in
vltima ſua cœna cantauit, & formam tradidit cantandi. Et in ipſa hora
natiuitatis ſuæ, angelos cum cantu ab ipſo cœli vertice venire conſtituit,
Luc 2. dicentes: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ vo-
luntatis. Nec mirum quidem; quoniam ſi ab infirmis mentibus vitia per
legis auſteritatem non poſſent ammoueri, per dulcedinem cantionis for-
taſsis cantores excludent. Vnde de ſummo bono lib.3., cap.7., dicebat
Sanctus Iſidorus: Multi reperiuntur qui cantus ſuauitate commoti, ſua
crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lachrymas, ex qua
Tom.2. pſallentis inſonuerit dulcedo ſuauiſſima. Propterea in Concilio Tole-
tano.4, cap.12. ita legitur: De hymnis etiam canendis, & Saluatoris &
Apoſtolorum habemus exemplum. Nam & ipſe Dominus hymnum di-
xiſſe perhibetur, Matthæo Euangeliſta atteſtante: Et hymno dicto, exie-
Ephe.c.5. runt in Montem Oliueti. Et Paulus Apoſtolus ad Epheſios ſcripſit, di-
cens: Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis &
hymnis, & canticis ſpiritualibus. Et quia nonnulli hymni humano ſtu-
dio in laudem Dei, atque Apoſtolorum & martyrum triumphos compo-
ſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi, quos beatiſſimi Doctores Hilarius atque Am-

broſius

broſius ediderunt, quos tamen quidam ſpecialiter reprobant, pro eo q̃ de ſcripturis Sanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtunt. Reſpuant ergo & illum hymnum, ab hominibus compoſitum, quem quotidie publico, priuatoq́. officio, in fine omnium pſalmorũ dicimus: Gloria & honor Patri, & Filio, & Spirituiſancto, in ſecula ſeculorum. Amen. Nam & ille hymnus, quem nato in carne Chriſto, Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; reliqua quæ ibi ſequuntur, eccleſiaſtici doctores compoſuerunt. Ergo nec ipſi in Eccleſijs canendi ſunt, quia in Sanctarum Scripturarum libris non inueniuntur? Componuntur miſſæ, ſiue preces, vel orationes, ſiue commendationes, ſeu manus impoſitiones; ex quibus ſi nulla decantentur in Eccleſia, vacant officia omnia eccleſiaſtica. Admonet hæc fieri, atque hortatur Timotheum Apoſtolus, dicens: Obſecro ergo primò omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt. Sicut ergo orationes, ita & hymnos in laudem Dei compoſitos, nullus noſtrum vlterius improbet; ſed pari modo in Gallicia, Hiſpaniaq́. celebrent; excõmunicatione plectendi, qui hymnos reijcere fuerint auſi. Hæc ibi. Et Diuus Pater Hilarius ſuper pſalmum.65., in titulo, ait: Cùm autem canticum pſalmi eſt, ex operationibus obedientia adepta, ſpiritalis ſcientiæ hymnus oſtenditur. Canticum enim vocis officium eſt, pſalmus autem ex coaptatione (quam harmoniam nuncupant) organis comparatur; ſitq́. ex imparibus ac diſsimilibus modis artificis ingenio, apta & conſonans, & amœna modulatio. Quo exẽplo, varijs officij noſtri & ſcientiæ miniſterijs, gratũ Deo opus, & ſibi conſonans cõparamus. Hæc ille. Qui talia ideo dixit, vt exponeret quare illi pſalmo.65 titulus ſit, canticũ pſalmi. Vnde cõcludit, Prophetam ſanctum, oẽs & ſingulos hoĩes hortari ad Deũ laudãdũ, & voce exultationis, atq. iubilationis, i. hymnis & canticis magnificãdum. Vnde pſalmo.26. idem Propheta dicebat: Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis; cantabo & pſalmum dicã Domino. Et ne inanem, inquit, D. Hilarius, iubilationis huius doctrinã atque obſeruantiam crederemus, alibi proteſtatur: Beatus populus qui ſcit iubilationem. Neceſſariũ ergo id fidei noſtrę eſt, in cuius ſcientia beatitudo eſt. Ecce q̃ vir iſte ſanctiſsimus, corde & ore fatetur, beatitudinem noſtrã in ſciã eſſe muſicali, & ex conſequenti; huiuſmodi artem & ſcientiã, neceſſariam eſſe cuilibet Chriſti fideli. Taceant igitur maledicti hæretici, obmuteſcat ſuperſtitioſiſsimus Cornelius Agrippa, qui eam floccifacit, eiuſq́. amatores ebrios vocat, & oĩno ineptos. Sed audiat Iſidorum ſanctum, qui libro Etymologiarum.3., cap.15., dicit, q̃ antiquitus erat tam turpe Muſicam neſcire, quàm literas. Et interponebatur nonmodò ſacris, ſed & omnibus ſolemnibus, omnibuſq́. lætis, vel triſtioribus rebus. Et cap.16., ait: Itaque ſine Muſica, nulla diſciplina poteſt eſſe perfecta. Nihil enim eſt ſine illa. Nam & ipſe mundus, quadam harmonia ſonorum fertur eſſe compoſitus, & cœlum ipſum ſub harmoniæ modulatione reuolui. Muſica mouet affectus, prouocat in diuerſum habitum ſenſus. Hęc ille. Cur igitur non erit

Luc.2.


1.Timoth.2.

Pſal. 88.

Muſica à Spirituſancto? Et ſi non eſt à Spirituſancto, cur dicit Propheta:
Pſal. 65. Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius? Et alibi: Cantate Domino canticum nouum; cantate Domino
Pſal. 95.
Pſal. 97. omnis terra. Rurſus: Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia
Exo. 15. fecit. Et Moſes: Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſſenſorem deiecit in mare. Si itaque Muſica eſt à Spirituſancto, nil mirum ſi ea vſi fuerint viri Sancti, & amici Dei, ſiq; In ſacra pagina reperiatur. Legitur enim Gene. 4. quòd Iubal fuit pater canentium cythara & organo. Vnde Moſes voluit hunc fuiſſe Muſicæ inuentorem, qui fuit de ſtirpe Cain, ante diluuium. Sed quid ſi in ſacra pagina, primordia inuenirentur, & fundamentum totius artis Muſicæ? Adeſte huius ſcientiæ periti; volunt namque Græci, quòd post diluuium, Pythagoras fuerit huius ſcientiæ primus inuentor, ex malleorum ſonitu, & cordarum extenſione percuſſa. Modumq; narrat Boetius, ſuæ Muſicæ libro primo, cap. 10. inquiens; quòd prætereiens Pythagoras; diuino quodam nutu fabrorum officinas, pulſos malleos exaudiuit, ex diuerſis ſonis vnam quodammodo concinentiam perſonare. Ita igitur ad id, quod diu inquirebat attonitus acceſsit ad opus. Diuq; conſiderans, arbitratus eſt diuerſitatem ſonorum ferientium vires efficere. Atque vt id apertius colliqueret, mutarent inter ſe malleos imperauit. Sed ſonorum proprietas, non in hominum lacertis hærebat, ſed mutatos malleos comitabatur. Vbi igitur id animaduertit, malleorum pondus examinat. Et cùm quinque eſſent fortè mallei, dupli reperti ſunt pondere, qui ſibi ſecundùm diapaſon conſonantiam reſpondebant. Eundem etiam qui duplus eſſet alteri, ſesquitertium alterius comprehendit, ad quem ſcilicet diateſſaron ſonabat. Ad alium verò quendam, qui eidem diapente conſonantia iungebatur, eundem ſuperioris duplum reperit eſſe ſesquialterum. Duo verò hi, ad quos ſuperior duplex ſesquitertius & ſesquialter eſſe probatus eſt, ad ſe inuicem ſesquioctauam proportionem perpenſi ſunt cuſtodire. Quintus verò eſt rejectus, qui cunctis erat inconſonans. Et vt ſit clarius quod dictum eſt; ſint, verbi gratia, malleorum quatuor pondera, quæ ſubterſcriptis numeris contineantur, 12. 9. 8. 6. Hi igitur mallei, qui 12. & 6. ponderibus vergebant, diapaſon in duplo concinentiam perſonabant. Malleus verò 12. ponderum ad malleum 9. & malleus 8. ponderum ad malleum 6. ponderum, ſecundùm epitritam proportionem, diateſſaron conſonantia iungebatur. Nouem verò ponderum ad 6. & 12. ad 8. diapente conſonantiam permiſcebant. Nouem verò ad 8. in ſesquioctaua proportione reſonabant tonum.

Fuit igitur modus iſte, quo Pythagoras proportiones inuenit muſicales, in quibus totum conſiſtit fundamentum, & ſeminarium artis Muſicæ. Pro cuius quidem adhuc clariori notitia, figuram quandam mathematicalem formauit Boetius, modo infraſcripto.

Dupla



Et hanc vt facilius iuuenes noſtri percipere queant, operæpretium me facturum ſum arbitratus, ſi de proportionibus; quatenus noſtro deſeruiũt inſtituto; nonnihil in medium afferam; quod & ijs quæ dicturi ſumus fructuoſum erit.

Eſt igitur proportio duplex, nempe communiter & propriè dicta, primo modo, eſt comparatio duorũ adinuicem in aliquo prædicato, ſeu attributo vniuoco; quemadmodũ ſi Plato & Ariſtoteles in albedine cõparentur, vel in aliqua alia qualitate, in qua cõueniant. Secundo modo, eſt duarũ quãtitatũ adinuicem habitudo; vt duo cõparata ad vnum, in ratione continentiæ; quoniam duo, bis continent vnum, & inde oritur proportio dupla.

Proportio propriè accepta eſt duplex; altera.ſ. rõnalis, irrationalis altera. Rõnalis eſt, duarũ quãtitatum cõmenſurabiliũ, vna cõi menſura adinuicẽ habitudo; vt bicubitũ & quatricubitũ. Cõmenſurantur.n. cubito multiplicato; vt patet. Irrationalis eſt, duarũ quantitatũ cõtinuarum finitarũ incõmenſurabilium, vna cõi menſura; ita ꝙ non cõmenſurantur numero, neç

vnitate; veluti coſta & diameter in quadrato. Nulla enim poteſt reperiri menſura, quæ menſurans coſtam, ipſamet poſtea aliquota præciſè menſuret diametrum; aſt ſemper aut excedet, aut deficiet.

Proportionum rationalium, alia eſt æqualitatis, alia inæqualitatis. Prima eſt duorum æqualium adinuicem habitudo; veluti ſunt duo & duo. Secunda eſt duorum inæqualium adinuicem habitudo; vt ſex & tria.

Proportio inæqualitatis eſt & ipſa in duplici diſcrimine; quoniam alia eſt maioris, alia minoris inæqualitatis. Prima eſt maioris ad minus habitudo; vt ſex ad tria. Secunda eſt minoris ad maius habitudo; vt duo ad quatuor.

Proportio maioris inæqualitatis continet quinque ſpecies, nimirum multiplex, ſuperparticularis, ſuperpartiens, multiplexſuperparticularis, multiplexſuperpartiens.

Proportio multiplex, eſt quando maius ſæpius continet minus præciſè, & multas habet ſpecies; quoniam ſi continet bis, dicitur dupla, ut.3.&.6.; ſi ter, tripla, vt.2. &.6.; ſi quater, quadrupla, ut.2.&.8.; & ita in infinitum.

Proportio ſuperparticularis, eſt quando maius continet minus ſemel, & aliquam eius partem; & hæc multas habet ſpecies. Si enim continet ſemel & dimidium, dicitur ſeſquialtera, vel emiolium; vt.3.&.2. Si tertiam partem, dicitur ſeſquitertia; vt.4.&.3. Si quartam partem, dicitur ſeſquiquarta; vt.5. &.4. Si quintam partem, dicitur ſeſquiquinta; vt.6. &.5. Si ſextam, dicitur ſeſquiſexta; ut.7. &.6. Si ſeptimam, ſeſquiſeptima; vt.8. &.7. Si octauam, ſeſquioctaua; vt.9. &.8.; & ſic in infinitum.

Proportio ſuperpartiens, eſt quando maius continet minus ſemel, & aliquas partes; & multas habet ſpecies. Nam ſi continet ſemel minus & duas partes, dicitur ſuperbipartiens; ut.5.&.3. Si tres partes, dicitur ſupertripartiens; ut.8.&.5. Si quatuor partes, dicitur ſuperquatripartiẽs; vt.12.&.8.; & ſic in infinitum.


Proportio multiplexſuperparticularis, eſt quando maius continet crebrius minus, & aliquam eius partem; & habet multas ſpecies. Si enim continet bis & dimidium, dicitur duplaſeſquialtera; ut.5.&.2. Si tertiam partem, dicitur duplaſeſquitertia; ut.7.&.3. Si quartam partem, dupla ſeſquiquarta; ut.9.&.4.; & ita in infinitum.

Proportio multiplexſuperpartiens, eſt quando maius ſæpius continet minus, & aliquas eius partes; & hæc multas habet ſpecies. Nam ſi continet bis & duas partes, dicitur duplaſuperbipartiens; ut.8. &.3. Si bis & tres partes, dicitur duplaſupertripartiens; ut.11.&.4.; & ſic deinceps. Tot de proportionibus, ad præinductæ figuræ, & eorum quæ dicturi ſumus clariorem notitiam, mihi dicta ſint ſatis.

Numeros igitur repetamus in figura deſcriptos; nempe.12.9.8.6.; & videbimus quod inter.12. &.9. eſt proportio ſeſquitertia, quoniam maior numerus continet minorem ſemel & tertiam eius partem; & huiuſmodi proportio conſtituit diateſſaron. Inter.9. &.8. eſt proportio ſeſqui-

ſeſquioctaua; quoniam numerus maior continet ſemel minorem, & eius octauam partem, & hæc proportio conſtituit tonū. Inter.8.&.6. adhuc eſt ſeſquitertia proportio; ut ex dictis facilè conſtat; & inde alia inſurgit diateſſaron. Inter.12.&.8. eſt proportio ſeſquialtera, quoniam maior numerus continet minorem ſemel & dimidium; & hæc conſtituit diapente. Eademq. ſeruatur inter.9.&.6.; quare alia inſurgit diapente; vt patet. His prænotatis & intellectis, facilis eſt aditus ad ea quæ polliciti ſumus; nimirum ad eruenda ex Sacris, diuiniſq. eloquijs primordia hæc, & ſeminarium artis Muſicæ. Siquidem Gene.18., Abraham mira & venerabili quadam ratione, miſericordiam & iudicium Domino cantauit, non voce organica, neque inſtrumentis, ſed proportionabilibus tantùm numeris: in quibus, uis artis Muſicæ conſiſtit. Dixerat enim Dominus: Si inuenero in Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos: Tunc ingreſſus colloquium Abraham, & in humilitatis ſuæ magnitudine habens fiduciam, quid; inquit; ſi minus quinquaginta iuſtis quinque fuerint? Delebis propter quadragintaquinque vrbem vniuerſam? Ac deinceps, ſin autem quadraginta inuenti fuerint, quid facies? Quid ſi ibi inuenti fuerint triginta? Quid ſi ibi inuenti fuerint viginti? Quid ſi ibi inuenti fuerint decem? Et Dominus ad ſingula reſpondens, non delebo; inquit, ſi inuenero ibi quadraginta quinque; non percutiam propter quadraginta; non faciam ſi inuenero ibi triginta; non interficiam propter viginti; non delebo propter decem. Sed qui fieri poteſt, vt caſu Abraham taliter numeros diminueret, & non potius filios ſuos miſericordiam & iudicium Domino cantare doceret? Sic nanque diuiſit, ſic proportionabiliter diminuit, ut nullam earum proportionum, quæ muſicos reddunt ſonos omitteret.

Etenim inter.45.&.40., eſt proportio ſeſquioctaua; quoniam maior numerus continet minorem ſemel, & eius octauam partem; huiuſmodi autem proportio conſtituit tonum; vt diximus. Inter.40. autem &.30., eſt proportio ſeſquitertia; quoniam maior numerus continet minorem ſemel, & eius tertiam partem; quæ quidem proportio, conſtituit diateſſaron. Numerus verò.30. &.20. adinuicem collati, ſeſquialterum efficiunt, & ſonum diapente reddunt. Maior enim numerus continet ſemel minorem, & eius mediam partem. Inter.20. autem &.10. eſt proportio dupla; quæ diapaſon efficit. Rurſus inter.40.&.10. eſt proportio quadrupla; quæ bisdiapaſon conſtituit. Ac demum, inter.30.&.10. eſt tripla proportio; quæ diapaſon cum diapente conſtituit. Cùm itaque nulla proportionum muſicarum in iſtis deſit numeris, non eſt arbitrandum quòd vir ille Sanctiſsimus cum Deo loquens, caſu & ſine ratione ita eos decerpſerit. Sed vt res adhuc reddatur clarior, præfatos numeros & proportiones, modo infraſcripto effingere decreui.



De Aſtronomia, quòd ipſa quoque ſit in ſacra ſcriptura. Cap. 10.

Aſtronomia eſt aſtrorum lex, quæ curſus ſyderum & figuras, & habitudines ſtellarum circa ſe & circa terram, indagabili ratione percurrit. Hæc definit quid ſit mundus, quid cœlum, quid ſphæræ ſitus & curſus, quid axis cœli & poli, quæ ſint climata cœli, qui curſus Solis & Lunæ, atque aſtrorum. Inde fit totius temporis diuiſio, in annos, menſes, hebdomadas, dies, horas, momenta, atque minuta. Huius fundamentum, & baſis habetur in ſacra pagina, Gene. 1.; vbi legitur: Dixit quoque Deus: Fiant luminaria in firmamento, & diuidant diem [illegible] noctem, & c.1. ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos. Et Eccleſi[illegible] [illegible]itur, in huncué modum effatur: Oritur Sol & occidit, & ad [illegible] tur, ibiq. renaſcens, gyrat per meridiem, & flecti[illegible] ad a[illegible] [illegible]cra igitur ſcriptura, aſtronomicam habemus ratio[illegible] & [illegible] Lunæ curſum, propter legitimum Paſchæ terminum [illegible] Dominus Deus, Hæbreis dedit in mandatis ſub his [illegible]. Menſis iſte, vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis: Decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Sin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſsit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum

ſuum

ſuum qui coniunctus eſt domui eius, iuxta numerum animarum, quæ ſufficere poſsint ad eſum agni. Erit autem agnus abſque macula, maſculus anniculus. Iuxta quem ritum tolletis & hædum, ac ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius. Immolabitq. eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam, & ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrunque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Vnde Hebræi, ſolos lunares ex lege ſumpſerunt, & obſeruant menſes, iuxta naturalem Lunæ curſum. Voluntque Lunarem menſem compleri in diebus vigintinouem cum dimidio, additis duobus tertijs horæ, cum punctis, ſiue momentis ſeptuaginta tribus. Hebræi nanque horam diuidunt in partes mille & octoginta; quas momenta, ſiue puncta vocant. Secundùm quam rationem, decem & octo puncta faciunt vnum minutum horæ, ſecundùm Aſtronomos. Et id ſe fatentur habuiſſe à Gamaliele, qui fuit occultus Christi diſcipulus, & Pauli Apoſtoli præceptor; ad cuius pedes, Apoſtolus ſe Legem & Prophetas didiciſſe gloriatur. Hic enim peculiarem Moſaicæ legis rationem ad inueniendum paſcha, luculenta editione conſcripſit, vna cum Lunæ curſu. Vnde impoſsibile eſt præſcriptum Domini Dei præceptum intelligere, minusq. obſeruare, niſi Arithmeticam & Aſtronomiam calleamus. Quapropter nil mirum ſi tantoperè laborauit vir ille Sanctiſsimus, vt recta, necnon & legitima haberetur norma, ad inueniendum paſcha; veluti qui forte magna videbat, quæ in eo dominico præcepto latent myſteria. Ibi enim ſignificatur quomodo omnes Christi Fideles ad Sanctiſsimam Euchariſtiam ſumendam, ſe præparare debeant, nouamq. & ſpiritualem addiſcere Aſtronomiam. Siquidem apud Hebræos primus menſis eſt Martius, quem Niſan vocant, & menſe primo anni comedendus erat agnus; & quidem recte, quoniam ſicut in eo propter cibum perijt genus humanum; ita eo tempore, medicina corporis Christi contra infirmitates incurſas eſt inſtituta, atque ſumenda.

Decima die menſis agnus ſumebatur electus de grege, ad ſignificandum quod Sanctiſsimam Euchariſtiam ſuſcipere volens, decalogum, ſeu decem legis præcepta obſeruare debet. Quartadecima Luna comedebatur agnus. Luna planetis cæteris mobilior, nunc plena, nunc ſemiplena, nunc creſcens, nunc decreſcens. Eſt corpus opacum, & lumen a Sole recipiens. Noſtramq. ſignificat voluntatem; quæ quaſi Luna quædam dici poteſt. Eſt enim valde mutabilis, nunc a bono in malum, nunc à malo in bonum, modo a bono in melius, modo a malo in peius. Nec à ſeipſa lucem habet meritorum, quia per ſeipſam mereri non poteſt, ſed indiget lumine Solis diuinæ gratiæ, quia, ſine me nihil poteſtis facere; dicebat *Ioan.15.*
Dominus Ieſus; qui eſt Sol illuminans omnem hominem venientem in *Ioan.1.*
hunc mundum. Oportet ergo hoc Sacramentum ſumere volentem, Lunam habere quartamdecimam; quia quando Luna habet dies.14., multum habet de lumine Solis, cum ſit quaſi tota plena, & propè plenilunio; quod fit die 15. immediate ſequenti; quoniam plus de lumine Solis habere non poteſt. Quo datur intelligi, quod dum volumus Sanctiſsimam

ſuſcipere

ſuſcipere Euchariſtiam, Luna noſtra debet eſſe.14., & proxima plenilunio; hoc eſt, tantum habere Charitatis, quantum ſit nobis poſsibile. Sed cur proxima plenilunio,& non in plenilunio? Quoniam in uia Deum perfectè amare non poſſumus, ſicuti amabimus in patria. Conari tamen debemus, illum ex toto corde amare, ex tota anima, & ex viribus totis; ideſt quantum eſt nobis in uia poſsibile. Immolabatur agnus ad veſperam; quando ſcilicet Sol tendit ad occaſum, & non amplius videtur. Quo ſignificatur, quod illud volens ſuſcipere Sacramentum, ita ſe prępararare debet, ac ſi ex præſentis vitæ Sole, ad noctem mortis eſſet migraturus; & ita Sacramentum ſumere, ac ſi illa eſſet ultima ſuſceptio, vltimumque viaticum.

Ecce quòd ex ſacra, diuinaq. ſcriptura, naturalem habemus, ſimul atq. ſpiritualem aſtronomiam; qua verum paſcha inuenitur,& tranſitus à peccato ad gratiam, & ab hac ad perpetuam gloriam. Vnde omnes artes liberales, eidem Sacræ Scripturæ ſunt valde familiares; id quod nobis erat demonſtrandum. Cùm igitur vera philoſophia & omnes artes à Deo ſint, tanquam à primo omnium principio, pereant maledicti hæretici, qui odiũ in eas habent, & nos iterum ad illam philoſophiæ partem, quæ dicitur & eſt contemplatiua, pedem conuertamus. Artes enim liberales, ad hanc attinent philoſophiæ partem; quemadmodum etiam in ſuperioribus diximus.

Nunquid ſpeculatiua diſciplina, quæ propriè dicitur ſcientia, ſit vna, necne. Cap. II.

DE illa philoſophiæ parte, quam ſpeculatiuam nuncupamus ſermonem habens Reuerendiſsimus Antiſtes, Philoſopuſq. alioquin præclariſsimus, Antonius Mirandulanus, in ſuo volumine cui titulus eſt de euerſione ſingularis certaminis, lib.13., ſectio.6. &.7., vnicam affirmat omnium rerum eſſe ſcientiam; id quod eſt, vt ſic, habens pro obiecto; in ſe omnia continens tanquam paſsiones, ſeu modos, ſeu ſpecies, eius quod eſt. Mathematica verò, Phyſica, pariterq. Metaphyſica, non ſcientiæ ſunt inter ſe diuerſæ, at illius ſcientiæ communis partes; ceu animalium, plantarum, & metallorum vna eſt ſcientia, atque philoſophia. Et huiuſmodi diuiſio, non ob ſcibilium varietatem, at potius ob maiorem addiſcendi commoditatem, & vt euitaretur confuſio, eſt reperta. Format igitur vir iſte arborem quandam, qua diuidit id quod eſt prius in decem categorias, & quamlibet illarum, vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas;& ita vult huiuſmodi ſcientiam communem id quod eſt conſiderare, eiuſq. ſpecies, & ſpecierum ſpecies, vſque ad ſpecialiſsimas.

Et hoc ſuum intentum fouet authoritate prius deſumpta ab Ariſt. in.4. Sapientiæ, ad.2. contextum, vbi ait: Omnis autem generis, & ſenſus vnus vnius, & ſcientia; veluti Grammatica, vna exiſtens, omnes voces ſpeculatur. Quare entis quoque quot ſpecies ſunt, & ſpecies ſpecierum ſpe-

culari,

culari, vnius ſcientiæ genere eſt. Quibus ſtantibus, ſubſumit ſtatim doctor: Si quæcunque ſunt ſpecies, & ſpecierum ſpecies, attinent ad vnam ſcientiam genere, decem igitur prædicamenta ad vnam ſcientiam genere pertinere dicendum eſt; quoniam ſunt ſpecies entis.

Et ſi decem prædicamenta ad vnam attinent ſcientiam genere, quia ſunt ſpecies entis; ita quæcunque ſunt à decem prædicamentis uſque ad ſpecies ſpecialiſsimas, ad eandem ſcientiam attinere fatendum eſt; quia ſunt ſpecies ſpecierum entis. Quod quidem perquamfacillimè deducitur ex hoc; quia ſubſtantia incorruptibilis, & ſubſtantia corruptibilis, ſunt ſpecies ſubſtantiæ, quæ eſt ſpecies entis, & ita deinceps, vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas; cùm ſpecies ſpeciei ſubalternæ, ſint etiam ſpecies generis illius generaliſsimi.

Ens itaque cùm ſit quaſi genus, & ſubſtantia ſit eius ſpecies, huiusq. ſubſtantia corruptibilis, & incorruptibilis adhuc ſpecies ſint; ſequitur neceſſario, quòd ſicut huiuſmodi ſpecies ſubſtantiæ quæ eſt ſpecies ſubalterna, ad eandem genere ſcientiam attinent, ita etiam ſpecies ſubſtantiæ incorruptibilis & corruptibilis vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas, ad eandem ſcientiam attineant. Omnes enim ſunt ſpecies ſpeciei ſubalternæ; ex conſequenti illius generis communis. Quæcunque igitur ſunt à decem prædicamentis, vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas, ad eandem ſcientiam genere attinebunt; & propterea non erit niſi vna genere ſcientia.

Et corroboratur huiuſmodi loci expoſitio, ex ordine quem habent res .2.
adinuicem, & inter ſe. Siquidem res omnes in uniuerſo exiſtentes, hunc ordinem habent; quod ab ente vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas deſcendendo, habent rationem generum & ſpecierum. Sicut igitur ad eandem ſcientiam attinent homo & aſinus, ad quam attinet animal, cur etiam ſubſtantia incorruptibilis & ſubſtantia corruptibilis, non attinebunt ad eandem ſcientiam, ad quam attinet ſubſtantia in generali, quæ in illas tanquā in ſpecies diuiditur? Et ſi hoc, cur itidem ſubſtantia generalis, & cætera decem prædicamenta, non attinebunt ad eandem ſcientiam, ad quam attinet ens? Cùm itaque hæc omnia ordinem habeant adinuicem generum & ſpecierum, quæ ſub ente continentur, ſequitur quòd vna ſit genere ſcientia, de omnibus pertractans.

Cui etiam expoſitioni & rationi fauet exemplum ab Ariſt. allatum, ex .3.
quo tandem præfatam traxit concluſionem. Inquit enim: Omnis autem generis & ſenſus vnus, & ſcientia; velut Grammatica, vna exiſtens, omnes uoces ſpeculatur. Si ergo omnis generis ſenſus eſt unus, & una ſcientia; igitur (V.G.) omnium colorum in propria natura erit ſenſus vnus, & vna ſcientia. Tum quia clarum eſt, ſenſum uiſus eſſe omnium colorum in particulari, ut albedinis, nigredinis, &c. Nec minus perſpicuum eſt, unam ſcientiam eſſe in particulari omnium colorum, & Grammaticam omnium vocum. Tum quia, niſi ita eſſet, ſenſus non eſſet omnis generis, neque Grammatica omnium vocum. Quoniam hæc non eſſet uocum, in particulari, neque ille colorum in particulari. Et ita non omnis generis eſſet unus ſenſus, & ſcientia vna; quod euertit textum Ariſtotelis.

ſtotelis. Quare; inquit vir iſte; cogimur vnam genere ponere ſcientiam, quę conſideret nedum genus; ſcilicet ens; ſed eius omnes ſpecies in particulari, & ſecundùm earum propriam naturam. Concluſio nanque eo modo eſt intelligenda, quo intelliguntur propoſitiones ex quibus deducitur; authore Ariſtotele primo poſte. 1. Propoſitio autem ex qua deducitur, intelligitur de omnibus vnius alicuius generis ſpeciebus, & de ſpecierum ſpeciebus in particulari, & ſecundùm propriam naturam. Quare & concluſio eodem modo venit intelligenda. Voluit igitur Ariſtoteles in. 4. Meta.; contex. 2., omnes ſpecies entis, & ſpecierum ſpecies in particulari, attinere ad ſcientiam de ente, ex propria ipſarum natura, non quatenus ſolùm continentur in natura generis; quia de illo non poteſt eſſe dubium.

Tacita obiectio. Solutio. Ex quo patet, vanam & inanem quorundam eſſe reſponſionem, ad illam Ariſtotelis authoritatem; quòd ſcilicet conſiderantur omnes ſpecies entis, non in particulari, & ſecundùm earum propriam naturam; atqui prout entia ſunt; & hoc ſatis.

Si enim ſcientia eſt vna quæ eſt vnius generis, partes & paſsiones conſiderans; authore Ariſt. in primo poſte. cap. 23.; fateamur oportet, quòd ſcientia illa quæ conſiderat genus, debet etiam conſiderare ſpecies in ſua propria natura. Alioquin fruſtra dixiſſet Ariſtoteles eam conſiderare ſpecies; at ſatis fuiſſet dicère quòd conſideraret genus, ſi nollet ſignificare quòd conſideraret ſpecies illas in propria natura. Qui enim conſiderat animal vt ſic, idem cogitur neceſſariò conſiderare hominem, Aſinum, cæteraq. animalia, vt animalia ſunt; ſecus non conſideraret animal quatenus animal.

Amplius ſtante dicta reſponſione, ſequeretur decem prædicamenta; quæ ſunt ſpecies immediatæ entis, non conſiderari ſecundùm propriam naturam, in ea ſcientia in qua conſideratur ens; ſed tantùm vt entia ſunt; quod eſt abſurdiſsimum. Si igitur ſpecies immediatæ conſiderantur in propria forma, neceſſe eſt vt etiam ſpecierum ſpecies, eodem modo conſiderentur; ſecus non conuenirent verba Ariſtotelis, dicentis quòd eiuſdem ſcientiæ eſt conſiderare ens, & ſpecies entis, & ſpecierum ſpecies. Si modò ſpecierum ſpecies, eo modo quo ſpecies non conſiderantur, concluſum relinquitur, verba Ariſtotelis non conuenire.

4. Idem nititur oſtendere præfatus doctor, ex proceſſu Ariſt. in. 4. Meta. ad initium, & deinceps. Vbi docet vnam eſſe ſcientiam, quæ conſiderat ens vt ens, & quæ ei inſunt; & quòd hæc ſcientia non eſt aliqua illarum particularium, quæ ſibi partem aliquam entis arripiunt. Et hoc quidem ens, nec æquiuocum, nequidem vniuocum eſt, at multipliciter dicitur, veluti ea quæ ſunt ab vno, vel ad vnum; vtpotè ſanum ad ſanitatem, & medicum ad medicinam. De talibus enim habetur ſcientia. Et propriè primi. Ens itaque cùm ſit de numero eorum quæ ſunt ab vno, vel ad vnum, ſequitur quòd ſcientia ſit propriè primi. Hoc autem cùm ſubſtantia ſit, philoſophum oportet, inquit Ariſto., habere ſubſtantiarum principia & cauſas.

Quibus

Quibus omnibus ita conſtitutis, poterat quiſpiam, ex dictis in primo contextu, aſſeverare plures eſſe ſcientias, non ex commoditate addiſcendi, at ex ratione & natura rerum. Idq; ex eo quia dixerat ſcientias particulares conſiderare partes entis; & non ens ipſum vniuerſale. Quod videbatur aduerſari ijs, quæ docuit in primo de poſte. reſolut., vbi ſupra; quòd ſcilicet vna eſt ſcientia huius generis partes & paſsiones illius generis conſiderans. Quapropter ad tollendum errorem, ſubdidit: Omnis autem generis vnius ſenſus eſt vnus, &c. Et ex his intulit, quòd vnius eſt ſcientiæ genere, & ens, & eius ſpecies, & ſpecierum ſpecies contemplari. Et quòd hæc ſit mens Ariſtotelis, deducit ipſe ex contextura verborum adinuicem. Siquidem niſi mens philoſophi ſit, illum quem diximus tollere errorem, nulla erit combinatio, minimeq; conuenientia verborum illorum, in quibus adducit exemplum de ſenſu, & de Grammatica, cùm illis præcedentibus; quibus immediatè dixerat: Quòd ſi hoc ſubſtantia eſt, oportet profectò vt ſubſtantiarum principia & cauſas philoſophus habeat. Deinde ſubdit; Omnis autem generis, & ſenſus vnus vnius, & ſcientia &c. Modò perſpicuum eſt, inquit vir iſte; quòd hæc vltima verba, neque pendent ex illis immediatè præcedentibus, neque ipſa declarant. Quare peroptimè ſequitur, quòd mens Ariſtotelis fuerit, tollere tacitam illam hominum cogitationem, de pluralitate ſcientiarum, & vnam genere introducere ſcientiam, ad quam omnes res attinent ſecundum earum propriam rationem & naturam.

Quam quidem ſcientiam, non primam philoſophiam, quia prima dicitur ratione ſecundæ; at philoſophiam ſimpliciter & abſolutè appellat doctor iſte; cuius quidem ſubiectum, ſeu obiectum eſt ens, quod eſt quaſi genus omnium rerum. Huiusq. ſcientiæ eſt conſiderare ſubſtantias, earumq; accidentia, vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas. Et ob maiorem addiſcendi commoditatem, illam voluit Ariſtoteles in tres præcipuas ſecare partes. Quarum prima complectitur ens, & decem prædicamenta, vnà cum ſubſtantia incorruptibili, & corruptibili. Altera cœlum, elementa, miſta, & vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas, cum ſuis accidentibus. Tertia quantitatem continuam & diſcretam. Harum primam nuncupauit Ariſtoteles primam philoſophiam, ſecundam Naturalem, tertiam verò Mathematicam; quas ſcientias impropriè appellat. Hæc eſt ſententia huius viri, fideliſsimè recitata; quæ modò relinquitur examinanda.

Prænarrata refellitur opinio. Cap. 2.

Licèt hæc doctrina ſubtilis ſit, atque ſcitu digna, nihilominus ſecius quòd à veritate, & à Peripateticorum ſchola ſuperque ſatis abhorreat, non erit difficile, in luceq; clariori ſummè demonſtrare. Siquidem Ariſto. in primo de poſteriori reſolutione, cap. 7. perquàm clariſsimè docet, paſsiones non poſſe, de alio quàm in de demonſtrari poſſe; neque demum demonſtratione vnius ſcientiæ, concluſionem alterius ſcientiæ demonſtrari poſſe; nam vtrobique, ex proprijs cuiusque ſcientiæ principijs, proprias

prias paſsiones probare tenemur. Et ita declarat quòd non licet tranſcendere de genere in genus. Quare concludit; quòd demonſtrationem arithmeticam non poſſumus adaptare Geometriæ; nec Geometræ eſt demonſtrare quòd vna ſit ſcientia contrariorum, ſed ad Metaphyſicam ſpectat.&c.

Amplius; ibidem Ariſto. docet, quòd ſi vnius ſcientiæ ſubiectum, ſub alius ſubiecto continetur, paſsiones ſuperioris poterimus demonſtrare de inferiori; veluti paſsiones trianguli de Iſochele. Si verò ſubiecta ſint omnino diuerſa, minimè. Si igitur ſcientia ſit vna genere, & eo modo diuiſa, quo vult Epiſcopus Caſertanus, tunc ſubiectum vnius partis, contineretur ſub ſubiecto alterius. Et ita eodem modo in eis procederetur, quo in ſubalternatis; quod eſt abſurdiſsimum. Ad aures enim iſtius viri; huiuſmodi ſcientia conſiderat ens, & ſpecies entis, vſque ad ſpecialiſsimas. Aut igitur ſub eadem ratione formali, & non materiali; & tunc eſt ſubalternatio; vt infra patebit. Non enim ſe habent ſicut Naturalis philoſophia; quæ licèt ſit in plures partes diuiſa; vnicum tamen habet ſubiectũ; vt infra patebit. Partes autem iſtius ſcientiæ, diuerſa habent ſubiecta; vt docet Ariſtoteles. Aut ſunt ibi diuerſæ rationes formales; & tunc erunt ſcientiæ per ſe diuerſæ, & ex natura rerum; quod volumus.

Confirmatur doctrina; quoniam dicit ibidem Ariſtoteles, quòd ſi alicuius ſubiectum ſub alterius ſubiecto contineatur, tunc paſsiones ſuperioris demonſtrantur de inferiori; ut in ſcientijs ſubalternatis liquidò conſtat. Hoc autem non eſt, niſi quia ſcientiæ ſubalternantes & ſubalternatæ non ſunt diuerſæ. Id quod docet Ariſtoteles in primo de poſte. reſolutio., cap. 23., ſub his verbis: At diuerſæ inter ſe ſunt ſcientiæ, quarum principia ex eiſdem non ſunt, nec altera eſt ſub altera. Si igitur ſcientia ſubalternata non eſt diuerſa à ſubalternante, quia illius ſubiectum continetur ſub ſubiecto iſtius; relinquitur neceſſariò, vt illæ quæ diuerſa habent omnino ſubiecta, ſint inter ſe diuerſæ. Diuerſæ; inquam; non ſpecie, ſed genere.

Et ſi dicatur quòd ſunt diuerſæ ex parte noſtri, non ex natura rerum. Non officit; quoniam tunc vanus fuiſſet labor Ariſtotelis, qui tradebat regulas ſcientiarum, & de eis in ſe loquebatur, nullo ad nos habito reſpectu; ſecus non fuiſſet locutus formaliter. Sunt, inſuper, diuerſæ, ratione ſubiectorum diuerſorum. Non igitur ex parte noſtri.

Amplius; Vbi diuerſa ſubiecta, ibi diuerſæ paſsiones, diuerſæq. demonſtrationes; veluti ex dictis ſatis conſtare poteſt. Diuerſæ autem demonſtrationes, diuerſas pariunt ſcientias; prout etiam ex dictis patet. In Meta. autem, Naturali, & Mathematica, diuerſæ ſunt demonſtrationes; vt patet. Quare ſunt interſe diuerſæ.

Præterea: Ariſtoteles in primo poſte. libro, cap. 23. comparat ſcientias adinuicem, penès perfectionem, certitudinem, & prioritatem, ex vna parte. Et penès vnitatem ex alia parte. Ac demum penès diuerſitatem; velut intelligentes optimè norunt. Omnis autem comparatio fit inter diuerſa. Non igitur eſt vna genere ſcientia, ſed diuerſæ. Diuerſæ, inquam;

ex natu-

ex natura rerum, non ex parte noſtri. Quoniam Ariſtoteles dicit, quòd ſcientia illa, qua cognoſcimus & quòd res ſit, & propter quid ſit, exactior eſt quàm illa, qua cognoſcimus ſolùm quòd ſit; ſiue per ſenſum, ſiue per demonſtrationem ab effectu, ſiue quouis alio modo. Quemadmodum ſcientia Naturalis non eſt ita exacta de Iride, quia ignorat cauſam, & eam nouit Perſpectiuus. Item Medicina, cur vulnus circulare tardius ſanetur, non nouit; at illud nouit Geometra; quia ſcilicet caret angulis. Propterea quantùm ad hoc, Geometria exactior eſt ipſa Medicina. Ita etiam Arithmetica dicitur exactior Perſpectiua, quia habet propter quid de ſuis concluſionibus; Perſpectiua autem, non de omnibus ſuis concluſionibus habet propter quid.

Dicit ſecundò Ariſto., ſcientiam illam exactiorem eſſe, cuius ſubiectum alteri minimè ſubijcitur vt inferius. Ex aduerſo autem illam minus exactam eſſe, quæ de ſubiecto eſt; hoc eſt, cuius ſubiectum alteri ſubijcitur vt inferius; ſiue poſtea ſit in materialibus, ſiue in immaterialibus, nihil refert. Et hoc patet exemplo Ariſto. de Arithmetica & Muſica. Tertiò dicit Ariſto., quòd illa ſcientia certior & exactior dicitur, quæ conſiderat rem ex paucioribus conſtantem; minus autem exacta, quæ rem conſiderat cum additione; veluti ſunt Arithmetica & Geometria. Arithmetica enim eſt de numeris, Geometria autem de punctis; vnitas verò ſicut & punctus eſt indiuiſibilis; atqui inter vtrunque, hoc verſatur diſcrimen, quòd punctus habet poſitionem in continuo, quam non habet vnitas. Poſitio autem dicit materiam, ſaltem intellectualem. Arithmetica igitur rem conſiderat ſimpliciorem, quàm Geometria; & ita illa eſt exactior iſta.

Hanc ſum amplexatus huius loci expoſitionem, ne tertius modus cum ſecundo coincideret; quod vtique eueniret, ſi iuxta communem expoſitionem procederemus. Iſti nanque tres modi, ad aures communiter exponentium ita ſe habent, quòd primus ſumitur ex ſubalternatione. Secundus ex materia ſenſibili; per ſubiectum enim intelligunt materiam ſenſibilem D.Tho., Alber., AEgidius, Auerroes, & alij. Tertius verò ſumitur ex additione. Quo ſtante, tertius modus coincidit cum ſecundo; quoniã utrobique clauditur abſtractio à materia; vt ſcilicet iuxta ſecundum modum illa ſit exactior ſcientia, quæ abſtrahit à materia ſenſibili; & iuxta tertium, illa ſit exactior, quæ abſtrahit à materia intelligibili. Nec valet quod dicunt AEgidius & Toletus; quòd ſcilicet in ſecundo conſideratur abſtractio à materia ſenſibili, in tertio autē abſtractio à continuo & poſitione. Hoc; inquam; non valet; quoniam licèt ſit abſtractio diuerſa, utraque tamen reſpicit materiam; prima ſenſibilem, ſecunda intelligibilem. Vt illa ſit exactior, quæ abſtrahit à materia, quæcunque ſit illa, quàm ea quæ nō abſtrahit; & ita ſub eodem modo continentur tertius & ſecundus. Secundùm nos autem, primus modus ſumitur ex habere quia & propter quid ſimul, & habere quia tantùm, ſuarum concluſionum. Secundus ex ſubalternatione. Tertius verò ex additione; & ita nullo modo coincidunt.

Hæc dixiſſe volui, ne videar verba Ariſtotelis contra communem ſenſum, pro meo captu, & ſine rōne exponere. Verùm quocunque modo ex-

ponantur, hoc perſpicuum relinquitur & clarum, quòd niſi eſſent inter ſe ex natura rerum diuerſæ ſcientiæ, incaſſum laboraſſet Ariſtoteles in huiuſmodi comparatione. Et licèt ſubalterna ſcientia non ponat in numerum cum ſubalternante, eſt nihiloſecius inter vtranque aliqua diuerſitas; quemadmodum infra locis proprijs patebit.

Fruſtra, item, laboraſſet Ariſto., oſtendendo quo modo ſcientia ſit vna, & quo modo diuerſa; quemadmodum oſtendit in dicto cap.23. Si enim vnica eſt ſcientia genere, & ſolummodo diuiſa ob faciliorem addiſcendi modum, & non ex natura rerum; ad quid tantus labor, ad oſtendendum quo modo vna ſit exactior altera, quo modo vna, & quo modo diuerſa? Rectius quidem dixiſſet, vnam partem ſcientiæ, eſſe alia faciliorem, & ſimilia.

.3. Item ad principale arguo tali pacto. Ariſtoteles in primo de poſte. reſolut., cap.7., oſtendit quòd vbicunque alia ſunt omnino ſubiecta & paſsiones, aliæ ſunt etiam ſcientiæ; ita quòd demonſtratio vnius, alteri minimè adaptari poteſt; vt liquet de Arithmetica & Geometria. Et ibidem, cap.23., dicit illas eſſe diuerſas ſcientias, quæ diuerſa omnino habent principia, & cætera alia, quæ ibi ſunt manifeſta. In.2. autem auſcultatorio libro, particula.16. & deinceps, efficacißimè probat diſcrimen inter Naturalem, & Mathematicam ſcientiam, ex hoc quia & aliud habet ſimpliciter ſubiectum, & alium conſiderandi atque definiendi modum, ex conſequenti demonſtrandi. Non igitur ſunt vna, ſed duæ genere ſcientiæ.

Confirmatur doctrina; Quoniam ſi Ariſto. in primo poſte., cap.7. voluit Arithmeticam & Geometriam, ſimpliciter & omnino eſſe diuerſas; cùm tamen conueniant in vno genere Mathematico; utraque enim verſatur circa quantitatem. Cur poſtea in.2. Phyſicorum non ponet ſimpliciter diuerſitatem & propriam differentiam inter Naturalem & Mathematicam, quæ in nullo genere conueniunt? Et ſi velit Epiſcopus Caſertanus, eas conuenire in genere ſcientiæ, non ob id, noſtrum impediret intentum; cùm longè remotius ſit ſcientiæ genus, quàm quantitatis. At quæ in hoc conueniunt ſunt diuerſæ. Igitur & quæ in illo.

.4. Arguo adhuc ad principale in hunc modum: Dicit iſte Philoſophus, quòd illius ſcientiæ, quam ipſe ſtatuit, ſubiectum eſt ens, & ipſum conſiderat tanquam genus omnium, eiuſque ſpecies, & ſpecierum ſpecies vſque ad ſpecialiſsimas. Sed eſt deinde diuiſa, ob maiorem addiſcendi commoditatem, in tres partes. Quarum prima eſt Metaphyſica, conſiderans ens, & eius ſpecies, quæ ſunt decem prædicamenta, cum ſubſtantia incorruptibili & corruptibili, ut ſic. Secunda verò eſt Naturalis, conſiderans corpora cœleſtia, elementa. &c. quæ ſunt ſpecierum ſpecies. Idem de Mathematica. &c. Quibus ſtantibus, tali pacto erigitur ratio: Ariſtoteles in.4. Meta. contex.2. habet hæc verba formalia: Quare quot vnius ſpecies, totidem & entis ſunt; de quibus ipſum quid eſt ſpeculari, eiuſdem ſcientiæ genere eſt. Dico autem ut puta de eodem, & ſimili, cæteriſque huiuſmodi. Scientia autem illa

genere,

genere, eſt quam ipſe author eſt imaginatus. Quemadmodum igitur illa tractat de ente, & eius ſpecies, & ſpecierum ſpecies conſiderat vſque ad ſpecialiſsimas. Ita etiam debet tractare de vno, eiusq́. ſpecies, & ſpecierum ſpecies conſiderare vſque ad ſpecialiſsimas. Quod tamen non eſt. Quandoquidem ſicut ſcientiæ particulares, ſeu partes illius ſcientię, conſiderant ſpecies entis uſque ad ſpecialiſsimas; ita etiam tractarent de ſpeciebus vnius, ſcilicet eodem, diuerſo, ſimili, &c. vſque ad ſpecialiſsimas. Quæ tamen tractantur in Metaphyſica. Non igitur per vnam ſcientiam genere intelligit Ariſtoteles illam genericam, ſed Metaphyſicam. Id quod etiam per exempla Ariſto. quæ ipſe author ad corroborandam ſuam ſententiam adduxit, confirmari poteſt. Subiecit nanque Philoſophus exemplum de ſenſu, dicens; quòd ſicut vnus ſenſus eſt vnius generis, & Grammatica vna exiſtens, omnes uoces ſpeculatur. Ita & entis quot ſpecies ſunt, & ſpecies ſpecierum ſpeculari vnius ſcientiæ genere eſt. Perſpicuum eſt autem, quòd ſenſus non ita eſt vnius generis, quod genere quodam ille ſenſus ſit vnus, & in plures ſenſus, tanquam in plures partes diuidatur; vt ſenſus in genere verſetur circa totum ſubiectum, & ſenſus ſpecificè diſtincti, ſeu ſecundum partes, circa ſpecies illius ſubiecti. Et minus Grammatica eſt unum genus ad plures Grammaticas, habens unum genus vt ſubiectum Grammaticæ in genere, cuius ſpecies verſentur circa ſpecies illius ſubiecti. Per vnam igitur ſcientiam genere, intellexit Ariſtoteles Metaphyſicam, quæ eſt vna ſcientia ab alijs diſtincta; non illam quam comminiſcebatur Epiſcopus Caſertanus.

Si dicatur quòd non eſt par ratio de ſenſu & ſcientia, quia ſenſus eſt vnus, & ita vna ſcientia ſecundùm ſe, multiplex autem ex parte noſtri; hoc non refert, quoniam unum genere poteſt multiplicari in ſpecies. Quod igitur ad hoc attinet, ſenſus & ſcientia tendunt de pari; ſecus exempla non eſſent ad propoſitum.

Arguo quinto loco ad hunc modum: Ariſtoteles in 4. Meta. cap. 1. dicit quandam eſſe ſcientiam, quæ ſpeculatur ens quà ens, & quæ ei inſunt, &c. In 2. autem cap. aggreditur naturam entis, ut exponat nunquid alicuius ſcientiæ ſubiectum eſſe poſsit, cùm multipliciter dicatur & tandem concludit affirmatiuè. In illis igitur duobus capitibus, aut loquitur Ariſto. de ſcientia illa in genere, quam ponit Mirandulanus, & de eius ſubiecto, aut de Metaphyſica, eiusq́. ſubiecto. Non poteſt dari primum; quia dicit Ariſtoteles: Eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens. &c. Illa autem particula (quædam) plures denotat eſſe ſcientias. Quoniam ſi unicus eſſet homo in toto uniuerſo, non appellaretur quidam homo; ſed homo abſolutè. Et illa ſcientia eſt una genere, cuius partes non dicuntur ſcientiæ niſi impropriè, iuxta dogma ipſius Mirandulani. De illa igitur non loquitur Ariſtoteles. Relinquitur ergo quòd de Metaphyſica, eiusque ſubiecto ſermonem habeat. Id quod etiam ſignificare uoluit, quando ſubdidit, quòd illa ſcientia non eſt aliqua illarum particularium, quæ ſibi entis partem arripiunt; quoniam nulla illarum, ens quà ens ſpeculatur. Si autem loquitur de illa ſcientia

quæ eſt vna genere, diuiſa tamen in Meta., Naturalem, & Mathematicam, tanquam in partes; perſpicuum eſt, ipſum dicere falſum; quoniam Metaphyſica (ad aures etiam ipſius Mirandulani) ens vt ens ſpeculatur.

Si itaque de Metaphyſica, eiusq; ſubiecto loquitur, prout de facto loquitur; & poſtea in calce illius.2. contextus, poſtquam locutus eſt de natura ſubiecti Meta., loquatur de illa ſcientia vniuerſali, quam dicit Mirandulanus, & de eius ſubiecto, nónne peccat æquiuocando præter rem, & à propoſita diſputatione admodum digreditur? Eò maximè, quando & Mirandulanus ipſe dicit, quòd illa verba nec à prioribus dependent, nec illa probant. Niſi verba in eodem eſſent contextu, maiorem haberent apparentiam. Si igitur Ariſtoteles eo in loco non peccauit, patet ꝙ ſemper loquitur de Metaphyſica, quare non vna ſcientia tantum.

6. Amplius: Ariſtoteles in.11. Meta. cap.6., apertiſſimè docet, ſcientias iuxta varium modum conſiderandi atque definiendi, varias & diuerſas eſſe. Inquit enim, Naturalem philoſophiam à practicis diſciplinis eſſe diuerſam, quia in practicis principium motus eſt in agente, & non in acto. In philoſophia autem Naturali, principium motus eſt in rebus ipſis. Deinde declarat, Naturalem philoſophiam diuerſam eſſe à Mathematica, penès diuerſum definiendi modum; quia Naturalis definiendo concernit materiam ſenſibilem, Mathematica autem minimè.

Vltimo loco docet, Metaphyſicam diuerſam eſſe ab alijs, quæ particulares ſunt, tum penès modum ſeparationis, tum penès nobilitatem, ac demum penès vniuerſalitatem. Et propterea concludit tandem, tria eſſe genera ſcientiarum, Naturalem, Mathematicam, & Theologiam. Id quod etiam docuit in.6., ad initium, dicens; ꝙ tres ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ. Quod ſi impropriè loquitur, veluti dicebat Mirandulanus; non ſibi cõſtat in.6. & in.11. Metaphyſicæ; vt paret. Quoniam in.6., ſi impropriè vult illas eſſe ſcientias, in.11. autem dicat, tria eſſe genera ſcientiarum, tres illas ſcientias enumerando, conſtat ꝙ ibi vult illas eſſe propriè ſcientias genere diſtinctas. Quare non ſibi conſtaret.

7. Rurſus: Dicebat Mirandulanus, quòd Ariſtoteles in illis exemplis de ſenſu & Grammatica, quæ attulit in.4. libro Meta., loquebatur de illa ſcientia genere, & non de Metaphyſica. Quod tamen eſſe falſum innuit Ariſto. in.11. Meta., loco proximè citato; vbi dicit, Metaphyſicam eſſe priorem, quia eſt de ſubſtantia prima immobili. &c. Et ex hoc quia eſt prior, eſt etiam vniuerſalis. Idem colligitur in procemio Meta., enarratione.9. &.10., iuxta diuiſionem Alexandri. Modò ſic: Metaphyſica eſt vniuerſalis. Ergo tractat de omni ente. Ergo de eius ſpeciebus. Non igitur eſt munus illius ſcientiæ, quam ſibi finxit Mirandulanus, illa conſiderare. Quare & de Metaphy. loquebatur Ariſtotel. in illis exemplis.

Confirmatur ratio ex his quæ docet Ariſto. in.4. Meta. cap.1. ad initium; vbi habet quòd Metaphyſica verſatur circa ens, ut ens, & quòd eſt diuerſa ab alijs, quæ ſibi partem entis arripiunt; quæ quidem

ſunt particulares. Si igitur illæ quæ partem entis conſiderant ſunt particulares, meritò, iureq. optimo, Metaphyſica quæ totum ens conſiderat, erit vniuerſalis. Et ita ſuum erit tractare de ente, & ſpeciebus entis.

Ad principale iterum arguo tali uia: Ariſtoteles ſcientias diuiſit iuxta rerum diuiſionem; quoniam res maximè cognoſcuntur, earumq. natura dignoſcitur, quidditatem conſiderando, ſeu eſſentiam & formam, & propterea definitionem. Quædam autem ſunt omnino immateriales, ut ſubſtantiæ ſeparatæ; quædam omnino materiales, vt naturales; quædam medio quodam modo, ut Mathematicæ; in quibus non eſt materia niſi ſecundùm eſſe, non autem ſecundùm definitionem, quod eſt proprium naturalium; cùm harum definitio ſit velut naris ſima, illarum verò ſicut curuum; prout etiam docebat Ariſtoteles in.2. auſcultatorio libro, ad contextum.19. Res igitur ex earum propria natura ſunt variæ atque diuerſæ. Ariſtote. autem in.6. Meta., & alibi ſæpè, dictam ſignificauit rerum diuiſionem, & iuxta eam, ſcientias in tres partes diuiſit. 8.

Quemadmodum igitur diuiſio rerum non eſt voluntaria, ſed dependens ex ipſa rerum natura; ita etiam diuiſio ſcientiarum, voluntaria eſſe non poteſt, neque ob ſtudioſorum commoditatem facta, ſine ratione cogente ex parte ipſarum rerum.

Confirmatur ratio ex natura ipſarum ſcientiarum. Quòd enim quædam ſit ſapientia, quædam non, ſed ſubiecta, non eſt ex voluntate, vel ob ſtudioſorum commoditatem; ſed ex ipſa rei natura. Veluti etiam in artificialibus optimè conſtat; in quibus differt Architectus ab artifice ſibi ſubiecto, ob ipſarum artium naturam. Sic igitur & prima philoſophia, quæ eſt ſapientia, differt per ſe à Naturali, & Mathematica ſcientia. Pro comperto igitur habemus, vanam eſſe illam de vnica genere ſcientia, Mirandulani imaginationem. Cuius quidem ratiocinia, quia aliqualem habent apparentiam, idcirco eorum diſſolutioni ſi quædam ſcitu dignißima præmiſero, operæpretium me facturum exiſtimabo.

Quædam pro diſſolutione rationum doctißimi Domini Epiſcopi Caſertani præmittuntur. Cap. 13.

VT omnia omnibus clariora reddantur, illud in primis annotandum propono, nempe quòd ens vniuerſale eſt ad omnia, vt nihil ſit vniuerſalius ipſo; vt conſtat. Non ſic autem, quòd ex æquo omnia comprehendat; ſed nomen ipſum primò ſignificat naturam quandam omnium primam, à qua omnia pendent; & propterea omnia participant nomine eius, ſicut & natura illa. Vnde ſicut vniuerſalius eſt nomen, ita & natura penès quam ſumptum eſt, omnium eſt prima. Sicut enim homine animal vniuerſalius eſt, quia animalis ratio ſumitur penès ſenſum, qui eſt natura prior rationali, penès quod ſumi-

tur homo; & animatum vniuerſalius animali, quia ſumitur penès vegetatiuam animam, quæ eſt prior ſenſu; & ſic aſcendendo vſque ad corpus; quòd cùm vniuerſalius ſit miſtis, & ſimplicibus, grauibus vel leuibus, & corruptibilibus, vt competat etiam immortali corpori per ſe primò neceſſe eſt; & ita natura corporis erit prior omnibus illis. Sic igitur cùm corpore vniuerſalius ſit prædicatum ſubſtantiæ; omne ſiquidem corpus eſt ſubſtantia, ſed contra non recurrit oratio; cùm quædam ſit incorporea; neceſſe eſt vt ratio ſubſtantiæ ſit naturæ prioris corpore; quare & eſſentiæ. Idem enim eſt; vt indicat verbum græcum; οὐσία; quod ſubſtantia, natura, ens, & eſſentia. Quamobrem & hoc nomen (ens) vt eſt vniuerſalius corpore, ita etiam ſumitur penès naturam, corpore ſuperiorem. Et ita ens propriè ſignificat ſubſtantias ipſas; omnes quidem, ſed maximè incorporeas. Corporeas tamen etiam, non autem vt corporeæ, ſed vt ſubſtantiæ ſunt. Quia licèt illa prima natura quæ eſt primum genus entium, vt eſt diſtinctum contra genus entium, circa quod verſatur Phyſicus, & contra illud, circa quod verſatur Mathematicus, ſit per ſe primò ens, & ratione eius, aliæ ſubſtantiæ inferiores dependentes ab ea, ſint ſubſtantiæ propter eam & entia, non tamen eo modo quo accidentia, quę nō ſunt ſubſtantiæ neque entia, ſed entis & ſubſtantiæ, in qua inſunt. Ideo philoſophus ſub genere ſubſtantiæ complexus eſt omne genus ſubſtantiarum; ſeparatarum nimirum, & inſeparatarum, materialium & immaterialium, mobilium & immobilium. Et hoc conſtare poteſt ex diuiſione facta in prædicamentis, cùm diuidit entia per eſſe in ſubiecto & dici de ſubiecto; vel non eſſe in ſubiecto, vel non dici de ſubiecto.

Item ex his quæ in 7. Meta. traduntur; nam inquirit genera ſubſtantiarum ſecundùm diuiſionem factam entis in decem genera. Et licèt primò ſumat ſubſtantias materiales & ſenſibiles; ſignificat tamen alias etiam inquiri ſubſtantias, quæ ſint in genere ſubſtantiarum, contra nouem genera accidentium diſtinctarum. Sed ſic procedit, vt à notioribus nobis, aſcendat ad eas, quæ ſunt natura notiores & priores, ſenſibilium rerum miniſterio vſus, vt per eas, quaſi per ſcalas, quibuſdam gradibus ad illas ſuperiores aſcendat.

Deus eſt in genere

Ex quibus patet error eorum, qui docent, ſententiam eſſe Ariſtotelis, quòd in genere ſubſtantiarum non comprehendatur Deus, qui eſt prima omnium cauſa, ſed ſolùm ſubſtantiæ inferiores, & omnia quæ habent cauſam; vt ens cauſatum ſit in Metaphyſica ſubiectum, non ens quod eſt cauſa. Nam ſicut concedunt ens quod diuiditur in decem genera eſſe ſubiectum, neceſſe eſt vt etiam Deus non omittatur, ſed ſit pars ſubiectiua, cùm ſit nomine ſubſtantiæ comprehenſus cum alijs ſubſtantijs, & ijs ſiue corporeis, ſiue incorporeis. Et profectò abſurdum eſt omittere primam ſubſtantiam ſeparatam, & admittere alias ſeparatas, cùm vt genus totum, eas accipiat Ariſtoteles, & quod ad hoc attinet de eis loquatur indifferenter. Et quando ad initium 12. Meta. dicit: Speculatio de ſubſtantia eſt; ſiquidem ſubſtantiarum principia & cauſæ quæruntur; non de ſubſtantia quadam loquitur, ſed de omni genere ſubſtãtiarum; ideo infra diuidit eam in

tria genera, ſed maximè tamen laborandum circa tertium genus, quia eſt ignotius nobis, & natura prius. Et quærit principia nedum alicuius generis ſubſtantiæ, ſed etiam cuiuslibet alterius. Ideo cuique generi ſubſtantiarum aſsignat ſua principia: ſic tamen, vt quia ſubſtantię iſtæ ſunt ſubordinatæ, neceſſe ſit etiam principia generis ſuperioris, præſupponi ab inferiori. Quemadmodum liquidò conſtat quòd cœleſtia corpora ſunt natura priora corporibus, & ſubſtantijs corruptibilibus; propterea principia cœleſtium ſubſtantiarum & corporum, pręſupponuntur à corporibus corruptibilibus, & ab eorum principijs.

Cùm igitur dicit Ariſtoteles, quòd principia & cauſæ quæruntur ſubſtãtiarum; licèt per ſe primò intelligat de principijs primis ſubſtantiarum, quæ ſunt in natura illa prima, quæ dicitur diuina, à qua pendent omnia; tamen etiam loquitur de principijs proprijs cuique generi ſubſtantiarum, ideo & de materia, & de forma rerum corruptibilium, ſermonem habet. Eſt igitur omnino verum, quòd hoc nomen (ens) propriè ſignificat ſubſtantiam, & maximè incorpoream.

At verò tranſlatum eſt etiam ut ſignificet ſubſtantiarum accidentia. Sicut enim ſubſtantia ſimpliciter dicta, & ſine aliqua additione, eſt ſuperior & prior ſubſtantia corporea, quæ ſuperaddit aliquid ſubſtantiæ; multò magis ens & ſubſtantia erit prior, & quid ſuperius ad accidentia ipſarum ſubſtantiarum, quæ ſunt poſteriora ſecundùm naturam, non ſolùm ſubſtantijs ſimpliciter dictis; ſed etiam corporeis. Quare ens prædicabitur de illis: non quidem eo modo quo de ſubſtantijs, at in obliquo, & ſecundùm quid. Non enim propriè ſunt, ſed inſunt. Inde ſequitur, quòd ſicut entis nomen extenditur ad omnia, etiam accidentia; ita & nomen eſſentiæ, ſubſtantiæ, & naturæ. Nam & eſſentia dicitur quantitatis, & ſubſtantia qualitatis, ita etiam nomen quidditatis, quod tamen videtur proprium omnino ſubſtantiæ, ut diſtinguitur contra accidentia. Quæ quidem accidentia, in ſubſtantijs abſtractis minimè reperiri poſſunt. Siquidem, quemadmodum corpora ſunt poſteriora ſubſtantijs ſic ſimpliciter dictis; ita, & magis, accidentia erunt poſteriora corporibus; quo fit vt accidens non poſsit eſſe prius corpore; quare in ſubſtantijs incorporeis nihil per accidens ponendum videtur, nullaq; accidentaria natura, ſed ſua ſubſtantia tantùm. Id quod etiam indicat ordo prædicamentorum. Quandoquidem ſupra quantitatem nullum genus eſt, niſi ſubſtantia; quæ ſi à quantitate eſt ſeparata, magis etiam ab alijs, quæ non ſunt ſubſtantiæ.

Hæc itaque animaduertens Ariſtoteles in 4. Sapientiæ libro, ad initiũ, in hæc prorupit verba: Eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens, prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt. Nec mirum, quoniam ſicut datur vna natura, (V.G. hominis) circa quam artifex quiſpiam verſari poteſt, ita circa naturam animalis, &c. Item, natura corporis circa quam verſetur aliquis artifex, quà corpus eſt; cur non & entis natura, artificem habere poterit, qui circa eam uerſetur, idq; generaliter faciat, vt ea participant omnia, quæ eo nomine dicuntur?

Cùm igitur talis ſcientia ſit Metaphyſica; veluti ex his quæ diximus

ſatis

ſatis conſtare poteſt; reliquum eſt ipſam neceſſariò eſſe vniuerſalem; quia ad eam naturam aſcendit, quæ eſt omnium prima, penès quam ſumitur nomen entis, quod eſt omnium vniuerſaliſsimum; quia ab ea natura quam primò ſignificat, omnia pendent, quare & re & nomine eius participant.

Et præter hoc quòd eſt vniuerſalis, ſequitur quòd etiam alia ſit ab alijs, quæ particulares ſunt. Quoniam ſicut natura iſta entis eſt diuerſa, primò quidem vt in ſe eſt ſuperior quauis alia, deinde vt alia etiam ea participant, quia ei ſuperaddunt aliquid; ita etiam ſcientia quæ de tali natura conſiderationem habebit, erit ab alijs diuerſa doctrinis, quæ circa alias naturas verſantur. Et ex his optimè ſequitur, quòd Meta. ſit ſcientia vna. Quæ quidem omnia quo modo inter ſeſe conueniant, non eſt difficile probare. Ariſtoteles nanque primo Meta. dicit ipſam eſſe ſapientiam, & verſari circa primas rerum cauſas, ſimulq. omnia cognoſcere. Ita etiam in.4. libro dicit, eam verſari circa ens quatenus ens, & ſimul quærere prima principia, quemadmodum & veteres fecerunt. In.6. quoque libro diſtinguebat ſcientias, & cuique ſuum aſsignabat ſubiectum; Phyſicæ quidem entia mobilia inſeparabilia, Mathematicæ autem immobilia & inſeparabilia; ac demum Metaphyſicæ, quam Theologiam uocat, immobilia attribuebat & omnino ſeparata. Et propterea ſicut ſpeculatiuæ ſunt practicis nobiliores, ita inter ſpeculatiuas, hanc volebat primum ſibi vendicare locum; quia circa primum rerum genus, vbi eſt id quod eſt diuinum. Addens, quòd Meta. ſic eſt circa genus illud ſeparatorum immobilium, quòd eſt vniuerſalis & agit de omnibus; ſcilicet de ente quà ens, & hoc quia prima. Hac enim ratione eſt vniuerſalis; quia eiuſdem eſt agere de primis, & vniuerſaliter de omnibus; ita quod ratio primi, illam communitatem atque vniuerſalitatem ſecum trahit. Eapropter dicebat Ariſto. in.11. lib. Meta. cap.6., q. ex hoc quia Metaphyſica eſt prior, eſt etiam vniuerſalis; veluti ſupra notauimus.

Quænam autem ſint huiuſmodi prima, circa quæ verſatur Meta., declarat Ariſtoteles primò in.4. eiuſdem Meta., cap.1., inquiens: Cùm autem principia, & ſupremas cauſas quæramus, patet quòd alicuius naturæ per ſe neceſſe eſt eas eſſe. Ex quibus verbis, non habetur quòd huiuſmodi principia prima, ſint principia tantùm alicuius vnius naturæ, quæ pendeat ab eis; quoniam cùm ſint omnium prima, non vna quędam natura tantùm, ſed omnia ab eis pendent. At cùm dicit quòd ſunt alicuius naturæ; ſenſus eſt, quòd ſunt in aliqua natura. Id quod clarius dixit in.6. eiuſdem, cap.1., in illis verbis: Manifeſtum eſt enim, quòd ſicubi diuinum exiſtit, in tali natura exiſtit. In.11. verò libro cap.6. dicit: Circa ſeparabile igitur ens & immobile, alia præter has ambas, (Naturalē nempe & Mathematicam) ſcientia eſt; ſi aliqua quidem talis ſubſtantia eſt; dico autem ſeparabilis & immobilis quod tentabimus oſtendere; & ſi qua talis in entibus natura ſit, illic profectò diuinitas erit; & hoc erit primum & principale principium. In.12. tandem Meta. concluſit, ab vnico primo & principali principio, cœlū dependere, totamq. naturam. Hæc itaq. ſunt principia & cauſę ſubſtātię, quas inueſtigat Ariſtoteles in ſua Metaphyſica.

Propterea

Propterea locis præinductis dicebat, quòd ſi non eſſet genus illud immobilium ſeparatorum, ſed omnia eſſent mobilia inſeparata & materialia; tunc phyſica eſſet prima philoſophia. Et hoc ideo quia ageret de primis rebus, ſupra quas non eſſet aliud genus. Et hac ratione neceſſariò ſic eſſet prima, vt etiam eſſet vniuerſalis. Non quòd prædicaretur de alijs; ſicuti nec modò Metaphyſica; ſed quia ageret de omnibus, & omnia cognoſceret. Quod ſatis liquet ex his quæ ex. 11. lib. Meta. cap. 6. ſupra notauimus; nimirum quòd ad rationem primi ſequitur vniuerſalitas. Quod & clarius liquet in. 4. Meta. ad contextum. 7.; proptereaquòd cùm Ariſto. ibi oſtenderet quòd eius qui diſputat de ente quà ens, eſt etiam diſputare de principijs demonſtrationum, quibus maximè vtuntur demonſtrantes, ut Mathematici, hoc eſſe dicebat, quia ſunt communia & omnibus conueniunt, & ratione entis dicuntur de omnibus, vt & ens, quod uniuerſaliter dicitur, & omnibus conuenit. Idem ex eo confirmabat, quòd nullus particularis artifex diſputat de eis, licèt eis utatur, vt Geometra, & Arithmeticus, cæteriq. alij. Tandem dixit, quòd ſolùm quidam Phyſici de his agere aggreſsi erant. Et hoc propterea quia ſe agere credebant de tota rerum natura, deq. rebus omnibus, ita quòd nihil ſupereſſet conſiderandum; quoniam omnia materialia, & mobilia, atque inſeparata eſſe arbitrabantur. Et licèt in hoc deciperentur, ex eo tamen laudantur ab Ariſtotele, quòd de ijs quoque agerent principijs, credentes ſe agere de tota natura, ideſt, de omnibus, ita quòd nihil ſupra naturam eſſet. Ideo addebat quòd natura eſt vnum quoddam genus entis, & quod datur quid ſuperius ea. Et quòd qui loquitur de hoc ſuperiori, eſt qui agit de ente quà ens, & eſt vniuerſalis artifex, & de illis principijs, alijsq. communibus agere debet, de quibus agebat ibi Ariſtoteles, oſtendens ea ſpectare ad Metaphyſicum. Ad rationem igitur primi ſequitur uniuerſalitas; ex conſequenti Meta. quæ agit de primo ente, erit prima philoſophia, & ita vniuerſalis. Vna igitur & eadem ſcientia, quæ eſt Metaphyſica, eſt primi entis, & illorum quæ habent attributionem ad primum ens; quoniam quæ ſunt infra vnam attributionem, ſunt vnius ſcientiæ; quemadmodum tradit etiam Alexander Alenſis, in. 6. Meta. ſuper. 4. contextu, q. 1. & 2. Ex quibus omnibus, facile eſt videre quàm vanus fuerit labor Zimaræ in ſuo theoremate. 111.

Cùm itaque Metaphyſica verſetur circa primum genus rerum, debet etiam verſari circa vniuerſalia iſta, ens, actum, potentiam, & id genus alia. Ratio eſt; inquit Ariſtoteles; quia circa ea verſatur, quæ ſunt prima in toto rerum genere; qui enim agit de primis, debet etiam ſimul agere de communibus prædicatis. Et ſicut illa ſunt prima in genere omnium rerum, ita etiam prędicata iſta communia, omnibus conueniunt; & ratio primi ſecum fert vniuerſalitatem iſtam prędicatorum. Vnde patet alius error Reuerendiſsimi domini Epiſcopi Caſertani; qui in memorato volumine, libro. 34., ſectio. 9. ad initium, damnans Simonem Portium aſſerentem de mente Ariſtotelis, quòd ſi primæ ſubſtantiæ non eſſent, Phyſica eſſet prima philoſophia; dicit Ariſtotelem non ita ſenſiſſe;

ſed quòd

ſed quòd phyſica eſſet prima ſcientia; quia eſſet perfectior ratione ſubiecti. Quoniam; inquit, ſeiunctis ſubſtantijs abſtractis à prima philoſophia, remaneret ſolùm ens quatenus ens, & ſuæ paſsiones, & decem prædicamenta. Ipſa verò Naturalis philoſophia contemplaretur corpus cœleſte, & corpora alia vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas; quæ ſunt perfectiora quàm ens quatenus ens, & ſubſtantia quatenus ſubſtantia. Subiectum igitur Naturalis philoſophiæ excelleret materiam conſideratam à prima philoſophia; eſſet igitur præſtantior, ex eis quæ dixit Ariſtoteles ſib. Meta. ad. 5. contextum. De mente igitur fuit iſtius viri, quòd ſtante caſu ab Ariſtotele propoſito, Naturalis philoſophia nõ eſſet prima philoſophia, nec ex conſequenti vniuerſalis, ſed eſſet prima ſcientia, hoc eſt præſtantior & perfectior ratione ſubiecti. Et præter illam & Mathematicam, eſſet prima philoſophia verſans circa ens quatenus ens, eiusq. paſsiones, & prædicata communia, &c. & hæc eſſet uniuerſalis. Quæ quidem omnia, tantum abeſt ut ſapiant mentem Ariſtotelis, quòd potius totum ſenſit oppoſitum; veluti ex his quæ diximus ſuperquè ſatis conſtare poteſt. Nihilo tamen ſecius vt omnia clariora reddantur, illud annotandum venit; quòd ſicut natura quælibet, prior aut poſterior altera fuerit; ita etiam elargitur nobis prædicata uniuerſaliora, vel minus uniuerſalia; & quæ inſequuntur eam talia ſunt, vt qui loquitur de ea natura, debeat etiam loqui de illis cõmunibus. Vt natura animalis eſt prior natura hominis, qui ſuperaddit animali differentiam ſpecificam; ideo illa natura animalis, quæ eſt ſenſitiua, dat communius prędicatum, quàm ſit homo. Sic animatum eſt vniuerſalius animali; quia natura ſuper qua nititur, & quam ſignificat, eſt vegetatiua, quæ eſt prior ſenſitiua; ſic aſcendatur uſque ad corpus, quod dicit naturam priorem, quàm ſit corpus graue, vel leue, miſtum, aut immiſtum. Qui ergo loquitur de natura corporis, debet etiam loqui de omnibus prędicatis communibus, eam inſequentibus naturam. Itidem qui agit de natura animalis, debet etiam agere de omnibus prædicatis communibus, inſequentibus eam naturam, & ſic de alijs. Non autem de ea duntaxat natura diſtinctè agere debet, ut quadam particulari natura, vt de ijs quæ ei naturæ, ſimul atque alijs omnibus inferioribus naturis communia ſunt, agere omittat; quaſi de ijs communibus ſit agendum in ſcientia quadam communi, indifferenter ſe habente ad eam ſcientiam, quæ agit de prima illa natura, & ad alias ſcientias, quæ agunt ſingulæ, de ſingulis naturis inferioribus. Quemadmodum ſi quis vellet agere in una ſcientia de natura ſenſitiua, & in alia de natura inferiori, utpotè intellectiua, & rationali, & in alia de natura alicuius alterius, quod ſit poſterius ſenſitiua natura, ſuper qua fundatur animalis prædicatio, quæ eſt de omnibus inferioribus; & poſtea vellet aliam eſſe ſcientiam communem, in qua ageretur de communibus prædicatis ad omnia animalia, & omnes ſpecies animalium, & habentium naturam ſenſitiuam. Quæ quidem natura ſenſitiua, licèt ſit prior omnibus ſuis inferioribus, vt tamen eſt vna contra alias diſtincta, ab vna ſcientia particulari conſideraretur; quia tamen habet prædicata communia ſibi & alijs naturis inferioribus, crederet iſte quòd huiuſmodi

prædicata, vt in differentia ſunt ad eas naturas, deberent etiam tractari in vna ſcientia communi, & indifferenti ad omnes illas ſcientias. Ille vtique deciperetur; quia ea prædicata communia inſequuntur naturam illam priorem, & eius ratione conueniunt alijs inferioribus naturis.

Ita igitur exiſtimandum in Metaphyſica; quòd quia natura illa ſeparatorum & immobilium, circa quæ verſatur, eſt omnium prima, ideo prędicata fundata ſuper eam, ſunt vniuerſaliora ijs prædicatis, quæ fundantur ſuper naturis inferioribus; puta natura phyſica rerum mobilium, & natura mathematica rerum quantarum, vt quanta ſunt. Natura autem illa ſeparatorum immobilium, quia eſt prior corporibus, & magnitudinibus, & rebus mobilibus, habet uniuerſalia prædicata, quæ ſunt vniuerſaliora corpore &c. Sicut ſunt ens, actus, potentia, vnum, multa, contraria, ſeu oppoſita; & ſic etiam dignitates, & principia communia demonſtrationum, inſequuntur eam naturam. Vnde fit vt vniuerſalitas iſta inſequatur illam prioritatem; & idem ſit agere de illis rebus, quæ ſunt in illa prima omnium natura, & agere de communibus, & vniuerſalibus prædicatis. Quoniam iſta prædicata communia & vniuerſalia inſequuntur illam primam naturam; & non eſſent communia etiam inferioribus naturis, niſi illam primam inſequerentur naturam; quæ cùm ſit prima, pręſupponitur ab alijs; & ita ab ea aliæ denominationem recipiunt prædicatorum, & conditionem quandam, ſecundùm quam eis conueniunt prædicata communia. Conſtat autem quòd ſupra naturas illas, circa quas verſantur duæ illæ ſcientiæ, Mathematica nempe atque Naturalis, non eſt niſi natura ſubſtantiæ & entis. Nam etiam in prædicatis conſtat quòd ſupra corpus non eſt prædicatum eo communius, niſi ſubſtantia & ens; latius enim patet ſubſtantia quàm corpus; ut notum eſt. Ideo natura ſubſtantiæ eſt prior quàm natura corporis, & de ea primus Philoſophus agere debet, non ſolùm ut eſt natura quædam diſtincta contra naturam corporis, & vt eſt quoddam genus naturæ primum; at etiam ut eſt ob iſtam primitatem, quid commune ad inferiores naturas; & propterea fundat prædicata communia omnibus inferioribus.

Licèt enim mens concipiat prædicatum ſubſtantiæ, indifferenter ſe habens ad naturam corpore priorem, quæ dicitur incorporea, & ad naturam corpoream, vt ſic diuidatur in ſubſtantiam corpoream & incorpoream; natura tamen ipſa ſubſtantiæ, eſt illa quæ eſt prior natura corporis; & ob hanc prioritatem, vniuerſaliter ſe habet in prædicatis ab ea naſcentibus ad omnes ſubſtantias, etiam corporeas. Et hoc quia cùm prior natura ſit, neceſſe eſt vt præſupponatur ab inferioribus in eſſe; & ſic etiã inferiora recipiant prædicationem eorum, quæ ab ea oriuntur prædicatorum. Sicut natura hominis præſtantior natura ſenſus, recipit prædicationem animalis, ut dicatur; Homo eſt animal: quia natura hominis poſterior, pendet à natura priori, quæ eſt animalis, id eſt, à ſenſu; ſuper quo fundatur prædicatio animalis, & aliorum prædicatorum, talem ſenſus inſequentium naturam. Natura autem ſubſtantiæ, quæ eſt ſupra naturam corporis, videtur poſterior natura entis, quia prædicatum quod oritur à

ſubſtantia, eſt minus uniuerſale quàm ens, quod prædicatur de ſubſtantia, & de non ſubſtantiis ut patet. Sed hoc eſt falſum; quoniam ſequeretur quòd ſupra naturam ſubſtantiæ eſſet quædam natura prior; utpotè entitatis; à qua oriretur prædicatio entis, natura prior quàm prædicatio ſubſtantiæ. Id quod non animaduertit Benedictus Pererius, lib. 2. cap. 1. Eſt igitur eadem natura ſubſtantiæ & entis; quod & græcorum verborum cognatio indicat, on, & Vſia; quaſi dicat, eſſentia, ens, ſubſtantia, &c. Quòd autem ens uideatur quid vniuerſalius, eſt non quia dicat naturam priorem natura ſubſtantiæ; ſed quoniam nomen ſubſtantiæ ſeruatur determinatè ad vera entia ſignificanda, quæ ſunt ſubſtantiæ. Nomen autem entis effunditur ad alia etiam, propterea quòd de ſubſtantia participant; id eſt, de eſſe, quia ſunt aliquid eius; quia ſunt; inquam; aliquid eſſentiæ, id eſt, ſubſtantiæ, dicuntur eſſe. Et propterea Ariſtoteles ſæpe monet, quòd ſubſtantia propriè eſt ea quæ eſt, & cui nomen, & ratio, & natura competit entis. Idcirco idem eſt agere de ente quà ens, & de ſubſtantia quà ſubſtantia, & de primis rerum naturis, ſeu de primo rerum ipſarum genere, & de primis principijs, & cauſis rerum, ſi rectè intelligatur.

Vnde etiam idem propriè eſt ens, ſubſtantia, primum rerum principium; veluti ex uerbis Ariſtotelis. 7. Mat. 5.; quod etiam Alexander inter exponendum ibidem videtur animaduertiſſe; ſicut & nonnihil annotauit primo Metaphyſicę, enarratione. 7. Ex his iam patet error multorum diſputantium de ſubiecto Metaphyſicæ, ignorantium naturam verborũ, entis, ſubſtantiæ, & primi principij; minusq́. intelligentium loca Ariſtotelis, qui diuerſimodè videtur loqui de illius ſcientiæ ſubiecto, cùm tamen idem ſemper affirmare intendat.

Veteres philoſophi omnes inquirentes principia rerum, ens inquirebant & ſubſtantiam, hac ipſa ducti veritate, vt crederent ſolùm illud eſſe, & ſubſtantiam & ens dici poſſe, quod eſſet omnium primum, à quo penderent omnia; quemadmodum & prædicata iſta eſſentiæ & eſſe, ſunt omnium communia & vniuerſalia. Ideò quidam vnum ens dicebant, quia vnum principium rerum. Et primo de Generatione & corruptione, ipſam negabant generationem, non agnoſcentes ſubſtantiam, niſi principium. In hoc decepti, quaſi non poſſet eſſe principium, niſi primum, vel ſubſtantia & ens, niſi prima. Conſtat enim quòd licèt natura ſubſtantiæ & entis ſit omnium prima, non tamen illud vnum eſt, quod ſit ſubſtantia & ens, ſed & multa alia inferiora, quæ præſupponunt illud primum. Sicut licèt natura corporis per ſe primò ſit in natura cœlorum, & præſertim primi cœli; eſt etiam nihiloſecius in inferioribus naturis, quæ illi priori naturæ aliquid ſuperaddunt; nimirum leuitatis, grauitatis, miſtionis, animæ, ſenſus, & id genus alia. Quæ quidem omnia ſunt corpora; ſed non ſimpliciter & ſolùm corpora, ſed aliquid ſuperaddunt, ut dicantur corpora cum additione; utpotè grauia, leuia, miſta, animata, &c. Sicut ergo plura ſunt corpora, licèt ſit una natura corporis ſimpliciter dicti; & plura animata, licèt ſit vna natura, in qua primò ſeruatur ratio animæ; & vna natura in qua primò ſeruatur ratio animalis, puta ſenſus; ita

etiam

etiam licèt ſit una natura ſubſtantiæ & entis ſimpliciter & ſine additione, ſunt tamen plura entia, & plures ſubſtantiæ, ſuperaddentes aliquid illi primæ ſubſtantiæ, & primo enti, ſeu primo generi entis, & ſubſtantiæ. Ideo non erat negandum à Veteribus, entis & ſubſtantiæ rationem inueniri in inferioribus; & propterea nec etiam affirmandum, vnum illud tantùm genus eſſe entium & ſubſtantiarum, cui primò competeret ratio entis & ſubſtantiæ; quare nec neganda pluralitas entium, & generum, & ſpecierũ entis, nequidem neganda generatio ſubſtantialis.

Ideo Ariſto. 7. Meta. ad contextum. 5., cùm diuiſiſſet entia in decem genera, & oſtendiſſet ſolam ſubſtantiam eſſe propriè ens, & ſimpliciter ſine additione, alia verò nouem genera non niſi quia aliquid entis; ſubiecit quòd hoc eſt illud, quod veteres philoſophi ſemper quæſiuerunt, diſputantes de principijs, quę natura eſſet; ſcilicet ſubſtantia, ſeu ens, ſeu principium. Vnde qui dixit, vt Thales, aquam eſſe rerum principium, dixit etiam, aquam eſſe ſubſtantiam & ens; ita de alijs. Sed decepti ſunt ut plurimum, non agnoſcentes ordinem quendam in ſubſtantijs & entibus. Præter enim illud primum ens & primam ſubſtantiam, quæ erat primũ principium, erant etiam inferiora entia, ab eo pendentia; verè entia, & verè ſubſtantiæ; licèt non primæ, neque principia omnium prima, ſed inferiorum ſuorum; puta accidentium, aut etiam ſubſtantiarum quarundam inferioris naturæ, ut patet in ſubſtantijs materialibus, & præſertim poſtremis; ut miſtis, animatis, & animalibus omnibus, generabilibus & miſtis. Nam de cœlo alia ratio eſt, cùm ſit natura prius, & principia habeat, quæ ſunt priora naturà iſtis principijs materialis ſubſtantiæ, & corruptibilis.

Et quando Ariſtot. in 4. Metaphy. cap. 1., dicit quòd primæ cauſæ, & prima rerum principia ſunt alicuius naturæ, mihi maximè probatur, ut ſit conſtructio intranſitiua; ut ſit ſenſus, quòd illa principia ſunt alicuius naturæ; id eſt, habent quandam naturam ſibi propriam, ſecundùm quam ſunt principia, & cauſæ omnium, quæ participant illa natura. In 2. enim libro Meta. dixit Ariſto., quòd quæ ſunt talia, habent à maximè tali, quod eſt per ſe primò tale, & eſt cauſa quòd alia ſint talia, quatenus ſcilicet talia præciſè, &c.

Cæterùm quia ex Ariſtotele habuimus, Metaphyſicam inter omnes alias ſcientias, primum ſibi uendicare locum, & quòd ex conſequenti eſt uniuerſalis; ad uberiorem doctrinam, videndum eſt quomodò Metaphyſica ita ſit uniuerſalis, quòd omnia conſideret, & quouſque ſe extendat. Sciendum igitur, quòd præter hoc quòd Metaphyſica eſt prima, & ideo uniuerſalis, eo quo diximus modo, Ariſtoteles eam quoque Sapientiam uocat, quoniam primum rerum genus cognoſcit, ſeu prima rerum genera, quæ ſunt difficillima cognitu, & propterea omnia quodammodo cognoſcit; ut ſcilicet Sapientem decet; non enim omnino, & quouis modo; ſecus non ut Sapiens ſe haberet, ſed ut unus ex alijs, etiam infimis & uiliſsimis artificibus. Sic ergo omnia ſciat oportet, ut non amittat nomen Sapientis, & ſic alijs præ-

ſteo, vt ſuus cuique locus relinquatur. Quem ſenſum nobis dant non ſolùm expoſitores, vt Alexander & D. Thom. in proœmio Metaphyſ. cap. 2. verùm etiam Ariſtoteles ibi, verbis clariſsimis, inquiens: Primo igitur opinamur Sapientem maximè omnia, vt poſsibile eſt, ſcire, non habentem ſingulariter eorum ſcientiam. Horum autem hoc quidem, omnia, inquam, ſcire, illi qui maximè vniuerſalem ſcientiam habeat, neceſſe eſt ineſſe. Hic enim quodam modo omnia ſubiecta ſcit. Hæc ille, quibuſdam interpoſitis. Quæ quidem exponens D. Tho. dicit, Sapientem debere quodam modo, & vt poſsibile eſt omnia ſcire, quoniam, vt ſubdit Philoſophus, non debet eorum habere ſcientiam in ſingulari. Hoc enim impoſsibile eſt, inquit D. Tho. quia ſingularia ſunt infinita. Infinita autem, intellectu comprehendi minimè poſſunt.

Verùm hæc expoſitio nihil uidetur afferre Sapienti, niſi quod eſt omni ſcienti commune. Scientia enim non eſt de ſingularibus, & hoc de omni ſcientia erat ſatis notum. Quare melius Alexander, qui dicit, Sapientem ſcire quodam modo omnia, & vt poſsibile eſt, ſeu vt decet, hoc eſt, non deſcendendo ad ſingularia ſcientiarum: ideſt, ad ea quæ in ſingulari quaque ſcientia conſiderantur, ſed ea vniuerſaliter & comprehenſim cognoſcere, ſecus ſapiens eſſet quiuis artifex particularis.

Vnde colligebat Sueſſanus, Sapientem & primum Philoſophum, non niſi ſecundùm prædicata communia & vniuerſalia omnia cognoſcere, veluti ſunt ens, ſubſtantia, actus, potentia, vnum, multa, & id genus alia, quæ ſunt prædicata communia, non autem ſecundùm prædicata propria, ut quòd homo ſit animal rationale, ſit riſibilis, & ſic de alijs.

Sed adhuc non habemus quo modo primus Philoſophus poſsit agere non ſolùm ſecundùm prędicata communia de rebus naturalibus, ſed etiam ſecundùm prædicata propria illi rerum generi, quæ naturales dicuntur & mobiles, ut de materia, eaq. multiplici, de motu, tempore, & alijs, de quibus agit in 8. Metaphyſicæ. Sed ſi etiam primus Philoſophus non conſideraret prædicata communia, ſub quibus comprehenduntur propria, cognoſceret nihilòſecius omnia, ex hoc quòd cognoſceret omnium prima, & communiſsima principia, quæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ. Vtraque enim ratione ſciuntur vniuerſalia quædam, ſub quibus comprehenduntur particularia, ſcilicet & ſub prædicatis & ſub cauſis communibus. Et hoc in eſſendo & cauſando, non in prædicando intelligendum venit. Non enim prædicantur de omnibus, ſed ſunt omnium prima, & ab eis omnia pendent. Qui igitur ſcit vniuerſale & commune vtrouis horum modorum, ſcit etiam quodammodo quæ ſub illis continentur, vel vt effectus ſub cauſa, vel ut particulare ſub vniuerſali. Sic igitur primus Philoſophus debet quodammodo omnia ſcire, quatenus conſiderat & primum genus rerum, in quo ſunt prima rerum omnium principia, & quatenus ſimul conſiderat prima & vniuerſaliſsima prædicata.

Dec. propria. At verò ſi præterea conſideremus, quòd Sapientis eſt ordinare, & diſtinguere, atque præcipere, facilè cognoſcemus, quòd eum oportet non ſolùm primas conſiderare cauſas, & primum genus rerum, & prædi-

cata vniuerſaliſsima, vt ſunt ens, ſubſtantia, vnum, bonum, oppoſita, & cætera huiuſmodi; Dignitates, axiomata, & id genus alia; at etiam diſtinguere entia & ſubſtantias in ſua genera; non quidem vſque ad ſpecies infimas, ſed quouſque illam inueniat differentiam, quæ ſpectat ad aliam ſibi proximam ſcientiã; & eam cognoſcere & docere ad quam ſcientiã quodq. ſpectet, quid ſibi proprium, vel alienum; ſimiliter quid alijs proprium, vel non. Vt ꝙ Naturalis circa mobilia, Mathematicus circa immobilia &c. Quòd Naturalis definit cum materia, & Mathematicus ſine materia. Ideo oportet ut cognoſcat & doceat modum definiendi. Item vt rerum naturalium cauſas in communi cognoſcat; materiam nempe, formam, efficientem, & finem. Non huius vel illius, ſed in communi; quemadmodum patet in. 8. Meta., vbi diſputatur de forma & materia in communi; & quo modo cuiq; materiæ ſua forma, & cuique formæ ſua materia conueniat, & quo modo fiat vnũ ex eis. Oportet etiam vt cognoſcãt motum, tẽpus; & cæ. quæ communia ſunt omnibus naturalibus; & omnino quæcunque ſpectãt ad rerum naturalium diſtinctionem, à non naturalibus. Vnde non oportet ut deſcendat inferius; quoniam quæ inferiora ſunt, non ſpectant ad differentiam naturalium, à non naturalibus, nec ad omnia naturalia; ſed ad differentiam rerum naturalium inter ſe, vt ſpecies ſunt rerum naturalium, vel accidentium. Niſi fortè primæ quoque differentiæ naturalium, neceſſariæ videantur ob vniuerſalitatem; vt cùm diuidit ſubſtantias ſenſibiles in æternam & corruptibilem. Patet igitur quo modo Méta. eſt vniuerſalis, & quouſque ſe extendat eius conſideratio. Supereſt modò, vt Reuerendiſsimi Epiſcopi Caſertani rationes diluantur.

Ratiocinia diſſoluuntur Reuerendiſsimi Domini Epiſcopi Caſertani. Cap. 14.

AD primum igitur ipſius Domini Epiſcopi Caſertani rõciniũ dicamus, ꝙ Ariſt. in. 4. Meta. cap. 2. loquebatur de ipſa Meta. de qua prius dixerat, ꝙ conſiderat ens quatenus ens. Et propterea ipſa cõſiderat ens, eiusq́. ſpẽs, & ſpecierũ ſpecies, modo quo diximus. Siquidẽ primus Philoſophus nõ ſolùm diuidit ens in ſuas ſpẽs, ſed ẽt ſpẽs illas in alias ſpecies; vt patet de ſubſtãtia, quę eſt ſpecies entis, & ſubdiuiditur in ſuas ſpẽs; manente tamẽ vniuerſalitate, vt nõ deſcendatur ad ea quę ſunt aliarũ ſcientiarũ. Et hoc eouſq. vt ſit ſatis ad habendã notitiã conuenientem ſapienti, & dignã ſua excellentia; non ẽt ad ea quæ inferiorũ ſunt; veluti diximus ſupra. Et propterea cùm dicit Caſertanus: Ens eſt quaſi genus, & ſubſtantia eſt eius ſpẽs; & huius ſunt ſpẽs ſubſtãtia corruptibilis & incorruptibilis. Sicut ergo ſubſtãtia corruptibilis & incorruptibilis, quæ ſunt ſpecies ſubſtantiæ, quæ eſt ſpecies ſubalterna, ad eandem attinent ſcientiã generẽ; ita ẽt ſpecies ſubſtantię corruptibilis & incorruptibilis uſq. ad ſpecialiſsimas, ad eandẽ attinebunt ſcientiã; cùm ſint ſpẽs ſpeciei ſubalternæ, & ex cõſequenti illius generis cõis. Ad hoc negatur illatio. Ad probationẽ dicimus, ꝙ vtiq. ſunt ſpẽs ſpẽi ſubalternę, & ex cõſequẽti illius generis cõis. Nõ

tamen Meta. habet conſiderare omnes ſpecies entis, vſque ad infimas ſpecies, at ſpecies ſpecierum entis, vt ſapientem decet. Et hoc eſt quod vult Ariſt. in.4. Meta.; vt ea quæ ibi docet, cohæreant ijs quę tradidit in proœmio eiuſdem. Ibi enim dixerat, quòd Metaphyſicus conſiderat omnia vt decet; in.4. verò libro dixit, ꝙ conſiderat ens vt ens, & eius ſpecies, & ſpecierum ſpecies. Non vſque ad ſpecialiſsimas; vt vult Caſertanus; ſed vt decet; modo ſcilicet quem diximus.

Notandum. Et niſi res ita ſe habeat, profectò videretur Ariſtoteles illud fruſtra repetere: Ens quatenus ens. Dicit enim, quòd de ente quatenus ens, eſt diſputandum; & quòd neceſſe eſt noſſe elementa entis quatenus ens, quę ſunt inquirenda, quatenus ſunt entis elementa, & primæ cauſæ. Et infra, cùm oſtendiſſet ens eſſe de numero eorum quæ licèt multipliciter dicantur, tamen dici ab vno vel ad vnum, & propterea de eo poſſe eſſe ſcientiam, ſpeculam; inquit; quòd & entia vnius eſt ſcientiæ ſpeculari inquantum entia. Quid enim opus erat reduplicare inquantum entia, ſi etiam in particulari agendum erat de omnibus ſub ratione particulari cuiusque? Vt corporis mobilis, non quà ens, ſed quà tale; hominis quà homo eſt, plantæ quà planta, & vſque ad infimas ſpecies? Et ſi omnium reddenda erant in hac vna ſcientia omnia complectente, cauſarum genera & propria particularia; & cuique ſua vſque ad infimas ſpecięs, quid opus erat dicere, ꝙ entis quà ens erant cauſæ quærendæ; & non potius omnium entium; non ſolùm communes & primæ, ſed etiam propriæ, & vniuſcuiusque particulares? Nec poteſt dici, non de eadem ſcientia loquutum, cùm ſit continua diſputatio illa; vt patet; de ſubiecto Metaphyſicæ, quæ de ente quà ens agere dicitur. Et infra poſtea dicit, ꝙ vnius ſcientiæ eſt ſpeculari entis ſpecies, & ſpecierum ſpecies.

Cõtra Alexan. de Ales, & Sueſſa. Quare iam adeſt in foribus deceptio Alexandri Alenſis, & Sueſſani; qui in expoſitione illius textus.4. Meta., per ſpecierum ſpecies, ſcientias intelligũnt particulares. Ita ſcilicet, vt ſit ſenſus; quòd ſpecierum, ideſt, particularium ſcientiarum ſit conſiderare ſpecies entis, ſicut ſcientiæ in genere eſt conſiderare ens quà ens.

Ariſtoteles nanque loquitur copulatiuè, quod refertur ad idem. Et quia in Meta. conſiderantur entia quatenus entia, ibi ẽt conſiderantur ſpecies illæ ſpecierum; ſub qua rõne, nulla alia ſcientia agit. Et exẽpla de ſenſu & Grãmatica ſunt notiſsima. Nã Grammatica non ſolùm vocẽ, ſed ſpẽs vocis, & ſpecierum ſpecies conſiderat. Loquitur.n. non tãtùm de ſyllabis & dictionibus, at ẽt de ſpeciebus dictionum; vtpotè de nomine, de verbo. &c. Deq. ſpeciebus harũ ſpecierum; puta de ſpeciebus nominũ, pronominum, verborũ &c. Ita ẽt ſenſus viſus, lumen, colores, & colorũ ſpẽs, atq. tenebras cognoſcit. Propterea Ariſtoteles dixit, ꝙ vna eſt ſcientia genere, quæ conſiderat ens quà ens, & ſpecies entis, & ſpecierũ ſpecies. Fruſtra.n. id nunc dixiſſet; quia iam prius dixerat, ponẽdo differentiã inter Metaphyſicã, & alias ſciẽtias particulares. Et eas particulares vocabat, q. aſumũt partẽ entis quęq. ſuã, non totum ens. Ad quid igitur in tam paruo ſpatio idẽ repetere? Sed, vt diximus, attendantur verba, & eorum ſeries, & res clara reddetur.

Dubitat. Cæterùm aduerſus ea quæ diximus inſurgeret quiſpiam fortaſsis, ea vtens ratione; Eadem ſunt omnium principia, quæ conſiderantur à primo Philoſopho, & dicuntur principia entis quà ens. Nullaq. fuit ratio cur Ariſt. in Meta. non ſit progreſſus ad omnium conſiderationem in particulari, quæ ſcilicet in alijs tractantur ſcientijs, niſi ob addiſcentium commoditatem. Videtur igitur idem redire quod prius.

Solutio. Ratio tamen nulla eſt. Quandoquidem non oportet vt quę habent eadem principia quouis modo, ad vnam reducantur ſcientiam. Sic enim re vera omnia in illa tractarentur ſcientia, in qua ageretur de principio illo. Et hoc ſiue practicæ, ſiue ſpeculatiuæ eſſent notitiæ illæ. Scientiarum igitur diſtinctio ſumenda eſt penès rerum diſtinctionem, ſecundùm q̃ res habent diuerſas naturas in ſua eſſentia & quidditate, ac demum in definitione. Tunc autem reſolutio in quacunque ſcientia fieri debet ad principia propria, non autem ad omnium communia, & remotiſsima. Præſertim cùm ſit cuique ſcientiæ ſua ratio particularis, ſecundùm quam res formaliter conſiderantur; veluti inter arguendum diximus prius. Et hæc quidem ratio formalis ſignificat nobis principia particularia illius ſcientiæ, vt patet de rebus naturalibus. Motus enim & natura, ſeu materialitas & potentialitas, quæ eſt in rebus naturalibus, ſecundùm quam rationem diſtinguuntur formaliter ab ijs quæ ad alias ſpectant ſcientias, & conſiderantur in propria ſcientia, non exigit ut tradantur in illa ſcientia principia entis vt ens, vel ſubſtantiæ vt ſubſtantia dicitur & eſt; ſed principia motus ut motus, ſeu ſubſtantiæ mobilis, vt mobilis eſt.

Vnde etiam in. 8. auſcultatorio libro, licèt ſubſtantia ſeparata & immobilis ſit principium entis quà ens, & ſubſtantię quà ſubſtantia; non tamen ibi cõſideratur niſi vt principium motus æterni, à quo pendent omnes alij motus; vt ab illo uno continuo motu, ſit in motibus inferioribus perpetuitas; non ſecundùm continuitatem, ſed ſecundùm ſucceſsionem. Ita etiam in Mathematicis, ſatis eſt reſoluere concluſiones vſque ad principia prima in illa ſcientia; quæ ſunt vel definitiones, vel poſtulata, vel axiomata, quæ non excedũt ſcientiã illã. Nec modò loquimur de ſubalternatis, in quibus alia eſt rõ reſolutionis, cùm pendeant à ſubalternãtibus ſuis. Vnde cùm reſolutio facta eſt ad principia propria ſcientiæ, ſi quis ea negaret, vel eorũ rationes inquireret, & vlteriorẽ exigeret diſputationem atq. reſolutionẽ, dicit Ariſtoteles cũ eo nõ eſſe diſputãdũ; aut opus eſſe primi Philoſophi, q̃ agit de principijs vniuerſalibus, & primis omniũ, tũ rerũ, tũ ſciẽtiarũ. Quod vtiq. nõ eſſet, nulla admiſſa rõne diſtinctionis ſcientiarũ, & opus eſſet, oĩa vſque ad ſupremũ omniũ reſoluere, in quauis ſciẽtia, arte & diſputatione.

Quare ad argumentum formaliter dicimus, diſtinguendo de principijs; quędã. n. ſunt cõia, particularia quædam. Et tunc negamus, omnia quæ habent eadem principia cõmunia, ad vnam pertinere ſcientiã. At quidem illa quæ habent eadẽ principia propria, In quę quidẽ principia, fit reſolutio illius ſcientiæ, quę de illis rebus pertractat. Et ita patet ad primum.

Alia. Ex his pendet etiam ſolutio ad ſecundum, quando dicit Mirandulanus, quòd ab ente vſque ad infimas ſpecies, omnia habent rationem

generis & ſpecierum. Vnde cùm genus & eius ſpecies ad eandem ſpectent ſcientiam, nulla videtur ratio, cur ea ſcientia quæ conſiderat eas, non conſideret ſpecies eius, & ſimul ſpecies earum ſpecierum, quę habent rationem generum ſubalternorum; & ſic deſcendendo vſque ad infimas ſpecies.

Ad hoc enim dicitur, quòd ens bifariam accipi poteſt, vno modo materialiter, alio modo formaliter; hoc eſt ſub præciſa, formaliq́. ratione, ſub qua à Metaphyſico conſideratur. Et tunc negamus, omnia ab ente vſque ad infima, rationem habere generum & ſpecierum.

Notandum. Vnde notandum eſt, quòd Ariſtoteles non dicit, Metaphyſicum ens ſolùm conſiderare; ſed adiecit, quatenus ens. Et hæc eſt ratio formalis, ſub qua à Metaphyſico conſideratur. Vnde conabatur oſtendere, quòd ens vt ens habet principia ſua & cauſas, Item quòd habet ſua accidentia, ſub ratione entis. Vt quemadmodum numerus dicitur par vel impar, quatenus numerus; & ita quæuis res habet quatenus talis ſua accidentia; ſic & ens ſub ratione iſta, quæ ſignificatur cùm dicitur, quatenus ens, habet ſua. Vnde ſi de ente ita eſſet loquutus, ſicut argumentum pręſupponere videtur, non opus erat repetitione illa, ad ſignificandum rationem formalem. Et minus opus erat laborare, ad oſtendendum quòd ens habeat cauſas & principia, aut quòd habeat accidentia; ſed quòd habeat ſub ratione iſta, ſcilicet quà ens. Quis enim ignorat quòd ens ſic, ſine illa repetitione, & ratione formali, habet & cauſas, & principia, & accidentia? Licèt enim non omne ens, tamen aliquod. Et propterea quouſque ea ratio formalis diſputationem poſtulat, eouſque progredi debet illa ſcientia, quæ agit de ente quà ens; nec debet vlterius progredi, idq́. ſub alijs rationibus conſiderare, quia eſt ratio adęquata. Patet igitur quàm vana & futilis ſit ratio Mirandulani, cui tantùm innitebatur.

Ad 3. Ad aliud de ſenſu & Grammatica, de quibus adducit exempla Ariſt. in 4. Meta., facilis eſt reſponſio, ſi negemus conſequentiam. Arguit ſiquidem tali pacto: Senſus viſus eſt omnium colorum in particulari, vt albedinis, nigredinis, &c. Et vna eſt ſcientia in particulari omnium colorum, & vna Grammatica omnium vocum. Eſt igitur vna ſcientia conſiderans ens, & eius omnes ſpecies in particulari, & ſecundùm earum propriam naturam. Probatur illatio: Quoniam concluſio eo modo eſt intelligenda, quo intelliguntur propoſitiones, ex quibus deducitur; primo de poſteriori reſolutione. Propoſitio autem ex qua deducitur, intelligitur de omnibus vnius alicuius generis ſpeciebus, & de ſpecierum ſpeciebus in particulari, & ſecundùm propriam naturam. Vnde relinquitur intentum.

Ad hoc, inquam, negatur illatio. Ad probationem negatur minor. Senſus nanque & intentio Ariſtotelis in illis exemplis, eſt hæc: Quòd ſcilicet veluti vnius generis eſt vnus ſenſus & una ſcientia, & Grammatica omnes voces conſiderat, ita Metaphyſica conſiderat omnia entia; non tamen dicit quòd in particulari. Nec exempla huc tendunt; ſed ſolam ſcientiam reſpiciunt. Sicut igitur omnium colorum eſt vnus ſenſus viſus,

& om-

& omnium vocum vna Grammatica, ita omnium entium vna Metaphyſica. Id quod innuere voluit Ariſtoteles, cùm in exemplo de ſenſu addidit illud verbum (ſcientia) ſtatimq́ ſubiecit exemplum de Grammatica; quam conſtat non conſiderare voces ſub quauis ratione, ſed vt ſolùm ſpectant ad congruum ſermonem. Eſt igitur ſenſus philoſophi eo in loco, quòd Meta. quæ eſt vna ſcientia verſans circa genus hoc quod eſt ens, debet conſiderare omnes ſpecies ipſius entis; ideſt, in quas diuiditur ens; nec id ſolùm, ſed etiam ſpecierum ſpecies; ideſt, debet conſiderare ſpecies illas, in quas diuiduntur ſpecies illæ ipſius entis.

Quod quidem perquamclariſsimè demonſtrabimus, ſi eius diligenter verba obſeruauerimus. Cùm enim concluſiſſet, vnius eſſe ſcientiæ ſpeculari entia quatenus entia, adiecit: (vbique autem propriè primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur ſcientia. Quòd ſi hoc ſubſtantia eſt, oportet profectò vt ſubſtantiarum principia & cauſas Philoſophus habeat.) Prius enim oſtenderat ſubſtantiam eſſe illud, ad quod alia dicuntur, à quo pendent, & propter quod entia dicuntur. Idcircò ſubiecit: (omnis autem generis & ſenſus vnus vnius & ſcientia; velut Grammatica vna exiſtens, omnes voces ſpeculatur. Quare entis quoque quot ſpecies ſunt, & ſpecies ſpecierum ſpeculari vnius ſcientię genere.) Quaſi dicat: Licèt de ſubſtantia agendum dixerimus, quia ſcientia eſt propriè primi; & propterea de ſubſtantia agentes, ſubſtantiarum opus ſit inquirere cauſas & principia. Tamen alia etiam quæ non ſunt ſubſtantiæ, ſed propter ſubſtantiam dicuntur, ab eaq́ dependent, ad hanc eandem ſcientiam pertinebunt; ita quòd agemus non ſolùm de ſubſtantia, ſed etiam de alijs ſpeciebus entis; vt de quanto, & quali, &c. Et de ſpeciebus etiam harum ſpecierum. Nam diuidemus non ſolùm ens in ſua genera, ſed ea etiam ſubdiuidemus; vt quantum in continuum & diſcretum, quale ſimiliter in ſuas ſpecies. Et notanda eſt repetitio illa: quatenus ens: ſignificat enim agendum de ſpeciebus entis, non vſque ad infimas ſpecies rerum omnium in particulari; ſed quatenus entia ſunt; ideſt, per ſe competunt enti. Sicut enim ens quà ens habet ſuas cauſas, ita etiam habet ſuas ſpecies & accidentia. Et quemadmodum non quæuis cauſæ, aut accidentia ſunt entis quatenus ens eſt, ita nec quæuis ſpecies; ſecus fruſtra Philoſophus repetiſſet, atque inculcaſſet, quatenus ens.

Nec illam admittimus, quam ipſe Mirandulanus attulit reſponſionem; quòd ſcilicet non veniant ſpecies in propria natura conſiderandæ, vt potè ſubſtantia vt ſubſtantia, quantitas vt quantitas, &c. Sed ſolùm in ratione generis, ideſt, entis; hoc enim eſſet ineptiſsimum. Sed intelligimus, quòd quæ ſpecies conſiderantur entis, ſint ſpecies eius, non ſub quauis ratione, ſed ſub hac, quà ens; & ita conſiderentur vt ſpecies entis quà ens dicitur. Quemadmodum in phyſicis, ſubiectum eſt ſubſtantia mobilis, ſeu naturalis, & diuiditur in ſuas ſpecies, ſub hac ratione mobilitatis, ſeu naturalitatis. Vnde non ſolùm agitur de genere ipſo, quod eſt ſubſtantia mobilis, ſeu naturalis, & de accidentibus quæ per ſe primò competunt ei, & cauſis eius; vt de materia in communi, de motu in com-

Notandum.

muni,

muni, & omnino de his quæ ad eam spectant substantiam sub ea ratione; sed etiam de speciebus eius, puta de substantia mobili motu recto, & hæc subdiuiditur. Item de mota motu circulari. Item quatenus motibus diuersis quædam possunt per alterationem, mistionem, generationem, &c. Sic deinceps secundum vnamquamque speciem, quatenus suam propriam habet materiam; & ita suam potentialitatem, suamq; operationem orientem à forma, talem concernente materiam, & sic habente rationem principij talis motus &c. Quòd si sub alia ratione quæ diuertat considerationem ab illa ratione mobilitatis, seu materialitatis, possunt considerari, non tamē vt sic considerantur à Physico. Quia etiam vt sic, id est, sub illa ratione diuertente à ratione illa formali materiæ & motus, non sunt species substantiæ mobilis, vt mobilis, vel materialis, vt materialis dicitur; licèt possent dici species eius sub alia ratione. Vt si diuidatur eadem substantia mobilis, non iam sub ratione mobilis, sed (V.G.) quantitatis, plures erunt species, sicut & si sub ratione figurationis erunt species substantiæ mobilis, sed non sub ratione mobilis, sed sub alia. Ita sub quauis alia ratione, quæ non spectet ad motum, vel potentialitatem, & materialitatem, seu naturalitatem, quæ est, vt diximus, ratio formalis Physicæ.

Est tamen hic differentia, vt non sit omnino par ratio vt videtur; quia ens ob suam vniuersalitatem, omnia ambit & complectitur, ut non possit à ratione entitatis diuerti ad aliam rationem, quæ subterfugiat rationem entis, quod vniuersaliter dicitur de omnibus. Et licèt ratio bonitatis alia sit à ratione entitatis; re uera tamen & ipsa bonitas est quædam entitas, seu ens quoddam; sic de alijs. Et propterea videtur quòd stet argumentum factum de genere & speciebus, ab ente ad infimas species. Sed tamen illud habemus, quòd ratio entis est ratio particularis ab alijs distincta, cui q; sua per se competunt accidentia; quare & suas per se species habet.

Hæc autem facilè cognosci possunt ex ipsa vniuersalitate, quæ scilicet sic competunt enti, vt per se primò; inferioribus autem, non primò, sed ratione entis. Vt esse idem vel diuersum, vnum, plura, contraria, opposita, vera, falsa, per se, per accidens, actu, potentia, simplex, compositum; hæc non per se primò competunt illi generi inferiori; sicut etiam esse genus, species, prius, posterius; sed ad omnia effunduntur; ideo entis sunt quà ens vel species, vel passiones, & accidentia, seu differentiæ per se primò. Nec id solùm, sed horum diuisio est primi philosophi; vt quot modis dicantur ista; V.G. vnum, per se, per accidens, prius, posterius, oppositio, &c.

Præterea, hæc ratio formalis secum fert disputationem de his quę spectant ad esse rerum, & quantùm ad si est, & quantùm ad quid est; non quòd debeat definitiones omnium tradere in particulari vel quidditates; sed de ipsa quidditate disputare in communi, & soluere quæstiones de illa, quotuplex sit; seu quotupliciter definitiones tradantur; quæ partes eius, quæ non; & quo modo inueniatur in substantia, idq; multipliciter; & quo modo in accidentibus; habent enim & ipsa suam substantiam,

6.Meta.1.

tiam, ſeu eſſentiam & quidditatem; vnde & de illis quæritur quid ſint. Et cùm ipſum quid ſit ſubſtantia, ſeu eſſentia habetur, de ea maximè agendum; ut in. 7. &. 8. Meta.; ita ut de ea ſoluatur quæſtio quotuplex ſit, idq; tantum quantum ad diuerſum eſſendi modum. Exempli gratia, quo modo differant materia, forma, & compoſitum; & quo modo compoſitum ab ijs quæ ſimplicia ſunt, nec componi poſſunt, vt quæ non habent materiam, non autem oportet ut deſcendat ad particulares modos compoſitorum, vel formarum materialium, aut materiarum in particulari, cùm non ſpectent ad differentiam entis vel ſubſtantiæ per ſe primò, ſed inferiorum rationum ſint; ut quæ ſit materia niuis, pluuiæ, pruinæ, uel aliorum ſimilium.

Quod quidem facilius reddetur, ſi ipſius Meta. ſubiectum conſideremus, quod eſt ſubſtantia immobilis, quæ cùm ſit primum genus rerum, ſecum trahit diſputationem de ente, & huiuſmodi communibus, ſine quibus non poteſt haberi ipſius notitia; & hæc ſunt omnia communia, & ea per quæ diſtinguitur ab alijs rerum generibus, quæ contra ipſum diſtinguuntur, vt ſunt naturalia & mathematica; ſub quibus cùm deſcenditur, ad ea deuenitur, quæ ad præmiſſam diſtinctionem nihil faciunt; ſed modus ipſe eſſendi formarum diuerſus atque definitionum, ut diximus; dat talem notitiam, ut non ſit ulterius procedendum. Vnde ſolutio noſtra ad tertium Mirandulani argumentum, ſuperſtes & inuicta manet.

Ad quartum dicimus, quòd Ariſtoteles in omnibus illis contextibus loquitur de Metaphyſica; quemadmodum ſuperiùs ſatis iam eſt probatum. Et in illis exemplis de ſenſu & Grammatica, non intendit illam tollere difficultatem, quam eſt imaginatus ipſe Mirandulanus, quòd ſcilicet non ſint plures ſcientiæ, ſed una tantùm. At intendit declarare quouſque ſe extendat ipſius Meta. conſideratio. Nam ſupra dixerat, quòd ipſa conſiderat ens quà ens, & agit de cauſis & principijs ſubſtantiarum, quæ ſunt principia prima &c. Cæterùm adhuc minimè notum erat, quo modo agat de ente quà ens; nunquid ſic, quòd ſolùm conſideret ens ipſum ut genus quoddam, & eius per ſe paſsiones, quæ ipſum ut genus inſequuntur; an ita ꝙ debeat etiam conſiderare ſpecies, in quas diuiditur ens &c. Et quod augebat difficultatem, illud erat quod Ariſtoteles dixerat: Nempe, quòd ſi hoc ſubſtantia eſt, oportet profectò ut ſubſtantiarum principia & cauſas Philoſophus habeat. Propterea ut omnia clara & aperta redderentur, attulit illa exempla. Vnde illa uerba de ſenſu & Grammatica, & pendent à primis, & ea declarant. Non igitur datur vna ſcientia tantùm, neque ſcientiarum diſtinctio eſt uoluntaria, ſed neceſſaria: neque primus Philoſophus debet omnia occupare, illaq; in particulari conſiderare. Ad 4.

Tum quia ratio formalis entitatis, talem non exigit tractationem, quæ uſque ad infima deſcendat. 1.

Tum quia quæſtiones de ipſo eſſe, puta ſi eſt, & quid eſt, non poſtulãt eam latam & plenam, atque minutam diſputationem. 2.

Tum quia ratio Sapientis, huic repugnat, diſputationi; quoniam 3.

tunc

tunc eſſet viliſsimus artifex.

4. Tum quia rationes formarum diuerſarum, & quidditatum, ſimulq́; definitionum, diuerſitatem poſtulat ſcientiarum, dicebat Ariſto.

5. Tum quia ſubiectum proprium primi philoſophi, quod eſt primum genus rerum, ſecum non fert tam minutam diſputationem; ſed talem, qualem diximus neceſſariam ad diſtinctionem ſcientiæ, eiusq́. cognitionem.

6. Tum quia verba Ariſtotelis non patiuntur hanc ſententiam; vt oſtendimus. Nuſquam enim Ariſtoteles hoc ſignificauit; ſed & propria authoritate, & rationibus ex natura ductis, docuit ſcientias eſſe diſtinctas.

Dubit. Cæterùm dubitaret fortaſsis aduerſarius, de diuiſione ſcientiarum, tradita ab Ariſtotele, quòd non ſit omnino neceſſaria, ſed quaſi ad libitum; cùm aliter fieri poſſe ipſe ſignificauerit. Quandoquidem in 4. Meta. ad contex. 4. videtur ſignificare, tot poſſe eſſe partes philoſophiæ, id eſt, tot ſcientias, quot ſunt ſubſtantiæ, talemq́; ordinem habere, qualem habent ſubſtantiæ. Item, 2. auſcultatorio libro, contex. 71. colligebat tria eſſe negotia, id eſt, ſcientias, iuxta tria rerum genera; immobile ſcilicet, mobile æternum, & mobile corruptibile. Quare patet quòd ſcientiæ poſſunt pro cuiuſque diuidi voluntate.

Solutio. Verumenimuerò adhuc diuiſio non eſt ad libitum, at iuxta rerum ipſarum diuiſionem & ordinem. Siquidem in 4. Meta. numerantur ſcientiæ & ordinantur, iuxta numerũ & ordinem ſubſtantiarum, de quibus agunt. Et ſimiliter in 2. phy. numerantur negotia illa & diſtinguuntur, iuxta numerum rerum, & ipſarum diſtinctionem. Id quod magis apparebit, ſi illorum duorum locorum, germanum ſenſum induxerimus.

In 4. nanque Meta., particula 4., ſoluit Ariſto. ſecundam partem tertiæ quæſtionis, quam habuit libro 3. cap. 1. eiuſdem uoluminis, ſub his verbis: Deinde ſi in ſubſtantia verſatur, (ſupple tu, Metaphyſica) una ne de omnibus, an plures differant; quòd ſi plures, num omnes ſint generis eiuſdem, an aliæ Sapientiæ nomine, aliæ alio quodam appellandæ ſint. Hæc ille. Quæſtio igitur talis eſt: Si Metaphyſica eſt ſubſtantiarum ſcientia, utrum earum omnium ſit una ſcientia, an alia ſit de ſubſtantijs quæ motui ſubiectæ ſunt, aliæ verò de ijs quę ſunt motionis expertes. Quòd ſi plures ſunt, num cognatæ ſint inter ſe, & communi Sapientiæ nominė vocandæ, quo pacto Geometria & Arithmetica dicuntur Mathematicæ; an aliæ Sapientiæ vocabulo, aliæ alio appellari debeant.

Ad primam igitur huius quæſtionis partẽ reſpondet Ariſtoteles. 4. Meta. cap. 2. & tex. 2., dicens, quòd eadem ſcientia, nempe Metaphyſica, verſatur circa omnes ſubſtantias, non tamen vſque ad infimas ſpecies deſcendendo: quemadmodum dictum eſt. In 4. verò contextu, ſoluit ſecundam partem eiuſdem quæſtionis, inquiens: Tot etiam ſunt philoſophiæ partes, quot ipſæ ſunt ſubſtantiæ. Quare neceſſe eſt, vt earum quædam prima ſit, alia ſequatur. Philoſophia preſsius accepta, vt ſcilicet ſola illa diſciplina propriè philoſophia nuncupetur, quæ agit de ſubſtantia; dicit Ariſtoteles, quòd cùm ſubſtantia in duo genera proximè diuidatur, quorum alterum eſt ſubſtantia expers materiæ, alterum materiæ particeps; atque

illud

illud ſit naturà prius, hoc poſterius, ordo autem naturæ ſcientiarum, ſequatur ordinem naturæ earum rerum, in quibus illæ verſantur; perſpicuū eſt, ſcientiam quæ agit de ſubſtantia materiæ experte, ſiue immobili, primam partem eſſe philoſophiæ; quæ autem agit de ſubſtantia materiæ participe, ſiue mobili, eſſe ſecundam; quo pacto inter ſpecies Mathematicæ, Arithmetica dicitur prima, Geometria ſecunda. Vnde quia Meta. agit de ſubſtantia materiæ experte & immobili, prima philoſophia & Sapientia nuncupatur. Phyſica verò quia agit de ſubſtantia mobili, philoſophia quidem dicitur, at cum additione; vt dicatur philoſophia naturalis. Ecce ergo quòd diuiſio ſcientiarum non eſt ad libitum, ſed ordinem ſequitur & naturam ipſarum rerum. Id quod etiā docet Ariſtoteles in.6. Meta. cap. 1. de philoſophia latius diſputando.

Sed & .2. phy. ad contextum. 71. idem facilè conuincitur. Quoniam ad hunc ſenſum loquitur ibi Ariſtoteles: Cauſas omnes phyſici eſt cognoſcere, & quæſtionem propter quid in omnes reducens, cauſam propter quid naturaliter reddet; materiam, formam, agentem, finem, & omnia ea quæ cùm mouent mouentur. Quæ autem cùm mouent non mouentur, non iam ad phyſicam ſpectant; quoniam non motum, nec motus in ſe principium habent, ſed ab omni motu libera, motum efficiunt. Quo fit, ut tres ſint tractationes; una de immobili, altera de mobili quidem, ſed eo quod non interit, tertia dé his quæ intereunt. Quaſi dicere velit; iuxta ſubſtantiarum ordinem & naturam, tractationes ſiunt. Tres autem ſunt ſubſtantiæ; nimirum immobilis, quæ pertinet ad Metaphyſicam; mobilis æterna, & mobilis corruptibilis, quæ pertinent ad Phyſicam. Tres igitur erunt de eis tractationes. Quis modò non uidet diſtributionem tractationum ſequi diſtributionem & ordinem ipſarum rerum? Et hunc ſenſum Ariſtotelis noſcant iuniores nos habuiſſe ex eodem Ariſtot. 12. Sapientiæ, cap. 2. quo loci ita notatum reliquit: Verùm ſubſtantiæ tres ſunt. Vna ſenſibilis, cuius quædam ſempiterna; quædam corruptibilis, quam omnes concedunt, veluti plantæ & animalia. Sempiterna vero, cuius elementa, ſiue vnum, ſiue multa ſint, accipere neceſſe eſt. Alia immobilis, quam aliqui ſeparabilem aiunt eſſe; quidam in duo diuidentes, quidam in vnā ponentes naturam tam formas quàm mathematica; quidam ex his mathematica ſolum. Illæ itaque Naturalis. Cum motu namque ſunt: iſta autem alterius eſt, ſi nullum eis commune principium eſt. Hactenus Ariſtoteles. Ex quo eadem patet rerum & tractationum diuiſio, quam habuit ſecundo auſcultatorio libro. Vnde ſcientiarum diuiſio non eſt ad libitum, nec uoluntaria, ſed neceſſaria, ordinem inſequens rerum atque naturam. Quod cùm ita ſit, fit neceſſariò conſequens, vt ſint ſcientiæ plures & variæ, non autem unica tantùm ſcientia genere, prout arbitrabatur alioquin doctiſsimus Mirandulanus.

Quot ſint diſciplinæ ſpeculatiuæ, quæ veræ & propriæ ſcientiæ ſunt. Cap. 15.

TRES ſcientias, ſeu diſciplinas ſpeculatiuas docuit Ariſt. 6. Sapientiæ libro, cap. 1. nimirum Metaphyſicam, Naturalem, & Mathematicam. Cuius quidem fundamentum & ratio potuit eſſe, quoniam multiplicitas diſciplinarum ſpeculatiuarum, rerum inſequitur multiplicitatem; quemadmodum in præcedentibus demonſtrauimus. Tria autem ſunt genera rerum; quandoquidem res ipſę, vel ſunt omnino ſeiunctæ à materia; veluti Deus & intelligentiæ. Vel ſunt omnino immerſæ materiæ; vt hæc inferiora, ſeu naturalia: Vel ſunt partim in materia, & partim non; ſecundùm eſſe ſcilicet, & non ſecundùm conſiderationem. Quare tria erunt etiam genera ſcientiarum. Metaphyſica nempe, quæ verſabitur circa primas res; Naturalis quæ aget de ſecundis; & Mathematica de vltimo loco deſcriptis.

Et huiuſmodi diuiſio facilè reducitur ad bimembrem, in hunc modum: Omnis ſpeculatiua diſciplina, aut verſatur circa ens ut ens, aut circa partem entis. Et hoc ſecundum membrum ita ſubdiuidi poteſt: Aut eſt pars entis omnino materialis; nempe ſecundùm eſſe & ſecundùm conſiderationem; aut ſecundùm eſſe tantùm & non ſecundùm conſiderationem. Circa primum eſt Metaphyſica, circa ſecundùm Naturalis, circa tertium Mathematica. Nec ſit difficultas de libris, ſeu ſcientia de anima; cùm anima (ſaltem rationalis) ſit à materia ſeparata ſecundùm eſſe; quod quidem quartum videtur parere membrum; nimirum ſeparatum à materia ſecundùm eſſe, & non ſecundùm conſiderationem. Quamplurimi plus quàm par eſt huiuſmodi ponderant rationem; at re vera perquamfacillimè tollitur atque diluitur, ſi attendamus diſciplinarum ſpeculatiuarum diuerſitatem, non prouenire niſi ex modo conſiderandi diuerſo. Atqui dato illo quarto membro, coincideret cum ſecundo, ſcilicet cum naturali; quandoquidem licèt anima rationalis ſit ſeparata ſecundùm eſſe à materia, conſideratur tamen ſecundùm quòd eſt in materia. Et huiuſmodi conſideratio eſt eadem cum naturali. Quare tres duntaxat remanent ſpeculatiuæ diſciplinæ. Cognitio tamen, & ſcientia de anima, prout eſt ſeparata à corpore, non pertinet niſi ad Metaphyſicum; veluti inſinuare videtur Ariſt. in 2. auſcultatorio libro, & D. Tho. ibidē, ad contextum 26. Sed quòd anima humana ſit forma hominis & immortalis, ſupponitur tanquam acceptum ab Ariſtotele. Quod ſi negaretur, clarior redderetur ſententia noſtra, & nulla eſſet difficultas.

Dubitatur ex Mirandulano contra ſcientiarum diuiſionem. Cap. 16.

DIximus diſciplinas ſpeculatiuas diuidi & ſecari penès rerum diuerſa genera; videlicet omnino immaterialia, omnino materialia, & medio modo ſe habentia. Prima reſpicit Metaphyſica, ſecunda Naturalis, tertia verò Mathematica. At verò doctrina ipſi Mirandu-

lano minus arridet; propterea quòd in libro. 18. de euerſione ſingularis certaminis, ſectio. 3., dicit quòd Metaphyſica tractat de materia, de motu, & de mobilibus, vt de rebus proprijs, atque ſibi ſubiectis, cùm ſint communia & vniuerſalia. Nam & motus in pluribus eſt prædicamentis, ut tranſcendens, & tempus commune eſt, &c. Quare; inquit; motus non eſt ratio formalis ſubiecti phyſicæ, & Naturalis philoſophiæ, vt diſtinguitur à prima philoſophia.

Quare autem Ariſtoteles ita loquutus fuerit, ſcilicet quòd Meta. agit de immobilibus, Naturalis verò de mobilibus; declarat ipſe in lib. 19., ſectio. 8. & 9. eiuſdem voluminis, dicens; quòd quia abſtracta afferunt perfectionem primæ philoſophiæ, & ad eam principaliter attinent, cùm ſint vniuerſaliora, & cauſæ entis quà ens, & ſubſtantiæ quà ſubſtantia; ideo Ariſtoteles generaliter protulit, abſtracta pertinere ad primam philoſophiam. Negauitq. ea attinere ad philoſophiam Naturalem, non quod non attinerent aliquo modo, ſed quia primò & principaliter non attinebant. Subiectum verò Naturalis philoſophiæ ferè ſemper; inquit; deſcripſit Ariſtoteles per motum, quia omnia ferè quæ conſiderantur ab ipſa, pendent à materia aliquo modo, & maiori ex parte ſunt mobilia.

Metaphyſica igitur, ad aures iſtius viri, tractat per ſe, & tanquam de rebus ſibi propriè ſubiectis, de materia, motu, mobilibus, & immobilibus. Sed quia immobilia ad eam primò & principaliter attinent, idcirco Ariſto. generaliter dixit, Metaphyſicam tractare de immobilibus. Naturalis autem philoſophia, & ipſa per ſe & propriè tractat de vtriſque; ſed quia vt plurimum & maiori ex parte de mobilibus, ideo dicitur agere de mobilibus. Et ita ſequitur, quod motus non ſit ratio formalis ſubiecti naturalis philoſophiæ. Id quod ipſe multipliciter probat; & primò ſic.

Corpora naturalia prius naturà habent ſuam ſubſtantiam, quàm moueantur. Prius igitur debent conſiderari à philoſopho naturali quantùm ad ſuam ſubſtantiam, deinde quantùm ad motum. Quoniam ſi ſunt prius in eſſe, ſunt etiam prius in cognitione. Prius igitur cognoſcuntur diſtinctè à philoſopho naturali, quàm cognoſcantur moueri. Quare motus non eſt de eorum intrinſeca ratione. Quod quidem declaratur etiam authoritate Ariſtot. in 6. Topicorum, cap. 6. ſ quo loci ait, fieri non poſſe, vt definiatur homo quòd habeat tres dimenſiones; neque quòd ſciat numerare; quia hæc non dicunt quid eſt ipſius hominis. Eadem igitur ratione, cùm motus non dicat quid eſt rerum naturalium, fieri non poteſt, vt ponatur in earum definitione. 1. Ratio.

Secundò: Si vera ratio formalis corporum, quæ attinent ad Naturalem philoſophiam, eſſet motus, omnia quæ conſiderantur à Philoſopho naturali, conſiderarentur vt mota. Homo ergo, Aſinus, Bos, & id genus alia, ab ipſo vt mota conſiderarentur. Quoniam ratio formalis eſt ratio, qua artifices conſiderant ea, circa quæ verſantur. Quòd verò ſit falſum, naturalem Philoſophum conſiderare Hominem, Aſinum, Bouem, cæteraque huiuſmodi vt mota, non eſt qui ambigere poſſit. Quoniam 2.

vniuerſa philoſophia Naturalis nil aliud laborat; vt patet; quàm vt quærat cauſas ſubſtantiales ipſorum corporum; vt ſunt materiæ propinquæ, & formæ propinquæ; ſecus non ſciremus corpora naturalia. Quandoquidem ſcientes quod mouentur, non ſcimus corpora naturalia; ſed ſcientes cauſas quæ ea conſtituunt, illa cognoſcere dicimur & ſcire. Si igitur naturalis philoſophia conſiderat corpora vt mota, perſpicuum eſt, quòd non cognoſcit eorum ſubſtantiam, ſed accidens tantùm; cùm motus ſit accidens; vt patet. Hoc autem eſt euertere totam naturalem philoſophiam. Nec poteſt dici, quòd primus philoſophus conſideret eorum ſubſtantiam; quia non conſiderat res in particulari; vt patet ex locis adductis; contemplatur enim vniuerſaliora, ut ens. Et etiam aliæ ſcientiæ ſuperfluerent; Quare doctrina Ariſtotelis eſſet manca; cùm horum ſubſtantia nullibi conſideraretur, at ſolùm accidens.

3. Tertiò; ſicut ratio formalis primi philoſophi eſt ens & ſubſtantia, quatenus ſubſtantia, non ut immobilis; ita in phyſicis debet conſiderari cœlum vt cœlum, homo vt homo, &c.; non autem vt mouentur. Non enim homo, vt homo mouetur, neque cœlum vt cœlum, neque bos vt bos, neque planta vt planta; & ſic de alijs.

4. Quartò; Motus eſt vniuerſalior corporibus, quæ conſiderantur à philoſopho naturali, non poteſt igitur eſſe ratio formalis, per quam illa diſtinguantur ab alijs. Quoniam ratio diſtinctionis debet eſſe propria. Id quod antecedit patet ex his quæ dicta ſunt; quia ſubſtantia quæ eſt ſubiectum primi philoſophi mouetur, quia eſt compacta ex materia & forma. Nam ſubſtantia ſeparata & immobilis non eſt pars ſubiecti, ſed cauſa & principiũ; veluti ipſe dixit in memorato loco, libro. 15., ſectio. 3., lib. 19., ſectio. 8.; & in primo libro Apologiæ, ſectio. 8., &. 10. Vnde prima quoque philoſophia conſiderat materiam, definit cum materia; vt patet. 8. Meta., contex. 4., & alibi. Hæc & multa alia vir ille; quæ minus vera ſunt, nequidem ad Ariſtotelis dogmata prolata.

Prænarrata Mirandulani doctrina reprobatur. *Cap. 17.*

VANA quidem & inſulſa nimis eſt in hac parte huius viri doctrina; propterea quòd verba Ariſtotelis hac in re adeo clarè eius ſententiam palàm faciunt, vt ridiculum ſit dubitare, vel ea in alienum ſenſum extorquere. Nam in 12. Sapientiæ, ad. 6. contextum, facta diuiſione ſubſtantiæ in ſenſibilem corruptibilem, ſenſibilem æternam, & immobilem, hæc ſubdit verba formalia: Illæ itaque Naturalis; cum motu nanque ſunt. Iſta aũt alterius eſt, ſi nullum eis commune principium eſt. Ex quibus habetur, q. vtraque ſubſtantia ſenſibilis, nimirum æterna & corruptibilis, ad Naturalem attinet philoſophiam. Et hoc ideo, quia vtraque cum motu eſt, & habet in ſe naturam & principium motus, vt moueri poſſit. Ex hoc enim aliquid eſt naturale, non quòd ipſum moueat alia, ſed quòd moueri poſſit, vel mouetur, aut à ſe, vt animalia, aut ab alio, vt grauia & leuia. Subſtantia verò tertio loco poſita, nempe immobilis,

 non po-

non poteſt, inquit Ariſto., ad Naturalem pertinere ſcientiam, ſed alteram; ſcilicet Metaphyſicam. Quam tamen ibi non nominat, quoniam id iam fecerat in 6. Meta., & alibi non ſemel; ut patet. Non eſt ob id redarguendus Ariſtoteles, quaſi idem immeritò, & abſque neceſsitate repetere videatur. Quandoquidem eo in loco quærenti atque dubitanti ſatisfacere videtur, cur de ſubſtantia ſenſibili non agat copioſius in Metaphyſica, at ſolùm vniuerſaliter, nec ad particularia deſcendat; & quæ de ea tractat, tangit potius quàm tractet. Hæc enim, inquit, diſputatio ad naturalem philoſophum ſpectat; ideo à primo philoſopho non ſunt plura expectanda; quoniam non ſecus Sapientem decet.

Quare autem ſubſtantia immobilis ad primum attineat philoſophum, minimè autem ad Naturalem, ea eſt ratio: Quia nullum eis, (vel potius eius) commune principium eſt. Intelligens Ariſt. per principium commune, naturam ipſam, quæ eſt principium motus & quietis. Non enim ea quæ motu prædita ſunt, & quæ illo vacant, ab eodem principio proficiſcuntur; vt ſcilicet habeant naturam quæ eſt principium motus & quietis, principium ſibi intrinſecum & commune; ſed quæ motu carent, ſola intelligentia & ratione comprehenduntur. Cùm itaque vtraque ſubſtantia ſenſibilis ad Naturalem attineat hac vnica de cauſa, quia habent in ſe naturam, quæ eſt eis principium commune motus; ſubſtantia verò immobilis ad illam non attineat, ſed ad Metaphyſicam, quia non habet in ſe illud commune principium; quis non videt, motum eſſe rationem formalem ſubiecti Naturalis philoſophiæ? Quare decipitur nimis ipſe Mirandulanus.

Dubitatur contra prædicta, & noſtra defenditur ratio. Cap. 18.

ET quia non me latet, huiuſmodi Ariſtotelis locum à varijs variè declarari & exponi, quare poſſet quiſpiam dicere, hunc non eſſe ſenſum Ariſtotelis, quem ei impendo; eapropter aliorum intendo agitare expoſitiones, vt inde omnis tollatur emergens difficultas. Themiſtius igitur dicit, ſubſtantiam illam immobilem, ad aliam ſcientiam ſpectare, quàm ad Naturalem, ad quam ſpectant duæ ſubſtantiæ ſenſibiles; quia nihil commune ſit ipſis, aut in generatione, aut in loco, aut in augumento, aut in decremento; nec commune principium habeant, à quo producantur; quoniam prima nullum habet principium; ſecundæ verò principiũ, eſt ipſa ſubſtantia prima. Amplius, nec eadem cognitione apprehenduntur, altera enim ſenſibilis eſt, altera intelligibilis. Hæc Themiſtius.

Alexander verò enarratione 2., in fine, dicit: Quoniã ſubſtantia intelligibilis cum ſenſibili nihil oĩno ſocietatis habet, nec ipſis eſt principiũ aliquod cõe, ſatis intelligitur nõ eſſe phyſicę munus de illa diſputare. Ita Alexander. Vnde poſſet quis ipſius Mirandulani partes in hunc modũ tueri: Ariſtoteles eo in loco per principium cõmune non intelligit naturam;

quemadmodum tu dixiſti; neque motum; ſed quòd nullam habent ſocietatem, neque aliquod principium commune ſubſtantia immobilis cum mobili. Modò autem non decet à principio generaliter accepto, deſcendere ad naturam & motum. Non enim ſequitur: Ad Naturalem non ſpectat tractare de ſubſtantia immobili, quia nihil commune habet cum mobili. Motus igitur eſt ratio formalis ſubiecti phyſicæ.

Cōtra Themiſtiũ & Alexandrum.

Huiuſmodi nihilominus ſententiæ niſi rectè intelligantur, ſunt ex parte falſæ. Non enim verum eſt, quòd nullam habeant ſocietatem inter ſe ſubſtantiæ iſtæ; ſenſibilis inquam & intelligibilis, cùm ſimul connexæ ſint, & altera ab altera dependeat; ſecus rerum vniuerſitas non eſſet benè connexa, & copulata. Audiamus Theophraſtum, in initio ſui libri Metaphyſici. Cùm enim inde exorſus eſſet, quæreris verum intelligentiæ & naturalia, vllam habeant inter ſe connexionem & affinitatem, ſeu communitatem, an nullam; ſed vtraque vt ſeparata, ſimul autem agentia quodam modo in eandem ſubſtantiam.

Reſpondit, rationabilius eſſe, vt inter ea ſit aliqua connexio, & vniuerſum non conſtet ex ijs quæ inter ſe aliena ſint; ſed vt ea ex quibus conſtat, quædam ſint veluti priora; quædam autem poſteriora; & quædam vt principia, quædam autem vt ſub principijs; quemadmodum æterna ſe habent ad corruptibilia. Ideo infra proſequutus, reiecit formas mathematicas à ratione ſubſtantiarum iſtarum, quæ ſunt prima rerum principia; eo ꝗ inſignem non habeant connexionem cum ſenſibilibus, neque omnino vniuerſi connexio idonea & digna appareret, ſed videretur non diſsimile quid eorum, quæ ingenij vi atque arte excogitata ſunt & confictа. Et infra, ꝗ nullam habeant connexionem cum naturalibus, talem ſcilicet, vt ipſis quaſi vitam & motum elargiri poſsint; vt de numero conſtare dicit, ꝗ id præſtare non poſsit. Ex his igitur liquidò conſtat, quod huiuſmodi viri, in hac parte, veritatem minimè attigerunt, neque Ariſtotelis mentem perceperunt. Niſi fortè dicere velimus, quòd Alexander & Themiſtius ita intellexerunt, quòd inter eas ſit hæc connexio, per rationem prioris & poſterioris, principij & eius quod ex principio. Vt ſit ſenſus Ariſto., quòd ſubſtantia immobilis non pertinet ad phyſicam, quia non habet principium commune cum illis ſubſtantijs ſenſibilibus, & mobilibus; ſed illa eſt principium, hæc autem ex principio.

Veruntamen nec iſta ſatisfaciunt, proptereaꝗ & ſi illud haberent principium cōe, non ob id ſequeretur, eas ſpectare ad Naturalē. Accipiamus nanque intelligentias inferiores, quę ſunt ſub prima, & ab ipſa dependent vt poſterius à priori, & vt ea quæ ſub principio ſunt. Et alia ex parte accipiamus ſubſtantias ſenſibiles. Tunc perſpicuum eſt, ꝗ vtraque iſtarum ſubſtantiarum habet idem principium commune, nempe intelligentiam primam. At nunquid propterea ad phyſicam ſpectabunt inferiores intelligentiæ, vnà cum ſubſtantijs mobilibus, & ſenſibilibus? Minimè quidem.

Quòd ſi eiuſdem dicantur eſſe generis & naturæ, inferiores intelligentiæ cum prima; & Philoſophum de toto eo genere ſermonem habere, vt non poſsit ſumi pars quædam eius, & inferiores ſub ea quæ ſuprema eſt.

Hoc

Hoc nihil iuuat. Sumantur enim quæ ſunt alterius generis, & ponamus gratia doctrinæ; verum eſſe quòd formæ mathematicæ ſeparatæ ſint, in inferiori gradu ſeparationis. Iam non eiuſdem generis & naturæ ſunt cum ijs, quæ in ſupremo gradu ſunt ſeparationis. Ponamus igitur, & hæc mathematica dependeant à natura illa priori, vnà cum naturalibus; nunquid propterea formæ iſtæ mathematicæ ſpectabunt tunc ad phyſicam? Nequaquam.

Nec dici fortè poteſt, quòd non ex æquo ſe haberent mathematica ſeparata & naturalia, ad ſeparata illa ſupremi gradus; quià non eſſent in eodem gradu ſub principio; cùm naturalia immediatè, mathematica verò mediatè ab ipſo dependeant, aut è contra.

Nam Ariſtoteles hanc non adducit rationem, nec adducere potuit; cùm ſatis conſtet, illum non potuiſſe ſupponere ſubſtantiam immobilem eſſe in eòdem gradu, & ſub principio cum ſenſibilibus, cùm dicit: Si nullum eis principium commune; ut patet ex ordine qui neceſſarius eſt inter ſenſibilia & immobilia.

Amplius: Iſte ordo non tollit unitatem ſcientiæ: cùm ſubſtantia ſenſibilis corruptibilis non ſit in eodem gradu cum ſenſibili æterna, ſub principio communi vtriuſque, utpotè ſub ſeparata ſubſtantia. At ordine quodam, natura æterna ſenſibilis & mobilis, proximè eſt ſine medio ſub illa. Senſibilis autem corruptibilis, non niſi mediante ſenſibili æterna. Sicut ergo vtraque iſtarum ſubſtantiarum ſenſibilium, ſtante illo ordine ad eandem attinet ſcientiam; cur etiam & mathematica immobilia, & naturalia, ad eandem non attinerent, ſtante illo ordine quem haberent ad inuicem? Non igitur ſequitur doctrina, & reſponſio iſtorũ grauiſsimorũ Græcorum.

Adeſt igitur Latinorum ſententia, & eiuſdem loci expoſitio, iuxta quã poſſet quiſpiam rationem noſtram infirmare. Quare & ipſa nobis agitanda venit. Alexander itaque de Ales, D.Tho., Scotus, Sueſſanus, & alij Latini exponunt (principium commune) vniuerſale prædicatum; ut ens, ſubſtantia, & ſi quid aliud eſt tale. Vt ſit Ariſtotelis ſenſus talis: Subſtantia mobilis pertinet ad phyſicam, quia eſt cum motu. Subſtantia verò immobilis pertinet ad Metaphyſicam, ſi tamen nullum principium ſit commune vtriſque ſubſtantijs; quia ſi in aliquo conueniunt, pertinebit vtrarumque ſubſtantiarum conſideratio ad illam ſcientiam, quæ illud cõmune conſiderat. Et quia illud commune in quo conueniunt eſt ens & ſubſtantia, quæ pertinent ad Metaphyſicam, ſequitur quòd Naturalis ſcientia conſiderat ſolùm de ſubſtantijs ſenſibilibus, inquantum ſunt in motu. De ſenſibilibus autem & immobilibus conſiderat Metaphyſica, quatenus in hoc conueniunt quòd entia ſunt, atque ſubſtantiæ. Ex quibus inanis uidetur & futilis ratio noſtra; cùm per principium commune intelligat naturam, motuſq. principium.

[Latinorum ſententia.]

Atqui re vera hallucinantur huiuſmodi grauiſsimi viri; quoniam loquentes de rerum principijs, confugiunt more Platonis ad prædicata communia; quod tamen damnauit Ariſtoteles in primo Meta. & alibi.

[Contra Latinos.]

Amplius: Ad aliam reſpondent quæſtionem, non ad eam quam tractat

Ariſtoteles. Non enim intendit ipſe reddere rationem & cauſam cur à Metaphyſico poſsint omnes huiuſmodi ſubſtantiæ conſiderari; hoc enim aliàs docuit; ſcilicet in 4. & 6. Meta. Sed cur phyſica ſcientia non agit de tertia ſubſtantia, immobili ſcilicet, vt de vtraque ſenſibili. Ipſi autem volunt quòd intentio ſit Ariſto. ſignificare quòd Meta. poteſt conſiderare non ſolùm de ſubſtantia immobili, ſed etiam de mobili, quantùm ad ea in quibus conueniunt communia prædicata. Quod tamen nõ intendit. Siquidem inter initia 12. lib. Meta. proponit de ſubſtantia eſſe tractandum; vt oſtendat munus eſſe Metaphyſici, de ſubſtantia immobili pertractare; idq. etiam ſecundùm Alexandrum de Ales, in principio. 12. Meta. & ſecundùm. D.Tho. ibidem, in expoſitione 6. contextus. At ſi Ariſtoteles huiuſmodi habeat intentionem, ad quid probare ſubſtantiam mobilem ad Meta. attinere? Immo ſuum eſt oſtendere, ſubſtantiam immobilem ad Naturalem non ſpectare, ſed ad Metaphyſicum; quod quidem oſtendit hac ûnica ratione, quia non eſt eius principium commune. Et ita res redditur clara; quoniam probauit quòd ſubſtantia mobilis pertinet ad phyſicum, quia eſt cùm motu; & ſubdidit ſtatim, immobilem ſpectare ad Metaphyſicum; id tamen non probauit, ſi latinorum inſequamur expoſitionem. At ſecundùm nos iſta eſt probatio: Quoniam nullum eſt eius principium commune. Vel ſi velimus loqui dubitatiuè, hoc parum refert; cùm nondum principia prima ſubſtantiarum eſſent inuenta, & clarè probata. Et principium commune; veluti diximus ſupra; eſt natura, quæ eſt principium motus & quietis; & penès hanc diſtinguuntur apud Ariſtotelem, quæ ad phyſicen ſpectant, ab ijs quæ ad Metaphyſicam. Sic enim & 6. Meta. particula. 2. & 11. cap. 6. & 2. phy. 71. rationem tradebat eorum, quæ ad phyſicen ſpectant; quia ſcilicet ſunt cum motu, ſeu habent in ſe principium motus, pariterq. naturam. Et profectò videtur neceſſarius eſſe illorum verborum ſenſus, quem diximus. Nam ſi quid ad phyſicen pertinet quia eſt cum motu, ut dicit Ariſtoteles de utraque ſenſibili ſubſtantia, æterna & corruptibili, neceſſarium eſt, vt quod non eſt cum motu, ſpectet non ad phyſicen, ſed ad aliam ſcientiam. Vt ſicut ratio cur ad phyſicen quid ſpectet, eſt quia ſit cum motu; ita ratio cur quid non ſpectet ad phyſicen, ea ſit quia non eſt cum motu; hoc eſt, non habet in ſe naturam, quæ eſt principium motus, & ſic non habet vllum commune principium cum ſenſibilibus, quæ ad phyſicen ſpectant. Ex quo etiam colligitur, quòd eſſe cum motu ſignificat habere in ſe principium tale, quod eſt natura; ſicut non habere principium commune cum ſenſibilibus & mobilibus, eſt non eſſe cum motu, ideſt, non poſſe moueri, nec habere in ſe principium motus. Sunt igitur oppoſitorum, oppoſitæ rationes redditæ; affirmationis affirmatio, & negatio negationis. Nam illud verbum (alterius) negatio eſt eiuſdem ſcientiæ, ſcilicet naturalis; quaſi diceret: Hæc autem alterius, ideſt, non phyſicæ ſcientiæ, vt illæ ſenſibiles ſubſtantiæ ſunt; ſed alterius, ideſt, non eiuſdem.

Dubit. Cæterùm negatio illa uniuerſalis (nullum) hunc ſenſum ægreferre videtur; ut, nullum principium, intelligatur natura; & præſertim cùm additur,

ditur (commune ſenſibilibus. Nam non multa videntur intelligi principia rerum naturalium, nomine naturæ; cùm tamen verbum illud (nullã) ex vi ſignificationis, plura quàm naturæ principium exigere videatur.

Crediderim, Ariſtotelem ita loquutum, cùm propter naturæ multiplicem ſenſum, ſumitur enim pro materia, pro forma, & pro via ad formã; ut ipſe docuit in 2. auſcultatorio libro; ſumitur adhuc pro inclinatione & propenſione quadam, ſequente formam, ut uoluit Simplicius item in 2. phyſicorum, Tum propter naturæ analogiam; qualis eſt inter ſubſtãtiam ſenſibilem corruptibilem, & eam quæ ſenſibilis quidem & mobilis eſt, ſed æterna; vt inter ſe non conueniant hæ duæ ſubſtantiæ, niſi in motu locali; nec omnino in hoc; cùm cœleſtis ſubſtantia locum non mutet, ſed in ſe uoluatur. Ideo natura in cœlo eſt longè diuerſa ab ea, quæ in corruptibili ſubſtantia reperitur. *Solutio.*

Quòd ſi etiam reſpicimus antiquos, meritò ſic potuit loqui. Plato nanque ſuam illam vnitatem ac dualitatem in omnibus rebus ponebat. Et Empedocles ſolùm litem à ſuo ſphæro ſeparabat; & Anaxagoras omnia in omnibus ponebat. Et omnino quicunque naturales fuerunt, omnia crediderunt eſſe naturalia; & de rebus naturalibus loquentes, credebant ſe de tota natura, ideſt, rerum uniuerſitate loqui; quemadmodum 4. Sapientiæ libro, ad 7. contextum, dicit Ariſtoteles; quia in omnibus rebus ponebant aliquod principium commune rerum naturalium; Nam & Thales, ſuam aquam ad omnia effundebat; ſic Anaximenes aerem, &c.

Et illud verbum (commune) huic fauet ſententiæ; quandoquidem cõmune intelligit ſubſtantiarum ſenſibilium utriuſque generis, corruptibilis ſcilicet & æternæ, omne autem tale, non niſi natura; vel vt materia; vel vt forma materialis, ideſt, dicens motum in re cuius eſt forma; ut ſit ſenſus: Hæc ſubſtantia immobilis non eſt phyſicæ, ſed alterius, ſi non habet vllum principium tale, quale commune eſt, & communiter inuenitur in omni ſubſtantia ſenſibili, propter quod ad phyſicen ſpectare diximus; id autem eſt principium motus, quod naturæ nomine dici ſolet, & quod varium ac multiplex, & ſecundùm analogiam quandam intelligi ſolet; vt patet de natura quæ in cœlo eſt, ad eam quæ in ſublunaribus eſt ſubſtantijs, comparata.

Quare illius loci Ariſtotelis credo ſenſum fuiſſe, quem aliàs in 6. Sapientiæ, parte 2. ipſe docuit. Vbi hæc eadem docebat; quoniam & circa quæ ſit Naturalis, & circa quæ Metaphyſica, & cur ſic; & quòd ſi dantur ſubſtantiæ ſeparatæ, Naturalis non eſt prima, ſed altera quam diuinam uocat; quia verſatur circa naturam in qua Dij ſunt, & quòd illa eadem eſt uniuerſalis. Et quòd ſi non darentur ſeparatæ ſubſtantiæ, Naturalis eſſet prima, & uniuerſalis. Idem itaque voluit eo in loco Ariſtoteles, cùm dixit: Hæc autem alterius, ſi nullum principium ipſius commune. Et non nominauit ibi Metaphyſicam; quia alibi iam dixerat, nimirum in 6. Meta. ad 2. contextum; veluti diximus ſupra.

Et licet ibi huiuſmodi ſcientias diſtinxiſſet, Metaphyſicam ſcilicet & Naturalem, earumq́; ſubiecta; quia tamen quæſtiones ſunt annexæ, & vna

dependet ab alia, idcirco ita in .12. Sapientiæ proceſsit Ariſtoteles, tradendo ſcientiarum & ſubſtantiarum diſtinctionem. Nam ſi datur ſubſtantia immobilis ſeparata, quæ ſcilicet non habeat vllum commune principium ſenſibilibus; vt ibidem dicit Philoſophus; ſimul etiam neceſſe erit dare ſcientiam quandam alteram, à Naturali diuerſam, & naturâ priorem; & tunc Naturalis ſcientia non erit prima ſcientia, aut ſapientia, neque prima philoſophia. Sed dabitur altera prior; quod tamen veteribus videbatur ignotum; præſertim ijs qui naturales dicti ſunt, & phyſici. Sed etiam Theologi & Platonici non videntur rectè ſcientiam diſtinxiſſe; licèt enim quædam ponerent ſeparata, & à ſenſu aliena; tamen ſub eandem ſcientiam ac philoſophiam redigebant. Quare meritò Ariſtoteles quæſtionem hanc ſcientiarum ab ea pendentem quam tractat de ſubſtantijs, an quædam ſint ſeparatæ, non ſeiungit, ſed ſimul ducit; vt altera ſoluta, altera non videatur omiſſa, aut inſoluta, cùm ſimul veniant ſoluendæ. Ex his itaque patet, quòd nec latinorum expoſitio, noſtram tollit rationem.

Doctrina Mirandula. Quam tamen tolleret fortaſsis Mirandulanus, concedendo illum quem deduximus ſenſum ex verbis Ariſtotelis; ſed addendo, quod Ariſtoteles dixit ſubſtantiam immobilem pertinere ad Meta., mobilem vero ad Naturalem; non quia utraque illarum non pertineat per ſe ad vtranque ſcientiam; ſed quia immobilis principaliter ad Meta., mobilis verò principaliter ad phyſicen ſpectat; quemadmodum ex eo in ſuperioribus diximus.

Impugna. Verùm his ſtantibus, quomodo tradidiſſet Philoſophus rationem differentiæ utriuſque ſcientiæ, aut ſignificaſſet rationem formalem vtriuſque adæquatam? Et ſi aſsignaſſet ab eo quod in ſcientia præcipuè tractatur, fruſtra quidem tradidiſſet rationem formalem & adæquatam, qua ſine, ab altera neutra plenè diſtingueretur. Et ſi dicat Mirandulanus quòd non diſtinguuntur; id iam ſatis fuit ſupra probatum. Intentio igitur fuit Ariſtotelis, aſsignare rationem formalem, penès quam huiuſmodi ſcientiæ diſtinguuntur; id quod etiam fecit .6. Meta. contex. 3. ; .11. cap. 6. ; primo phyſicorum, ultimo contex. ; 2. phy. 19. , 71. , & multis alijs in locis. Quæ quidem omnia peregregiè ijs reſpondent, quę ex primo de poſteriori reſolutione ſupra deduximus. Sed iam tempus poſtulat, vt rationibus Mirandulani contendamus facere ſatis.

Quædam prænotantur pro diſſolutionibus rationum Mirandulani. Cap. 19.

PRIVS ſunt quædam præmittenda, quàm ad rationum ipſius Mirandulani diſſolutiones deueniamus; ut inde clarior noſtra redatur doctrina, & eius facilius tollantur difficultates. Illud igitur in primis eſt animaduertendum, quòd natura eſt ratio formalis omnium quæ conſiderantur, & ſpectant ad phyſicam ſcientiam. Quæ propterea ſic dicitur etiam, quia non niſi de rebus naturalibus agere poteſt, & debet. Ideo & Ariſto. in primo auſcultatorio libro, particula prima,

totam illam ſcientiam vocat ſcientiam de natura. Natura autem propriè dicit motum, & per ſe; vt patet.2.phy., &.5. Sapientiæ. Vnde rebus naturalibus non accidit motus, ſicut nec accidit natura, ſed per ſe & intrinſecè conuenit, & dicit propriam illarum differentiam, & eſſentiam. Vnde ſicut quis ridiculus uideretur, & verbi uim ignorare, qui diceret naturam per accidens rebus naturalibus conuenire; ita & qui motum. Vbi tamen animaduertendum, quòd motus non conſideratur vt accidens externum, quod aliquando adeſt mobili, aliquando non; ſed ut dicit naturam intrinſecam rei, & ſubſtantiam talem, quæ ex ſe, & in ſe eſſentialiter dicit motum, ſeu mobilitatem quandam. Et ſicut ſubſtantiæ materiales per hoc diſtinguuntur à non materialibus, quia materiam habent, ut materia non ſit quid accidentale, ſed de eſſentia ipſarum ſubſtantiarum, ex materia & forma conſtantium; ita & de motu ſentiẽdum; quoniam natura dicit motum, cùm dicat potentiam. Vnde etiam formæ ipſæ naturales ſimplices, per hoc diſtinguuntur ab alijs, quòd materiam concernunt, & hoc non ſibi per accidens, ſed per ſe conuenit; ſic igitur & de motu, quia idem ſignificant. Ideo & Ariſto. res naturales aliquando diſtinguit per hoc quòd habent materiam, aliquando per hoc quòd mouentur, ſeu moueri poſſunt; aliquando per hoc quòd habent in ſe principium motus; & ſemper idem intelligit, idem eſt ſenſus, & eſt tantùm in verbis differentia.

Et ſecundùm hanc ſententiam & intelligentiam, nihil conſideratur à Naturali niſi naturale, & ut naturale; nihil niſi ut mobile, vel ſub ratione motus; ſicut nihil niſi materiale, ſeu cum materia, ut naturale, ſeu cum materia. Et quemadmodum non eſt abſurdum dicere, quòd Naturalis non conſiderat naturalia, niſi ut naturalia ſunt, ita & quòd mobilia tantùm, & non niſi ut mobilia, &c. Et quòd ſicut non definit ſine materia, ita nec ſine motu.

Sed hæc poſſunt eſſe manifeſta ex his quæ tradit Ariſto.2.phy.19.; quo loci dicit, naturalem non definire ſine motu. Et ibidem, cõtex.26., dicit, naturalem non conſiderare formas & ſpecies, niſi ut Medicus conſiderat neruum, & faber æs, uſque ad quendam terminum. Et declarat, quia unaquæque talium formarum eſt gratia alicuius; quia ſcilicet cùm ſit in materia, dicit motum; & ut ſic à Naturali conſideratur, & non aliter, nec alio modo; primus autem Philoſophus agit de ſeparatis.

Eandem doctrinam, aut conſimilem tradit primo de anima, tex.15. 16. &.17. Ideo & animam non definit niſi per materiam, & corpus naturale, quod dicit motum; & addidit rationem organorum, quæ; ut conſtat; in ſui ratione dicunt motum & actionem. Ipſis enim utitur anima in operationibus ſuis; quin & partes animæ non niſi hac ratione definiri potuerunt. Et omnino 4. Meteororum circa finem, Philoſophus oſtendebat omnia corpora naturalia eſſe propter aliquod opus, & hoc eis eſſe eſſentiale, & non aduentitium; ſicut inſtrumento tali non accidit per accidens, ſed per ſe forma ſua, ut ſua eſſentia & natura.

Nec obſtat difficultas illa de abſoluto & reſpectiuo; quaſi corpus naturale

turale ut dicit reſpectum ad motum, non conſideretur abſolutè, ſed reſpectiuè; & ideo non eſſentialiter, at ſecundùm accidens, & quid poſterius. Nam idem dici poſſet de natura, quæ à Philoſophio definitur in ordine ad motum. ſic de materia, & forma materiali, & de potentia materiæ, & de anima, & de partibus eius. Vel enim nullus eſt reſpectus, vel tranſcendens. Idem nanque iudicium eſt de ijs, & de potentia. Quæ quidem, ſecundùm illud quod eſt potentia, ordinatur ad actum. Licet enim ſecundùm ſuam entitatem non ſit res abſoluta ab actu, & obiecto; eſt nihilominus res abſoluta à termino; & propterea non eſt in genere relationis. Vnde potentiæ, habitus, & id genus alia, ſunt entitates quædam mediæ inter abſolutas omnino, & totaliter reſpectiuas. Ita quòd non per aliquid ſuperadditum, ſed per ſuas eſſentias eſſentialiter ordine habent ad actus; ita quòd abſque eis, nec etiam per primam intellectus operationem, intelligi poſſunt. Non quia ſint earum differentiæ, ſed quia earum differentiæ ſumuntur ab ordine ad illos; ordine inquam; non relationis prædicamentalis, atqui tranſcendentiæ. Et hoc eſt fundamentum & radix in omni conſimili materia; nimirum de potentijs animæ, de motu, de materia prima, de actione & paſsione, habitu, & alijs huiuſmodi. Vnde imaginentur iuuenes, naturam agere propter finem, & producere potentias actibus intentis proportionatas. Ideoq. tales facere potentias, quia tales exigant actuum quidditates; & non è contra; & quia potentias non accidentaliter ordinat ad actus, fit neceſſariò conſequens, quòd ideo potentiæ ſint tales eſſentialiter; quia actus eas exigit tales ſecundùm eſſentiam. Et ita non abſtrahunt eſſentialiter à tranſcendenti ordine ad actus. Subſtantia igitur mobilis eſt in ſe abſoluta, dicit tamen eſſentialiter materialitatem, potentiam, & ſic motum, abſque vllo reſpectu prædicamentali; licet ſic uerba ſonare uideantur. Vnde ratio differentiæ non ab accidente, ſed ab ipſa rei eſſentia ſumpta eſt ab Ariſto., quando dixit ſenſibiles ſubſtantias ſpectare ad phyſicen, quia ſunt cum motu; immobilem autem ſubſtantiam ad alteram, ſi non habet principium commune, ideſt, naturam, & principium motus. Et ſicut de immobili ſumpſit rationem ab eius principio, ita de ſenſibilibus intelligimus, cùm dicit eas moueri; principium enim ſignificat, & rationem quidditatiuam, & definitionem, ſeu eſſentiam. Hinc poterant iuuenes noſtri benè animaduertere in Lucidiſsimum Themiſtium, de illa ſua non aurea, ſed potius plumbea materiæ primæ digreſsione; quando dicit, quòd materia ad ſuam eſſentiam conſtituendam non indiget poteſtate, neque poteſtas vlla in prima ac ſimplici ratione materiæ includitur; ſed primum res quædam eſt in ſe, & exiſtit actu. Deinde materia intelligitur aliorum eſſe, & ſecundam poſteriorem hanc conſiderationem, rationem potentiæ contrahit. Hoc enim perſpicuum eſt, ab omnibusq. receptum, quòd natura non ordinauit accidentaliter materiam ad formas, nequidem potentias ad actus quare ſequitur ut materia ſit talis eſſentialiter, qualem exigunt formæ. Formæ autem exigunt in ea potentiam, ſecus eas non per ſe ſuſciperet, ſed per aliquod aduentitium. Vnde in prima

illa ſua ſimplici ratione includitur poteſtas, quæ dicit ordinem ad formas; & ab iſto ordine tranſcendentiæ, eadem ſumitur poteſtas. Secus ſumeretur à termino; & ita eſſet ordo relationis prædicamentalis. Atqui de his hactenus. Ad rationesq. Mirandulani nunc accedamus.

Rationes Mirandulani diſſoluuntur. Cap. 20.

Ad. 1. EX ijs quæ præmiſimus facile eſt ipſius Mirandulani rationes è medio tollere. Etenim primæ iam patet deceptio, quoniam arbitrabatur, naturales ſubſtantias poſſe conſiderari ante omnem rationem motus, ſeu naturæ; quod in idem redit. Sic enim eſſent naturalia ante ipſam naturam. Sed inde ortus eſt error, quòd vim verborum Ariſto. de motu loquentis, minimè percepit.

Ad. 2. Secunda quoque facilè diluitur; verum ſiquidem eſt illud, quod ipſe Mirandulanus pro inconuenienti habebat; nempe quòd nihil conſideratur à Naturali niſi ut motum; quia idem eſt quod ut naturale. Et ita homo cùm conſideratur vt homo, conſideratur vt quid motum; ideſt, vt ens naturale, habens in ſe principium talis motus. Sic cœlum vt cœlum, bos vt bos; & id genus alia. Quia omnia hæc, ſecundùm ſuas formas conſiderantur, quæ ſunt in materia, & vt ſunt in materia; nec quauis, ſed ſua. Ideò & ſic etiam definiuntur cum materia, & cum motu.

Ad. 3. Ex his patet etiam quid dicendum ad tertiam. Cœlum enim vt cœlum, homo vt homo, bos vt bos, & planta vt planta, eſt ens naturale, ex conſequenti mouetur. Sed & falſum eſt, quod primus Philoſophus non conſideret ſubſtantias ſeparatas, & entia quæ materiam non concernunt, vt ſunt immobilia: quia hoc nihil aliud dicit, quàm conſiderare formas immateriales, & ſeparatas, vt immateriales ſunt, atque ſeparatæ; ideſt, quòd in earum conſideratione, materia minimè conſideretur.

Vnde adeo verum eſt eas vt immobiles conſiderari, ut ſecus conſiderari non poſsint. Quia ſi ſecus, conſiderarentur vt in materia; quod impoſsibile eſt, & eis omnino repugnat, cùm eam excludant à ſua natura & eſſentia. Quòd autem conſideretur ens vt ens, ſubſtantia ut ſubſtantia, & alia omnia, eſt alia ratio; nimirum quia ſpectant ad partem, quæ per ſequelam pertinet ad primum philoſophum, non æquè primò, vt ſeparatæ ſubſtantiæ. Sicut mobilia non conſiderantur niſi ut mobilia in phyſicis; ita in prima philoſophia, immobilia non niſi ut immobilia, & ſeparata. Et quæ indifferentia dicuntur; puta ens, ſubſtantia, & cætera huiuſmodi, non conſiderantur niſi ut ſic indifferentia ſunt; ideſt; ens, vt ens, ſubſtantia ut ſubſtantia. Quare fauet ratio; quia mobile eſt ratio propria mobilium, vt immobilitas immobilium; vniuerſaliter ſcilicet, & in particulari ſpeciatim, ita entium & ſubſtantiarum.

Ad. 4. Ad quartam rationem, negandum venit quòd motus ſit quid vniuerſalius; nam ex æquo ſe habent, vt & natura, cum ijs quæ conſiderantur à naturali philoſopho. Vnde negatur ꝙ ſubſtantia ſenſibilis & mobilis non ſit ſubiectum philoſophiæ naturalis. Et hæc ad Mirandulanum.

Ex quibus

Contra Zimaram. Ex quibus facillimè conſtat deceptio Zimaræ, in annotationibus ſuis contra Ioannem de Ianduno, in primo Meta., q. 19., & in prima contradictione ſuper. 4. Meta. Quibus in locis negat, mobilitatem eſſe rationem formalem ſubiecti naturalis philoſophiæ, dicitq́ quòd res naturales poſſunt perfectè cognoſci vt abſtrahunt à mobilitate; & ſine motu poſſunt in naturali philoſophia quidditatiuè cognoſci.

Vnde vult ipſe, naturalitatem eſſe formalem rationem ſubiectiuam & quidditatiuam totius naturalis habitus. Sed quid eſt naturalitas, niſi mobilitas? Motus enim conuenit naturæ eſſentialiter & quidditatiuè; ſicut diximus ſupra. Cui igitur competit quidditatiuè natura, eidem quidditatiuè competit motus. Eius rationes non adduco, quia ex dictis perquamfacillimè ſoluuntur. Sed fuit erroris cauſa, quia non diſtinxit uir iſte inter effectum & cauſam. Huic noſtræ doctrinæ peroptimè fauet Balduinus in procemio Auer. in primo phyſicorum, q. de ſubiecto, concluſione ſecunda; ad quam reijcio Lectorem, & meum proſequor inſtitutum.

Quomodo agat Metaphyſicus de mobilibus & eo non obſtante, quare dicatur agere ſimpliciter de immobilibus. Cap. 21.

ARiſtoteles in. 7., 8., & 12. libro Meta., vſque ad textum. 38., pertractat de ſubſtantia generabili & corruptibili; ex quo ſtatim difficultas emergit; quomodo ſcilicet verſabitur Metaphyſicus circa duntaxat ſubſtantias omnino immateriales. Quæ quidem difficultas, diuiſionem quam præmiſimus ſcientiarum, ſatis adhuc perturbare videtur. Nec euadunt dicentes, quòd cùm ait Ariſto. Metaphyſicam agere de immobilibus, ob id non negat quin agat etiam de mobilibus. Propterea quòd ipſe Philoſophus huiuſmodi ſcientias penès hoc pluribus in locis diſtinguit, & rationem tradit.

Sueſſani opinio. Idcirco Sueſſanus in ſuo Dilucidario, & alij dicunt; quòd Metaphyſica dicitur agere de abſtractis & ſeparatis; quia ſeparata non ſolùm dicuntur ea quæ in materia eſſe non poſſunt, vt Deus & ſubſtantiæ intellectuales; verùm etiam ea quæ poſſunt eſſe ſine materia; vt ens commune, aliaq́ue id genus communia prædicata; quæ dicuntur abſtracta per indifferentiam.

Contra Sueſſa. Atuerò non ſic Ariſto. differentiam ſumit ſeparati & immobilis à non ſeparato & mobili; ſcilicet penès vniuerſalitatem, qua prædicata quædam ſunt communia, & indifferenter ſe habentia, ad vtrunque genus ſeparatorum; nimirum immobilium & mobilium materialium non ſeparatorum. At ſumit penès ipſa rerum genera diuerſa; quia hæc habent materiam, & ſunt mobilia, nempe ſubſtantiæ quas vocauit ſenſibiles, & dicit eſſe cum motu. Illæ verò non habent materiam, nec ſunt cum motu; veluti ſunt ſubſtantiæ quas dicit immobiles, & nullum habere principium commune, quale habent ſubſtantiæ mobiles; vt diximus.

Amplius; Admiſſa etiam illa reſponſione tanquam vera, de prædicatis

illis communibus per indifferentiam; ob id non ſatisfacit quantùm ad ea quæ de ſubſtantijs mobilibus tractantur in prima philoſophia, quæ non niſi ſubſtantijs mobilibus competere poſſunt; veluti de materia, motu, & huiuſmodi alijs ſatis conſtat. Sed & aliàs diximus de huiuſmodi abſtractis per indifferentiam; nempe in.q. de ſubiecto Metaphyſicæ.

Contra Pere. Benedictus Pererius lib. primo cap. 6. ſub finem, vnam affert ſolutionem ad prædinductam dubitationem; qua minimè contentus, ſed doctior effectus, in.7. cap. eiuſdem primi libri, aliam adducit ſolutionem, tribus concluſionibus conflatam; in qua multa dicit, quæ mihi nimis indigna videntur; & ſi non omnia, ſaltem pro maiori parte. Illis itaque tanquam ſuperuacaneis, & ex illis quæ ſuprà diximus reiectis, ad propriam deuenio ſententiam.

Opinio propria. Ob cuius declarationem, illud ad memoriam reuocandum venit; quod etiam ſemel atque iterum tetigimus ſupra; nimirum quòd prima philoſophia duas habet partes; vna eſt, quòd per ſe agat & propriè, atq. in particulari de ſubſtantijs ſeparatis. Nec propterea ſolùm quia ſunt cauſæ vniuerſales, vel vt ſunt cauſæ ſolùm; ſed vt entia quædam ſunt, in ſe & per ſe. Subſtantia enim ſeparata eſt ſpecies quædam entis, & ſubſtantiæ, diſtincta contra ſubſtantiam corpoream, & naturà prior. Ideo quemadmodum phyſica ſibi vendicat eam ſubſtantiæ ſpeciem quæ eſt mobilis, ita Metaphyſica hanc alteram quæ eſt immobilis. Altera pars eſt, vt agit de communibus. Ex hoc enim quòd ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt prima rerum principia, fit vt de omnibus vniuerſaliter agere oporteat. Ideo ex hoc quòd eſt prima ſcientia, eſt vniuerſalis, non autem èconuerſo; quia ſit vniuerſalis, ideo prima; vt patet. 6. Metaphy. 3. & 4. contextibus. Eſt autem prima, quia agit de primo rerum omnium genere, in quo eſt ſi quid diuinum eſt in tota vniuerſitate; vt dicit Ariſtoteles. Et propterea ſequitur, vt quia ab hoc primo rerum genere omnia alia pendent, agat etiam de omnibus alijs; & idcirco non ſolùm ſit prima, ſed etiam vniuerſalis; vt decet tamen; veluti etiam diximus.

At nondum omnia clara; quia adhuc heſitat intellectus, nunquid Meta. de mobilibus agat, tanquam de ijs quæ ſunt ſui iuris. Eapropter altius exordiendo animaduertendum eſt, quòd ratio formalis Metaphyſicæ eſt immobilitas; vt ſcilicet non niſi de ſeparatis agat, quantùm ſit ex ſua ratione, qua diſtinguitur contra alias ſcientias, & præſertim contra Naturalem. Sed tamen cùm ad tractationem de ſeparatis ſubſtantijs, quià ſunt prima rerum omnium principia, ſequatur vt eandem ſcientiam oporteat primam eſſe atque vniuerſalem, & eſſe Sapientiam, qua aliæ ſcientiæ dirigantur, propterea fieri ut agat de communibus prædicatis, axiomatibus, de contrarijs, oppoſitis, ente, actu, potentia, & huiuſmodi cæteris. Et præterea de ijs etiam quæ non vt priora communia ſunt ſeparatis immobilibus, & mobilibus concretis cum materia; ſed huic alteri generi propria, nempe mobilium; nec

tamen propterea ſuam amittat rationem differentiæ, qua dicatur agere de immobilibus & ſeparatis. Cùm de mobilibus non agat niſi per quandam ſequelam, & quaſi ratione alterius, & quaſi propter alterum, ſeu quaſi per accidens. Non enim verum eſt quòd de ſeparatis agat propter hoc, quia agens de communibus prædicatis, puta de ente & ſubſtantia, propterea de ſeparatis agere debeat, quia ſint cauſæ vniuerſales entis & ſubſtantiæ: ita vt ſi non eſſent cauſæ vniuerſales entis, non pertinerent ad primum Philoſophum, ſed ad alterum, vtpotè Naturalem; vt voluit Mirandulanus, Apologiæ libro primo, ſectione quinta, & deinceps; Id quod etiam arridere videtur D.Tho., in ſuo proœmio ad Meta., ſub finem; quando ait Metaphyſicum agere de ſeparatis, non tanquam de ſubiecto, ſed de cauſis.

Nam èregione ſe habet res, veluti diximus; ideo Ariſtoteles.6. Meta. 2.&.3. contex., &.11. cap.6., non deducebat illam ſcientiam eſſe primam, & diſputare de primo rerum genere, in quibus eſt id quod diuinum, ex eo quòd ſit vniuerſalis, & de omnibus vniuerſaliter agat, & de ente qua ens, &c. Sed contra; ex hoc quòd eſt prima, & agit de primo rerum genere, colligebat ipſam eſſe vniuerſalem; & ita agere de omnibus, & de communibus. Et idcirco meritò agere dicitur de immobilibus, non de mobilibus; cùm de ijs non agat niſi in communi; vt ſeruet nomen Sapientis; quod ſibi ex eo competit, quia loquitur de primo rerum genere, ideſt, de ſeparatis; quorum cognitio, Sapientiæ nomen & rationem habeat oportet; cùm ſint prima rerum omnium principia: vt conſtat. Et diſputatio in genere de rebus non dat ei nomen; quia oportet vt conſiderentur ſpecies & partes illius, quod primò & per ſe conſideratur. Vnde cum non agat primus Philoſophus de mobili ſubſtantia in particulari ſecundùm ſuas ſpecies, non ab ea ſumit nomen, vt à ſubiecto circa quod verſatur.

Et ponamus gratia doctrinæ ita eſſe, vt nonnulli antiquorum crediderunt, quòd ſcilicet prima rerum principia non ſint ſeparata, ſed materialia, vt quicquid ſit, materiale ſit. Iam ſcientia quæ ageret de primis rerum principijs, non diceretur agere de immobilibus & ſeparatis, propter hoc quòd eadem ageret de communibus & vniuerſalibus prædicatis. Ponamus enim eadem tunc fore prædicata communia; licèt non ſint ſecundùm rem: nam niſi materialibus conuenirent. Sicut etiam Sol, licèt non niſi de uno indiuiduo prædicetur, necnon & Luna, habent nihilominus communia ſpecierum prædicata. Nec poteſt dici, quòd eſſet quædam ſcientia quæ ageret de communibus, diuerſa ab ea quæ ageret de primis rerum principijs. Tum quia Ariſtoteles.6. Sapientiæ.3., &.11. cap.6. ſecus ſentit. Vbi vult, quòd ſcientia Naturalis eſſet prima & uniuerſalis, quia ageret de primis rerum principijs, & de omnibus communibus prædicatis, & axiomatibus, actu, potentia, contrarijs, eodem, diuerſo, & omnino de quibus nunc agit prima philoſophia. Similiter etiam.4. Sapientiæ, ad.7. contex., clariſsimè teſtatus eſt, eos laudans antiquos, qui, licèt errarent, credentes

ni hil

nihil eſſe niſi materiale & mobile; ſic tamen credentes benè egiſſe, cùm de tota natura ſe diſputare credentes, de communibus etiam pertractarunt.

Tum quia ſcientia aliquod reale genus debet habere, circa quod verſatur, & eo ſit ab alijs realiter diſtincta; non autem penès vniuerſalitatem, more Platonis. Ex his igitur patet, cur prima philoſophia de immobilibus vt ſibi adæquatis agere dicatur, ſimulq́. tamen agat de communibus, & etiam de quibuſdam, quæ ſunt mobilibus communia tantùm. Ex quibus etiam facile eſt ad ſubortam reſpondere quæſtionem, an ſcilicet de ijs agat, vt ijs quæ ſunt ſui iuris. Nam ſi de vtriq. rerum generi communibus verba faciamus, ſuo iure eodem quo eſt vniuerſalis, de illis quoque agit; quatenus ſcilicet ex hoc quòd eſt prima, ſequitur vt ſit vniuerſalis, & propterea de communibus agat vtrique ſubſtantiarum generi. Sin autem de ijs velimus habere ſermonem, quæ non niſi mobilibus vniuerſaliter conueniunt, conſtat quòd ſuum ius eſt de ijs agere; quatenus cùm Sapientia ſit, dirigere, præcipere, atque ordinare debet, & præſertim Naturalem ſcientiam. Vt omittam quòd ſecus non poteſt proprium cognoſcere genus, videlicet ſeparatorum, nec entium differentias, primarumq́. ſubſtantiarum. Vnde patet deceptio Mirandulani; qui de euerſione ſingularis certaminis lib. 17., ſectio. 2. & 3., aſtruebat motum eſſe iuris ſimpliciter Metaphyſici; ſed ex his poterunt intelligentes, eius facilè rationes tollere. Itemq́. patet error eiuſdem ibidem, lib. 34., ſectio. 9.; & Zimaræ, theoremate. 111. Quibus in locis diſputant (at vanè quidem ſatis) illam Ariſtotelis propoſitionem: Si non eſſent ſubſtantiæ ſeparatæ, phyſica eſſet prima philoſophia.

Cæterum adhuc eſt difficultas, quomodo ſcilicet non erit perſcrutatio de ijs ſuperuacanea, cùm eadem videantur omnino pertractari in phyſicis; vt patet de motu, tempore, materia, & principijs ſubſtantiæ mobilis; cui eſt annexa quæſtio, an ſit tamen aliqua differentia. *Dubitat.*

Pro huius quæſtionis diſſolutione diceret Dominus Epiſcopus Caſertanus, ex eius lib. 15. per totum, & ex lib. 19. ſectio. 12. necnon ex lib. 20. ſectio. 7., quòd illa quæ tractantur in libris phyſicorum ita ſunt primi philoſophi, quòd nullo pacto ad Naturalem pertinent. Vnde vult quæ traduntur in octo libris phyſicorum eſſe primi philoſophi, ibi tamen poſita, ob doctrinæ commoditatem, & vt ſcientia habeat vnitatem ſuam ab vno ſubiecto, quod eſt ſubſtantia mobilis. Quæ; inquit; vniuerſaliter ſic accepta, ſpectat ad primum Philoſophum, non ad Naturalem, quia agit ſolùm de eius ſpeciebus; vt de cœlo, elementis, miſtis, & cæteris alijs, quæ ſunt corpora naturalia in particulari accepta, ſub illo vno communi genere, quod eſt ſubſtantia mobilis, in qua vniuntur. Et propterea ſic ſcientia phyſica ſit vna, mutuo accepto à primo philoſopho genere illo corporum naturalium. Inde facilè videtur reſpondere vir iſte, quòd non eſt ſuperuacanea, quia non ad vtranque ſcientiam, ſed ad primam philoſophiam tantùm pertinet ea diſputatio. In vtraque tamen ſcientia ponitur eadem tractatio, ob antedictam commoditatem. Quare non eſt abſurdum; *Solutio Caſertani.*

eſſet autem abſurdum, ſi iuxta rerum naturam & ſcientiarum, eadem res ſpectaret ad duas ſcientias.

Contra Caſertanum. Sed re vera accommodatio iſta multùm affert incommodi; Ariſtoteli nanque minimè conſentit, qui naturali ſcientiæ vbique tribuit ſubſtantiam mobilem, non vt mutuo acceptam à prima philoſophia; ſed vt contra eius ſubiectum diſtinctam, & ab ea diſſentientem; veluti conſtat in 12. Meta. Contex.6., &.6. Meta. tex.3., &.11. Meta. cap.6. Nec rerum natura atque ſcientiarum patitur, vt mutuo accipiantur ſubiecta circa quæ verſentur, & à quibus ſuam habent vnitatem, paritérq; diſtinguuntur; ſicuti & de habitibus vniuerſaliter, & de potentijs ſatis conſtare poteſt.

Solutio propria. Hanceandem ſententiam & doctrinam reijciunt Fonſeca in.2. Meta. q.5., ſectio.2. &.3.; & Pererius lib.2., cap.7. Illam igitur tanquam voluntariam omittendo, dicamus, quòd non magis eſt abſurdum hoc, quòd ſcilicet quædam vniuerſaliter tradantur de rebus naturalibus in phyſicis, de quibus tamen etiam tractatur in prima philoſophia; quàm quòd quædam nouerit ſapiens & architectus, quæ tamen etiam nota ſint artifici inferiori, & illi ſubiecto, vt à quo dirigatur.

Dubitas. Et ſi arguatur ex Caſertano lib.18. ſectio.2., quòd aliqua debet eſſe differentia, vel penès materiam, vel penès formam; quorum neutrum ibi eſt, quia eadem omnino materia eſt de qua agitur; vt de materia prima, vel ſecunda; eadem forma, quia idem finis; quia vterque philoſophus de ijs agit propter ſcire, & non alter tantum.

Solutio. Reſpondetur, quòd differentia ea ſatis eſt, quæ ex diuerſa oritur occaſione tractandi; quia phyſicus vt de re ſibi ſubiecta per ſe primò; primus autem philoſophus de re non primò ſibi ſubiecta, ſed per quandam ſequelam; vt dictum eſt prius.

Item, phyſicus vt proprius & particularis artifex, primus autem Philoſophus, vt ſapiens & ſuperior. Vnde fit etiam, vt modus tractandi ſit aliqualiter diuerſus. Quia phyſicus de illis vt ſibi adæquatis, & præcipuè, non vt ad alia accommodari poſſunt; primus autem Philoſophus, vt de re à ſua communitate atque præſtantia declinante, & vt per quandam vniuerſalitatem videntur ad plura accommodari poſſe. Vnde vel vniuerſalius ſecundùm rem, vel ſecundùm quandam facultatem. Veluti conſtat de quatuor generibus cauſarum, ſic agit primus Philoſophus, vt licèt re vera non inueniantur ſimul niſi in naturalibus; non enim in mathematicis, aut metaphyſicis; ſic tamen de eis agit, quaſi non magis ad naturalia, quàm ad quæcunque reſpiciens, aut etiam ad omnia; ſicut maximè patet in primo &.2. Meta.

Et in.12. ſic agit de rerum naturalium principijs, vt etiam quærat, an ſint omnium generum eadem principia; ideo, Auerroes hoc ſæpe monebat. Vnde licèt videantur eſſe eadem omnino verba, tamen & ſcientiæ vniuerſalioris, & præſtantioris tractatus ſunt, etiam aliter. Vt omittam quòd quædam breuius in prima philoſophia, quaſique in curſu tanguntur; vt patet in.4. libro, atque.12.; quia non niſi vt ad ſeparato-

rum co-

rum cognitionem faciunt, vel ad diſtinctionem ſcientiarum, & ſubiectorum ſuorum.

Eſt igitur aliqua differentia ſemper; & licet nulla alia eſſet, ea ſatis eſt, qua differt notitia quam habet ſapiens de eadem re, quam nouit alius artifex. Ille enim & per cauſas ſuperiores, & vniuerſalius, & certius &c.; vt ex rationibus ſapientis in primo Meta. ſatis conſtat. Patet igitur quo modo primus Philoſophus de materia, de motu, deq. ſubſtantia mobili agere poſsit, de quibus per ſe agit Naturalis vt ſibi ſubiectis; non autem primus Philoſophus, niſi ratione prædicta. Et ita ſcientiarum diuiſio in Metaphyſicam, Naturalem, & Mathematicam, iuxta in eis conſiderata, & earum propria, formaliaq. ſubiecta, ſuperſtes & inuicta manet.

An diuiſio ſcientiarum ſit diuiſio generis in ſpecies, an totius in partes, ſeu potius ſubiecti in accidentia. Cap. 22.

SOlent recētiores philoſophantes, circa eam quam præmiſimus ſcientiarum diuiſionem dubitare, num quid ſit diuiſio generis in ſpecies, an totius in partes, ſeu potius ſubiecti in accidentia; & diuerſi diuerſa loquuntur. Nos autem laconicè dicamus primò, illam non eſſe diuiſionem ſubiecti in accidentia; quoniam ſubiectum non prædicatur de accidente niſi per accidens. Scientia autem de iſtis rectè prædicatur. Quandoquidem ſi dico: Album eſt homo; non eſt bona prædicatio, niſi per accidens; quia accidit homini eſſe album. At ſi dico: Metaphyſica eſt ſcientia; bona eſt & per ſe prædicatio. Non igitur eſt diuiſio ſubiecti in accidentia.

Nec eſt diuiſio totius in partes; quia totum de eius parte minimè prędicatur; veluti de illis tribus prædicatur ſcientia. Nec valet inſtantia de partibus homogeneis, quæ totius retinent nomenclaturam; quoniam illæ partes inter ſeſe minimè eſſentialiter differunt; quemadmodum iſtæ tres ſcientiæ, vt conſtat.

Reliquum igitur eſt, vt ſit diuiſio generis in ſpecies. Tum quia ſcientia de eis prædicatur vniuocè; veluti infra loco proprio oſtendemus. Tum quia dicit naturam, principia, & proprietates diſtinctas, à natura, principijs, & proprietatibus illarum trium ſpecierum. Scientia nanque eſt habitus concluſionum per demonſtrationem acquiſitus. Quemadmodum & animal eſt ſubſtantia animata ſenſibilis. Sicut ergo animal dicit naturam quandam, principia, & proprietates, diſtinctas à natura, principijs, & proprietatibus Hominis, Aſini, & Leonis; ita etiam ſcientia, reſpectu illarum trium; quæ habent naturam, principia, proprietates, media, & demonſtrationes inter ſe diuerſas; veluti ſupra oſtendimus, & infra patebit. Interim ad alia orationem conuertamus oportet.

Quomodo Mathematicus à ſubſtantia quantitatem abſtrahere poſſit, & inde tertiam conſtituere ſcientiam. Cap. 13.

Doctrina eſt Ariſto. in 4. Sapientiæ, ad 4. contex., quòd ſubſtantia eſt prior naturâ, tempore, & definitione ipſo accidente. Quo ſtante, qui fieri poſsit, vt Mathematicus à ſubſtantia quantitatem abſtrahere valeat, cùm ſit illa poſterior, & ab ea dependens, ſunt qui reuocant in dubium.

Opinio Pererij. Propterea Benedictus Pererius, libro primo, cap. 6. itemq. lib. 10. cap. 17. dubitationis nodum ſoluere cupiens, quantitatem bifariam conſiderabat. Vno quidem modo quatenus ens eſt reale, & accidens, ſeu euentum materiæ primæ; (quam vult ei eſſe coæuam, & ante omnes formas ſubſtantiales inhærentem) & ita dicit, materiam priorem eſſe naturâ ipſa quantitate: & idcirco quantitatem in hoc ſenſu, non poſſe ab ipſa materia ſeparari. Poſſe tamen ſeparari ab ipſa forma & compoſito, quia eſt eis tempore prior. Secundò illam conſiderabat, quod ad eius attinet proprietates, quæ illi non ratione ſubſtantiæ; at prout quantitas eſt, competunt ſemper. Quemadmodum eſſe æquale, vel inæquale, commenſurabile, incommenſurabile, & huius generis alia; quæ non ratione ſubſtantiæ, at ea ratione qua eſt quantitas, ei conueniunt. Et in hoc ſenſu, inquit; Mathematicus abſtrahit quantitatem ab omni ſubſtantia. Quia eius theorias & diſputationes vſque ad quantitatem reſoluit, nulla ad ſubſtantiam habita ratione. Vnde ex hac doctrina licet hæc præcipuè colligere. Primum, quòd quantitas eſt coæua materiæ, & ei ante omnes formas ſubſtantiales inhærens; ex conſequenti materia eſt ipſa quantitate duntaxat naturâ prior. Secundum à primo dependens eſt, quòd quantitas ab ipſa materia, neque ſecundùm rationem, haudquaquam abſtrahi poteſt. Tertium eſt, quòd quantitas ratione ſuarum paſsionum, quæ de ea à Mathematico demonſtrantur, ab omni ſubſtantia ratione ſeparari poteſt.

Contra Pere. Cæterùm huiuſmodi doctrina mihi minimè probatur. Etenim vis dubitationis in eo conſiſtit, quòd ſubſtantia eſt ipſa quantitate naturâ prior, & hæc ab illa dependet. Quantitas igitur nec ratione poteſt ſeparari ab ipſa ſubſtantia; & ita Mathematica perire videtur, quoniam poſterius non poteſt à ſuo priori ſeiungi; præſertim ab eo à quo per ſe dependet. Author autem, ſub illa quam præmiſimus diſtinctione, ratiocinium & conſequutionem admittit. Quod nempe, ſi quantitas conſideretur quatenus eſt accidens & euentum materiæ, ensq. reale; eatenus à materia nec ratione ſeparari poteſt; & ita conſequutio habet locum. Non autem ſi conſideretur reſpectu ſuarum paſsionum. At nedum falſa, verùm etiam pugnantia claudit huiuſmodi reſponſio. Quandoquidem ſubiectum eſt ipſa paſsione naturâ prius; authore Ariſtotele in poſtprædicamentis, cap. de priori; nihilotamenſecius poteſt paſsio ſine ſubiecto intelligi. Quoniam illa quæ realiter differunt, & vnum non eſt de intrinſeca ratione

tione alterius, ita ſe habent, quòd vnum poteſt intelligi ſine alio. Ab omnibus recepta eſt huiuſmodi propoſitio. Quod autem ſubiectum & eius propria paſsio, vnà cum omnibus accidentibus reſpectu ſubiecti in quo recipiuntur ita ſe habeant, neminem ex candidè philoſophantibus ambigere crediderim. Reliquum igitur eſt, vt paſsio ſine proprio ſubiecto intelligi poſsit. Et cur non tantò magis quantitas ſine materia, etiam in primo ſenſu conſiderata?

Cauſa, inſuper, eſt naturâ prior ipſo effectu, prout teſtis eſt Ariſtoteles in poſtprædicamentis, cap. de priori. Effectus tamen ſine cauſa intelligi poteſt; vt liquidò conſtat. Quantitas igitur in primo ſenſu accepta, poteſt & ipſa intelligi ſine materia; intelligi, inquam, quod ad primam attinet operationem intellectus. .2.

Quantitas etiam eſt naturâ prior qualitatibus ſenſibilibus; nihilotameſecius iſtæ intelliguntur, illa non intellecta; ſecus duò hæc prædicamenta non poſſent intelligi ſeorſum. Ergo & quantitas ſine materia. Et illud apud omnes verè peripateticos perſpicuum eſt & clarum, quòd ſubſtantia & accidens poſſunt ſeorſum intelligi, atque conſiderari, quocunque modo ſumantur. Falſa igitur eſt opinio & ſententia Pererij. .3.

Quòd verò duo claudat in ſe pugnantia, non eſt difficile oſtendere. Nam vir iſte primò conſiderat quantitatem coæuam materiæ, ex conſequenti illa naturâ poſteriorem. Secundò illam conſiderat reſpectu ſuarum paſsionum, quas de ea Mathematicus demonſtrat. In primo ſenſu, inquit, minimè ſeparari poteſt; idq. ratione poſterioritatis. In ſecundo autem ſenſu poteſt intelligi ſeparatim; quia nullum habet ordinem ad ſubſtantiam. Quibus habitis, percunctor ego: nunquid quantitas in ſecundo ſenſu accepta, ſit ipſa materia naturâ poſterior, vel non. Secundo admiſſo, non eſt ei coæua: cuius tamen oppoſitum ipſe aſſerit. Si autem detur primum, tunc nullo pacto ſeparari poteſt; & ita erit intellectu & ratione ſeparabilis & non ſeparabilis à materia, reſpectu eiuſdem poſterioritatis: quæ ſunt duo adinuicem pugnantia.

Quapropter præfati ratiocinij conſequutionem interimendo, dicimus eius probationem veram eſſe, quando prius eſt de intrinſeca ratione & quidditate ipſius poſterioris. Aliàs ſecus. Quamobrem illud in cauſa deceptionis fuiſſe crediderim, quod dicit Ariſto. in 5. Sapientiæ, cap. de priori: nempe quòd priora ſecundùm naturam ſunt, quæcunque poſſunt eſſe ſine alijs, & alia non ſine ipſis. Quod tamen minus intelligendum venit de ſeparatione in effectu, at ſecundùm intellectum tantùm & rationem; quemadmodum peroptimè deducit Marcusantonius Zimara, theore.7. Motus enim tempore eſt naturâ prior, nec ob id ſine tempore eſſe poteſt. Et ex eo Ariſtotelis dicto, ſequitur aliud; nimirum quòd nullum poſterius poteſt abſtrahi à ſuo priori. Quod ſi abſtrahi non poteſt, nec ſine eo perſiſtere. Quoniam quicquid in effectu ſeparatur ſecundùm eſſe, etiam ſecundùm rationem: at non contra recurrit oratio; magno atteſtante Auerroe. 2. auſcultatorio lib., comm. 19. *Solutio propria.*

Quod igitur ratione minimè ſeiungitur, nequidem etiam ſecundùm

eſſe &

eſſe & in effectu; per locum à maiori. Quo fit, vt nullum natura poſterius, ſine ſuo priori ratione & intelligentia percipi queat; dummodo poſterius in ſui quidditate, intrinſecaue ratione, illud claudat prius: veluti idem Zimara theore. 8. perdocte probat. Optime igitur fuit à nobis ex Ariſto. ſcientia diuiſa in Metaphyſicam, Naturalem, & Mathematicam, tanquam genus in ſpecies. At verò quòd inſuper dubitationem atque ſcrupulum inijcere videtur, illud eſt, quòd quemadmodum Metaphyſicus de mobilibus, ita Naturalis de immobilibus agere videtur; vnde mox oritur quæſtio, an iſtæ ſint duæ ſcientiæ reapſe diſtinctæ, vel potius adinuicem confuſæ: ex quo doctrina Mirandulani aliqua ex parte redire videtur. Futurum igitur eſt, vt de his cogitate agamus.

Naturalis Philoſophus quomodo agat de ſubſtantia immobili. Cap. 24.

ILLIS enarratis, quæ ratione mobilium ad Metaphyſicam attinent, huiuſq; generis cæteris, ſupereſt modò diſcutere atque peruestigare modum, quo Naturalis Philoſophus de ſubſtantia agat immobili; veluti Ariſtoteles in. 8. libro de phyſica auditione. Pro cuius quidem notitia, illud animaduertendum venit, quòd de illa non agit Philoſophus naturalis, niſi vt de motus æternitate quæſtionem ſoluat. Oſtendit enim motum circularem ſolum poſſe æternum eſſe, cauſamq; reddit æternitatis, tum ex ſubiecto mobili, quod eſt circulare, nec habet terminum, atqui vbi deſinit, ibi quoque incipit: vt idem ſit principium, qui finis. Tum ex mouente quod ſemper mouet, cùm ſemper eodem modo ſe habeat, & nunquam mutari poſſit, ſeparatum à magnitudine. Non igitur de eo agit, vt de re ſibi ſubiecta, nequidem ſimpliciter & abſolutè; vt omnia tradat quæ ad eius cognitionem ſpectant; ſed quantum ſatis eſt ad ſolutionem illius quæſtionis de motus æternitate. At in Metaphyſica, & quòd ſit, & quot, & qualis, & ſoluit omnes penitus quæſtiones, vt de re ſcibili propria, atque ſibi ſubiecta. Idcirco non eſt ita ſimpliciter dicendum & aſſeuerandum, quòd phyſicus de ſeparatis agat, ſimul atque immobilibus; cùm id munus ſit primi philoſophi. Quemadmodum & Ariſtoteles. 2. auſcultatorio libro, ad. 71. contex., diſtinguens principia & cauſas, dixit quòd eſt quoddam phyſicum & naturale, quod ſcilicet mouet, pariterq; mouetur: idq; dixit eſſe naturalis conſiderationis. Quod autem ita mouet vt immobile ſit, negat phyſicæ eſſe ſpeculationis. Quæcunque, inquit, mota mouent, phyſicæ ſunt conſiderationis.

Et primo de ortu & interitu, contex. 14. cùm diſputandum proponit, cur perpetua ſit generatio atque corruptio, & duplicem cauſam eſſe dicit, efficientem ſcilicet, quam uocat vnde principium motus, & materialem: de materia quidem dicendum ait, de efficiente autem inquit dictum fuiſſe in lib. de motu; nempe in. 8. auſcultatorio libro. Vbi dicit, duplex principium fuiſſe demonſtratum; vnum quod mouet & mouetur, alterum

quod

quod mouet & non mouetur, ſed per omne tempus immobile manet. Et ſubdit, quòd de hoc immobili mouente diuidere, alterius ſcientiæ eſt; primæ videlicet philoſophiæ, & propterea non amplius à Naturali de eo diſputandum, at de altero ſolummodo; quod nempe ita mouet, vt moueatur.

Vbi ſignificauit, quòd de principio illo immobili ita eſt in phyſicorum libro.8.locutus, vt non de illo quæ ad primum attinent philoſophum diſputauerit, at illa duntaxat, quæ ad quæſtionem illam phyſicam erant neceſſaria. Quæ quidem diſceptatio ea non eſt, quæ ad primum attinet philoſophum; quam ſcilicet inſinuauit Ariſt. dicens, primæ philoſophiæ opus eſſe, de eo principio immobili diuidere. Quod verbum eſt omnino notandum; non enim quamuis ſignificat diſputationem, ſed exactam, plenam, atque perfectam; vt tradantur eius de quo habetur diſputatio differentiæ, definitiones, diſcrimina, & omnino ſoluantur omnes de illo quæſtiones, vt de re per ſe, & ex propoſito in ea ſcientia pertractanda. De primo igitur motore agit Naturalis, vt de principio tantùm motus; Metaphyſicus verò vt de ſubiecto; quemadmodum Naturalis etiam materiam conſiderat & formam, vt principia ſunt entis mobilis, & motus & quietis; Metaphyſicus autem quatenus eſſentiam & naturam conſtituunt ſubſtantiæ caducæ. Et propterea diſputatio illa quam de primo motore in.8.phy. habet Ariſto., non eſt Metaphyſica; vt perperam ſunt quidam arbitrati.

Et ſi dicatur quòd ea diſputatio non eſt alia, niſi quia non ita eſt plena & completa, vt quæ habetur in prima philoſophia, ſed eſt pars quædam eius, & propterea fieri non poſſe, vt non ſit metaphyſica, ſeu ad primam pertineat philoſophiam. *Reſpon.*

Non eſt difficile videre huiuſce dicti imbecillitatem; propterea quòd ea pars diſputationis erat etiam in prima philoſophia pertractanda, vbi futura erat plena & completa de principio immobili diſputatio. Sed non propterea fit, quin vt facit ad ſoluendam quæſtionem de æternitate motus, non ſit naturalis; neque fit ut propterea cogamur dicere, ſimulq; aſtricti ad aſſeuerandum, libros de phyſica auſcultatione, ad primam pertinere philoſophiam, quia tractent quæ ſint primi philoſophi, vtpotè de immobilibus; quoniam non quæuis diſputatio & notitia, etiam minima, vel quacunque occaſione tradita, ſpectat ad primum Philoſophum; vt ſatis conſtat ex dictis. Nec eſt abſurdum, de eadem re tractari in duabus ſcientijs ſic ſe habentibus, vt hæ duæ inter ſeſe habent; quarum vna eſt ſapientia; & præterea ſunt maximè propinquæ, ita vt magno negotio ſeparentur. Et præſertim non eſt abſurdum; cùm alia occaſione hinc & inde. *Confuta.*

Item aliter in vna, ut de re propria & ſibi ſubiecta, altera gratia alicuius quæſtionis ſoluendæ; quæ; vt conſtat; naturalis eſt, & à Naturali ſoluenda. Et idcirco hac vnica ratione, tantùm illius cauſæ notitiæ vnde ſolutio pendet, ad ſuum ius trahit, quantum ſatis eſt ad dictæ quæſtionis ſolutionem; vt non opus ſit de ea natura per ſe diſputare, & perfectè tra-

fectè tractare, vt de re propria, & per ſe in illa ſcientia ſubiecta, ſed in alia quæ eſt propria, & cuius eſt agere, & per ſe de ea tractare.

Nec illud eſt ſilentio prætereundum, quod innuit Ariſto.6. Sapientiæ, particula prima: quo loci cùm probaſſet ſcientiam naturalem inter ſpeculatiuas atque theoricas eſſe connumerandam, eamq. dixiſſet verſari circa ſubſtantiam in qua eſt principium motus, ſeu circa ens quod moueri poteſt, (quod idem ſonat) ſubiecit quòd verſatur circa ſubſtantiam ſolùm, quæ non eſt ſeparabilis à materia ſecundùm rationem; vt plurimum. Quod verbum expoſuit D.Thom., vt reſpexerit intellectum, ſeu animam intellectiuam; licèt Alexander aliter exponat. Sed nos illud poſſumus inde accipere, quòd non quæuis diſceptatio de ſeparatis eſt aliena à Naturali; vt ſi qua ſit in ſcientia phyſica, mox ſit dicendum eam partem non eſſe phyſicam, ſed alterius ſcientiæ; primæ videlicet philoſophiæ. Quare optimè conſtat, quo modo & Meta. agat de ſubſtantia mobili, & Naturalis de ſubſtantia penitus immobili.

Ille ſiquidem per quandam ſequelam & ſecundariò, & vt Sapiens; Iſte autem vt terminet quæſtionem de æternitate motus.

Quod vt clarius euadat, altius exordiendo, illud notandum propono; nimirum quòd nulla eſt propter quid vera, exacta, completa, atque perfecta demonſtratio, niſi exactè, completè, & perfectè demonſtrabilis effectus cauſa dignoſcatur. Perfectè inquam; & completè, non ſimpliciter & abſolutè, ſed quantum ſatis eſt ad illum effectum demonſtrandum. Doctrina eſt Ariſto. in primo dè poſte. reſolutio.; ſed & rei euidentia probationem excludit. Modò autem, ſcopus Ariſtotelis in.8. auſcultatorio libro, (in eo ſiquidem agit de re penitus immobili) non fuit cognoſcere primum motorem; veluti nonnulli comminiſcuntur; ſed perfectè per ſuam cauſam, motum cognoſcere æternum; veluti ex initio eiuſdem libri octaui, & epilogo ſub.77. contex. comprehenſo, procliuius dignoſcere poſſumus. Ea ſiquidem de quibus acturus eſt ita proponit; Vtrum autem factus eſt aliquando motus, cùm non eſſet prius, & corrumpitur rurſus; adeo vt moueatur nihil; an neque factus eſt, neque corrumpitur, ſed ſemper erat, & ſemper erit? Et hoc immortale, & ſine quiete ijs ineſt quæ ſunt, veluti vita quædam quæ ineſt naturà ſubſiſtentibus omnibus? Hactenus Ariſtoteles. Cuius verba exponens Simplicius, Peripateticorum acutiſsimus, inquit: At perſpicuum eſt, quòd non quærit de aliquo eorum motuum qui ſub luna fiunt; quippe horum vnuſquiſque & initium, & finem habeat. Item non quærit an vnus & idem motus continuus ſit ſempiternus; quod quidem inueniet poſterius. Sed omnino de motu quærit, num erat aliquod tempus, quando non erat qualiſcunque motus, neque aliquid eorum quæ ſunt mouebatur, aut erit aliquod tempus quando nihil mouebitur, an hæc fieri non poſſe videntur, quandoquidem erat; ac ſemper erit motus, vt hoc, ideſt, motus immortalis, & nunquam deficiens, competat his quæ ſunt. Ita Simplicius. Qui noſtro peroptimè fauet inſtituto. Sed Ariſtotelis epilogum audiamus, ita ſe habentem: Quòd igitur ſemper & motus erat, & erit omni tem-

pore, & quodnam ſit principium perpetui motus, ad hæc autem quis motus primus, & quem motum perpetuum contingit ſolum eſſe, & quod primum mouens immobile ſit, dictum eſt. Hæc ille. Quibus colligit, ſe de ijs egiſſe, quæ ad initium propoſuerat; motum ſcilicet oſtendiſſe æternum, & quis ille ſit, & quæ ſit cauſa perpetui motus, & eam eſſe motorem immobilem. Eius igitur ſcopus erat, motum per ſuam cauſam perfectè cognoſcere æternum.

Quod vt ſibi innoteſceret, principio libri oſtendit, quòd motus æternus eſt ingenitus, & expers interitus; & ob id neque incępit aliquando, neque finem accipiet. Idq; probauit primò omnium conſenſu, qui de rebus naturalibus diſputauerunt; recuſans Anaxagoram, & Empedoclem; qui ſoli uiſi ſunt negare motum æternum. Secundo ex definitione motus oſtendit, non poſſe primum motum, nec vltimum accipi; ſed primo ſemper eſt prior, & poſtremo poſterior; quo fit vt ſemper ſit motus. Alijs deinde vtitur rationibus, ad idem comprobandum, donec & vſque quo ad contextum perueniat 44.; vbi concludit quòd primum mouens eſt immobile; & in contextu 49., iterum concludit, primum mouens eſſe vnum, ſimul atque æternum. Verùm adhuc non eſt perfecta demonſtratio, ſed quòd tantùm; quæ in nobis confuſam quandam primi ęterni motoris cognitionem parit; nempe quia eſt. Nondum enim nouimus conditiones, per quas vim habet perpetuò mouendi; quibus ignoratis, non habemus niſi confusè, quòd primus motor ſit cauſa æterni motus. Quare nondum perfectè cognoſcimus motum æternum per ſuam cauſam. Quocirca Ariſtoteles vlterius progrediendo, in 52. contextu, huiuſmodi conditiones perbelle declarat, dum oſtendit, primum motorem qui eſt cauſa æterni motus, debere eſſe penitus immobilem, tum per ſe, tum ex accidenti. Et contex. 53. concludit, ex motore æterno penitus immobili, primum motum æternum; demonſtratione propter quid. Quod autem in quæſtione concluditur, illud eſt quod quærebatur. Ariſtoteles igitur, cùm ex motore æterno penitus immobili, motum conuincat æternum; reliquum eſt, vt eius principale intentum in illo 8. libro, ſit peruestigare motus æternitatem, eiusq; perfectam habere notitiam. Quæ cùm non niſi ex cauſa perfectè cognita (modo prædicto) conſequi poſſit; coactus fuit Ariſtoteles de primo motore ſermonem habere. Et ita non abſolutè, veluti Metaphyſicus, at quantùm ſufficit pro diſſolutione illius quæſtionis.

Confirmatur doctrina ex ordine Ariſtotelis; qui quidem, facto epilogo; & eo concluſo quod ad initium libri propoſuerat; res ipſa poſtulabat, atque tempus exigebat, vt iam operi finem imponeret. Nihilotamen ſecius adhuc procedit vlterius, alias conditiones inducens, per quas primus motor eſt aptus mouere perpetuò; & hoc in vltimo cap. eiuſdem octaui libri, quod poſt epilogum habetur. Sed cur id non fecit Ariſtoteles in contex. 52., vbi aliam conditionem induxit? Vel cur non ſaltem ante epilogum? Vel igitur videtur ordinem peruertiſſe, vel noſtrum ſequitur intentum. Ordinem certè non peruertit Ariſtoteles; at quoniam optimè nouerat conditionem ob quam primus motor eſt aptus perpetuò mo-

uere,

uere, non ſatis fuiſſe exaratam, pariterq́. expreſſam, aſt ſolummodo in contextu. 52. leuiter tactam, veluti phyſicos limites excedentem, ne miſceret (vt ita dicam) ſacra prophanis, præter naturale conſilium, & quaſi extra phyſicam tractationem, illud ultimum cap. conſultò deſcripſit. Præcipua nanque & principalis conditio, qua primus motor aptus redditur ad perpetuò mouendum, illa eſt, vt ſit omnino expers materiæ, & ſimpliciſsimus, ut in mouendo non fatigetur, & inde perpetuò moueat. Hoc autem attributum, ſeu; ut dicunt noſtri; prædicatum, demonſtrare de primò motore, non eſt propriè munus Naturalis philoſophi, cùm non ſit ſui iuris, ſed Metaphyſici; quemadmodum dictum eſt. Idcirco Ariſtoteles in particula. 52. octaui libri phyſicorum, illud ſatis leuiter tetigit, & ſimpliciter innuit, dicens: Ex quibus credere licet quòd, ſi quid eſt immobilium quidem, mouentium autem, & ipſorum quæ mouentur ſecundùm accidens, impoſsibile eſt continuo motu mouere. Quare ſi neceſſe eſt quidem continuè eſſe motum, eſſe quid oportet primum mouens immobile, & non ſecundùm accidens. Ecce quod illud attributum, ſeu conditionem, ad motus æternitatem, in primo mouente requiſitam, vix attigit, & innuit, dicens, credibile eſſe, quod primus motor æternus, cùm ſemper & perpetuò moueat, non ſit ullo pacto mobilis, neque per ſe, neque ex accidenti. Ad hoc autem quòd eſt penitus immobilis, ſequitur neceſſariò, ꝙ ſit omnino expers materiæ; quoniam quod eſt materiæ coniunctum, ſaltem ad motum illius ex accidenti mouetur. Sed id eo loci non manifeſtauit Ariſtoteles, ratione quam diximus; quia ſcilicet rationes ad id comprobandum, limites naturales excedebant. Sed quid? Erat ne tam graue, ſeriumq́. negotium ſub illa imperfectione relinquendum? Minimè quidem. Propterea Philoſophus qui in ſuperioribus plenè non ſibi ſatisfecerat, decreuit in calce illius libri, & quaſi extra limites naturales habitum induens metaphyſicum, tractatum illum reddere pleniorem; apertè docendo primum motorem eſſe omnino impartibilem, & penitus à materia ſeparatum. Id quod tanto non feciſſet artificio, ſi ſcopus fuiſſet primum inuenire motorem; ut falsò arbitrantur nonnulli; minusq́. ſi libri phyſicorum eſſent metaphyſici, & Naturalis philoſophia exordium ſumeret à libris de cœlo; ueluti perperam & temerè cenſebat Mirandulanus. Vera eſt igitur concluſio noſtra; quòd ſcilicet Naturalis Philoſophus non agit de ſubſtantia penitus immobili primò & per ſe, nec tanquam de re ſibi ſubiecta; atqui prout ei deſeruit ad diſſoluendam quæſtionem de æternitate motus. Quibus, uerbis & ſenſu fauet doctiſſimus Zabarella.

Sunt nihilominus rationes Mirandulani, quibus probare contendit, libros Phyſicorum eſſe Metaphyſicos, infra adducendæ, & propter iuniores diluendæ.

Dubitatur

Dubitatur contra prædicta ex Mirandulano. Cap. 25.

MIrandulanus noſter, de euerſione ſingularis certaminis, lib. 13. ſectio. 7., vult, quòd per hoc, Metaphyſica ſeiungatur à Naturali, quia illa tractat de ente, de decem rerum generibus, de incorruptibili atque corruptibili ſubſtantia; iſta verò de cœlo, de quatuor elementis, de miſtis, vſque ad ſpecies ſpecialiſsimas, cum ſuis accidentibus. Ex quo ſequitur, quòd ſcientia Naturalis initium capiat à libris de cęlo & elementis; & ex conſequenti quòd libri octo auſcultatorij, non ad Naturalem, ſed ad primam pertineant philoſophiam. Idq; vt comprobet atq; ſuſtineat, inſudat, admodumq; laborat in toto. 15. libro, & ſequentibus. Et licèt eius rationes, ex dictis nullo negotio tollantur, ob iuniores tamen, eas breuibus adducere, necnon & abigere decreui.

Prima itaque ratio ea eſt; quia libri octo auſcultatorij, de ſubſtantia agunt, quatenus ſubſtantia eſt, eiusq; affectionibus; quoniam in eis quæruntur ac traduntur principia & cauſæ ſubſtantiæ, eodem modo quo in primo Sapientię libro; vt conſtat. Sunt igitur metaphyſici, non naturales. Quandoquidem illud eſt munus Metaphyſici. .1.

In vtroque: inſuper; opere eodem modo, ijſdemq; verbis agitur de cauſis; quia eædem ſunt demonſtrationes, eademque verba. Nullum igitur inter vtrunque diſcrimen. .2.

Item: Subſtantias ſeparatas eſſe, ad Metaphyſicum attinet demonſtrare, ex 3. & 12. Sapientiæ. Quòd autē idem fiat in. 8. auſcultatorio libro, nō eſt qui ambigere queat. Quænam igitur inter huiuſmodi libros differentia? .3.

Metaphyſicus; adhuc; de motu agit ut motus eſt; itidemq; in libris auſcultatorijs. Quare non differunt, nec ſunt inter ſeſe diuerſi libri auſcultatorij, & qui metaphyſicales nuncupantur. .4.

Ad hæc: Metaphyſica agit de natura, & etiam libri octo auſcultatorij. Vnde nullum diſcrimen. .5.

Ariſtoteles demum in. 3. libro Metaphyſicæ, cap. 2., proponit quęſtionem, nunquid omnia cauſarum genera, ad eundem pertineant artificem. In. 3. autem cap. diſputat pro vtraque parte; & in. 2. phy., cap. 7. definitur quęſtio. Vnde fit neceſſariò cōſequens, vt nulla ſit inter eos differentia. .6.

Sunt iſtæ rationes huius, quē diximus, viri, in diuerſis eius libris diſperſę; vt prima ſit in lib. 15., ſectio. 3., & ibidē ſecūda. Tertia in lib. 16. ſectio. 3., quarta pcipuè & plixè, lib. 17. ſectio. 2., ibidē & quinta, ſectio. 3. ſexta verò addita eſt ad ampliorē doctrinā. At verò quantū habeāt momēti audiamus.

Præinductæ rationes diluuntur. Cap. 26.

HArum rationum prima, falſum aſſumit ſibi fundamentum; q videlicet, in octo phyſicorū libris, de ſubſtantia agatur, quatenus ſubſtantia eſt. Ibi enim de ſubſtantia agitur generatim; at non vt ſubſtantia, ſed ut habet in ſe principium motus. Et licèt in libris phyſicorum, principia eodem modo tradantur, & cauſæ ſubſtantiæ quæ-

rantur, quo in primo Sapientiæ; ob id tamen non ſequitur, vtrunque opus eſſe metaphyſicum. Quoniam de ſubſtantia mobili vtrobique pertractatur; ſed in libris phyſicorum tanquam de re propria, & ſibi ſubiecta. In Meta. autem per quandam ſequelam, & vt Sapiens; quemadmodum diximus.

Ad.2. Illud item quod in ſecunda conſequitur ratione, nimis à veritate abhorret. Quoniam tametſi eadem ſint omnino verba; aliter tamen, & aliter pertractantur; & ſunt ſcientiæ atque tractatus vniuerſalioris, quàm ſit Naturalis ſcientia. Propterea quia Metaphyſica de cauſis tractat in ſe & abſolutè, non magis ad naturalia, quàm ad alia reſpiciens. Et ſi ad naturalia reſpiceret, non niſi vt ſuperior artifex & ſapiens. Et ijſdem ferè vtitur verbis, quia nondum tranſitum fecerat à naturalibus ad diuina. Id autem in.12. Sapientiæ. Nec eſt mirum quòd ſuperior artifex illud ſciat quod inferior, vt eum dirigat, & cætera quæ diximus operetur. Addo, quòd nullo penè negotio ex cognitione cauſarum quæ cum motu ſunt coniunctæ, cognitio cauſarum in communi colligi poteſt.

Ad.3. Vires quoque deficiunt tertiæ rationis in ordine; quoniam de ſubſtantia immobili non habetur ſermo in.8. libro auſcultatorio, niſi vt quæſtio ſoluatur de æternitate motus; vt diximus. In Metaphyſica autem; tanquam de re ſibi propria atque ſubiecta.

Ad.4. Verum eſt item quòd de motu agitur in phyſicis vt de re propria; in Meta. autem, per quandam ſequelam.

Ad.5. Per idem, quinta diſſoluitur ratio. Quandoquidem de omnibus illis agit Naturalis, tanquam artifex particularis; primus autem Philoſophus, vt ſapiens & ſuperior. Quo fit, vt aliqualiter diuerſus ſit modus agendi. Phyſicus enim de illis agit, vt ſibi adæquatis & particularibus, non quatenus ad alia accommodari poſſunt. Primus autem Philoſophus, vt de re declinante à ſua communitate, & præſtantia, & vt per quandam vniuerſalitatem, ad plura accommodari poſſe videntur; quemadmodum etiam dictum eſt.

Ad.6. Falſum eſt denique illud, quod pro.6. ratione in tertia parte orationis antecedentis aſſumebatur; nimirum quòd illa quæſtio de cauſis terminetur, atque in.2. phyſicorum definiatur. Non enim in.2. illo libro, formaliter & ex intentione, quæſtio illa pertractatur, nunquid ad vnam, eandemque ſcientiam, omnia cauſarum genera, ſupremè & abſolutè conſiderare pertineat; (ita enim venit quæſtio intelligenda) ſed tractatur à primo Philoſopho. A Naturali autem tractatur, nunquid phyſicus per omnia cauſarũ genera demonſtret; & hoc in.2. de phyſico auditu, cap.7. Quare Naturalis nunquã agit de cauſis, niſi quatenus ſunt motui coniunctæ. Ex his itaque conſtat, quàm à veritate deuiauerit Mirandulanus ipſe. Qui etiam alia dicit ad hæc ſequentia, quæ magis abſona videntur; idcirco relinquuntur ſeorſum examinanda.

Quædam recenſentur Mirandulani dicta, ad præmiſſa ſequentia. Cap. 27.

ILlud quod ex præcedentibus, veluti naturali quadam ſequela inferebat Mirandulanus, erat quòd ſcientia Naturalis initium capit à libris de cœlo. Secundum, quòd corpus cœleſte à Naturali vt cauſa particularis; à Metaphyſico verò conſideratur vnà cum eius motu, non vt corpus particulare, neque vt motus corporis particularis; ſed quatenus eſt cauſa ſubſtantiæ vt ſubſtantia, & entis vt eſt ens; quæ ſunt omnibus vniuerſaliora. Tertium, quòd ſi corpus cœleſte & eius motus non eſſent cauſæ vniuerſales; philoſophia Naturalis eſſet prima philoſophia. Primum dicit in libro. 15. memorati voluminis, ſectio. prima, ad initium. Secundum verò & tertium, in. 18. libro, ſectio. 3. circa medium.

Primum probat ex proœmio libri de cœlo. Secundum, quia ſola Metaphyſica conſiderat cauſas vniuerſales, veluti ipſe dicit lib. 19., ſectio. 9., ad initium; idemq. tangit lib. 18. loco proximè citato.

Tertium probat ex hoc, quoniam Naturalis philoſophia tunc primò conſideraret corpus cœleſte; & ex conſequenti primò etiam eius cauſas conſideraret. Hæ autem cùm ſint ſubſtantiæ abſtractæ, Naturalis philoſophia primò abſtracta à materia conſideraret; minimè autem prima philoſophia; quia non eſſent cauſæ ſui ſubiecti, entis nimirum atque ſubſtantiæ; vnde imperfectior eſſet Naturali philoſophia. Et quòd prima philoſophia non conſideraret abſtracta, probat; quia ſicut non conſiderat formas particulares aliorum corporum particularium, ita non contemplaretur abſtracta, quia eſſent particulares formæ. Nunc autem agit de ijs in particulari, & non de alijs, quia ſunt cauſæ vniuerſales entis atque ſubſtantiæ; quod de alijs rebus particularibus non eſt aſſeuerandum. Non enim ſunt cauſæ vniuerſales entis &. ſubſtantiæ; veluti cœlum & ſeparata. Hæc eſt huius viri breuibus collecta ſententia. Cuius quidem partes veniunt ſeriatim explodendæ.

An philoſophia Naturalis incipiat à libris de Cœlo. Cap. 28.

PRimum itaque Mirandulani dictum in hunc modum agitandum venit; quia inquit ipſe, quòd Naturalis philoſophia non agit de corpore mobili niſi præcipuè & ſpeciatim; ſeu, vt ipſe dicit, in particulari; prima verò philoſophia in vniuerſali; & propterea. 8. libri auſcultatorij ſunt metaphyſici, à Naturali autem mutuò accepti, vt eius ſcientia inde traheret ſubiectum, & per conſequias vnitatem. Omnes ſiquidem res quæ in vniuerſo reperiuntur, inter ſeſe rationem habent generis & ſpecierum; & eas qui vult ſeiungere, in diuerſiſque ponere ſcientijs, aliquas cogitur accipere ſpecies, genusq. relinquere; & ita eiuſmodi ſpés, diuerſas ſcientias cõſtituunt, quia nõ conueniũt in aliquo cõi. Vt igitur Naturalis philoſophia eſſet vna & nõ plures, addidit ei Ariſtoteles. 8. libros phyſicorũ, quia non habet ex ſe aliquid cõe, quod ei vnitatem tribuat. Hæc eſt

ratio Mirandulani lib.20., ſectio.7., ad initium. Qua ſtante, ſequitur neceſſario, quòd Naturalis philoſophia initium capiat à libris de cœlo.

1. Ratio. At re vera huic doctrinæ aduerſatur Ariſtotelis ſententia; qui vbique attribuit Naturali ſcientiæ ſubiectum; non corpora naturalia particularia, ſed genus ipſum; ſubſtantiam ſcilicet mobilem, ſeu in qua ſit principium motus; ex.6. Sapientiæ cap.1. &.2. cap.6.

.2. Doctrina eſt; inſuper; Ariſtotelis primo de poſte. reſolutio., cap.23., ꝙ in ſcientia non ſeparatur genus à ſuis ſpeciebus. Conſtat autem quòd naturalium ſubſtantiarum, vt mobiles ſunt, genus eſt ſubſtantia mobilis. Quare à ſuis ſpeciebus in ſcientia non ſeparatur.

.3. Et hoc idem corrobborat ratio ipſa formæ naturalis; quæ cùm in materia ſit, & non niſi cum materia intelligi poſſit, nec ad aliam ſcientiam poteſt transferri; ſed illius ſcientiæ eſt, quæ formas conſiderat, materiam concernentes. Hæc autem eſt Naturalis ſcientia. Vnde ratio materiæ & motus non vniuerſalior eſt, ſed Naturali adæquata. Et ſi primus Philoſophus materiam conſiderat & motum, cum eiſq; aliquando definiat, illud non eſt quod ad propriũ ſubiectũ attinet, quod per ſe primò ſpectat ad ipſum; ſed quod ad eam partem attinet, quã tractat per quandam ſequelã; quemadmodum dictũ eſt; & non niſi vt conuenit in confinio quodam cũ Naturali; vt Sapiens, qui generatim ſaltem aliquid nouit, de ijs quę ſunt inferioris, vt dirigat & ordinet. Non igitur vt de naturalibus nos ipſe doceat; ſed vt per naturalia doceat quæ ſupernaturalia ſunt, & nos dirigat ad percipiendas res naturales à Naturali Philoſopho, qui de illis per ſe agit. Immo nõ propriè definit ipſe primus Philoſophus res naturales, atqui docet quomodo definiri debeant; relinquens Philoſopho Naturali hoc definiẽdi munus. Id quod ex eo maximè conſtat, ꝙ definitio propriè ſpecierum eſt, quarum nullam conſiderat ex naturalibus primus Philoſophus; niſi fortè quid neceſſarium ad ſeparatorum notitiam; quæ ſibi per ſe habet ſubiecta; vt cùm definit motum, tempus; & huius generis alia.

Dubitat. Sed ſi dicatur, ꝙ qua rõne ſubſtantia mobilis eſt genus ſpecierũ ſuarum mobiliũ; ita ẽt ſubſtantia vt qd prius, eſt genus ſubſtantiæ mobilis. Ideo qua rõne arguitur ꝙ non potuit ſeparari ſubſtantia mobilis à ſuis ſpeciebus; ita nec ſubſtantia à ſubſtantia mobili. Quare ad eandem pertinent ſcientiam.

Solutio prima. Soluitur dubitatio primò, ex eo quia nil aliud concludit, niſi ꝙ primus Philoſophus agens de ſubſtantia quæ eſt genus, agit etiam de ſubſtantia mobili. Quod vtique verum eſt, at non per ſe primò; verùm ſolùm vt ad diſtinctam ſpectat notitiam ipſius ſubſtantiæ mobilis habendam, & ad naturam ſapientis, cuius eſt inferiorem dirigere. Ideo oportet vt quædam de illa re cognoſcat, quæ ab inferiori vt propria venit conſideranda.

Solutio.2. Dicitur ſecundò, ꝙ ratio mobilitatis adueniens ſubſtantiæ ſimpliciter dictæ, diſtrahit eam ad aliam ſcientiam, quia dicit formã in materia, & motum, propriumq. exigit definiendi modũ. Subſtantię aũt mobiles particulares nõ diſtrahunt, neq. diuertunt ad aliã rationẽ formalẽ, vel ad aliũ modum formę, vel definitionis; ſed manẽt ſemper in eadẽ rõne formali, & modo eſſendi eõdẽ formę atq. definitionis; qa ſemper cũ materia ſunt; at ſolùm variant

tiant motum vel materiam; quia alius motus eſt, aliaq́. materia hujus & illius ſpeciei. Ideo non valet argumentum, vt ſicut ſubſtantia mobilis non poteſt vt genus ſeparari à ſuis ſpeciebus, atqui eadem in ſcientia tractantur; ita & ſubſtantia generatim accepta, & ſpecies eius; cùm ſcilicet ſpècies eius diuertant ad alium eſſendi & definiendi modum, qui eſt per materiam. Nam ſi non alium modum vel eſſendi afferat, vel definiendi, patet quòd ad eandem ſcientiam ſpectabit. Quemadmodum de ſubſtantijs patet immobilibus, & ſeparatis; quæ ſunt vt ſpecies ſubſtantiæ generatim acceptæ. Modum enim habent eſſendi & definiendi ſine materia, vt non addatur natura naturæ, hoc eſt formæ materia, & id genus alia; ideo ad eandem ſpectant ſcientiam.

Et ſi dubitetur adhuc, quòd ſubſtantia ſicut prædicatur de vtroque genere indifferenter; dicitur nanque de mobili & immobili. Ita indifferenter ſe habet ad vtrunque modum eſſendi, & definiendi. *Dubitat.*

Dico quòd verum eſt quod ad prædicationem, ſed non quòd ad rerum naturam attinet. Quoniam ſicut ſubſtantia immobilis ſecundùm rerum naturam non ex æquo ſe habet cum ſubſtantia mobili, ſed prior eſt & cauſa illius, vt poſterioris à priori dependentis. Ita & ſubſtantia in genere accepta, ſecundùm naturam per ſe primo conſideratur in natura illa prima & immobili. *Solutio.*

Quod etiam nullo certè negotio ex eo conſtat, quòd ſubſtantia mobilis eſt ex ſuperadditione, quatenus formæ materiam ſuperaddit & motum; ſubſtantia autem immobilis non item; ſed formam ipſam dicit ſine materia & motu; vt explicat etiam eius differentiam per negationem motus & materiæ. Vnde cùm genus ad ſpecies contrahatur per additionem differentiarum, licèt diuiſio ſit per mobile & immobile, hoc tamen reapſe nihil ſuperaddit, ſed generis conceptum ad illam ſpeciem determinat, quæ nihil ſuperaddit, niſi negationem eius quod ſuperaddit altera. Quòd ſi etiam quid ſuperaddere poneretur, non tamen niſi ut quid naturà prius. Ad hoc faciunt ea, quæ in ſuperioribus de natura entis docuimus & ſubſtantiæ; ꝙ ſicut prædicata ſunt vniuerſaliſsima, ità omnium prima; & quòd quo quid vniuerſalius eſt, eo ſumitur penès naturam priorem. Et ꝙ ens cùm dicit naturam ipſam eſſentiæ, non ſumitur penès naturam priorem: Quia ens licèt dicatur de generibus accidentium, non tamen niſi vt ad ſubſtantiam referuntur, & ab ea dependent.

Quòd autem prooemiũ libri de cœlo arguat ibi eſſe principiũ ſcientiæ naturalis, hoc inficiamur oĩno. Sed cùm in primo phyſicorũ propoſuiſſet, in ſciẽtia de natura, qua ſignificatur ſciẽtia Naturalis, cuius ratio formalis; ſecundùm quã conſiderat quicquid cõſiderat, eſt mobilitas, & naturalitas; agendũ prius de principijs, idq́; pſtitiſſet, agens ſimul de cõibus quibuſdã ſpectãtibus ad naturalia; vt de motu, & cauſis eius, & ſpẽbus, & ꝙ & cur ęternus, aliaq́. huiuſmodi. Iã aggreſſurus diſputationẽ pręcipuè & ſpeciatim de corporibus, de quibus egerat generatim; & pſertim quia acturus de cęlo, & toto vniuerſo, quòd perfectũ eſſe oſtendere volebat, nec poſſe extra cœlũ ęcquã eſſe, finitũ, & eius generis alia, quę oĩa pendẽt à rõne corporis; cuiq. *Ad rationem de procemio lib. de cœlo.*

autem primò Philoſophus dat quæ illi generi communia videntur, vt Sapientiæ in primo Metaphyſicæ. Sumit illud principium: Scientia de natura; eandem ſignificans eiſdem verbis, quibus prius inter initia de phyſica auſcultatione, verſari circa corpora & magnitudines, vſus numero plurium, quòd iam eſſet aggreſſurus de eis particularem diſputationem, & differentiam. Et erat perinde ac ſi dixiſſet: Sicut in ſcientia de natura diximus prius opus eſſe vt agatur de principijs & cauſis, quia ſcilicet cauſas habet atque principia, de quibus iam egimus, & de ijs quæ generatim ſpectant ad ſubſtantiam naturalem & paſsiones; iam nunc ſpeciatim de ipſis ſubſtantijs naturalibus ſecundùm ſuas ſpecies agamus. Sed quia diſputatio futura de ijs ſubſtantijs naturalibus, pendet à ratione corporis & magnitudinis, ſumamus hoc quod verum eſt, quòd ſcilicet cùm ſcientia hæc verſetur in ſubſtantia mobili & naturali, verſatur etiam circa corpora, & magnitudines, & motus. Quod patet ex eo, quia quæ naturà conſtant, hæc quidem ſunt corpora & magnitudines, hæc autem habent corpus & magnitudinem, hæc autem principia habentium ſunt. Ex hoc enim ſuppoſito, diſputationem futuram ingredi poterimus; quia pendet à ratione corporis & magnitudinis. Vnde mox in 2. contextu agit de continuo, & de triplici magnitudine; linea, ſuperficie, & corpore. Et inde colligit, corpus eſſe magnitudinem perfectam; quia vndiquaque diuiſibile, ideo totum perfectum.

Sicut enim diſputaturus de rerum naturalium principijs, illud ſumpſit argumentum, quod cùm ſcientia de natura in rebus verſetur, principia & cauſas habentibus, propterea de principijs & cauſis agendum, quia ſecus non poteſt haberi ſcientia; ita hic, quia diſputatio futura pendebat à ratione corporis & magnitudinis, ita locutus eſt.

Et quod dicit de paſsionibus & motu ipſorum corporum, confirmat veritatem, quòd verſetur circa corpora; cùm etiam agat de paſsionibus & motu eorum. Quod propterea etiam tetigit, quia ex motibus diuerſis, recto ſcilicet & circulari, & eo à medio, ad medium, multa erant ſumenda in diſputatione. Quod autem adiecit: Naturà conſtantium hæc quidem eſſe corpora &c., ſolum ponitur ad confirmandam propoſiti veritatem; quod adeo eſſe verum ſignificat, vt nihil ſine corpore in naturalibus conſiderari poſsit; nec ipſa ſcilicet principia, de quibus tamen prius generatim actum erat. Non igitur proponit in eis, ſed probat propoſitum; quod ſatis conſtat ex illa particula cauſali: Enim. Non eſt igitur proœmium tale, vt inde argui poſsit, ibi eſſe initium ſcientiæ Naturalis, vt priores libri non ſint naturales. Et ſi vis fiat in eo, quòd etiam mentionem facit de principijs; patet quòd hoc facit, vt oſtendat quàm latè pateat corporis ratio atque magnitudinis. Vt ſcientia de natura, id eſt, Naturalis, ſiue agat de naturà conſtantibus, ſiue de affectibus, & motibus; ſiue de principijs, ſemper habet annexam rationem corporis, & magnitudinis. Quia ſi de naturà conſtantibus, iam hæc corpora ſunt quædam, ſeu magnitudines. Si de affectibus & motibus, iam & hæc omnia ſunt corporum & magnitudinum. Si de principijs, iam hæc non ſunt prin-

cipia niſi ſubſtantiæ corporeæ, & magnitudinem habentis. Quinimmo ex eo loco argui poteſt, quòd ibi non eſt initium ſcientiæ Naturalis.

Tum quia diſputatio penès rationem corporis & magnitudinis, eſt poſterior ea, quæ eſt penès ipſam rei ſubſtantiam, ſicut ipſum quid eſt, prius quanto.

Tum quia cùm Philoſophus dicit: Adhuc autem & circa principia, quæcunque talis ſubſtantię ſunt; innuit diſputationem de principijs talis ſubſtantiæ, ideſt, ſubſtantiæ corporeæ, & magnitudinem habentis, phyſicam eſſe, non metaphyſicam. Quare & octo libri de phyſica auditione, in quibus agitur de ijs, & de motu, de quo etiam ibi, inter initia libri de cœlo mentionem facit. Et per aduerſarium de ea loquitur ſcientia, quæ eſt propriè phyſica, non metaphyſica, vt ibi eius ſit initium.

Nec dici poteſt, quòd intelligat non de principijs, neque de motu in communi, ſed ſpeciatim, & in particulari. Siquidem patet quòd abſolutè loquitur, atque ſimpliciter; vt intelligamus generaliter verum eſſe, quòd ſcientia de natura, ideſt, Naturalis, agit de principijs, & motu ſubſtantiæ corporeæ. Immo ſicut dicit talis ſubſtantiæ, ſignificans generatim, quæcunque ſit ſubſtantia mobilis, & ita generatim de ſubſtantia corporea & mobili; ita dicit, quæcunque principia; vt intelligas non ſolùm principia propria ſpecierum, ſed etiam communia, & ipſius generis, quæ eſt ſubſtantia mobilis & corporea. Idem enim eſt ſecundùm rem & ſubiectum, licèt ratio ſit diuerſa; ſicut & mobile & corpus naturale idem, licèt ratione differant; de quibus inferius. Primum itaque huius viri dictum relinquitur falſum, & à Peripateticorum ſchola omnino alienum. Ad ſecundum igitur accedamus.

Corpus cœleſte, à Naturali Philoſopho quo modo conſideretur. Cap. 29.

QVando ſecundo loco ſubdit Mirandulanus, quòd corpus cœleſte à Naturali conſideratur, vt eſt quid particulare, non autem vt eſt cauſa vniuerſalis entium atque ſubſtantiarum, quòd hoc ſit munus primi philoſophi; id quod etiam de motu eius intelligit, falſum & hoc eſſe crediderim. Nam phyſicus cœlum conſiderat, & vt res quædam eſt, & ſubſtantia corporea, naturalis, & mobilis; ſimulq́. etiam vt eſt quid naturà prius, à quo omnia inferiora dependent; ita etiam de motu eius dicendum conciſco; vt in candidè philoſophantium, potius quàm Mirandulani, diatribam veniam. Vnde quia eſt philoſophi ſententia de mouentibus, quòd quæcunque mouent & mouentur, ſunt phyſicæ conſiderationis; ex 2. auſcultatorio libro, contex. 71.; & loquitur non de re abſolutè, puta de cœlo, vt cœlum eſt natura quædam in ſe; ſed de cauſis efficientibus, vt cauſæ & efficientes ſunt; & docet ibi, Naturalem Philoſophum debere cauſas reddere rerum naturalium, & quas; & de efficientibus dicit, quòd quæcunque mota mouent, phyſicæ ſunt ſpeculationis.

Idem repetit primo de ortu & interitu, ad.14. contextum. Et vt omittamus quæ in octauo auſcultatorio libro tradita ſunt de motu cœli, à quo vno pendent alij; & in.4. eiuſdem voluminis de tempore, quòd eſt menſura aliorum; quare vt cauſa & naturà prius. Propterea Naturalem Philoſophum volumus corpus cœleſte conſiderare ſub ea quoque ratione, qua eſt cauſa vniuerſalis.

Id quod etiam confirmari poteſt ex.2. libro de ortu & interitu; quo loci rationem perpetuitatis & viciſsitudinis, quæ eſt in rebus generatis & corruptis, retulit in orbes cœleſtes, & motus eorum. Nam perpetuitatis cauſam dicit eſſe motum primi orbis, viciſsitudinis autem, motum circuli obliqui; ideſt, Zodiaci. Nunquid & illud negabitur eſſe ſcientiæ Naturalis, ſed eſſe primæ philoſophiæ, quaſi mutuatum, vt ſupra?

Quòd ſi vim faciat in verbis; entis & ſubſtantiæ; ſine additione ſcilicet mobilis & naturalis: ſic facilè conſentirem, niſi obſtaret quòd cœlum & eius motus non eſt cauſa entis vel ſubſtantiæ, niſi quia eſt cauſa entis mobilis, & ſubſtantiæ talis; ideſt, naturalis generabilis, & corruptibilis. Entis nanque natura & ſubſtantiæ eſt prior, & à qua potius pendet natura cœli, vtpotè corporea; veluti aliàs diximus. Et illius ſubſtantiæ mobilis cauſas reddere debet Naturalis, non primus Philoſophus; quæ ſcilicet moueant & moueantur; vt diximus: quod de cœlo verum eſt; mouet enim & mouetur.

Quòd ſi & primus Philoſophus nonnulla de hoc dicat; vt in.12. libro; hoc eadem fit ratione, qua & de naturalibus rebus in communi diſputare poteſt; vt prius declaratum eſt ſatis; vt faciliori quadam methodo ſeparata cognoſcat, & vt ſapiens ordinet, & quædam generaliter & communiter noſcat inferioris. Et id verum eſt, quòd ſolus Meta. conſiderat primas & vniuerſales omnium cauſas, quæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ. Quare & etiam ſecundum Mirandulani dictum, eſt de falſo valde ſuſpectum. Sed quid de tertio? Videamus.

An ſi corpus cœleſte & eius motus non eſſent cauſa vniuerſales, philoſophia Naturalis eſſe prima philoſophia. Cap. 30.

DIcebat pro tertio loco Mirandulanus, quòd ſi cœlum non eſſet vniuerſalis cauſa, ſcientia Naturalis eſſet prima philoſophia; quia ipſa ſola ageret de cœlo, & ita de cauſis eius, quæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ: & non Metaphyſica, quæ nunc eſt prima philoſophia; quia agit & de cœlo, & de ſubſtantijs ſeparatis, quæ ſunt principia rerum, non ageret de illis, quia non eſſent; per caſum poſitum; cauſæ vniuerſales entis & ſubſtantiæ. Vnde ſicut non agit nunc de particularibus alijs ſubſtantijs; ſcilicet naturalibus, ita etiam tunc non ageret de ſeparatis, cùm & hæ ſint particulares: de quibus tamen agit modò, quia; vt diximus; ſunt cauſæ vniuerſales entis & ſubſtantiæ. Naturales autem & mobiles, aliæ ſubſtantiæ

ſpeciatim acceptæ, cùm non ſint cauſæ entis & ſubſtantiæ, niſi cœlum; vt diximus, non tractantur in Metaphyſica, ſed in ſcientia Naturali.

Verumenimuerò ex huiuſmodi doctrina multipliciter hoc in loco erratum conſtare poteſt. Primò quòd credit in Metaphyſica non agi de ſubſtantijs ſeparatis, niſi quatenus ſunt cauſæ vniuerſales entis; cùm de ipſis agatur, vt ſunt res quædam per ſe, & vt de ſpecie, ſeu genere quodam primo entis & ſubſtantiæ, & non ſolùm vt cauſæ ſunt. Vtraque enim ratio conſiderationis ſimul iuncta eſt, quia eis conuenit hoc quòd ſint cauſæ vniuerſales, ſed tamen hæc ratio quædam reſpectiua eſt & poſterior, præſupponens conſiderationis eam rationem abſolutam, qua ſubſtantiæ ſeparatæ ſpecies quædam entis & ſubſtantiæ eſt, vt ex oppoſito diſtinguitur contra ſubſtantias mobiles & naturales; vt ſæpius ex Ariſtotele docuimus. .1.

Secundò, non agnoſcit verum & proprium Metaphyſicæ ſubiectum; immo huius verbi vim ignorare videtur; cùm ſignificet res, quæ poſt rerum naturalium cognitionem traduntur, & cognoſcuntur; quæ ſcilicet ſupra motum ſunt & naturam; & poſt cognitionem motus & mobilium, palàm nobis fiunt. .2.

Tertiò, quia cenſebat vnam poſſe ſcientiam eſſe de communibus prædicatis ſolum, & in genere, abſque hoc quòd deſcendat ad ſpecies eius; & ita non habeat quid reapſe ſubſiſtens; quemadmodum etiam ſcientia Metaphyſica in caſu poſito. Tunc enim ſecundùm ſententiam huius viri, non ageret præcipuè & ſpeciatim de ſubſtantijs ſeparatis, ſicut nec de mobilibus, & ita ſolùm ageret de communibus; puta de ente, ſubſtantia, actu, potentia, & huius generis cæteris; Et non deſcenderet vnquam ad vllam ſpeciem entis vel ſubſtantiæ; quo quid abſurdius dici poteſt? .3.

Quinimmo etiam nunc Metaphyſica licèt de ſeparatis agat ſpeciatim, tamen quia ſecundùm hunc virum non habent rationem ſubiecti, at ſolùm principij & cauſæ, non habebit ſubiectum vllum, niſi commune genericum, ſine ſuis ſpeciebus reapſe ſubſiſtentibus. Quoniam non ſpecies ſubſtantiarum mobilium, quia eas minimè ſpeciatim conſiderat. Non etiam ſeparatas ſubſtantias, quia non conſiderantur; vt dicit; niſi vt cauſæ. Quare ſcientiæ ſubiectum erit genus ipſum ſeparatum, & à ſuis ſpeciebus ſeiunctum, reapſe videlicet ſubſiſtentibus; quales ſunt ſpecies infimæ. Illæ enim proximæ indiuiduis in prædicando, ſignificant formas ipſas; vt aiunt; reales, reapſe ſubſiſtentes, ſeu exiſtentes in eis; ſine quibus alia ſuperiora vniuerſalia, vt abſtrahuntur ab eis, per ſe & ſeorſum in ſcientia haudquaquam conſiderari poſſunt.

Quartò, eſt error in dogmatibus iſtius philoſophi; quoniam ſcientia vniuerſalis & prima ſeiunguntur, cùm vna tamen & eadem eſſe debeat; vt quæ eſt prima, ſit quoque vniuerſalis; & quæ agit de primo rerum genere, de communibus etiam agere tenetur, quę ei conueniunt & alijs; ſed ei per ſe primò, alijs vero, non niſi eius ratione. Ideo Ariſtoteles diſputationem de communibus, ab illa de ſubſtantijs ſeparatis minimè ſeiunxit; non quia ſint cauſæ vniuerſales rerum vt ſic ſolùm conſideratæ; at quia .4.

ſunt pri-

ſunt primum rerum genus, cui per ſe primò competunt communia, & ratione ipſarum competunt rebus inferioribus, ſeu poſterioribus. Et licèt caſus ſit impoſsibilis, & duo inter ſe pugnantia claudere videatur; quòd ſcilicet ſubſtantiæ ſeparatæ, & à materia penitùs abiunctæ, naturaq. priores, non ſint rerum cauſæ naturà poſteriorum; cùm poſterius ſemper in naturaliter ordinatis, citra omnem controuerſiam dependeat à priori; vt ſit quædam connexio cauſæ & cauſati, præſuppoſitiq. & præſupponentis; Adhuc tamen opus eſſet, vt in ea ſcientia in qua ageretur de ſeparatis, ſeu vtcunque de primo rerum genere, ageretur etiam de communibus; quia ut primum eſt, illa ſecum trahit. Non enim bonum eſſet communia prætermittere, nec etiam ſeorſum pertractare; proptereaquòd illa ſcientia in ſubiecto illo generico, nullam haberet ſtabilitatem, abſque ſuis infimis ſpeciebus, re ipſa exiſtentibus. Conſtat autem, vt aliàs docuimus, quòd Ariſtoteles voluit eandem ſcientiam eſſe & primam, & vniuerſalem. Vnde etiam dixit, quòd ſi ſubſtantiæ ſeparatæ non eſſent, Naturalis ſcientia eſſet prima & vniuerſalis; quia in primo rerum genere verſaretur; quod tunc eſſet ſubſtantia non ſeparata, nec expers materiæ, ſed motui obnoxia, ſpectabilis, & corporea.

.5. Quintò, error etiam in eo mihi eſſe videtur, quòd in phyſicis vult de cœlo pertractari, vt res quædam eſt particularis & præcipua, non autem vt cauſa rerum harum inferiorum; cùm ſatis conſtet, Ariſtotelem in phyſicis de eo ſermonē habere, vt eſt etiam horum inferiorum cauſa; quemadmodum ſupra docuimus ex primo de ortu & interitu, ad contex. 14.; vbi expreſsit cœlum eſſe cauſam rerum naturalium, & ad phyſicum pertinere; & de ea agere vt quæ ſit moueret, vt etiam moueretur; conformiter loquens ijs, quæ in 2. phy. 71. tradiderat de cauſis, quænam ſpectarent ad phyſicum. Patet etiam q. 2. de ortu & interitu, cauſam perpetuæ generationis retulit in cœlum, & motum eius; veluti etiam diximus. Et inter initia primi Meteororum dicit, hæc inferiora neceſſariò pendere à lationibus cœleſtibus. Et ita omnia penè naturalia ſemper reſoluenda ad cœlum vt cauſam, deducit.

.6. Aberrat ſextò vir iſte, ex eo quòd primum Philoſophum vult de cœlo agere ſolùm ut cauſa eſt; cùm de eo agat ut ſubſtantia quædam diuerſa à mobili caduca, & immobili, quæ neque ortum neque occaſum ſentit. Ab hac enim per id quòd ſeparatum non eſt, ſed cum materia motui & potentię obnoxium. Ab illa uerò, per hoc quod materiam non habet niſi; ut uocat ipſe; unde quo; ſecundùm quod poteſt ea ſpecie motus cieri, quæ ſecundùm totum locum ſemper manet; mutatur autem ſecundùm partes; quatenus in orbem cietur in ſeipſo, ſemperq. in eodem ſitu & loco manens; & ut nunquam poteſt quieſcere, nec timeatur ne quieſcat.

Et. 12. Sapientiæ, tantum abeſt ut de eo, ut cauſa dicitur rerum uniuerſalis, uerba faciat, ut è regione potius doceat ipſum, totamq. naturam pendere ab illa ſubſtantia penitus immobili, quam ex motu æterno probauerat. Quare potius de eo ut effectu, cauſatoq., quàm ut cauſa, loqui dicendus eſt Metaphyſicus.

Septimò

Septimò ex his patet alius error, cùm vult ſeparare conſiderationem de cœlo ut cauſa eſt; ab ea qua vt res quædam eſt conſideratur, vt non in eadem ſcientia ſecundùm vtranque rationem conſiderari poſsit. Et præſertim cum ea diſputatio & doctrina quæ habetur in metaphyſicis, habeatur etiam in phyſicis; quatenus; inquam; cœlum conſideratur vt cauſa horum inferiorum. Conſtat enim quòd etiam de quatuor vocatis elementis agit Philoſophus in phyſicis, ſecundùm vtranque rationem, vt naturam ipſorum explicet ſecundùm ſe, & etiam vt ſunt aliorum cauſæ. Et hoc præſertim verum agnoſcitur, & non ſine ratione factum, cùm ſecus non poſsit haberi completa natura eorum, niſi vt habent quandam rationem cauſæ, & à natura talia ſunt, vt poſsint eſſe aliorum cauſæ. Sicut non poteſt plenè tradi notitia quatuor dictorum elementorum, niſi eorum etiam declaretur natura, quatenus ex ipſis per alterationem & miſtionem poſſunt alia fieri. Ita ſuo modo dicatur de cœlo, vt talis naturæ eſt, quæ prior eſt his omnibus, quę motu recto cientur; vt ab ea pendere hæc omnia inferiora ſit neceſſe, vt à natura priori & præſtantiori, & motus circularis præſtantior & perfectior motu recto, & eius cauſa. Ex quo poteſt etiam argui, non eſſe abſurdum, at neceſſarium potius, vt de ſubſtantijs, mentibusq. ſeparatis ſimul in eadem agatur ſcientia, & vt res quędam ſunt per ſe, & vt aliorum cauſæ; cùm ſecus, ipſarum natura rectè intelligi & explicari non poſsit. .7.

Octauò, error conformis eſt, quòd cùm de cœlo, quod eſt cauſa & principium, concedat vtranque diſputationem, & vt res quædam eſt, & vt cauſa. Seorſum tamen, hanc in prima philoſophia, illam in phyſica haberi; negat tamen, de mentibus illis ſeparatis vtranque diſputationem haberi poſſe; vt ſcilicet & res quædam ſunt, & aliorum cauſæ. .8.

Quòd ſi dicat, hoc negari quia non habent cauſas vt cœlum. *Reſpon.*

Nihil, vel parum iuuat; quandoquidem cœlum in phyſicis conſideratur vt cauſa ferè prima, quaſi aliam ſuperiorem non habeat cauſam. Quod verum videtur, quatenus phyſicus non agere debet de ſubſtantijs abſtractis; veluti patet. 2. phy. 7 t., & primo de generatione. 14.; nec vlterius aſcendere. Quod ſi in octauo phyſicorum libro videtur ſecus fieri; patet primò, quòd non niſi vt declaret cauſam æternitatis motus, & ita ſoluat illam quæſtionem; vt prius diximus. Secundò, non poteſt hoc ipſe reſpondere, qui eam diſputationem phyſicam eſſe prorſus inficiatur. *Impugna.*

Nonò, eſt notandus etiam error ille, quòd qua ratione concedit Naturalem acturum de diuinis vt ſunt cauſæ cœli, cuius naturam debet explicare, & per ſuas cauſas docere; non agere autem, quia conſideratur à primo Philoſopho vt cauſa vniuerſalis, qua ratione ſublata, ad phyſicum ſolùm pertineret; & ita ad eundem pertinerent ſubſtantiæ & mentes abſtractæ; quia ſunt eius cauſæ; vt ipſe docuit. .9.

Eadem ratione deberet concedere, quòd in ſcientia de aliquo poſsit vt de ſubiecto agi, cuius tamen cauſæ non reddantur; vtpotè de ſubſtantijs ſeparatis. Cœlum enim vt à Naturali expenditur Philoſopho, habet rationem ſubiecti; vt fatetur ipſe Mirandulanus; & tamen ab eodem na-

turali

turali Philoſopho eius cauſæ minus examinantur, ad dogmata huius viri. Cur igitur non poterit primus Philoſophus agere de ſubſtantijs ſeparatis, mentibusq. abſtractis, vt de ſubiecto, etiam ſi non reddat cauſas, quia non habent? Nam cœlum licèt habeat, vt in phyſicis tamen agitur de eo, non habet: ſeu habet perinde ac ſi non haberet; quia, vt ipſe dicit, non conſiderantur à phyſico. Nam ſi ſubiecti ſcientiæ ſemper habenda eſt notitia per cauſas, vt ſi non habet cauſas, vel ſi habet & non conſiderentur, non poſſit eatenus de eo eſſe ſcientia vt de ſubiecto; quomodo cœlum erit ſubiectum ſcientiæ Naturalis, & principale, à quo ſcilicet incipit ſcientia Naturalis; vt ipſe docuit; exponens procœmium librorum de cœlo, vt initium totius Naturalis philoſophiæ primum & proprium? Et quomodo eſſet verum quod dicit Ariſtoteles, quòd nimirum ſi ſubſtantiæ ſeparatæ nullæ ſunt, Naturalis ſcientia eſſet prima; cùm velit iſte, quòd etiam ſi ſubſtantiæ ſeparatæ ſint, tamen ſcientia Naturalis ſit prima, poſito caſu quòd cœlum non eſſet cauſa vniuerſalis; uel ſi eſſet, ſaltem ut ſic à primo Philoſopho non conſideraretur, ſed à Naturali ſolummodo ut ſubiecto proprio, & re determinata, atque particulari? Quia; vt inquit, primus Philoſophus non agit niſi de uniuerſalibus. Et ſi agat de re aliqua particulari, ut de cœlo & ſeparatis, non tamen niſi ut ſunt cauſæ uniuerſales.

Præterea; cùm Naturalis Philoſophus de cœlo non agat ut cauſa, nec etiam ut de ſubiecto agere poſſit, quia non reddit eius cauſas; dabitur ergo tertia ratio, ſecundùm quam aliquid conſiderabitur, quod eſt cauſa & effectus reſpectu diuerſorum; nihilominus nec ut cauſa, nec ut effectus; quare ut res quædam in ſe abſoluta. Cur igitur non hoc idem de ſeparatis conceditur, vt poſſint conſiderari ut res quędam abſolutæ, non ſub ratione cauſæ, uel effectus? Et tunc cur non poterit dici id quod expendirur, ſubiectum illius diſputationis & ſcientiæ, etiam ſi non per cauſas, ſed aliter; puta ut contingit aliter ſcientia?

Ad hæc; ſicut argumentabatur ipſe de ſubſtantijs naturalibus, quòd ſi à Naturali ſub duntaxat ratione motus expenderentur, nullus eas abſolutè conſideraret, & ut naturæ quædam ſunt abſolutæ. Ita ego nunc de ſeparatis; ſi eo caſu poſito, ſolus phyſicus ageret de eis ut cauſę ſunt, quis de illis ageret ut res ſunt abſolutæ, ut prius naturà ſunt eo reſpectu quo dicuntur cauſæ? Si phyſicus, non igitur ut cauſæ ſolùm ſunt cœli & aliorum. Si Metaphyſicus, non igitur Naturalis tunc eſſet primus Philoſophus? Præſertim cùm ſub ratione priori eas conſideraret, quàm phyſicus; qui ſub ratione cauſandi, & reſpectus ad cauſata.

Amplius: Si Naturalis tunc ageret de ſeparatis ut cauſis cęli, quomodo non eſſet uniuerſalis? Iam omnium rerum cauſas redderet: iſtæ enim ſunt cauſæ omnium. Nec poteſt dici, quòd non ut cauſę omnium perpenderentur, ſed ut cauſæ particulares, puta cœli. Quia præter cęlum & ipſas, nihil reliquum eſt, præter hęc ſublunaria. Quare ſi ſunt cauſæ cœli, & ut cauſæ cœli conſiderantur, ut cauſæ omnium aliorum etiam conſiderentur oportet; quia cęlum quod conſideratur eſt cauſa omnium,

nium, quæ præter cœlum & ipſas ſuperſunt.

Quomodo igitur non conſideraret etiam vniuerſalia & communia, vt ens, ſubſtantiam, & id genus alia; cùm ſubſtantiæ ſeparatæ, ſint cauſæ entis & ſubſtantiæ, & non ſint cauſæ niſi cœli, & inferiorum omnium? Ab illo enim genere rerum ſeparatarum, cœlum totaq. natura dependet; vt dicit. Quare non ſupereſſet alia philoſophia, prima, vel ſecunda, vniuerſalis, aut particularis. Sed ipſa phyſica eſſet prima & vniuerſalis; nec ſupereſſet Metaphyſica vt vniuerſalis, ſe non prima; vt arbitratur iſte Mirandulanus; cùm tamen (vt etiam ex his conſtare poteſt) ſimul ſint neceſſariò philoſophia prima & vniuerſalis, nec ſeorſum eſſe poſsint; vt in ſuperioribus diximus ſatis. Qui cognoſcit prima, & vniuerſaliſſima rerum omnium principia, ſcit omnia quodammodo, & eſt ſapiens, & vniuerſalis. Quomodo ergo non cognoſcit vniuerſalia prædicata; & ita ens, ſubſtantiam, ſpecies entis, paſsiones, accidentia, quà ens, & huius generis cætera?

Sed præter hoc, quòd implicatio contradictionis, quædam eſſet, dicere quòd prima philoſophia eſſet ſcientia Naturalis, etiam ſi ſubſtantiæ ſeparatæ eſſent; hæc enim eſt propria ratio, cur non ſit prima; vt docuit Ariſtoteles 6. Metaphyſicæ; implicatio etiam contradictionis eſt in eo, quòd Naturalis de ſubſtantijs agat ſeparatis; quia de ratione phyſici eſt, vt ſolùm conſideret formas in materia; veluti ſæpius diximus. Quomodo igitur ſeparata à materia conſiderabuntur in materia, & quatenus in materia? Et præſertim cùm illa conſideratio plena & perfecta futura eſſet; ita vt non ab alio artifice & ſcientifico poſſent conſiderari. Quia propter hoc ponenetur tunc Naturalis ſcientia prima philoſophia; quod à veritate nimis abhorreret, ſi ab alio ſcientifico ſeparata plenius conſiderarentur, veluti nunc fit de primo motore immobili ſcilicet; de quo tenuiter phyſicus, & ut ſatis ad rationem cauſæ, qua ſoluatur dubitatio illa, quam ſupra diximus; Metaphyſicus autem copioſè; Ideo & primus dicitur Philoſophus. Quare & tunc qui ſic copioſè ageret, eſſet primus Philoſophus. Ad mentem igitur Mirandulani, Naturalis ſic ageret; quia primus poneretur tunc Philoſophus futurus, ſecundùm eius doctrinam. Compertum ſit igitur, virum hunc in hac ſua commentatione, toto cœlo (vt aiunt) tota q. re errâ aberraſſe.

Verùm quia ipſemet in primo lib. ſuæ Apologię, ſectio. 8. & 10. deq. ſingularis certaminis euerſione, lib. 5. ſectio. 3. & lib. 9. ſectio. 8. conſtantiſsimè docet, quòd principia & cauſæ nullo modo poſſunt eſſe ſubiectum in ſcientia; vnde ſubſtantiæ ſeparatæ non cadunt ſub ſubiecto Metaphyſicæ; idcirco de his inferius ſermonem habebimus, in quæſito nempe de ſubiecto Naturalis philoſophiæ, cap. 1. & alibi. Interim ad alia pedem conuertamus. Ratio nanque Mirandulani pro ſuo tertio dicto errecta, ſuperque ſatis, ex his præſertim quæ vltimo loco habuimus, diſſoluta relinquitur.

Tres illæ diſciplinæ quæ in rerum cognitione verſantur, à noſtris ſpeculatiuæ, ſeu contemplatiuæ nuncupatæ, quem ordinem habeant adinuicem. Cap. 31.

DE ordine ſcientiarum quæ totales dicuntur verba facturus, illud primò annotandum venit, ꝙ ſcilicet ordo doctrinæ propriè dicitur ille, quo ſcientiæ ordinãtur particulares; propterea de eo mihi præcipuè tractandum venit, vt inde principale noſtrum inſtitutum facillimè colligere valeamus; ordinem ſcilicet ſcientiarum totalium adinuicem; in hoc ſecutus admodũ Illuſtrem dominum Iacobum Zabarellã. Hoc itaque aggredientes, hinc primordia capere non erit abſurdum, vt ſcilicet prius quid ſit ordo in ſe & abſolutè videamus, & inde ad alia deſcendere. Ordo igitur nil aliud eſt, q̃ habitudo inter diuerſa ſecundùm prius & poſterius. Et pro quanto ad propoſitũ noſtrum deſeruit, in duplici ſe habet diſcrimine, vt. ſ. alter ſit ordo naturæ, doctrinæ alter. Primus eſt ille quo res naturales adinuicem ordinantur; qui & ipſe ſaltem duplex eſt, generationis ſcilicet & perfectionis. Illa dicuntur priora natura ordine generationis, quę prius natura generantur; vt elementa ſunt priora miſto, miſtũ animali, animal homine &c. Priora verò natura ordine perfectionis dicũtur illa, quæ licèt non habeant habitudinẽ adinuicem ſecundũ prius & poſterius, minimeq́. ordinem eſſentialem, nihilominus vnũ eſt perfectius alio; vt inter Hominem, Aſinum, Bouem, Leonem, & reliquas aïalis ſpecies, nullus eſt ordo eſſentialis, homo tamen cùm alijs ſit perfectior, illis dicitur natura prior. Et iuxta hanc ordinis acceptionem, poſſumus etiam dicere ꝙ homo eſt prior animali, animal miſto, miſtũ elementis &c. Eapropter dicebat Ariſtoteles in. 2. libro de partibus animalium, cap. 1. ꝙ non ſolùm ſimplicia ſunt naturà priora compoſitis, atqui etiã cõpoſita ſimplicibus.

Quid ſit ordo doctrinæ. Secundus verò, nẽpe doctrinæ ordo, eſt ille quo ſcientia quælibet atq. diſciplina particularis, quæcunq. ſit illa, traditur & ordinatur. Qui quidẽ, à peritioribus philoſophantibus, in hunc modũ ſolet definiri; Ordo doctrinæ eſt inſtrumentalis habitus, per quem apti ſumus vniuſcuiuſq; diſciplinæ partes ita diſponere, vt quoad fieri poterit, optimè, & perquàm facillimè illa addiſcatur diſciplina. Doctrina habetur ex Ariſt. in quinto Sapiẽtię ad initiũ, vbi habet hæc verba formalia: Ex oppoſito verò aliud principiũ eſt illud, vnde quodq. optimè fiat; vt doctrinę, nõ à primo, ac rei principio aliquãdo inchoandũ eſt, ſed vnde quis facilius diſcat. Hãc itaq. ſi rectè attendamus definitionẽ, à Methodo, ſeu via doctrinæ, ordinẽ ſimpliciter differre, mox erit perſpicuũ. Nam ſi velimus latè Methodũ accipere, verũ quidẽ eſt, ꝙ cum ordine aliquando põt confundi; atqui ſi propriè ac formaliter (veluti Philoſophum decet) loqui velimus, & vocabulis minimè abuti, nemini dubiũ q̃n ſimpliciter differant. Quod vt clarius reddatur, animaduertatis Methodi definitionẽ: *Definitio Methodi.* Methodus eſt intellectuale inſtrumentũ, faciẽs ex notis cognitionẽ ignoti. Seu dicatis: Methodus, ſeu via doctrinæ eſt rõ declarãdi & ꝓbandi ex ijs quę nobis manifeſta, certa, & cognita ſunt, ea quæ ſunt obſcura, dubia & ignota. His itaq. duabus deſcriptionibus adinuicem

uicem collatis,mox peſpicuum erit,tam ordinem q̃ Methodum viã quandã eſſe,& tranſitũ ab aliquo in aliquod;veluti & vox ipſa Μέθοδος,ꝓpriè ſignificare videtur. Propterea nil mirũ,ſi Ariſt. aliquãdo & diſciplinas ipſas Methodos appellat; cùm & uia in eis ſit ꝑ ordinẽ,& methodo quęlibet illarũ vtatur. Vnde primo Meteoro. cap. 1. ad initiũ,& in fine libri de lõgitudine & breuitate vitę, necnon & in primo de partibus aĩalium,in fine, appellat Ariſt. ordinẽ doctrinæ viam tractandi. Ceterũ ſi conſiderẽmus,q̃ Methodi definitio claudit illationis neceſsitatem,ordinis aũt definitio minimè,ſtatim differentiã comperiemus. Licèt nanq. vterq. dicat progreſſum quendam à notis ad ignota,diuerſimodè tamen. Nã,ſi à notis progrediamur, ex quibus ignota nõ inferantur,ſed eorũ notitia ſolùm ad rerũ ignotarum cognitionem nos ꝑparet,huiuſmodi progreſſus,ordo,minimè aũt methodus,dicendus venit. Etſi methodus dicatur,non niſi latè & impropriè. Si verò progreſſus ita ſe habeat,vt aliquid ex aliquibus per neceſſariam conſequutionem colligatur,methodus, nõ amplius ordo,eſt appellãdus. Methodus igitur cùm vim habeat illatiuã,ordo aũt minimè,vt illud ſit interverumq. diſcrimen,quod inter ordinem & viam doctrinę neceſſario conſequitur. Huiuſmodi autem inter ſeſe ſimpliciter diſcriminantur,quare & methodus & ordo. Hæc pauca de methodo dixiſſe volui, vt inter eam & viam doctrinæ noſcerent iuuenes,nullũ uerſari diſcrimen; idq. ob multorum minus rectè philoſophantiũ importunitates,dicentium methodum & ordinem in idem redire; immemores omnino, quod alia ex parte omnes concedunt, methodum inſtrumentum eſſe notificans; at quomodo notificabit rem nobis ignotam, ſine illationis neceſsitate? Aliud eſt enim nos dirigere, auxiliumq. p[illegible] alicuius rei ignotæ notitiam cõſequi valeamus,aliudq. illius rei ignot[illegible]titiam & cognitionem facere & parere; primum facit ordo, ſecundum methodus præſtat. Quare idem erit methodus, quod uia doctrinæ. Quam præcipuè Ariſt. in primo de poſteriori reſolutione, duplicem eſſe demonſtrat, demonſtratiuam ſcilicet, & reſolutiuam, ſeu mauis à cauſa, & ab effectu; Licèt Euſtratius in ſua præfatione in ſecundum librum poſteriorũ,& definitiuam & diuiſiuam addat, ita ut quatuor eas eſſe velit; ſed de hoc non eſt ad rem diſputare modò. Verùm potius ad ordinem doctrinæ redeuntes, illum non ex ipſa rerum conſiderandarum natura,at ex meliore & faciliore noſtra cognitione deſumendum autumamus; Ita ut tota ratio ordinandi ſcientias & diſciplinas omnes, ſit vt melius & facilius addiſcamus, non quia ordo rerum conſiderandarum naturalis id poſtulet. Quod quidem Ariſto. docuit in quinto Meta., veluti diximus; & Auerroes confirmat in primo phy. comm.4. Vbi dicit de mente Ariſto. eſſe,ut ordo doctrinæ procedat ab vniuerſalibus ad particularia; propterea quòd vniuerſale eſt nobis notius, q̃ particularia,& à notioribus nobis ſemper eſt progrediendũ. Idq. verba Ariſt. in eo contextu depromere autumat. Et hanc expoſitionẽ iam multi inſequũtur;præſertim Zimara theo.14., vbi multa dicit de ordine doctrinę. *Duplex methodus.*

Auerroes itaq. in præfatione ſua in libros phy., cauſam huius ordinis aſsignat triplicem; prima eſt,quia commune eſt notius naturaliter proprio

quò ad nos. Secunda, ꝗ idem in diſciplina non erit crebrius iteratū. Tertia, quia propoſitiones vſitatæ in hoc non eſſent primę. V.G., qui demonſtrat in triangulo angulos eſſe æquales duobus rectis, demonſtrat hoc per propoſitiones primas. Qui autem demonſtrat hoc in triangulo diuerſorū laterum, vel ęqualium laterum, tunc propoſitiones quibus vtitur, nō erunt primæ. Similiter qui demonſtrat eſſentiam primæ materiæ homini, vel animali, vel alijs rebus particularibus. &c. Quòd aūt commune ſit notius particulari, oſtendit Ariſt. in primo phy., contextu. 4. & ſequentibus, tribus ſignis; veluti in illius procemij explanatione diximus ſatis. Hoc tamē manifeſtum eſt, ꝗ hunc ordinem ſeruauit Ariſt. in libris phy. Vbi proponit inueſtigandum de principijs, & cauſis vniuerſaliū rerum ſenſibilium, & cōibus accidentibus omnibus; veluti ſunt tempus, locus, &c. Deinde in ſequentibus deſcendit ad particularia. Quare pro cōperto habemus, rationem ordinandi ſcientias & diſciplinas, non ab ordine naturæ, at à noſtra cognitione, ſeu à faciliori modo noſtro addiſcendi, deſumendā eſſe: quod vt fiat, ab vniuerſalioribus inchoandum eſt. Vnde ſi contingat ordinem naturæ & cognitionis noſtræ aliquando eſſe coniunctos, tunc ſeruatur ordo naturæ, ſi autē ſint diſiuncti, minimè; at omnino negligitur ordo naturæ, & ſeruatur ordo cognitionis noſtræ. Idq. ſeruauit Ariſt. multis in locis; & pcipuè in. 2. de anima libro, tractatu de ſenſibus exterioribus; vbi à viſu initiū capere voluit, & vltimo loco de tactu ſermonē habuit; nihiloſecius ordine naturę tactus prçcedit omnes alios ſenſus, quia eſt omniū ſenſuum imperfectiſsimus, & cōmuniſsimus, & primo loco generatus; cùm ſine oculis poſsit eſſe animal, ſine tactu aūt minimè. Quia in eo ſeruatur rō aīalis; vt patet primo de hiſtoria aīalium, cap [illegible] artibus animaliū, cap. 1. & 3. de anima, cap. vlt. Dicit tamen Auerroes, & cum eo quamplurimi alij, ꝗ ita proceſsit Ariſto., vt ordinem ſeruaret nobilitatis. Atqui huiuſmodi ordinem ſeruare in ſenſibus, & non in partibus animæ, cuius totum oppoſitum ſeruauit, conſonum minimè videtur.

Propterea animaduertens Ariſt. ꝗ in ſingulis ſenſibus tria pcipuè ſunt conſideranda, nimirū obiectum, mediū, & organum; qa operatio fit ex actione obiecti in organū per mediū, inde tranſmittens ſpēm ab obiecto ad organū, & cùm mediū & organū in tactu ſuperq. ſatis obſcura ſint, à tactu ſi incepiſſet, meritò iureq. optimo dubitare potuiſſemus, nunquid organū & mediū quilibet ſenſus habeat. A viſu itaq. primordia capere voluit, qa in eo cùm lucida & diſtincta ſint ea oīa, facilè erat cognoſcere huiuſmodi operationes fieri ex trāſmiſsione ſpecierū ab obiectis ad organa p media; & inde facilius idē colligere in ſenſibus in qbus illud obſcurū erat, nēpe in tactu & guſtu; de qbus vlt. loco Ariſt. verba facit. Et ſi qs de iſtis duobus ſenſibus ita dubitet, vt nolit eorū organa & media eſſe difficilia cognitu, Ariſtotelis de eis legat tractationē, & oīa ſibi clara reddentur. Illa.n. percurrit & ita leuiter tangit, vt nihil exprimat quodnā in his duobus ſenſibus organū & mediū dici poſsit. Et in libro primo de hiſtoria aīalium cap. 3., dicit ꝗ organū tactus nomine vacat. Quare in hoc ordine ſolam noſtram faciliorem cognitionem inſpexit Ariſtoteles, & non nobilitatem.

Quod

Quod etiam conuincitur ex his quæ tradit in primo de hiſtoria animalium cap.6., & in.2. de partibus animalium cap.10. Primo nanque loco ita formaliter legitur: Sed primum partes hominis explicare debemus. Vt enim nummos ad id,quod ſibi quiſque exploratum,certumq́. habet, probare ſolet, ita cæteris quoque in rebus agendum eſt. At homo animalium maximè omnium notum nobis neceſſariò eſt. Ex quo patet, ꝙ loquens de ordine doctrinæ; veluti conſtat proponit primo ſe de hominis partibus tractaturum, deinde de partibus cæterorum; idq́. quia homo eſt vt res omnibus nota. Propterea dicit.ꝙ ſicut quiſq. approbat nummos per comparationem eorum ad aurum & argentum,quæ ſibi nota ſunt, ita etiam in reliquis agendum eſt. Ideo ab homine, tanquam à nobis notiore eſt exordiendum;& tamen eſt vltimum animalium ordine generationis; licèt ſit primum ordine perfectionis. In ſecundo etiam loco, idem confirmat, dicens: Quæ autem (ſcilicet animalia) vnà cum vita, ſenſu etiã prędita ſunt, hæc ſpeciem multiformiorem, numeroſioremq́. varietatem reçipiunt. Atque inter ea alijs, alia magis, & eo amplius quo non ſolùm viuendi, ſed etiam benè viuendi rationem natura eorum obtinuit, quale hominum genus eſt. Quippe quod aut vnum ex omnibus animalibus nobis cognitis, diuinitatis particeps ſit, aut omnium maximè. Itaq. tum ob eam rem, tum etiam ꝙ exteriorum partium eius forma notiſsima ſit, primùm de homine diſſerendũ cenſemus. Hæc ille. Ex quibus perquam clariſsimè conſtat, ꝙ Ariſt. primo de homine tractare intendit, tum ob eius dignitatem, tum etiam quia exteriorum partium eius forma notiſsima eſt. Et ita confirmat id quod alias in procemio phyſicorum dixerat, nimirum quod à notioribus nobis ordine doctrinæ ſemper eſt progrediendum.

Id quod et ſeruauit in libro decem p̄dicamentorum; vbi prius de relatione, q̃ de qualitate, ſermonẽ habuit; cùm tamen natura prius ſit abſolutũ ipſo relatiuo. At id non niſi ob noſtram faciliorem melioremq́. notitiam. In cap. ſiquidem de quantitate, relationis mentionẽ fecerat; propterea vt melius naturam quantitatis perciperemus, ſpreto ordine naturæ, de relatione immediatè pertractauit. Quibus quidem aſtipulans Porphyrius, caput de ſpecie, illud de differentia pręcedere voluit; cùm tamen differentia ſit natura prior ipſa ſpecie; cùm hæc ex illa conſtituatur in eſſe.

Nec eſt ſilentio ptranſeundum, ꝙ Ariſt. in 1. Meteororũ libro cap. 1. in calce dicit: Cùm aũt pertranſiuerimus de his, ſpeculabimur ſi quid poſſumus, ſecundùm inductũ modũ dicere de aĩalibus & plantis, vniuerſaliter, & ſingillatim. Vbi innuit ſe pręordinaturũ librum de aĩalibus, libro de plãtis. Quod & clarius dicit in libro de longitudine & breuitate vitę in calce; vbi poſtq̃ fuit locutus de plantis, nonnulla de eis quaſi incidenter exarans, inquit: ſed de hoc quidem ſecundum ſe in ijs quę de plantis determinabitur. Nunc aũt de alijs aĩalibus dicta eſt cauſa magnitudinis vitę, & de vitę breuitate. Reliquũ aũt nobis conſiderare de iuuẽtute & ſenectute, & vita & morte. His.n. determinatis, finẽ vtiq. habebit quę de aĩalibus methodus. Quid clarius? Nihilominus tamẽ plantę ſunt animalibus natura priores. Addo ꝙ Ariſtoteles prius tractauit de hiſtoria animalium, q̃ de generatione &

partibus eorum; cùm tamen hæc ſint natura priora. Huic doctrinæ fauet doctiſsimus Marcusantonius Zimara theore. 14. Cuius tamen oppoſitum docet dominus Ludouicus Buccaferreus, in primo phy., lectio prima, lectio. quinta, & lectio. 19.; & quarto Meteoro. lectio. prima; vbi vult, quod ordo doctrinæ inſequatur ordinem naturæ, eiq́. ſit omnino conformis.

Cui quidem videntur aſtipulari Dominus AEgidius Romanus, in præfatione ſua ſuper lib. phy., Iauellus in Epitomi ſuper lib. phy. cap. 2.; qui philoſophiam naturalem diuidunt, iuxta ordinem rerum naturalem. Et Fonſeça in primo lib. Meta., cap. 2., q. 2., ſectio. 8., docet quod ordo accuratæ doctrinæ ita ſe habet, vt ipſam doctrinam tradens, ſemper procedat ab ijs, à quibus cætera pendent, vt ex principijs & cauſis demõſtret effecta. Quod & confirmat in lib. 2. Meta. cap. 3. q. 5., ſectio. 5., ad initiũ; vbi dicit, quod ordo accuratæ diſciplinæ conſentaneus eſt ordini naturæ.

Pererius autem concordat nobiſcum, lib. 3. cap. 10. Et re vera ſi hoc rectè perpendatur, etiam voces ipſas rem perſpicuam reddere conſtabit. Nam ordo naturæ & ordo doctrinæ dicunt duo diuerſa. Primus ſiquidem dicit diſpoſitionem, quam rebus indidit natura. Secundus vero dicit diſpoſitionem, qua nos ipſas res addiſcimus. Vnde in tradenda ſcientia, non intendimus rebus ordinem imponere; iam enim id fecit natura. Sed intentio eſt, doctrinam & diſciplinam ordinare, ſecundùm quod exigit natura & imbecillitas noſtra. Vt ſcilicet à notioribus nobis, & ab ijs, quibus & facilius & melius addiſcere poſſumus, primordia capiamus. Iſte enim eſt finis ordinis doctrinæ. Propterea ſi contingat, (vt ſæpe contingit) quód ſcientia ordinetur ſecundùm ordinem naturæ, id non fit quatenus eſt ordo naturæ, at quatenus illa ſunt notiora nobis. Id quod etiam adnotauit Alexander de Ales in. 5. Meta. t. 1., expoſitio. 2. in fine.

Quod quidem ut clarius intelligatur, animaduertendum eſt; quod duplex eſt cognitio noſtra, perfecta ſcilicet & imperfecta, ſeu confuſa & diſtincta. Perfecta, ſeu diſtincta, adhuc duplex eſt, ſimpliciter ſcilicet & in genere. Prima eſt illa quæ totalem rei exigit notitiam; ſecunda vero, non niſi quanta ſufficit illi arti, ſeu diſciplinæ, quæ vtitur illa. Vt Naturalis, exactam & omnino perfectam debet habere notitiam de plantis & metallis; ſecus imperfectè ea ſcire diceretur. Faber autem lignarius, & ærarius, non niſi quatenus ſufficit ad illas artes exercendas; & tamen cognitio illa dicetur perfecta. Perfecta, inquã; nõ ſimpliciter, at in genere.

Item: Vnum poteſt dici notius altero dupliciter; vno modo tanquam iuuans ad habendam illius notitiam, quo notius eſſe dicitur. Alio modo tanquam nihil conferens ad notitiam alterius. Veluti planta & lapis eſt quid nobis notius ipſo motore primo, nihil tamen eorum notitia confert ad notitiam primi motoris æterni. Miſſo tamen ſecundo membro, primum adhuc ſubdiuidendum duximus in hunc modum; Aliquod poteſt ducere in alterius cognitionem, altero iſtorum trium modorum, Aut tanquam medium, ex quo illius colligitur notitia & cognitio; veluti tranſmutatio eſt medium cognoſcendi materiam; & ita eſt notior ea. Aut tanquam ſimpliciter neceſſarium ad illius cognitionem, & tanquam

causa

cauſa ſine qua non; veluti animal reſpectu ipſius hominis, ſeu [illegible]. Non enim huiuſmodi ſpecies diſtinctè cognoſcerentur, niſi prius cognito animali. Vnde genus ſemper confert ad cognitionem diſtinctam ſpeciei; non tamen illam infert; vt liquido patet. Aut tanquam vtile, quoniam eo cognito, alterius cognitionem de facili conſequimur. Et hac de cauſa, animalia dicuntur nobis notiora quam ſtirpes, licet nec [illegible]ſant, nec ſint ſimpliciter neceſſaria ad earum cognitionem. Quandoquidem ſtirpes ſine animalium cognitione, innoteſcere poſſunt. Illorum tamen cognitio, ad harum cognitionem & notitiam vtilis eſt. Quia multa ſunt in animalibus, quibus; ſeruata proportione; quædam in plantis correſpondent; quemadmodum radix, quæ inſtar oris eſt. Poteſt etiam cognoſci ſenſus tactus ſine viſu; maxima tamen cum difficultate. At viſus habita notitia, aliorum facilè conſequimur. A notioribus nobis itaque procedimus in methodis, iuxta primam acceptionem, in ordine autem non niſi iuxta ſecundam & tertiam. Et ſi fiat proceſſus in ordine iuxta primam acceptionem, hoc accidit; veluti expleto tractatu de natura Ariſtoteles, inde tractat de motu; quoniam aliquando euenit vt illa quæ ordinantur, mutuo ſe inferant. Hoc tamen ipſi ordini accidit, atque diſpoſitioni; quoniam in illa diſpoſitione & ordinatione, nulla attenditur illatio; ſed quod illud prius tractetur, quod eſt nobis notius, altero illorum duorum modorum, quos ſupra enumerauimus. Et ſi ex notione finis, aliquid colligatur in ordine reſolutiuo, hoc facit non quà ordo, ſed quà methodus, quam habet annexam. Vel conuenit ei non quà ordo, ſed quà talis ordo; ſicut homo eſt viſibilis non quà animal, ſed quà tale animal. Aliud igitur eſt munus methodi, aliud ordinis. Nam methodus facit vt addiſcamus, ita quod ſine ipſa nihil addiſceremus. Ordo autem non ita, at vt melius, faciliusq. addiſcere valeamus. Quare memoriæ mandanda eſt illa Ariſtotelis ſententia: Principium doctrinæ non ſemper eſſe principium rei, ſed vnde aliquis facilius diſcat, Metaphyſicę lib quinto, ad initium. Ex quibus oritur hoc, quod methodus, vtranq. reſpicit cognitionem, diſtinctam ſcilicet & confuſam. Ordo autem non niſi diſtinctam. Vt methodus ſit progreſſus à notioribus nobis tum cognitione diſtincta, tum cognitione confuſa. Ordo autem à notioribus nobis cognitione diſtincta, nunquam confuſa. Diſtincta; inquam; vel ſimpliciter, vel in genere. Cuiusq. nanque diſciplinæ partes ita ſunt ordinandæ atque diſponendæ, vt in ea optima illarum, quo ad fieri poteſt, habeatur doctrina.

[illegible] quandocunque aliqua duo ita ſe habent, vt ad cognitionem diſtinctam vnius conſequendam, neceſſaria ſit alterius cognitio diſtincta; veluti cognitio generis reſpectu ſpeciei; vt generis cognitio præcedat neceſſe eſt. Si vero aliqua duo æque ſub eodem genere ſunt, ita quod vnum poſſit cognoſci ſine alio; non tamen ita facilè; veluti homo, & aliæ animalium ſpecies ſub animali; præmittenda eſt ſemper cognitio illius, quod [illegible] eſt cognitu, & ad aliorum notitiam vtile; ſicuti cognitio partium [illegible] facilior em reddit partium a[illegible] animalium notitiam.

Idem

Idem de viſu, reſpectu tactus. Hanc ob cauſam Ariſto. locis præcitatis, prius tractauit de partibus hominis, quàm de partibus aliorum animalium, & prius de viſu, quàm de tactu; non quia cognitio illorum ſit neceſſaria ad cognitionem iſtorum, ita vt ſine eis minimè poſsint diſtinctè cognoſci; ſed quia cognitio illorum, eſt utilis ad horum cognitionem; vt illa præmiſſa, facilior reddatur iſta. Vnde ordo doctrinæ eſt progreſſus ab vniuerſalioribus & notioribus nobis cognitione diſtincta, ad minus vniuerſalia & minus nota, vt melius & facilius addiſcere valeamus.

Hinc Ariſto. in libris phy., exordium ſumpſit à cognitione principiorum, tanquam à notioribus nobis, cognitione diſtincta. Nam licèt compoſita, notiora ſint ipſis principijs, & cauſis, cognitione confuſa, minimè autem cognitione diſtincta. Ex eo quòd notitia diſtincta compoſitorum, pendet ex notitia diſtincta principiorum, at nonècontra. Quare vt compoſita diſtinctè noſcantur, principiorum notitia diſtincta præcedat neceſſe eſt, tanquam illa ſine qua compoſita diſtinctè minimè cognoſcerentur. Quare principia erunt nobis notiora iuxta primum ſenſum; veluti ſcilicèt illa, quorum notitia eſt neceſſaria ad notitiam aliorum.

Eſt tamen animaduertendum, quòd quando dicimus, ordinem doctrinæ eſſe progreſſum ab vniuerſalioribus, ad minus vniuerſalia, eſt verum vt in plurimis, non autem ſimpliciter; veluti ex dictis colligi poteſt. Propterea dicebat Auerroes in primo meteoro. ad initium, q̃ duplex eſt ordo doctrinæ, neceſsitatis ſcilicet & vt melius. Primus eſt quando notitia vnius eſt neceſſaria ad notitiam alterius, veluti cauſa ſine qua non; ita vt poſterius ſine prioris notitia, intelligi minimè poteſt; vt conſtat de principiato & principijs, de genere & ſpecie, & huiuſmodi. Secundus verò eſt, quando notitia vnius non eſt neceſſaria, atqui ſolummodò vtilis, ad notitiam alterius; veluti patet de viſu reſpectu tactus, & de animali reſpectu plantæ; vt ſupra diximus. Quotieſcunque igitur iuxta primum modum ordinatur doctrina, ſemper ab vniuerſalioribus inchoandum eſt; non quia ſint vniuerſaliora, ſed quia notiora. Quamobrem in hoc ſenſu, notiora & vniuerſaliora ſunt annexa. Et quia hoc vt plurimum fieri ſolet, idcirco ab Ariſto. & Auerroe fuit ſimpliciter prolatum, quòd ordo doctrinæ exigit, vt ab vniuerſalioribus primordia capiamus. Quando autem iuxta ſecundum modum ordinatur doctrina, tunc minus vniuerſalia præcedunt magis vniuerſalia. Quod quidem fieri ſolet, vel quando natura generis eſt per ſe nota, & accidentia ſpeciei non ſunt ſpecies accidentium generis. Veluti ſi natura animalis eſſet per ſe ſimpliciter nota, volens tractare de homine, non cogeretur præmittere tractatum de animali; tum quia natura animalis eſſet per ſe nota, tum quia accidens proprium, ſeu paſsio hominis, quæ eſt riſibilitas, non eſt ſpecies paſsionis & proprietatis animalis. Vel quando aliqua ex æquo ſub eodem genere continentur, & vnum eſt facilius cognitu alio; vt de ſenſu viſus & tactus ſupra diximus. Tunc enim inchoandum eſt à notiori, cùm eius notitia ſit vtilis ad notitiam aliorum. Et hæc quando de rerum naturis habetur ſermo & doctrina, ita vt ipſarum naturæ & proprietates ſpectantur.

Si verò

Si verò ſermo ſit de ſolis accidentibus, veluti de longitudine & breuitate vitæ, iuuentute & ſenectute &c.: Et etiam in Mathematicis; non cogimur prius tractare de accidentibus generis quàm ſpeciei, niſi forte ob faciliorem, clarioremq́. doctrinam: Idq́. ſi vtraq. ſenſilia ſint. Sin minus; veluti ſunt paſsiones rerum mathematicalium; nulla doctrinæ neceſsitas, minimeq́. facilitas exigit, vt prius declarentur accidentia generis, quàm ſpeciei. Quia vtraque ſunt inſenſilia, & quantò magis ſunt vniuerſaliora & abſtractiora, tantò magis ſunt difficiliora. Euclydes igitur in Mathematicis attendens quòd genus; nimirum magnitudo latè accepta; eſt per ſe notum & manifeſtum, de eo nullam voluit habere mentionem. De ſpeciebus itaque, utpotè de linea, ſuperficie, & id genus alijs, earúq. accidentibus prius tractauit, & eas expreſsit, tum quia genus eſt per ſe notum, tum ob dimenſionum diſcrimen, tum quia earum accidentia ſeu proprietates, cùm ſint minus abſtractæ, & minus vniuerſales paſsionibus generis, & magnitudinis, ſunt faciliores, ex conſequenti ad notitiam paſſionum generis maximè conferunt, & vtiles ſunt.

Quando igitur ordinatur doctrina ordine neceſsitatis, ſemper ab vniuerſalioribus eſt inchoandum. Et ut plurimum huiuſmodi ſeruatur ordo. Quando verò ordinatur ordine ob melius, tunc non eſt neceſſe; vt proceſsit Ariſt. de animalibus; ut patebit infra. Et licèt omnis ordo ſit ob melius, quia ſemper attenditur facilitas doctrinæ, & vt melius addiſcamus; quia tamen res penès quas ordinatur doctrina ita ſe habent, quòd vna non poteſt cognoſci diſtinctè, niſi prius diſtinctè cognoſcatur alia, ideo dicitur ordo neceſsitatis. Nam aliàs diximus, quòd non incipimus ab vniuerſalioribus quia talia ſint, ſed quia ſunt notiora; nec ordinem inſequimur naturæ, quia ſit talis, ſed quia facilius & melius addiſcimus. Et hæc erit tota huius doctrinæ reſolutio; ſiue loquamur de rerum ſubſtantia, ſeu de accidentibus; quanquam de accidentibus non ſit neceſſe; vt dictum eſt; quia tamen aliquando proprietates ſpecierum ſunt ſpecies proprietatis generis; vt patet de caliditate in igne, & in hoc igne; propterea prius de accidentibus generis, quàm de ſpeciei, agendum eſt. Hinc fit, vt totius doctrinæ reſolutionem in hoc ſtare velimus; quòd ſcilicet vbicunque eſt ordo neceſsitatis, ibi incipimus ab vniuerſalioribus; vbi autem eſt ob melius, non eſt neceſſe. Sed hoc contingit de raro. Et hoc patet in tota philoſophia Ariſto.; veluti conſtabit in ordinatione Naturalis philoſophiæ. Huic doctrinæ fauet Zimara, theore. 14. per totum. Sed Illuſtris admodum domini Comitis Iacobi Zabarellæ, cuius ſumus inſecuti veſtigia, Deus vitam ad multos perducat annos.

De ſpeciebus ordinis doctrinæ. *Cap. 32.*

HVcuſque egimus de ordine doctrinæ in ſe & abſolutè, ſupereſt modò vt de eius ſpeciebus laconicè nonnulla dicamus. Notum eſt de hoc, præclariſsimos uiros multa dixiſſe & conſcripſiſſe; quæ tamen nobis; breuitatis gratia; minimè ſunt tractanda: atqui ea tantum di-

tùm dixerimus, quæ veritati conſona arbitramur.

Duas igitur ordinis ſpecies inuenimus, ex conſequenti nobis ſummopere placet, vt ordo in compoſitiuum & reſolutiuum diuidatur. Quæ quidem diuiſio, ex eo ſufficiens conuincitur, quòd finis ordinis eſt melior ac facilior noſtra cognitio. Omnis autem noſtra cognitio, vel eſt ſpeculatiua, vel practica; ſi ſpeculatiua, eius finis eſt ſcire; ſi practica, eius finis eſt operari; veluti ſupra diximus.

Si igitur diſciplinam quærimus ſpeculatiuam, cogit neceſsitas vt à primis principijs initium capiamus, deinde ad poſteriora principia, & ad ea quæ ex principijs conſtant, & à ſimplicibus ad compoſita progrediamur; vt perfectam rerum notitiam comparare valeamus. Et iſte eſt ordo compoſitiuus. Si verò diſciplinam quærimus operatricem, ſeu practicam, conſtat quòd non propter ſe, atqui propter operationem, & alicuius finis adeptionem, illam inquirimus. Propterea à notione ipſius finis auſpicari tenemur, & inde ad prima principia inueſtiganda procedere, à quibus tandem operationem incipimus. Et iſte eſt ordo reſolutiuus.

Sunt qui addunt ordinem definitiuum; vt ſcilicet in principio diſciplinæ ordinandæ, ponatur eius definitio, ex rebus omnibus in ea tractandis, conſtructa. Deinde ſingulas res ſeriatim, eo ordine quo ſunt in definitione poſitæ, declarare vſque ad infimas ſpecies, & donec omnes res in definitione poſitæ, ſint tractatæ & declaratæ. Vt ſi dicamus: Scientia Naturalis eſt cognitio principiorum, & proprietatum omnium corporis naturalis: generatim primò, deinde ſingillatim, ſimplicium corporum, & miſtorum, tum animatorum, tum inanimatorum, vſque ad infimas ſpecies. Hac itaque definitione propoſita, incipiendum erit à primis principijs, & communibus affectionibus omnium rerum naturalium; deinde de ſimplicibus corporibus, poſtea de miſtis, generatim prius, deinde ſpeciatim, uſque ad infimas ſpecies, agendum erit. Ita Galenus in principio artis paruæ; quem inſequitur Lucillus Philalthæus in præfatione, ſuper lib. phy. cap. 2. Verùm fruſtra hæc fiunt; quoniam definitio illa ſtabit ſemper loco proœmij; & res eo ordine tractabuntur, quem habent in definitione. Proœmium autem, neque neceſſarium, neque pars eſt ipſius diſciplinæ; cùm ſine eo, integra maneat & perfecta. Non igitur inter ipſam diſciplinam & definitionem eiuſdem, aliquis poteſt eſſe ordo. Nam ordo ſemper reſpicit partes, cùm nil aliud ſit, quàm diſpoſitio partium adinuicem.

Accedit, quòd definitio diſciplinæ non variat ordinem eiuſdem, neque igitur ordinem parere poteſt. Id quod antecedit, in hunc modum perquamfacillimè declarari poteſt: Patet ſiquidem, quòd proœmium ſcientiæ nil aliud continere ſolet, quàm res tractandas in illa, vnà cum ordine, quo ſunt tractandæ. Idemq́. dicimus de ipſius ſcientiæ & artis definitione; veluti patet in illa, quam adduximus ſcientiæ Naturalis definitione; & etiam in illa, quàm ad initium artis Medicæ propoſuit Galenus, dicens: Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum.

Omne igitur proœmium poteſt verti in diſciplinæ definitionem, &

ècontra;

è contra; nullumq́. erit diſcrimen, niſi in modo loquendi. Vt ſi dicamus: Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium,& neutrorum; patet ꝙ hæc eſt definitio. Illam modò vertamus in proœmium, tali pacto: In ſcientia Medica tractabitur de ſalubribus, inſalubribus, & neutris. Patet quòd eadem continet, idemq́. eſt ſenſus, & nullum eſt diſcrimen, niſi in verbis. Accipiatur igitur ſcientiæ Naturalis proœmium, & vertatur in illam, quã eiuſdem ſcientiæ attulimus definitionem, ſeu in aptiorem, vt placet. Et deinde tractetur de rebus, in illa propoſita definitione contentis, eo ordine quo in illa ponuntur. Tunc percunctor ego, nunquid ille ordo ſit idem cum ordine, quo Ariſto. ſcientiam ordinauit Naturalem; quòd ſi idem, an neſcimus illum Ariſt. eſſe compoſitiuum? Si autem fuerit alius, iam non erit proœmium verſum in definitionem, & ita non erit recta definitio illa ſcientiæ. Non igitur definitio Diſciplinæ ordinem variat; quòd ſi uariare non poteſt, quomodo alium ordinem ab his, quos ſupra enumerauimus parere poterit? Non igitur datur ordo iſte definitiuus; at ſolùm compoſitiuus, & reſolutiuus. Ille quidem in ſpeculatiuis tantùm, iſte autem ſolùm in practicis, & effectiuis. Propterea Ariſto. in proœmio primi phyſicorum oſtendit omnem ſcientiam, ſeu doctrinam ſpeculatiuam, ordine compoſitiuo conſcribendam eſſe; veluti oſtendimus in eius expoſitione. In 7. autem Meta. contex. 23., oppoſitum docet de operatricibus; quod ſcilicet deſcribuntur & traduntur ordine reſolutiuo, qui eſt à notione finis, finis, inquam, à nobis producibilis. Veluti ſi tradenda ſit ars ædificatoria, finem prius cognoſcamus oportet, definitionem ſcilicet ipſius domus, quæ eſt finis à nobis producibilis; ut aliàs diximus; à qua quidem definitione, fit tranſitus ad fundamenta, parietes, tectum; & ab his ad lapides, ligna, cæmentum, &c. quæ ſunt ſimplicißima illius artis principia atque elementa, in quibus deſinit ars ipſa docens, & à quibus poſtmodum ars operans primordia capit. Idem docet Ariſt. 7. Ethi. cap. 8., vbi legitur: Id autem gratia cuius, principium eſt in actibus, perinde ut ſuppoſitiones ipſæ in Mathematicis. In Mathematicis enim, utpotè in Geometria, ſupponitur quòd à puncto ad punctum licet rectam lineam ducere, & quòd punctus eſt cuius pars non eſt. Vnde ſi quis erret circa huiuſmodi, & alia illius ſcientiæ principia, & aliter credat, non poteſt ei aliquid probari in Geometria, & malè atque peruersè percipiet omnia quæ ſequuntur ex illis. Eodem pacto in rebus agendis, cùm principium ſit ipſe finis, ſi quis eum rectè accipit, benè eſt; ſi autem malè, difficile erit ipſum remouere à tali opinione. Idem confirmat Ariſto. in 6. Ethi. cap. 5., vbi dicit: Nam principium quidem rerum agendarum, id eſt, gratia cuius ſunt ipſæ. Ex quibus conſtat, intentionem eſſe Ariſtotelis, quòd omnis diſciplina practica & effectiua deſcribatur & tradatur ordine reſolutiuo, qui procedit à notione finis. Quod clarius oſtẽdit in ſcientia, ſeu doctrina de moribus, illam ordinando ordine reſolutiuo, incipiendo ab ipſa felicitate, quæ eſt finis rerum agendarum. Alium itaq. ordinem cùm non nouerit Ariſto., ad quid illum addere definitiuum? Vanum id quidem eſt, & ab omni ratione alienum.

Huic

Huic ſententiæ ſubſcribit Fonſeca in primo Meta. lib. cap. 2. q. 2. ſectio. 8. vbi dicit, quòd in traditione ſcientiarum, vtimur ordine compoſitiuo; vt ex principijs & cauſis demonſtremus effecta; etſi in huiuſmodi ſuis verbis, magis methodum, quàm ordinem attendere videatur. Methodus enim, vt diximus ſupra, notat illationem, ordo autem minimè. Diſcrepat tamen in hoc, quia vult ordinem reſolutiuum vſitari in ſcientiarum inuentione. Vt ſcilicet inuentor ſcientiæ procedat à compoſitis ad ſimplicia, & à minus vniuerſalibus, ad magis vniuerſalia. Ita vt vbi deſinit inuentio, ibi incipiat deſcriptio, & diſpoſitio doctrinæ; nimirum à principijs, & cauſis. Cui aſſentit Lucillus Philaltheus, in præfatione ſuper lib. phy. cap. 2. Huic, inquam, doctrinæ minimè aſſentio; quandoquidem ſi in doctrinæ inuentione proceditur à minus vniuerſalibus, ad magis uniuerſalia, quouſque ad principia prima, cauſasq́ primas deueniamus; aut iſte proceſſus dicit illationem, aut non. Si primum, tunc à cognitione minus vniuerſalis, deuoniemus in cognitionem magis vniuerſalis, hoc ex illo inferendo; quare non ordo, at propriè methodus erit. Si ſecundum, tunc neceſſe eſt priùs tractari de minus vniuerſali, quàm de magis vniuerſali, & de proximis principijs, quàm de remotis; vt liquidò patet. At hæc non eſt niſi confuſa cognitio; quoniam dum prima & remotiſsima principia ignoramus, nec aliorum notitiam habere poſſumus. Quare de ſpeciebus notitiam non haberemus, niſi confuſam, quæ quidem, ſcientia minimè nuncupari debet, cùm ſcientia ſit diſtincta & perfecta notitia rerum, quæ in illa conſiderantur, veluti habetur ex primo poſte., & ex proœmio primi phy. [illegible]

Duæ igitur ſunt tantùm ordinis doctrinæ ſpecies, compoſitiuus ſcilicet & reſolutiuus. Et ille vſitatur ſemper, tum in inueniendis, tum in ordinandis, ſeu conſcribendis, & tradendis ſcientijs propriè ſumptis. Iſte autem in practicis & operatricibus. Quo fit, vt falſa reddatur eorum doctrina, qui omnem diſciplinam ordinandam volunt ordine compoſitiuo. Id enim eſt proprium ſpeculatiuæ. Videatur Ariſtoteles, primo de moribus, cap. 4. De logica non ſit modò ſermo, quoniam cùm nec propriè ſcientia ſit, nec propriè ars; veluti alias docuimus; ita nec propriè ſpeculatiua, nec practica dici poteſt; quare nec huiuſmodi ordinibus propriè gaudere poteſt. Quia tamen eſt habitus inſtrumentarius, quo acquiritur ſcientia, & eſt effectrix inſtrumentorum, quibus acquiritur ſcientia, inde eſt, quòd in ea, & compoſitiuus, & reſolutiuus ordo admittitur. Cùm enim magis ſapiat naturam effectricis, quàm ſcientiæ, illam ſemper vti ordine reſolutiuo eſſet neceſſe. Quia tamen, tam doctrina, quàm operatio eſt intellectualis, vt nullo pacto ſint disiunctæ, neceſſariò ſequitur, quòd docendo inſtrumenta, ſimul eadem generet. Cuius oppoſitum in artibus reperitur. Nam ordine vtuntur reſolutiuo, ad inueniendà principia, quibus inuentis, ordine vtuntur compoſitiuo ad operandum, atque conficiendum inſtrumentum, quod quidem accidit, quia artis inſtrumentum eſt materiale: Logicæ autem, intellectuale, & operatio intellectualis. Repertis itaque inſtrumentis, incipit Ariſt. tradere

doctrinam artis ipſius Logicæ, nimirum in lib. priorum & poſte.; & propterea eos ordinat ordine reſolutiuo; à definitione finis, & eius reſolutione in ſua principia procedendo.

Mathematicæ diſciplinæ primo loco ſunt addiſcendæ, ſecundò loco Naturalis, vltimo loco diuina. Cap. 33.

HIS itaque in hunc modum conſtitutis & declaratis, ſupereſt vt principale noſtrum aggrediamur inſtitutum; quemnam ſcilicet ordinem habeant ad inuicem ſcientiæ illæ totales, de quibus ſupra egimus. Intentio tamen non eſt, illum inter eas aſsignare ordinem, quem declarauimus neceſſarium eſſe in diſpoſitione cuiuſcunque doctrinæ particularis, quoniam illum non habent; cùm vna perfectè ſine alia haberi poſsit. Atqui intentio eſt, ſi quis vellet omnes huiuſmodi ſcientias addiſcere, à quanam tanquam à faciliori, initium deſumendum eſſet, & ita vſque ad difficiliorem procedendo.

Pro cuius exaratione, talis ponitur concluſio: Mathematicæ diſciplinæ, primo loco ſunt addiſcendæ, ſecundo loco Naturalis, vltimò loco Diuina. *Concluſio.*

Tres habet partes huiuſmodi aſſertio, quarum ſingula probatur; & quidem primæ permaximè fauet Ariſto. in. 6. Ethi. cap. 8. vbi inquirit cur puer effici poteſt Mathematicus, primus autem Philoſophus, nequidē Naturalis, minimè? Reſpondet deinde; id propterea fieri, quia principia mathematica, vel res mathematicæ ſumuntur per abſtractionem. Principia autem primæ philoſophiæ & Naturalis, innoteſcunt ſenſu, vel experientia; quæ longo eget tempore. Mathematica verò non indiget experientia, quia eorum principia ſunt definitiones rerum quæ abſtrahuntur à ſingularibus, & non indigent experientia. Ex quo patet, quòd pueri poſſunt fieri mathematici, primi autem philoſophi, nec Naturales, haudquaquam. Mathematica igitur omnibus alijs erit facilior, & ita primo loco addiſcenda. Nam diximus, totam rationem ordinis doctrinæ conſiſtere in hoc, vt facilius & melius addiſcamus. Mathematicas autem facilius addiſcimus, quia rerum mathematicalium definitiones non ſunt obſcuræ; inquit Ariſtoteles. Hoc itaque attendens in. 6. Sapientiæ, cap. primo, ſcientias enumerando ſpeculatiuas, primum locum attribuit Mathematicæ, ſecundum Naturali, tertium Theologiæ. Et in ſecundo eiuſdem voluminis, ad finem, dixit, in omnibus non eſſe expetendam acribologiam Mathematicam, quia eſt alijs certior. Et inter declarandum ſcientiam Naturalem, diuinam, & etiam Logicam ipſam, ſemper vſus eſt exemplis mathematicis. Eapropter Plato in oſtio, huiuſmodi dictum ſcriptum tenebat: Nè quis ignarus Mathematices, ſcholam ingrediatur. Et Alcinous in de doctrina Platonis, vocabat Mathematicam diſciplinam, ſcientiam communem ad omnes alias, cæteriſq́. certiorem. Propterea antiquitus, prius Mathematicas diſciplinas addiſce-

bant, quàm alias ſcientias. Ex ijs itaque teſtimonijs, clara & firma redditur prima pars concluſionis noſtræ.

Secunda etiam pars ex eo patet, quia à facilioribus, nobiſq. notioribus, ſemper eſt inchoandum; doctrina eſt Ariſto. in proœmio phy., in primo Ethi. cap. 4., & id iam ſatis ſupra oſtendimus.

Res autem naturales, & faciliores & notiores nobis ſunt quàm illæ diuinæ, cùm ſenſui ſubiaceant. Sunt igitur prius addiſcendæ naturales quàm diuinæ. Accedit titulus Metaphyſicę Ariſtotelis; Inſcribitur enim Metataphyſica, quaſi poſt naturalia; veluti docet Alexander. Poſt naturalia igitur, ſunt addiſcenda ipſa diuina. Et ita firma remanet concluſio noſtra. Cui quidem ſubſcribunt Simplicius in proœmio phy. quod ipſe edidit; Ludouicus Buccaferreus in primo phy. lectio. prima; Toletus in præfatione ſuâ in lib. phy. cap. 3., & alij. Eſt tamen verum quod Buccaferreus nonnulla dicit ad probandum quod Naturalis præcedat diuinam, quæ mihi haudquaquam probari poſſunt. Inquit enim quòd Metaphyſicus ſumit ſuum ſubiectum à Naturali; ſed & non ſolùm ſubiectum, verùm etiam conditiones ſubiecti. At ego minimè inſpicere poſſum, quo modo Sapiens & ſupremus artifex, qui alias dirigit diſciplinas & artes, eisq. præcipit, ſubiecta quoque cuique aſsignat, & principia probat, accipiat denique ab eis ſubiectum, & conditiones ſubiecti. Profectò pugnantia claudunt hæc.

Contra Buccaferreum.

Dicit præterea, quòd in ſcientijs particularibus ſemper eſt ſeruandus ordo naturæ, ita vt ordinetur doctrina penès ordinem rerum naturalem; in ſcientijs autem totalibus minimè; ſed à facilioribus nobis, earum deſumitur ordo. At hoc eſſe falſum, quòd de ſcientijs dicit particularibus; ſuperq; ſatis fuit ſupra oſtenſum. Nam tota ratio ordinandi doctrinam, deſumitur a cognitione noſtra.

Amplius, ſibimetipſi aduerſatur; quia parum ſupra oſtenderat, Mathematicam præcedere Naturalem, contra Albertum Alema., quia principiũ doctrinæ ex facilioribus eſſe debet, ex Ariſto. in. 6. Ethi. Facit deinde illam, quam diximus exceptionem. Nec poteſt dici quod loquatur de totalibus tantùm; quoniam propoſitio deſumpta ab Ariſto. eſt vniuerſalis. Vel igitur illam non intellexit, vel ſibi non conſtat.

Toletus autem primo loco ponit Logicam; cui minimè aduerſamur, immo ore & corde aſſentimus; nullum igitur ſit inter eum & nos diſsidium; quia loquimur nos de ſcientijs ſpeculatiuis tantùm, vt in nobis ſubiecta materia perſiſtamus. Hoc idem quod docuimus innuit. D. Tho.; opuſculo. 70. q. 5. artic. 1., in reſponſione ad tertium argumentum; vbi aſſerit quòd primò Logica, deinde Mathematica debet addiſci; quia illis quaſi quibuſdam vijs, præparatur animus ad alias phyſicas diſciplinas. In q. autem. 6. eiuſdem opuſcu. articulo primo, perquam clariſſimè oſtendit, Mathematicam eſſe omnibus alijs diſciplinis certiorem & faciliorem, & ex conſequenti prius addiſcendam. Et propè finem illius articuli, apertiſsimè dicit, quòd Metaphyſica addiſcitur poſt phyſicam, & cæteras ſcientias. Idem in quæſtio. quinta, eiuſdem opuſcu. articulo primo, ad nonum argumentum; vbi dicit,

quòd

quòd Metaphy. naturaliter, ideſt, ſecundùm perfectionem, eſt prima omnium ſcientiarum; ſed quò ad nos aliæ ſunt priores. Et in reſponſione ad 10. argumentum, dicit, quòd Naturalis philoſophia eſt poſt Mathematicam addiſcenda. Conſimilem doctrinam tradit in dicta reſponſione ad nonum, ex Auicen. in primo ſuæ Meta. libro; vbi vult, quòd Metaphyſica poſt omnes diſciplinas naturales, & etiam Mathematicas, addiſcatur. Et in primo contra Gentes, cap. 4., dicit, quòd Metá. ob eius maximam difficultatem, eſt vltimo loco addiſcenda.

In præfatione autem quam edidit in lib. phy. ita ſcribit: Sed quia ea quæ conſequuntur aliquod commune, prius & ſeorſum determināda ſunt, ne oporteat ea multoties, pertractando omnes partes illius, repetere; neceſſarium fuit quòd præmitteretur vnus liber in ſcientia Naturali, in quo tractaretur de his quæ conſequuntur ens mobile in communi: Sicut omnibus ſcientijs præmittitur philoſophia prima, in qua determinatur de his, quæ ſunt communia enti, inquantum ens. Hic autem eſt liber phyſicorum &c. Hæc ille in forma. Ex quibus videtur velle, quòd ſicut libri phyſicorum prius ſunt addiſcendi, quàm alij libri naturales; ita Metaphyſica ſit ante omnes alias ſcientias prædiſcenda; quod quidem ex diametro repugnat ijs, quæ ſæpius alibi dixit.

Fonſeca tamen in 2. Meta, cap. 3., q. 5., ſectio 4., in fine, nititur huiuſmodi dicta conciliare. Vt ſcilicet, ordine inuentionis voluerit D. Th. Metaphyſicam eſſe vltimam. Primam autem ordine accuratæ doctrinę. Quos quidem ordines, alibi compoſitiuum & reſolutiuum appellat; veluti declarauimus ſupra.

Veruntamen fallitur vir iſte; Tum quia vult ſcientias inueniri ordine reſolutiuo; cuius oppoſitum oſtendimus ſupra. Tum quia ponit ordinem accuratæ doctrinæ, ſeu compoſitiuum, in ſcientijs totalibus; quod tamen eſſe falſum ex hoc conuincitur; quia huiuſmodi ordines nunquam poſuit Ariſto., niſi in ſcientijs particularibus. Et hoc ideo, quia ordo compoſitiuus, ſeu accuratæ doctrinæ, eſt progreſſus à principijs ad principiata; quia hæc ſine illis non poſſunt diſtinctè cognoſci. Res autem Naturales & Mathematicæ, ſine ſubſtantiarum ſeparatarum notitia poſſunt diſtinctè cognoſci, & perfectè; notitia; inquam; perfecta, ſaltem in genere. Non igitur notitia ſubſtantiarum abſtractarum facit ad notitiam rerum naturalium. Quare nec ordo accuratæ doctrinæ eſt inter Metaphyſicam & alias diſciplinas.

Item, ordo reſolutiuus non reperitur niſi in operatricibus diſciplinis; quemadmodum præoſtendimus. Metaphyſica autem, Naturalis, & Mathematica, ſunt ſpeculatiuæ; vt patet; non igitur inter eas poteſt eſſe ordo reſolutiuus.

Cùm itaque huiuſmodi ordines non habeant locum niſi in ſcientijs particularibus; vt ex his quæ ſupra diximus facilè conſtat; vanum fuit has ſcientias totales illis ordinibus ordinare velle. Nec intentio noſtra eſt eas, ita ordinare, quia pro comperto habemus, vnam ſine alia addiſci poſſe; cùm ſint ſcientiæ totales, & in ſe perfectæ.

Oo 2 Atqui

quò ad nos. Secunda, ꝙ idem in diſciplina non erit crebrius iteratū. Tertia, quia propoſitiones vſitatæ in hoc non eſſent primę. V. G., qui demonſtrat in triangulo angulos eſſe æquales duobus rectis, demonſtrat hoc per propoſitiones primas. Qui autem demonſtrat hoc in triangulo diuerſorū laterum, vel ęqualium laterum, tunc propoſitiones quibus vtitur, nō erunt primæ. Similiter qui demonſtrat eſſentiam primæ materiæ homini, vel animali, vel alijs rebus particularibus. &c. Quòd aūt commune ſit notius particulari, oſtendit Ariſt. in primo phy., contextu. 4. & ſequentibus, tribus ſignis; veluti in illius procemij explanatione diximus ſatis. Hoc tamē manifeſtum eſt, ꝙ hunc ordinem ſeruauit Ariſt. in libris phy. Vbi proponit inueſtigandum de principijs, & cauſis vniuerſaliū rerum ſenſibilium, & cōibus accidentibus omnibus; veluti ſunt tempus, locus, &c. Deinde in ſequentibus deſcendit ad particularia. Quare pro cōperto habemus, rationem ordinandi ſcientias & diſciplinas, non ab ordine naturæ, at à noſtra cognitione, ſeu à faciliori modo noſtro addiſcendi, deſumendā eſſe: quod vt fiat, ab vniuerſalioribus inchoandum eſt. Vnde ſi contingat ordinem naturæ & cognitionis noſtræ aliquando eſſe coniunctos, tunc ſeruatur ordo naturæ, ſi autē ſint diſiuncti, minimè; at omnino negligitur ordo naturæ, & ſeruatur ordo cognitionis noſtræ. Idq. ſeruauit Ariſt. multis in locis; & pcipuè in. 2. de anima libro, tractaru de ſenſibus exterioribus; vbi à viſu initiū capere voluit, & vltimo loco de tactu ſermonē habuit; nihiloſecius ordine naturę tactus pręcedit omnes alios ſenſus, quia eſt omniū ſenſuum imperfectiſsimus, & cōmuniſsimus, & primo loco generatus; cùm ſine oculis poſsit eſſe animal, ſine tactū aūt minimè. Quia in eo ſeruatur rō aīalis; vt patet primo de hiſtoria aīalium, cap. [illegible] artibus animaliū, cap. 1. & 3. de anima, cap. vlt. Dicit tamen Auerroes, & cum eo quamplurimi alij, ꝙ ita proceſsit Ariſto., vt ordinem ſeruaret nobilitatis. Atqui huiuſmodi ordinem ſeruate in ſenſibus, & non in partibus animæ, cuius totum oppoſitum ſeruauit, conſonum minimè videtur.

Propterea animaduertens Ariſt. ꝙ in ſingulis ſenſibus tria pcipuè ſunt conſideranda, nimirū obiectum, mediū, & organum; qa operatio fit ex actione obiecti in organū per mediū, inde tranſmittens ſpēm ab obiecto ad organū, & cùm mediū & organū in tactu ſuperq. ſatis obſcura ſint, à tactu ſi incepiſſet, meritò iureq. optimo dubitare potuiſſemus, nunquid organū & mediū quilibet ſenſus habeat. A viſu itaq. primordia capere voluit, qa in eo cùm lucida & diſtincta ſint ea oīa, facilè erat cognoſcere huiuſmodi operationes fieri ex trāſmiſsione ſpecierū ab obiectis ad organa p media; & inde facilius idē colligere in ſenſibus in qbus illud obſcurū erat, nēpe in tactu & guſtu; de qbus vlt. loco Ariſt. verba facit. Et ſi qs de iſtis duobus ſenſibus ita dubitet, vt nolit eorū organa & media eſſe difficilia cognitu, Ariſtotelis de eis legat tractationē, & oīa ſibi clara reddentur. Illa .n. percurrit & ita leuiter tangit, vt nihil exprimat quodnā in his duobus ſenſibus organū & mediū dici poſsit. Et in libro primo de hiſtoria aīalium cap. 3., dicit ꝙ organū tactus nomine vacat. Quare in hoc ordine ſolam noſtram faciliorem cognitionem inſpexit Ariſtoteles, & non nobilitatem.

Quod

Quod etiam conuincitur ex his quæ tradit in primo de hiſtoria animalium cap.6., & in.2. de partibus animalium cap.10. Primo nanque loco ita formaliter legitur: Sed primum partes hominis explicare debemus. Vt enim nummos ad id, quod ſibi quiſque exploratum, certumq́. habet, probare ſolet, ita cæteris quoque in rebus agendum eſt. At homo animalium maximè omnium notum nobis neceſſario eſt. Ex quo patet, ꝙ loquens de ordine doctrinæ; veluti conſtat; proponit primò ſe de hominis partibus tractaturum, deinde de partibus cæterorum; idq́. quia homo eſt vt res omnibus nota. Propterea dicit, ꝙ ſicut quiſq. approbat nummos per comparationem eorum ad aurum & argentum, quæ ſibi nota ſunt, ita etiam in reliquis agendum eſt. Ideo ab homine, tanquam à nobis notiore eſt exordiendum; & tamen eſt vltimum animalium ordine generationis; licèt ſit primum ordine perfectionis. In ſecundo etiam loco, idem confirmat, dicens: Quæ autem (ſcilicet animalia) vnà cum vita, ſenſu etiã prędita ſunt, hæc ſpeciem multiformiorem, numeroſioremq́. varietatem recipiunt. Atque inter ea alijs, alia magis, & eo amplius quo non ſolùm viuendi, ſed etiam benè viuendi rationem natura eorum obtinuit, quale hominum genus eſt. Quippe quod aut vnum ex omnibus animalibus nobis cognitis, diuinitatis particeps ſit, aut omnium maximè. Itaq. tum ob eam rem, tum etiam ꝙ exteriorum partium eius forma notiſsima ſit, primùm de homine differendũ cenſemus. Hæc ille. Ex quibus perquamclariſsimè conſtat, ꝙ Ariſt. primo de homine tractare intendit, tum ob eius dignitatem, tum etiam quia exteriorum partium eius forma notiſsima eſt. Et ita confirmat id quod alias in proœmio phyſicorum dixerat, nimirum quòd à notioribus nobis ordine doctrinæ ſemper eſt progrediendum.

Id quod et ſeruauit in libro decem pdicamentorum; vbi prius de relatione, q̃ de qualitate, ſermonẽ habuit; cùm tamen natura prius ſit abſolutũ ipſo relatiuo. At id non niſi ob noſtram faciliorem melioremq́. notitiam. In cap. ſiquidem de quantitate, relationis mentionẽ fecerat; propterea vt melius naturam quantitatis perciperemus, ſpreto ordine naturæ, de relatione immediatè pertractauit. Quibus quidem aſtipulans Porphyrius, caput de ſpecie, illud de differentia pręcedere voluit; cùm tamen differentia ſit natura prior ipſa ſpecie; cùm hæc ex illa conſtituatur in eſſe.

Nec eſt ſilentio ptranſeundum, ꝙ Ariſt. in 1. Meteororũ libro cap. 1. in calce dicit: Cùm aũt pertranſiuerimus de his, ſpeculabimur ſi quid poſſumus, ſecundùm inductũ modũ dicere de aĩalibus & plantis, vniuerſaliter, & ſingulatim. Vbi innuit ſe pręordinaturũ librum de aĩalibus, libro de plãtis. Quod & clarius dicit in libro de longitudine & breuitate vitę in calce; vbi poſtq̃ fuit locutus de plantis, nonnulla de eis quaſi incidenter exarans, inquit: ſed de hoc quidem ſecundùm ſe in ijs quę de plantis determinabitur. Nunc aũt de alijs aĩalibus dicta eſt cauſa magnitudinis vitę, & de vitę breuitate. Reliquũ aũt nobis conſiderare de iuuẽtute & ſenectute, & vita & morte. His.n. determinatis, finẽ vtiq. habebit quę de aĩalibus methodus. Quid clarius? Nihilominus tamẽ plantę ſunt animalibus natura priores. Addo ꝙ Ariſtoteles prius tractauit de hiſtoria animalium, q̃ de generatione &

partibus eorum; cùm tamen hæc ſint natura priora. Huic doctrinæ fauet doctiſsimus Marcusantonius Zimara theore. 14. Cuius tamen oppoſitum docet dominus Ludouicus Buccaferreus, in primo phy., lectio prima, lectio. quinta, & lectio. 19.; & quarto Meteoro. lectio. prima; vbi vult, ꝙ ordo doctrinæ inſequatur ordinem naturæ, eiq. ſit omnino conformis.

Cui quidem videntur aſtipulari Dominus Ægidius Romanus, in præfatione ſua ſuper lib. phy., Iauellus in Epitomi ſuper lib. phy. cap. 2., qui philoſophiam naturalem diuidunt, iuxta ordinem rerum naturalem. Et Fonſeca in primo lib. Meta., cap. 2., q. 2., ſectio. 8., docet quod ordo accuratæ doctrinæ ita ſe habet, vt ipſam doctrinam tradens, ſemper procedat ab ijs, à quibus cætera pendent, vt ex principijs & cauſis demõſtret effecta. Quod & confirmat in lib. 2. Meta. cap. 3. q. 5., ſectio. 5., ad initiũ; vbi dicit, ꝙ ordo accuratæ diſciplinæ conſentaneus eſt ordini naturæ.

Pererius autem concordat nobiſcum, lib. 3. cap. 10. Et re vera ſi hoc rectè perpendatur, etiam voces ipſas rem perſpicuam reddere conſtabit. Nam ordo naturæ & ordo doctrinæ dicunt duo diuerſa. Primus ſiquidem dicit diſpoſitionem, quam rebus indidit natura. Secundus vero dicit diſpoſitionem, qua nos ipſas res addiſcimus. Vnde in tradenda ſcientia, non intendimus rebus ordinem imponere; iam enim id fecit natura. Sed intentio eſt, doctrinam & diſciplinam ordinare, ſecundùm ꝙ exigit natura & imbecillitas noſtra. Vt ſcilicet à notioribus nobis, & ab ijs, quibus & facilius & melius addiſcere poſſumus, primordia capiamus. Iſte enim eſt finis ordinis doctrinæ. Propterea ſi contingat, (vt ſæpe contingit) quòd ſcientia ordinetur ſecundum ordinem naturæ, id non fit quatenus eſt ordo naturæ, at quatenus illa ſunt notiora nobis. Id quod etiam adnotauit Alexander de Ales in. 5. Meta. t. 1., expoſitio. 2. in fine.

Quod quidem ut clarius intelligatur, animaduertendum eſt; quòd duplex eſt cognitio noſtra, perfecta ſcilicet & imperfecta, ſeu confuſa & diſtincta. Perfecta, ſeu diſtincta, adhuc duplex eſt, ſimpliciter ſcilicet & in genere. Prima eſt illa quæ totalem rei exigit notitiam; ſecunda verò, non niſi quanta ſufficit illi arti, ſeu diſciplinæ, quæ vtitur illa. Vt Naturalis, exactam & omnino perfectam debet habere notitiam de plantis & metallis; ſecus imperfectè ea ſcire diceretur. Faber autem lignarius, & ærarius, non niſi quatenus ſufficit ad illas artes exercendas; & tamen cognitio illa dicetur perfecta. Perfecta, inquã; nõ ſimpliciter, at in genere.

Item: Vnum poteſt dici notius altero dupliciter; vno modo tanquam iuuans ad habendam illius notitiam, quo notius eſſe dicitur. Alio modo tanquam nihil conferens ad notitiam alterius. Veluti planta & lapis eſt quid nobis notius ipſo motore primo, nihil tamen eorum notitia confert ad notitiam primi motoris æterni. Miſſo tamen ſecundo membro, primum adhuc ſubdiuidendum duximus in hunc modum; Aliquod poteſt ducere in alterius cognitionem, altero iſtorum trium modorum; Aut tanquam medium, ex quo illius colligitur notitia & cognitio veluti tranſmutatio eſt medium cognoſcendi materiam; & ita eſt notior ea. Aut tanquam ſimpliciter neceſſarium ad illius cognitionem, & tanquam

causa

cauſa ſine qua non, veluti animal reſpectu ipſius hominis, ſeu [illegible]nis. Non enim huiuſmodi ſpecies diſtincte cognoſcerentur, niſi prius [illegible] animali. Vnde genus ſemper confert ad cognitionem diſtinctam ſpeciei, non tamen illam infert; vt liquido patet. Aut tanquam vtile, quoniam eo cognito, alterius cognitionem de facili conſequimur. Et [illegible]de cauſa, animalia dicuntur nobis notiora quàm ſtirpes, licet nec [illegible]ſant, nec ſint ſimpliciter neceſſaria ad earum cognitionem. Quandoq[illegible]dem ſtirpes ſine animalium cognitione, innoteſcere poſſunt. Illoru[illegible] tamen cognitio, ad harum cognitionem & notitiam vtilis eſt. Quia [illegible]ta ſunt in animalibus, quibus, ſeruata proportione, quædam in pl[illegible] correſpondent, quemadmodum radix, quæ inſtar oris eſt. Poteſt [illegible] cognoſci ſenſus tactus ſine viſu; maxima tamen cum difficultate. At [illegible]ſus habita notitia, aliorum facile conſequimur. A notioribus nobis ita procedimus in methodis, iuxta primam acceptionem, in ordine autem non niſi iuxta ſecundam & tertiam. Et ſi fiat proceſſus in ordine iuxta primam acceptionem, hoc accidit; veluti expleto tractatu de natura Ariſtoteles, inde tractat de motu; quoniam aliquando euenit vt illa quæ ordinantur, mutuo ſe inferant. Hoc tamen ipſi ordini accidit, atque diſpoſitioni; quoniam in illa diſpoſitione & ordinatione, nulla attenditur illatio; ſed quòd illud prius tractetur, quod eſt nobis notius, altero illorum duorum modorum, quos ſupra enumerauimus. Et ſi ex notione finis, aliquid colligatur in ordine reſolutiuo, hoc facit non quà ordo, ſed quà methodus, quam habet annexam. Vel conuenit ei non quà ordo, ſed quà talis ordo; ſicut homo eſt viſibilis non quà animal, ſed quà tale animal. Aliud igitur eſt munus methodi, aliud ordinis. Nam methodus facit vt addiſcamus, ita quod ſine ipſa nihil addiſceremus. Ordo autem non ita; at vt melius, faciliusq. addiſcere valeamus. Quare memoriæ mandanda eſt illa Ariſtotelis ſententia. Principium doctrinæ non ſemper eſſe principium rei, ſed vnde aliquis facilius diſcat, Metaphyſicę lib. quinto, ad initium. Ex quibus oritur hoc, quod methodus, vtranq. reſpicit cognitionem, diſtinctam ſcilicet & confuſam. Ordo autem non niſi diſtinctam. Vt methodus ſit progreſſus à notioribus nobis tum cognitione diſtincta, tum cognitione confuſa. Ordo autem à notioribus nobis cognitione diſtincta, nunquam confuſa. Diſtincta; inquam; vel ſimpliciter, vel in genere. Cuiusq. namque diſciplinæ partes ita ſunt ordinandæ atque diſponendæ, vt in ea optima illarum, quo ad fieri poteſt, habeatur doctrina.

Quare quandocunque aliqua duo ita ſe habent, vt ad cognitionem diſtinctam vnius conſequendam, neceſſaria ſit alterius cognitio diſtincta; veluti cognitio [illegible] reſpectu ſpeciei; vt generis cognitio præcedat neceſſe eſt. Si vero aliqua duo æque ſub eodem genere ſunt, ita quod vnum [illegible] cognoſci [illegible] alio; non tamen ita facilè; veluti homo, & aliȩ animantes [illegible] ſub animali, præmittenda eſt [illegible] cognitio illius, quod [illegible] & ad aliorum notitiam vtile; ſicuti cognitio partium [illegible] reddit partium aliorum animalium notitiam.

Idem

Si verò ſermo ſit de ſolis accidentibus, veluti de longitudine & breuitate vitæ, iuuentute & ſenectute &c.: Et etiam in Mathematicis; non cogimur prius tractare de accidentibus generis quàm ſpeciei, niſi fortè ob faciliorem, clarioremq́. doctrinam: Idq́. ſi vtraq. ſenſilia ſint. Sin minus; veluti ſunt paſsiones rerum mathematicalium; nulla doctrinæ neceſsitas, minimeq́. facilitas exigit, vt prius declarentur accidentia generis, quàm ſpeciei. Quia vtraque ſunt inſenſilia, & quantò magis ſunt vniuerſaliora & abſtractiora, tantò magis ſunt difficiliora. Euclydes igitur in Mathematicis attendens quòd genus; nimirum magnitudo latè accepta; eſt per ſe notum & manifeſtum, de eo nullam voluit habere mentionem. De ſpeciebus itaque, utpotè de linea, ſuperficie, & id genus alijs, earúq. accidentibus prius tractauit, & eas expreſsit, tum quia genus eſt per ſe notum, tum ob dimenſionum diſcrimen, tum quia earum accidentia ſeu proprietates, cùm ſint minus abſtractæ, & minus vniuerſales paſsionibus generis, & magnitudinis, ſunt faciliores, ex conſequenti ad notitiam paſſionum generis maximè conferunt, & vtiles ſunt.

Quando igitur ordinatur doctrina ordine neceſsitatis, ſemper ab vniuerſalioribus eſt inchoandum. Et ut plurimum huiuſmodi ſeruatur ordo. Quando verò ordinatur ordine ob melius, tunc non eſt neceſſe; vt proceſsit Ariſt. de animalibus; ut patebit infra. Et licèt omnis ordo ſit ob melius, quia ſemper attenditur facilitas doctrinæ, & vt melius addiſcamus; quia tamen res penès quas ordinatur doctrina ita ſe habent, quòd vna non poteſt cognoſci diſtinctè, niſi prius diſtinctè cognoſcatur alia, ideo dicitur ordo neceſsitatis. Nam aliàs diximus, quòd non incipimus ab vniuerſalioribus quia talia ſint, ſed quia ſunt notiora; nec ordinem inſequimur naturæ, quia ſit talis, ſed quia facilius & melius addiſcimus. Et hæc erit tota huius doctrinæ reſolutio; ſiue loquamur de rerum ſubſtantia, ſeu de accidentibus; quanquam de accidentibus non ſit neceſſe; vt dictum eſt; quia tamen aliquando proprietates ſpecierum ſunt ſpecies proprietatis generis; vt patet de caliditate in igne, & in hoc igne; propterea prius de accidentibus generis, quàm de ſpeciei, agendum eſt. Hinc fit, vt totius doctrinæ reſolutionem in hoc ſtare velimus; quòd ſcilicet vbicunque eſt ordo neceſsitatis, ibi incipimus ab vniuerſalioribus; vbi autem eſt ob melius, non eſt neceſſe. Sed hoc contingit de raro. Et hoc patet in tota philoſophia Ariſto.; veluti conſtabit in ordinatione Naturalis philoſophiæ. Huic doctrinæ fauet Zimara, theore. 14. per totum. Sed Illuſtris admodum domini Comitis Iacobi Zabarellæ, cuius ſumus inſecuti veſtigia, Deus vitam ad multos perducat annos.

De ſpeciebus ordinis doctrinæ. *Cap.* *32.*

HVcuſque egimus de ordine doctrinæ in ſe & abſolutè, ſupereſt modò vt de eius ſpeciebus laconicè nonnulla dicamus. Notum eſt de hoc, præclariſsimos uiros multa dixiſſe & conſcripſiſſe; quæ tamen nobis; breuitatis gratia; minimè ſunt tractanda: atqui ea tantum di-

tùm dixerimus, quæ veritati conſona arbitramur.

Duas igitur ordinis ſpecies inuenimus, ex conſequenti nobis ſummoperè placet, vt ordo in compoſitiuum & reſolutiuum diuidatur. Quæ quidem diuiſio, ex eo ſufficiens conuincitur, quòd finis ordinis eſt melior ac facilior noſtra cognitio. Omnis autem noſtra cognitio, vel eſt ſpeculatiua, vel practica; ſi ſpeculatiua, eius finis eſt ſcire; ſi practica, eius finis eſt operari; veluti ſupra diximus.

Si igitur diſciplinam quærimus ſpeculatiuam, cogit neceſsitas vt à primis principijs initium capiamus, deinde ad poſteriora principia, & ad ea quæ ex principijs conſtant, & à ſimplicibus ad compoſita progrediamur, vt perfectam rerum notitiam comparare valeamus. Et iſte eſt ordo compoſitiuus. Si verò diſciplinam quærimus operatricem, ſeu practicam, conſtat quòd non propter ſe, atqui propter operationem, & alicuius finis adeptionem, illam inquirimus. Propterea à notione ipſius finis auſpicari tenemur, & inde ad prima principia inueſtiganda procedere, à quibus tandem operationem incipimus. Et iſte eſt ordo reſolutiuus.

Sunt qui addunt ordinem definitiuum; vt ſcilicet in principio diſciplinæ ordinandæ, ponatur eius definitio, ex rebus omnibus in ea tractandis, conſtructa. Deinde ſingulas res ſeriatim, eo ordine quo ſunt in definitione poſitæ, declarare vſque ad infimas ſpecies, & donec omnes res in definitione poſitæ, ſint tractatæ & declaratæ. Vt ſi dicamus: Scientia Naturalis eſt cognitio principiorum, & proprietatum omnium corporis naturalis: generatim primò, deinde ſingillatim, ſimplicium corporum, & miſtorum, tum animatorum, tum inanimatorum, vſque ad infimas ſpecies. Hac itaque definitione propoſita, incipiendum erit à primis principijs, & communibus affectionibus omnium rerum naturalium; deinde de ſimplicibus corporibus, poſtea de miſtis, generatim prius, deinde ſpeciatim, uſque ad infimas ſpecies, agendum erit. Ita Galenus in principio artis paruæ; quem inſequitur Lucillus Philalthæus in præfatione, ſuper lib. phy. cap. 2. Verùm fruſtra hæc fiunt; quoniam definitio illa ſtabit ſemper loco prooemij; & res eo ordine tractabuntur, quem habent in definitione. Procemium autem, neque neceſſarium, neque pars eſt ipſius diſciplinæ; cùm ſine eo, integra maneat & perfecta. Non igitur inter ipſam diſciplinam & definitionem eiuſdem, aliquis poteſt eſſe ordo. Nam ordo ſemper reſpicit partes, cùm nil aliud ſit, quàm diſpoſitio partium adinuicem.

Accedit, quòd definitio diſciplinæ non variat ordinem eiuſdem, neque igitur ordinem parere poteſt. Id quod antecedit, in hunc modum perquamfacillimè declarari poteſt: Patet ſiquidem, quòd procemium ſcientiæ nil aliud continere ſolet, quàm res tractandas in illa, vnà cum ordine, quo ſunt tractandæ. Idemq. dicimus de ipſius ſcientiæ & artis definitione; veluti patet in illa, quam adduximus ſcientiæ Naturalis definitione; & etiam in illa, quam ad initium artis Medicæ propoſuit Galenus, dicens: Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum.

Omne igitur procemium poteſt verti in diſciplinæ definitionem, &

ècontra;

è contra; nullumq́. erit diſcrimen, niſi in modo loquendi. Vt ſi dicamus: Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum; patet ꝙ hæc eſt definitio. Illam modò vertamus in prooemium, tali pacto: In ſcientia Medica tractabitur de ſalubribus, inſalubribus, & neutris. Patet quòd eadem continet, idemq́. eſt ſenſus, & nullum eſt diſcrimen, niſi in verbis. Accipiatur igitur ſcientiæ Naturalis prooemium, & vertatur in illam, quã eiuſdem ſcientiæ attulimus definitionem, ſeu in aptiorem, vt placet. Et deinde tractetur de rebus, in illa propoſita definitione contentis, eo ordine quo in illa ponuntur. Tunc percunctor ego, nunquid ille ordo ſit idem cum ordine, quo Ariſto. ſcientiam ordinauit Naturalem; quòd ſi idem, an neſcimus illum Ariſt. eſſe compoſitiuum? Si autem fuerit alius, iam non erit prooemium verſum in definitionem, & ita non erit recta definitio illa ſcientiæ. Non igitur definitio Diſciplinæ ordinem variat; quòd ſi uariare non poteſt, quomodo alium ordinem ab his, quos ſupra enumerauimus parere poterit? Non igitur datur ordo iſte definitiuus; at ſolùm compoſitiuus, & reſolutiuus. Ille quidem in ſpeculatiuis tantùm, iſte autem ſolùm in practicis, & effectiuis. Propterea Ariſto. in prooemio primi phyſicorum oſtendit omnem ſcientiam, ſeu doctrinam ſpeculatiuam, ordine compoſitiuo conſcribendam eſſe; veluti oſtendimus in eius expoſitione. In 7. autem Meta. contex. 23., oppoſitum docet de operatricibus; quod ſcilicet deſcribuntur & traduntur ordine reſolutiuo, qui eſt à notione finis; finis, inquam, à nobis producibilis. Veluti ſi tradenda ſit ars ædificatoria, finem prius cognoſcamus oportet, definitionem ſcilicet ipſius domus, quæ eſt finis à nobis producibilis; ut aliàs diximus; à qua quidem definitione, fit tranſitus ad fundamenta, parietes, tectum; & ab his ad lapides, ligna, cæmentum, &c. quæ ſunt ſimpliciſsima illius artis principia atque elementa, in quibus deſinit ars ipſa docens, & à quibus poſtmodum ars operans primordia capit. Idem docet Ariſt. 7. Ethi. cap. 8., vbi legitur: Id autem gratia cuius, principium eſt in actibus, perinde ut ſuppoſitiones ipſæ in Mathematicis. In Mathematicis enim, utpotè in Geometria, ſupponitur quòd à puncto ad punctum licet rectam lineam ducere, & quòd punctus eſt cuius pars non eſt. Vnde ſi quis erret circa huiuſmodi, & alia illius ſcientiæ principia, & aliter credat, non poteſt ei aliquid probari in Geometria, & malè atque peruersè percipiet omnia quæ ſequuntur ex illis. Eodem pacto in rebus agendis, cùm principium ſit ipſe finis, ſi quis eum rectè accipit, benè eſt; ſi autem malè, difficile erit ipſum remouere à tali opinione. Idem confirmat Ariſto. in 6. Ethi. cap. 5., vbi dicit: Nam principium quidem rerum agendarum, id eſt, gratia cuius ſunt ipſæ. Ex quibus conſtat, intentionem eſſe Ariſtotelis, quòd omnis diſciplina practica & effectiua deſcribatur & tradatur ordine reſolutiuo, qui procedit à notione finis. Quod clarius oſtẽdit in ſcientia, ſeu doctrina de moribus, illam ordinando ordine reſolutiuo, incipiendo ab ipſa felicitate, quæ eſt finis rerum agendarum. Alium itaq. ordinem cùm non nouerit Ariſto., ad quid illum addere definitiuum? Vanum id quidem eſt, & ab omni ratione alienum.

Huic

Huic ſententiæ ſubſcribit Fonſeca in primo Meta. lib. cap. 2. q. 2. ſectio. 8. vbi dicit, quod in traditione ſcientiarum, vtimur ordine compoſitiuo; vt ex principijs & cauſis demonſtremus effecta; etſi in huiuſmodi ſuis verbis, magis methodum, quàm ordinem attendere videatur. Methodus enim, vt diximus ſupra, notat illationem, ordo autem minime. Diſcrepat tamen in hoc, quia vult ordinem reſolutiuum vſitari in ſcientiarum inuentione. Vt ſcilicet inuentor ſcientię procedat à compoſitis ad ſimplicia, & à minus vniuerſalibus, ad magis vniuerſalia. Ita vt vbi definit inuentio, ibi incipiat deſcriptio, & diſpoſitio doctrinæ; nimirum à principijs, & cauſis. Cui aſſentit Lucillus Philalthęus, in præfatione ſuper lib. phy. cap. 2. Huic inquam, doctrinæ minimè aſſentio; quandoquidem ſi in doctrinæ inuentione proceditur à minus vniuerſalibus, ad magis vniuerſalia, quouſque ad principia prima, cauſasq; primas deueniamus; aut iſte proceſſus dicit illationem, aut non? Si primum, tunc à cognitione minus vniuerſalis, deuenięmus in cognitionem magis vniuerſalis, hoc ex illo inferendo: quare non ordo, at propriè methodus erit. Si ſecundum, tunc neceſſe eſt prius tractari de minus vniuerſali, quàm de magis vniuerſali, & de proximis principijs, quàm de remotis; vt liquidò patet. At hæc non eſt niſi confuſa cognitio: quoniam dum prima & remotiſsima principia ignoramus, nec aliorum notitiam habere poſſumus. Quare de ſpeciebus notitiam non haberemus, niſi confuſam, quæ quidem, ſcientia minimè nuncupari debet, cùm ſcientia ſit diſtincta & perfecta notitia rerum quæ in illa conſiderantur, veluti habetur ex primo poſte. & ex proœmio primi phyſ. [illegible]

Duæ igitur ſunt tantùm ordinis doctrinæ ſpecies, compoſitiuus ſcilicet & reſolutiuus. Et ille vſitatur ſemper, cum in inueniendis, tum in ordinandis, ſeu conſcribendis, & tradendis ſcientijs propriè ſumptis. Iſte autem in practicis & operatricibus. Quo fit, vt falſa reddatur eorum doctrina, qui omnem diſciplinam ordinandam volunt ordine compoſitiuo. Id enim eſt proprium ſpeculatiuæ. Videatur Ariſtoteles, primo de moribus, cap. 4. De logica non ſit modò ſermo: quoniam cùm nec propriè ſcientia ſit, nec propriè ars; velut alias docuimus; ita nec propriè ſpeculatiua, nec practica dici poteſt; quare nec huiuſmodi ordinibus propriè gaudere poteſt. Quia tamen eſt habitus inſtrumentarius, quo acquiritur ſcientia, & eſt effectrix inſtrumentorum, quibus acquiritur ſcientia; inde eſt, quòd in ea, & compoſitiuus, & reſolutiuus ordo admittitur. Cùm enim magis ſapiat naturam effectricis, quàm ſcientiæ, illam ſemper vti ordine reſolutiuo eſſet neceſſe. Quia tamen, tam doctrina quàm operatio eſt intellectualis, vt nullo pacto ſint diſiunctæ, neceſſariè ſequitur, quod docendo inſtrumenta, ſimul eadem generet. Cuius oppoſitum in artibus reperitur. Nam ordine vtuntur reſolutiuo, ad inueniendaprincipia, quibus inuentis, ordine utuntur compoſitiuo ad operandum, atque conficiendum inſtrumentum, quod quidem euenit, quia artis inſtrumentum eſt materiale: Logicæ autem, intellectuale, & operatio intellectualis. Repertis itaque inſtrumentis, incipit Ariſto. tradere

doctrinam artis ipſius Logicæ, nimirum in lib. priorum & poſte.; & propterea eos ordinat ordine reſolutiuo; à definitione finis, & eius reſolutione in ſua principia procedendo.

Mathematicæ diſciplinæ primo loco ſunt addiſcendæ, ſecundò loco Naturalis, vltimo loco diuina. Cap. 33.

HIS itaque in hunc modum conſtitutis & declaratis, ſupereſt vt principale noſtrum aggrediamur inſtitutum; quemnam ſcilicet ordinem habeant ad inuicem ſcientiæ illæ totales, de quibus ſupra egimus. Intentio tamen non eſt, illum inter eas aſsignare ordinem, quem declarauimus neceſſarium eſſe in diſpoſitione cuiuſcunque doctrinæ particularis, quoniam illum non habent; cùm vnà perfectè ſine alia haberi poſsit. Atqui intentio eſt, ſi quis vellet omnes huiuſmodi ſcientias addiſcere, à quanam tanquam à faciliori, initium deſumendum eſſet, & ita vſque ad difficiliorem procedendo.

Pro cuius exaratione, talis ponitur concluſio: Mathematicæ diſciplinæ, primo loco ſunt addiſcendæ, ſecundo loco Naturalis, vltimò loco Diuina. *Concluſio.*

Tres habet partes huiuſmodi aſſertio, quarum ſingula probatur; & quidem primæ permaximè fauet Ariſto. in. 6. Ethi. cap. 8. vbi inquirit cur puer effici poteſt Mathematicus, primus autem Philoſophus, nequidē Naturalis, minimè? Reſpondet deinde, id propterea fieri, quia principia mathematica, vel res mathematicæ ſumuntur per abſtractionem. Principia autem primæ philoſophiæ & Naturalis, innoteſcunt ſenſu, vel experientia; quæ longo eget tempore. Mathematica verò non indigent experientia, quia eorum principia ſunt definitiones rerum quæ abſtrahuntur à ſingularibus, & non indigent experientia. Ex quo patet, quòd pueri poſſunt fieri mathematici, primi autem philoſophi, nec Naturales, haudquaquam. Mathematica igitur omnibus alijs erit facilior, & ita primo loco addiſcenda. Nam diximus, totam rationem ordinis doctrinæ conſiſtere in hoc, vt facilius & melius addiſcamus. Mathematicas autem facilius addiſcimus, quia rerum mathematicalium definitiones non ſunt obſcuræ; inquit Ariſtoteles. Hoc itaque attendens in. 6. Sapientiæ, cap. primo, ſcientias enumerando ſpeculatiuas, primum locum attribuit Mathematicæ, ſecundum Naturali, tertium Theologiæ. Et in ſecundo eiuſdem voluminis, ad finem, dixit; in omnibus non eſſe expetendam acribologiam Mathematicam, quia eſt alijs certior. Et inter declarandum ſcientiam Naturalem, diuinam, & etiam Logicam ipſam, ſemper vſus eſt exemplis mathematicis. Eapropter Plato in oſtio, huiuſmodi dictum ſcriptum tenebat: Nè quis ignarus Mathematices, ſcholam ingrediatur. Et Alcinous in de doctrina Platonis, vocabat Mathematicam diſciplinam, ſcientiam communem ad omnes alias, cæteriſq. certiorem. Propterea antiquitus, prius Mathematicas diſciplinas addiſcebant,

bant, quàm alias ſcientias. Ex ijs itaque teſtimonijs, clara & firma redditur prima pars concluſionis noſtræ.

Secunda etiam pars ex eo patet, quia à facilioribus, nobiſq; notioribus, ſemper eſt inchoandum; doctrina eſt Ariſto. in proœmio phy., in primo Ethi. cap. 4., & id iam ſatis ſupra oſtendimus.

Res autem naturales, & faciliores & notiores nobis ſunt quàm illæ diuinæ, cùm ſenſui ſubiaceant. Sunt igitur prius addiſcendæ naturales quàm diuinæ. Accedit titulus Metaphyſicę Ariſtotelis; Inſcribitur enim Metataphyſica, quaſi poſt naturalia; veluti docet Alexander. Poſt naturalia igitur, ſunt addiſcenda ipſa diuina. Et ita firma remanet concluſio noſtra. Cui quidem ſubſcribunt Simplicius in proœmio phy. quod ipſe edidit; Ludouicus Buccaferreus in primo phy. lectio. prima; Toletus in præfatione ſua in lib. phy. cap. 3., & alij. Eſt tamen verum, q; Buccaferreus nonnulla dicit ad probandum quòd Naturalis præcedat diuinam, quæ mihi haudquaquam probari poſſunt. Inquit enim quod Metaphyſicus ſumit ſuum ſubiectum à Naturali; ſed & non ſolùm ſubiectum, verùm etiam conditiones ſubiecti. At ego minimè inſpicere poſſum, quo modo Sapiens & ſupremus artifex, qui alias dirigit diſciplinas & artes, eiſq. præcipit, ſubiecta quoque cuique aſsignat, & principia probat, accipiat denique ab eis ſubiectum, & conditiones ſubiecti. Profectò pugnantia claudunt hæc.

Contra Buccaferreum.

Dicit præterea, quòd in ſcientijs particularibus ſemper eſt ſeruandus ordo naturæ, ita vt ordinetur doctrina penès ordinem rerum naturalem; in ſcientijs autem totalibus minimè; ſed à facilioribus nòbis, earum deſumitur ordo. At hoc eſſe falſum, quòd de ſcientijs dicit particularibus; ſuperque ſatis fuit ſupra oſtenſum. Nam tota ratio ordinandi doctrinam, deſumitur a cognitione noſtra.

Amplius, ſibimetipſi aduerſatur; quia parum ſupra oſtenderat, Mathematicam præcedere Naturalem, contra Albertum Alema., quia principiũ doctrinæ ex facilioribus eſſe debet, ex Ariſto. in. 6. Ethi. Facit deinde illam quam diximus exceptionem. Nec poteſt dici q; loquatur de totalibus tantùm; quoniam propoſitio deſumpta ab Ariſto. eſt vniuerſalis. Vel igitur illam non intellexit, vel ſibi non conſtat.

Toletus autem primo loco ponit Logicam; cui minimè aduerſamur, immo ore & corde aſſentimus; nullum igitur ſit inter eum & nos diſsidium; quia loquimur nos de ſcientijs ſpeculatiuis tantùm, vt in nobis ſubiecta materia perſiſtamus. Hoc idem quod docuimus innuit D. Tho.; opuſculo. 70. q. 5. artic. 1., in reſponſione ad tertium argumentum; vbi aſſerit quòd primò Logica, deinde Mathematica debet addiſci; quia illis quaſi quibuſdam vijs, præparatur animus ad alias phyſicas diſciplinas. In q. autem. 6. eiuſdem opuſcu. articulo primo, perquamclariſſimè oſtendit, Mathematicam eſſe omnibus alijs diſciplinis certiorem & faciliorem, & ex conſequenti prius addiſcendam. Et propè finem illius articuli, apertiſsimè dicit, quòd Metaphyſica addiſcitur poſt phyſicam, & cæteras ſcientias. Idem in quæſtio. quinta, eiuſdem opuſcu. articulo primo, ad nonum argumentum; vbi dicit,

quòd

quòd Metaphy. naturaliter, ideſt, ſecundùm perfectionem, eſt prima omnium ſcientiarum; ſed quò ad nos aliæ ſunt priores. Et in reſponſione ad .10. argumentum, dicit, quòd Naturalis philoſophia eſt poſt Mathematicam addiſcenda. Conſimilem doctrinam tradit in dicta reſponſione ad nonum, ex Auicen. in primo ſuæ Meta. libro; vbi vult, quòd Metaphyſica poſt omnes diſciplinas naturales, & etiam Mathematicas, addiſcatur. Et in primo contra Gentes, cap. 4., dicit, quòd Metá. ob eius maximam difficultatem, eſt vltimo loco addiſcenda.

In præfatione autem quam edidit in lib. phy., ita ſcribit: Sed quia ea quæ conſequuntur aliquod commune, prius & ſeorſum determinãda ſunt, ne oporteat ea multoties, pertractando omnes partes illius, repetere; neceſſarium fuit quòd præmitteretur vnus liber in ſcientia Naturali, in quo tractaretur de his quæ conſequuntur ens mobile in communi; Sicut omnibus ſcientijs præmittitur philoſophia prima, in qua determinatur de his, quæ ſunt communia enti, inquantùm ens. Hic autem eſt liber phyſicorum &c. Hæc ille in forma. Ex quibus videtur velle, quòd ſicut libri phyſicorum prius ſunt addiſcendi, quàm alij libri naturales; ita Metaphyſica ſit ante omnes alias ſcientias prædiſcenda; quod quidem ex diametro repugnat ijs, quæ ſæpius alibi dixit.

Fonſeca tamen in .2. Meta, cap. 3., q. 5., ſectio 4., in fine, nititur huiuſmodi dicta conciliare. Vt ſcilicet, ordine inuentionis voluerit D. Th. Metaphyſicam eſſe vltimam. Primam autem ordine accuratæ doctrinæ. Quos quidem ordines, alibi compoſitiuum & reſolutiuum appellat; veluti declarauimus ſupra.

Veruntamen fallitur vir iſte; Tum quia vult ſcientias inueniri ordine reſolutiuo; cuius oppoſitum oſtendimus ſupra. Tum quia ponit ordinem accuratæ doctrinæ, ſeu compoſitiuum, in ſcientijs totalibus; quod tamen eſſe falſum ex hoc conuincitur; quia huiuſmodi ordines nunquam poſuit Ariſto., niſi in ſcientijs particularibus. Et hoc ideo, quia ordo compoſitiuus, ſeu accuratæ doctrinæ, eſt progreſſus à principijs ad principiata; quia hæc ſine illis non poſſunt diſtinctè cognoſci. Res autem Naturales & Mathematicæ, ſine ſubſtantiarum ſeparatarum notitia poſſunt diſtinctè cognoſci, & perfectè; notitia; inquam; perfecta, ſaltem in genere. Non igitur notitia ſubſtantiarum abſtractarum facit ad notitiam rerum naturalium. Quare nec ordo accuratæ doctrinæ eſt inter Metaphyſicam & alias diſciplinas.

Item, ordo reſolutiuus non reperitur niſi in operatricibus diſciplinis; quemadmodum præoſtendimus. Metaphyſica autem, Naturalis, & Mathematica, ſunt ſpeculatiuæ; vt patet; non igitur inter eas poteſt eſſe ordo reſolutiuus.

Cùm itaque huiuſmodi ordines non habeant locum niſi in ſcientijs particularibus; vt ex his quæ ſupra diximus facilè conſtat; vanum fuit has ſcientias totales illis ordinibus ordinare velle. Nec intentio noſtra eſt eas, ita ordinare, quia pro comperto habemus, vnam ſine alia addiſci poſſe; cùm ſint ſcientiæ totales, & in ſe perfectæ.

Atqui intendimus declarare, quænam illarum ſit cognitu facilior, & ex conſequenti, ſi quis omnes addiſcere vellet, à quibus tanquam à facilioribus, & nobis notioribus initium capere deberet. Verumtamen dicit Fonſeca, quò ad D. Thom. ſenſum; quia ſcilicet vult Meta. eſſe vltimam ordine reſolutiuo, primam aũt ordine compoſitiuo; veluti patet in opuſca lo.70. q.6. ar.1., in ſolutione tertiæ quæſtiunculæ, in corpore quæſtionis, ſeu articuli. Vbi vult, q̃ rationalis conſideratio ad intellectualem terminetur ſecundùm viam reſolutionis; inquantũ ex multis, ratio colligit vnã & ſimplicem veritatem. Et intellectualis conſideratio eſt principium rationalis, ſecundùm viam compoſitionis, & inuentionis, inquantũ intellectus in vno multa comprehendit. Vnde concludit q̃ proceſſus; ſeu diſcurſus à principio ad principiatum, & à cauſa ad cauſatum ſit compoſitiuus; ab effectibus autem in cauſis, reſolutiuus. Cùm itaque omnes ſcientiæ reſoluẽdo terminentur ad Metaphyſicam, quia conſiderat vniuerſaliſſima, ſequitur q̃ ipſa ſit vltima ordine reſolutiuo. Prima autem ordine compoſitiuo, quià componendo proceditur ab vniuerſalibus ad particularia, ſeu à cauſis in effectus. Quæ autem tractantur in Metaphyſica ſunt maximè vniuerſalia; igitur eſt illa prima ordine compoſitiuo: ſeu accuratæ doctrinæ. Et ſic re vera nulla eſt contradictio in doctrina D. Tho.

Aberrat tamen Fõſeca cũ D. Th., q̃a vterq. ponit huiuſmodi ordines in ſciẽtijs totalibus; quod tamen eſſe falſum, probauimus ſupra. Decipiuntur deinde, quia illi progreſſus ſunt quidem cõpoſitiui, & reſolutiui; at nõ ſunt ordines, ſed methodi. Dicunt enim illationem; vt patet. Et ſupra diximus, duplicem eſſe methodum, à cauſa ad effectum, & ab effectu in cauſam; quemadmodum docuit Ariſto. in primo poſteriorũ libro. Prima itaque poteſt appellari cõpoſitiua, ſecunda verò reſolutiua. Et Ariſt. in inuentione principiorũ naturalium, vſus eſt reſolutione; quia in primo phy., argumento deſumpto à generatione, duxit nos in primæ materiæ cognitionem. Et in 8. lib., ex motu æterno demonſtrauit dari primum motorem æternum. Hec tamen eſt Methodus reſolutiua, non ordo reſolutiuus; vt patet. Quia dicit illationẽ, vt hoc ex illo demonſtretur & probetur. Cùm itaque D. Tho., Fonſeca, & alij, dicunt ſcientias inueniri tali pacto, ſumus concordes; at cum dicunt huiuſmodi eſſe ordinem reſolutiuum; ab eis diſſentimus: ſed volumus methodum eſſe reſolutiuam. Multum enim intereſt inter ordinẽ doctrinæ, & viam doctrinæ. Et q̃ D. Th. accipiat viã doctrinę pro ordine, patet ex verbis ſupra citatis. Quòdq. Fonſeca idẽ faciat, patet ex hoc, q̃ diuidit ordinẽ doctrinæ, in ordinẽ doctrinæ ſimpliciter & abſolutè, qui eſt ordo inuentionis; & ordinẽ accuratę doctrinæ, qui eſt ꝓgreſſus à cauſa in effectũ per illationẽ: vt ipſe declarat in primo Meta. cap.2., q.2., ſectio.8.; vbi ẽt dicit q̃ ordo inuentionis eſt à minus vniuerſalibus ad magis vniuerſalia, inferendo, & vnũ per aliud probando. Idẽ innuit Fõſeca in 2. Meta. cap.3. q.5., ſectio.5. in principio. Cùm itaq. ſumant viã doctrinę p ordine, decipiũtur. Cõcedimus & nos reſolutionẽ in inuẽtione ſciẽtiarũ; at ea eſt methodus, nõ ordo; vt diximus ſupra. Melius ideo dixiſſet Fõſeca, dicẽdo q̃ duplex eſt methodus, ſeu via doctrinę in diſciplinis; in-

uentionis

uentionis ſcilicet & accuratæ doctrinæ; ſeu compoſitiua & reſolutiua. Quod & nos docuimus. Et ſi aliam habeant iſti viri intentionem, in ambiguitatem labuntur; veluti oſtendimus ſupra. Firma igitur ſtat & inconcuſſa conclusio noſtra.

Cui etiam fauet Alexander, lib. 3. Meta., enarratione prima, vbi dicit: Ex ordine Metaphyſica inſcribitur, quoniam poſterior eſt quod ad nos attinet Naturali doctrina. *Alexan.*

Auerroes etiam in 4. Meta. commento 4., dicit, quòd Meta. eſt nomen ordinis. Et in Epitomi Meta. tracta. primo, cap. primo, dicit, quòd ordo Metaphyſicæ eſt, vt locetur poſt ſcientiam Naturalem, & nominatur Metaphyſica, propter ordinem eius in doctrina. Eſt tamen; inquit; prior in eſſe; & ideo appellatur prima philoſophia. Idem confirmans in 6. Meta. comm. 3. dicit; Metaphyſica eſt prima in eſſe, vltima verò in addiſcendo. Non igitur eſt primo loco addiſcenda Meta.; veluti nonnulli perperam dixerunt. *Auer.*

Si vero loquamur de ordine iſtarum ſcientiarum, quo vna dicitur & eſt dignior & præſtantior alia; clarum atque perſpicuum eſt, Metaphyſicam primum ſibi vendicare locum. Naturalem ſecundum, Mathematicam tertium. Id quod apertiſsimè docet Ariſt. in vndecimo Meta. lib., cap. 6., his verbis: Patet igitur tria genera ſpeculatiuarum eſſe ſcientiarum. Naturalem, Mathematicam, Theologiam: Optimum igitur ſpeculatiuarum quidem ſcientiarum genus, harum ſanè ipſarum ea, quæ vltimò dicta eſt; Circa namque honorabiliſsimum entium eſt. Vnaquæque verò melior, aut deterior dicitur, ſecundùm proprium ſcibile. Hæc ille in forma.

Atqui ſcibile, ſeu obiectum Meta., eſt nobilius ſcibili Naturalis; & huius illo Mathematicæ; cùm ſubſtantia ſit prior & nobilior accidente. Relinquitur itaque dictum noſtrum clarum & tutum.

Fauet Iulius Sirenius, de ſubiecto Meta., ſectione 2. cap. 4., & Zimara in tabula, dictione philoſophia; ibi; Philoſophus eſt ille. &c.

Nec obſtat id quod dicit Buccaferreus in primo phy. lectio. prima; quòd ſcilicet Meta. dicitur Metaphyſica, ideſt, poſt naturalia. Ergo ſequitur Naturalem. *Buccaferre.*

Hoc enim verum eſt (vt & nos docuimus) de ordine doctrinæ ſi loquamur; at non de ordine dignitatis, ſeu naturæ, vt alij dicunt. Et re vera mirum eſt, quomodo præclariſsima ingenia hæc non videant. *Contra Buccaferreum.*

Sit igitur hæc noſtra ſententia de harum ſcientiarum ordine, tum doctrinæ, modo quo diximus, tum dignitatis, ſeu naturæ.

Dubitatur contra prædicta. Cap. 34.

NON obſtantibus preinductis rationibus & authoritatibus, adhuc non deſunt qui hanc noſtram determinationem perturbare contendunt. Primo ſiquidem loco ſeſe offert Ammonius in præfatione ſuper Porphiri., qui tali pacto dubitationē profert: Phyſica eſt de ijs quæ maximè ſunt contracta ad materiam. Metaphyſica verò eſt de ſummè *Dub. 1.*

abſtractis. Atqui non fit tranſitus ab extremo ad extremum niſi per medium. Ergo prius eſt addiſcenda phyſica quàm Mathematica, quæ medium in abſtrahendo tenet inter Naturalem & Diuinam; vt patet.

.2. Secundò, Magnus Albertus in primo ſuo tractatu phyſico, cap. primo, in hunc modum dubitat. A notioribus eſt incipiendum. Notior autem eſt phyſica quàm Mathematica; cùm illa probet per ſenſum, à quo hæc abſtrahit. Metaphyſica verò eſt de difficillimis. Ergo prius Naturalis quàm Mathematica, & vltimo loco Metaphyſica eſt addiſcenda.

.3. Tertiò Albertus Alemanus in primo phy., hoc idem confirmat tali pacto: A facilioribus eſt inchoandum. At Naturalis philoſophia faciliora contemplatur; Diuina verò difficiliora. Ergo Naturalis præcedit, Mathematica ſubſequitur, Metaphyſica vltimo loco ponitur. Minor patet; quia Naturalis eſt circa ſenſibilia. Deinde Mathematicus aſſumit hoc principium à Philoſopho Naturali: Continuum eſt diuiſibile in infinitum. Quia illud probauit Ariſto. in.6.phy. ad initium.

.4. Quartò in hanc eandem ſententiam deſcendit Zimara theore.89., ductus authoritate Commentatoris in prologo ſuo ſuper lib. phy.; vbi dicit quòd Mathematicæ diſciplinæ ſunt propter exercitium.

Huiuſmodi autem exercitium, inquit; non eſt niſi vt intellectus exerceat ſe in abſtrahendo, vt tandem ad ſubſtantias deueniat ſeparatas. Sunt enim tria genera entium; nimirum materialia ſimpliciter, immaterialia ſimpliciter, & medio modo ſe habentia, vt Mathematicalia. Atqui natura in ſuis operationibus non facit ſaltum, nec progreditur de extremo ad extremum, ſine medio; ex Ariſto. de natura animalium. Ergo poſt naturalium notitiam, debet intellectus exerceri in Mathematicis.

Oppoſitum autẽ docet in tabula, dictione (Metaphyſica) dictione.9.; vbi vult quòd ordo doctrinæ in ſcientijs ſit talis, vt præcedat Mathematica, deinde Naturalis, poſtremò Diuina. Et hoc elicit ex Auerroe in paraphraſi Meta., loco à nobis ſupra citato. Ob cuius confirmationem citat Simplicium in prologo primi phy.; qui ad initium dicit, quòd Meta. ita appellatur; quia poſt naturalium rerum cognitionem ordinata eſſe videtur.

.5. Quinto arguunt alia ex parte nonnulli, probantes oppoſitum in hunc modum: Illa facultas quæ eſt de facilioribus, alias ordine doctrinæ præcedere debet. Metaphyſica eſt huiuſmodi, cùm ſit de communioribus, quæ ſunt notiora nobis; ex primo phy.4. Quare eſt primo loco addiſcẽda.

Confirmatur ratio, quia in primo phy. tractatur de primis rerum naturalium principijs, quæ ſunt difficillima cognitu. Et ſcientia de anima quæ eſt difficillima, continetur ſub ſcientia Naturali. Ergo difficilior eſt Naturalis quàm Meta.; ex conſequenti poſterius addiſcenda.

.6. Adhuc arguitur tali pacto: Metaphyſica probat principia aliarũ ſcientiarum. Ergo alias ſcientias debet præcedere. Patet illatio; Quia tota ſcientia a principiorum cognitione dependet. Antecedens eſt Ariſto. primo phy.8. & primo poſte.23.

trans. de Sy. primo com. Gen. cap.4.

.7. Amplius, Metaphyſica elargitur principia omnibus ſcientijs. Ergo

eſt prius

eſt prius addiſcenda. Conſequentia probatur. Quia ea quæ ad Meta-
phyſicam pertinent, non poſſunt niſi per Meta. ſciri. Si igitur aliæ ſcien-
tiæ vtuntur principijs, quæ ſunt propria Metaphyſicæ; oportet in omni-
bus ſcientijs Metaphyſicam includi, veluti priorem; & per conſequens
oportet primò eam addiſcere.

Præterea, A notioribus nobis ſemper eſt procedendum; vt oſtendit .8.
Philoſophus primo poſte.5. ſed principia quæ ſunt propria Meta. ſunt
nobis notiora omnibus quæ traduntur in ſcientijs. Ergo ab ijs, noſtra
debet incipere cognitio. Et ita Meta. eſt primò addiſcenda.

Item. Quæ ſubijciuntur alijs diſciplinis non poſſunt perfectè cogno- .9.
ſci ſine Meta. Ergo primo loco eſt addiſcenda Metaphyſica. Conſequu- Poſte. lib. primo.
tio clara. Antecedens probatur. Nihil poteſt perfectè cognoſci & ſci- cap.13.
ri, niſi cognoſcantur quæcunque per ſe inſunt illi, vſque ad prima & im-
mediata; doctrina eſt Ariſto. in primo poſte.5., & primo phy.1.. Atqui
Metaphyſicus agit de his rebus quæ per ſe inſunt in omnibus alijs: veluti
ſunt ens, ſubſtantia, vnum, verum, bonum, accidens, &c. Ergo niſi eiuſ-
modi prædicata Metaphyſicalia perſpecta & cognita habeamus, aliarum
rerum ſcientiam minimè conſequemur. Ergo nõ poterit cognoſci. (V.G.
homo,) niſi cognoſcantur prima & vniuerſaliſsima prædicata, quæ in-
ſunt in illo. Hæc autem ſunt Metaphyſica; vt ens, ſubſtantia, corpus,
& ſi quod eſt aliud. Quare Naturalis non poterit dare perfectam ſcien-
tiam de homine, ſine ſubſidio & opera Metaphyſicæ. Et ita primò
addiſcenda.

Adhuc, ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad veritatem & cognitionem; ex .10.
communi omnium philoſophorum ſententia. Sed cauſæ particulares non
poſſunt operari ſine cauſis vniuerſalibus; & aliæ res non poſſunt exiſtere
ſine rebus Metaphyſicis. Nam ab eis pendent effectiuè. Ergo nec il-
larum ſcientia poterit perfectè & abſolutè haberi, niſi prius addiſcatur
Metaphyſica.

Item. Quæcunque ſcientia ſubalternans debet prius addiſci quàm .11.
ſubalternata. Sed Meta. ſubalternat ſibi omnes alias ſcientias. Ergo
debet prius addiſci. Maior clara, quia principia ſubalternatæ ſunt à ſubal
ternante; ex conſequenti ab hac, illa dependet. Minor verò deducitur
tum ratione, tum authoritate. Ratio eſt hæc: Ad veram ſubalternatio-
nem tria requiruntur; veluti habetur ex Ariſtotele primo poſte.20.&23.,
& 30.. Primum eſt, vt ſubiectum vnius contineatur ſub ſubiecto alterius.
Secundum eſt; vt ſubiecta illa ſint inter ſe diuerſa, non quidem eſſentia-
liter, at accidentariè. Tertium eſt, vt principia inferioris ſcientiæ pro-
bentur in ſuperiori. Meta. autem habet omnes haſce conditiones reſpe-
ctu ſcientiarum inferiorum. Ergo &c. Minor adhuc probatur: Quandò-
quidem, Meta. agit de ente quà ens, reliquæ verò ſcientiæ arripiunt ſibi
partem entis; ex 4. Meta. cap.1.; & huiuſmodi partes contrahuntur per
differentiam accidentalem; veluti ſunt motus, & quantitas: accidit enim
enti eſſe mobile, & eſſe quantum. Et Meta. probat principia aliarum
ſcientiarum ex Ariſto. 1. phy. 8., & primo poſte.23.; vbi ſcribit, quòd

nulla

nulla ſcientia probat ſua principia, ſed eorum probatio reijcienda eſt ad Metaphyſicam, quæ eſt ſcientia communis, & regina ſcientiarum. Tres igitur cùm habeat Meta. conditiones illas ad veram ſubalternationem requiſitas, relinquitur ratione probatum, illam omnes alias ſibi ſubalternare. Authoritas autem deſumitur prius ex Ariſto. primo poſte. & primo phy.; veluti ſupra adduximus, oſtendendo quòd aliæ ſcientiæ non poſſunt ſciri perfectè ſine Metaphyſica. Et in.11.Meta. ſumma.2.cap.2. ait, ſcientiam Mathematicam & Naturalem eſſe partes Sapientiæ, ideſt, Metaphyſicæ.

Deinde Themiſtius in ſua paraphraſi ſuper primo poſte. cap.20., explanans.23. textum; videtur aſſentire huic opinioni; veluti clarè eius verba ſonant. Idem Simplicius exponens.8.tex. primi phy.; vbi dicit q. prima philoſophia demonſtrat omnia principia. Idem videntur docere Plato in Philebo, in.7. dialogo de Repub. Proclus in cap.4. primi commentarij ſui in Euclidem, & Sirianus initio commentarij ſui ſuper.3. Meta.; referente Pererio primo libro, cap.12.; ibi igitur eorum poſſunt legi verba formalia. Metaphyſica igitur eſt primò loco addiſcenda. Iſtæ ſunt potiores rationes, quæ aduerſus huiuſmodi noſtram determinationem afferri poſſunt. Propterea ſingillatim omnibus, nobis ſatisfaciendum venit.

Prænarrata ratiocinia diluuntur. *Cap.* 39.

Ad.1. AD primam itaque dicitur, quòd minor eſt vera, quandò medium eſt eiuſdem rationis cum extremis, & in ſcientia particulari; nõ autem in ſcientijs totalibus, quarum obiecta ſunt alterius & alterius rationis; ita quòd quælibet illarum poteſt ſeorſum addiſci. Stat igitur quòd Mathematica ſit abſtractior quàm Naturalis, & tamen prior ſit ordine doctrinæ; & hoc quia eſt facilior; cuius ratio eſt, quia eius obiectum non eſt eiuſdem rationis cum obiectis Naturalis & Diuinæ. Quare ratio nulla.

Ad 2. Ad ſecundam, negatur minor. Cùm probat, quia illa probat per ſenſum, à quo hæc abſtrahit; dicitur, quòd Mathematica abſtrahit à ſenſibilibus, à quibus non abſtrahit Naturalis; nihilominus tamen, mathematica abſtractio eſt ita facilis, vt etiam à pueris effici poſsit; authore Ariſto. in.6.Ethi. cap.8., vt ſupra diximus. Naturalis autem diſciplina, non niſi longa & magna experientia atque ſpeculatione acquiri poteſt. Et hoc, quia naturalia ſunt in materia, quæ eſt cognitu difficillima. Idcirco Mathematica eſt prior. Et ſi fiat vis in hoc, quòd abſtractiora ſunt difficiliora minus abſtractis; dicitur, quod verum eſt, quando magis & minus abſtracta ſunt eiuſdem rationis; ſeu eiuſdem generis. Scimus enim ſubſtantias abſtractas, difficiliores eſſe cognitu, ſubſtantijs naturalibus.

Notandũ. Notandum eſt tamen, quòd quantitas licèt non ſit ſenſibile proprium, eſt tamen ſenſibile commune; quare notius ſenſibili proprio. Et ſi velimus etiam concedere, naturalia notiora eſſe, notitia & cognitione confuſa, quid inde? At hæc nullam parit ſcientiam, vt conſtat. Mathema-

ticalia

ticalia igitur cùm ſint notiora naturalibus, notitia & cognitione diſtincta, Mathematica iuremeritò præcedere debet. Et propoſitio illa qua dicitur, quòd Mathematica abſtrahit à ſenſibilibus; poteſt ſimpliciter negari, cùm non abſtrahat à ſenſibili communi. Et dato etiam quòd abſtrahat ab omni ſenſibili, non ob id ſequitur, quòd Naturalis præcedat; tum quia Mathematica abſtractio eſt facillima, & notitia ſenſibilis, ſeu ſenſitiua, quam habemus de naturalibus, non eſt niſi craſſa & confuſa, quæ nullam parit ſcientiam; veluti dictum eſt.

Ad tertiam patet per idem. Minor enim eſt falſa, ad eiusq́. probationem patet quid dicendum. Et quando dicit, quòd Mathematica ſumit à Naturali hoc principium: Continuum eſt diuiſibile in infinitum. Reſpondent Buccaferr. in primo phy. lectio prima, in calce; Ludouicus Cartarius in proœmio phy. lectio. 8. & ferè omnes latini, quòd Mathematica ſubalternatur Naturali, ex conſequenti hæc eſt prior illà; non quidem ſimpliciter, at ſecundùm illud principium tantùm. *Ad 3.*

At re vera non percipio, quomodo vna ſcientia poſsit in ſe eſſe perfecta, completa, integra, & alijs prior, ſeu omnium prima, & ab illis quæ ſunt posteriores ipſa, ſumere principium aliquod. Percunctor ergo, nunquid antequam Mathematica, illud habeat principium à Naturali, ſit perfecta ſcientia, nec ne? Si primum, non igitur illud accipit à Naturali. Si ſecundum, ſequitur quòd non compleatur niſi poſt Naturalem; & ita erit poſterior ea; quod tamen aduerſatur huius doctrinæ authoribus.

Secus itaque cum Auerroe in. 3. phy. comm. 31. mihi occurrit dicendum; Nimirum quòd illud principium: Omne continuum eſt diuiſibile in infinitum, eſt per ſe notum & manifeſtum, tum Mathematico, tum Naturali. Propterea conſtantiſsimè negamus, quòd Mathematica illud accipiat à Naturali. Et quando probant, ex eo quòd probatur ab Ariſtotele in. 6. phy. ad initium. Et hoc conſtantiſsimè negamus. Falſiſsimum ſiquidem eſt, Ariſtotelem probare omne continuum eſſe diuiſibile in infinitum; cùm illud in nulla probetur ſcientia. Atqui dat tantum cauſam illius, quę eſt hæc: Quia magnitudo ipſa non eſt compoſita ex indiuiſibilibus. Et hoc eſt quod probat Ariſto. in. 6. phy. Non enim inconuenit aliquam propoſitionem eſſe per ſe notam quò ad an eſt, & ignotam quò ad propter quid; ſeu notam quò ad eſſe, ignotam autem quò ad cauſam. Sicuti Lunæ eclipſatio, &c. Hoc itaque principium: Omne continuum eſt diuiſibile in infinitum, eſt per ſe notum Mathematico & Naturali, ita quòd in nulla probatur ſcientia. Cauſa autem huius effectus eſt ignota; & idcirco aſsignatur ab Ariſto. loco citato. Nec ob id ſequitur, quòd ibi ſit aliqua ſubalternatio; quia ſcientia ſubalterna accipit principia à ſubalternante, non tanquam ſibi nota & manifeſta; ſed credita ſimpliciter. Hoc igitur principium cùm Mathematico ſit per ſe notum, quomodo poterit accipere eum à Naturali? Acciperet enim ab eo, ſi ex ſe etiam quò ad eſſe verum, eſſet ignotum, & à Naturali probaretur ipſum eſſe verum. Quia tunc acciperet eum non tanquam ſibi notum, & manifeſtum, ſed tanquam creditum, & in alia ſcientia probatum. Eapropter *Solutio propria.*

dicebat Auerroes in.3.phy. comm.70. in calce, ſuper huiuſmodi verbis Ariſtotelis: Et poſt dicemus de vnoquoque eorum, & de cauſa in hoc quòd omnis menſura diuiditur in menſuras. Auer. hæc vltima verba ita exponit: Ideſt, declarabimus cauſam, propter quam ſemper menſura diuiditur in diuiſibile. Et hoc ſignificat, quòd diuiſio menſuræ ſemper eſt nota per ſe; & cauſa eius indiget demonſtratione; non ſicut quidam exiſtimauit, quòd Geometra accipit hoc eſſe, à Naturali. Hæc Auer. in forma. Ex quibus patet deceptio grauiſsimorum virorum circa hoc.

Ad 4. Ad quartam Zimaræ dico, quòd Auer. intentio eſt, quòd Mathematicæ diſciplinæ ſunt propter exercitium, quia pueri & iuuenes exercent & diſponunt intellectum ad res naturales & diuinas capeſcendas, mediantibus diſciplinis Mathematicis. Nam prius addiſcunt Logicam, quia eſt modus ſciendi; deinde Mathematicas diſciplinas, vt exerceant & diſponant intellectum in illis demonſtrationibus, quæ ſunt alijs faciliores; vt probauimus; & inde tranſeunt ad altiora. Hæc eſt intentio Auer., ſecus pugnantia diceret; veluti conſtat.

Replica. Nec poteſt dici, quòd ſatis exercent & diſponant intellectum iuuenes in Logica; quoniam licèt exerceant & diſponant in regulis logicalibus, *Solutio.* non autem in applicatione ipſarum regularum ad res ipſas; veluti in Mathematicis. Quæ quidem cùm ſint faciliores, meritò iureq. optimo inde habetur exercitium ſpeculandi, atque demonſtrandi; vt ad ſubſtantiarum ſpeculationẽ, & vltimum finem facilius tandẽ peruenire poſsimus.

Replica. Et ſi inferat aduerſarius: Ergo ſcientiæ Mathematicæ ſunt propter perfectionem noſtram, quæ conſiſtit in ſpeculatióne ſubſtantiarum altiſſimarum; & non erit propter exercitium quod habetur propter talem perfectionem; cuius oppoſitum dicit Auer. Conſequutio iam patet ex reſponſo; quandoquidem ſi intellectus exercetur in Mathematicis ſpeculando atque demonſtrando, vt inde tranſeat ad ſubſtantiarum ſpeculationem; patet quòd Mathematica facit & iuuat ad ſubſtantiarum ſpeculationem, ex conſequenti ad noſtram perfectionem.

Solutio. Ad hoc negatur illatio. Ad probationem dico, quòd Mathematica non iuuat ad noſtram perfectionem, niſi ratione exercitij; quia in ea contemplatur accidentia tantùm; ſed contemplando accidentia, diſponitur intellectus ad ſubſtantiarum ſpeculationem; ita vt facilius eas ſpeculari valeamus. Iuuat igitur diſpoſitiuè, non effectiuè; vt ſcilicet ex eius obiecto efficiamur perfecti, vel ſimpliciter, vt in Metaphyſica; vel ſecundùm quid, vt in Naturali. Huic noſtræ concluſioni fauet Balduinus, in proœmium Auerroïs ſuper lib. phy.

Notanda. Et quòd hæc fuerit mens Auerrois, facilè ex obſeruatione verborum ipſius poteſt conuinci. Nam inter initia illius prologi declarans phyſicæ ſcientię vtilitatem, dicit, quòd hominem eſſe perfectum per ſcientias ſpeculatiuas, eſt hominem habere ſuam vltimam perfectionem, & talis diſpoſitio eſt ſibi felicitas vltima, & ſempiterna vita. Et cùm tres ſint ſcientiæ ſpeculatiuæ, ponit Auerroes felicitatem in Naturali & Diuina tantùm, quia iſtæ faciunt hominem perfectum; Mathematicæ verò minimè; ve-

mè; veluti ipſe dicit infra, cùm verba facit de proportione ſcientiæ Naturalis ad alias. Cùm itaque Naturalis ſcientia & Diuina faciant hominem perfectum & beatum, declarans vtilitatem phyſicæ, dicit quòd eſt pars vtilitatis ſcientiæ ſpeculatiuæ, quæ facit hominem perfectum & beatum; ideſt, eius prima vtilitas conſiſtit in hoc, quòd facit ad hominis beatitudinem. Id quod etiam Simplicius in præfatione quam edidit ſuper lib. phy., elegantiſsimè demonſtrat. Declarans deinde, eiuſdem ſcientiæ Naturalis proportionem ad alias ſcientias ſpeculatiuas, dicit quòd ſe habet ad eas, ſicuti pars ad totum; per totum intelligendo ſciëntias ſpeculatiuas, quæ reddunt hominem perfectum, vt ſunt Naturalis & Diuina. Quare Naturalis erit tanquam pars eius, quod facit hominem perfectum, & beatum. Cùm autem Mathematicæ non faciant hominem beatum, ſed ſint tantùm propter exercitium, ideſt, vt exerceatur intellectus, & diſponatur ad acquirendam beatitudinem, per alias ſcientias ſpeculatiuas, neceſſariò conſequitur, quòd Naturalis non ſit pars reſpectu ipſius, ſed Diuinæ.

Et quòd Mathematicæ ſint propter exercitium in eo ſenſu quem diximus, patet ex eo quod dicit Auerroes: Quia ſcientiæ ſpeculatiuæ ſunt duobus modis; vnus numeratur propter hoc exercitium: alius propter perfectionem, per quam ipſum eſt, & eſt ſcientia Naturalis, & Diuina. Ex quo patet, quòd Auer. comparatio ſcientię Naturalis ad alias, eſt penès beatitudinem, & hominis vltimam perfectionem. Ad quam quidem cùm non faciant niſi Naturalis & Diuina, patet quòd Naturalis eſt ſicuti pars in ratione ad ipſam beatitudinem. Mathematica verò non eſt niſi vt exerceatur intellectus noſter ad huiuſmodi perfectionem, & beatitudinem. Eapropter addidit Auer. illud verbum (hoc) & ſubdidit, dicens, quòd illud exercitium eſt per illam perfectionem. Quod ego notaui & perpendi.

Senſus igitur Auer. eſt iſte: Quia diximus, beatitudinem hominis, eiusq. vltimam perfectionem, in ſcientijs ſpeculatiuis conſiſtere; ne quis credat, perfectionem hanc conſiſtere etiam in Mathematicis, ad tollendam huiuſmodi ambiguitatem, dicimus, quòd non conſiſtit niſi in Naturali, & Diuina; & propterea Naturalis ſe habebit ſicuti pars, reſpectu eius quod facit hominem perfectum, & beatum. Mathematicæ verò non erunt, niſi vt homo ad huiuſmodi perfectionem ſe exerceat, & diſponat; vt tandem illas ſciẽtias quę faciunt illum beatum, facilius attingere poſsit.

Ex quo patet, vanam & futilem eſſe Buccaferr. expoſitionem, qui in primo phy. lectio. 3. ad initium, & lectio. 5. in calce, vult quòd Mathematica ſit propter exercitium, ideſt. fuit inuenta vt Sacerdotes Ægyptij non torperent in ocio, ſed per ipſam exercerentur, non tamen perficerẽtur. Et hoc elicit ex Ariſto. in proœmio Meta. Iſta, inquam, expoſitio non conſonat verbis Auer. qui dicit, Mathematicam eſſe propter hoc exercitium, quod facit ad beatitudinem, & perfectionem, per quam ipſum eſt. Perſpicuum eſt autem ſecundùm Buccaferreum; quòd Sacerdotes illi non exercebantur in Mathematicis, propter beatitudinem, ſed ne tor- *Contra Buccaferreum.*

perent

perent in ocio, & aliquid operarentur. Nec etiam ſenſui conſonat Ariſtotelis; quia eius intentio in proœmio Metaphyſicæ, tex.7., eſt probare quòd ſcientiæ ſpeculatiuæ non ſunt propter vtilitatem & vſum; & hoc oſtendit tali ſigno: Illæ ſcientiæ primò ſunt inuentæ, quæ ſunt ad vtilitatem & vſum; & poſtea ſpeculatiuæ. Veluti patet in Sacerdotibus AEgiptijs, qui quidem habentes omnia ſibi neceſſaria, per obſeruationem deinde, Mathematicas inuenerunt diſciplinas. Signum eſt igitur, quòd ſpeculatiuæ ſcientiæ non ſunt propter vtilitatem & vſum. Ecce igitur, quòd Ariſtotelis intentio non eſt, declarare id quod dicit Buccaferreus, nequidem dicit, quòd Sacerdotes illi huiuſmodi ſcientias inueniſſent ad fugandum ocium. Quòd ſi ob id illas inuenerunt, tranſeat; ſed ille non eſt ſcopus Auer., nec Ariſtotelis. Multa dixi circa hoc, quia non me latet, locum illum Auerrois multas pati expoſitiones; quas tamen, Zimara theo.89. refellit. Et quia ſcio illum virum fuiſſe illuſtrem, & in via Auerrois exercitatiſsimum, idcirco operæpretiū me facturum exiſtimaui, ſi prolixiori ſermone mentem meam exponerem.

Ad.5. Ad quintam rationem principalem, negatur minor. Ad probationem dicitur, quòd magis & minus vniuerſale bifariam poſſunt conſiderari. Vno modo quatenus ad vnam & eandem ſcientiam particularem attinent: alio modo, quatenus ad diuerſas ſpectant diſciplinas. In primo ſenſu procedit argumentum; ſed non eſt ad propoſitum. In ſecundo ſenſu autem procedit concluſio noſtra: vt ſcilicet præcedat minus vniuerſale. Et quomodo cognitio magis vniuerſalis præcedat vt plurimum & remoto impedimento, cognitionem minus vniuerſalis, diximus ſupra.

Ad confirmationem, negatur quòd notitia de principijs rerum naturalium & de anima ſit difficilior notitia ſeparatorum. Hęc enim adeo clara ſunt, vt non deſinam mirari ita arguentes & dubitantes.

Ad.6. Ad ſextam dicitur, quòd antecedens duplicem poteſt habere ſenſum: Primus eſt, quòd Meta. probet principia aliarum ſcientiarum, vera & propria demonſtratione; veluti ſubalternans probat principia ſubalternatæ. Et iſte ſenſus eſt falſus: quia principia ſcientiarum nulla egent tali demonſtratione. Vel enim demonſtrarentur ex proprijs illius ſcientię, cuius ſunt principia; vel ex proprijs Metaphyſicæ. Si primum, tunc eſt contra Ariſtotelem, locis citatis in argumento. Si ſecundum, tunc eſſet tranſcendere de genere in genus, quod aduerſatur Ariſtoteli primo de poſte. reſolut., cap.7. Aut Metaphyſica ſubalternaret ſibi alias ſcientias; quod eſt falſum; veluti communiter tenetur, & infra probabitur. Secundus ſenſus eſt, quod Meta. probat principia aliarum ſcientiarum, probatione & argumento ducente ad impoſsibile. Vtpotè contra ſophiſtas, à quibus oppugnantur, vt aliquo pacto redarguantur, & conuincantur; & iſte eſt verus ſenſus. Sed ob id non licet inferre: Ergo Metaphyſica debet prius addiſci. Hoc enim verum eſſet, ſi probaret illa principia, vera & propria demonſtratione.

Dubitat. Sed ſi quis obijciat de principijs communiſsimis, quorum virtute, reliqua principia fulciuntur, corroborantur, & vera redduntur; quæ

tamen

tamen ſumuntur à Metaphyſica.

Ad hoc dicendum foret, negando, illa principia deſumi à Metaphy- *Solutio.*
ſica. Sed ſumuntur ab habitu principiorum, qui dicitur intellectus. A
Metaphyſica verò examinantur, & probantur; ſeu declarantur & ſuſti-
nentur, modo quo diximus. Quare illa principia communia, in ſe &
abſolutè conſiderata; accipiuntur ab omnibus ſcientijs, ab habitu qui di-
citur intellectus; vt autem probata & examinata, ſumuntur à Metaphyſica.

Ad ſeptimam negatur antecedens. Et ſi probaretur, quia accipiunt *Ad 7.*
aliæ ſcientiæ principia illa communia & principaliſsima à Meta. Patet
ſolutio ex proximè dictis.

Ad octauam negatur minor. Nam ſupponit, principia illa communiſ- *Ad 8.*
ſima ſecundùm eorum veritatem pertinere ad Metaphyſicam; quod ta-
men eſſe falſum oſtendimus ſupra. Iam enim dictum eſt, quòd ſecundùm
eorum veritatem pertinent ad habitum principiorum. Secundùm vero
eorum examinationem, pertinent ad Metaphyſicam.

Ad nonam negatur antecedens. Cùm probatur, dicitur ad maiorem, *Ad 9.*
quòd duplex eſt cognitio perfecta: Altera ſimpliciter, in genere altera.
Tunc vera eſt illa maior propoſitio de prima, non autem de ſecunda.
Quæ quidem ſufficit ad quamlibet ſcientiam particularem acquirendam.
Quod quidem vt clarius reddatur, animaduertendum eſt, quòd homo
(exempli gratia) bifariam conſiderari poteſt. Vno modo abſolutè, &
ſecundùm eius omnia prædicata. Alio modo, vt res eſt quædam natura-
lis, & ſecundùm eius propria, & phyſica prædicata. Primo modo, non
poteſt perfectè ſciri homo, ſine Metaphyſica. Secundo verò modo, vti-
que poteſt perfectè ſciri in ſcientia phyſica, abſque Metaphyſica. Non
quidem cognitione perfecta ſimpliciter, ideſt, quò ad eius omnia prædi-
cata; Sed cognitione perfecta in genere; ideſt, quò ad prædicata phyſi-
ca, & ſibi conuenientia, quatenus eſt corpus naturale. Nec prima co-
gnitio eſt neceſſaria ad habendam ſcientiam particularem de aliqua re.
Licèt igitur ſcientia Naturalis, & quælibet alia particularis, non poſsit
res ſibi ſubiectas declarare ſecundùm omnia prædicata quæ habent, po-
teſt tamen explicare effectus naturales, ſecundùm omnes eorum natura-
les cauſas, etiam vſque ad primas & immediatas. Et hoc ſufficit, ad hoc
quòd ſit perfecta ſcientia particularis.

Ex quibus patet etiam ad decimam. Non enim aliud concludit, niſi *Ad 10.*
quòd ſine Meta. non poſſumus cognoſcere res naturales nec alias, cogni-
tione perfecta ſimpliciter. Quod vtique nos concedimus, & docemus.
Sed ob id non ſequitur, quin de eis poſsimus habere cognitionem per-
fectam in genere; veluti dictum eſt.

Ad vndecimam negatur minor. Ad probationem dicimus primò, quod *Ad 11.*
maior deficit, quandoquidem ratio principalis ad ſubalternationem re-
quiſita, eſt quòd ſcientia ſubalternata non ponat in numerum cum ſubal-
ternante; veluti ſupra fuit oſtenſum. Naturalis autem & Mathematica po-
nunt in numerum cum Metaphyſica; vt probauimus ſupra. Nulla igitur
inter eas datur vera ſubalternatio.

Solutio. 2. Dicimus ſecundò, q̃ minor dictæ probationis eſt omnino falſa. Cùm autem probatur, quia Meta. verſatur circa ens, reliquæ verò ſcientiæ circa partem entis. Et huiuſmodi pars, ſeu partes contrahuntur per differentias accidentales, vt ſunt motus, quantitas, &c. Quia accidit enti eſſe quantum. Et Meta. probat principia aliarum ſcientiarum. Seriatim atque ordinatè reſpondendo, dicimus, q̃ illa prima ratio, ſeu conditio, nullam infert ſubalternationem. Quoniam ſubalternans & ſubalternata circa idem totale ſubiectum verſantur; non autem ſubalternans circa totum, & ſubalternata circa partem; ſicuti Meta. & aliæ ſcientiæ. Idq. ſatis ſupra reliquimus comprobatum. Ad ſecundam, negamus q̃ motus ſit differentia accidentalis, qua contrahatur ſubſtantia, ſeu ens mobile. Id quod ſupra iam ſatis conſtitit, contra Caſertanum. Et cùm probatur, quia accidit enti eſſe quantum; dicimus q̃ ens, ſeu ſubſtantia mobilis, non conſideratur à Naturali vt quanta, atqui vt mobilis. Quantitas verò conſideratur à Mathematico; quæ tamen non eſt propriè & ſimpliciter ens, at ſecũdùm quid tantùm; quemadmodum probauimus ſupra. Et à Naturali non conſiderantur huiuſmodi, niſi vt accidentia corporis, ſeu entis mobilis. Falſum, inſuper, eſt, materiam illam, ſeu ſenſibilem qualitatem, quam addit ſubalternata ſubiecto ſcientiæ ſubalternantis, eſſe rationem formalem, & modum conſiderandi in ſcientia. Eo ſiquidem ſtante, ſequeretur, ſcientiã inferiorem, ſeu ſubalternatam, non eſſe Mathematicam, at partem potius ſcientiæ Naturalis. Quælibet enim res à forma conſtituitur in eſſe, ab eademq. nomen deſumit. Modus itaque conſiderandi, cùm habeat rationem formæ in ſcientia; vt ab eo conſtituatur, nomenq. deſumat, ſequitur neceſſariò. Sonus autem & viſus (loquamur de Muſica & Perſpectiua) ſunt res naturales; Ergo ſi Muſica conſideraret numerum vt in ſonis, & Perſpectiua lineam, vt in viſu, vtraque eſſet proculdubio naturalis. Cuius tamen oppoſitum oſtendimus ſuperius. Sed de hoc aliàs. Cùm dicitur tertiò, q̃ Meta. probat principia aliarum ſcientiarum; perquamclariſsimè patet reſponſio, ex his quæ diximus ad ſextam rationem in oppoſitum.

Ad authoritates præclariſsimorum virorum, facilè dicimus, q̃ ſubalternatio in duplici ſolet accipi diſcrimine; nimirum propriè & impropriè. De ſecunda ipſi ſunt loquuti; de prima verò eſt ſermo noſter; quæ quidem in ſolis Mathematicis reperitur; veluti ſ diuina fauente Clementia; infra aperiemus. Pro nunc itaque de ordine ſcientiarum; quod fuit ſecundum à me propoſitum, tot mihi dicta ſint ſatis.

An ſcientia dicatur vniuocè de tribus illis, quas ſupra enumerauimus. Cap. 36.

DEterminatis his quæ ad ſcientiarum ordinem ſpectant, reliquum eſt (vt inceptam proſequamur diſputationem) videre, pariterq. diſcutere, an philoſophia, ſeu ſcientia ſpeculatiua, vniuocè dicatur de illis tribus ſcientijs, Meta. ſcilicet, Naturali, & Mathematica.

Pro

Pro cuius exaratione, arguit Iādunus in .6. Meta. q.4., & cum eo Iauellus, lib.6. eiuſdem voluminis, q.7. in ſolutione argumenti, probando q vniuocè dicatur; totaq́. vis rationis ex eo pendet, quia eſt quædam qualitatis ſpecies, quæ in vnico reperitur prædicamento. Cui quidem ſententiæ ſubſcribit Cartarius ille ex Bononia oriundus, in expoſitione proœmij lib. phy. lectio. 3.

Quibus tamen addit, quòd ſi conſideretur ſcientia ſpeculatiua quatenus verſatur circa res ipſas, ſic eſt quid analogum; quod quidem per prius dicitur de Diuina, per poſterius de Naturali, adhuc per poſterius de ipſa Mathematica. Et hoc ideo, quia non eodem modo, neque eaſdem res ipſæ conſiderant; veluti ſupra ſatis conſtitit.

Cæterùm Iauellus huic additioni nitirur ſatisfacere; quoniam; inquit; ſi comparentur adinuicem huiuſmodi ſcientiæ, dubio procul vna eſt prior altera. Atqui ſi proprio comparentur generi, æqualiter participant rationem ſpeculatiui. Cui aſtipulatur Iandunus vbi ſupra.

Veruntamen iſti viri non attingunt nodum quæſtionis, nec difficultatem. Quandoquidem aliud eſt loqui de ſcientia quà eſt habitus, & quà reſpicit obiectum vt res quædam eſt, & aliud eſt loqui de eadem, ſub preciſa, formaliq́. ratione qua eſt ſcientia. Philoſophi nanque, & propriè & formaliter de rebus debent ſermonem habere. Quando igitur quęritur, nunquid ſcientia vniuocè de illis tribus prædicetur, non eſt ſermo de ea vt eſt habitus; ſic enim reſpicit intellectum, à quo tanquam à ſubiecto, diſſicilè mouetur; & hoc pacto eſt quædam qualitas: Minusq́. eſt ſermo de ea, quatenus reſpicit obiectum, vt res quædam eſt. Quandoquidem penès hoc non attenditur nec vniuocatio nec analogia, at potius eius dignitas & nobilitas; vt illa ſcilicet ſit nobilior & dignior, quæ nobilius, digniusq́. reſpicit obiectum. Id quod teſtatum reliquit Ariſtoteles in vndecimo Meta. lib., ſumma.3., cap. primo ſub his verbis: Patet igitur, tria genera ſpeculatiuarum eſſe ſcientiarum; Naturalem, Mathematicam, Theologiam. Optimum igitur ſpeculatiuarum quidem ſcientiarum genus, harum ſanè ipſarum ea, quæ vltimò dicta eſt. Circa nanque honorabiliſſimum entium eſt. Vnaquæque verò melior, aut deterior dicitur, ſecundum proprium ſcibile. Hæc ille. Atqui eſt ſermo de ea, ſub formali ratione qua eſt ſcientia; quæ quidem in eo conſiſtit, vt faciat cognoſcere rem per propriam eius cauſam, atque immediatam. Quod idem eſt, perinde ac ſi diceremus, quòd eſt ſermo de ea, prout reſpicit obiectum vt ſcibile, & vt circa ipſum eriguntur demonſtrationes. Scientia enim eſt effectus demonſtrationis; veluti docuit Ariſtoteles in primo poſte. lib. Quare germanus ſenſus quæſiti eſt iſte. Nunquid formalis ratio ſcientiæ, æquè participetur ab illis tribus; ita vt quælibet illarum, eundem habeat modum procedendi, atque demonſtrandi. Adeoquòd in vnaquaque illarum propriæ erigantur demonſtrationes, & ſingula illarum aggeneretur in nobis per veram & propriam demonſtrationem, de qua loquitur Ariſtot. in primo de poſterio. reſolutio. Et hoc eſt conſiderare ſcientiam, quà reſpicit obiectum prout

ſcibile eſt, & quà eius proprietates & affectiones cognoſcit, per proprias & immediatas cauſas; ex conſequenti ſub præciſa, formaliq. ratione ſcientiæ. Vnde ſi Metaphyſica, Naturalis, & Mathematica, ex æquo erunt effectus propriæ & formalis demonſtrationis, ita vt in qualibet illarũ, propriæ erigantur demonſtrationes; liquido patet, quod ex æquo participant rationem formalem ſcientiæ, ex conſequenti de eis prædicatur vniuocè. Sin autem, minimè. His itaque ſtantibus, patet ꝙ neuter doctorum illorum attingit difficultatem, quàm ipſi proponunt diſputandam; quodq. rationes ipſorum non ſunt ad rem. Perſpicuum ſiquidem eſt, ꝙ ratio Ianduni & Iauelli concludit vniuocationem ſcientiæ; non tamen quà ſcientia, ſed quatenus eſt qualitas; quod nos minimè inficiamur. Cartarij etiam ratio eodem modo procedit; quia non loquitur de ſcientia, quà ſcientia formaliter & propriè, ſed quà reſpicit obiectum vt res quædam eſt, & ita non probat analogiam iuxta ſenſum quæſiti. Et re vera ſi ratio Iauelli ſecus admittatur cogimur dicere, quòd ſcientia vniuocè prædicatur de Logica, Meta. Naturali, Mathema., ſubalternante, ſubalternata, à priori, & à poſteriori; quod minimè eſt fatendum.

Benedicti Pererij ad præinductum quæſitum reſponſio enarratur. Cap. 37.

QVapropter quidam alij rem ipſam intimius conſiderãtes, dixerunt ſcientiam ſpeculatiuam vniuocè de Meta: dici, & Naturali; De Mathematica verò minimè. Eorumq. ratio eſt, quia in illis, propriæ & formales eriguntur demonſtrationes, in hac autem nequaquam. Quod quidẽ plurimis nituntur oſtendere rationibus, quarũ prima talis eſt.

Lib. primo, c. 12., & lib. 3. cap. 4.

1. Ratio.

Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, & ſcientia eſt demonſtrationis effectus. Quę quidẽ demonſtratio, conſtare debet ex his quæ ſunt per ſe, & propria eius, quod demonſtratur; quæ verò ſunt per accidens, & communia, excluduntur à perfectis demonſtrationibus. Sed Mathematicus, neq. conſiderat eſſentiam quãtitatis, neq. affectiones eius tractat prout manant ex tali eſſentia, neq. declarat eas per proprias cauſas, propter quas inſunt quantitati; neque conficit demonſtrationes ſuas ex prædicatis proprijs, & per ſe, ſed ex communibus, & per accidens. Ergo doctrina Mathematica non eſt propriè ſcientia. Maior habetur ex Ariſto. in primo lib. poſte. Minor vero deducitur ex his, quæ tradit Plato in. 7. lib. de Repub., dicens, Mathematicos ſomniare circa quantitatem, & in tractandis ſuis demonſtrationibus, non ſcientificè, ſed ex quibuſdã ſuppoſitionibus procedere. Quam quidem ſententiam confirmare videtur Proclus, in primo lib. ſuorum commentariorum in Euclidem.

2. Ratio.

Amplius, Geometer demonſtrat triangulũ habere tres angulos, æquales duobus rectis, propterea quòd angulus externus, qui efficitur ex latere illius trianguli producto, ſit æqualis duobus angulis eiuſdem trianguli ſibi oppoſitis. Hoc patet in primo lib. elementorũ Euclidis, propoſitione 32.

Quis

Quis autem non videt, hoc medium non eſſe cauſam illius paſsionis; quæ demonſtratur? Prius enim natura eſt triangulum eſſe, & habere tres angulos æquales duobus rectis, quàm vel produci latus illius, vel ab eo latere fieri angulum æqualem duobus internis. Præterea, tale medium habet ſe omnino per accidens, ad illam paſsionem; cùm eidem & adeſſe & abeſſe poſsit, præter eius corruptionem. Idq. permaximè conſtat; quandoquidem, ſiue producatur, ſiue non producatur eiuſmodi latus; quinimmo & ſi illius productionem, anguliq. externi effectionem, impoſsibilem eſſe fingamus, illa paſsio nihilominus ineſſet triangulo.

Adhuc, Mathematicus crebrò vſurpat in demonſtrando propoſitiones quamplurimas communes; vtpotè illam: Totum eſt maius ſua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanēt ſunt æqualia. Et hanc: Lineæ quæ ducuntur à centro ad circunferentiam, ſunt æquales. Et quòd illud latus eſt maius, quod opponitur maiori angulo. Et alia id genus. Ex communibus autem prædicatis non poſſe haberi perfectam ſcientiam, docet Ariſto. in primo lib. poſte. Quare &c. 3.Ratio.

Itē; Mediū demonſtrationis potiſsimæ debet eſſe definitio, ſiue ſit ſubiecti, ſiue paſsionis; teſte Ariſto. in primo lib. de anima, tex. 11., & 2. lib. poſte., pluribus in locis. Sed in demonſtrationibus Mathematicis non aſſumitur pro medio, vel ſubiecti vel quæſiti definitio; vt patet conſideranti demonſtrationes Mathematicas apud Euclidem, Campanum, & alios. Ergo &c. Et ſi in aliquibus demonſtrationibus adhibetur definitio, de raro id fit; & non ſumuntur definitiones internæ, ideſt, ſubiecti vel paſsionis, in quibus verſatur demonſtratio; ſed externæ, & quæ extrinſecus attingant id quod demonſtratur. 4.Ratio.

Præterea; In Mathematicis ſcientijs reperiuntur quamplurimę demonſtrationes ducentes ad impoſsibile, quæ non ſunt demonſtrationes ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; vt ait Ariſt. in 4. Meta. contex. 9. Ergo &c. 5.Ratio.

Ad hæc; Potiſsima demonſtratio eſt tantùm vna, ſicut etiam definitio; veluti docet Ariſto. in 6. lib. Topicorum. Et hæc eſt alijs dignior. Sed in Mathematicis, ſunt eiuſdem theorematis complures demonſtrationes; quarum vna non eſt melior altera, niſi fortè quatenus eſt breuior, & paucioribus medijs rem conficit; vt inquit Proclus primo libro ſuper Euclidem. Ergo &c. 6.Ratio.

Amplius; Potiſsima demonſtratio conſtat ex his quæ ſunt per ſe, Mathematici autem demonſtrant multa ex his quæ accidunt. Non igitur potiſsimè demonſtrant. Ex his patent media, quæ in prima Euclidis demonſtratione habentur. Ibi enim oſtendit, latera trianguli extructi, ſeu erecti ſuper datam rectam lineam, eſſe æqualia inter ſe, quia ſunt lineæ à centro circuli, ad eiuſdem circunferentiam ductæ. Accidit autem lateribus trianguli æquilateri, eſſe lineas ductas à centro circuli, ad eius circunferentiam. 7.Ratio.

Deinde; Demonſtratio potiſsima gignit ſcientiam perfectam, quæ eſt cognitio rei per propriam cauſam. At Mathematicus non demonſtrat ſua theoremata per huiuſmodi cauſas. Ergo &c. Minor patet; 8.Ratio.

quoniam medium quod aſſumitur in prima demonſtratione Euclidis, non eſt cauſa theorematis quod demonſtratur. Similiter in illa celebri demonſtratione, quæ eſt.32. primi libri, oſtendit Euclides triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; ex eo quia angulus externus qui fit ex latere producto, eſt æqualis duobus angulis, illi oppoſitis. Conſtat autem, hoc non eſſe cauſam illius paſsionis; quoniam etſi talis angulus non eſſet, & priusquam efficiatur ille angulus, iam triangulus eſt triangulus, & habet prædictam paſsionem. Quare in Mathematicis nulla habetur potiſsima demonſtratio, & ex conſequenti, Mathematicæ diſciplinæ non ſunt veræ ſcientiæ. Naturalis autem & diuina, licèt non ſemper demonſtrent per cauſas, neque ad explicandas omnes res, adhibeant perfectas demonſtrationes, id tamen faciunt ſæpe; videlicet quantùm licet, vel propter obſcuritatem, inſtabilitatemq́. rerum quas tractant, vel propter infirmitatem ingenij humani. Quare ſcientia prædicatur vniuocè de Diuina & Naturali, de Mathematica verò, minimè. Hæc eſt ſententia Pererij, circa propoſitam à nobis quęſtionem.

Reÿcitur opinio & ſententia Pererij. Cap. 38.

Plato in 7. de Repub.

VErumenimuerò huiuſmodi doctrina, mihi haudquaquam probari poteſt. Quod quidem vt clariſsimè oſtendam, ab his primordia capienda duxi, quæ & ipſe primo ſibi ſtatuit loco. Plato ſiquidem in 7. de Repub. dialogo, de Arithmetica verba faciens, hæc protulit verba. Hæc itaque diſciplina ex earum genere erit, quas quærimus; militi quidem cognitu maxime neceſſaria ad acies ordinandas; philoſopho autem, vt è fluctibus generationis emergat, eſſentiamq́. attingat; ſine qua diſciplina, computare, ratiocinariq́. non poterunt. Conueniens vtique inſtitutio erit, o Glauco, perſuadere illis qui ciuitatis muneribus functuri ſunt, vt ſe ad computandi ſcientiam conferant. Et parum infra: An & hoc aduertiſti, quòd homines natura arithmetici, ad omnes doctrinas, vt ita dixerim, acuti videntur? Quin etiam, ſi qui ingenio tardiores, huic ſe ſtudio dederint, ſi nullam vtilitatem aliam ſuſceperint, tamen hoc aſſequuntur, vt acutiores quàm antea ſint. Et in libro qui Epinomis vel Philoſophus vocatur dicit: Qui autem veræ rationis eſt expers, is quomodo ſapiens vnquam euadet? Cui verò deerit Sapientia, vniuerſæ virtutis pars maxima; is cùm bonus abſolutè eſſe non poſsit, nunquam beatitudinem aſſequetur. Ita neceſſe eſt omnino numerum præſupponere. Idq́. neceſſarium eſſe, pluribus etiam rationibus monſtrari licet. Sed rectè nunc ratione hac oſtenditur. Quòd cæteræ artes, quas omnes paulò ante enumerauimus, ſublato numero, penitus euaneſcent.

Rurſus, in illo de Republica libro, quem ſupra citauimus, de Geometria ita loquitur: Nam ad caſtra ponenda, regionem occupandam, colligendas turmas, vel etiam ſpargendas, & ad cætera machinamenta, quibus circa acies, vel in obſidione, vel itinere vti ſolent, permultum intereſt, Geometricus ne aliquis ſit, an non. Ad hæc vtique exigua quędam Geo-

metricæ, Arithmeticęq́. particula ſufficit. Inquirendum eſt autem, vtrum diuturnius ſtudium, vberiorq́. perceptio, cõferat ad ideam boni facilè cognoſcendam; conferunt vero ad hoc omnia quæ animum illuc conuertunt, vbi eſt eſſentiæ beatiſsimum. Quod ipſi eſt penitus cognoſcendum. Ergo ſi eſſentiam intueri, Geometriæ ſtudium cogit, conuenit quidem, ſin autem generationem, non conuenit. Profectò nobis hoc non negabunt quicunque, vel paulum quid Geometriæ guſtarunt, quin hæc ſcientia, contra omnino ſe habeat, quàm de ea loquantur, qui in ipſa verſantur. Quippe ridiculè admodum & quaſi coacti ſæpè loquuntur. Nam velut agentes & actionis gratia verba faciunt, dum & quadrare aiunt, & perducere atque addere, cęteraq́. ſimiliter. Doctrina verò hęc, omnis cognitionis gratia quæritur. Hæc Plato. Quibus addit: Nam Geometria, eius quod eſt, ſemper cognitio eſt; non eius quod & oritur quandoque & interit. Aſt quid ſibi vult hoc, niſi quòd cùm ſcientia ſit ſempiternorum & neceſſariorum, & Geometria ſit huiuſmodi, quòd neceſſario conſequitur vt ſit ſcientia?

Addit deinde: Scimus quinetiam ad diſciplinas omnes facilius perdiſcendas intereſſe omnino, attigerit ne Geometriam aliquis, an non. Vtique autem ſcimus ſcientiam eſſe demonſtrationis effectum; quomodo igitur Geometria iuuabit nos ad alias ſcientias facilius acquirendas, niſi & ipſa demonſtret? Logica nanque, licèt propriè non demonſtret; veluti aliàs docuimus; regulas tamen docet & modum erigendi demonſtrationes. In libro quoque à nobis ſecundo loco citato, de Aſtronomia ſermonem habens, ita dicit: Nolite ignorare Aſtronomiam Sapientiſsimum quiddam eſſe. Non igitur negat Plato, diſciplinas Mathematicas munere ſcientiæ gaudere; quinimmo de eius ſententia, totum colligimus oppoſitum.

Amplius, Ariſto. in 6. Sapientiæ, contex. 2. diuidit ſcientiam ſpeculatiuam in Mathematicam, Naturalem, & Diuinam. Nos autem ex eiuſdem Ariſto. ſententia, ſupra probauimus, ſolam illam facultatem quę ſpeculatiua eſt, ſcientiam propriè & ſimpliciter eſſe. Ergo Mathematica eſt formaliter & propriè ſcientia; quare & demonſtrationis effectus. .2.

Item. Ariſto. in 2. Meta. lib., contex. 16., dicit: Certitudinem verò ſermonis mathematicam non oportet in cunctis quærere, ſed in his quæ non habent materiam. Vbi Commentator Auerroes dicit, quòd demonſtrationes mathematicæ ſunt in primo ordine certitudinis, & demonſtrationes naturales conſequuntur eas in hoc. Et in primo Ethi. cap. 3. dicit, quòd facultas de moribus non exigit modum exactiſsimum in procedendo; quia tunc eſſet veluti ſi velimus probare Geometram ſuadentem, & oratorem demonſtrantem. Quare peroptimè ſequitur, quod in Mathematicis ſint veræ demonſtrationes, & ita ſint veræ ſcientiæ. .3.

Amplius, Ariſto. in primo de poſte. reſolut. cap. 14. ad initiũ, dicit: Figurarum autem, maximè ſcientialis eſt prima. Mathematicæ nanque ſcientiæ per hanc demonſtrationes ferunt, vt Arithmetica & Geometria & Perſpectiua. Ergo ſunt veræ demonſtrationis effectus. .4.

Cæterùm

Solutio. Cæterùm reſpondet Pere. ad tertiam & quartam hanc rationem, diſtinguendo de duplici acceptione medij in demonſtratione. Aut enim demonſtrationis medium eſt certum, & notum quò ad nos, ita vt certitudo & euidentia concludendi & demonſtrandi, in eo conſideretur tantùm ex parte noſtri. Aut ita ſe habet, quòd eſt primum, immediatum, proprium, per ſe, cauſaq. eſſendi & cognoſcendi. Primæ conditiones ſunt in medio demonſtrationis mathematicæ, quia eſt nobis notiſsimum, & non eſt cauſa niſi cognoſcendi. Secundæ verò conditiones ſunt in medio demonſtrationis potiſsimæ. Hac igitur de cauſa, & ab Ariſto. & ab Auerroe, alijſq. philoſophis, appellantur præſtantiſsimæ, & exquiſitiſsimæ, mathematicæ demonſtrationes. Et ob maximam diſcendi facilitatem, pulcherrimumq. ordinem, atque mirabilem connexionem demonſtrationum inter ſe, appellantur mathematicæ, ſcientiæ, per anthonomaſiam, diſciplinæ; non propter excellentiam demonſtrarionum.

Sunt etiam; inquit; demonſtrationes mathematicæ certiſsimæ, euidentiſsimæ, & facillimæ ratione ſubiecti, nempe quantitatis. Quantitas enim eſt maximè ſenſata, quia omnibus percipitur ſenſibus. Et media, ſeu principia demonſtrationum mathematicarum, poſſunt exponi & declarari, ita vt vel ſenſibus ipſis pateant; quod fieri non poteſt in rebus naturalibus, aut diuinis. Vnde & pueri efficiuntur Mathematici. Sunt etiam facillimæ abſtractionis, res ipſæ mathematicæ.

His itaque de cauſis cùm demonſtrationes mathematicæ ſint certiſsimæ, euidentiſsimæ, & nobis facillimæ, relinquitur vt à philoſophis perfectæ, & abſolutæ demonſtrationes appellentur. Quia ſcilicet medium & ſubiectum eſt notiſsimum, & ipſæ res ſunt facillimæ abſtractionis. Non autem quia medium habeat illas, quas ſecundo loco enumerauimus conditiones.

Impugna. Veruntamen huiuſmodi doctrina mihi minimè probatur. Quandoquidem ſi ſola ſpeculatiua eſt verè & propriè ſcientia, quomodo Mathematica, ſpeculatiua cùm ſit, non erit propriè ſcientia? Sec nulla fuiſſet diuiſio Ariſtotelis.

1\. Item; Ariſto. ratio in primo Ethi. cap. 3. nulla eſſet. Probat enim ꝙ facultas de moribus non ſit ſcientia, quia non vtitur demonſtratione; Vnde ſi quis in ea demonſtrare vellet, perinde eſſet ac ſi vellet probare Geometram ſuadentem, & oratorem demonſtrantem. Si itaque Geometra, vera propriaq. non vtitur demonſtratione, dubio procul Ariſto. ratiocinium nihil concludit. Quandoquidem poſſet quis reſpondere; Geometra non propriè demonſtrat, & tamen demonſtrare dicitur, & Geometria nuncupatur ſcientia; cur igitur & Moralis non poteſt dici ſcientia, & cur non poſſumus dicere illam demonſtrare? Ariſtoteles enim in illa ſua ratione, vel accipit demonſtrare ſimpliciter & propriè, vel non.

\+ Si primum, ſequitur intentum. Si ſecundum, quomodo probat Moralem non eſſe ſcientiam neque demonſtrare? Nulla profectò eſt eius ratio.

3\. Item; Ariſto. in primo poſte. lib., cap. 12., in calce, aſsignans quandam differentiam inter demonſtrationem & ſyllogiſmum dialecticum; nimirum

mirum faciliorem eſſe reſolutionem in demonſtratione, quàm in ſyllogiſmo dialectico, dicit: Conuertuntur autem magis quæ ſunt in Mathematicis, quoniam nullum accidens accipiunt, ſed definitiones. Nunc ſic Ariſto. comparat demonſtrationem & ſyllogiſmum dialecticum adinuicem penès hoc, quod ſcilicet demonſtratio eſt facilioris reſolutionis, quàm ſyllogiſmus dialecticus; quia ipſe ex probabilibus conſtat; probabilia autem ſunt multa, & vera & falſa; & ideo eius concluſio ex multis, tum veris, tum falſis ſyllogizari poteſt; ob id non habet determinata principia, ex quibus ſyllogizetur, & ita eſt difficilis reſolutionis. Concluſio verò demonſtratiua, ex veris tantùm, non quibuſcunque, ſed neceſſarijs colligitur; quæ quidem cùm ſint determinata, inde ſequitur facilior reſolutio. Et hoc declarat in Mathematicis demonſtrationibus, quæ quidem, cùm non per accidentia fiant, ſed per definitiones, & ea quæ ſunt per ſe, non eſt reſolutio difficilis.

Modò, vel loquitur Ariſto. de demonſtratione ſimpliciter & propriè ſumpta, vel non. Secundum non eſt aſſerendum, tum quia ibi ſermo totus in demonſtrationem propriè ſumptam, & ſimpliciter dirigitur. Tum quia probando conditiones & proprietates demonſtrationis, prout diſtinguitur contra ſyllogiſmum dialecticum, per demonſtrationes mathematicas, probaret conditiones & proprietates demonſtrationis propriè ſumptæ, per conditiones & proprietates ſyllogiſmi dialectici, ſeu demonſtrationis impropriè ſumptæ, quod eſt ridiculum. Relinquitur itaque, ut detur primum, & ita quod Mathematicæ ſcientiæ propriè demonſtrent. 3.

Amplius, ſtante doctrina, quam in ſua reſponſione affert iſte vir, nulla profectò eſſet inductio, quam facit Ariſto. vbi ſupra, probando primam figuram eſſe maximè ſcientialem, & ad demonſtrandum aptam & idoneam, per hoc quod Arithmetica, Geometria, & Perſpectiua, per illam demonſtrationem ferunt. Perſpicuum ſiquidem eſt, quod Ariſto. eo in loco, de demonſtratione propriè loquitur & ſimpliciter. At ſi huiuſmodi ſcientiæ non propriè demonſtrant; nónne Ariſto. probat, demonſtrationem propriè ſumptam maximè fieri in prima figura, per hoc quod in ea fiunt demonſtrationes impropriè ſumptæ? Idem enim eſt, ac ſi diceret: Prima figura eſt maximè ſcientialis, quia in ea multæ fiunt demonſtrationes dialecticæ: ſeu ſi probaret hominem eſſe animal, quia eſt ſubſtantia. Si itaque eius rationem velimus habere vim, neceſſe eſt vt omiſſa quacunque æquiuocatione, accipiat Ariſto. in illa inductione demonſtrationem propriè & ſimpliciter. Quod quidem confirmatur per verba immediate ſubſequentia, quæ ſunt hæc: Et ferè vt dixerim, quæcunque ipſius propter quid conſiderationem faciunt. Aut enim omnino, aut vt plurimum, & in plurimis, per hanc figuram ipſius propter quid fit ſyllogiſmus. Quare & propter hoc erit vtique maximè ſcientialis. Maximè nanque proprium ipſius ſcire, eſt propter quid ſpeculari. Hæc Ariſtoteles. Ex quibus habemus huiuſmodi ratiocinium: Mathematicæ ſcientiæ, & quæcunque faciunt conſiderationem ipſius propter quid, aut 4.

 omnino,

omnino, aut vt plurimum, formant ſyllogiſmum in prima figura. Ergo prima figura eſt maximè ſcientialis. Probat conſequentiam; Quia propriſſimum ipſius ſcire, eſt propter quid ſpeculari.

In hac igitur ratione, aut accipit Ariſt. ſcire propriè, & in eodem ſenſu, in quo accepit ſupra in definitione ipſius, aut non. Si ſecundum, nulla eſt ratio, quia peccat per fallaciam æquiuocationis. Si primum, habeo intentum; quòd ſcilicet Mathematicæ ſcientiæ propriè demonſtrant. Scire nanque propter quid, eſt ſcire perfectum, per cauſam propriam, & proximam, à qua res habet vt ſit. Quæ quidem cauſa vnius rei, vna eſt; non plures, teſte Ariſto. in.2. de poſte. reſolut. Quòd autem cognitio & ſcire propter quid, ſit cognitio perfecta, & ſcire perfectum; immo perfectiſsimum, hoc teſtatur Ariſto. in initio ſecundi lib. poſte., & deinceps fuſiſsimè. Et quòd cognitio & ſcire propter quid habeatur per cauſam proximam & immediatam, docet Ariſto. in cap. 10. primi lib. poſte. Hæc omnia clarè habentur apud Ariſto. Cùm itaque Mathematicæ ſcientiæ dicant propter quid, veluti docuit Ariſto. in primo poſte. cap. 14., cur non demonſtrabunt per cauſam proximam, propriam, immediatam, per ſe, & per cauſam eſſendi & cognoſcendi? Et ſi hoc eſt verum, cur non propriè & ſimpliciter demonſtrant?

.5. Accedit, quòd Euclides in 31 demonſtratione tertij libri, probat omnem angulum in ſemicirculo rectum eſſe, per definitionem maioris extremi. Ergo propriè demonſtrat. Conſequutio ex ſe liquido patet, ſi fidem adhibeamus ijs quæ docuit Ariſto. in 2. lib. poſte. tex. 95. & 97.; vbi dicit, quòd medium demonſtrationis eſt ratio maioris extremi. Id autem

.4. quod antecedit, in hunc modum declaratur: Dicit enim Euclides, quòd omnis angulus in ſemicirculo eſt rectus. Idq; tali pacto demonſtrat: Quando recta linea ſuper rectam ſteterit, duoq; anguli vtrobique fuerint æquales, eorum vterque rectus erit; lineaq; lineæ ſuperſtans, ei cui ſuperſtat, perpendicularis vocatur. Protracta autem extra peripheriam alterâ duarum linearum, quæ remanet eſt illi perpendicularis, quia duos efficit angulos, vtrinque inuicem æquales, proinde rectos. Qui igitur eſt in ſemicirculo, eſt rectus. In hac demonſtratione, minus extremum eſt angulus in ſemicirculo, maius autem extremum eſt rectus, & medius terminus eſt definitio anguli recti; vt patet in principio primi elementorum Euclidis. Vnde medium in hac demonſtratione eſt definitio maioris extremi; & ita procedit ex immediatis; quare propria demonſtratio. Quam quidem pro exemplo adducit Ariſto. in.2. de poſte. reſolut., cap. 10.; vbi dicit, angulum in ſemicirculo oſtendi rectum eſſe, ex eo quia eſt dimidium duorum rectorum. Hoc autem medium, ab eo quod in alia demonſtratione aſſumpſimus, non niſi in verbis differt. Angulum enim illum eſſe alteri angulo æqualem, cùm ambo ſimul ſumpti, duobus rectis æquales ſint, eſt eſſe dimidium duorum rectorum. Eapropter minimè fatendum eſt, ſcientias Mathematicas non propriè demonſtrare.

Cõfirmatur ratio, Ariſtotelis authoritate; qui in primo Eth. lib., cap. 10., dicit, ꝙ Geometra conſiderat rectũ propter ſcire, & faber propter operari.

Cæterùm

Cæterum eſt quędam dubitatio, quæ ſeſe offert diluenda. Ariſto. ſiquidem in.4. Sapientiæ, contex.4., dicit, quod philoſophiæ tot ſunt, quot ſunt ſubſtantiæ. Ipſa autem Mathematica non eſt de ſubſtantijs. Ergo non eſt philoſophia; ex conſequenti non propriè demonſtrat.

Leuis difficultas; quicquid dicat ſuper his Epiſcopus Caſertanus, in voluminis de euerſione ſingularis certaminis lib.20., ſectio.8. Non enim rectè citantur verba Ariſtotelis, at ita formaliter iacent: Atque tot philoſophiæ partes ſunt, quot ſubſtantiæ. Quibus ſtantibus, perſpicuum eſt, Ariſtotelem non de philoſophia in ſe, at de Metaphyſica, eo in loco ſermonem habere. Quæ quidem, cùm primo & propriè ſit de ſubſtantia, ſequitur quod ſicut ſubſtantiarum quædam ſunt immateriales, quædam vero materiales; quod etiam Metaphyſicæ ſint duæ partes; quarum prima ſecundùm nos, ſit illa quæ tractat de ſubſtantia ſenſibili; ſecunda verò, quæ tractat de ſubſtantia immateriali. Et appellat Ariſto. Metaphyſicam philoſophiam, per anthonomaſiam; veluti etiam Metaphyſicum, philoſophum ibidem appellat. Inquit enim. Philoſophus nanque eſt, vt ille qui Mathematicus dicitur. Vbi vult, quod ſicut Mathematica verſans circa quantitatem, habet duas partes, propter duplicem quantitatem, nimirum continuam & diſcretam; ita Metaphyſica verſans circa ſubſtantiã, duplicem habet partem, propter duplicem ſubſtantiam, immaterialem ſcilicet, & materialem. Quare ob id non ſequitur, quin Mathematica ſit propriè ſcientia. Secus malè Ariſtoteles, dum in.6. Meta.2 dicit, tres eſſe ſcientias ſpeculatiuas, Mathematicam, Naturalem, & Theologiam.

Solutio.

Rationes Pererij diſſoluuntur. Cap. 30.

HIS itaque in hunc modum conſtitutis, reliquum eſt, vt rationibus in oppoſitum conemur facere ſatis. Ad primam igitur negatur minor propoſitio. Ad probationem, negatur quòd Plato dicat, [illegible] Pe-rerij.
Mathematicas diſciplinas ſomniare circa quantitatem. Sed dicit, quod circa eſſentiam quodammodo ſomniant. Intelligendo per eſſentiam, id quod in ordine rerum eſt optimum. Comparat enim alias diſciplinas & artes ipſi ſapientiæ, ſeu Metaphyſicæ; & inquit, quod ſola Metaphyſica attingit ipſam eſſentiam, nimirum ſubſtantiam intellectualem. Cæteras autem facultates, præ illius nobilitate, iudicat eſſe ſeruiles.

Aut enim inquit; ad opiniones hominum declinant, vel ad generationes, compoſitionesq́. inferiorum, vel ad eorum cultum quæ gignuntur. Aut ſaltem ſi ad incorporea ſe pro viribus erigunt, nihilominus circa illa quodammodo ſomniant. Quales eſſe inquit Mathematicas diſciplinas. Quòd ſi ob id velimus, illas veras non eſſe ſcientias, idem de alijs (dēpta vna Metaphyſica) fateamur oportet. Idem quod Plato, docere videtur Alexander, ille ex Aphrodiſiade, in ſuo proœmio ſuper libro Priorum. Vbi dicit, quod ſola Meta. eſt primo, per ſe, & propriè ſpeculatiua. Idq́. deducit ex verbo græco [illegible] ideſt, diuina inſpicere. Nam theoria; inquit; ideſt, contemplatio, nihil aliud, quàm de diuinis inſpectionem, & cognitionem

gnitionem ſignificat. Quòd quidem, cùm proprium ſit Metaphyſicæ munus, quod illa ſit primò & propriè ſpeculatiua; ſequitur neceſſariò. Reliquæ verò, quia iuuant ad diuinarum rerum inſpectionem, ſunt & ipſæ ſpeculatiuæ. Et propterea ratione obiectorum in eis vt res conſideratorum, Meta. eſt prima, Naturalis ſecunda, Mathematica tertia, ordine dignitatis: veluti etiam aliàs diximus. Non ob id ſequitur tamen, quia ſint veræ ſcientiæ.

Ad 2. Ad ſecundam reſpondetur cum doctiſsimo Zimara theo. 43., quòd ob id quia ſcientiæ Mathematicæ ſunt propriè ſcientiæ, non ſequitur quòd ſemper demonſtrationibus ſimpliciter vtantur, abſolutè loquendo. Scientia nanque dupliciter venit conſideranda; Vno modo in ſua puritate, ſecundùm propriam ſui naturam, non reſpiciendo ad aliquod extrinſecum. Alio modo conſideratur, vt occurrit addiſcenda à nobis. Et primo quidem modo, ſcientiæ Mathematicæ procedunt per demonſtrationes ſimpliciter. Sed ſecundo modo conſideratæ, deſcendunt quandoque ad aliquas exemplares manuductiones; & aliquas probationes, quæ non ſunt ſi[illegible]iciter demonſtrationes; immo aliquæ vt ſic fundantur ſuper locis ext[illegible]nſec[illegible]s. Sicut in Geometria probatur ex proportione diametrorum, proportio quadratorum. Et ſimiliter ſphærarum, & circulorum. Cùm tamen notum ſit, quod proportio diametrorum, non ſit cauſa proportionis circulorum; aut quadratorum.

Ita etiam dici poteſt de propoſito theoremate in argumento. Quando igitur dicimus, quod rationes mathematicæ ſunt demonſtratiuæ, intelligimus de illis, quæ procedunt ex proprijs illius ſcientiæ. Sed ſi procedunt ex communibus, non erunt demonſtrationes Mathematicæ, ſed rationes dialecticæ. Stat igitur ꝙ probatio illa, qua declaratur triangulum habere tres æquales duobus rectis, non ſit vera demonſtratio: non tamen ob id ſequitur, quin Mathematica aliquando propriè demonſtret.

Addo tamen, quod Ariſtoteles in primo de poſte. reſolut., cap. 7., dicit, quod triangulum habere tres angulos ſcimus, non per accidens, cùm ex proprijs principijs trianguli, propter quæ ei ineſt, ſciamus. Inquit enim: Vnumquodque autem ſcimus non ſecundùm accidens, quando ſecundùm illud cognoſcamus, ſecundùm quod ineſt ex principijs illius, ſecundùm quòd illud. Vt duobus rectis æquales habere, cui ineſt per ſe, quod dictum eſt, ex principijs huius.

Probatur igitur & demonſtratur paſsio illa de triangulo, per tertiamdecimam propoſitionem primi lib. elementorum Euclidis, & tandem deuenitur ad definitionem anguli recti. Cùm igitur ad definitiones deuenerimus, & principia Geometriæ, nihil vlterius quęrimus; ſed habemus ex geometricis principijs triangulum demonſtratum. In hunc modum igitur erigatur demonſtratio: Si linea ſuper lineam ſtans angulos faciet, vel duos rectos, vel duobus rectis æquales faciet; per. 13. primi Euclidis. Sed in ſtructione trianguli datur linea ſuper lineam ſtans: Ergo vel duos rectos, vel duobus rectis æquales facit. Sed non facit duos rectos: Ergo duobus rectis ęquales. Probatur illatio; quia perducta linea recta ſuper

qua ſun-

quia fundatur triangulus, ſtatim producuntur anguli recti duo, qui ſunt æquales illis tribus. Et hoc patet per definitionem anguli recti, quę eſt hæc: Cùm linea ſuper lineam ſtans, angulos æquales inuicem facit, rectus eſt vterque æqualium angulorum. Habemus igitur triangulum demonſtratum ex proprijs eius principijs.

Ad tertiam reſpondet Ariſto. in primo Poſte. libro, cap. 7., & .8. Vbi duo genera principiorũ cõmuniũ aſsignat; vnũ ſimpliciter, & hoc in .7. cap.; reliquum ſecundum proportionẽ, & hoc in .8. cap. Vbi dicit: Sũt vero ea quibus vtimur in ſcientijs quæ per demonſtrationẽ habẽtur, nonnulla eius diſciplinæ ꝓpria, nonnulla verò cõmunia; Sed cõmunia tamẽ ſecũdùm proportionẽ; prout cõfert quoduis in oĩ ſciẽtiæ genere. Sũt autẽ propria, vt ſic eſſe lineã, & rectum. Et cõmunia, vt ſi ab æqualibus auferãtur æqualia, ſunt etiã quæ relinquũtur æqualia. Satisfacit autẽ horũ vnũquodq. ĩ genere quo cunq. vnã idem ſic eſſet, ac ſi nõ de oĩbus acciperet; ſed tantùm in magnitudinibus Geometra, & in numeris Arithmeticus. Hæc ille. Ex quibus patet, ꝙ quãdo dicit ĩ .7. cap., ꝙ ex cõmunibus nõ habetur demõſtratio, loquitur de cõmunibus ſimpliciter, quæ remanẽt ſẽper in ſua cõmunitate, cuicunq. adaptentur. Non tamen negat quin poſsit haberi demonſtratio ex communibus ſecũdùm proportionem; quæ ſunt illa, quæ cuicunq. adaptantur ſciẽtiæ, nõ vti cõmunia, atqui vt propria materiæ illius ſciẽtiæ, cui adaptãtur. V.G. Si Geometra vult vti hoc principio: Si ab æqualibus æqualia demas, quę remanent ſunt æqualia. Non vtitur eo in ſua communitate; ſed contrahet illud ad proprium ſubiectum, in hunc modum: Si ab æqualibus magnitudinibus, &c. Et Arithmeticus: Si ab æqualibus numeris, &c. Et ita etiam alij; veluti clariſsimè dicit Ariſtoteles. Eſt igitur verum, quòd ex communibus ſimpliciter, non fit demonſtratio. Fit tamen ex communibus, ſecundùm proportionem. Et talia ſunt illa, quæ adducuntur in argumento. Et ſi in Mathematicis ſint demonſtrationes, ſeu rationes procedentes ex communibus ſimpliciter, patet quid dicendum, ex ijs quæ ſupra diximus, in reſponſione ad ſecundum.

Adde quòd Ariſtoteles non prohibet omnino vſum principiorum communium; ſed dicit, ꝙ demonſtratio non poteſt confici ex ſolis principijs communibus; veluti fecit Bryſſo. Dignitates enim ſunt principia communia, eis tamen ſcientię omnes vtuntur. Vnde ſi adhibito auxilio principiorum communium, demonſtrationem ex proprijs principijs conſtruamus, perfectam rei ſcientiam adipiſcimur.

Ad quartam dico, quòd medium in demonſtratione eſt definitio prædicati, ſeu maioris extremi, non quidem eſſentialis, at cauſalis, veluti oſtendemus loco ſuo. Et patet præſertim ex .31. tertij Euclidis. Quo quidem ſtante, negatur minor argumenti; cuius quidem probationis oppoſitum, iam ſupra oſtendimus, tum in quinta ratione contra ipſum erecta; tum in reſponſione ad ſecundam. Et quando dicit iſte vir, quòd non ſunt definitiones internę, fallitur, credens medium in demonſtratione eſſe definitionem eſſentialem; at hoc

At hoc eſſe falſum probabimus (diuina fauente clementia) cum opus fuerit. Eſt enim definitio cauſalis. Sat ſit igitur pro ſolutione huius argumenti, illa negaſſe, quæ nec ipſe probat.

Ad 5. Ad quintam, patet ex his quæ diximus ad ſecundam, ex Marcoantonio Zimara; nam & ipſe eodem modo reſpondet ibidem. Addo tamen, q omnis demonſtratio ducens ad impoſſibile poteſt eſſe oſtenſiua, & è contra; iuxta ea quæ nobis cõcripta reliquit Ariſto. in primo Priorũ lib. cap. 30. Licèt igitur demonſtratio manifeſta in Mathematicis plurimum ſit ducens ad impoſſibile; ex conſequenti concluditur id quod opponitur principijs, quare per effectum. Attamẽ fit in vi alterius demonſtrationis, quæ eſt propter quid, id eſt, à principijs ad effectum arguendo. Quod ſi non detur effectus, ex eius oppoſito infertur contra aliquod ex principijs conſeſsis. Quare diſciplinæ Mathematicæ procedunt demonſtratione propter quid. Nam ſi totam legamus Euclidis Geometriam, fortaſsis non inueniemus niſi vnam, aut alteram demonſtrationem, quæ conſtet ex primis eius ſcientiæ principijs, & minorem habeat immediatam. Reliquæ omnes ſunt ex propoſitionibus prædemonſtratis, & minorem habent mediatam; ſed nunquam maiorem. Prima enim demonſtratio ex principijs communitur; ſed illa prima fit principium ad demonſtrandam ſecundam, ſicuti ex ſecunda oſtenditur tertia. Vnde concluſio primę demonſtrationis fit principium ſecundæ.

Ad 6. Ad ſextam patet ex his quę diximus ad ſecũdã. Hoc vtiq pro cõperto habeo, q vnius rei vna eſt demõſtratio, & vna definitio; quia vnius rei vna eſt cauſa proxima; veluti docuit Auerr. in 1. lib. Poſte., com 46. Vnde licèt res aliqua poſsit habere quatuor genera cauſarũ, & in ſingulo genere cauſã ſibi proximã: proĩde quatuor proximas; vna tamẽ ipſarũ tãtũ modo ẽ ſimpliciter proxima; tres autẽ reliquæ; nõ ſimpliciter, ſed in genere ſuo proximæ ſunt. Ideo per eã ſolã demõſtratur propter quid eſt; at ſi per eas oẽs poſſet demõſtrari propter quid, ſequeretur vnius rei quatuor eſſe poſſe potiſſimas demõſtrationes; quod quidẽ nulla ratione fieri poteſt. Vnde ſi quis vadat in forũ vt videat amicũ, ab aliquoué interrogetur cur in forũ tẽdat, poteſt ille reſpõdere, quia ſũ animatus. Aſsignat quidẽ cauſã effectricẽ; hãc tamen remotam; cùm & ſpiritus vitales moti ab anima ſint propinquior cauſa illius deãbulationis, quàm ſit anima. Et rurſus pedes qui mouẽtur à ſpiritibus, ad hunc propinquior cauſa ſũt illius deãbulationis, quàm ſint ſpiritus vitales. Eapropter licèt pedes ſint cauſa proxima illius deãbulationis in genere cauſæ effectricis, ita q in eodẽ genere cauſæ, nulla eſt ea propinquior illi effectui; nõ tamẽ eſt proxima, & propinquior ſimpliciter; ſed illa eſt cauſa finalis, viſio ſcilicet amici ĩ foro. Hęc enim ẽ cauſa, quare anima mouet ſpiritus, iſti autẽ pedes, & tandẽ pedes eũ hominẽ in forũ ducant. Quare ſi interrogetur cur in forũ vadat, & reſpondeat, quia habeo pedes, nõ dat propter quid; ſed ſi dicat, vt amicũ videam. Cùm itaque dicit Arguẽs: Vnius rei vnica eſt demonſtratio; de demonſtratione potiſsima, & ſimpliciter ꝓpria, admitto. Cùm ſubdit, In Mathematicis ſũt eiuſdẽ theorematis plures demonſtrationes; Nego quidẽ. Cùm probat authoritate Procli; dico q author ille loquitur

quitur non de potiſsima demonſtratione, atqui de Dialectica. Et tunc concedimus ratiocinium; veluti ex Zimara diximus ad ſecundum.

Ad ſeptimam nego minorem propoſitionem. Ad eiuſdem probationẽ, nego adhuc minorem; quam nec ipſe probat. Et ꝙ ſit falſa, facile eſt declarare. Siquidem dicit, ꝙ lateribus trianguli æquilateri accidit ꝙ ſint lineæ à centro ad circumferentiā ductæ. Scimus tamen nos, huiuſmodi triangulū formari ſuper lineam rectam. Linea autem recta terminata ita ſe habet, ꝙ de eius ratione ſunt duo puncta. Quæ quidem puncta, per ſe primò ſunt centra duorum circulorum. Quocunque igitur triangulo ęquilatero formato, neceſſariò dantur ibi duo circuli, ſaltem imaginati, à quorum centris ducentur illę lineæ. Quare dat Euclides proximam & immediatam cauſam illius paſsionis. *Ad.7.*

Et ex his patet etiam ad octauam eius rationem. Idem ſiquidem habet medium, eadem igitur ſi aſsignabitur ſolutio, ſufficiet. *Ad.8.*

Ex his itaq. perſpicuū eſt, Mathematicas diſciplinas propriè demõſtrare; id quod etiam ſanior omnium rectè philoſophantiū pars tuetur, & affirmat. Ea propter fatendū nobis eſt, ſcientiā (iuxta noſtri quæſiti germanū ſenſum) vniuocè de illis tribus prædicari. Dicebat enim Ariſto. in Ethicis, ꝙ ſcientia eſt habitus concluſionis per demonſtrationem acquiſitus. Atqui huiuſmodi definitio de illis tribus ex æquo prædicatur; veluti oſtendimus. Ergo de eis vniuocè prædicatur. Quòd ſi de eiſdem ſcientijs loquamur in ordine ad earum obiecta vt res ſunt, dubio procul nulla eſt ibi vniuocatio; cùm ordine naturæ, ſeu dignitatis, Metaphyſica ſit prima, Naturalis ſecunda, Mathematica verò tertia; veluti aliàs diximus; ſed hoc non eſt ad propoſitum eius quod querimus. De hac itaque dubitatione hæc mihi dicta ſint ſatis. Cæterùm quia nonnulli doctores; & hi quidem peregregij; volunt Metaphyſicam ſibi alias duas ſcientias ſubalternare, ex quo ſequitur, Metaphyſicam primo loco eſſe addiſcendam, & ſcientiam de eis vniuocè minimè dici; eapropter hanc pertractare quæſtionẽ duxi, vt inde res noſtra clarior reddatur.

Nunquid Metaphyſica ſubalternet ſibi alias ſcientias. Cap. 40.

OB huius quæſiti deciſionem, primo loco ſeſe offert ſententia, & opinio doctiſsimi atq. peregregij viri Magiſtri Iulij Sirenij; qui in libello cui titulus eſt de ſubiecto Meta., ſect. 3. cap. 15., 16., &. 17., docet Naturalem ſcientiam, atque Mathematicam, ipſi Metaphyſicæ ſubalternari; & nedum has duas, verùm etiam omnes alias ſciētias reales. Idq. mediatè, vt Medicina mediāte Phyſica, Muſica mediāte Arithmetica. Vel immediatè, vt Mathematica, & Naturalis. Eiuſq. fundamētū & baſis hinc originẽ trahit. Methaphyſica ad reliquas ſciētias cõparata oēs illas habet cõditiones, quas ī priori libro de poſte. reſolut. docuit Ariſto. habere ſciētiā ſubalternātē, reſpectu ſubalternatæ. Quibus ſtātibus, Meta. oēs *Iulij Sirenij prima ratio, & opinio.*

 alias

alias ſibi ſubalternare ſcientias fateamur oportet. Quod quidem ex ſe adeo notum cùm ſit, quòd nulla egeàt probatione; ſat ſibi erit ſi id quod antecedit manifeſtabit. Sit itaque huiuſmodi manifeſtatio. Ad veram, propriãmué ſubalternationem, tria ex Ariſto. præcipuè requiruntur: Primum, ꝙ id quod ſubalternatæ ſubijcitur, ſub ſubiecto ſubalternantis contineatur. Secũdũ, ꝙ ſubiectũ ſubalternatæ adijciat aliquid ſubiecto ſubalternãtis, per quã adiectionem, ſubiectũ ſubalternãtis ad ſubalternatæ ſubiectũ cõtrahatur. Tertiũ, ꝙ principia ſubalternatæ, à ſubalternãte probẽtur, & principia iſtius, habeant additũ ad principia illius. Quòd verò Metaphyſica, huiuſmodi in ſe cõtineat, paret primò; Quia Meta. verſatur circa ens oẽ, reliquæ uerò ſciẽtiæ, ſibi aliquã entis partẽ arripiũt; veluti docuit Ariſto. 4. Sapiẽtiæ, ad initiũ; Ergo aliarũ ſciẽtiarũ obiecta, ſub obiecto Meta. continentur. Et ita adeſt prima conditio. Secundò, Metaphiſicus conſiderat omne ens, at Naturalis tantùm mobile ens, Mathematicus ſolum ens quantum, Metaphiſicæ igitur ſubiectum, ad ſubiecta aliarum ſcientiarum, per additionem contractum eſt; quæ erat ſecunda conditio. Tertiò, Ariſtoteles in priori libro Poſteriorum cap. 8. ad finem, docuit ſcientias omnes communicare in principijs, ex quibus fiũt demonſtrationes. Et Auer. in 2. Meta. comm. 6. in calce, dicit, ꝙ demonſtratiò quantò vniuerſalior fuerit, tanto eſt Meta. magis propria.

Quibus ſtantibus, ſequitur ꝙ illa cõmuniſſima principia, in quibus ſcientias oẽs cõmunicare dixerat Ariſto., ſunt propria Metaphiſicæ. Et virtute, oẽs aliarũ ſciẽtiarũ demõſtrationes ĩgrediũtur, teſte Ariſto. in 1. lib. Poſt. cap. 2., vbi dicit: Neceſſariũ eſt illa habere quẽlibet in aliqua diſciplina docendũ. Atqui aliarũ ſcientiarũ demõſtrationes nõ dicũtur huiuſmodi cõmuniſsima principia ingredi, niſi quia principiorũ quibus inferiores vtuntur ſcientiæ, cauſã cõtinent, illamq́., ſi opus fuerit, exponũt & exhibent. Ergo principia propria Metaphiſicę habent aditum ad reliquarum ſcientiarum principia, quæ erat tertia conditio. Et ita concludit vir iſte, ꝙ Metaphiſica ſibi reliquas ſubalternat ſcientias.

.2. Secundo loco arguit tali pacto: Scientiæ ſe habere debẽt, ſicuti ſe habẽt res in eis conſideratæ. Res autẽ in eis conſideratę ſubijciuntur uni primo Enti; Ergo & ſcientię, illas conſiderantes, vni primæ ſcientiæ ſubijci debẽt. Minorem deducit; quoniam quãtitates, quæ à Mathematico conſiderãtur, à formis naturalibus, ſeu naturalium rerum; & formæ naturales, quę à Naturali conſiderantur, ab illis quæ à materiæ labẽ prorſus immunes ſunt; quæ à ſola Meta. conſiderantur, ortum habent atq. dependent. Ergo Mathematicus Naturali, & vterq. Meta. ſubijcitur. Id quod etiam innuit Ariſtoteles in terminatione 12. libri Meta., dicens; Non bonum eſt, ꝙ multi ſint qui dominentur; ſit vnus dominus, vnus rex.

.3. Tertio loco ita arguit: Si poſſet ipſa rei quidditas per ſe intueri, ipſius compoſiti per ſe accidentium cauſas & immediata principia omnia, in ea intueremur. Ergo facultas illa, quæ ipſam vniuſcuiuſque rei quidditatem nudam contemplatur, ſummam prorſus demonſtrationum omnium, atque immediata rerum omnium principia habebit,

& ꝙ

& quòd huiuſmodi principia in quidditatibus rerum contineantur, & ab eiſdem dependeant. Huiuſmodi autem facultas eſt Metaphyſica ipſa. Ergo &c. Aſſumptum probatur ex Ariſtotele in.4.Meta. tex.primo, vbi dicit, ad aliquam per ſe & diſtinctam facultatem, principia, & extremas inquirere cauſas, pertinere. Et tandem concludit, quòd hæc eſt Metaphyſica.

Confirmatur doctrina authoritate.D.Tho., qui in lib. de natura generis, apertiſsimè tenet, Naturalem philoſophiam & Mathematicam, ſubalternari Metaphyſicæ. .1.

Amplius, Ariſto. in.11.lib. Meta. cap.3., dicit, quòd Mathematica & Naturalis ſunt partes philoſophiæ. At non poſſunt eſſe partes Metaphyſicæ, ſicut libri de cœlo, & libri de anima.&c. Ergo ſunt ei ſubalternatæ. .2.

Adhuc, Ariſtotelis omnes ferè expoſitores volunt, Metaphyſici munus eſſe, omnium aliarum ſcientiarum principia probare, & ſtabilire. Quod etiam fatetur Ariſtoteles in primo phyſicorum, tex.com.8. .3.

Idem docet Ariſtoteles in primo lib. poſte. cap.7. ad finem; vbi dicit quòd ſcientiarum particularium principia propria habent principia communia & ſuperiora, à quibus dependent. Et huiuſmodi principia communia pertinent & propria ſunt ipſius Metaphyſicæ; quæ ab Ariſto. omnium domina appellatur. Ergo ſibi eas ſubalternat. .4.

Sunt & quidam alij, qui hanc eandem inſequuntur ſententiam; nihilominus tamen, hæc ſunt potiora argumenta, quæ in hac materia fieri poſſunt; quibus ſolutis, etiam aliorum omnium ſolutio aderit in foribus. Vt igitur omnia aperiantur, noſtram in medium afferemus ſententiam.

Pro ſubalternatione ſcientiarum notantur quædam ſcitu digniſsima. *Cap. 41.*

VT veritas huiuſmodi quæſtionis magis in lucem prodeat, animaduertendum eſt, quòd ſcientia illa dicitur ſubalterna, quæ ſub alia propriè continetur, intrinſecè & eſſentialiter. Quod ideo dicitur, quia vna ſcientia poteſt contineri ſub alia denominatiuè & extrinſecè tantùm; veluti eſt illa cuius finis ordinatur in finem alterius; quemadmodum frenefactiua, equeſtris, & militaris, ordinatur ad politicam, ex Ariſto. primo Ethi. cap.1. Aut illa quæ eſt de partibus ſubiectiuis alicuius ſubiecti communis, illi quæ eſt de ſubiecto communi. Ceu ſi diceremus ſcientiam de cœlo, de elementis, & huiuſmodi, contineri ſub phyſica. Et ſcientia de ſubſtantia, accidente, potentia, actu, & id genus alijs, ſcientiæ poteſt dici ſubeſſe, quæ tractat de ente. Veruntamen iſta non eſt vera, intrinſeca, propria, & eſſentialis ſubalternatio; at potius extrinſeca & denominatiua. *Opinio propria.*

Subalternatio verò propria, intrinſeca, & eſſentialis, eſt quando ſubiectum inferius eſt aliquo modo idem cũ ſubiecto ſuperioris, & ſub eo continetur; Veluti docet Ariſt. primo de poſte. reſolu., cap.7. Vbi probat, quòd

non licet tranſcendere de genere in genus, nec datur tranſitus in demonſtratione, ita ſcilicet, quòd liceat tranſire ab vna, ad aliam demonſtrationem. Niſi tamen ſubiectum ſit vel omnino idem, vel aliquo modo idem. Inquit enim: Quamobrem vel oportet ſimpliciter idem eſſe genus in tranſitu ab vna demonſtratione ad aliam, vel ſaltem aliquo modo idem. Ex quibus patet, quòd ſi fiat tranſitus à demonſtratione ſcientiæ ſubalternantis, ad demonſtrationem ſcientiæ ſubalternatæ, illud non prouenit aliunde, niſi quia earum obiectum eſt aliquo modo idem; cùm demonſtrationes ſint circa obiectum. Quare impoſsibile relinquitur, quòd vna ſcientia alteri ſubalternetur, niſi eius ſubiectum contineatur ſub ſubiecto illius, cui ſubalternatur. Et hoc ideo, quia ſubalternans ſemper tranſit ad demonſtrationem ſubalternatæ; cùm conclusiones illius fiant principia iſtius. Eſt enim tranſitus in demonſtrationibus, cùm per concluſionem vnius oſtenditur altera; veluti etiam docet Ariſtoteles in primo poſte. cap. 9., in fine. Et perquamclariſsimè habetur apud Euclidem; cuius quidem demonſtratio prima ex principijs communitur; ſed illa prima fit principium ad demonſtrandam ſecundam, ſicuti ex ſecunda oſtenditur tertia, & deinceps. Cùm itaque fiat tranſitus à demonſtratione ſubalternantis, ad demonſtrationem ſubalternatæ, requiritur neceſſariò, quod concluſio ſubalternantis, fiat principium ſubalternatæ. Hoc autem euenire non poteſt, niſi ſubiectum iſtius ſit ſub ſubiecto illius. Ergo ad veram ſubalternationem requiritur primò quod ſubiectum vnius ſit ſub ſubiecto alterius; Contra Caieta. Cardin., qui in prima parte ſummæ Theologiæ, D. Tho. q. 1. ar. 2., vult quòd differentia eſſentialis inter ſcientiam ſubalternantem & ſubalternatam ſit hæc: Quòd ſcilicet concluſiones ſubalternantis, viſibiles ſint ex & in principijs immediatè, ideſt, abſque alio medio habitu. Concluſiones verò ſubalternatæ, ſint viſibiles ex & in principijs per ſe notis mediatè; mediante ſcilicet habitu ſcientifico, ſubalternante. Cæteras autem conditiones vult eſſe conſequentes, aut talis ſubalternæ, & non ſubalternæ vt ſic. Cùm tamen iſta, quam ipſe appellat differentiam eſſentialem, dependeat ab illa, quam nos diximus. Sed & huius oppoſitum docet ipſe Caieta. in primo poſte., cap. de ſubalternatione ſcientiarum.

Contra Caieta.

Contradictio Caietani.

Amplius, Ariſto. in eodem cap. 7. docet, quòd vna ſcientia non poteſt oſtendere id quod eſt alterius, niſi vna ſit ſub altera. Inquit enim: Et in vniuerſum non oſtendet vna ſcientia id quod eſt alterius, niſi aliquæ ſic ſe habeant viciſsim, vt altera alteri ſuppoſita ſit; quemadmodum eſt Perſpectiua cum Geometria, & cum Arithmetica Harmonica. Huiuſmodi autem conuenientia in demonſtrationibus, non prouenit niſi quia ſubiectum vnius continetur ſub ſubiecto alterius. Ad veram igitur ſubalternationem requiritur neceſſariò, quod ſubiectum inferioris contineatur ſub ſubiecto ſuperioris: Minor patet, tum quia demonſtrationes ſunt circa ſubiectum; quare ſi duæ ſcientiæ conueniunt in demonſtrationibus, oportet quòd etiam aliquo modo conueniant in ſubiecto. Tum etiam ex ipſius ſcientiæ nomenclatura; Nam dicitur ſubalternata, ſeu ſuppoſita. At quo

modo

modo alteri ſupponitur, niſi quia eius ſubiectum, ſub altero continetur? Res itaque mihi perquamclariſsima videtur. Quare autem ſubiectum ſubalternatæ dicatur contineri ſub ſubiecto ſubalternantis, ea eſt ratio, quam tradit Ariſto., in eodem cap. 7. poſte. primi, circa finem, quando dicit, quòd ſubiectum ſubalternatæ eſt alterum; ideſt, alterarum. Subiectum nanque ſubalternantis contrahitur ad ſcientiam ſubalternatam, per differentiam accidentalem; quæ quidem non facit aliud, ſed alterum, vt patet per Porphyrium, in cap. de differentia. Et hoc facillimè conſtat in Geometria & Perſpectiua: In Arithmetica & Muſica. Iſtæ enim ſunt ſubalternantes & ſubalternatæ; & ideo earum obiecta ſunt aliquo modo eadem. Nam Geometria conſiderat lineam in ſe & abſolutè; Perſpectiua autem lineam viſualem. Itidem Arithmetica conſiderat numerum in ſe & abſolutè, Muſica verò numerum ſonorum. Quare liquido conſtat, quod ſubiectum ſubalternatæ, non niſi per differentiam accidentalem continetur ſub ſubiecto ſubalternantis. Quæ tamen differentia accidentalis oritur ex materia ſenſili, addita ſubiecto ſubalternantis.

An differentiæ accidentalis ſit ratio formalis.

De hac itaque verba facientes nonnulli, voluerunt ipſam eſſe rationem formalem, & modum conſiderandi in ſcientia ſubalternata. Ita vt ſonus ſit ratio formalis, ſub qua Muſicus conſiderat numerum, & viſualitas ſit ratio formalis, ſub qua Perſpectiua conſiderat lineam. Et hanc ſententiam, omnium ferè philoſophorum turba inſequitur; Caietanusq; Cardinalis in primo poſte., loco præcitato, admodũ laborat vt hoc ſuſtineat.

Cæterùm hæc doctrina mihi minimè probatur; quandoquidem & ratio & authoritas in oppoſitum me compellit. Ratio ſiquidem talis eſt: 1.
Quemadmodum quælibet res à forma conſtituitur & nominatur; ita ſcientia à modo conſiderandi. Doctrina ex ſe liquidò patet. Sonus itaque & viſus cum res ſint naturales; neceſſariò conſequitur, quòd ſi Muſica conſiderat numerum vt in ſonis, & Perſpectiua lineam vt in viſu, vtraque ſit ſcientia Naturalis. Hoc autem eſſe falſum, & à doctrina Ariſt. alienum, patet ex ijs, quæ ipſe docet in primo poſte., cap. 7.; vbi dicit, quod non poteſt fieri tranſitus ab vna ad aliam demonſtrationem, niſi quando ſubiectum eſt omnino idem, vel aliquo modo idem; & vbi vna ſcientia eſt ſubalternans, alia verò ſubalternata. Si itaque Geometria & Arithmetica ſunt Mathematicæ; Perſpectiua autem & Muſica naturales, quomodo ſi fiat tranſitus ab vna ad aliã, non erit tranſcendere de genere in genus?
Amplius, ſcientia ſubalterna non ponit in numerum cum ſubalternante; Igitur ſi ſubalternans eſt Mathematica; etiam ſubalternata. Geometria igitur & Arithmetica cùm ſint Mathematicæ & ſubalternantes; etiam Perſpectiua & Muſica, cùm ſint ſubalternæ, erunt etiam mathematicæ. Id quod antecedit patet ex Ariſtotele in primo poſte., cap. 23.; vbi ſermonem habens de ſcientiarum diuerſitate, declarat, ſubalternantem & ſubalternatam non eſſe diuerſas, his verbis: At diuerſæ inter ſe ſunt ſcientiæ, quarum principia ex eiſdem non ſunt, nec altera eſt ſub altera. Huius verò ſignum eſt, cùm ad ea quæ non demonſtrantur peruenimus; oportet enim ilthæc eadem eſſe in genere, cum ijs quæ demonſtrantur. Ex his 2.

probat

probat Ariſto., ſcientiam ſubalternantem & ſubalternatam non eſſe diuerſas,quia habent eadem principia ſuprema,& indemonſtrabilia.Si enim ſcientiam ſubalternatam reſolues, tu non ceſſabis, donec ad principia ſubalternantis deueneris; quoniam principia ſubalternatæ,cùm ſint concluſiones ſubalternantis, reſoluuntur in principia ſubalternantis; & ſic in vtriſque, reſolutio ad eadem eſt principia. Quare inter eas nulla erit diuerſitas, atqui vtraque erit Mathematica; ex conſequenti, illa differentia accidentalis non erit ratio formalis, nec modus conſiderandi in ſubalternata.

.3. Adhuc, Ariſto. in.13. libro Metaphyſicæ, cap.3., ſuma prima, ponit & docet,eundem modum conſiderandi in Arithmetica & Muſica,in Geometria & Perſpectiua, his verbis: Eadem ratio de Harmonica & Perſpectiua eſt. Neutra nanque prout viſus, vel prout vox ſpeculatur; verùm prout lineæ, & numeri. Quomodo igitur illa differentia accidentalis erit ratio formalis in eis?

.4. Item, Ariſto. in primo poſte., cap.7., hoc idem docet, quando dicit, quòd non licet tranſcendere de genere in genus. Non enim; inquit; poſſumus paſsiones vnius ſubiecti, de alio demonſtrare, nec concluſionem vnius ſcientiæ, demonſtratione alterius poſſumus demonſtrare; ſed ex proprijs cuiuſque principijs, proprias probare paſsiones. Hoc tamen dicit contingere in quibuſdam, de quibus poſtea dicetur; & huiuſmodi ſunt ſcientiæ ſubalternatæ. Si igitur paſsiones ſubiecti ſubalternantis demonſtrantur de ſubiecto ſubalternatæ,& principijs ſubalternantis,demonſtrantur concluſiones ſubalternatæ, quomodo erunt diuerſæ ſcientiæ?

Clarum ſiquidem eſt, quòd non diſtinguerentur niſi ſpecificè; ita ſcilicet, quòd ſubiectum ſubalternæ eſſet ſpecies ſubiecti ſubalternantis. Et tunc demonſtrando paſsiones ſuperioris ſubiecti de inferiori, eſſet demonſtrare paſsiones generis de ſpecie, quæ non poſſunt ei competere primò; & ita non eſſet demonſtratio ſimilis ei, quæ fit in ſuperiori ſcientia; quod aduerſatur Ariſto. primo poſte., cap.7.

.5. Auerroes inſuper, in primo poſte., commento.69. dicit: Artes verò ſubiecto diſtinctæ (ideſt, ſimpliciter) nequeunt conuenire in medio termino; & ſimiliter artes quæ conſiderant vnam rem diuerſimodè. Idq; dixit declarando conuenientiam quam habent adinuicem Arithmetica & Muſica; & dicit quòd in Muſica medius terminus eſt ſuperioris, ideſt, Arithmeticæ. Deinde ſubſequitur præcitata verba. Quibus immediatè ſubdit: Artium enim ſubiecta non euadunt aliquem horum trium modorum. Videlicet quòd diſtinguantur ſubiecto; aut diſtinguantur modo, & conueniant ſubiecto; aut vna conſideret rem ſecundùm defectum, & altera ſecundùm additionem.

Hic ſunt tria membra; quæ quidem, niſi velimus aliquo pacto coincidere, fateamur oportet, ſcientiam ſubalternatam, quò ad modum conſiderandi, non differre à ſubalternante. Scientiæ ſiquidem ſubalternantes & ſubalternatæ habent rem conſideratam, & modum conſiderandi. Si igitur abinuicem diſtinguuntur; vel penès vtrunque, vel penès rem conſideratam,

ſideratam, vel penès modum conſiderandi tantùm. Diuiſio eſt Auerrois, veluti diximus. Si igitur diſtinguuntur penès vtrunq., rem ſcilicet conſideratam, & modum conſiderandi, utiq. tertium membrum coincidet cum primo; & ita erunt ſicuti Arithmetica & Geometria. Si uerò diſtinguuntur penès modum conſiderandi tantùm, & non penès rem conſideratam, ſe habebunt ſicuti Naturalis & Diuina; & ita tertium membrum coincidet cum ſecundo. Relinquitur ergo q diſtinguantur tantùm penès rem conſideratam, non quidem omnino & ſimpliciter; at ſola differentia accidentali. Propterea dicebat Auer. in tertio membro: Aut vna conſiderat rem ſecundùm defectum; ſcilicet materiæ ſenſibilis; vt Arithmetica; & altera ſecundùm additionem; ſcilicet materię ſenſibilis; veluti Muſica. Si igitur huiuſmodi ſcientiæ conueniunt in modo conſiderandi, ſequitur q ſicut ſubalternans eſt Mathematica, ita etiam ſubalternata; & ita materia illa ſenſilis, ſeu differentia accidentalis, nō erit ratio formalis, nec modus conſiderandi in eis.

Dubitatur contra prædicta. Cap. 42.

CAETERVM multiplex ſeſe offert dubitatio diluenda, & primò Ariſto. in .1. Poſte., cap. 7., habet hæc verba formalia: Quare ſi per ſe & illud ineſt cui ineſt; neceſſe eſt medium in eadem cognatione eſſe; ſi verò non, ſed quemadmodum Harmonica per Arithmeticam; talia autem monſtrātur quidem ſimiliter; differunt verò. Ipſum enim q alterius ſcientiæ; ſubiectū nanq. genus alterum; ipſum verò propter quid, ſuperioris, cuius per ſe paſsiones ſunt. Ex quibus verbis videtur Ariſto. dicere, ſcientias ſubalternantem & ſubalternatam diuerſas eſſe, ex eo quia ſubiectum circa quod verſatur ſubalternata, eſt aliud à ſubiecto circa quod uerſatur ſubalternans. *Dub.* 1.

Amplius; In ſcientia ſubalternata, cùm deuentum fuerit ad indemonſtrabilia, quæ ſunt immediata, non erunt eiuſdem generis cum his, quæ ſunt ſubalternantis. Eſt enim alterum genus ſubiectum; dicebat Ariſtoteles. Non igitur ſubalternans & ſubalternata erunt una ſcientia. .2.

Item; Compoſita in utraq. ſcientia nō ſunt ex eiſdem primis, neq. partes eædem. Igitur non ſunt una ſcientia. Conſequutio clara, ex regula Ariſto. in primo Poſte., cap. 23. vbi dicit, ſcientiam illam eſſe unam, quę habet unicum ſubiectum, & omnia quæ ex illius ſubiecti principijs componuntur, uel partes, uel affectiones eius ſunt per ſe. Id autem q antecedit facilè deducitur; Nam ſonus muſicus non eſt ex vnitate, ſicut numerus; ſed habet principia ex quibus conſtat diuerſa. .3.

Præterea; Principia complexa immediata erūt alia, quia genus aliud; igitur alia ſcientia; ex regula Ariſto. ibidem dicentis, q diuerſæ inter ſe ſunt ſcientiæ, quarum principia ex eiſdem non ſunt. .4.

Item; Ariſto. in .2. Phy. t. c. 20., dicit q ſcientiæ mediæ ſunt magis Phyſicæ quàm Mathematicę. Et q Proſpectiua conſiderat lineam, non vt mathematicam, at ut Phyſicam. Ex his itaq. uidetur, q huiuſmodi ſcientiæ .5.

ſint

ſint inter ſe diuerſæ; quo quidem ſtante, ruit tota doctrina iam allata; nimirum ꝙ idem habeant obiectum, eundemq́.modum conſiderandi,& ꝙ differentia accidentalis non ſit ratio formalis, & modus conſiderandi in ſubalternis.

Ratiocinia diluuntur prænarrata. Cap. 43.

Solut.1. APPARENTES quidem rationes,concludunt tamen minimè. Propterea ad primam dicimus,duo genera ſubiecta eſſe diuerſa,bifariam intelligi poſſe; vno modo ſecundùm eſſentiam,alio modo ſecundùm prædicationem,ſeu per differentiã accidentalem. Ariſto. igitur ponit diuerſitatem eo in loco inter illa ſubiecta in ſecundo ſenſu, non autẽ in primo. Iſta autem ſubſtantiarum generum diuerſitas,ſcientiarum diuerſitatem non parit, at ſecundùm quid tantùm. Et ꝙ hæc ſit Ariſtotelis intentio,patet,eius proceſſum conſideranti. Intentio ſiquidem ipſius eſt in illo cap.7.,oſtendere demonſtrationem eſſe ex proprijs,cùm ſit ex his quę ſunt per ſe; minimeq́.licere tranſcendere de genere in genus. In illa igitur particula in argumento adducta, epilogat intentum ſuum Ariſto.,dicens, ꝙ ſi paſsiones inſunt per ſe ſubiecto, & ſecundùm ꝙ ipſum, ſi eas demonſtramus de ſubiecto, oportet pro medio ſumere principium proprium, & ſoli ſubiecto intrinſecum; veluti liquidò conſtat de riſibili & rationali, reſpectu hominis. Si verò paſsiones non inſunt ſubiecto per ſe, ſimpliciter, & ſecundùm ꝙ ipſum,ſed tantùm ratione ſuperioris,medium etiam erit ſuperioris; nihiloſecius vera & per ſe erit demonſtratio.

Et hoc declarat Ariſtoteles in ſcientijs ſubalternatis; veluti Muſica quæ ſubalternatur Arithmeticæ. Multæ ſiquidem ſunt paſsiones ſubiecti ſubalternantis Arithmeticæ,quæ ei inſunt ſimpliciter,per ſe,& ſecundùm ꝙ ipſum, & tamen conſiderantur etiam de ſubiecto ſubalternatæ. V.G. Arithmeticus dicit: Proportio ſeſquitertia eſt conſonans. Et Muſicus ex hoc principio arguit tali pacto: Diateſſeron eſt proportio ſeſquitertia; igitur conſonans. Quare autem ſeſquitertia ſit conſonans,non probat Muſicus,niſi ex principijs Arithmetici; Quia cùm paſsio ſit ſuperioris ſubiecti per ſe, etiam medium & principium debet eſſe ſuperioris. Erit tamen; inquit Ariſto.,demonſtratio vera & per ſe;ex cõſequenti veritas concluſionis erit ſub alternæ. Ita tamen ꝙ hoc erit diſcrimen inter Arithmeticam & Muſicam, reſpectu talium demonſtrationum, ꝙ ſubalternans habebit & quia & propter quid; ſubalterna autem non niſi quia. Idq́. ob generis ſubiecti diuerſitatem; non quidem ſimpliciter, at tantùm ſecundùm quid; ideſt, ſecundùm prædicationem, ſeu accidentalem differentiam. Idcirco dicebat Ariſto., ſubiectum ſubalternatæ eſſe alterum, ideſt, alteratum; veluti adnotauimus ſupra. Hoc autem non variat ſcientiam; at modus conſiderandi,tanq̃ forma conſtituens ſcientiam. Quare maximè conſtat,huiuſmodi ſcientias in re conſiderata non penitus differre,ſed accidentali tantùm differentia; in modo autem conſiderandi, nullo pacto. Et ita patet ad primam rationem in oppoſitum.

Ad ſecun

Ad 2. Ad ſecundam negatur antecedens; ad probationem dicimus, q genus eſt alterum; ideſt, alterarum: propterea non erunt eiuſdem generis ratione differentiæ accidentalis, at ratione quidem generis ſubſtrati; à quo propoſitiones deſumunt perſeitatem. Dictum eſt enim ex Ariſto. in .13. lib. Metaphyſicæ, q Muſicus conſiderat numerum vt ſic, licèt numerus ſit in ſonis, & in voce; propterea eundem habet modum conſiderandi cum Arithmetico; & ita eadem principia ſuprema, & indemonſtrabilia.

Ad 3. Per idem patet ad tertiam. Negatur ſiquidem antecedens. Ad probationem dicimus, quòd Muſicus non conſiderat ſonum, at numerum, veluti etiam Arithmeticus. Iſte tamen ſine materia, ille verò in materia.

At hæc non eſt ratio formalis; vt putat argumentũ; ſed conditio; quemadmodum dicemus etiam in ſolutione vltimi argumenti.

Ad 4. Ad quartam patet per ea quæ diximus ad ſecundam. Falſum eſt enim antecedens; & cùm probatur dicendo quia ſubiectum eſt aliud; negatur; ſed eſt alterum. Eapropter dicimus, quòd illa principia ſunt alia, ratione differentiæ accidentalis, non autem ratione ſubſtrati: quia ſi vnius ſubiectum, ſub ſubiecto alterius ſcientiæ contineatur, paſsiones ſuperioris poſſunt monſtrari de inferiori; veluti diximus ſupra ex Ariſto. 1. Poſte., cap. 7.

Ad 5. Ad quintam dicimus, quòd quando Ariſto. in .2. Phy. dicit quòd ſciẽtiæ mediæ ſunt magis Phyſicæ, quàm Mathematicæ; ſenſus eſt, quòd ſi puræ mathematicæ & ſcientiæ mediæ comparentur Phyſicæ, mediæ ſunt magis Phyſicæ, quàm puræ. At ſi ſcientiæ comparentur ad Mathematicas, & ad Phyſicas, vtique ſunt magis Mathematicæ quàm Phyſicæ. Id quod etiam teſtatur Auer., in .4. Meta., comm. 4. Habitus enim ſcientificus ſpecificatur à medio; ſicuti Philoſophus poſuit diſtinctionem inter ſpeculatiuas ſciẽtias, in .6. Meta., t. c. 2. Media autem ſcientiarum ſubalternarum, & quæ mediæ dicuntur, Mathematica ſunt; & ſi applicata ſint materiæ ſenſibili; ab illis igitur debent denominari. Nam denominatio fit à forma, & non à materia, ab actu, & non à potentia; teſte Philoſopho .2. Phy. t. c. 11., & .9. Meta., t. c. 7. Cùm itaque materiale in huiuſmodi ſcientijs ſit naturale, formale verò mathematicum, relinquitur vt potius mathematicæ, quam naturales ſint nuncupandæ. Et ita currit gloſſa, quam dedimus verbis Ariſtotelis.

Quædam alia notantur pro ſubalternatione ſcientiarum. Cap. 44.

PRO cuius pinguiori minerua notandum eſt, quòd huiuſmodi ſcientiæ tractant quidem de ſenſibilibus, at non inquantum ſenſibilia, ſed inquantum ſaluatur ibi ratio mathematicæ. Perſpectiua enim, verba faciens de linea viſuali, potius dicit de viſione, quatenus ſaluatur ibi ratio lineationis, quàm de lineatione, inquantum ſaluatur ibi ratio viſionis. Quoniam terminare de natura viſionis, munus eſt Philoſophi Naturalis. Sed cognoſcere quomodo fiat viſio per lineas verticales, & pyramidales, munus eſt Perſpectiui. Si enim terminaret de natura viſionis in ſe, iam eſſet Naturalis; ſed quia principaliter attendit lineationem in viſione, non

viſionem

viſionem in lineatione, idcirco Perſpectiua, Mathematica vocatur. Idem dicitur de Muſico; Naturalis enim principaliter attendit ſonum, ſed Muſicus, primò & principaliter proportionem in ſono. Et conſiderans ſonum proportionatum, magis conſiderat proportionis, quàm ſoni naturam: Ideo magis mathematicus eſt, quàm naturalis. Quia igitur conſiderant ipſa ſenſibilia non propter ſe, ſed propter rem mathematicam; ſicut ſonum propter proportionem, non proportionem propter ſonum: & viſionem, propter lineationem, non è contra; ideo dicuntur Mathematicę; licèt non ſint puræ Mathematicæ, ſicut Arithmetica & Geometria; inquit Alexander de Ales, .3. Meta. ad. 7. contextum.

Quando verò dicit Ariſto., quòd Perſpectiua conſiderat lineam, non vt Mathematicam, at vt Phyſicam; ſenſus eſt, quòd Perſpectiua conſiderat lineam non in ſe ſine materia, vt Geometria; ſed in ſe in materia. Vt ly (quatenus) ſit conditio; veluti ſi diceremus: Ignis quatenus approximatus comburit. Non autem eſt ratio formalis, perinde ac ſi diceremus: Ignis quatenus calidus comburit. Multum enim refert, aliquid conſiderare in materia, & aliquid conſiderare vt ineſt alteri; veluti docet ſolertiſsimus pater Toletus.

Notandum eſt etiam, quòd inter ſoluendum argumenta dixi, quòd demonſtrationes ſubalternatæ, & medium per conſequens, ſunt per ſe ratione ſubſtrati; quia ſi conſiderentur ratione illius differentię accidentalis, tunc ſunt per accidens. At non impedit hoc, quin ſint per ſe. Quoniam ad perſeitatem propoſitionis exigitur vt quicquid eſt in prędicato, ſit etiam in ſubiecto per ſe. Vnde iſta non eſt per ſe: Sortes eſt homo albus. Quia poteſt eſſe falſa. Nō autem exigitur vt prædicatum inſit cuilibet quod eſt in ſubiecto. Vnde iſta eſt per ſe: Sortes albus eſt homo; quia eſt ſemper vera. Doctrina eſt D. Tho. in. 3. Theologicarum Senten. d. 1 o. q. 1. ar. 2. Vide Caieta. in primo poſte., cap. 1 o. q. 1.

Et quia ſolent dicere nonnulli, quòd ſcientię differentes ſola differentia accidentali, non admodum differunt, ſed ſolùm accidentaliter; Idcirco dicimus, quòd cùm illa differentia accidentalis ſit per eos modus conſiderandi, & veluti forma, quæ dat eſſe & diſtingui, ideo non ſunt audiendi. Implicat enim quòd ſit ratio formalis, & non differant niſi accidentaliter. Quare differentia illa non eſt niſi conditio; veluti diximus. Ex his igitur perſpicuum redditur, quòd ſcientia ſubalternata ſubiectum deſumit à ſubalternante, ciq́. addit materiam ſenſilem, & naturalem; modum tamen conſiderandi in mathematica puritate conſeruat; ita quòd ſubalternata nō facit numerum cum ſubalternante. Et hæc omnia habentur ex Ariſtotele, tanquam neceſſaria veræ & propriæ ſubalternationi; veluti probatum reliquimus.

Ex quibus neceſſariò conſequitur, vt ſcientia ſubalternata, principia deſumat & affectiones, à ſcientia ſubalternante; cúm ſubiectum ſit fundamẽtum & baſis eorum, quæ tractantur in ſcientia. Eapropter dicebat Ariſto. in primo Poſte., cap. 9; Vnde conſpicuum eſt, quamlibet interrogationem dici non poſſe geometricam, vel medicam, & ſic etiam de cæteris diſciplinis. Ea

nis. Ea enim tantùm eſt geometrica, quæ vel de ijs eſt, ex quibus demõſtratur eorum aliquid, circa quæ verſatur Geometria, vel de ijs, per quæmet demonſtratur aliquid, vti cùm demonſtratur quidpiam in Perſpectiua per geometricum theorema; & ſic etiam in alijs diſciplinis. Ex quibus patet, quòd Ariſtotelis ſententia eſt, quòd in Geometria poteſt aliquid interrogari, ex quo nullum geometricum theorema oſtendetur, erit attamen ad Geometriam pertinens, & per id monſtrabitur aliquid ab ipſa Geometria; ſed illud aliquid eſt in Perſpectiua. Et omnino concluſiones ſcientiarum ſubalternãtium interrogari poſſunt, etiam ſi in illis ſcientijs, nihil per eas interrogationes monſtretur; ſed interrogantur, vt per eas monſtretur aliquid in ſcientia ſubalternata. Vnde interrogantur concluſiones ſcientiæ ſubalternantis, non quà concluſiones eiuſdem, at quà principia ſubalternatæ. Quare hinc apertè colligitur, quòd ſcientia inferior deſumit principia à ſuperiore. Et hanc ob cauſam dixit etiam Ariſto. in cap. 7. eiuſdem primi libri, quòd ſcientia ſubalternans cognoſcit propter quid; inferior verò, ſeu ſubalternata, non niſi quia.

Quod quidem, non de concluſionibus ipſius inferioris, at de eiuſdem principijs tantùm intelligendum eſt. Secus nulla eſſet demonſtratio propter quid in ſcientia inferiore; quod eſt abſurdum. Principia itaque ſcientiæ inferioris cùm ſint concluſiones ſcientiæ ſuperioris, ſunt etiam in eadem ſuperiore demonſtrata; in ipſa tamen inferiori non demonſtrantur, ſed de eis præſupponitur quia vera ſunt; iuxta placitum Ariſtoteles inter initia primi lib. Poſte. Quare media per quæ demonſtratur in inferiore ſcientia propter quid eſt, ſunt ſemper accepta à ſuperiore ſcientia. Et quia ille qui dat medium dicitur demonſtrare, ſequitur quòd ſi medium ſit arithmeticum, etiam demonſtratio erit arithmetica, licèt fiat in Muſica: Cùm enim Arithmetica numerũ contempletur, etiã mediũ deſumptũ ex numero, erit arithmeticum; & propterea nõ demonſtrabitur aliquid in Muſica, niſi per mediũ arithmeticum. Et ideo Muſica prout ab Arithmetica diſtinguitur, nil habet ſibi propriũ, niſi cognitionẽ ꝙ ita ſit, quã quidẽ ſenſu conſequitur, merito ſenſibilis qualitatis, in qua numeros conſiderat. Cùm itaq. mediũ in Muſica ſit arithmeticũ, etiã affectiones erunt arithmeticæ; propterea dicebat Ariſtò in eodẽ cap. 7. præcitato: Ipsũ verò propter quid, ſuperioris, cuius per ſe paſsiones ſunt. Quandoquidẽ, & ſi de ſonorũ numero demõſtrãtur, illi tamẽ nõ quà eſt in ſonis, at quà numerus eſt, cõpetũt. Vnde licèt in Muſica fiãt demõſtrationes ex alijs cõcluſionibus in ea prę demõſtratis, ſicuti etiã in alijs cõtẽplatiuis ſciẽtijs; nihilominus tamen oẽs Muſicæ cõcluſiones, in arithmetica principia reſoluũtur. Et ita verũ eſt, ꝙ ſciẽtia inferior deſumit principia & affectiones à ſuperiore, idq. merito ſubiecti qđ cõtẽplatur. Quo fit, vt iſtæ proprietates & cõditiões ſciẽtiæ ſubalternatæ, depẽdeãt ab illa prima, & ꝙ ſciẽtia ſubalternata ſit ſpeculatiua. Quorũ primũ aduerſatur Caieta. Cardinali; ſecũdũ verò Epiſcopo Caſertano, qui ĩ ſua Apologia & alibi docuit ſciẽtiã oẽm ſubalternatã eſſe practicã. Oſtẽdimus enim ſupra, ꝙ ſola ſpeculatiua eſt verè ſciẽtia; & illa eſt verè ſciẽtia; in

qua fiunt demonſtrationes. Si itaq. in ſubalternatis diſciplinis fiunt veræ demonſtrationes, cur & ipſæ non erunt veræ ſcientiæ?

Ex dictis arguitur contra Sirenium. Cap. 45.

HIS ergo ita conſtitutis, facile eſt videre nunquid omnes ſcientiæ reales, ſubalternatæ dici poſsint reſpectu ipſius primæ philoſophiæ. Nam ſubiectum primæ philoſophiæ eſt quaſi genus ſubiectorum omnium aliarum ſcientiarum. Atqui ſubiectum ſubalternantis nec eſt genus, nec quaſi genus ſubiecti ſubalternatæ. Ergo primæ philoſophiæ non ſubalternantur aliæ ſcientiæ. Maior probatur: Quandoquidem per additionem formæ ſpecialis ad formam generalem, conſtituitur ſpecies; veluti rationale additum animali, ſpeciem conſtituit humanam. Sed ſubiecta aliarum ſcientiarum à Metaphyſica, conſtituuntur per additionem formarum ſpecialium ad formam generalem. Cùm Meta. conſideret ens vt ens, Naturalis verò ens mobile, & Mathematica ens quantum; qui quidem ſunt noui conſiderandi modi, & alij omnino à modo conſiderandi Metaphyſicæ. Igitur ſubiectum Meta. eſt quaſi genus ſubiectorum aliarum ſcientiarum. Minor etiam principalis patet ex his; quandoquidē non per additionē materiæ ad formā generalē cōſtituitur ſpecies. Sed ſubiectū ſciētiæ ſubalternatæ non addit niſi materiā ſenſibilē ad ſubiectū ſcientiæ ſubalternātis, & eſt idē omnino hinc inde conſiderandi modus, Ergo ſubiectum inferioris non eſt ſpecies, nec quaſi ſpecies, reſpectu ſubiecti ſuperioris.

Amplius ad idem, ſi ſubiectum ſcientiæ ſubalternatæ eſſet ſpecies ſubiecti ſcientiæ ſubalternantis, periret doctrina Ariſtotelis, quando dicit, affectiones & principia deſumi è ſcientia ſubalternante, ad demonſtrandum in ſcientia ſubalternata. Quoniam affectiones propriæ generis, non competunt ſpeciei primo, vt ſubiecto: ſed veluti tres anguli æquales duobus rectis, triangulo æquilatero. Non igitur rectè demonſtrarentur de ſpecie proprij ſubiecti. Idem patet de principijs; Principia nanque propria generis non attribuuntur ſpeciei primò, ſed ſunt eius cauſæ remotæ, quia cauſæ generis ſunt remotæ reſpectu ſpeciei. Quare ex talibus principijs non conſtitueretur demonſtratio propter quid in ſcientia inferiore. Et ita ſi ſubiectum ſcientiæ inferioris eſſet ſpecies ſubiecti ſcientiæ ſuperioris, ſcientiæ inferiori non liceret deſumere principia & affectiones à ſcientia ſuperiore; quod abhorret à doctrina Ariſtotelis. Hoc habetur ex Auerroe primo Poſte., comm. 69. Cùm itaque ſubiectum Meta. ſit quaſi genus ſubiectorum aliarum ſcientiarum, ſequitur ꝙ prima principia Metaphyſicæ, ſint cauſæ remotæ, reſpectu accidentium naturalium & Mathematicorum. Prima autem principia Arithmeticæ reſpectu accidentium muſicorum ſunt cauſæ proximæ; propterea hæc ex illis demonſtrantur.

Præterea ad principale: Muſicus probat ſuas concluſiones per principia arithmetica, tanq̄ per principia proxima & immediata. Naturalis autem & Mathematicus nō probāt ſuas cōcluſiones per principia metaphyſicalia,

tanquam per principia proxima & immediata; ſic enim eſſet tranſcendere de genere in genus. Non igitur Naturalis & Mathematica ſubalrernantur Metaphyſicę. Et res quidem ex dictis perquam clariſsimè conſtat. Quibus etiam fit, vt in omnibus alijs ſcientijs à Mathematicis diſtinctis, nulla ſit vera, propria, & eſſentialis ſubalternatio. Propterea quòd in omnibus reperiemus additionem factam earum ſubiectis, nouum eſſe conſiderandi modum, ex conſequenti aliam habere formam; & ita genus inferioris eſſe ſpeciem, uel quaſi ſpeciem, ſcientiæ ſuperioris.

Addo, ꝙ cúm ſubiectum ſubalternatę ſcientiæ, per ſolam differentiam accidentalem contrahatur, idemq́. in ſubalternante & ſubalternata ſeruetur conſiderandi modus, relinquitur neceſſariò, ꝙ vera, propriaq́. ſubalternatio in ijs tantùm reperiatur, quæ re ipſa cum ſenſibili materia exiſtunt, mente tamen & cognitione ab ea ſeparantur. Quæ quidem ratio, cùm in ſolis rebus mathematicis reperiatur, pro comperto habetur, veram, propriamq́. ſubalternationem, in ſolis mathematicis diſciplinis reperiri. Valeant igitur dicentes, omnes ſcientias reales ſubalternari Metaphyſicæ, Medicinam ſcientiæ Naturali, & huiuſmodi quamplurima alia enunciantes. His igitur in hunc modum determinatis, reliquum eſt, ut rationibus in oppoſitum formaliter ſatisfaciamus. Ex dictis enim, omnia perquam clariſsimè ſoluta conſpiciuntur.

Rationes Sirenij diſſoluuntur. Cap. 46.

AD primam itaq. rationem reſpondetur, negando antecedens. Ad probationem dicimus, quòd præter illas tres conditiones quæ aſsignantur in argumento, aliæ etiam requiruntur; quemadmodũ diximus; nimirum quòd ſubalterna non ſit diuerſa à ſubalternante, quòd ſeruent eundem modum conſiderandi, quòd ſubiectum ſuperioris, non ſit genus reſpectu ſubiecti inferioris, & etiam quòd differentia accidentalis non ſit ratio formalis. Veruntamen quia huiuſmodi conditiones originem trahunt à prima, nempe à ſubiecto, & modo conſiderandi, propterea admiſsis illis tribus conditionibus, negamus quòd conueniant Meta. reſpectu aliarum ſcientiarum. Cùm autem probatur prima, quia Meta. verſatur circa omne ens, aliæ verò ſcientiæ circa partem entis, igitur Meta. ſibi ſubalternat alias ſcientias. Negatur illatio. Ex hoc enim quòd Meta. verſatur circa omne ens, reliquæ verò ſcientiæ circa partem entis, non ſequitur quòd ſubiecta iſtarum contineantur ſub ſubiecto illius. Quia ad hoc vt ſit ſubalternatio, non oportet quòd ſubiectum ſuperioris ſit quaſi genus inferioris ſubiecti; quemadmodum ſubiectũ Metaphyſicę ſe habet reſpectu ſubiectorũ aliarũ ſcientiarũ. *Ad.1.ra lij Sirenij*

Cùm etiam probant ſecundam conditionem per hoc quòd Naturalis conſiderat ens mobile, Meta. verò omne ens. Ergo ſubiectum Meta. contrahitur ad ſubiecta aliarum ſcientiarum per additionem. Negatur illatio. Quoniam ad hoc vt ſit contractio inducens ſubalternationem, oportet ꝙ vtrobique ſit eadem ratio formalis, & additio ſit accidentalis.

Quorum neutrum eſt hic; cùm mobilitas ſit eſſentialis ſubſtantiæ naturali, & alius; aliuſq. ſit modus conſiderandi hinc inde. Idcirco falſum eſt, quòd ſubiectum Metaphyſicæ contrahatur per mobile & quantum.

Et quando probant tertiam conditionem, ex eo quia principia communia, ſeu communiſsima ſunt Metaphyſicæ, & ingrediuntur omnium aliarum ſcientiarum demonſtrationes virtualiter. Ergo Metaphyſica ſubalternat ſibi alias ſcientias. Quandoquidem ingredi virtualiter aliarum ſcientiarum demonſtrationes, nil aliud eſt, niſi principiorum illarum ſcientiarum cauſas continere.

Ad hoc argumentum, admiſſo antecedente; tanquam ab Ariſto. prolato; tum in cap.7. primi Poſteriorum quo ad primam partem, tum in .8. cap. eiuſdem libri, ad finem, quo ad ſecundam partem; negatur poſt modum illatio. Ad probationem dico, q principia communiſsima continere cauſas principiorum ſciëntiarum particularium, duplicem poteſt habere ſenſum. Alter eſt, q contineant virtualiter, ſicuti ſol virtualiter continet calorem, hominem, & huiuſmodi, alius eſt quòd illorum cauſas contineant formaliter; veluti ignis eſt formaliter calidus, & Plato eſt formaliter homo. Si loquitur arguens in ſecundo ſenſu, falſum dicit. Quoniam principia illa communiſsima nunquam probant concluſionem aliquam per ſe, ſed vnà cum principijs proprijs. Quæ quidem principia propria, ingrediuntur formaliter demonſtrationem; licèt non niſi auxilio principiorum communium, quæ demonſtrationes ingrediuntur virtualiter. Et ita ſe habent, ſicut cauſæ vniuerſales & particulares. Nam licèt cauſæ vniuerſales, vt ſol, coeli, & cætera, ita ſe habeant, quòd ſine eis, cauſę particulares non poſſunt aliquem producere effectum, nec ipſę vniuerſales poſſunt producere, niſi coniunctæ cauſis particularibus. Nihilominus tamen cauſæ vniuerſales non ingrediuntur effectus, niſi virtualiter; cùm ſint cauſæ remotæ & æquiuocę. Particulares autem formaliter, quia ſunt cauſę propinquæ, immediatæ & vniuocę. Vnde dicebat Ariſtoteles in .2. Phyſico. quòd ſol & homo generant hominem. Solum tamen hominem dicimus ipſius hominis cauſam, quia eſt proxima & immediata, ex conſequenti ingreditur effectum formaliter. Non igitur principia illa communiſſima ingrediuntur demonſtrationem, nec cauſas principiorum ſcientiarum particularium continent formaliter. Si autem loquitur in primo ſenſu; tunc verum dicit; at hoc non infert ſubalternationem. Qnandoquidē principia ſciëtię ſubalternantis continēt cauſā formaliter principiorū ſubalternatæ; & principia ſubalternātis ingrediuntur formaliter demonſtrationes ſubalternatæ. Et principia iſtius proxima & immediata, ſūt concluſiones procedentes proximè & immediatè ex principijs illius; cuiuſmodi non ſunt principia particulariū ſcientiarū, reſpectu principiorū, quæ cōmuniſsima dicuntur. Non igitur valet; Principia communiſsima ingrediuntur virtualiter omnes demonſtrationes. Igitur illa ſcientia cuius ſunt principia, ſubalternat ſibi omnes alias. Quia ad veram ſubalternationem

oportet

oportet vt principia ſuperioris, ingrediantur demonſtrationes inferioris formaliter; vt dictum eſt. Et ꝙ principia inferioris, ſint concluſiones, immediatè procedentes ex principijs ſuperioris.

Ad ſecundam rationem principalem dico, quòd ſcientiæ particulares ſubijciuntur quidem Metaphyſicæ, tanquam ſcientiæ communi; at ob id non eſt aſtruenda ibi uera, & propria ſubalternatio, at denominatiua tantùm, & impropria. Scimus quidem, ſcientias particulares non parum indigere ipſa Metaphyſica; ſiquidem in ea tractatur de ente, de ſubſtantia, de accidente; quæ niſi eſſent, aliarum ſcientiarum ruerent ſubiecta. In alijs etiam ſcientijs tractatur de uno, de multis, de identitate, & diuerſitate, de toto & de parte, & de huiuſmodi, quæ Metaphyſica ſunt. *Ad 2.*

Amplius nullæ propoſitiones, vllam haberent vim probatiuam, niſi in virtute principij: Quodlibet eſt vel non eſt; vt diximus ſupra, & ita veritates dignitatum, & principiorum particularium, nituntur virtute vniuerſalium. Eapropter ſequitur vulgata illa ſententia, quòd nulla ſcientia probat ſua principia, ſed probantur à Metaphyſica. Non eſt tamen ſenſus, quòd Metaphyſica probet principia aliarum ſcientiarum in propria forma; quandoquidem vel probat ex proprijs, vel ex principijs illius ſcientiæ, cuius ſunt principia. Si ſecundum, iam non probat vt Metaphyſica, & eſſet proceſſus in infinitum. Si primum datur tunc tranſitus de genere in genus. Atqui ſenſus eſt, quòd Metaphyſica probando ſua principia, ſimul alia probat; quia in virtute illorum, omnia alia principia vim habent probatiuam. Sicuti ſi quis probaret, omne animal eſſe ſenſibile, probaret etiam hominem eſſe ſenſibilem, quia ab animali habet homo quòd ſit ſenſibilis, non tamen illud probaret in propria forma. Nec propria vtitur demonſtratione Metaphyſica, ſed arguit contra negantes dialecticè, & ducendo ad impoſſibile; veluti diximus ſupra. Stat igitur, quòd Metaphyſica ſit ſcientia communis, & ſuprema, ex conſequenti quòd aliæ ſcientiæ ſint ei ſubiectæ; non tamen ob id inter eas ſequitur ſubalternatio, niſi impropriè. Quoniam principia proxima ſcientiæ ſubalternatæ, probantur in propria forma in ſcientia ſubalternante, & ſunt concluſiones deductæ ex proprijs principijs ipſius, cuiuſmodi non ſunt principia aliarum ſcientiarum, reſpectu Metaphyſicæ; quia tunc eſſet tranſire de genere in genus. Quando itaq. dicitur, quòd Meta. probat principia aliarum ſcientiarum; non eſt intelligendum quòd probet illa in propria forma; at dum probat ſua dialecticè, vel ducendo ad impoſſibile, ſimul alia probat; quia in virtute illorum, vim habent probatiuam.

Ad tertiam dico, ꝙ Metaphyſicus conſiderat omnium rerum quidditates, non tamen in particulari, at in vniuerſali, & vt decet; quemadmodum aliás diximus, & dicemus in quæſtione de ſubiecto Meta.; diuina ſauente clementia. Cùm autem arguens nititur probare oppoſitum, ſcilicet ꝙ Metaphyſicus conſiderat omnium rerum quidditates in particulari, ex hoc quia Ariſto. in 4. Meta. t. primo dicit, quòd ad vnam facultatem pertinet *Ad 3.*

inquirere extremas cauſas & principia. Dico quòd Ariſto. in eo loco loquitur de principijs entis vt ens eſt, quæ quidem ſunt Deus & intelligentiæ. Dicit enim: Eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt. Tandem concludit, quod à Metaphyſico conſiderandæ ſunt primæ cauſæ entis, prout ens eſt. Et propterea in prooemio Meta. dicebat, quod ſcientiæ illæ certiores ſunt, quæ maximè primorum ſunt. Meta. igitur cùm ſit huiuſmodi, erit certior & dignior alijs.

Et cùm dicit arguens huiuſmodi impugnando, ꝙ Ariſto. nullam fecit mentionem de Deo, niſi in duodecimo Meta. libro; dico, ꝙ verum eſt ex profeſſo, & eius naturam pertractando. Nihilominus multis in locis propoſuit, ſe de maximè ſcibili, deq; prima cauſa, verba facturum. Idcircò in prooemio Meta. dicebat: At vero illa magis docet, quę cauſas ſpeculatur: ij enim docent, qui cauſas ſingulorum dicunt. Intelligere autem & ſcire eorum ipſorũ gratia, illi pręcipue ſcientiæ ineſt, quæ eius eſt, quod maximè ſcibile eſt. Qui enim ſcire eius ipſius gratia eligit, eam quę maximè ſcientia eſt pręcipuè eliget. Talis autem eſt eius, quod maximè ſcibile. Maximè autem ſcibilia ſunt ipſa prima & cauſæ. Propter hanc enim & ex ijs cætera cognoſcuntur. Sed non hæc per ſubiecta. Principaliſsima autem ſcientiarũ, & principalior ſubminiſtrante eſt, quæ cognoſcat id, ob quod quodq; agendum ſit. Hoc autem eſt bonum cuiuſque, & vniuerſaliter quod in omni natura optimum eſt. Hæc illæ. Sed & res adeo in ſe clara eſt & manifeſta, vt nulla prorſus egeat probatione; propterea multa alia omitto, quæ adduci poſſent, pro eorum quę diximus corroboratione. Ita igitur res ſe habet.

Dato tamen ſed non conceſſo, ꝙ Meta. conſideret rerum omnium quidditates in particulari; non ob id ſequitur aliqua ſubalternatio. Quoniam licèt Meta. haberet principia & cauſas omnium rerum, & quidditatum; non tamen eius obiectum contraheretur ad alias ſcientias, per differentiam accidentalem, quod eſt radix & fundamentum ſubalternationis, & cætera quæ diximus. Sed de hoc ſatis.

Ad primã authoritatem. Ad authoritatem D. Tho. reſpondent Thomiſtæ nonnulli, negantes illud opuſculum fuiſſe D. Tho.; quibus addit nonnihil Iauellus in primo Meta., q. 2.; Sed vtcunque ſit, ſi D. Tho. fuit illius ſententiæ tunc, vnuſquiſque abũdat in proprio ſenſu.

Ad. 2. Ad ſecundam authoritatem dico, ꝙ Naturalis & Mathem. ſunt partes Meta., ſicut ſcientiæ particulares ſunt partes ſcientiæ vniuerſalis; non ſicut ſcientia ſubalternata eſt pars ſcientiæ ſubalternantis. Et iſte eſt ſenſus Ariſto. in. 11. Meta., ſumma. 2., cap. 2. in calce.

Ad 3. Ad tertiam patet ex his quæ diximus ad ſecundum argumentum.

Ad. 4. Ad quartam patet ex his quæ diximus ad tertiam conditionem primi argumenti, & etiam ex his quæ diximus ad ſecundum.

Nam ratione principiorũ vna ſciẽtia poteſt eſſe ſub alia dupliciter; Vno modo, quãdo principia vnius non ſunt per ſe nota, ſed declarãtur in alia & demõſtrantur, nimirũ in ſuperiori; vt principia Proſpectiuæ in Geometria. Alio modo, quando licèt principia vnius ſcientiæ ſint per ſe nota, & indemonſtrabilia; ſi tamen negentur & impugnẽtur ab aliquo, à ſuperiori ſcien-

ſia, nempe à Meta. defenduntur dialecticè; & ducendo ad impoſsibile. Quia igitur ratione finis, ratione ſubiecti, (ſaltem vt ſpecies) & etiam ratione principiorum, modo quo diximus, ſcientiæ particulares ſubijciuntur Metaphiſicæ; idcirco grauiſsimi Philoſophi dixerunt, Metaphyſicam ſibi alias ſcientias ſubalternare; ſed impropriè loquuntur; cùm ibi non ſit vera ſubalternatio; ſed tantùm ſimilitudinariè. Et hæc de quęſito.

De diuiſione Metaphyſicæ. Cap. 47.

ARISTOTELES in primo de partibus animalium, cap. primo ad initium ait: In omni contemplandi genere, omniquę ſimiliter tũ nobiliori, tum ignobiliori docendi via, & ratione, duo videntur modi habitus eſſe; quorum alterum ſcientiam rei, alterum quaſi peritiam quãdam appellaſſe benè ſe habet. Hominis enim probè periti officium eſt, iudicare perſpicienter poſſe, quidnam rectè, aut non rectè ab eo qui docet exponitur. Quippe cùm & hominem omnino peritum talem eſſe exiſtimemus, & peritiam ipſam, non niſi facultatem huius officij ſtatuamus. Ita Ariſtoteles. Quem inſequutus Paraphraſtes Auer., in primo itidem de partibus animalium, in aditu, inquit: Dicamus ergo ꝙ cùm quælibet ars contemplatiua habeat duplicem modum notitiæ, vnum ſcilicet rerum requiſitarũ in ea arte. Alterum verò canonum, & ſemitæ proprię, ſecundùm quam ſpeculatur profeſſor illius ſcientiæ. Vt ſi quid rectè in illa arte dictum ſit, id verum eſſe iudicet, ſi verò aliquod falſum; id quoque non rectum eſſe; oporteté. vt ſi quis aliquam artem contemplari inceperit, ipſe ſit compos huius certè virtutis; anteq̃ illam ſpeculetur artem. Et ideo oportet, vt quælibet ars habeat certas definitiones, & cauſas determinatas, certa ſubiecta, nonnullasq. regulas. Quòd ſi ita eſt, neceſſe erit hæc omnia eſſe prius nota apud profeſſorem huius ſcientiæ. Nam vnaquæque harum rerum habet locum ſpeculationis, & magnæ inquiſitionis. Hactenus Auerroes. Qui per ſcientiam intelligit cognitionem atque notitiam de rerum veritate per demonſtrationem; per peritiam verò, ſiue pædiam, eruditionem intelligit de modo, atque artificio docendi.

Vnde habemus, quòd in omni diſputatione neceſſe eſt quędam pręmittere, quæ nomine procœmij, vel exordij, aut præfationis vocari poſſunt, de quibus Rhetorica & ars dicẽdi agit. Longè tamen differunt procœmia Rhetorum & Philoſophorum; quòd illi magis perſuadere nituntur motione affectuum, quàm ratione, & enthymematibus, quàm demonſtrationibus. Philoſophus autem ediuerſo, demonſtrationibus agit, non enthymematibus; propterea fit vt Philoſophus præmittat in exordijs diſputationum, ea ſolùm quæ ad docilitatem, & rerum de quibus agendum cognitionem sũt neceſſaria. Quæ autem vel ad beneuolentiam, vel odium, vel inuidiam, omninò vt aliena prætermittat; quemadmodum etiam in diſputatione ipſa de rebus, quæ videntur loco narrationis eſſe, non affectibus, vel actione, neque apparentibus, ſed demonſtrationibus tantùm. Ita etiam in Epilogis, nihil niſi quod ad docilitatem faciat, promere ſolet; neque enim vt affectum, miſe-

ricor-

ricordiæ, inuidiæ, odij, vel huiuſmodi excitet, ſed vt memoriam refricet propoſiti demonſtrati, illudq́. vt iam notum colligat. Quòd ſi fortè vel in Epilogo quid tale videtur, vt in fine artis dialecticæ, cap. vltimo Elenchorum, hoc ex accidenti, vt explicet artis difficultatem, & excuſet ſi quid deſideratur. Quæ autem ad docilitatem faciunt, ſunt potiſsimè propoſitio de quo ſit agendum, diſtributio partium, ordoq́. earum. His addi poſſunt; ſed vt minus neceſſaria; priora, pręſtantia, nobilitas, vtilitas, difficultasq́. cognitionis earum rerum, de quibus agendum. Proſunt enim ad cognitionem. Horum igitur ſine vitio quædam aliquando omitti poſſunt; vt nobilitas, vtilitas, difficultas. Nam hęc videntur non obſeruata apud Ariſto. ſemper, ſed aliquando; vt in libris de anima, in Metaphyſica. in libris quoq. topicis, vtilitatis & commodi mentionem fecit. In libris autem Phyſicorum, & propoſitionem, & diſtributionem, & ordinem poſuit; vtilitas enim ſatis conſtabat. Subiectum quidem, quoniam de naturalibus agendum, dicit ordinē; quia prius de cauſis, & prius de naturà prioribus, in quibus & diſtributio continetur; neq. enim ordo ſine partibus eſſe poteſt. Quòd ſi aliquando videtur etiam propoſitio prętermiſſa, vt in pędicamentis, hoc factum eſt, quia implicitè continebatur in titulo & inſcriptione. Nam ut plurimum inſcriptio ſignificat id de quo agendum; vt de anima, de coelo, de animalibus, de partibus animalium, & de hoc genus alijs. Sic igitur & in prædicamentis inſcriptio Categoriæ, & propoſitionem, & diſtributionem ſecum ferebat, & ordinem; quia tot erant partes, taliq. ordine, quot & quali erant Categoriæ ipſæ. Quæ autem vel præmittuntur, vel ſubduntur ad ipſas Categorias, vt neceſſaria quidem, ſed aduentitia ſunt.

In libro Periher. patet ꝙ ibi eſt propoſitio in ipſo titulo, & ordo cum diſtributione in primis verbis. Sic in libris reſolutorijs; libri etiam de moribus quid tale habēt, licèt differēter. Neque enim cuique idem conuenit modus. Præter hæc autem, quæ videntur communia etiam Rhetori, habet Philoſophus quædam propria, vt & ille alia. Nam Philoſophus qui docere intendit, & vult, præcognitiones quaſdam præmittat oportet, ſine quibus docere non poteſt. Item diſputet de quibuſdam cur tali ordine ſit agendum, & ꝙ non ſolùm hoc, ac etiam illud ſit conſiderandum; & ponat terminos ſuæ ſcientiæ, & diſtinguat eam ab alijs; veluti Ariſtoteles in libris auſcultatorijs; & pręſertim in ſecundo libro, vbi hæc omnia facit, probando ꝙ non ſolùm de materia, ſed etiam de forma agere debet; & de qua, & quouſq., & ſub qua ratione; & quo modo à Mathematico differat, quoúe modo à primo Philoſopho; idq́. à .16. vſque ad .26. contextum. Item ꝙ per omnes cauſas debet demonſtrare, vt patet ad .71. contextum; & ꝙ terminus eius ſunt immobilia omnino, quæ neq. ortum, neq. occaſum ſentiunt. Sic in primo de partibus animalium multa pertractat, & de quibus, & quo ordine, huiuſq́. generis ceteris ſit agendum.

Hæc igitur omnia, vel conſimilia, (non enim ex æquo in omnibus omnia tractantur, ſed vt ars exigit & res de qua tractatur) abſoluit Ariſtoteles in Metaphyſica, anteq̄ aggrediatur propoſitam diſputationem de rebus ipſis, in quibus verſatur ille artifex. Et perdurat eiuſmodi pertractatio, veluti

præparatoria & procemialis diſputatio, vſque ad ſeptimum librum; & eſt pars illa, quam Ariſto. periciam vocat, ſiue pædiam. In qua opus eſt vt declaretur ſubiectum in quo verſatur ipſa Metaphyſica; & diſtribuatur diſputatio in partes, & tradatur ordo. Itemq. neceſſe eſt in ea habere illius ſcientiæ nobilitatem, ad aliasq. præſtantiam, & difficultatem. Et præter hęc præmittentur quæ præcognitiones ſunt, vt principiorum, & quid ſignificent. Sed completa declaratio ſubiecti, iam in primo lib. expoſita, non habetur niſi vſq. ad .4. librum; vbi etiam diſtributio & ordo partium declaratur. Difficultas autem, & in primo & in ſecundo. Nobilitas cum ſubiecto in primo. Principia, & quid ſignificent, in .4. & .5. Quomodo diſtinguatur ab alijs ſcientijs, in .6.

A ſeptimo verò incipit ſcientia, ſeu cognitio de rerum veritate, & protenditur vſq. in finem .12. Quare pro comperto habemus ſcientiam illam, nempe Metaphyſicam, prima ſui diuiſione, in pædiam & ſcientiam eſſe diuidendam, immo fuiſſe ab Ariſtotele diuiſam. Modò videamus quo ſit ordine diſtributa.

Metaphyſica quo ſit ordine diſtributa. Cap. 48.

EADEM quæ ſupra tetigimus à capite repetendo, illud ad memoriam reuocandum duximus, q; nempe Metaphyſica eſt ſapientia, cuius eſt munus altiſsimas contemplari cauſas, atq. in eis præcipuè verſari & ſpeciatim. Propterea Ariſtoteles id in primo libro docet, primò de natura & illius diuinæ ſcientię perfectione agendo; deinde antiquorum de rerũ principijs & cauſis opiniones recenſentur, & ſimul exploduntur. Vnde Metaphyſicam ſapientiam eſſe declarat, & altiſsimas cauſas ei pro ſubiecto ſtatuit; huius tamen quæſtionis abſolutionem vſque ad .4. librum extrahendo. Et quia ſapientis eſt modum tradere generalem, ad veritatem perueniẽdi, id præſtat Ariſtoteles in .2. libro; vbi agit de ipſius veritatis contemplatione. Solertia, inſuper, ipſemet ſapiens debet eſſe præditus, vt difficiles quæſtiones pertractet, ad vtranq. partem arguendo, vt inde ſuboriatur demum ipſa veritas; id quod in .3. efficit libro. In .4. verò, prius agit Ariſtoteles de quibus habeat prima philoſophia pertractare; deinde munus ſapientis proſequendo, de ratione primorum principiorum verba facit, eaq. defendit. Sed in quinto, quorundam nominum multipliciter dictorum ſignificationes diſtinguuntur; vnde generalia terminorum ſignificata explicando, ea ad vnum primum tandem inducit. Sapientis; inſuper; intereſt excludere ab arte quæ ad eam non pertinent, eaq. diuiſione vti, qua eius diſciplina ab alijs ſecernatur. Et hoc fit in .6., qui eſt ipſius pædiæ terminus abſolutus. Idcirco à .7. libro incipit pars ſcientialis; in qua de ente, ſiue de ſubſtantia proponit agendum, ſimul atq. de ea pertractat. Deinde in octauo, de ſenſibiliũ ſubſtantiarum principijs, materia videlicet & forma, ſermonem habet. In .9. vero, de potentia prius, ac poſtea de actu verba facit. In .10. de vno & multo agit, quæ ſunt ęqualis ambitus cum ente; de eodem & diuerſo, atq. de oppoſitionibus. Quæ quidem omnia, cum illis quæ in .9. pertractantur, ſunt

ſunt entis paſsiones diſiunctę;quæ eius cuiq. parti haudquaq̃ ſimul competere poſſunt; vt potè ſubſtantijs ſeparatis & immobilibus ita competit actus, ꝙ non potentia; in caducis autem reperitur vtrunque. In vndecimo libro à capite multa repetit,quæ in ſuperioribus dicta fuere, ac demum de motu agit & infinito. In .12. autẽ rurſus de ſubſtantia ſenſibili agitur; poſtea de ſubſtantia immobili; ac poſtremò de bonitate vniuerſi. Vnde concludendo dicit: At entia nolunt malè gubernari; non eſt bonum pluralitas principatuum; vnus ergo princeps; ad quem coordinata ſunt omnia. Quo quidem inuento,relinquit auditori regreſſum,vt inde propter quid demonſtrationem colligat.

An Metaphyſica ſit ſapientia. Cap. 49.

ALEXANDER ille ex Aphrodiſiade, in primo Meta. enarratio .8. dicebat,ꝙ Ariſto.aliqua demonſtraturus,conſueuit in cunctis,pro principijs vti communibus & naturalibus mortaliũ opinionibus. Propterea ad hunc modum inueſtigans in quibuſnam principijs verſetur ſapientia, & quod ſit munus Sapientis, & omnino quis ſit ſapiens, explicat communes ſententias & naturales,quas habemus de Sapientibus;vt his conſentanea conquirentes,aptè atq. conuenienter ſumamus, ponamusq́. Ita etiam proceſsit Ariſtoteles, cùm declarauit locum .4.Phy.,& infinitum in .3.; ſed & de tempore nonnulla conſimiliter. Sumit igitur Ariſto.ꝙ Metaphyſica ſit Sapientia; & tunc ex communi vſu hominum oſtendit ꝙ Sapientia verſatur in cauſis; & ſic ꝙ quo quis magis nouit cauſas,eo magis eſt Sapiens;quia ſic dicitur Sapiens communiter ab omnibus. Nec aliunde ſumit Philoſophus ꝙ Metaphyſica ſit Sapientia,niſi ex ea quæ circũfertur inſcriptione.Qui enim in naturalibus verſantur,dicti ſunt primum Sophi, ideſt,Sapientes; deinde Philoſophi,ideſt,Sapientiæ ſtudioſi,quia ſcilicet inquirebant entium cauſas & elementa; eodem atteſtante Ariſtotele; .4. Meta. context.1.,& .7.eiuſdem voluminis,particula quinta.Cùm itaq. ipſe diſtinxerit res naturales à ſupernaturalibus, & inuenerit ꝙ præter naturales dantur alia naturà priora,& ſic ꝙ prima rerum principia & elementa non comprehenduntur ſub natura,neque dici poſſunt nomine naturæ,ſed ſunt ſuperiora naturà,& ſupra naturam,& poſt inuentionem & cognitionem naturæ inuenta & cognita,& ita naturà priora;quia inuentio & cognitio eſt ex poſterioribus in priora naturà in nobis,ſecundùm modum cuiuſdam reſolutionis. Ideo propriè nomen Sapientis & Philoſophi,attribuitur ei qui diſputat de huiuſmodi rebus,quæ ſunt poſt naturam & naturalia inuentę & cognitæ, & in quas ut elementa,vltima ſtetit reſolutio.Propterea nomen Philoſophi maximè conuenit ſtudioſo illius ſcientiæ, magis quàm ſcientię Naturalis. Sicut etiam Philoſophiæ nomen attribuitur ei .4.Meta.particula .2. & .4., & nomen Sapientiæ. Sin autem non eſſent iſtæ res poſt naturam & naturalia inuentæ,ſed ad naturam ſtaret reſolutio,vt ad primum principium & elementum omnium; iam Naturalis ſcientia eſſet prima philoſophia, & digna nomine Sapientiæ. Primæ nunc autem ſunt. Ideo Naturalis non eſt prima

eſt prima philoſophia, ſed ſecunda, nec prima ſapientia, ſed ſecunda; quia ſcilicet in elementis entium non verſatur ſimpliciter, nec in cauſis ſimpliciter primis, at primis in genere naturalium rerum. Vnde Ariſto. 4. Meta. ad. 7. contex., duplicem dat Sapientiam & Philoſophiam; Metaphyſicam primam, Naturalem ſecundam. Ideo ſicut cauſæ primæ poſſunt dici dupliciter, aut ſimpliciter, aut ſecundùm quid; ſic & Philoſophiæ & Sapientiæ nomen. Secundum quid erit Naturalis ſcientiæ, ſimpliciter autem Metaphyſicæ. Sicut enim hæc conſiderat ſubſtantias à magnitudine ſeparatas; ſic Naturalis conſiderat ſubſtantias naturales, & quantas, & mobiles. Hanc ob cauſam Auerroes in. 4. Meta., comm. 4. dicebat, ꝙ conſideratio in ſubſtantia abſtracta eſt poſtrema in cognitione, & prima in eſſe; & ideo dicitur ſcientia Metaphyſica. Et alij dicunt, Metataphyſica; hoc eſt, poſt naturalia. Ex quibus etiam conſtat, ꝙ ſæpè nomine abutimur Philoſophiæ, vt comprehẽdat omnes facultates, etiam Morales, & Mathematicas; cùm non niſi Naturali, & huiuſmodi quę in cauſis verſantur, conueniat. Vnde qui addiſcebant Mathematicas ſcientias, non dicti ſunt Philoſophi apud veteres; ſed qui phyſicis & diuinis vacabant. Ideo & Ariſto. 12. Meta. ad contex. 44., dicit, Aſtrologiam eſſe maximè propriam, & propinquam Philoſophiæ, ex omnibus Mathematicis. Vbi ſatis oſtendit, ꝙ nec Aſtrologia, nec alia Mathematica erant partes Philoſophiæ; ſed ꝙ Aſtrologia maximè accedebat ad Philoſophiam. Idem ſentire videtur Alexãder; veluti conſtat. 4. Meta. 2. & 4., necnon in præfatione libri Priorum. Sed illud perquamclariſsimè docet iterum Ariſto., & cum eo Alexander, primo Meta., enarratione. 78.; quò loci apertiſsimè contra Platonem agentes, dicunt, ꝙ ſcientiæ Mathematicę non veniũt numerandæ inter partes Philoſophiæ. Idcirco optimè dicebat Ariſto. 6. Meta. contex. 3., ꝙ niſi eſſent ſubſtantię ſeparatæ, Naturalis ſcientia eſſet prima Philoſophia. Et primo de partibus animalium, ſi Naturalis ageret de omni anima, iam nulla ſupereſſet Philoſophia, niſi Naturalis ſcientia. Sic enim debet legi, non vt malè vertit Gaza. Id quod ſi annotaſſet Zimara, non tam laboraſſet in illo ſuo Theore. 111. Magis tamen Morales ad philoſophiam facere poſſunt, quatenus diſputãt de fine hominis, ex quo ſequitur diſputatio de moribus, de legibus, atque politicis. Ideo Philoſophus non erat alienus à magiſtratibus, & regimine Ciuitatis, ſicut Mathematicus; ſed maximè ſibi conueniebat Ciuitates regere, mores docere, & cętera huiuſmodi. Ex his igitur patet, ꝙ Ariſtoteles ex titulo, veluti ex noto, accipit ꝙ Metaphyſica ſit Philoſophia, & Sapientia. Si Phyſica nanque dicitur Sapientia & Philoſophia, quod idem eſt, quia eſt circa primas cauſas naturalium rerum, quæ ab antiquis creditę ſunt eſſe primæ cauſæ ſimpliciter, quia nihil niſi naturale credebant, nihilq. ſupra naturam. Cur non erit magis Sapientia & Philoſophia illa ſcientia, quę eſt circa cauſas, quæ verè ſunt primæ, & ſupra naturales cauſas; vt natura, coelumq. ab his dependeat?

2 Metaphyſica igitur eſt propriè Philoſophia, & Sapientia; quam in primis cauſis verſari probat Ariſto. ex communi hominum iudicio; veluti diximus. Et ꝙ hoc fuerit commune hominum iudicium, exponit comparando 12. Meta. t. 38.

cognitio-

cognitiones inter ſe, & oſtendens ꝙ ei magis competere dicitur à nobis nomen Sapientię, quę magis conſiderat cauſas; & eo magis, quo potiores. Sed quia duplex eſt notitia, quædam ſpeculatiua, quædam practica; oſtendit ꝙ ſi comparentur inter ſe, ea quæ eſt ſpeculatiua, erit dicenda Sapientia; quia accidit Sapienti quòd agat, nec conſideratur Sapientia penes actionem, ſed penès cognitionem; vt ea ſit magis Sapientia, quæ eſt magis cognitio, ideſt, præſtantior & perfectior; ꝙ autem agat vel non, nihil ad rationem Sapientiæ.

Ex quo etiam patet ꝙ practicis non competit per ſe & propriè nomen Sapientię, nec Philoſophiæ; at veluti per accidens. Cùm autem Sapientia ſit omnium præſtantiſsima cognitio, oportet ꝙ ſit per ſe deſiderabilis, & bona, & non ratione alterius. Ideo de ratione Sapientiæ, ſicut eſt quòd ſit circa cauſas, nec quaſuis, ſed primas; ita etiam eſt quòd ſit nobiliſsima omniũ ſcientiarum. Et idcirco non potuit declarati ſubiectum in quo verſatur, quin ſimul eius nobilitas & præſtantia declarata ſit, vnà cũ eccellẽtia ſuper alias notitias. Cùm autẽ ſit oĩum perfectiſsima & prima, oportet ſit metrũ & mẽſura aliarũ oĩum, nõ ſolùm ſciẽtiarũ, ſed etiã cognitionũ; quia eſt prima in genere notitiæ ſimpliciter. Et ita eſt maximè vna, & ſimpliciter vna, & certa, & inuariabilis; ideo per eã metiemur alias, ſimul atq. regulabimus; etiã à ſenſu primordia capiẽdo. Propterea nãq. ſenſus erit ſenſu prællãtior, quia magis cognitionem inducit; non quia magis proſit ad agendum. Quocirca & principium ſumitur aptiſsimum, ad propoſitum; & ſolo Ariſtotelis ingenio dignum. Quod etiam ſi non opus eſſet eo vti ad propoſitum comprobandum, illi tamen ſcientiæ per ſe conueniret, & nulli alij.

Omnes; inquit; homines naturà ſcire (ſeu mauis cognoſcere) deſiderãt: Signum autem eſt ſenſuum dilectio. Nam & ab ſq. vſu propter ſeipſos amantur; præ cæteris autem qui per oculos ſit. Non enim vt agamus ſolum, verùm etiam nil acturi, ipſum videre præ omnibus alijs, vt ita dicam, eligimus. Cauſa autem eſt, quòd ſenſuum hic vel maximè nos cognoſcere quicquam facit; multaſq́. differentias manifeſtat. Breuibus igitur habemus, & quòd Metaphyſica eſt verè ſapientia, & artificium, quo id conuincit Ariſtoteles. Reliquum eſt modo, vt quo pacto ſit vna, in ſequenti declaremus.

An Metaphyſica ſit vna. Cap. 50.

QVONIAM in ſuperioribus habuimus aduerſus Mirandulanum, quòd Metaphyſica tractat de ente, & quòd eſt prima, & per conſequens vniuerſalis; quare de omni ente pertractat, & de ſpeciebus entis, rurſuſq́. de ſpeciebus ſpecierum entis, vt Sapientem decet; quatenus ſcilicet de ſpeciebus infimis nullam habet conſiderationem; ex ijs ſit neceſſariò conſequens, vt Metaphyſicus eouſq. progrediatur diuidendo, quò uſq. exigit ratio entis, ſecundùm quam ſit conſideratio; vt quotupliciter dicatur vnum, idem, & cętera huiuſmodi. Hoc autem erit ubi diuiſio non fiet niſi materialiter; vt penès res ipſas, quæ vnitati ſubſternuntur, vel identitati; non penès modos & formales rationes, ſeu ſpecies; vt idem numero

poteſt

poteſt eſſe Petrus,qui eſt homo, vnum item numero hic bos,item vnum genere, vt animal, planta, & id genus alia. Item vbi cognitio entis vlteriorē non exigit diuiſionem;vt cùm membris cognitis & partibus,quæ ſubduntur ſunt impertinentia; vt cognitis differentijs ſubſtantiarum ſeparatarum & mobilium, & harum vt æternæ & caducæ;aliæ diuiſiones mobilium & naturalium ſunt impertinentes ad diſcernendum ſpecies entis vt ens;ſed tranſeunt ſub Naturalis conſiderationem.Ita ſuo modo dici poteſt de alijs.Propterea Alexander in.4.Meta.,ex Ariſtotelis verbis optimè colligebat, ꝙ ea ſcientia quæ agit de ente quatenus ens, debet etiam tradere quæ ſint ſpecies entis,ideſt,quot genera. Qui enim; inquit; aliqua intelligit,huic notum eſt illorum inter ipſa diſcrimen. Qui enim quæ non ſunt eadem,eadem eſſe inter ſe putat,is nihil ipſorum omnino cognoſcit.

Vnde patet ꝙ ſi Ariſto.cùm agit in Meta.de contrarijs, quatenus diuiſit ens per vnum & multa;& ipſa multa vt vel diuerſa ſunt,vel differentia, vel oppoſita,& hæc diuerſimode;& tandem contra quæ rurſum diuidũtur in ea quæ ſunt per abnegationem, & ea quæ per participationem ſunt extremorum;& ita ſi rurſum ſubdiuidere voluiſſet,non niſi per materiam potuiſſet; puta applicando contrarietatem huic,vel illi naturæ, vt humido,ſicco, calido,frigido; huiuſq. generis cæteris; de quibus conſtat ꝙ eſt phyſici agere. Ita cùm tradidiſſet diuerſitatem vnius, & ꝙ in vnoquoq. generē quid vnũ primum;& de illo vno diſputare voluiſſet,ꝙ in vnoquoq.genere ſingulo ſingulum reperitur; prætergreſſus fuiſſet metas ſuas ; ideſt, Metaphyſici. Sic de actu & potentia.cùm deuenit ad potentiam rationalem & irrationalem, non opus erat ſubdiuidere rationalem,vel irrationalem & naturalem;ſed ſatis erat determinaſſe ꝙ irrationalis determinatur ad vnum ; non autem opus fuit de vnaquaq. docere, puta ꝙ graue deorſum;leue ſurſum. Item percurrere potẽtias generatiuas naturales,vel ſenſitiuas,& id genus alia.Sic de rationali ; vt de intellectu poſsibili; agente, ſpeculatiuo, & practico. Hæc enim ſunt Naturalis.Sicut etiam cùm egit de principijs & cauſis,non opus fuit deſcendere ad cauſas efficientes particulares ; vt ignem,coelum,& alia huiuſmodi.Sic de ſubſtãtijs,cùm tradidiſſet diuiſionẽ.7.Meta.,& inter eas poſuiſſet materiã,formã,& cõpoſitũ,& quidditatẽ,& diuiſiſſet quidditatẽ in ſimpliciter & ſecũdùm quid;& docuiſſet quo modo ſit tradenda definitio in rebus naturalibus;& quomodo in Mathematicis,non opus erat deſcendere ad quidditatem cuiuſq.rei. Hoc enim ſpectabat ad ſuos particulares artifices. Ad phiſicũ,quid ros,quid pruina,quid pluuia,quid epar,& cętera huiuſmodi.Sic in octauo Meta.,cùm docuiſſet materiam multipliciter accipi,& quo modo alia aliorũ; nõ opus erat cuiq.ſuam adſcribere. Hoc enim munus eſt Naturalis philoſophi.Ita quoq.dicimus de alijs. Munus igitur eſt hoc Sapiẽtis, vt ſibi ſubiecta ut decet conſideret; quatenus ſcilicet inferiores artes & diſciplinas dirigere, & cętera quę diximus peragere ualeat. Id quod etiam exemplo Architecturę per maximè dignoſcere poſſumus. Vitruuius enim inter initia primi libri dicebat, Architecturam ſcientiam eſſe, uel notitiam, diuerſis prędıtam diſciplinis, uarijsq.eruditionibus & documentis ornatam ; cuius iudicio, omnia approbantur opera, ab inferioribus

artibus confecta. Et Plato in libro de Regno, ad initium ait: Etenim Architectus nullus, manuum miniſterio vtitur, ſed vtentibus præſidet; dũ iudiciũ adhibet, nõ miniſterium. Iure igitur ſpeculãdi, ſcientiæ particeps eſt dicendus. Hoc, vt arbitror, ad iudicem hunc pertinet, vt non deſerat opificium quemadmodum computator, ſed incumbat aſsiduè; operarijsq́. ſingulis operam propriam mandet & ordinet, quouſque quod eſt imperatum abſoluerint.

Ecce ꝙ Sapientis Architecti non eſt ad particularia deſcendere; at inferioribus imperare, & eorum opera dirigere, ſimul & approbare. Vnde Barbarus ille Daniel, illam Vitruuij quam præmiſimus definitionem exarans, inquit: Quare dicere poterimus, Architectũ non eſſe fabrum ærarium, non Carpentarium, non fabrum cæmentarium, nec quemuis alium determinatum artificem; at præſidentem & præfectum, omniumq́. artificiorum regulatorem. Ita ſuo modo dicendum eſt de Metaphyſico. Qui quidem, de ſubſtantijs ſeparatis quia ſolus agit, & ad ipſum pertinent omnino, nec poſſunt rationem entis formalem non habere, vel ſub alia conſiderari; de illis diſtinctè, & omnino ſpeciatim & in particulari agere debet. Et licèt Metaphyſica hæc omnia comprehendat, & modo quem diximus diuerſimodè conſideret; ob id tamen non eſt fatendum, ipſam in plures ſcientias fore diſtinctam, atque diuiſam. Iam enim conſtat ex Ariſtotele, ꝙ habet ſubiectum vnum, & quomodo ſit vnum; quod quidem erat fundamentum ad hoc neceſſarium, vt illius ſcientiæ oſtenderet vnitatem; ideo exactè & accuratè expoſitum. Dicitur autem vnũ genus; quia dicit vnã naturam; vt dicit Alexander; & latè accepit genus pro natura; quæ dicitur vna modo prædicto, quia omnia ad vnum. Sed & omnia quæ ſunt in quacunq. ſciẽtia, ſubiectum, affectiones, media, ſpecies, definita, definitiones; omnia deniq. neceſſe eſt eſſe cõgenea, quaſi ſint eiuſdem familiæ & generis. Vnde Ariſto. in 4. Meta. t. c. 2. inquit; Non enim ſolùm eorum quæ per vnam rationem dicuntur, vna ſciẽtia eſt; ſed eorum etiam quæ ad vnam dicũtur naturam; & hæc enim quodam modo vna ratione dicũtur. Patet igitur vnius etiam eſſe ſciẽtiæ ea quæ ſunt, vt & entia ſunt cõtẽplari. Et Alexãder ibidẽ, enarratio. 3. & .4. ait: Quamq̃ hæc quæ ad vnam naturam referũtur, ſecũdùm vnum quodã modo dicũtur; quoniam in oĩbus quodam modo eadẽ natura reperitur; à qua & propter quam ſic appellatur; licèt nõ cuncta pariter & ex æquo participent eadem. Nam in conſeruãte ſanitatem; & in efficiente, itemq́. in excipiẽte, ſanitas ẽ quæ cõſideratur; quamobrẽ ipſorũ vna ẽ quodã modo ratio, & de his cõtemplari ad vnã pertinet ſciẽtiam, hoc eſt, ad Medicinã. Ac proinde ad vnã ſciẽtiam pertinet de ente, quà eſt ens conſiderare. Neq. enim quatenus muſica, aut medica; ſed quà entia ſunt, & entis natura participant, ab hac ſcientia conſiderantur; Omnis igitur entis ſcientia, vna ſcientia eſt, quoniam eiuſdem naturæ, hæc maximè de primo ente erit, quodq́. propriè ens eſſe intelligitur, & propter quod alia ſunt entia; quod quidẽ ſubſtãtiam appellamus. Ita Alexander. Qui etiam in. 2. ſua expoſitione eiuſdem quarti libri, idẽ cõſtantiſsimè aſſerit, inquiens: Non enim ſolius nominis ſocietatẽ habẽt, ſicut æquiuoca, ſed naturã quãdã habẽt & causã, cur eodẽ vocabulo

nominen-

nominentur. Idemq́. confirmat in prima expoſitione eiuſdem libri contra Pauſium de ſubiecto Metaphyſicæ, cap. 10. Vna igitur & eadem ſciẽtia cõſiderat oĩa entia, ſiue ſubſtantiæ ſint, ſiue accidentia; & hæc quatenus ſunt ſpecies entis, vel ſpecierum ſpecies. Accidentium enim conſideratio vt ſic, non habet rationem accidentium, ſed ſpecierum entis; quia ens diuiditur primò in per ſe & per accidens; & per ſe deinde in ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & alia; ita ꝙ ſunt veluti ſpecies ex æquo diſtinctæ, ſecundùm tamen ordinem eorum quæ ab vno, vel ad vnum. Non vt paſsiones reſpectu ſubiecti, quia tali pacto ſub nomine entis minimè conſiderarentur, ſed vt paſsiones, & ita vt alio nomine dicuntur & ratione.

Cæterùm ex eo quòd eadem ſcientia dicitur conſiderare ſubſtantias omnes & accidentia per ſe, quomodo poſtmodum ſtet quòd ſit vna ſcientia, non eſt facile videre. Nam ſubſtantiæ non demonſtrantur, nec ipſum quid eſt; accidentia verò non ſciuntur niſi per demonſtrationem. At non demonſtrantur de ipſa ſubſtantia; quia tunc non amplius vt entia, ſed vt paſſiones conſiderarentur. Et cùm ſcientia non habeatur niſi per demonſtrationem, ꝙ ſubſtantiarum & accidentium diuerſæ ſint demonſtrationes, neceſſariò conſequitur. Et ita non vna, ſed erunt duæ ſcientiæ; altera ſubſtantiarum, accidentium alia.

Niſi eſſet ꝙ vna & eadem ſcientia complectitur vtramque partem, & definitiuam ſcilicet & demonſtratiuam; quemadmodũ docet Alexander. 4. Meta., enarratio 16. Vbi illud animaduertendum, quomodo Alexander exponat accidentia ſubſtantiæ illa nouem genera, cùm hæc de ſubſtantijs non demonſtrentur in prima philoſophia vt paſsiones, ſed conſiderentur, vt diximus, tanquam entia dicta ad naturam quandam, ſcilicet entis propriè dicti, & ſubſtantiæ. Per demonſtrationes enim oſtenduntur accidentia per ſe, quæ dicuntur paſsiones. Quomodo etiam ex ſcientia de ſubſtantijs ſeparatis, & de ente quà ens fiat vna ſcientia & non duæ. Sicut etiam quomodo ſi non eſſent ſubſtantiæ ſeparatæ, diſputatio de communibus iſtis, & phyſica ſcientia eſſet vna & eadem ſcientia, & ita phyſica eſſet prima phyloſophia, & nulla prior, vel Metaphyſica, declarauimus in ſuperioribus; quia communia debent tractari vbi agitur de prima natura, quam inſequuntur, non autem vbi agitur de natura poſteriore; cui competunt quidem communia, ſed non primò, & ex æquo; cùm competant priori, ſecus non eſſent communia. Item quia cauſæ primæ & principia extenduntur ad omnia, ideo neceſſe eſt vt de omnibus agatur in ea ſcientia, in qua de talibus agitur cauſis. Vnde ſi omnia quæ ſunt, naturalia eſſent, quia principia illa eſſent illius naturæ corporis & mobilis, in phyſicis etiam de illis ageretur. Sic igitur etiam nunc, cùm ſint quædam ſeparata principia quæ ſunt ſimpliciter prima, à quibus omnia pendent; meritò in eadem ſcientia de illis agitur & de communibus, & ita de ente quà ens, & ſpeciebus eius, & ſpeciebus ſpecierum; & de paſsionibus entis. & ſpecierum illarum, vt ſunt ſpecies tales, ideſt, entis; vt quòd cõtraria non poſſunt ſimul eſſe, ꝙ vnũ vni contrariatur, & huiuſmodi. Sunt enim paſsiones contrariorum; quod tamen gratia exempli dixiſſe volui.

Sed Alexander quando exponit Metaphyſicam diſputare de omnibus ſubſtantijs, deq. illarum accidentibus, non eſt ille ſenſus, vt nouem genera demonſtrentur de ipſa ſubſtantia; ſed quod Metaphyſica demonſtret accidentia per ſe, id eſt, affectiones cuiuſq. generis; & hoc verum eſt. Quomodo autem illius ſcientiæ ſit vnum ſubiectum, cùm ens multipliciter dicatur, futurum eſt vt explicetur.

Ens quomodo ſit vnum Cap. 51.

ARISTOTELES in .4. Meta., decreto in eius cap. primo, quòd illa ſcientia agit de ente quà ens, & de ijs quæ ei per ſe inſunt; in cap. & contex. 2. in hunc modum effatur: Ens autem multipliciter quidē dicitur; verùm ad vnum, vnamq. quandam naturam, & non æquiuocè; ſed quemadmodum omne ſalubre ad ſanitatem. Quoddam eo ꝙ conſeruát, quoddam eo quòd facit, quoddam eo quòd ſignum ſanitatis, quoddam verò capax eius eſt. Ita Ariſtoteles. Ex quo nullo penitus negotio elicitur, ens vnum eſſe, non vniuocè quidem, atqui analogicè, analogia attributionis. Triplex eſt enim analogia, ſi in ſua maxima communitate ſumatur; nempe inæqualitatis, proportionis, necnon attributionis. Analoga, analogia inæqualitatis, illa dicũtur, quorum nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ ſecundùm illud nomen, analogatis omnibus eſt pænitus eadem; inæqualiter tamen participata; vt animal. Sed huiuſmodi, res cognomines appellantur. Analoga, analogia proportionis, ſunt illa, quorum nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ quæ eſt ſecundùm illud nomen, analogatis omnibus ſecundùm proportionem eſt eadem. Vt eſt ratio oſsis, & ſpinæ, & ſquammæ, cutis, corticis; radicis & oris; aliorumq. huiuſmodi. Sed iſtorum quædam ſunt, inter quæ eſt vera proportio; quemadmodum ſunt illa, quæ modò enarrauimus. Quædam verò inter quæ non eſt proportio niſi metaphorica & impropria. Et hac vtuntur poetæ, cùm dicunt prata ridere, ventos percurrere, arbores proloqui, & alia huiuſmodi, quæ ipſi effingunt. Analoga per attributionem ſunt illa, quorum nomen commune eſt, & ratio ſubſtantię penès illud nomen, ſecundùm attributionem, analogatis omnibus eſt eadem. Sicut ratio ſani dicta de animali, & de pharmaco, attributione in vtroque eſt eadem. Et hæc ſunt in duplici differentia; quædam enim ſunt quę dicuntur per attributionem ab vno; ut pes ſcamni vel montis à pede animalis dicitur. Quędam verò dicuntur per attributionem ad vnum. Vt ſanitas dicitur de pharmaco, vel de vrina quatenus ad ſanitatem quę eſt in animali, & pharmacum & vrina referuntur, & attribuuntur. Et huiuſmodi analoga ſecundùm attributionem ita ſe habent, quòd non formaliter, ſed quadam extrinſeca denominatione, talia dicuntur. Vt vrina, pharmacum, & id genus alia dicuntur ſana, nõ quia ſanitatem formaliter in ſe contineant, ſed per attributionem ad primum, ſcilicet ad animal ſanum. Vtpotè ſignificatiuè, cauſaliter, &c. Quod tamen formaliter, non materialiter intelligendum venit. Quatenus ſcilicet talia dicuntur à primo; quia tunc nõ habent illudmet eſſe formaliter, quod

habet

habet primum; habent tamen ſimile, vt patet de ente, bono, huiuſque generis cęteris, reſpectu ipſius Dei. Et quando huiuſmodi enumerantur analoga, primum ad quod omnia referuntur, & ratione cuius omnia alia talia dicuntur, non debet connumerari. Vnde ſi volo enumerare analoga ſecundùm attributionem, utpotè ſana; non opus eſt ut incipiam ab animali ſano, ſed à quolibet aliorum, primum excludendo. Et hoc ideo, quoniam primum ad quod alia attribuuntur, per ſe & ex ſe tale eſt & dicitur; vt animal ſanum, & ſubſtantia ens; non autem propter habitudinem ad aliud, neque ratione analogiæ, & attributionis; ſed hoc proprium eſt aliorum. Quæ quidem, quoniam attribuuntur, uel ad illud primum analogiā habent, propterea ſic appellantur. Quocirca Caietanum Cardinalem erraſſe dicimus; qui in tractatu de nominum analogia, cap. 2. enumerando analoga ſecundùm attributionem, ſemper connumerat primum.

His itaque in hunc modum conſtitutis, non eſt difficile videre, quomodo ens analogum ſit, analogia attributionis. Quoniam dicit Ariſtoteles, q̃ ens inter res quæ cognomines dicuntur, non uenit connumerandum; ſeu, vt aiunt, non eſt vniuocum, quia multipliciter dicitur; nequidem eſt æquiuocum; ſed de numero eorum quæ dicuntur ad vnum; veluti conſtat exemplo de ſano. Hæc autem ſunt analoga, analogia attributionis; vt declarauimus.

Hinc patet error Paueſij; qui voluit tantùm ſubſtantiam compoſitam eſſe ens. Tunc enim periret tota hæc Ariſtotelis doctrina, qua vult accidentia omnia eſſe entia; licèt per attributionem ad ſubſtantiam, tanquam ad primum. Si enim hæc non ſunt entia, quomodo erit ens analogum? Eſſet potius vniuocum. *Contra Paueſium*

Diceret fortaſsis, quòd Ariſtoteles accipit ens modo vulgarium. Sed tunc magis decipitur; quoniam ſtatuendo ſubiectum tam ſublimis ſcientię, illud diceret ens eſſe vulgariter ſumptum? Non credatis. Accipit ergo Ariſto. ens ſecundùm Sapientes; qui volunt illud eſſe ens quod eſt extra nihil, veruntamen reducunt illud in vnum primum, quòd eſt ſubſtantia, tanq̃ in id quod uerè, propriè, & per ſe eſt. Atqui de his inferius.

Interim dicimus, analogum non eſſe medium inter vniuocum & æquiuocum; veluti nonnulli ſunt perperam arbitrati; ſed reducitur ad vniuocum. Quoniam ſecus inter duo contradictoria daretur medium. Proptereaquòd idem & diuerſum ſunt contradictoria; vt conſtat. Vniuoca autem & æquiuoca definiuntur per idem & diuerſum. Qùi igitur fieri poteſt, ut non per contradictoria definiantur? Non igitur poſſunt habere medium. In hanc eandem ſententiam deſcendit Iulius Sirenius, in diſputatione ſua de ſubiecto Meta., ſectio. 2. cap. 16.

Paueſius tamen in conſimili diſputatione, cap. 11., oppoſitum docet, ea ratione; quoniam analoga analogia attributionis ita ſe habent, quòd prædicatum ſaluatur tantùm formaliter in primo, in alijs autem extrinſeca quadam denominatione. Id quod tamen in uniuocis nullatenus reperitur. Cæterùm nulla eſt ratio re uera; quoniam ſupra iam notauimus ex Cardinali Caietano, de analogia nominum, cap. 2.,

quòd conditio illa analogatorum ſecundùm attributionem, non materialiter, ſed formaliter venit intelligenda. Si enim intelligatur materialiter, tunc illa analoga conueniunt in ratione ſubſtantiæ cùm primo. Vtpotè pharmacum & vrina in animali. Id quod etiam conuenit vniuocis; vt ſatis conſtat. Ea propter diximus, huiuſmodi ad vniuoca reduci. Sed iam ad cætera feſtinemus.

De quonam ente agat Metaphyſica. Cap. 52.

DOCTRINA eſt ab omnibus recepta candidè philoſophantibus, & à nobis in ſuperioribus tradita; quòd Meta. eſt omnium aliarum ſcientiarum rectrix, & gubernatrix; quoniam cùm plura ordinantur ad vnũ, aliquod eorum oportet eſſe regulans, alia verò regulata & recta; prout author eſt Ariſto. in primo lib. Politicorum. Quod quidem, lect. 3. oſtendit D. Tho., ex vnione animæ ad corpus. Anima enim ſuapte natura imperat, & corpus obedit. Ita etiam cùm ſcientiæ omnes & artes ordinentur in vnum, ad hominis nempe perfectionem, quæ eſt eius beatitudo, neceſſe eſt, alteram illarum eſſe omnium aliarum rectricem & gubernatricem, quæ nomen Sapientiæ ſibi vendicare habeat; quoniam Sapientis eſt alios dirigere & ordinare. Huiuſmodi autem eſt Metaphyſica, quia eſt maximè intellectualis, & in iis verſatur, quę maximè ſub intelligentiam cadunt; nimirum in altiſsimis cauſis, & rerum omnium principiis: Ariſtoteles enim ibi memorato loco ait, quòd ſicut homines intellectu vigentes, naturaliter aliorum rectores & domini ſunt, homines verò qui ſunt robuſti corpore, intellectu verò deficientes, ſunt naturaliter ſerui; ita ſcientia debet eſſe naturaliter aliarum regulatrix, quę maximè eſt intellectualis; quemadmodum eſt Metaphyſica, quę in iis verſatur, quæ ſub intelligentiam maximè cadunt, cùm primas cauſas, primaq. principia conſideret, ex quibus intellectus certitudinem capit: Et cùm eiuſdem ſcientiæ ſit conſiderare cauſas proprias alicuius generis, & genus ipſum; veluti Naturalis conſiderat principia entis mobilis, & ens mobile; oportet etiam quòd ad eandem ſcientiam pertineat conſiderare prima principia, & genus ipſum. Conſtat autem quòd prima principia & eſſendi cauſæ vniuerſales, ſunt ſubſtantiæ ipſæ ſeparatæ. Ad eandem igitur ſcientiã pertinet de illis, & de genere pertractare. Et huiuſmodi genus, ſeu quaſi genus, cùm ens commune ſit, de eo meritò iureq. optimo Metaphyſica debet habere ſermonem.

At verò huiuſmodi ens commune ſolent diuidere doctores, in ens extra intellectum, & ens in intellectu; ſeu in ens reale, vt aiunt, & ens rationis. Ens reale generatim acceptum, quatenus diſtinguitur contra ens rationis proprijſsimè ſumptum, eſt omne illud quod habet eſſe extra intellectum, vel producitur ab aliqua cauſa effectiua in effectu exiſtente, & eſt in aliquo ſubiecto. Doctrina eſt ſubtiliſsimi Heruei, in. 3. quolib. q. 1. vbi duo dicit, primò quòd ens reale habet eſſe extra intellectum; veluti ſunt, prima cauſa, intelligentia, coelum, elementa, miſta, accidentia naturalia, & cætera huiuſmodi; quę ab omnibus dicuntur entia realia, quia habent eſſe præter opus

intellectus. Secundò dicit, vel producitur à cauſa effectiua, & eſt in aliquo ſubiecto; propter ſpecies intelligibiles, actus intelligendi, conceptus formatos ab intellectu, habitus ſcientificos, & volitiones. Quæ quidem omnia licèt non ſint extra intellectum, ſunt nihilominus entia realia. Tum quia ponuntur in prædicamento qualitatis, tum quia conſiderantur in ſcientia reali, nimirum in libris de anima; tum etiam quia ſi accidentia corporea ſunt entia realia, vt caliditas, frigiditas, & alia, etiam accidentia animæ, cùm nobilius trahant eſſe ex nobiliori ſubiecto.

Nunc obſtat id, quod in 6. Meta. contex. 8. docet Ariſto., nempe q̀ ens rationis diſtinguitur ab ente reali, ex eo quia habet eſſe in anima. Quoniam dictum Ariſto. de iis venit intelligendum, quæ habent eſſe in intellectu obiectiuè, non autem ſubiectiuè. Vnde dicimus, q̀ ens rationis propriiſſimè ſumptum, & quatenus diſtinguitur ſimpliciter contra ens reale, illud eſt, quod in nullo reperitur ſubiecto; ſed rem tantùm prout eſt in intellectu obiectiuè, conſequitur. Rem enim, ſeu aliquid eſſe in intellectu, contingit tripliciter; videlicet ſubiectiuè, vt actus intelligendi, ſpecies intelligibilis, ſecundùm eam ponentes impreſſam, habitus ſcientifici, & huiuſmodi alia. Obiectiuè, veluti res quę ſub intelligentiam cadit, quãdo actu intelligitur; ſeſe offert intellectui tanquam obiectum ratione & intelligentia comprehenſibile, non tamen eſt in eo ſubiectiuè, ſed obiectiuè; quemadmodum color obiicitur viſui, & tamen non eſt ſubiectiuè in oculo, ſed obiectiuè tantùm; ſubiectiuè autem in corpore colorato; ita res ipſa intellecta eſt ſubiectiuè extra animam. Tertio modo dicitur aliquid eſſe in intellectu, ſicut quidam modus conſequens rei naturam, vt obiicitur intellectui. Vt ſi natura hominis intelligitur, obiicitur intellectui, vt natura quædam vniuerſalis & indiſtincta; communitas igitur & huiuſmodi indiſtinctio, naturam conſequitur, ratione & intelligentia comprehenſibilem, quatenus obiicitur intellectui; vnde & ipſa dicitur eſſe in intellectu obiectiuè; ex conſequenti, ens appellatur rationis propriè ſumptum. Et ita eſſe in intellectu obiectiuè accipitur dupliciter, & pro re ipſa obiecta intellectui, & pro modo, naturam rei inſequente; qui apud logicos dicitur ſecunda intentio obiectiuè; ſed de his in ſuperioribus diximus ſatis. Propterea entia rationis miſſa facio, & ad entia realia me conuerto. Metaphyſica igitur non eſt de ente rationis, quia tunc eſſet diſciplina logicalis. Nec eſt de ente reali in anima, quatenus ſcilicet ſe extendit ad ſpeciem intelligibilem, ſi datur impreſſa, ad actum intelligendi, & quæ diximus alia. At eſt de ente reali, quatenus eſt extra intellectum exiſtens. Quando igitur Ariſtoteles dicit, Metaphyſicam agere de ente quatenus ens eſt, ſermo eſt de ente reali, extra intellectum exiſtente, ſub illa reduplicatione accepto; de qua in ſequenti.

De nota reduplicationis. *Cap. 53.*

QVONIAM in ſuperioribus diximus ſatis de nomine entis, ne idem bis inutiliter repetamus, illud ſufficere ſum arbitratus, ſi ad memoriam reuocauerimus, q̀ Ens vniuerſale eſt ad omnia, ut nihil ſit vni-

uerſalius ipſo; non ſic autem q ex æquo omnia comprehendat;ſed nomen ipſum,primam quandam naturam primò ſignificat, à qua omnia pendent; & propterea omnia participant nomine eius, vt & naturâ illa. Vnde ſicut vniuerſalius eſt nomen, ita & natura penès quam ſumptum eſt, omnium eſt prima. Et ita ſcientia quæ eſt de ente quatenus ens eſt, dicitur omnium prima & vniuerſalis. Omnis nanq. ſcientia agit de ente,quia de aliqua re; at non quatenus ens eſt,ſed quatenus habet aliquam particularem,& ſuperadditam rationem; vt patet q in eadem re, diuerſis rationibus verſari poſſunt plures artifices;vt Medicus in corpore humano,quatenus ſanabile eſt, vel ægrotabile; Naturalis aliter,adhuc aliter Moralis loquitur de homine. Metaphyſica autem; inquit Ariſtoteles; agit de ente quatenus ens eſt; & illud verbum (quatenus) ſeu (inquantùm) eſt nota reduplicationis. Sed nedum dicit notam reduplicationis, verùm etiam ſpecificationis; quarum vtraq. habet vniuerſalitatem annexam, ſed diuerſimodè. Cùm enim reduplicatur, conſideratio excluditur alterius rationis, & determinata ratio traditur conſiderationis; & ſemper etiam cùm ſpecificatio videtur, ſub illa ratione ſpecificatiua, id eſt, explicitè & diſtinctè tradita, ſtat vniuerſalitas; vt omnia comprehendât, quæ ſunt ſub illa ratione. Si enim dixero q homo quatenus grauis tendit deorſum; ſpecificatur quidem, quia homo non quanis ratione, ſed quatenus grauis tendit deorſum; neceſſe eſt tamen, ſi vera tradita eſt ratio, ſecundùm quam dicitur deſcendere, omnibus deſcenſum competere,quibus ea competit ratio. Sicut etiam ſi dicamus, q homo quatenus animal habet ſenſum. Non enim quatenus corpus, vel quatenus miſtum, cùm & corpora ſint & miſta ſine ſenſu. Et cuicunque competit q ſit animal,competit etiam habere ſenſum. Vnde & omni homini,ſi omnis homo ſit animal; q ſi daretur homo qui non eſſet animal, ille quoque non haberet ſenſum. Semper igitur ſpecificatio habet vniuerſalitatem annexam ad ipſum reduplicatum,in quibuſcunque fuerit, non autem ad ipſum ſubiectum,quatenus tale. Ideo cùm ipſum reduplicatur ſubiectum, neceſſarium eſt vt ibi ſit vniuerſalitas penès ſubiectum; vt homo quà homo habet rationem; quia cur ratio inſit homini, non aliud quid, ſed ipſe homo eſt ratio huius, & cauſa; quoniam hæc eſt ſua natura, & ſua ratio. Dicitur autem hæc reduplicatio,non ſpecificatio, quia licèt rationem quandam ſpecificet atque determinet, non tamen aliam, quàm ipſum ſubiectum; vt ſic non accedas ad rationes alias, quæ non ſunt hominis eſſentiæ, ſeu rationes, & per ſe, ſed accidentariæ.

De reduplicatione, & eo quod eſt ſecundùm q ipſum,& per ſe, habet Ariſto. quinto Meta. ad contex. 23. vbi ſemper habetur aliqua ratio cauſæ. Inquit enim: Omnino verò ipſum ſecundùm quod,tot modis,quot cauſa exiſtit. Ex quibus verbis,latini elicuerunt interpretes, q in omni reduplicatione, inhærentiæ prædicati in ſubiecto redditur cauſa & ratio. Verùm hoc interponitur diſcrimen, q per modũ qui à latinis dicitur reduplicatiuus,denotatur cauſa formalis & eſſentialis, inhærentiæ prædicati ad ſubiectum. Veluti de homine diximus, q inquantum homo eſt rationalis. Modus verò quem ſpecificatiuum appellant, nõ formalem, ſed qualemcumq. aliam

cauſam inhærentiæ prædicati ad ſubiectum deſignat. Vel materialem, vel efficientem, vel finalem. Exemplum primi eſt ſi dicamus: Aetiops eſt albus, quatenus habet dentes. Exemplum ſecundi: Malè ſenſit Andronicus de anima quatenus eſt vſus paralogiſmo. Exemplum tertij: Calias venit, quatenus exigat pecuniam. Hæc quidem docet Ariſto. in memorato loco. Ex quibus, latini ipſius interpretes elicuerunt, vt illæ reduplicatiuus diceretur modus, qui cauſam formalem inhærentiæ prædicati ad ſubiectum redit; ſpecificatiuus autẽ, qui materialem; accipiendo pro materiali, quam libet aliam cauſam à formali.

Id quod non animaduertit Scotus, quando in. 4. Meta. ad primũ contex., & expoſitione prima, dixit, modum reduplicatiuum, cauſam tantùm dicere inhærentiæ prædicati ad ſubiectum, ſpecificatiuum autem nequaquam. Et & in. 3. q. quodlibet. ar. 2. dicit, quòd quando ſignum reduplicans tenetur ſpecificatiue, ſenſus eſt; Prædicatum non repugnare ſubiecto, propter illud cui apponitur reduplicatio. Exemplum inducit tale, vt ſi dicamus: Homo quà riſibilis intelligit; ſenſus eſt, non repugnat homini intelligere, quia ſit riſibilis. Cuius quidem expoſitionem inſequentes nonnulli, iſtam propoſitionem: Ens quatenus ens ſubiectum eſt in Metaphyſica: dicunt teneri ſpecificatiuè, ita vt ſit ſenſus: Non repugnat enti vt ſubiectum ſit in Metaphyſica, quia ſit ens. *Contra Scotum.*

Veruntamen peripateticæ doctrinæ aduerſatur iſte ſenſus; propterea Ariſtoteles in quinto Meta. ad. 23. contex. declarans huiuſmodi modos reduplicationis, explicat eos à forma & à materia; quemadmodum dictum eſt ſupra. Et ipſemet Scotus in. 4. Meta. loco prænducto, vult præmiſſam illam propoſitionem modi eſſe reduplicatiui, minimè autem ſpecificatiui. Quod ſi ad aures Ariſtotelis exponere velimus, ſtatim aderit in foribus deceptio Anto. andreæ, eiuſdem Scoti diſcipuli, & aſſeclæ. Qui In prima. q. Meta., illam propoſitionem in hunc modum exponit: Ens eſt ſubiectum in Meta. quà ens. Hoc eſt, Ens in ſua vniuerſitate ſumptum, ſubiectum eſt in Metaphyſica. Et in reſponſione ad ſecundum principale dicit, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ conſiderantur à Metaphyſico, non quatenus ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, ſed ſub præciſa entis ratione; quia Metaphyſicus quicquid conſiderat, ſub tali ratione conſiderat.

Verumenimuero iſte admodum decipitur vir; vt rectè oſtendit Iulius Sirenius, in diſputatione de ſubiecto primæ philoſophiæ, ſectio. 2., cap. 30. Tunc enim ſequeretur, Metaphyſicam facultatem eſſe cognitu facillimam, viliſsimam, & abiectiſsimam; quoniã eſſet de comuniſsimo ente, quod prima impreſsione ex Auicenna imprimitur in anima; & eſſet de communiſsimo prædicato. *Contra Anto. andream.*

Secundò, ſequeretur tunc quòd vel Meta. non deſeruiret immediatè felicitati contemplatiuæ; quod aduerſatur Ariſto. 10. Ethi. cap. 10.; vel ſi eidem deſeruire dixerimus, negare ſaltem non poterimus, quin in conſideratione, atq. contemplatione Entis communiſsimi, quatenus ſcilicet communiſsimum eſt, felicitas contemplatiua, ſecundùm huiuſmodi opinionem conſiſteret. Quod quidem aſſerere, nimis abſonum eſſet. 2.

Tertiò

3. Tertiò, ſequeretur, Metaphyſicam non maiorem, exactioremq́; conſiderationem & curam ſibi de Deo, & de ſeparatis ſubſtantijs ſumere, quàm de lapide, verme, elemento, vel alia quauis huiuſcemodi re viliſsima, atq; abiectiſsima. Illa enim & alia viliſsima conſiderat Metaphyſicus, quatenus entia ſunt; vt eſt ſententia Auerrois, Metaphyſicę libro primo, comm. 15. & lib. .4. comm. primo. Si igitur etiam Deus ipſe benedictus, & intelligentiæ, à Metaphyſico non quatenus talis eſt natura, & talis ſubſtantia, ſed in communi tantùm; & quatenus ens eſt conſideratur; quam maiorem de Deo conſiderationem, quàm de qua alia libet re viliſsima, & contemptiſsima, ſibi ſumeret Metaphyſicus? Fruſtra ab Ariſtotele, fruſtra ab Alexandro, fruſtra ab omnibus deniq; expoſitoribus, theologia nuncupatur. Tunc enim æqua lance, & eadem ratione, & Deum, & vermem in ſua conſideratione ſcientia illa contemplaretur, atque perpenderet. Sic Iulius Sirenius aduerſus Anto: Andream.

Pauesius contra Sire. Cæterùm huiuſmodi ratiocinia, Ioani Iacobo Paueſio minimè arrident; & proinde in ſua diſputatione de ſubiecto Diuinæ Philoſophiæ, cap. 19. ea diluere conatur. Inquit enim, quod prima Philoſophia, cognitu difficillima eſt, quoniam primas cauſas contemplatur; & hoc ideo, quia principia ſubſtantiæ ſunt, vt ſubſtantia eſt; à quibus etiam ſuam trahit nobilitatem, cùm earum conſiderandi modus ſit perfectè nobilis.

Contra Pauesium. At re vera bifariam deficit vir iſte. Primò quia Meta. agit de ſeparatis ſubſtantijs, & vt entia, & vt cauſæ ſunt; quemadmodùm in ſuperioribus diximus, & infra dicemus, diuino fauente numine. Deficit ſecundò, quoniam quæ hactenus dixit, ad ſenſum Anto: Andreæ minimè tendunt. Vnde dato etiam quod in ſe eſſent & ſimpliciter vera; ob id non eſt fatendum, quod Anto: Andream defendat. Non enim dixit ipſe, Metaphyſicum conſiderare abſtracta, vt principia ſunt aliarū rerum, & cauſæ, neque ſub illa nobilitatis natura, qua re uera conſiderat; ſed dixit, illum iſta conſiderare, vt ſimpliciter entia ſunt. Quare nec Sirenium impedit, nec Anto: Andream defendit ipſe Paueſius.

Ad 2. Qui ad ſecundum dicit poſtea, quod felicitas in habitu metaphyſico minimè conſiſtit, ſed in ſubſtantiarum ſeparatarum intuitiua cognitione. Scientiæ tamen & diſciplinæ quæ in rerum cognitione verſantur, diſpoſitiones ſunt ad felicitatem acquirendam; prout Auerroes .3. de anima eſt author.

Contra. Atuerò nihil habet vir iſte contra Sirenium. Qui dicebat, quod ſi Meta. ſubſtantias abſtractas cōſideraret quatenus entia ſunt ſimpliciter; tunc vel Meta. non deſeruiret immediatè felicitati contemplatiuæ, vel ſi deſeruiret, tūc vltima noſtra felicitas conſiſteret in Entis communiſsimi, quatenus communiſsimum eſt, contemplatione. Quod eſt ridiculum.

Et iſte ſoluendo dicit, quod felicitas non conſiſtit in habitu metaphyſico, ſed in intuitiua ſubſtantiarum ſeparatarum cognitione; ſcientiæ tamen sūt diſpoſitiones, &c. Si igitur ſunt diſpoſitiones, & Meta. conſiderat ſubſtantias abſtractas modo quem docuit Anto: Andreæ, quis non videt, Paueſium in hac ſua diſſolutione, magis dare intentum Sirenio, quàm oppoſitum inducere? Etenim ſi non conſiderantur mentes illæ ſeparatæ à Meta., niſi quatenus

tenus in ente, in eoq. prædicato communiſsimo conueniunt; qui fieri poteſt, vt ſcientia Meta. diſponat intellectum humanum, ad cognitionem illam intuitiuam?

Ad vltimum dicit, primam philoſophiam non contemplari ſubſtantias ſeparatas vt entia ſunt, ſed vt aliquid entis; quoniam vt principia entis; ſub illa ratione qua eſt ens. Et conſiderantur quatenus primæ cauſæ ſunt. *Ad 8.*

Veruntamen (quicquid ſit de veritate) nihil ad ea, quæ contra Anto: Andream adducebat ipſe Sirenius. Antonius enim Andreæ dicebat, quod contemplatur Meta. abſtracta, vt entia ſunt tantùm; & non aliter, nec alio modo. Sirenius autem inſurgebat, oſtendendo quòd hoc non poteſt eſſe; quoniam maiorem, exactioremq. de Deo curam, quàm de verme ſibi non aſſumeret Metaphyſicus; cùm & illum, aliaq. ſimilia, atteſtante Auerr.; ſub eadem præcisè ratione conſideret. Paueſius autem dicit, quòd Meta. conſiderat abſtracta, vt entis principia ſunt, & cauſæ. At quorſum hæc? Nonne pater Sirenius ferè hoc idem docet? Inuehitur enim aduerſus hoc, quòd Meta. conſideret mentes illas abiunctas à materia, ſub communiſsima entis ratione. Paueſius autem cùm dicit, quòd conſiderantur vt entis principia ſunt & cauſæ; inficiatur omnino quòd eo modo conſiderentur, quem docuit Anto: Andreæ. Quare cùm vult ipſe Paueſius Anto: Andream defendere; eius reprobat ſententiam, & in diatribam venit Sirenij, quem tamen reijcere contendit. Et propterea dicit ipſe Sirenius; & benè; quòd dictio illa (quatenus) eſt reduplicatiua, & modi reduplicatiui. Et cùm modus reduplicatiuus; ad aures Ariſto.; ſit ille qui cauſam formalem, & eſſentialem inhærentiæ prædicati ad ſubiectum dicat, ſenſus illius propoſitionis erit iſte; Ens quatenus ens, eſt ſubiectum in Meta.; id eſt, vnaquæq. res conſideratur quidditatiuè à diuino philoſopho; quoniam ſola prima philoſophia, rerum omnium naturas conſiderat. Vnde ſi dicamus; Metaphyſicus ens qua ens contemplatur, idem eſt dictu; Metaphyſicus contemplatur omnem ſubſtantiam, & omne reale accidens; principalius tamen omnem ſubſtantiam, ſub ſua tantùm quidditatiua ratione. Quod quidem clariùs exprimitur, dicẽdo; Metaphyſicus conſiderat quidditates, & tantùm quidditates rerum omniũ, tam ſubſtantiarum, quàm accidentium; ſed præſertim ſubſtantiarum. *Contra.*

Veruntamen contra huiuſmodi ſenſum & expoſitionem arguit Paueſius in memorato loco, cap. 18. vbi dicit, quòd ſi prima philoſophia, rerum omnium naturas in particulari conſideraret, igitur & ſingularum rerum per ſe accidentia. Quoniam eiuſdem ſcientiæ eſt principia ſubiecti, & quæ per ſe ſubiecto inſunt ſpeculari; ex primo Poſteriorum. Aliaſq. rationes inducit, quæ ibidem tendunt, eiuſdemq. ſunt farinæ. At huius declarato & aperto defectu, omnes aliæ facillimè corruent. *Pau: contra.*

Ex hoc igitur quod Paueſius audiuit, Metaphyſicum conſiderare ens vt ens; id eſt, omnia entia, & vnamquamq. rem ſub ſua quidditatiua ratione; quod idem eſt ac ſi diceremus, quòd Metaphyſicus omnium rerum quidditates conſiderat; credidit ipſe, ſenſum eſſe, Metaphyſicum quidditates omnes in particulari & ſpeciatim conſiderare; & hoc rationibus præinductis improbare intendit. Verumenimuerò toto cœlo (vt aiunt) totaq. terra viri iſte *Contra Paueſium.*

aberrare

aberrare videtur. Ex hoc enim quòd dicimus, Metaphyſicum omnium rerum quidditates contemplari; non eſt inferendum, quòd eas præcipuè conſideret, atq. in particulari, at potius in vniuerſali. Eadem enim quidditas poteſt conſiderari & in vniuerſali, & in particulari. Prima via conſideratur, cùm eius communia & vniuerſalia prædicata, ſiue attributa contemplamur; vt porè ſi lapidem conſideremus vt eſt ſubſtantia, corpus, vnus, compoſitus ex materia & forma, & quatenus id genus alia ſibi conueniunt, quæ ſunt alijs communia. Secunda verò via tunc conſideratur, quando vt ſic miſtum eum animaduertimus, vt grauem, vt aptum deſcendere ad centrum, quatenus talem, vel talem habet virtutem, & qualitatem, ac demum prout ei talia conueniunt propria prædicata, quæ nos ducunt in eius diſtinctã cognitionem. Stat igitur ꝙ Metaphyſicus conſideret omnium rerum quidditates, non tamen in particulari, ideſt, quantùm attinet ad prædicata propria & ſpecifica; atqui generaliter & in vniuerſali; ideſt, quantùm attinet ad prædicata vniuerſalia. Senſus igitur illius propoſitionis eſt iſte: Ens quatenus ens, eſt ſubiectum in Metaphyſica; ideſt, Metaphyſicus conſiderat omnium entiũ, re ipſa extra animam exiſtentium, quidditates; & hoc in vniuerſali. Nunquid autem ſit vera huiuſmodi propoſitio, futurum eſt vt videamus, doctorum varias ac diuerſas recenſendo opiniones.

De ſubiecto Metaphyſicæ opinio prima.
Cap. 54.

QVONIAM Ariſtoteles in procœmio Meta. dicebat, illam ex eo primam eſſe Philoſophiam & Sapientiam, quia rerum omnium primas, altiſsimasúe cauſas contemplatur; inde factum eſt, vt Auempace colligeret, primam cauſam ſub ratione primitatis, ſubiectum eſſe in ea facultate. Id quod etiam ad hunc modum ratione confirmat. Quoniam ſi Meta. illas quas diximus cauſas non contemplaretur, cæteræ omnes fuerent ſcientiæ; quoniam ſuarum demonſtrationũm principia non ſtarent. Quandoquidem non ſtant dicta principia, niſi per principia Meta. ſtabiliantur, atque firmentur. Non igitur principia illa, ſcientiam aliquam agenerarent, niſi eſſent à Meta. demonſtrata. Huic opinioni obuiam it Auicenna in initio ſuæ Meta., cap. primo, par. 2., inquiens, ꝙ primæ cauſæ ſub illa ratione primitatis non poſſunt eſſe ſubiectum in Meta.; quoniam paſsiones & quæ per ſe in ea conſiderantur accidentia, illas cauſas non conſequuntur. Propterea quòd eæ paſsiones, vniuerſale, particulare, potentia, actus, poſsibile, neceſſarium, differens, idem, diuerſum, & huiuſcemodi aliæ quas Metaphyſicus contemplatur, illas cauſas non inſequuntur. Primus enim finis non eſt quidpiam quod ſit potentia, vel poſsibile, vel differens, vel contingens, vel quid aliud huiuſcemodi.

Arguit ſecundo loco Albertus cognomento magnus, tali pacto: Ad ſubiectum, vt ad commune prædicatum, omnia reducuntur. At non omnia reducuntur in primas cauſas, vt in primum prædicatum. Non enim valet; Hoc eſt ſubſtantia: Ergo eſt prima cauſa.

Addamus

Addamus nos authoritatem Ariſtotelis, quæ ſatis vrgere videtur. Ait enim 4. Meta. cap. primo, quòd illa facultas & diſciplina agit de ente quatenus ens eſt. Agit ergo de omni ente, iuxta ea quæ habuimus in cap. præcedenti. Quare non agit de prima cauſa ſub ratione primitatis. Nec illius opinionis rationes cogunt: propterea quòd authoritas illa Ariſtotelis nil aliud innuere intendit, niſi quod Meta. primas conſiderat cauſas & altiſsimas, quare meritò ſibi nomen vendicat Sapientiæ. Quod & nos ſupra docuimus. At ob id non eſt inferendum: Primæ igitur cauſæ ſunt in ea ſubiectum. Quoniam præter hoc quòd eſt ſapientia, eſt etiam Metaphyſica, prima, & vniuerſalis.

Et ratio nil aliud probat, niſi quòd Metaphyſica omnibus alijs ſcientijs eſt neceſſaria; quod quidem cum Auer. lib. 4. Meta. comm. primo, recipimus. Vbi ait: Metaphyſica eſt neceſſaria; & qui aliter opinatur, nihil ſcit in rei veritate. Nolumus tamen illam eſſe alijs ſcientijs neceſſariam, quemadmodum ſubalternans eſt neceſſaria ſubalternatæ: quia ſcilicet eius probat principia propria & immediata, ſiue proxima. Metaphyſica verò de principijs loquitur communiſsimis, quibus reliqua fulciunrur & firmanrur; vt rectè & candidè philoſophantes optimè norunt. Iſta igitur opinio deficit: quoniam nō accipit Metaphyſicam penès oīa ſibi cōueniētia, nequidē, ex conſequenti, ei adæquatum & totale ſubiectum ſtatuit, & aſsignat.

De ſubiecto Metaphyſicæ opinio ſecunda.
Cap. 55.

EST igitur ſecunda opinio Alpharabij in ſuo codicillo de ſciētiarum diuiſione, qui (referēre Sueſſano in ſuo dilucidario; diſputatione prima, cap. 3.) opinatus eſt Deum ipſum benedictum, ſubiectum eſſe in Meta. diſciplina, ductus authoritate Ariſto. in 6. Meta.; vbi dicit: quòd Meta. eſt de ſeparabilibus & immobilibus. Deus autem cùm ſit maximè ſeparatus & immobilis; conſequens eſt, vt ſit ſubiectum in illa facultate. .1.

Vrget deinde ratione tali: Idem eſt ſubiectum Metaphyſicæ abſtractiuę, & intuitiuæ. Deus autem ipſe benedictus, ſubiectum eſt in Meta. intuitiua: quare & in abſtractiua. .2.

Ad hæc: Illud eſt in aliqua ſcientia ſubiectum, qnod principaliter conſideratur in ea, & ad quod omnia attribuuntur. Deus ipſe benedictus cùm ita ſe habeat reſpectu Metaphyſicæ; quòd in ea ſit ſubiectum relinquitur clarum. .3.

Amplius: Metaphyſica eſt nobiliſsima ſcientiarum; illi ergo nobiliſsimum competit ſubiectum: qui eſt Deus glorioſus. .4.

Cæterùm aduerſus huiuſmodi opinionem inſurgit Auicenna, in initio ſuę Meta., cap. primo, par. prima, ratione tali: Nulla ſcientia probat ſuū ſubiectū eſſe; Meta. autem probat Deū eſſe. Quare Deus nō ē in ea ſubiectū. Rationes etiam cōtra primā opinionē inductæ, cōtra hanc militare vidētur: quoniam paſsiones, & per ſe in Meta. conſiderata accidentia, diuinam non inſequuntur naturam, nequidem cum ea conuertuntur: vt optimè conſtat. *Cōtra Alpharabiū.*

Quocirca Aegidius in primo lib. Meta.q.5.,in hunc modum arguebat: Partes ſubiecti Metaphyſicæ ſunt decem prædicamenta; quæ tamen non ſunt partes Dei.

Item;inquit Aegidius;Illa quæ demonſtrantur de ſubiecto Meta.ſunt actus,potentia,idem,diuerſum,cauſa,cauſatum,& id genus alia;quæ ipſi Deo minimè conueniunt. Quare non eſt in ea facultate ſubiectum.

Ad primum Alphara. Sueſſanus.

Nec rationes opinionis cogunt; propterea Sueſſanus in præfatione ſui Dilucidarij dicit, illa verba Ariſtotelis debere referri ad ſubiectum non perfectionis, ſed totale Metaphyſicæ. At poſtea diſtinguit de duplici abſtracto;per eſſentiam nempe, & per indifferentiam. Et tunc dicit,quòd Ariſto. retulit illud verbum (ſeparabilia) ad genus ſeparatum per indifferentiam; verbum verò (immobilia) ad genus ſeparatum per eſſentiam. Et abſtracta per indifferentiam appellat illa,quæ non excludunt materiam, nec includunt;veluti ſunt actus,potentia,idem,diuerſum,vnum,bonū, ens, & cætera huiuſmodi. Abſtracta verò per eſſentiam ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ. Hanc eandem diſtinctionem de duplici abſtractione inſequitur Zimara, in tabula;verbo(Metaphyſica)dictione prima. Et propterea ad argumentum dicerent,quòd ſolus Deus eſt abſtractus per eſſentiam,reliqua verò per indifferentiam.

Cōtra Sueſſanum & Zimaram.

Veruntamen huiuſmodi doctrina non placet; quoniam non eſt cur Ariſtoteles velit referre illa verba (ſeparabilia & immobilia) ad diuerſa obiecta in Metaphyſica, in alijs autem ſcientijs non; cùm tamen vtroque in eis vtatur verbo. Inquit enim: Sed eſt & Mathematica theorica; ſed ſi immobilium & ſeparabilium, adhuc non manifeſtum. Quia tamen mathematica inquantùm ſunt immobilia, & inquantum ſeparabilia ſpeculatur palam. Ex quibus liquidò conſtat, quòd cùm vtroque termino vtatur in alijs ſcientijs,ſignum eſt,quòd ad idem,non autem ad diuerſum refer tur obiectum.

Vana; inſuper; & futilis eſt diſtinctio illa de duplici abſtracto. Nam percunctor ego, quidnam intelligant iſti doctiſſimi viri per abſtractum per indifferentiam? Nunquid rem aliquam,an vocem tantùm,quaſdam res ſignificantem, quarum aliquæ includunt materiam, aliquæ verò excludunt? Vox autem ipſa neque includat,neque excludat materiam; & quòd ob id abſtractum per indifferentiam appelletur? Si dicant quòd eſt vox; tunc eorum diuiſionis alterum membrum cùm ſit res, quomodo diſtinguūt iſti vocem contra rem? Quænam diuiſio eſt iſta,vt vnum membrum vox ſit tenuis & nunq̄ permanens,aliud verò res manens & perſiſtens? Metaphyſica profectò indigniſſima.

Item; volunt realem artificem tractare de vocibus? Metaphyſicam quoque ſubiectum habere ſibi adæquatum, ex re naturà conſtante & perfectiſſima, ſicuti eſt Deus, & voce tenuiſſima compoſitum? Quid abſurdius? Si verò dicant huiuſmodi per indifferentiam abſtractum, non vocem,ſed rem eſſe; quænam erit iſta res ita ſeparata, vt neq. includat neq. excludat materiam, quæ neque rei pars ſit, neque ſubiectum? Nihil enim eſt in genere, quin ſit in eius aliqua ſpecie; nec in ſpecie, quin in eius aliquo ſit

indiui-

indiuiduo; quemadmodum docet Ariſto. in .3. auſcultatorio libro. Immo quicquid in vniuerſali eſt; niſi figmentum ſit; neceſſarium eſt vt in aliquo ſingulari aſsignetur. Ariſtoteles enim in .2. Topicorum libro, cap. 2., inquit; Neceſſarium eſt de quibus genus prædicatur, & ſpeciem aliquam prædicari. Quod etiam libro .4. confirmat, cap. 7., vbi dicit: Impoſsibile eſt participare genus, quod nullam ſpeciem participat. Opus igitur eſt, vt aliquod aſſignetur ſingulare, quod ita ſeparatum ſit, ꝙ neque materiam includat, neq; excludat. Hoc autem; vt conſtat; eſt impoſsibile. Non igitur datur huiuſmodi abſtractum per indifferentiam.

Si confugiant ad vnum, bonum, actum, potentiam, & id genus alia; hoc nihil iuuat, quoniam ſunt voces iſtæ, quæ prædicantur de abſtractis, & non abſtractis; ſermo autem eſt de rebus. Ad principale rurſus ſurget ratio talis: Omnis forma realis, vel educitur de potentia materiæ, vel non; hæc eſt immediata. Si primum, res cuius eſt forma, habet materiam. Si ſecundum, erit abſtracta ſimpliciter. Et ita vnaquæque res erit materialis, vel immaterialis; ex conſequenti vanum eſt quærere huiuſmodi abſtractum per indifferentiam.

Ad primam igitur rationem pro hac ſecunda opinione, ſeu ad illam authoritatem Ariſtotelis, ex .6. Metaphyſicæ deſumptam, dicimus, mentem non fuiſſe Ariſtotelis eo loci, ſubiectum aſsignare Metaphyſicæ; hoc enim fecerat in .4., oſtendens illam, ens quà ens conſiderare. In .6. autem, quia ens eſt analogum, innuere voluit, Metaphyſicam maximè verſari circa primum iſtius analogiæ; & ſi huiuſmodi primum eſt immobile, ſempiternum, ac ſeparatum, tantò magis ad Metaphyſicam attinet, quia eſt omni alia ſcientia prior. Propterea inquit: Quòd ſi quippiam ſit in ratione rerum immobile, ſempiternum, ac ſeparabile, patet ad contemplatricem quidem ſcientiam illius cognitionem ſpectare; non tamen ad Naturalem; quippe cùm Naturalis facultas circa mobilia quædam verſetur, neque ad Mathematicam, ſed ad aliam his vtriſque priorem. Ac demum concludit, quòd Naturalis eſt circa inſeparabilia, ſed non immobilia. Mathematicæ verò nonnullæ circa immobilia, at non ſeparabilia, ſed vt in materia ſunt verſantur. At prima philoſophia, circa ſeparabilia ac immobilia verſatur. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Prima philoſophia præcipuè verſatur circa ſeparabilia & immobilia, quia primum obtinent locum in entis analogia; quod quidem ens, ſubiectum eſt in ea adæquatum; veluti in .4. diximus libro. Vnde intentio Ariſtotelis eo in loco, nempe in .6. Metaphyſicæ, non fuit ſubiectum aſsignare Metaphyſicæ adæquatum; ſed primum inducere illius analogiæ, de qua ſermonem habuerat in .4., & inde colligere quòd eſt principalius in ea conſideratum, ad quod reliqua ſequuntur. Si enim ens eſt analogum analogia attributionis; vt diximus; neceſſe eſt ad vnum deuenire, ad quod reliqua attributionem habeant. Quod verò ſit iſtud, nondum declarauerat Ariſtoteles, propterea in .6. dixit, ꝙ ſi eſt in rerum natura aliquod diuinum & immobile, illud erit iſtius analogiæ primum, ex conſequenti præcipuè conſiderabitur in Metaphyſica; quemadmodum & ſanitas in

Solutio propria ad primã.

tas in Medicina. Sed uideat lector quæ diximus ſupra, cap. 29. huius libri.

Ad.2. Ad ſecundum, non admittitur in uia Ariſtotelis Metaphyſica illa intuitiua; ſed in præſenti diſputatione ſermo eſt de Metaphyſica Ariſtotelis; quæ Deum & alia ſub unica entis ratione conſiderat.

Ad.3. Ad tertium, dicimus quòd prima propoſitio ita uenit intelligenda, ut illud ſit in aliqua ſcientia ſubiectum, quod in ea principaliter conſideratur, & ad quod omnia attribuuntur, ueluti principia, paſsiones, & ſpecies. Qua quidem ſic intellecta, mox negatur minor. Non enim eſt ipſe Deus, ad quem omnia ita attribuantur, ſed ens quà ens; ut patebit infra.

Ad.4. Ad quartum, ſciendum eſt, quòd quædam eſt nobiliſsima ſcientia ſimpliciter; quemadmodum eſt ſacra noſtra theologia; quædam uerò eſt nobiliſsima ſecundùm quid; prout eſt Metaphyſica Ariſto.; primæ competit nobiliſsimum ſubiectum ſimpliciter, qui eſt Deus benedictus; ſecundæ uerò competit nobiliſsimum ſubiectum ſecundùm quid; quod eſt ens quatenus ens. Tot de ſecunda opinione.

De ſubiecto Metaphyſicæ opinio tertia.

Cap. 56.

EST tertia opinio Ioannis Iacobi Paueſij; qui in ſua diſputatione de ſubiecto Meta., cap. 15. dicit, ſubſtãtiam compoſitam ſubiectum eſſe in illa diſciplina. Vnde cùm dicimus, Metaphyſicam ens quatenus ens ſpeculari, idem eſt ac ſi diceremus, illam conſiderare ſubſtantiam, prout per ſe exiſtit. Vultq. primum oĩum agens, primam formam, ultimum finem, & primam materiam, illius ſubiecti eſſe principia; ut patet ibidem, cap. 21. Et huius ſubiecti paſsiones & affectiones vult eſſe reliqua alia prędicamẽta; & poſtea ſuccedunt ea, quæ tranſcendentia uocantur; quæ quidem omnia, ordinem habent ad inuicem, ueluti oſtendit ibidem, cap. 27. Et corpus cœleſte vult eſſe ſubiectum principale in illa ſcientia; quemadmodum ipſe docet in memorato loco, cap. 30.

Vt igitur huius opinionis notitiam habeatis claram & apertam, eius præcipuum animaduertatis fundamentum, quod eſt, ens multipliciter dici; uno modo, omne illud quod eſt extra nihil, dicitur ens; & hoc modo; inquit; ſumitur ens apud vulgares. Alio modo dicitur ens omne illud, quod participat eſſe; & hoc pacto ſumitur ens apud Sapientes. Ens enim; inquit; eſt nomen concretum, cuius abſtractum eſt hæc dictio (eſſe;) Vnde omne participans eſſe, uerè & propriè dicitur ens. Scimus enim quòd abſtractum id ſignificat, quod de ſe tale eſt, & non ab alio. Concretum autem, ex aduerſo, id ſignificat quod non à ſe, ſed alterius beneficio eſt tale; ueluti patet in huiuſmodi exemplis: Calidum, lucidum, homo: omnia hæc ſunt concreta. Abſtracta uerò ſunt, calor, lux, humanitas. Vnde illa concreta non ſunt talia à ſe, ſed ab abſtractis. Lucens enim, luce lucet, calidum, calore calidum, album, albedine album, & homo, humanitate eſt homo.

Ita etiam in propoſito; Ens eſt nomen concretum, & eſſe eſt eius abſtractum; Vnde ſicut homo eſt talis per participationem humanitatis; ita etiam ens eſt tale per participationem ipſius eſſe. Cùm ergo, inquit vir iſte, illud propriè dicatur ens quod participat eſſe; ſequitur quòd nec illa quæ non ſunt, nec ſimplicia vlla, quemadmodum Deus, intelligentiæ, materia, & forma, entia dici poſsint. Denominatiua enim omnia compoſita ſunt, vt clarum eſt. Et ſi materia & forma ad ſubſtantiam attinere videantur, hoc non eſt niſi quia ſunt aliquid ſubſtantiæ compoſitæ. Sic etiam accidentia non ſunt entia: ſed ſi ſic appellantur, hoc ideo eſt, quia ſunt aliquid ſubſtantiæ. Non enim datur albedo abſtracta, ſed album. Quare ſola ſubſtantia, & hæc compoſita ex materia & forma, erit verè ens, idq́. quoniam eſſe & exiſtentia uerè participat. Hoc eſt ergo iſtius uiri potiſsimum fundamentum: quia ſcilicet ſola ſubſtantia compoſita eſt uerè ens, ut probauit: & Metaphyſica cùm ſit de ente quatenus ens eſt, atteſtante Ariſtotele in 4. Metaphyſicæ, contex. primo: relinquitur quòd ſubſtantia compoſita ſub ratione qua exiſtit, ſit Metaphyſicæ adæquatum ſubiectum. Idq́. probat multiplici ratione. Veruntamen omnes eius rationes in hoc conſiſtunt; quòd Ariſtoteles in aditu 4. Meta. declarans quid intelligat per ens, dixit, illud maximè eſſe ſubſtantiam. Et quamplurimis in locis dicit Ariſt. in Meta., quòd de ſubſtantia theoria eſt, & quòd ex conſequenti principia & cauſæ quæruntur ſubſtantiæ. Additq́., quòd ob ſubſtantiam, omnia conſiderantur in Metaphyſica: & quòd ipſa eſt primum conſideratum in Metaphyſica. Ergo, inquit, eſt ſubiectum Meta. adæquatum. Et confirmatur: quia ex 7. Meta., ſola ſubſtantia eſt ens: reliqua uerò non niſi quia taliter entis. Hæc omnia uideantur apud Pareſium, in memorato loco, cap. 14. & 15.

Huiusq́. ſubiecti principia aſſerit, ut diximus, primas, principaliſsimasq́. cauſas eſſe, nimirum primum agens, primam formam, ultimum finem, & primam materiam. Hæc enim, inquit, ſubiectus naturæ principia ſunt, nec niſi entis producens eſt. Quoniam Ariſto. in 4. Meta. & in procemio explicans Metaphyſicæ difficultatem, ea quæ uniuerſaliſsima ſunt, & à ſenſibus magis remota, aſſerit primam philoſophiam contemplari. Huiuſmodi autem uniuerſalia non ſunt niſi primæ cauſæ, primaq́. rerum principia, cùm ſint à ſenſibus remotiſsima.

Addit, quòd Ariſtoteles pluribus in locis, ad Metaphyſicam attinere negotium de abſtractis docet & oſtendit. Affectiones uerò & paſsiones illæ ſunt, quas ſupra enarrauimus, quæ enti ordine quodam inſunt. Primæ náq. affectiones ſunt trium accidentium genera: ut quantitas; quæ ſubſtantiam primo concomitatur. Qualitas eſt ſecunda, tertia uerò relatio. Reliqua autem accidentium genera, ad hæc tria reducuntur: ſicut agere & pati ad qualitatem, Situs & Habitus ad Relationem, Vbi & Quando ad Quantitatem. Prima ergo tria accidentium genera, ens primò inſequuntur: reliqua uerò poſterius: quoniam, inquit, ſunt illorum trium quoquo modo affectus. Et ad hæc ſuccedunt illa, quæ appellantur tran-

ſcendentia: inter quæ vnum prius eſt omnibus; & habebit ordinem ad inuicem: non tamen ꝗ vnum ſit altero prius, quoniam omnia ſimul cum ente naſcuntur & pereunt. Sed quoniam ens primum eſt prius concipi ſub vnius eorum ratione, quàm ſub alterius. Siquidem mens primò rem concipit vt eſt vna in ſe, dein vero vt ab alijs diſtincta, & hoc eſt rem concipere vt aliquid eſt. Ad hoc poſtea ſequitur ratio & notio veri. Qualis nanq; eſt inter mentem & voluntatem ordo, talis erit inter eorum propria obiecta. Prioris enim & vniuerſalioris poteſtatis, prius & vniuerſalius obiectum eſt. Intellectus autem prior & vniuerſalior eſt ipſa voluntate; quoniam non fertur voluntas niſi in præcognitum. Verum igitur, quod eſt intellectus obiectum, prius erit in apprehenſione quàm bonum, quod eſt obiectum voluntatis. Sic igitur prius concipimus ſubſtantiam vt eſt ens, deinde vt eſt res, & poſtea vt vna, deinceps vt eſt aliquid, poſthac vt eſt vera, ac demum vt bona. Et hæc omnia ſunt huiuſmodi ſubiecti affectiones, & paſsiones de eo demonſtrabiles. Huiusq; ſcientiæ ſubiectum principale, ſubſtantiam cœleſtem eſſe monet. Cùm enim duplex ſit ſubſtantia compoſita; altera corruptibilis, alia verò incorruptibilis; & de ſubſtantia compoſita tanꝗ de ſubiecto adæquato ſit Metaphyſica, relinquitur ꝙ de incorruptibili ſit, tanꝗ de principaliori parte ſui ſubiecti, & hæc eſt ſubſtantia cœleſtis. Sit igitur hæc germana & fideliter recitata Pauefij opinio; quæ quidem, an in ſe recta ſit, & ad aures Ariſtotelis appoſita nec ne, relinquitur diſcutiendum.

Prænarrata reijcitur opinio. Cap. 57.

VT igitur iſtius viri opinionis exactior habeatur notitia, vos monitos eſſe velim, ipſum huiuſmodi fundamentum cui innititur, à Ioan: Pico Mirandulano in libello ſuo de ente & vno deſumpſiſſe. Ibi enim Pici intentio eſt arguere contra Achademicos, ponentes diſcordiam inter Platonem & Ariſtotelem circa ſpeculationem de ente & vno. Proptereaq; volebant Achademici, Platonem ponere vnum ſuperius, & vniuerſalius ente: Ariſtotelem autem ambo ſibi reſpondere, & æquali eſſe ambitu. Picus autem ex aduerſo, vtrunque; præceptorem nempe atque diſcipulum, ad ſymphoniam, concordiamq; trahere conatur.

Triplicem ergo adducebant rationem Achademici contra Ariſtotelem; quarum prima talis erat: Deus qui eſt ſummè ſimplex, eſt vnus; & tamen nõ eſt ens. Vnum ergo redditur communius ente.

Secunda autem erat circa materiam, rudem ſcilicet illam & informem; quam quidem intra terminos vnius claudebant Achademici, extra tamen limites entis conſtantiſsimè ponebant.

Tertia huic innitebatur fundamento: Non idem eſt quod opponitur vni, & quod opponitur enti. Vnum igitur & ens non ſunt æqualis ambitus. Id quod antecedit declarant; quoniam enti nihil, vni autem multitudo opponitur. Eadem igitur lege qua illa non conueniunt, ita etiam ens & vnum. Quare ens & vnum æqualis ambitus minimè ſunt; cuius tamen op-

poſitum pluribus in locis intendebat Ariſtoteles. Ita Achademici contra Ariſtotelem. Picus autem in .2. cap. eiuſdem præcitati libelli, ad calcem, oſtendit Platonem, eundem quem habuit Ariſtoteles, habere ſenſum. Idq. manifeſtat ex verbis formalibus ipſius Platonis; quæ in Sophiſte ſic iacent ad formam: Nam ita conſiderans, confiteris neceſſarium eſſe cum qui aliquid dicit, vnũ aliquid dicere; cùm verò qui non aliquid dicit, neceſſe eſt neq. vnum quid dicere. Ex quibus clariſsimè conſtat, ens & vnum, ſiue vnum & aliquid, æqualia eſſe apud Platonem. Sed dato etiam q; Plato poſuerit unum ſupra ens; id uerè, proprieq. dicere poterat; nec proptereà Ariſtotelis aduerſabitur doctrinæ. Quoniam ens cùm dupliciter ſumatur; pro eo ſcilicet quod eſt extra nihil, & ſic illud ſumunt vulgares; & pro eo ſolùm quod uerè eſt; quemadmodum eſt Deus benedictus; in quem ſenſum ſumpſerunt Parmenides, Pythagoras, & alij qui poſuerant unum tantùm eſſe ens. Primo modo uſus eſt Ariſtoteles, quando dixit, ens & unum tendere de pari. Nec hanc ſine ratione uſurpauit dictionem Ariſtoteles; quoniam (ut in prouerbium eſt) ſentire ut pauci, loqui autem ut plures debemus. Sentimus enim & opinamur nobis, loquimur autem alijs, id eſt, multitudini, atq. ideo loquimur ut intelligamur. In quocunque ſenſu igitur ſumatur ens, ſiue ſecundùm vulgares, ſiue ſecundùm ſapientes, ſemper tendit de pari cum uno. Si enim loquamur ſecundùm Sapientum acceptionem, unum ſupra ens eſſe non poteſt, quin ſit ſupra Deum; at ſupra Deum nihil. Cùm igitur Achademici dicunt, Deum eſſe unum, & non ens, tanq̃ falſum reijcitur. Apud Moſen enim græco idiomate legitur: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. id eſt; Ego ſum ens. Si etiam loquamur ſecundùm vulgares, ſequitur idem. Illud enim ens appellant, quod eſt extra nihil; ſolum ergo nihil à ſeipſo excludit ens. Sed ſi unum ſit ſupra ens; unum plura ambire non poteſt, niſi ipſum ambiat nihil; quod tamen negat Plato in Sophiſte, cùm dicit non ens, ſiue nihil, unum dici nõ poſſe. Nec tamen pauciora ambit quàm ipſum ens; ut ipſi uolunt. Ens igitur & unum ſunt æqualia.

Præterea ipſimet aduerſarij dicunt, nihil opponi enti, ſicut multitudo opponitur uni. Illud ergo quod non eſt ens, erit nihil; ſicut quod non eſt unum, eſt multum, ſiue multitudo. Deus igitur ſi non eſt ens, erit nihil; quod aures ipſæ formidant. Quare & Plato & Ariſtoteles, unum & ens æqualia eſſe uolunt. Si tamen uelimus dicere, inquit Picus, aliquid ſupra ens collocari, id in huiuſmodum manifeſtari poteſt. Scimus enim q; nomina ſunt in duplici differentia; quædam ſunt abſtracta, quædam uerò concreta; abſtracta, calor, lux, candor, humanitas; concreta, calidum, lucens, candidum, homo. Eſt autem inter huiuſmodi illa diuerſitas, q; abſtractum habet q; ſit a ſe, ex ſe; concretum autem, non niſi alterius beneficio, ſcilicet abſtracti. Candidum enim candore eſt candidum; lucens luce lucet; & homo humanitate eſt homo. Ens igitur, concreti nominis faciem habet, cuius abſtractum eſt hæc dictio (eſſe) ut ens dicatur illud, quod eſſe participat. Iuxta igitur huiuſmodi doctrinam & ſignificationem, rectè poſſumus dicere, Deum non eſſe ens, cùm eſſe minimè participet, ſed eſt totius eſſe plenitu-

do; qui ſolus à ſe eſt, & à quo ſolo omnia dependent. Deus igitur cùm ſit ſuper ens, & ei vnius appellatio conueniat, ſequitur, vnum ſuper ens rectè collocari. Vnumq́; dicit ſe Deum vocare, non vt quid ſit explicet, ſed potius quomodo ſit, & quomodo ab ipſo alia ſint. Diuus enim Dionyſius dicit, ꝙ Deus dicitur vnus, ſiue vnum, quoniam vnicè continet omnia. Et eſt principium omnium eorum quæ ſunt, ſicuti vnitas principium dicitur & eſt numerorum omnium. Quocirca, ſi volunt Achademici ꝙ Plato in prima poſitione Parmænidis affirmet vnum eſſe ſuperius ente, non erit illud vnum niſi Deus.

In hoc quoque Ariſto. conuenire ait Picus; quoniam in .6. Sapientiæ diuidit ens per ſe & ens per accidens. Sed ens per ſe diuiditur in decem genera, in quorum nullo reperitur Deus; qui quidem minus eſt ens per accidens. Quare ex intentione Ariſto., Deus eſt ſupra ens. Hæc Picus in dicto libello, cap. 1. 2. 3. & 4. Ex quibus ſoluit poſtea aduerſariorum rationes ſecundam, & tertiam, in cap. 6. & 7.

Ad Pauesium. Vnde Paueſius animaduertens huiuſmodi doctrinam, illam erexit diuiſionem, ſeu diſtinctionem, de duplici entis acceptione; ſecundùm vulgares, & ſecundùm Sapientes. Illud primo modo nuncupans ens quod eſt extra nihil; ſecundo autem modo, illud quod participat eſſe, cuiuſmodi non eſt Deus. Et nedum ſenſum deſumpſit à Pico, ſed & verba formalia.

Veruntamen ſi rem intimius conſideremus, atq. inſpiciamus, nemini dubium erit, ꝙ Deus nullo ſimplici nomine, ſecundùm totam ejus perfectionem adæquatè, à nobis nominari poteſt. Cùm omnes perfectiones eminentiſsimè & ſimpliciter contineat. Et propterea ſacri dicunt theologi, ꝙ verius dicitur de Deo ꝙ ſit bonitas, quàm bonus; & Sapientia, quàm Sapiens; & entitas, quàm ens; quoniam nullam habet quidditatem, ſed eſt ipſamet quidditas abſoluta. Vnde D. Dionyſius poſtq̃ tractauerat de diuinis nominibus, & de myſtica theologia, cùm adhuc eſſet in tenebris, exclamauit dicens: Neque veritas eſt, neque regnum, neque ſapientia, neque vnum, neque vnitas, neque deitas, aut bonitas, neque ſpiritus eſt, quantum ſcire ipſi poſſumus, neque filij, neque patris eſt denominatio, neque aliud aliquid ex his, quæ nobis, aut alteri cuiq̃ in mundo ſunt cognita; neque aliquid eorum quæ non ſunt, neque eorum quæ ſunt. Vnde rectè dici poteſt, quòd Deus, nec eſt vita, nec intellectus, nec intelligibile, nec ens, nec vnum, nec verum, nec bonum, ſed quid altius, & melius his. Nomina enim hæc, particularem dicunt perfectionem, qualis nulla in Deo eſt. Quod quidem reſpicientes & Dionyſius, & deinde Platonici, in Deo & vitam, & intellectum, & Sapientiam, atque his ſimilia eſſe negant. Quoniam totam bonum perfectionem quæ in eis multa & diuiſa eſt, Deus ipſe ſua vnica perfectione, quæ eſt ſua infinitas, ſeu deitas, quæ eſt ipſe, in ſe vnit & colligit; non ſicut vnum ex illis multis, ſed vnũ ante illa multa. Omnia enim hæc in Deo ſunt vnum; non per confuſionem, aut commiſtionem, aut quaſi diſtinctorum mutuam penetrationem; ſed per ſimplicem, ſummam, ineffabilem, fontalem vnitatem. In qua omnis actus, omnis forma, omnis perfectio, ſicut in primo eminentiſsimo duce, penitiſsimis diuinæ infinitatis theſauris, ita ſuper omnia,

& extra

& extra omnia excellenter eſt concluſa; vt ſit tamen non ſolùm omnibus intima, ſed magis vnum cum omnibus, quàm ipſa ſint ſecum. Deficiunt profectò verba & conceptus.

Ad hæc itaque reſpiciẽs excellentiſsimus & Illuſtris Ioan: Picus, dixit, ꝙ rectè poſſumus dicere Deum non eſſe ens, ſed vnum; & ex conſequenti ꝙ vnum eſt ſupra ens. Non tamen intendit per vnum explicare quid ſit Deus; cùm ſit ſupra vnum, bonum, verum, & alia omnia; ſed intentio eſt exprimere quomodo ſit ea quæ eſt; quia ſcilicet eſt omnia vnicè, & vnica ratione formali, eminentiſsima, & omninò ineffabili omnia continens. Hoc autem non ita facilè exprimitur per hoc nomen ens. Quoniam licèt Deus vnico eſſe omnia ſit quæ eſt; vnde ſicut eſt vnus quia vnicè eſt omnia; ita etiã videtur ꝙ poſsit appellari ens, cùm vno eſſe ſit omnia quæ eſt. Non enim vnus dicitur, quia ſolus ſit vnus; vt dictum eſt; Videtur igitur ꝙ etiam ens appellari poterit, quamꝙ ſolus ens non ſit. Non tamen ob hoc debet dici ens; quoniam ens dicit eſſentiam, ſiue quidditatem; eſt autem dicit exiſtentiam. Vnde D. Tho. in quæſtionibus de malo, .q. 1. dicit: Cùm dicimus hoc aut illud eſt ens, quæſtioni reſpondemus qua quæritur quid ſit res; & hæc quæſtio pertinet ad quidditatem. Cùm verò dicimus hoc eſt, aut non eſt, facimus ſatis quæſtioni qua quæritur an ſit res. Et hæc quæſtio pertinet ad exiſtentiam. Cùm igitur ens & eſt, diuerſas terminent quæſtiones, non valet arguere; Deus eſt, ergo eſt ens. Quoniam, eſt, dicit exiſtentiam, ens autem quidditatem. At multi, quin omnes, norunt Deum eſſe, quid autem ſit, nullus. Quare licèt vnico eſſe ſit omnia quæ eſt Deus, non tamen ob hoc dicitur ens; cùm illud eſſe non dicat eſſentiam, quam ſignificat ens; ſed putam exiſtentiam. Quoniam Deus non eſt compoſitus ex eſſe & eſſentia, ſicuti creata omnia.

Doctiſsimi igitur Pici intentio eſt, oſtendere contra Achademicos, ꝙ ens & vnum ſunt æqualia, quoniam æqualiter prædicantur de Deo, & etiam de alijs. Et in hoc fuerunt concordes Plato & Ariſto., quemadmodum probatum eſt ſupra. Si quis autem dicere vellet, vnum eſſe ſupra ens; inquit Picus, ꝙ dummodò non intelligat exprimere Dei quidditatem per unum, ſed modum tantum quo eſt omnia quæ eſt, tunc rectiſsimè poteſt ponere vnum ſupra ens, & dicere ꝙ Deus eſt vnus, non autem ens. Quoniam vnum explicat melius talem modum, quàm ens, & quodlibet aliud nomen, Deo impoſitum. Et in hoc etiam vult Picus, Platonem & Ariſto. fuiſſe concordes; ut patet in .12. Sapientiæ, ubi Ariſtoteles poſtꝗ diſputauit de alijs mentibus ſeparatis, quærit an ſit aliquod unũ bonum ſeparatum, quaſi dux huius exercitus. Idq́; eſſe determinat, & dicit ꝙ eſt Deus. Quocirca cùm Deus ſit ens, unum, uerum, bonum, ſapiens, iuſtus, & id genus alia eminentiſsimè, & unica formali, ineffabiliq́; ratione, ſequitur ꝙ uerum erit dicere: Deus eſt ens, Deus eſt bonus, Deus eſt unus, Deus eſt iuſtus, & cætera huiuſmodi. Quæ quidem uoces ſunt, rem ſimplicißimam ſignificantes; nihilotamenſecius ſumuntur in concreto, ât perinde ac ſi eſſent abſtracta; tum ab exceiſam Dei perfectionem, cuius nomen proprium non habemus, tum propter intellectus noſtri tenuitatem, qui huiuſmodi melius exprimere neſcit.

Valde

Valde igitur dupliciter aberrauit Paueſius; primò quidem, quando negauit Deum eſſe ens, quia Deus eſt ſummè ſimplex, ens autem eſt nomen concretum & compoſitum. Non videns ꝙ eſt nomen cõcretum, ſignificans per modum abſtracti; & hoc ob illam quam nunc aſsignauimus rationem. Secus non rectè appellaretur Deus, nec bonus, nec vnus, nec iuſtus, nec alia huiuſmodi; cùm hæc omnia, nomina ſint concreta.

Aberrauit ſecundò, quoniam noluit Picum intelligere dicentem Deum non eſſe ens. Quoniam Picus hoc non dixit propria & mera intentione; ſed vt oſtenderet quomodo rectè poſsit dici, Deum non eſſe ens. Paueſius autem credidit, hanc fuiſſe mentem Pici præcipuam.

Deinde loquebatur Picus, non de quidditate Dei, ſed de modo, quo Deus eſt omnia quæ eſt; & idcirco dixit, quòd vnum id rectè explicat, ens autem nequaq̃. Paueſius autem credidit, illum loqui de quidditate Dei. Quare totum eius ruit fundamentum. Et propterea cùm dicit; Ens eſt nomen concretum. Ergo ſignificat tantùm compoſitum, cuiuſmodi non ſunt Deus, nec reliqua ſimplicia. Dicimus, ꝙ ens eſt nomen concretum, ſed in propoſito ſignificat perinde ac ſi eſſet abſtractum; & hoc propter vocabulorum penuriam, quæ oritur ex ineffabili Dei celſitudine, & intellectus noſtri tenuitate. Et non ſit hoc mirum; quoniam nedum ens dicitur ab eſſe & eſſentia, ſed etiam ab exiſtentia; vt ex verbis Ariſto. 7. Meta. ad contex. 3. colligi poteſt; vbi dicit, ꝙ nullum accidens eſt propriè ens, quia nullum à ſubſtantia diuelli, ſepararíq. poteſt. Deus igitur cùm ſit maximè exiſtens, quin ipſa vera, ſummaq́. exiſtentia, relinquitur ꝙ etiam ſit ſummum ens. Et ad illam entis diuiſionem, ſecundùm vulgares & ſapientes, negatur ſecundum membrum. Immo verè ens dicitur illud quod verè eſt; vt Deus; & ſic dicunt Sapientes. Cùm deinde probat intentum Paueſius ex hoc, ꝙ Ariſto: cúm velit exprimere quid ſit ens, dixit illud maximè ſubſtantiam eſſe; verum eſt totum. Sed nõ valet inferre. Ergo ſola ſubſtantia compoſita eſt ens. Ex conſequenti, ſola huiuſmodi ſubſtantia eſt ſubiectum in Metaphyſica. Quoniam tantùm abeſt vt ſola ſubſtantia compoſita ſit ens, ꝙ potius eſt ens per participationem; vt fuſius aliàs diximus. Deceptus fuit etiam Paueſius, cùm de principijs huius ſubiecti verba faceret; quoniam voluit primam formam, primum efficiens, ſupremum finem, & primam materiam, illius eſſe principia. Siquidem materia prima eſſet principium cuiuſcunque entis; quod eſt abſurdiſsimum. Si tamen admittamus, primum efficiens, & ſupremum finem, principia entis eſſe, quà ens eſt, conuenimus cum Ariſtotele, ſed ob id ipſum entis principium non excluditur à ratione entis, nec ſequitur, ꝙ ſit tunc idem ſui principium & cauſa; ſed ꝙ illud quod eſt principiũ entis, eſt ens; ſed ſic ens ꝙ ſibi primo competit ratio entis, & eſt cauſa quòd alia ſint entia, & ita participent & re & ratione entis. Quocirca Ariſtoteles in .4. Sapientiæ ad primum contex., dicebat: Cùm autem principia & ſupremas cauſas quæramus, patet ꝙ alicuius naturæ per ſe neceſſe eſt eas eſſe. Si igitur illi etiam, qui entium elementa quærebant, iſta principia quærebant, neceſſe eſt etiam elementa entis non ſecundùm accidens eſſe, ſed prout entia ſunt. Quare nobis quoque entis, prout entis, primas cauſas accipiẽdum eſt.

eſt. Hæc Ariſtoteles. In quibus videntur conuenire Alexander & D.Tho. dicentes, ꝙ Ariſtoteles tunc probat quod prius aſſumpſit; ſcilicet ꝙ Meta. conſiderat ens vt ſubiectum ſuum. Et licet Alexander videatur velle, ꝙ Ariſtoteles oſtendat Metaphyſicam eſſe Sapientiam, res tamen recidit eò, vt habeat ꝙ illa diſciplina ſit Sapientia, & ita ſit circa ens, quà ens. Et ratio eſt, quia primas cauſas inquirit, atque principia. Verùm talia principia, quæ ſcilicet ſunt omnino prima, neceſſe eſt ꝙ ſint alicuius naturæ principia; quoniam principium ſemper eſt alicuius principium; at cuius naturæ erunt principia, niſi huius quæ dicitur entis natura? Quare ſi in Meta. conſiderantur principia omnino prima, neceſſe eſt, ens ibi eſſe ſubiectum. Quòd autem prima principia non poſſint eſſe alicuius naturæ, patet quia nō eſſent prima principia, ſed particularia, & cuiuſdam particularis entis; vt punctus eſt principium lineæ, linea ſuperficiei, vnitas numeri; non autem cuiuſque rei, ſeu primorum entium, quia non entis. Idem ergo eſt dicere principia prima, à quibus omnia pendent, & dicere principia entis; ſicut etiam idem eſt dicere principia ſubſtantiarum, & prima, & entis. Cuius autem eſt conſiderare cauſas alicuius naturæ, neceſſe eſt vt etiam eiuſdem ſit conſiderare illam naturam; vt teſtatur Alexander; & cùm Meta. conſideret cauſas omnino primas, neceſſe eſt vt etiam conſideret ens quà ens; quia cauſæ illæ non eſſent primæ, niſi eſſent cauſæ entis, vt ens eſt, quoniam ab illis non omnia penderent, & ita non eſſent primæ. Ens enim omnia complectitur, & eſt omnium vniuerſaliſsimum; quare & prima principia quæ ſunt omnium principia, quatenus ab illis, vt primis & communiſsimis cauſis omnia pendent, non erunt niſi entis principia. Sicut enim homo habet ſua principia, & animal ſua, & naturà priora; & adhuc prius naturà animatum, & ita aſcendendo vſque ad ens; ita ꝙ ſemper quod particularius eſt & poſterius, dependet à naturà priore, & principia poſterioris præſupponunt principia prioris. Ita etiam ens habebit ſua principia; & cùm ens ſit omnium primum & vniuerſaliſsimũ, neceſſe erit vt etiam eius principia ſint ea quæ ſint omnium prima, à quibus omnia pendent; quemadmodum & ipſum dicitur de omnibus. Vnde in eadem re, diuerſa poterimus inquirere principia, ſecundùm diuerſa prædicata, quæ diuerſas ſignificant naturas; vt exemplo hominis iam fuit oſtenſum. Sicut enim ad hoc quòd quid ſit animal, non exigitur ꝙ ſit homo, ita animal ſua habet principia per quæ eſt animal, diuerſa & naturà priora ijs ſecundùm quæ homo eſt homo, vt præciſè eſt homo. Et ſicut animal à ſuis principijs, à quibus eſt animal, vt præciſè eſt animal, habet ꝙ ſit talis naturæ, ſcilicet animalis, & homo vt homo à ſuis, ꝙ ſit talis naturæ, ideſt, humanæ; ita etiam dicatur de alijs; quare & entia dicentur, non ratione eorundem principiorum, ſed aliorum. Exempli gratia, homo alia ratione dicetur ens, alia animal, alia homo; & ita à diuerſis principijs, ſubordinatis tamen, vt diximus. Alia enim ratio, aliam quidditatem, aliam eſſentiam, ſeu aliam naturam dicit; quare aliam cauſam, & principiũ aliud. Et illud principium & illa cauſa, & illud cui per ſe competit ratio talis, & talis natura, immo eſt ipſamet natura, & ratio talis, & præſertim vbi ratio habet naturam correſpondentem, ſicut eſt in prioribus exemplis, inci-

piendo ab homine,& aſcendendo ad animal, ad animatum, ad miſtum, ad graue,vel leue,aut elementare,ad corpus,& tandem ad ens, ratio illa naturà prior,quæ habet rationem principij,includitur in poſterioribus,& participatur, veluti prius etiam diximus.

Ideo cùm dicitur,principia entis inquiri, non excluditur à ratione entis ipſum entis principium ; quemadmodum dictum eſt. Propterea cùm dicit Philoſophus,quòd primæ cauſæ, & prima principia ſunt cuiuſdam naturæ, mihi maximè probatur, vt ſit conſtructio inſtantiua, vt ſit ſenſus, quòd illa principia ſunt cuiuſdam naturæ, ideſt, habeant quãdam naturam ſibi propriam,ſecundùm quam ſint principia,& cauſæ omnium eorum quæ participant illa natura. Sic enim ſecundo libro Meta. dictum eſt, quòd quæ ſunt talia,habent à maximè tali,quod eſt per ſe primò tale,& eſt cauſa quòd alia ſint talia, quatenus ſcilicet talia præciſè,& hoc eſt quod dicit per ſe, ideſt, ſecundùm ipſam naturam.

Sicut enim,gratia exempli, vnitas habet ſuam naturam, ſecundùm quam eſt principium numeri, & punctus habet ſuam, ſecundùm quam eſt principium lineæ, ſic etiam dicatur de ente ; ꝙ principia entis quandam habent naturam,ſecundùm quam ſunt principia omnium quæ dicũtur entia. Punctus enim & linea ſunt quodammodo eiuſdem naturæ, & vnitas & numerus itidem eiuſdem ; Ideo & in eodem prædicamento ponuntur, & genere. Quod eo maximè dicendum eſt, ſi ponatur caſus verus ꝙ ſint principia vt diximus. Ariſtoteles enim negauit principium lineæ eo ſenſu, non tamen vt habet rationem terminantis, & principiantis ; ſed elementi propriè. Vnde patet q̃ vana ſit Paueſij ſententia, pariterq́; abſurda, qui excludit principia entis ab ente, vt non comprehendantur ſub ente quà ens ; & hoc quia ſunt ſimpliciſsima. Sunt etiam alij, hoc idem aſſeuerantes, hac de cauſa, quoniam credunt neceſſariò fieri, vt ſint etiam ſui principia. Quod tamen minimè ſequitur, quandoquidem etiam homo apud Platonem erat cauſa, cur quilibet homo diceretur homo, & ita erat cauſa hominis quà homo eſt, & omnium hominum, non tamen ſui. Item natura eſt ratio, ſecundùm quam omnia naturalia ſunt naturalia ; & tamen non eſt cauſa ſui, cùm ipſa ita ſit naturalis, ꝙ ſit ipſa natura. Sic igitur & entis principia ſunt adeò entia, vt teneant primum locum, & verius ſint entia, quàm alia, quatenus ſunt entia, quæ ſunt cauſæ quòd alia ſint entia, quaſi eſſentiæ ipſæ, & rationes eſſendi ; ſicuti de Ideis loquebatur Plato. Qua ratione igitur non excluduntur principia entis ab ente quin ſint entia, ſed primum tenent locum, ita etiam non excluduntur à ſubiecto Meta., quin ſint partes ſubiecti, & principales, & penès quas ſumitur tota ratio ſubiecti illius diſciplinæ ; & ita cùm dicitur, ꝙ Meta. verſatur circa ens quatenus ens ; ſub ente continentur principia entis. Ex quo ſequitur, illud à veritate abhorrere, quod dicebat Paueſius, nimirum quòd ſolum ens cauſatum, & principiatum, ſeu ſola ſubſtantia compoſita eſt ſubiectum. Quia ſic non ens quatenus ens eſſet ſubiectum, ſed ens quatenus cauſatum ; & malè Ariſtoteles vbique ferè inculcaret, quòd Meta. verſatur circa primas cauſas, & prima principia, & ſubſtantias ſeparatas.

Verum eſt tamen, quòd dupliciter poſſunt conſiderari : primò vt entia

quædam,

quædam,cum alijs entibus numerata;ſecundò vt aliorum principia & cauſæ.Sic enim .12.Meta. Ariſtoteles inueſtigat eas ut horum omnium cauſas, deinde loquitur de eis in ſe & abſolutè. Non eſt tamen par ratio de phyſicis principijs,cùm non habeãt rationem eſſendi per ſe omnia,ut ſint entia naturalia propriè,ſed partes ſint entis.Separatæ autẽ ſubſtantiæ per ſe ſunt, & completæ in natura rerum.De materia igitur quomodo agit? Vt de principio ſubſtantiæ, & puræ ſubſtantiæ, licèt non ſit omnino prima. Nec eſt par ratio de Meta. & alijs ſcientijs; quoniam tum propter iam inductam rationem, tum propter uniuerſalitatem ſubiecti, fit ut etiam ſub ſubiecto comprehendantur cauſæ & principia rerum,ut potiſsima pars;quemadmodum etiam fit, ut quæ uidentur paſsiones, poſsint etiam conſiderari ut entia quædam. Ex his facilè conſtat, quantum momenti habeat ratio illa, quam magni faciunt nonnulli, dicentes: Metaphyſica inquirit ſubſtantias ſeparatas.Non igitur cadunt ſub eius ſubiecto. Cùm nulla ſcientia probet ſuum ſubiectum. Quoniam non probat Meta. huiuſmodi ſubſtantias eſſe, quatenus ſunt partes ſubiecti,at ea ratione,qua principia ſunt & cauſæ.

Eſt etiam illud notatu dignum, quòd dicere Metaphyſicam diſputare de ente quà ens, item agere de primis rerum cauſis & elementis, item agere de principijs entis, æquiualens eſt ſermo, & vnum ex altero ſequitur. Ideo ſæpe Ariſtoteles vtitur vtroque indifferenter;vt cùm dicit Metaphyſicam agere de primis cauſis,ſignificet ſubiectum,non minus quàm cùm dicit uerſari circa ens quà ens.Sic etiam cùm dicit principia ſubſtantiarum inquiri in Metaphyſica,idem quoque ſignificat ſubiectum.Ex his itaq. omnibus patet, quam à Peripateticorum ſchola deuiauerit Pauclius,de principijs ſubiecti Metaphyſicæ uerba faciens.

Et cùm dicit tum ex proœmio, tum ex .4. Metaphyſicæ libro, quòd illa ſcientia uerſatur circa vniuerſalia, & à ſenſu maximè remota; iam conſtat quid dicendum.Illud enim uerum eſt quod dicit Pauclius; non ob id ſequitur quòd Meta. ſit uerſans in materia prima,ueluti in principio ſui adæquati ſubiecti,etſi ſit remota à ſenſu; quoniam ſubſtantiæ ſeparatæ tanq. principaliſsima entia; ſunt magis remotæ.

Circa paſsiones etiam fuit ualde deceptus vir iſte. Quoniam Ariſtoteles in .4.Meta.ad primum contextum,dicit,ad Meta.ſpectare ſpeculari ens inquantum ens; & ea quæ inſequuntur ens. In tertio autem contextu eiuſdem libri,dicit,quod hæc ſunt vnum,& ſpecies eius. Vnum ergo & cætera tranſcendentia ſunt paſsiones entis; quibus addimus idem, diuerſum,ſimile,diſsimile.& cætera huiuſmodi. Non igitur illa accidentium genera ſunt paſsiones ipſius entis.

Amplius: Paſsio ſubiecti conuertitur cum eo; doctrina eſt Ariſtotelis primo de poſte.reſolutio.Illa autem accidentia non conuertuntur cum ſubſtantia compoſita.Quare non ſunt paſsiones entis. Addo id quod etiam in ſuperioribus annotauimus, nempe quòd nouem illa genera non conſiderantur in Meta.ut accidentia ſunt,& paſsiones,atqui ut entia ſunt;ueluti ſatis deduximus ſupra.

Præterea,Subſtantiæ ſeparatæ ſunt partes iſtius ſubiecti;eis tamen huiuſ-

modi accidentia non conueniunt.

Quod verò ad ſubiectum attinet principale, non eſt cur immoremur in eo; quoniam ſi principale conſideratum in Meta. ſpectare velimus, quòd ſint ſubſtantiæ ſeparatæ, ex dictis facilè conſtat. Tot igitur de iſta opinione mihi dicta ſint ſatis.

Dubitationes quædam inducuntur & diſſoluuntur. Cap. 58.

IN ſuperioribus habuimus, quòd primæ cauſæ ſunt per ſe cauſæ atque principia entis quà ens eſt; ex quo ſequi videtur, quòd rerum particularium, ſub ratione particulari, vtpotè hominis, ſint cauſæ per accidens. Id quod non ſatis conſtat.

Item; quæritur quomodo illa principia non ſint principia aliarum ſcientiarum, cùm ſint principia rerum quæ in eis conſiderantur; ſunt enim omnium principia. At ſciendum, quòd primæ cauſæ indifferenter ſe habent ad hominem, & quemlibet alium particularem effectum, vt particularis eſt; vt autem conſideratur ſecundùm rationem communem, ſic ſunt principia etiam hominis; ſed non vt homo, atqui vt ens eſt; vnde per accidens ſe habent ad hominem, vt homo eſt, licèt non vt eſt ens. Sicut anima vegetatiua indifferenter ſe habet ad hoc quòd generet bouem, vel aſinum, aut hominem; quia vt vegetatiua eſt, habet ſolùm generare animatum, anima ſcilicet plantali, ſeu vegetali; quod autem generet hominem vel aſinum, hoc ſibi accidit, quatenus eſt coniuncta animæ ſenſitiuæ, & huic, puta aſininæ, vel animæ rationali & humanæ; homo enim vt homo generat hominem, ſi generat, & ita per ſe, non per accidens.

Sed tunc manet difficultas, quomodo ſcilicet ſubſtantiæ ſeparatæ eſſent; v. g. cauſæ coeli, & corporum coeleſtium; & corpora coeleſtia corporum elementarium, cùm non ſint eiuſdem rationis. Nam ſi dicatur quòd ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt cauſæ coeli, vt ens & ſubſtantia eſt; quid igitur erit cauſa eius vt eſt corpus & mobile? Item quid erit cauſa corporum grauium, vel leuium? Nam ſi dicatur quòd vt ſubſtantiæ ſunt & entia, eatenus ſunt à ſubſtantijs ſeparatis, & vt corpora à coelo, & vt mobilia à coelo itidem; quid ergo erit cauſa eorum vt ſunt grauia vel leuia? Non enim quæuis corpora ſunt, nec quæuis mobilia; ſed talia corpora & talia mobilia. Ariſtoteles nanque 12. Sapientiæ ad. 5. contextum, apertè dixit, quòd ſubſtantiæ immobiles & ſeparatæ ſunt elementa ſubſtantiæ mobilis ſempiternæ, ideſt, coeleſtis.

An dicendum, quòd coelum habet quòd ſit corpus à principijs corporis, & quòd mobile à natura ipſa & potentia, ſecundùm quam moueri poteſt; quemadmodum grauia & leuia à grauitate & leuitate, & quòd ita moueantur.

An etiam quia hìc non requiritur niſi præſuppoſitio & præexigentia quędam, quatenus hoc pręſupponit illud, puta corpus pręſupponit ſubſtātiā, & graue vel leue pręſupponit corpus ſimpliciter &c. Et ſic ē etiā de effectu in

his quæ efficiuntur. Licèt enim coelū nō ſit factū (in via Ariſtotelis) ſed æternum, cætera tamen facta, etiam quædā elementa, non ſecundùm totalitatem & ſimul, ſed per partes. Sicut enim ignis generat ignem, ita præſupponit actionem coeli naturâ priorem actione propria, & ſic de alijs.

Eſt tamen etiam dubitatio, an concurrat vt agens vniuerſale coelū, quod ſibi admittat actionem ignis particularem ſuperuenientem, vt ſine qua non producatur particularis ille effectus; ſicut dicitur de Sole in generatione hominis, qui ſine homine à Sole tantùm non generaretur.

An potius ſit etiam actio illa vniuerſalis non formaliter fortè, ſed tamen virtualis determinata, vt ſola poſsit ob virtualem, æquiualentemq́. vim producere: quod in quibuſdam videtur verum: vt quidam dicunt de his quæ generantur ex putri materia. Sed patet quòd de alijs non eſt verum, & illa dicuntur eſſe à caſu, ſecundùm Ariſtotelis doctrinam; de quibus aliàs.

Dicendum ꝙ hæc entis ſunt principia, quatenus omnia quæ ſunt pendēt ab illis, & illa præſupponunt, ſiue cùm fiunt, ſi fiunt, ſiue cùm facta ſunt, ſiue etiam ad hoc ꝙ ſint, licèt facta non ſint; veluti de coelo ſentit Ariſtoteles.

Ex his patet etiam ꝙ hæc non ſunt principia ſpectantia ad quamuis ſcientiam, ſed ſolùm ad Metaphyſicam, quæ eſt vniuerſalis, & de omnibus omnia conſiderat. Aliæ autem ſcientiæ conſiderant principia propria & particularia quarundam rerum; vt conſtat de Medico conſiderante cauſas ſanitatis & ægritudinis, & conualeſcentiæ: vt dicit philoſophus. 6. Meta. Sic de Mathematico conſiderante cauſas & principia quantitatum, & paſsionum ſuarum. Sic de Phyſico, qui conſiderat principia rerum naturalium, vt naturales ſunt, & ita ſolùm principia propria naturalium, vt naturalia ſunt; non autem principia omnium, vt omnium principia; id eſt, prima & entis; quod idem eſt. Ideo etiam agit de primo motore, non vt cauſa omnium abſolutè, vel entis (quod idem eſt) quà ens; ſed vt eſt cauſa motus, & rerum mobilium, vt mobiles ſunt. Satis autem conſtat, quòd paſsiones communes & prædicata communia, & vniuerſaliora naturâ corporis, non poſſunt per ſe primò corpori competere, ſed naturam priorem inſequuntur, & ita inferioribus omnibus competunt, propter illam primam naturam, à qua pendent.

Aliter etiam ad dubitationem dici poteſt; ꝙ nempe inferiora eminenter in ſuperioribus continentur, vt etiam id quod ſunt habeant ab illis ſecundùm rationes particulares, quodq. ſuas. Sed fortè hoc magis eſt verum, quàm ad aures Ariſtotelis.

Et ſi dicatur, ꝙ Ariſto. 12. Meta. 5. dixit, ꝙ opus erat inquirere elementa ſubſtantiæ mobilis æternæ, id eſt, coeleſtis, & ita ſubſtantiæ mobilis vt mobilis, ſeu vt corpus eſt, non vt ens.

Dico, ꝙ coelum habet ꝙ ſit corpus & mobile à ſua potentia, & materia, & quantitate; ſed quòd ſit ens habet à ſuperiore natura: & ſicut ab ea habet quòd ſit ens, ita ab eadem habet quòd ſit idem vel diuerſum, vnū, & cętera huiuſmodi: quę non competunt corpori & coelo per ſe primo, ſed naturę priori. Sicut habere tres angulos æquales duobus rectis cōpetit quidem ſcaleno, & æquilatero, ſed non quà ſcalenon, vel æquilaterum, ſed

quà triangulus. Vt habere ſenſum homini & equo, ſed nõ quà homo vel equus, ſed qua animal eſt eorum ſingulum. Conſiderare etiam rationem corporis vt corpus, & vt eſt mobile, eiuſq. paſsiones per ſe competit phyſico; ſed quà ens eſt, competit primò philoſopho.

Et ſi quæratur, quomodo paſsiones iſtæ cõmunes, cùm per ſe primò competant illi naturæ, quomodo de illa demonſtrabuntur, cùm illa natura nõ habeat cauſas vel principia, per quæ paſsiones de ipſa demonſtrentur? Dicitur, ꝙ paſsiones illæ cõpetũt illi primæ naturæ per ſe primò; ſed illa natura dupliciter conſiderari poteſt; vno modo vt in ſe, & vt competit cauſis & principijs; alio modo vt cõpetit inferioribus ea natura participantibus; & ſic iſta prædicata communia competunt oĩbus rebus; & cauſis videlicet, atq. cauſatis. Sed in cauſis illis idem eſt quidditas, & id cuius eſt quidditas. Sed in cauſatis & materialibus non item. Demõſtratio autem per quidditatem, de eo cuius eſt fit; quare differentia eſt in his & illis; quia etiam aliter & aliter eam habent naturam, & aliter ſunt entia; illa à ſe, iſta ab illis.

Quidam, vt Iauellus & nonnulli alij thomiſtæ, principia, cauſas, & elementa entis intelligunt id, quo vt medio vti poſſumus, ad demonſtrandum aliquid de ente; ſiue à priori, ſiue à poſteriori. Et ita concedunt, id à quo omnia pendent vt à ſuprema cauſa, habere cauſas & principia; quia de ipſo paſsiones & prædicata quædam demonſtrari poſſunt; vel à priori, ſcilicet per conceptus, formaleſq. rationes, vel per effectus.

Atuerò quàm aliena ſit ab Ariſtotelis mente, etiam prius tetigimus; cùm de principijs realibus loquatur. Item cùm de principijs entis, non paſsionum entis; ſeu de principijs rerum ipſarum ſubiectarum, non autem paſsionum, vt ſic. Quod vtique conſtat & ex præmiſsis verbis philoſophi; præſertim cùm adducit antiquorum philoſophantium ſententiam, qui elementa quærebant entium; realia ſcilicet; vt Thales poſuit aquam, Democritus atoma, & alij aliud; & ex .12. Sapientiæ .3. & .4. contextu, & alibi dicit Ariſto. quòd oportet quęrere principia ſubſtantiarum.

Et hoc poteſt confirmari ex .7. Meta. contextu: 5., & ex toto illo progreſſu, etiã per totũ .8. librum, & ex. 12.; vbi cùm ſtatuiſſet inquirendã eſſe principia ſubſtantiarum, illas inquiſiuit ſubſtantias, quę eſſent primæ; ita quòd in ipſas deſineret reſolutio.

Ariſtoteles tamen in lib. 6., cùm incepiſſet dicere ꝙ omnis ſcientia inquirit cauſas, progreſſus eſt ad demonſtrationes, quę in quauis ſcientia fieri ſolent, vel mollius, vel exactius. Et quod ad hoc attinet, videtur D. Tho. citata expoſitio de principijs & cauſis, minus mala; vt intelligantur media demonſtrationum ipſarum, etiam à poſteriori. Sed ſatis conſtat, ꝙ Ariſto. cùm dicit inquirenda principia entis quà ens, & cauſas ſubſtantiarum; non intelligit per principia effectus, quibus demonſtretur ens, vel ſubſtantia; ſed cauſas rerum, à quibus pendent entia oĩa; & ſubſtantię oẽs, vt à primis entibus, & ſubſtantijs. Hiſq. habitis, ad noſtram ſententiam properandum duximus.

De ſu-

De ſubiecto Metaphyſicæ opinio vera.
Cap. 59.

EX præmiſsis, quidnam ſit in Meta. ſubiectum, facilè conuincitur. Quòd ſcilicet eſt ens quatenus ens. Cuius quidem ſententiæ & concluſionis, ille eſt ſenſus; quod omnium entium quidditates, conſiderantur in Metaphyſica; non quantùm ad prædicata particularia, ſed in vniuerſali; ideſt, quantùm ad prædicata communia. Doctrina eſt Ariſto. in. 4. Metaphyſicæ, ad primum contextum, qui ait: Eſt ſcientia quædam quæ ſpeculatur ens inquantùm ens, & quæ huic inſunt, & non de partibus eſt. Ad contextum quoque. 2. poſt aliquot de analogia entis ſubdit: Quapropter & entis inquantum eſt ens quaſcunque ſpecies ſpeculari vnius eſt ſcientiæ genere, & ſpecies ſpecierum. Et in textu. 5. in hunc modum effatur: Quemadmodum & numeri, prout numerus eſt, propriæ paſsiones ſunt, vt imparitas, paritas, commenſuratio, æqualitas, exceſſus, defectus, & hæc tum abſolutis, tum mutuò relatis inſunt numeris; ſimiliter ſolido, & immobili, & mobili, & leui & graui aliqua propria ſunt; ita & enti prout ens eſt, quædam propria ſunt. Et hæc ſunt, de quibus veritatem conſiderare philoſophi eſt. Hîc philoſophum appellat Metaphyſicum per anthonomaſiam. Contex. etiam. 6. eiuſdem: 4. libri ait: Vnius ſcientiæ eſt ſpeculari ens inquãtum ens. In. 7. quoq. tex. dicit, de ente inquantum ens eſt, ſpeculationem eſſe. Idem confirmat Ariſtoteles in. 6. Meta. ad contex. 1. & 2.

Veruntamen quoniam poſſet quiſpiam ex aduerſariorum ſchola huiuſmodi authoritates interpretari, dicendo, quòd intelliguntur de ſubſtantia compoſita; præter inductas rationes, ſubſequentes quoque audiamus, quarum prima ſit talis: Huius ſcientiæ munus eſt aliarum ſcientiarum particularium principia confirmare & ſtabilire. Tale autem munus obire non poteſt, niſi per principia entis inquantùm ens eſt. Quæ quidem principia, non ſunt proloquia illa nobis innata; hoc enim ridiculum eſſet; at ſunt principia deſumpta ab ipſa ratione formali entis, inquantum ens eſt. Hanc voluit innuere rationem Auerroes in Epito. Metaphyſico, quando dixit: Scientiæ particulares acquiruntur perfectè per hanc ſcientiam. Cùm ipſa verificet ſua principia, & remoueat errorem cadentem in eis. .2.

Ariſtoteles, inſuper, in. 4. Meta. ad quintum contextum, dicit, quòd in hac duntaxat ſcientia conſiderantur paſsiones & accidentia propria ipſius entis, quatenus ens eſt. Quemadmodum ſunt vnum, bonum, verum, actus, potentia, idem, diuerſum, & id genus alia, quæ nullam particularem naturã, vt ſic, ſed ens quatenus ens conſequuntur. Eiuſdem autem ſcientiæ eſt accidentia propria & affectiones conſiderare, earundemq́. proprium, & per ſe ſubiectum. .3.

Adhuc, ſi Meta. non contemplaretur ens quà ens, tunc duo in Ariſtotelem ſequerentur incommoda. Alterum ꝙ Meta. eſſet quædam alia ſcientia prior. Aliud verò, ꝙ quatuor eſſent ſcientiæ ſpeculatiuæ. Ens enim quatenus .4.

 ens

enſ cùm ſit quoddam ſcibibile, ab aliquo artifice per ſe contemplandum venit. Non autem à Phyſico, nequidem à Mathematico; quoniam iſti ſibi entis partem arripiunt; minusq́. à Metaphyſico; per aduerſarium; relinquitur ergo q̃ ab alio ſuperiori.

Verùm Ariſto. in. 3. Sapientiæ, particula. 4., ita notatum reliquit: Meritò enim cùm omnis philoſophiæ pars ſit de aliquo ente, illa dicitur prima philoſophia, quæ contemplatur ens inquantum ens. Metaphyſica autem contemplatur ens inquantum ens; velut ipſe docet in. 4. illius ſcientiæ, contextu primo & alibi. Quare Metaphyſica non eſt altera prior.

Item Ariſto. in. 6. Meta. contextu. 2., ſcientias enumerat ſpeculatiuas, & eas tres eſſe dicit. Si ergo ſit alia ſcientia, quæ conſideret ens vt ens præter Meta., quatuor eſſent ſcientiæ ſpeculatiuæ.

Confirmatur doctrina, authoritate omnium antiquitus philoſophãtium, qui primã profitebantur philoſophiam; & quærentes ſupremas rerum cauſas, eo ipſo palam fatebantur, ſe quærere cauſas entis, ſeu entium vt entia ſunt; ac proinde primæ philoſophiæ ſubiectum eſſe ens quatenus ens. Cui quidem ſententiæ ſubſcribunt, Auerroes multis in locis; & præſertim in primo Meta. comm. 15. & 18., In. 3. Meta. comm. 1. & 2., In. 4. Meta. comm. primo, itemq́ue. 6. Meta. comm. primo. Auicenna in initio ſuæ Metaphyſicæ. Albertus cognomento magnus, libro ſuæ Metaphyſicæ primo, cap. 2. Beatus Thomas in ſuo proœmio Metaphyſicæ, & alibi. Necnon & Alexander in. 3. Meta., ſua expoſitione ſeptima, . 11. Meta., enarratione. 12. in. 4. Meta. enarratione. 4. in fine, & in. 12. Meta. paſsim & vbique. Mitto quamplurimos alios doctores latinos. Vnde ſequitur propoſita concluſio vera; nempe ens quà ens, ſubiectum eſſe in Meta.

De principijs illius ſubiecti, deq́ totius Metaphyſicæ facultatis principaliori ſubiecto. Cap. 66.

IN ſuperioribus annotauimus, capite nempe huius libri. 50., ens dicere vnam quandam naturam, aduerſus Paueſium; qui in ſua diſputatione de ſubiecto Meta. cap. 16., hoc ibat inficias; ea ductus ratione, quia analogum nullam dicit naturam communem; ſecus Deus ipſe benedictus & intelligentiæ eſſent compoſitæ, quoniam haberent naturam illam communem, & ſuam propriam. At parum virium hoc habet; quandoquidem loquitur vir iſte de analogo, perinde ac ſi de vniuoco. Omnia enim vniuoca ſunt compoſita, non autem ita dicendum eſt de omnibus analogis. Quoniam huiuſmodi natura non æquè in omnibus reperitur; ſed in primo prius, & poſtea in alijs. Primum ergo ens eſt tale per naturam propriam, primò, per ſe, ſimpliciter, formaliter, & abſolutè; reliqua verò per participationem. Omnia igitur entia citra primum ſunt compoſita? Nulli dubium quin omnia ſint compoſita, in comparatione ad primum. Et propterea Ariſto. in. 12. Sapientiæ, poſtq̃ diſputauerat de omnibus alijs entibus, ad hoc vnum primum, tanq̃ ad ſimplicisſimum, & longè præſtantius alijs, ſermonem conuertit; & eo inuento, dixit, illud eſſe Deum. Id quod etiam ex

.4.Sapientiæ,par.2.,facilè conuincitur.Ibi enim tradens quo modo de huiuſmodi analogis habeatur ſcientia, dicit,ꝙ ſemper de primo analogato prius habetur ſcientia;ideſt,ꝙ tota ſcientia;primaria & principaliſsima ſua intentione eſt de primo; de alijs verò in ordine ad primum. Et propterea ſcientia tractans de aliquo analogo,debet tractare de omnibus analogatis; de primo tamen principalius. . Cùm igitur Deus & primæ cauſæ ſint verè & formaliter ens, à quo omnia alia entia dependent; Metaphyſica cùm ſit de ente, quod quidem analogum eſt Deo & creaturis; ſiue ſubſtantiæ, & accidenti; propriè, maximeq́. haberi debet de primo, quo cætera pertinent,ac referuntur. Quocirca Ariſtoteles quando dicit,ꝙ de ſubſtantia theoria eſt; ſenſus eſt,de ente theoria eſt; quia ſola ſubſtantia eſt propriè & verè ens;alia verò non niſi ex attributione & analogia. Et idcirco cùm poſtea dicit: Principia ergo ſubſtantiæ, & cauſæ quæruntur;ſenſus eſt,prima ſubſtantia omnino independens,& à qua principiata & cauſata ſunt omnia alia ab illa diſtincta,quæritur.Nec ob id inferendum eſt,ꝙ ſolæ primæ cauſæ ſint in Meta.ſubiectum. Quoniam hæc eſt analogorum natura,ꝙ ſcientia maximè,principaliterq́. eſt de primo; vt dictum eſt; de alijs verò quæ ex attributione & analogia talia dicuntur, non niſi in ordine ad primum.quod eſt tale per ſe,& omnino formaliter. Nec propterea ſcientia eſt de illo ſolo, at omnibus alijs ſimul; licèt primò de illo & principaliter. De alijs autem quatenus ab eo dependent, eiuſq́. natura participant; quoniam talis eſt natura analogorum. Vnde Sapientiæ libro.4. contex.2., loquendo Ariſto. de ſcientia analogorum, inquit: Vbique autem ſcientia ipſius eſt propriè primi,& ex quo cætera pendent,& propter quòd dicuntur. Quòd ſi hoc eſt ſubſtãtia,ipſum philoſophum principia ſubſtantiarum, cauſasq́. habere oportet. Et quærit Ariſtoteles primum omnium entium, tanq̃ primum analogum; ſic exigente natura analogi; ratione cuius, omnia alia conſiderantur. Et dicit,ꝙ ſi hoc eſt ſubſtantia,principia ſubſtantiarum,cauſasq́. philoſophum habere oportet. Modò autem,iſta principia quęnam ſunt? Mentes ſeparatæ, quæ ſunt prima & verè entia, à quibus habent omnia alia quòd ſint entia; & idcirco appellantur principia. Vnde ille ex Aphrodiſiade Alexander,in.4.Sapientiæ,enarratio.4., in hunc modũ effatur: Aſſumpto vnam eſſe ſcientiam eorum quę multipliciter dicuntur, vt ab vno & ad vnum; docet deindè (ſcilicet Ariſtoteles) in hoc genere cùm eſt aliquid primum & propriè dictum, cætera verò ab illo, vt in ijs quę ab vno & in vnum dicuntur, ſcientiam quę circa illam naturam verſatur, propriè, maximeq́. haberi de primo,quo cętera pertinent, ac referuntur. Quo fit, vt Medicina cùm ſit omnium quę ſana nuncupantur, propriè tamen, ac præcipuè ſanitatis eſſe cenſetur,ex qua cætera huiuſmodi nomen ſortiuntur. Similis eſt ratio doctrinę, quę de bonis habetur. Propriè nanque & præcipuè perfectiſsimi bonorum eſt. Omnis igitur entis ſcientia, vna ſcientia eſt; quoniam eiuſdem naturę, hęc maximè de primo ente erit; quodq́. propriè ens eſſe intelligitur,& propter quod alia ſunt entia: quod quidem ſubſtantiam appellamus. E ſubſtantia enim aliorum eſſe pendet, & ob hanc illa ſunt entia. Vt intelligatur philoſophi partes eſſe, ſubſtantiarum principia,

cauſasq́.

cauſasq́. inueſtigare. Nimirum quoniam eius munus eſt de ente conſiderare;principia enim ſubſtantiæ,omnis entis fuerint principia,ſcilicet quia ſubſtantia principium eſt & cauſa vt cætera ſint. Hactenus Alexander. Quid autem ipſe intelligat per primum ens, & principia ſubſtantiarum & cauſas, declarat multis in locis. In primo enim Sapientiæ, enarratione .7. dicit, ꝙ hæc ſunt ſubſtãtiæ ſeparatæ à magnitudine,quæ verè & propriè ſunt entia, propter quæ exiſtant reliqua entia. Hæ nanque;inquit;ſubſtantiarum principia ſunt,ſubſtantiæ verò cæterarum rerum. Ex hac igitur doctrina,harum rerum cognitio petenda eſt, & quæcunque ad ipſarum cognitionem faciunt;de quibus ipſi(ſcilicet Ariſtoteli)plurimus habetur ſermo. Hoc idem habet in.4.Sapientiæ,enarra.prima,in .7.eiuſdem,enarratio prima;vbi habet ꝙ ens,principium,& ſubſtantia ſunt idem. Ex quo nullo habetur negotio quo modo entia habeãt principia;hæc enim ſunt mentes ſeparatæ,verè entia,verè ſubſtantiæ,& verè principia aliorum entium. Et propterea principia ſubſtantiæ & cauſæ quæruntur; ideſt, primum ens, prima ſubſtantia, primum principium;quoniam eſt illud quod eſt verè ens,& ex quo cætera talia dicuntur. Idem docet Alexander in eodem .7.,enarratio.3.,.4.,&.5. In.11.eiuſdem voluminis,enarratio.26.dicit,ens inquantum ens,ideſt,ſub ſua propria & formali ratione,eſſe omnino expers materiæ. Hinc declarat eodem in loco, quo modo Metaphyſica ſit ſcientia vniuerſalis, inquiens, quòd ideo vniuerſalis dicitur, non quia prædicetur de alijs ſcientijs; ſed quia omnibus alijs prior eſt,& ſecum alias tollit. Idcirco; inquit; cùm ens, & propriè ens, ideſt, primum principium appellet vniuerſale, (ſcilicet Ariſtoteles)non quaſi de pluribus dicatur ſic ipſum vocare;ſed quia ſecum alia principia tollit. Sublata enim theologia;inquit Alexander; non eſt dubium,quin eius principia tollantur;nam ſi hæc manerent; ipſa quoque maneret; at ſublatis theologię principijs,cætera quoque omnia ſublata erunt. Ita Alexander.

Cui aſtipulatur Gaſpar Contarenus, in .7. lib. ſui metaphyſicalis commentarij, declarans, omnia entia tractari in Meta., in habitudine ad primum ens,qui eſt Deus benedictus. Ex quo patet,quàm iniuſtè ipſum redarguat Iulius Sirenius,in .2. ſua ſectione de ſubiecto Meta., cap.38.,vbi vellet ꝙ Deus reſolueretur in ens; quod Ariſtotelis doctrinæ minimè conuenit; veluti in ſuperioribus etiam oſtendimus. Idem tradit Alexander de Ales in .6.Meta., ad.4.contex.q.2. Subiectum igitur adæquatum in Meta. eſt ens quatenus ens; cuius principia ſunt mentes abſtractæ; paſsiones,tranſcendentia,& illa alia,ideſt,idem,diuerſum,actus, potentia, & cætera huiuſmodi; ſubiectum principale,primum ens,prima cauſa,primumq́. omnium principium. Sed quo pacto principia poſsint eſſe ſubiectum, diximus ſupra; idemq́. dicemus infra,in quæſtione de ſubiecto Naturalis diſciplinæ. Interim ad alia properemus.

Contra

Contra prædicta dubitatur. *Cap.* 61.

ADVERSVS ea quę de ſubiecto Metaphyſicę in ſuperioribus ha-
buimus; nonnullę difficultates emergunt, quarum prima ita ſe ha-
bet: De vnoquoque ſubiecto habent demonſtrari ſuę paſsiones, .1.
propriaq. accidentia, quę quidem, quòd ſint ab ipſo ſubiecto diſtincta & alia
oportet. Quoniam ſubiectum eſt extra paſsionis eſſentiam, nec in eius po-
nitur definitione, niſi per additum. Modò autem præter ipſum ens nihil eſt.
Quare nec ipſius entis erunt paſsiones; niſi detur proceſſus in immenſum;
& ita non poteſt eſſe in Metaphyſica ſubiectum.
Amplius; Si Meta. eſſet de ente quatenus ens eſt, ſuperuacaneę procul- .2.
dubio eſſent alię ſcientię. Quoniam omnium rerum quidditates in eâ tracta-
rentur, & naturę.
Sequeretur tertio loco, Metaphyſicam eſſe ſcientiam, omnium facilli- .3.
mam. Quandoquidem eſſet de communiſsimo prędicato. Id quod abhorret
à veritate, & ab Ariſtotelis doctrina.
Deinde; ſtante pręmiſſa concluſione, Metaphyſica tum omnes alias ſibi .4.
ſubalternaret ſcientias, cùm partem arripiant entis.
Item, ſequeretur quòd felicitas noſtra conſiſteret in ſpeculatione entis quà .5.
ens eſt. Quod eſt ſuperq. ſatis abſurdum.
Ad hęc; Illud eſt ſubiectum in aliqua ſcientia, cuius principia & cauſę .6.
quæruntur; veluti ex. 4. Sapiētię optimè cōſtat. Modò autē in Meta. princi-
pia quæruntur & cauſę entis quà ens, quod in decem ſecatur genera; vt pa-
ter. 5. 6. 7. 8. 9. & 12. Sapientiæ. Et probatur ratione, quia ſecus, primi entis
eſſent principia & cauſæ; vel idem eſſet ſui ipſius principium & cauſa.
Ens igitur non commune Deo & creaturis, at in decem genera diuiſum, ſu-
biectum eſt in Meta. diſciplina.
Quod niſi admittatur; illud ſeptimo loco ſequitur incommodum, quòd ens .7.
cōmune enti rationis & reali, ſubiectū eſſet in Meta. Quod tamē nō dicitur.
Omnes, demum, ſubiecti adæquati conditiones ita poſſunt attribui enti
prædicamentali, ſicut enti communi Deo & creaturæ. Non eſt igitur cur .8.
eamus inficias, ens prædicamentale ſubiectum eſſe in Metaphyſica.
Eò maximè, quia Deo eſſet aliqua natura prior, ſi daretur oppoſita ſen-
tentia. Quandoquidem ſubiectum omne, prius eſt naturâ ijs omnibus, quæ .9.
ſub eo continentur; iuxta ſecundum modum prioris, quem tradit Ariſ-
toteles in prædicamentis; cùm ab eo ad inferiora non reciprocetur eſſen-
di cōſequentia. Id autē quod cōſequitur, eſt inter oīa abſurda abſurdiſsimū.
Accedit vltimo loco Ariſtotelis ſententia; qui cùm docuiſſet lib. 4. Me-
ta., ens vt ens ſubiectum eſſe in illa diſciplina; illud ſubinde diuiſit libro .10.
quinto in decem prædicamenta. Vnde perſpicuū videtur, Ariſto. 4. Sapien-
tiæ, & vbicunq. dixit ens ſubiectū eſſe in Meta. accepiſſe nomen entis pro
ſolo ente finito; hoc enim ſolum diuiditur in decem prædicamenta. Quare
de Deo non agitur in illa facultate, tanquam de parte ſub obiecto contenta, at
veluti de principio, & cauſa ipſius obiecti.

Præ-

Præmiſſæ rationes diſoluuntur. Cap. 62.

PRO diſſolutione primæ rationis, aduerſus doctrinam allatam erectę, illud eſt animaduertendum, quòd vera ſubiecti paſsio eſt duplex;
1. quædam demonſtrabilis ſed non realis; quædam verò demonſtrabilis, pariterq́. realis. Prima, duo tantùm requirit; primum ꝙ ratio ſubiecti ſit prior (vt aiunt) conceptibiliter ratione paſsionis; & hoc ideo, quia definitio ſubiecti ingreditur definitionem paſsionis; vnde prius ipſum ſubiectum concipere oportet. Secundum quod exigit eſt, ꝙ ipſa paſsio conſequatur per ſe rationem formalem ſui ſubiecti. Secunda autem, præter hæc, duo alia
2. requirit. Primò ꝙ reapſe diſtinguatur à ſuo ſubiecto. Secundò ꝙ ſubiectum ingrediatur definitionem paſsionis vt additum; & non vt eſſentiale & intrinſecum. Et hoc ſecundum ſequitur ex primo, quia ſi paſsio diſtinguitur à ſubiecto reapſe, ꝙ definitio paſsionis ſit per additum, neceſſariò conſequitur. Ens igitur veras habet paſsiones primo modo ſumptas, non autem ſecundo. Vnde ſecunda pars maioris propoſitionis primi ratiocinij veritatem
3. habet de paſsione determinati generis, & quæ à ſuo ſubiecto realiter diſtinguitur; ſed de hac non eſt modò apud nos ſermo, cùm de prima ſit in
4. tentio noſtra. Et iſtæ paſsiones licèt re ipſa ſint idem cum ente, differunt tamen ratione; quod ſufficit ad erigendas de eis demonſtrationes.

Ad.2. Ad ſecundam rationem dicimus, ꝙ licèt Metaphyſica, omnium rerum conſideret quidditates, non tamen eodem modo, quo ab alijs conſiderantur; quoniam quædam habent ſibi extranea, ſecundùm quæ conſiderantur. Sapientis enim eſt omnia conſiderare, vt decet tamen; quemadmodum dictum eſt.

Ad.3. Ad tertiam negatur illatio. Ad probationem dicimus, ꝙ quando aſſerimus, ens vt ens ſubiectum eſſe in Metaphyſica, non eum accipimus ſicut præſupponit ratio; ſed eo, quem in concluſione & alibi diximus modo. Ratio autem ſupponit, illud accipi ſicuti accipiebat Anto: andreæ; cuius ſententiam in ſuperioribus reiecimus.

Ad.4. Ad quartam dicimus, quod Meta. reſpectu aliarum ſcientiarum poteſt dici ſubalternans; impropriè tamen, nulloq́. modo propriè & formaliter. Quoniam non poteſt dici talis, niſi quatenus communis eſt, & vniuerſalis; cuius eſt alias ſibi inferiores ſcientias regere & gubernare. Ob id autem nō habet conditiones ſcientiæ ſubalternantis; de quibus aliàs.

Ad.5. Ad quintam negatur minor. Cùm probatur, dicimus quòd ipſe Deus eſt verè, propriè, & maximè ens, primumq́. quod quæritur in Metaphyſica; non tamen ratione qua Deus eſt, ſed qua ens. Et Meta. propriè ſumpta manuducit nos in eius cognitionem; in qua metaphyſicalis beatitudo conſiſtit. Iuxta illud: Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas. Diximus enim ſupra, quòd primum ens, primum principium, prima cauſa idem ſunt.

Ad.6. Ad ſextam patet ſatis ex dictis, præſertim in cap. 58. huius tertij libri; nihilotamenſecius ob iuniores, minorem inficiamur propoſitionem, ad eum ſenſum quem intendit ratio; quòd nempe in Meta. principia quærantur &

cauſæ entis prædicamentalis, finiti. & creati; ita vt hoc ſolum ſubiectum ſit in Meta. diſciplina, ſecluſo Deo, mentibusq́; ſeparatis. Nec illud vnq̃ ſomniauit Ariſtoteles, nec ratio ad probandum cogit. Vtraque enim conſequutio eſt manifeſtè falſa; nec arguens noſtram intelligit ſententiam. Quin immo in eius dictis duo clauduntur inter ſe pugnantia, & falſum ſimpliciter inducit. Falſum; inquam; propterea quòd Deum excludit à prædicamento. Non enim ita eſt in genere Deus, vt ſit in angulo vinculis conſtrictus; ſed tanq̃ totius generis principium & cauſa, cùm nullum ſit ens, niſi quatenus eius ſuo modo participat natura; veluti latius in ſuperioribus diximus. Deinde adinuicem pugnant, ꝙ ens quà ens ſubiectum ſit in Meta., & ſit ens finitum & productum. Quoniam ens vt ens, nomen eſt omnium vniuerſaliſsimum, & communiſsimum; ens autem finitum eſt minus commune, & ſupra quod eſt aliud. Et ens vt ſic, nomen cùm ſit omnium vniuerſaliſsimum & primum, deſumptum eſt etiam à natura omnium prima, & à qua illud nomen ſortiuntur alia. Natura autem hæc eſt illud diuinum quòd quærebat Ariſtoteles; veluti annotauimus ſupra. Hoc igitur diuinum cùm ſit primum principium. prima cauſa, primum ens; quì fieri poteſt, vt excludatur à ſubiecto Metaphyſicæ? Si alia entia, non niſi ratione ipſius conſiderantur, ab illo debet ipſum reijci negotio? Minimè quidem. Quin eſt primum in eo conſideratum. Nec ob id ſequitur, quòd primi entis ſint principia, vel ꝙ idem ſit ſuiipſius principium. Quoniam cùm dicit Ariſtoteles, ꝙ principia quæruntur entis & cauſæ; idem intelligit ac ſi diceret; primum principium, prima cauſa, primum ens, & ens quatenus ens inquirimus. Hæc enim idem ſonant; vt multoties diximus. Nec in Meta. eſt ſermo de principiis intrinſecis ſubiecti, velut in naturalibus; ſed de principio extrinſeco, à quo cætera pendent. Patet igitur multiplex defectus iſtius ſextæ rationis.

Ad ſeptimam negatur illatio. Cùm probatur dicimus, ꝙ licèt ens rationis contineatur ſub ente, non tamen ſub ente reali, de quo eſt Metaphyſica. *Ad.7.*

Ad octiuam, id quod antecedit inficiamur omnino; quoniam ens finitũ nõ adæquat totã ſciẽtiam, vt patet; quæ tamen ẽ cuiuſcũq; ſubiecti principaliſsima cõditio. Iam enim oſtendimus, mentes abſtractas primò & principaliter conſiderari in Meta., & nobiliorem eſſe partem totius ſubiecti. *Ad.8.*

Ad nonam; id quod conſequitur minimè admittimus. Cùm probatur, sũt qui multa dicant; nos autem laconicè dicimus, ꝙ vera eſt propoſitio illa aſſumpta, in vniuocis; in analogis autem minimè. *Ad.9.*

Ad decimam negatur iterũ cõſequẽtia. Cùm probatur, negatur adhuc ꝙ ſolũ ens finitũ diuidatur in decẽ prædicamẽta: quoniam Deus ipſe benedictus cõtinetur in genere ſubſtãtiæ, modo quẽ diximus ſupra; nimirũ vt principiũ, immo vt vera & propria ſubſtãtia, à qua cætera pẽdẽt. Diximus enim aliàs, ꝙ ens & ſubſtantia ſunt propriè idem. Sed de huiuſmodi ſcientia hæc mihi dicta ſint ſatis; quare ad naturalia ſermonem conuertamus oportet. Hoc tamen prius notato, ꝙ à primo libro vſque ad ſeptimum excluſiuè non tractatur de ente, quia eſt pædias vt diximus. *Ad.10.*

De ordine Philoſophiæ Naturalis. *Cap. 63.*

HIS exaratis quæ ad Metaphyſicam attinent, ſupereſt modò vt ad Naturalem deſcendamus philoſophiam, eam prius ordinando, deinde ſubiectum eius totale aſsignando. De diuiſione enim ſat ſit dicere, ꝙ in duas præcipuè diuiditur partes; nimirum communem & particularem. Prima continet octo libros phyſicorum; in quibus ea docet Ariſtoteles quæ omni corpori naturali communiter competunt. Secunda verò reliquos omnes continet libros naturales; qui quidem ob ſpecierum diuerſitatem, plurimi ſunt atque diſtincti. Horum itaque ordo in ſequentibus manifeſtabitur. Et vt noſtrum facilius & clarius ad finem perducamus inſtitutum, operæprecium me facturum ſum arbitratus, ſi nonnihil eorum quæ de ordine ſcientiarum dixi, nunc repetam & laconicè perſtringam.

Diximus itaque rationem ordinandi ſcientias & diſciplinas, non ab ordine naturæ, at à noſtra cognitione, ſeu à faciliori modo noſtro addiſcendi, deſumendam eſſe. Idq́. ex Ariſtotele in quinto Meta. ad initium deſumebamus, vbi inquit: Ex oppoſito verò aliud principium eſt illud, vnde quodq. optimè fiat; vt doctrinæ, non à primo, ac rei principio aliquando inchoandum eſt, ſed vnde quis facilius addiſcat. Si tamen contingat ordinem naturæ & cognitionis noſtræ aliquando eſſe coniunctos, tunc ſeruatur ordo naturæ, non quà talis, ſed quatenus facilius eum ſeruando addiſcimus. Si autem ſint diſiuncti, tunc neglecto ordine naturæ ſeruatur ordo cognitionis noſtræ; qui quidem exigit, vt à notioribus nobis, & ab his quæ ſunt faciliora cognitu, primordia capiamus. Quod vt fiat, ab vniuerſalioribus ſemper eſt inchoandum; veluti docuit Ariſtoteles in primo Phyſicorum t.c. 4. & Auerr. ibidem comm. 4. Non quidem ſimpliciter, at vt in plurimis; id tamen quod vt plurimum euenit, ſolet ſimpliciter enunciari, & proferri. Duplex ſiquidem eſt ordo doctrinæ, neceſsitatis ſcilicet & vt melius; veluti docuit Auerr. in primo Meteo. ad initium. Primus eſt, quando notitia vnius eſt neceſſaria ad notitiam alterius, veluti cauſa ſine qua non; ita vt poſterius ſine prioris notitia, intelligi minimè poteſt; vt conſtat de principiato & principijs; de genere & ſpecie, & huius generis cæteris. Secundus verò eſt, quando notitia vnius non eſt neceſſaria, atqui ſolummodo vtilis ad notitiam alterius; quemadmodum patet de viſu reſpectu tactus, & de animali reſpectu plantæ; vt diximus ſupra.

Quotieſcunque igitur iuxta primum modum ordinatur doctrina, ſemper ab vniuerſalioribus inchoandum eſt; non quia ſint vniuerſaliora, ſed quia notiora. Quamobrem in hoc ſenſu, notiora & vniuerſaliora ſunt annexa. Et quia hoc vt plurimum fieri ſolet, idcirco ab Ariſtotele & Auerroe fuit ſimpliciter prolatum, ꝙ ordo doctrinæ exigit, vt ab vniuerſalioribus primordia capiamus. Quando autem iuxta ſecundum modum ordinatur doctrina, tunc minus vniuerſalia præcedunt magis vniuerſalia. Quod quidem fieri ſolet, vel quando natura generis eſt per ſe nota, & accidentia ſpeciei non ſunt ſpecies accidentium generis; veluti ſi natura animalis eſſet

per ſe

per ſe ſimpliciter nota,volens tractare de homine,nõ cogeretur præmittere tractatũ de animali; tũ quia natura aĩalis eſſet per ſe nota,tũ quia accidens proprium ſeu paſsio hominis,quæ eſt riſibilitas,non eſt ſpecies paſsionis & proprietatis animalis. Vel quando aliqua ex æquo ſub eodem genere continentur,& vnum eſt facilius cognitu alio; vt de ſenſu viſus & tactus ſupra diximus.Tunc enim inchoandum eſt à notiori,cùm eius notitia ſit vtilis ad aliorum notitiam. Et hæc quando de rerum naturis habetur ſermo & doctrina, ita vt ipſarum naturæ & proprietates inſpectantur.

Si verò ſermo ſit de ſolis accidentibus, veluti de longitudine & breuitate vitæ, iuuentute & ſenectute,huiuſmodiq́.alijs,& etiam in Mathematicis; non cogimur prius tractare de accidentibus generis, quàm ſpeciei, niſi fortè ob faciliorem,clarioremq́.doctrinam; idq́.ſi vtraq.ſenſilia ſint. Sin minus; veluti ſunt paſsiones rerum mathematicalium, nulla doctrinæ neceſsitas,minimeq́.facilitas cogit & exigit,vt prius declarentur accidentia generis, quàm ſpeciei; quia vtraq. ſunt inſenſibilia, & quantò ſunt vniuerſaliora & abſtractiora, tantò ſunt difficiliora.

Et licèt oĩs ordo ſit ob melius,q̃a ſẽper attẽditur facilitas doctrinæ,& vt melius addiſcamus;q̃a tamẽ res penès quas ordinatur doctrĩa ita ſe habẽt, ꝙ vna nõ poteſt cognoſci diſtĩctè, niſi prius diſtĩctè cognoſcatur alia,ideo dicitur ordo neceſsitatis. Verùm quia de his ſupra latiùs diximus,eapropter pro declaratione ordinis Naturalis philoſophiæ hæc pauca dicta ſufficiãt. Quibus rectè intellectis,facile erit videre quàm pulchrè ſit ordinata.

Ab vniuerſalioribus ſiquidem inchoando Ariſtoteles,initium ſuæ Naturalis philoſophiæ ſumpſit à tractatione de corpore mobili,ſeu naturali cõmuni,in libris Phyſicorum.Vbi prius tractauit de eius principijs,materia ſcilicet & forma,in.1.& in.2.libro;in reliquis verò de eius accidentibus.Cuiuſq.nanq.rei cognitio pèroptimè habetur,ſi prius eius natura & ſubſtãtia, deinde accidẽtia noſcãtur;quandoquidẽ ſubſtãtia eſt cauſa accidẽtis;effectus autem nulla poſſumus ſciẽtia potiri,eius ignoratis cauſis; quare prius à materia & à forma, tanq̃ à partibus eſſentialibus,& ſubſtãtialibus ipſius corporis mobilis,ſeu naturalis,erat initiũ capiẽdũ. Et ita.1.pars Naturalis philoſophiæ ẽ liber Phyſico.Secũda verò,volumẽ de coelo & mũdo;vbi (iuxta Alexãdri,illius ex Aphrodiſiade cenſurã) agitur de vniuerſo; ſiue (quod idẽ eſt)de corporibus ſimplicibus,quorũ congeries eſt mũdus,& vniuerſũ. Idẽ enim eſt dictu: Subiectũ in libris de coelo eſt corpus ſimplex,quatenus ſimplex;& mũdus,quatenus eſt oĩum ſimpliciũ corporũ cõgeries. Vt igitur exprimeret Alexander in libris de coelo,nõ duo,vel tria tãtùm,ſed oĩa per tractari,atq.conſiderari corpora ſimplicia,quæ in proprijs quæq. locis ſita integrãt mũdũ,dixit;referẽte Simplicio;Cõſiliũ eſt Ariſtotelis agere de mũdo,& de ſimplicibus corporibus;vt ſecũdũ ſit declaratio primi;veluti tradit etiã Ariſto.in.1.lib.de coelo,cõtex.4.,ſub finẽ. Idq́.meritò iureq́.optimo; quandoq.dẽ poſt tractationẽ de primis rerũ naturaliũ initijs, & de corpore naturali,ſeu mobili cõmuni,ordo exigebat doctrinæ,vt de corporibus primùm ex illis initijs cõſtãtibus,nimirũ coelo,quatuorq́.elemẽtis verba faceret,& ſermonẽ haberet.Id quod etiam receptum eſt ab Alexandro,Iamblico,

ęo,Syriano,Simplicio,Auerroe, alijſq. Ariſtotelis interpretibus,dicentibus huiuſmodi volumē,Naturalis philoſophiæ partē eſſe ſecundā,qa illius ſubiectū eſt ante ſubiecta oīum aliorū naturaliū voluminū,& ſub ſubiecto in libris phyſico.pertractato,cōtinetur. Addit tamē Sueſſanus in ſua præfa. ſuper lib,de coelo,q hæc ideo eſt ſecūda pars,quia videtur incipere,vbi libri deſinūt auſcultatorij. Quandoqdē in illis deuenit Ariſto.ad aliquo primū mobile qđ mouetur à ſeipſo , cuius vna pars eſt penitus immobilis,q̄ ſumit Metaphyſicus;altera penitus mobilis,quā liber de coelo incipit exponere.

Hæc tamē ratio videtur velle,intentionē eſſe Ariſto.eo in loco,de corpore coeleſti tātùm agere ; cuius oppoſitū oēs illi libri perq̄ clariſſimè acclamant,& idē docet Sueſſanus.Si tamē velit,intētionē eſſe de corpore ſimplici vt ſic,& q in primo libro tractetur de corpore coeleſti,aſſentior & ipſe.

Quoniam autē natura, lumine,motu,& virtute coeli mediāte,cōcreta ex elemētis producit, propterea tertio loco agitur de eis, veluti de cauſis cuiuſq.ortus & interitus.Id quod etiā colligitur ex Ariſto.,cōferendo finē 4. libri de coelo,cū initio ,1.lib. de generatione & corruptione. In.1.ſiquidē loco ita epilogādo dicit:De graui igitur & leui,& ijs quæ circa hęc accidūt, determinatū ſit nobis hoc modo.In.2.verò ita inqt : De generatione aūt & corruptione eorū quæ natura generātur & corrūpūtur,ſimiliter de oībus & cauſas diuidēdū,& rationes eorū determinādum.Hæc ibi.Ex quibus facilè colligitur ex illa dictione(aūt)in initio libri de generatione & corruptione poſita,quæ eſt dictio & continuationis nota;veluti adnotauit etiā Philoponus in initio ſuper.1.de generatione, & Zimara in tabulā,dictione,autē; q ille liber ſeu volumen,ſit tertia pars Naturalis philoſophiæ: id quod etiā ab omnibus recipitur interpretibus, & ab Ariſto. clarius dicitur in primo Meteor.ad initium his verbis : De primis igitur cauſis naturæ, & de omni motu naturali; adhuc autem de rectè diſpoſitis ſecundùm ſuperiorem lationem aſtris,& de elementis corporalibus,& quot & quæ;& de ea quæ inuicē fit generatione & corruptione cōmuni,dictū eſt prius. Reliqua autem pars huius methodi eſt adhuc cōſideranda; q̄ oēs priores Meteorologiā vocabant. Hæc ibi. Ex quibus perq̄ clariſſimè cōſtat,q primùm in memoriam nobis reuocat quæcūq.iā illucuſq. circa phyſicum negotiū determinauit; poſtea quæ dicturus eſt,vltimo loco proponit. Primo ſiquidē loco dicit,ſe prius dixiſſe de cauſis naturæ , & de omni motu naturali,; quæ quidē ad libros attinent phyſicorū.Secundo loco de aſtris ſecundū ſuperiorē lationem; quæ ad libros pertinent de coelo & mundo.Tertiò de generatione & corruptione in communi . Quarto & poſtremo loco,meteorologicum negotium proponit agitandum.Quapropter liber phyſicorum erit prima,liber de coelo ſecunda,ille de generatione & corruptione tertia,& ille de meteorologicis quarta Naturalis philoſophiæ pars.Quæ quidem omnia peroptimè declarantur ab Alexandro , inter initia primi Meteororum , & eſt communis omnium doctorum ſententia. Et ſi huiuſmodi verba animaduertiſſet Epiſcopus Caſertanus,vtiq. non negaſſet libros phyſicorum partem eſſe Naturalis philoſophiæ. Sed difficultas eſt de quarto Meteororum , nunquid ſit meteorologicus , aut non; propterea videamus.

An quartus liber Meteororum ſit meteorologicus. Cap. 64.

CAETERVM non modicum eſt inter vtriuſque peritiæ doctores, de .4. Meteororum libro diſsidium, atq. diſcrepantia; an ſcilicet ſit meteorologicus nec ne. Et ſin minus, quem locum teneat inter naturalis philoſophiæ libros; Nuq̃d ſequatur immediatè libros duos de generatione & corruptione, ſeu potius poſt libros tres meteorologicos veniat cum titulo de miſtione collocandus; ita quòd non ſit eis annexus, at ſolutus, medians inter eos, & illos de animalibus & plantis.

Primo itaq. loco ſeſe offert ille inter Peripateticos maximus Alexander *Opinio Alexandri.* qui in præfatione q̃ edidit in quartum Meteorologicorum librũ, vult quidem illum eſſe Ariſtotelis, ad meteorologicũ autem negotiũ attinere, minimè; at potius duobus illis de generatione & corruptione annectendum.

Quòd nõ ſit meteorologicus, hac ratione probat; quãdoq̃dẽ in libris ad .1. negotiũ meteorologicũ pertinẽtibus agitur de his quæ fiunt in ſublimi, ſeu infra, ſeu ſupra terrã. Cùm itaq. in illo .4. lib. de huiuſmodi minimè agatur, atqui potius de miſtione, ſeu generatione miſtorũ perfectorũ ſimilarium, q ad negotium meteorologicũ minimè pertineat, neceſſariò cõſequitur.

Quod verò libris de generatione ſit cõnectendus, in hunc modũ declarat .2. Alexander: Quia Ariſto. in primis duobus libris de ortu & interitu pertractauerat de quatuor primis qualitatibus, nimirũ caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, oſtẽdẽs ex illarum cõbinatione fieri, atq. conſtitui elemẽta, quaſdamúe illarũ actiuas eſſe, quaſdã verò paſsiuas; ſupererat poſtea tractandum de earũ actione adinuicem & paſsione, pariterq. de ijs, quæ ab ipſis gerũtur & fiunt. Quæ quidem, cùm in eo quem meteororum quartum librum appellant pertractentur; vt ex eius continuatione optimè conſtat; Id quod ſecundo loco dixit, minimè inficiandum venit.

Quod etiã cõfirmatur atq. corroboratur, ex initio eiuſdẽ libri; vbi Ariſto. .3. in memoriã nobis reuocans quæ in ſecũdo dixerat de ortu & interitu, ita inquit: Quoniã autẽ quatuor cauſæ determinatæ ſunt elemẽtorũ, harũ aũt ſecũdùm coniugationes & elemẽta quatuor accidit eſſe; quarũ duæ quidẽ actiuæ, caliditas & frigiditas, duæ aũt paſsiuæ, ſiccitas & humiditas; fides aũt horũ ex inductione. Et cætera quæ ſequũtur. Quibus quidẽ collatis cũ fine tertij meteororũ, & ſecundi de generatione, oĩa perquamclariſsimè conſonabunt. In calce ſiquidem tertij meteororũ libri, hæc habẽtur verba formalia: Cõmuniter igitur dictũ ẽ de oĩbus his, ſigillatim aũt conſiderãdũ intendentibus circa vnũquodq. genus. In quibus proponit, & pollicetur, ſe verſaturũ circa vnũquodq. genus metallorũ, & foſsibilium. At q̃d hæc cũ initio quarti meteororum? Vbi tamen habetur illa dictio (autem,) quæ coniunctionem & continuationem notat. Quo quidem modo loquendi & continuandi, ſæpiſsimè vtitur Ariſtoteles; veluti conſtat inter initia primi de ortu & interitu; vbi poſtquam in calce quarti libri de coelo perorando dixerat: De graui igitur & leui, & ijs quæ circa hæc accidunt, determinatum ſit nobis hoc modo: Subſequitur ſtatim in primo de genera-

tione & corruptione: De generatione autem & corruptione eorum quæ natura generantur, &c. Amplius, in calce primi Meteororum ita epilogando dicit: Cur igitur terræ non ſemper eadem aut continens fiunt, aut nauigabilia, & propter quam cauſam hæc accidunt, dictum eſt. Similiter autem & propter quid fluuiorum, hi quidem ſemper fluentes ſunt, hi autem non. In principio autem ſecundi ita continuando dicit: De mari autem, & quæ natura ipſius, & propter q̃ cauſam eſt ſalſa tanta aquæ multitudo, adhuc autē de ea quæ à principio generatione, dicamus. Eodem modo continuat Meteor. tertium cū ſecundo. In cuius quidē extremo dicit; Et de tonitruo quidē, & coruſcatione dictū eſt. Deinde continuando tertiū, ita ſcribit: De reſiduis autē dicamus operibus ſegregationis huius, inducto iam modo dicētes. Item, in fine. 2. de anima in hunc modū cōcludit: De imaginatione igitur quid eſt, & propter quid eſt, dictum ſit in tantum. Et tertium continuando inquit: De parte autem animæ qua & cognoſcit anima & ſapit, ſiue ſeparabile exiſtente, ſiue non ſeparabili ſecundùm magnitudinem, ſed ſecundùm rationem, conſiderandum eſt.

Tali etiam pacto continuat libellū de memoria & reminiſcentia, cū illo de ſenſu & ſenſibilibus. Et illū de ſomno & vigilia, cū de memoria & reminiſcētia. Et alia vt plurimū eodē modo continuat; veluti diximus; & apud eum hæc oīa perſpicua ſunt. Non igitur conueniunt finis tertij, & initiū quarti meteororum, nullamq́; adinuicem habent ſinphoniam. Atqui multam cum ſecundo de ortu & interitu; conſimilemq́; illi, quam habet libellus de ſenſu & ſenſibilibus, cum libris de anima. Quibus quidem abſolutis & perfectis, ſequitur libellus, quem diximus, in hūc modum: Quoniam autem de anima ſecundùm ſeipſam determinatum eſt prius &c. Ita pari ratione, abſolutis libris duobus de ortu & interitu; in quorum ſecundo fuerat determinatum quatuor eſſe primarias qualitates, à quibus quatuor oriuntur & denominantur elementa; & quòd iſtarum, duæ ſunt actiuæ, reliquæ paſſiuæ; Conſequens erat videre quænam ſint opera & effectus illarum. Et quoniam opus inter initia primi & ſecundi de ortu & interitu pollicitum, iam erat perfectum & abſolutum; propterea in hoc libro quem collocandum in manibus habemus, quaſi nouum opus (ab illo tamen abſoluto conſequens) auſpicaturus, modo quo libellum de ſenſu & ſenſibilibus incoepit dicens: Quoniam autem quatuor determinatæ ſunt cauſæ &c. Ex quibus omnia conſonare videntur, & idem ſemper ſeruatur modus ſcribendi Ariſtotelis. Qui in tota ſua philoſophia, mirabili vſus eſt ordine; & vt plurimum, vno terminato libro, in initio immediatè ſubſequentis in memoriā reuocat ea quæ in immediatè præcedente deciſa fuere, atq; determinata. Et nunq̃ inuenitur, q̃ vno terminato negotio, alioq; incœpto lōgè ab illo iā terminato diſtāte, vno ſeu illius pluribus abſolutis libris, ob aliūs principiū, repetat ea quæ in alio iam longè terminato & valde diſtante, dicta fuere. Cum itaq; in hoc vno libro qui meteororum quartus inſcribitur, ea repetat & in memoriam reuocet, quæ in ſecūdo dixerat de ortu & interitu, ſuum modum ſcribendi atque continuandi ordinarium ſubuertere videtur. Quare iſte cum ſecundo de ortu & interitu annectendus cenſetur.

Addo, ꝙ aut huiuſmodi liber habet cõnexionẽ cũ tribus immediatè præ- .4.
cedentibus, ita vt de eodẽ ſint ſubiecto, aut non. Si primũ, ad quid repetere illa quæ in ſecundo de ortu & interitu, longè ab hoc opere diſtante, iam dixerat, & non continuare ſe cum tertio immediatè præcedente, vt ſui moris eſt? Si ſecundum, non eſt amplius locus diſputationi.

Adhuc; In hoc quarto libro, ea nedum declarãtur, quæ in admiſtionẽ per- .5.
fectam conueniunt, verùm etiam quæ in imperfectam. Et primarum qualitatum, actionem & paſsionem in oĩbus, ſeu perfectè, ſeu imperfectè, miſtis concurrentes, ſpeculatur Ariſto. Si enim res ipſas, ſeu aqueas, ſeu terreas, cõſideremus, earũ coagulationes, ſolutiones, exiccationes, & id genus alia, nil aliud eſſe reperiemus, quàm calidi, frigidi, humidi, & ſicci, actiones & paſsiones; quæ omnibus admiſtionem aliquam habentibus ſunt cõmunes.

Cùm igitur Ariſto. in hoc quarto de cõmunibus oĩbus miſtis, ſeu perfectis, ſeu imperfectis, agat, merito, iureq́; optimo, libros meteor. præcedere debet, in quibus agitur de miſtis tantùm imperfectis. Et quia admiſtio, primarumq́; qualitatũ actiones & perpeſsiones, in miſtis perfectis ſimilaribus, magis ꝗ̃ in miſtis imperfectis ſimilaribus dignoſcere quimus; propterea in ratione ordinis, noſtram faciliorem attendens diſciplinam, prius de illis, quàm de iſtis diſſerere inſtituit.

Huic doctrinæ ſubſcribit & aſtipulatur Ammonius, referente Ludouico *Ammonius .6.*
Buccaferreo in .4. Meteororum, lectione prima; hac præcipuè ratione: Quandoquidem, niſi iſte liber connecteretur lib. de generatione & corruptione, tunc eſſet diſcreta oratio Ariſto., & diſſecti eſſent libri Naturalis philoſophiæ: Propterea ꝙ cùm in ſecundo de generatione & corruptione de elementis egerit Ariſto., quatenus elementa ſunt, id eſt, quatenus ſunt principia miſti; non enim ſunt eius principia, niſi ſub ratione elementi. Et cùm elementa non ſint principia miſti, niſi ratione mutuæ actionis & paſsionis primarum qualitatum, & prout ſimul agunt & operantur; Et in .4. hoc libro agat Ariſtoteles de effectibus & operationibus illarum primarum qualitatum, reſultantibus ex actione & paſsione illarum; quod ſermo illius continuari debeat libris de ortu & interitu, neceſſario conſequitur. Secus diſſecta atque diſcreta eſſet Ariſtotelis oratio.

Confirmatur ratio ex proœmio primi meteororum; vbi Ariſtoteles pro- .7.
ponit oĩa pertractanda in libris meteororum; at horum non meminit, quæ tractantur in hoc quarto, non igitur eſt meteorologicus, ſed cum illis de generatione eſt annectendus.

In hanc eandem ſententiam deſcenderet libenter ex latinis, Franciſcus *Vicomercatus.*
Vicomercatus, in proœmio primi, & quarti meteororum.

Ludouicus tamen Buccaferreus vbi ſupra, nititur ſoluere primam ratio- *Solutio .1. rationis ex Bucaferreo.*
nem pro hac opinione; dicendo ex Linconienſi in primo Poſte., quòd aliquando aliqua pars eſt alicui libro eſſentialis, aliqua verò accidentalis, & tanꝗ̃ complementum. Liber igitur quartus meteororum, licèt non ſit pars eſſentialis illius operis, eſt tamen pars accidentalis & vt complementum, ad meteorologica indirectè pertinens. Huiusq́; ratio eſt, conformitas quam habent miſta perfecta ſimilaria, de quibus tractatur in illo, cum metallis &

foſsilibus, de quibus tractatur in calce. 3. eiuſdē voluminis. Nam, inquit, pertractauit Ariſto. in. 3. lib. de metallis & foſsilibus, ob illā quā habēt cum meteorologicis cōformitatē; fiunt enim hæc & illa ex duplici halitu. Ita pari ratione, quia mineralia & illa de quibus habetur ſermo in. 4. meteoro. conueniunt in hoc genere communi, quod eſt eſſe miſtum perfectum ſimilare, ex conſequenti aliquam adinuicem habent conformitatem, eapropter poſt tractationem de metallis, meritò iureq. optimo, de alijs miſtis perfectis ſimilaribus erat agendum; idq. factum eſt in quarto meteororum. Et ita eſt pars accidentalis, & quaſi complementum illius operis.

Contra Buccaferreum. Veruntamen ſolutio non placet. Quandoquidem illam partem appellat Linconienſis complementum, ſeu ad bonitatem doctrinæ facientem, ex conſequenti accidentalem, minimeq. eſſentialem; quæ primò & per ſe in aliquo libro particulari non intenditur, atqui interponitur tantùm ad tollendas difficultates emergentes, & errores circa iam determinata contingentes. Vnde Linconienſis dicit & vult, huiuſmodi doctrinam non eſſe de eſſentia libri, quandoquidem concluſionibus prædemonſtratis non continuatur ſimpliciter & propriè, at interponitur ob eam, quam dicimus rationem. Eapropter dicebat ipſe in primo de poſteriori reſolutione, cap. 3. & .5., quòd illa duo capitula non erant de ſubſtantia illius ſcientiæ, ſed complementum, ſeu de complemento bonitatis illius: quia ſcilicet purgant errores, qui ſunt vicini ſcientiæ ſuperius acquiſitæ. Nam in. 3. cap. purgantur errores de circulari demonſtratione; quia ſupra iam erat demonſtratum, principiorum magis eſſe ſcientiam, quàm concluſionem. Ob idq. huiuſmodi contingebat error; vel quòd nulla eſſet ſcientia, vel quòd daretur demonſtratio circularis. Et iſte error purgatur in illo. 3. cap. Similiter dico de quinto cap.; in quo tolluntur errores circa vniuerſale contingentes. Illam igitur partem quæ purgat errores, non vult Linconienſis eſſe eſſentialem, atqui de complemento bonitatis ſcientiæ, & accidentalem. Liber autem quem meteororum quartum appellant, non eſt huiuſmodi; Igitur nec de complemento ſcientiæ meteororum, minimeq. pars accidentalis nuncupari debet. Media propoſitio adeò eſt clara & nota, quòd nulla indiget probatione, nequidem declaratione.

2\. Item; Illa ſunt accidentalia, & de complemento alicuius ſcientiæ & doctrinæ, quæ obiter & præter principale intentum in ea pertractantur. Illa autem quæ pertractantur in quarto meteororum non ſunt huiuſmodi; at ſunt primò & per ſe intenta in Naturali philoſophia. Non igitur eſt pars accidentalis illius ſcientiæ. Nec etiam per ſe, ſecundùm tuam doctrinam. Igitur non attinet ad eam.

3\. Adhuc arguo contra rationem. Si quartus ille liber debet ſequi ad tertium, tanq. pars accidentalis, & pro complemento libri & ſcientiæ meteororum, oportet vt in eo pertractata aliquam cum rebus meteorologicis habeant conformitatem & conuenientiam; veluti patet de metallis & foſsilibus, quæ licèt non in loco, tamen in materia cum illis conueniunt. Atqui nec in loco nec in materia conueniunt. Ergo nullam cum eis habent conformitatem.

Nec illud quod dicit de conformitate eorum quæ in quarto pertractantur, cùm metallis & foſsilibus, de quibus in calce tertij ſermo habetur, iuuat. Ex eo quia, ad hoc ut aliqua pars ſcientiæ ſit accidentalis & pro complemento illius, aliqualem debet habere conformitatem cum illis, quæ principaliter & per ſe intenduntur in ea; non autem cum illis, quæ etiam quaſi per accidens in eadem conſiderantur. Veluti ſunt foſsilia & metalla; quæ quidem, cùm non niſi in materia cum meteorologicis conueniant, quòd ibi quaſi per accidens pertractentur, neceſſariò conſequitur. Atqui illa quæ in quarto conſiderantur, nullam habent conformitatem, neque aliqualem conuenientiam cum meteorologicis, at tantùm cum metallis & foſsilibus; & hanc ſatis communem atque diſtantem, cùm in hoc ſolo conueniant quòd ſunt miſta ſimilaria. Et tamen aut in loco, aut in materia, aut in vtroq. ſimul conuenire atq. conformari deberent. Non eſt igitur cur liber ille, quartus meteororum appellari debeat. Quare firma & rata permanet ratiò noſtra.

Et ſi quis velit metalla & foſsilia cum meteorologicis etiam quò ad locum, quoquo pacto conformari, quia licèt non fiant in ſublimi; cùm tamen fiant ex duplici halitu, ſequitur quòd eleuentur ſub terra. Admittimus libenter; & tunc fortior redditur ratio noſtra. Quoniam illa quæ pertractantur in quarto, non fiunt ex duplici halitu, nec propterea in ſublimi, nec ſub terra eleuantur. Quare cum meteorologicis nullam habent conformitatem, neq. cum metallis & foſsilibus, niſi illam quam diximus communem, & à ratione meteororum longè diſtantem; quæ non ſufficit, ad hoc vt illa, meteorologica dicantur. Nam foſsilia & metalla, proximam habent conuenientiam; nimirum in materia, & aliqualiter in loco. Nulla igitur cùm ſit Buccaferrei reſponſio ad Alexandri rationem, ſequitur alia Pomponatij examinanda. *Alia ſolutio Pomponatij.*

In quarto igitur meteororum dubitatione prima, ad idem ratiocinium reſpondet Pomponatius noſter; quòd non ſemper liber nomen deſumit ab eo quod in illo tractatur; ſed ſufficit quòd pro maiori parte de ijs tractetur, à quibus nomen habet. Vnde cùm maiori ex parte tractetur de ijs quæ in ſublimi fiunt, vt in tribus primis libris; ſtat quod in quarto de miſtis ſimilaribus tractetur, & quòd etiam nomen aliorum librorum retineat. Rectius tamen de miſtione inſcriberetur: quia à materia ibi pertractata nomen acciperet, & alijs tribus libris peroptimè continuaretur.

Iſta reſponſio duo dicit. Primum eſt, quòd ille quartus liber eſt meteorologicus, quia licèt de miſtis ſimilaribus in eo pertractetur, nomen tamen deſumit ab ijs, quæ pro maiori parte pertractantur. Secundum verò eſt, quòd rectius inſcriberetur de miſtione, quia à materia ibi pertractata nomen acciperet, & ad præcedentē continuaretur. Et ita in hoc ſecundo videtur aſſentire & conuenire cum Sueſſano; qui vult, quartum hunc librum, de miſtione appellari, minimè autem quartum meteorologicorum; veluti patet in eius expoſitione ſuper huiuſmodi librum. Et hoc ideo, quia inter librum meteorologicorum, & librum de mineralibus & lapidibus, ponitur liber de miſtis, qui eſt de corpore mobili ad formam miſti perfecti, nō tamen *Sueſſa.*

certa

certa ſpecie definiti, quem putauerunt eſſe (licèt perperam) quartum meteorologicorum; quemadmodum docet ipſe, in præfatione quam edidit in libros de hiſtoria animalium.

.1. Cõtra Põpo. & Sueſſa. Cæterùm neutrum iſtorum mihi probatur. Quia ſi iſte liber eſt meteorologicus, cum alijs tribus (vt meteorologici ſunt) debet habere continuitatem & conformitatem. Neutrum autem horum habet; vt probauimus. Igitur, &c.

.2. Amplius, dicit Pomponatius, quòd ſi intituletur de miſtione, optimè omnes libri continuabuntur. Percunctor ego, aut continuabuntur vt meteorologici, aut non. Si primum, debet igitur inſcribi de meteorologicis, & non de miſtione. Quod tamen fieri non poteſt, ob proximè dictas rationes. Et quod peius eſt, reſponſio, duo clauderet pugnantia; quia vellet in illo libro tractari de meteorologicis, & tamen inſcribi de miſtione. Si verò detur ſecundum, ſtatim ſequitur opinio Sueſſani; quæ tamen ex diametro pugnat cum Ariſtotele: qui inter initia libri meteororum dicit, quòd immediatè pòſt lib. meteororum, ſequitur liber de animalibus. Et hoc etiam notauit ipſe Pomponatius, eodem in loco, quem ſupra citauimus, cõtra Themiſtium. Vtcunque igitur dicat vir iſte, (vt mea fert opinio) minimè euadere poteſt. Quandoquidem, aut iſte liber eſt meteorologicus ſimpliciter. Et hoc non; quia nullam habet conformitatem, neque annexionem & continuationem cum alijs tribus. Et ſtatim contradicit ijs, quæ in fine dubitationis dicit; nimirum quòd debeat inſcribi de miſtione. Aut non eſt meteorologicus; at; veluti dicebat Sueſſanus; eſt liber ſeiunctus à meteorologicis, nulliq́. parti annexus, ſituandus inter librum meteororum & illum de animalibus. Et tunc contradicit etiam ſibiipſi Pomponatius; quia iam aduerſus Themiſtium concluſerat ex Ariſtotele, talem huic libro non conuenire locum. Quare nedum ſibi, verùm etiam Ariſtoteli contradicit. Et ita ex Pomponatio huius difficultatis nulla ſequitur deciſio. Neque id quod dicit Sueſſanus, cui (ſaltem quò ad locum) concordat Simplicius in procemio libri phyſicorum, non habet locum; vt oſtenſum eſt. Nam Ariſto. totum docet oppoſitum, in initio libri meteororum.

Solut. 2. ex Buccaferr. Ad ſecundam rationem Alexandri reſpondet Buccaferreus, quòd in initio quarti meteororum non continuat ſe Ariſtoteles libris de ortu & interitu; at accipit ea, quæ ibi tractata fuere, tanq̃ ſuppoſitiones, eiſq́. vtitur in hoc quarto libro.

Impugna. Attamen huiuſmodi ſolutionis vim oſtendunt ea, quæ ſuperius in tertia noſtra ratione principali adduximus. Sed addo, quòd Ariſto. quando aſſumit aliqua iam probata, tanq̃ ſuppoſitiones, illa accipit ad reliqua demonſtranda; veluti conſtat in tota ſua doctrina, & hoc præcipuè docet in primò Poſteriorum libro. Id quod præcipuè facit ad initium primi meteororum, vbi quædam in libro de coelo probata repetit, è quibus quaſdam deſumit hypoteſes, ad oſtendendam cauſam materialem & effectricem eorum, quæ fiunt in ſublimi. Idem etiam facit Ariſto. in lib. de inceſſu animalium, cap. 2. In initio autem quarti meteororum repetit ea, quæ dixerat in libro ſecundo de ortu & interitu, non vt alia ſubſequentia ex illis

demon-

demonſtret, atqui vt hæc illis annexa, ex conſequenti, proprio loco pertractata, oſtendat.

Et quòd ita ſit, eius attendamus verba, modumq́. loquendi. Dicit enim: Quoniam autem quatuor cauſæ determinatæ ſunt elementorum .&c. In calce tandem eiuſdem primi cap. ita concludit: Quòd igitur hæc quidem actiua ſunt, hæc autem paſsiua, manifeſtum eſt. In .2. autem cap., in hunc modum continuando, dicit: Determinatis autem his, ſumendum vtique erit operationes ipſorum. &c. Ex quibus patet, quòd non ſupponit, ſeu non accipit ea, tanq̃ ſuppoſitiones; ſed continuat dicta dicendis; eo ſcilicet modo, ſeu ſaltem ſimili, quo vſus eſt in principio libelli de ſenſu & ſenſibilibus. Et ſi in quarto meteororum accipit quæ dixerat in lib. de ortu & interitu tanq̃ ſuppoſitiones; idem dicamus oportet de libello, cui titulus eſt de ſenſu & ſenſibilibus; quod tamen eſt riſu digniſsimum. Idem poteſt dici de ſecundo generationis, reſpectu primi.

Amplius, pro eiuſdem rei maiori elucidatione, animaduertamus rem in ſeipſa. Nam natura ita ſunt elementa comparata, vt non ſolùm ex eis huius machinæ coagmentatio ſit, verùm etiam vt quæ ea continentur omnia, nempe lapides, metalla, plantæ, animalia, & huiuſmodi, ex eorum admiſtione fiant. Quod tamen fieri nequit, niſi adinuicem agant & patiantur; propterea eadem natura vnicuique eorum binas indidit qualitates; quarum vna agendi, altera patiendi vim habet. Et harum qualitatum vi, nedum res ipſæ ex elementorum admiſtione confectæ, verùm etiam quæcunque in illis inſunt, eiſdemq́. eueniunt fieri ſolent. Huiuſmodi ſunt odores, ſapores, colores, duritics, mollities, & reliqua eiuſmodi. De numero itaq; & vi ipſarum primarum qualitatum; quæ ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas; quatenus ſunt elementorum initia, & earum beneficio inter ſeſe admiſcentur, in lib. de ortu & interitu egit Ariſtoteles. De earum verò actione & paſsione, deq́. operibus ab illis proficiſcentibus, tam reſpectu miſtorum, quàm eorundem affectionum & accidentium, in hoc, quem in manibus habemus, libro, particulatim diſceptare intendit. Quare in eius initio, illa omnia quæ in libris de ortu & interitu pertractauerat, quodam epilogo; quaſi proximè pertractata; reaccipit, ſtatimq́. actiuarum facultates & opera, patibiliumq́. ſpecies omnes pertractandæ proponuntur; & ſeriatim pertractantur. In primis ſiquidem duobus libris de ortu & interitu egerat de elementis, eorumq́. adinuicem generatim admiſtione. In hoc autem deſcendit ad varios effectus primarum qualitatum; veluti ſunt putrefactio, conſeruatio, digeſtio, indigeſtio, coagulatio, liquefactio, mollities, durities, &c. Qualis igitur clarior ordo, quæúe lucidior doctrina? Non itaque accipit Ariſtoteles quæ iam dixerat, tanq̃ ſuppoſitiones; ſed omnia ſeriatim & pulcherrimè continuat, & coagmentat. Quare & .2. Alexandri ratio adhuc ſtat inconcuſſa & firma. .2.

Ad eam autem Ammonij, quæ erat .6. in ordine, reſpondet Buccaferreus vbi ſupra; quòd in lib. de generatione & corruptione connumerantur elementa vt elementa ſunt, & vt partes miſti. Et quando dicimus, quòd elementa non ſunt elementa, niſi quatenus habent qualitates primas, ex quarum *Solutio.6. ex Bucca ferr.*

rum

rum mutua actione & paſsione reſultat miſtum; quia miſtum non reſultat ex elementis, niſi quatenus habent qualitates primas agentes & patientes inuicem; vtique verum eſt. At cùm ſubdit Ammonius, quòd hoc declaratur in hoc quarto libro; dicit Buccafer., quòd etiam hoc declaratur in libro de generatione & corruptione, ſed in vniuerſali. In hoc autem quarto, tantùm declarat Ariſtoteles, quomodo elementa vt elementa ſunt, partes ſunt miſti ſimilaris, cuius generatio fit ex eorum mutua actione & paſsione. Et ſic non agit hic de elementis quatenus ſunt partes miſti abſolutè; ſed de miſti perfecti ſimilaris generatione. Quare non erunt diſſecti libri de generatione, quia iſte eſt diuerſus tractatus ab illis.

Impugna. Cæterùm dum ſoluere nititur, Ammonij magis corroborat ratione͂ Buccaferreus. Quandoquidem ſciebat vtriq. Ammonius, & pro comperto habebat, quòd de primarum qualitatum numero & vi, quomodo elementorum ſint initia, & earum beneficio inter ſe admiſceantur elementa, in libris de ortu & interitu ſermo habetur; ex conſequenti de eleme͂tis, eorumq. primis qualitatibus in vniuerſali & abſolutè eſt conſideratio. At hic non eſt ſtatus; ſed ad earundem actiones & paſsiones particulatim, operaq. & affectiones in eis cauſatas, pedem conuertamus oportet. Quæ quidem omnia in hoc quarto libro conſiderantur; veluti ſupra diximus. Quòd ſi non immediatè poſt libros de generatione & corruptione collocetur, quomodo non erit diſcreta Ariſtotelis oratio?

11 Cùm itaque dicit Buccafer., quòd in hoc quarto non tractatur de elementis vt elementa ſunt, neque vt ſunt partes miſti abſolutè; ſed de eis quatenus ſunt partes & materia miſti ſimilaris, cuius generatio fit ex eorum mutua actione & paſsione, corroborat Ammonij rationem. Non enim aliud intendebat ipſe; & ſi verba aliorſum tendere videantur. Quibus ſtantibus, quomodo iſte tractatus erit diſtinctus ab illo de generatione & corruptione? Nónne docet Ariſtoteles in hoc eodem quarto, ſumma.4., cap. 3., quòd ex elementis, tanq̃ ex materia, fiunt quæ partes habent ſimilares; & ex his omnia opera naturæ? In libris igitur de ortu & interitu cùm de elementis, eorumúe qualitatibus generatim & abſolutè pertractaſſet, cur ordo doctrinæ non exigebat, vt de ijs, quæ ex illis tanquam ex materia proxima conſtant; nimirum miſtis ſimilaribus; verba faceret?

Euaſio. 12 Dices fortaſsis, ꝙ vtiq. verum eſt; at huiuſmodi ſunt meteorologica; quia & ipſa ſunt miſta ſimilaria; & horum iſte eſt quartus liber.

Impugna. 13 At hoc non iuuat; quandoquidem de ijs prius agendum erat, quæ ex quatuor fiunt elementis, & ſecundùm ſolitum naturæ curſum & ordinem; cuiuſmodi ſunt miſta perfecta ſimilaria. Deinde de illis, quæ ex duplici fiunt halitu, & alijs meteorologicis; quæ adeò ſunt inordinata, vt potius caſu, & præter naturæ intentionem, pariterq. accidentaliter, quàm per ſe, & à natura intenta, fieri videantur. Videmus nanq. cometas, reſq. alias igneas, exiguum prorſus ordinem ſeruare, nihilq., aut parum, de eiuſmodi ortus tempore, quantitate, figura, & loco, niſi in genere eſſe conſtitutum. Imbrium etiam, flatuum atq. ventorum, eadem eſt ratio; cùm annorum quida͂ pluuij, ventoſi alij, admodumq. inter ſe eorum varient tempeſtates, nullo,

vel

vel exiguo,eius varietatis ordine conſtituto.Non ob id dicimus,huiuſmodi omnino ordine carere,cùm quibuſdam temporibus magis, quàm alijs fieri ſoleant. Cauſam quoque habent materialem,& efficientem, ſibi propriam.Eapropter dicebat Ariſto. in initio primi meteororum,quòd accidunt, ſecundùm naturam quidem, inordinatiorem tamen primi elementi corporum. Potius enim ſunt elementorum affectiones,quàm ex illorum admiſtione procreata. Non erat igitur cur prius de iſtis,quàm de illis, quæ ſecundùm ſolitũ naturæ ordinem & curſum fiunt,ageret Ariſtoteles. Sicut enim prius de ſubſtantia quàm accidente,ita etiam prius de ijs quæ ſubſtantiæ omnimodam rationem habent, quàm de illis quæ accidentis naturam videntur habere,agendum erat. Et quemadmodum Ariſto.in.2. auſcultatorio libro,prius de cauſis quatuor per ſe,nimirum materiali, formali,efficiente,& finali, quàm de ijs quæ inter ea quæ ſunt per accidens connumerantur,Fortuna ſcilicet & caſu,ſermonem habuit; ita etiam pari ratione,hoc in loco prius agere debebat de ijs quæ per ſe cauſæ ſunt & videntur,quàm de ijs quæ, licet ſint per ſe cauſæ,per accidens tamen eſſe videntur; veluti diximus. Quòd enim vocata clementa, cauſæ ſint per ſe miſtorum ſimilarium materiales, nemini dubium. At quòd per ſe ſint materialis cauſa eorum, quæ ex vapore & exhalatione in ſublimi fiunt, multæ poſſunt contingere ambiguitates, rationibus præadductis. Idem poteſt dici de eorum cauſa efficiente, nempe de corpore coeleſti.

Erat tamen ſeptima ratio, ad idem principaliter demonſtrandum, quam nitebatur ſoluere Buccaferr., loco præcitato, dicens, quòd Ariſto. non numerauit in proœmio meteororũ quæ in hoc.4.° traduntur & conſiderantur,quia ea quæ hic traduntur, non ſunt eſſentialia meteora, ſed vt complementum eius. Et ita ex dictis ad primam rationem Alexandri, ad hanc etiam Ammonij ſatisfacere contendit. *Solutio.7. ex Bucca fer.*

Eapropter & nos ex dictis aduerſus illam primæ rationis ſolutionem, hanc etiam dilui arbitramur. Quare & Alexandri & Ammonij doctrinam, adhuc inconcuſſam remanere arbitrarer. *Impugn.*

Dubitatur contra prædicta. Cap. 65.

NON deſunt tamen rationes in oppoſitum ex Buccaferreo, Pomponatio & Olympiodoro. Arguit igitur Buccaferreus loco præcitato, ex libri inſcriptione; Inſcribitur enim quartus liber meteororum; & huiuſmodi inſcriptio recipitur ab omnibus, tam græcis quàm latinis. Ergo vel falſa inſcriptio, vel liber eſt meteorologicus. *Dub 1. in oppoſitũ.*

Arguit ſecundò: Ordo librorum Ariſtotelis ſequitur ordinem naturæ,quia de neceſsitate debet ſemper philoſophus inſequi ordinem naturæ. Ergo qualis eſt ordo naturæ in rebus naturalibus,talis debet eſſe ordo librorum. Cùm itaque Ariſtoteles in lib. de ortu & interitu, de ijs egiſſet abſolutè, deq. ſimplicium corporum generatione; conſequens erat, vt de miſtis neceſſariò ſermonem haberet. Hæc autem in duplici ſunt diſcrimine; nimirum perfecta & imperfecta. Imperfectaq. ſunt .2.

ſimpli-

ſimpliciora, quare & priora, ſaltem ordine naturæ. Ariſtoteles igitur prius de illis, quàm de perfectis, tractationem explere debebat. Atqui de imperfectis agit in tribus libris meteororum, de perfectis verò in hoc quarto. Igitur ad illos neceſſariò conſequitur.

Olympio. 3. Arguit tertio loco Olympiodorus: Si liber iſte quartus ſit annectendus libris de generatione & corruptione, interrupta atq. interciſa eſſet diſciplina, quæ de qualitate formatis, & paſsionibus affectis elementis exiſtit. Quandoquidem in libris de coelo & mundo agitur de elementis quòd non generantur; in libris de ortu & interitu de eiſdem, prout qualitatibus informantur; In hoc autem quarto, quomodo paſsionibus afficiantur. Atqui prius elementa patiuntur, deinde qualitatibus formantur. Ergo iſte liber deberet præcedere librum de generatione, & non illi annecti; ſecus interrupta eſſet diſciplina de elementis. Hoc autem non admittitur. Igitur eſt meteorologicus.

Pompo. 4. meteo. dub. 1. 4. Arguit vltimo loco Pomponatius noſter, tali pacto: Si hic liber debet ſequi librum de generatione, aut erit pars ipſius libri, aut liber ſeparatus. Sed neutrum horum poteſt eſſe. Quandoquidem ſi eſt liber ſeparatus, non benè ſe geſsit Ariſto. in initio primi Meteororum, vbi poſt libros de generatione, collocat libros Meteororum. Si verò eſt pars, malè Ariſto. in calce huius quarti libri; vbi continuando ſe ad ſequentia, dicit quòd poſt hunc librum tentabit conſideratiõe de animalibus. Non igitur tanq̃ liber ſeparatus, nec tanq̃ pars libri de generatione, eſt illi annectendus iſte quartus. Sunt iſtæ potiores rationes pro parte aduerſa; quæ modò veniunt ſoluendæ.

Præinducta rationes diluuntur. *Cap. 66.*

Ad primum. PRIMA itaq. ratio ſatis eſt leuis; quandoquidem mendoſam atq. vitiatam illam inſcriptionem eſſe crediderim; cùm vnus ex his locis eſſe potuerit, quos i libris Ariſtotelis tineis corroſis, & humiditate labefactis, malè fuiſſe emendatos, libro. 13. his verbis Strabo teſtatur: 'E Scepſi fuerunt philoſophi Socratici, Eraſtus, Coriſcus, & Neleus Coriſci filius; qui Ariſtotelem & Teophraſtum audiuit; & ſucceſſor fuit bibliothecæ Teophraſti, in qua Ariſtotelica inerat. Nam Ariſtoteles & bibliothecam & ſcholam reliquit Theofraſto; & primus omnium quos ſcimus libros congregauit, & Aegipti Reges bibliothecæ ordinem docuit. Teophraſtus verò eam tradidit Neleo. Neleus eam Scepſim detulit, ac poſteris dedit; hominibus quidem ſanè imperitis; qui libros incluſos ac negligenter poſitos tenebant. Cumq. Attalicorum regum, ſub quibus erant, ſtudium ſentirent conquirendorum librorum, ad inſtruendam eam bibliothecam, quæ Pergami erat; eos in foſſa quadam ſub terram occuluerunt; quos & tineis & humiditate labefactos, tandem qui ex eo genere erant, Apeliconi Teio tradiderunt, magno emptos argento, Ariſtotelicos ſcilicet atq. Teophraſticos. Apelicon, vt qui magis librorum eſſet ſtudioſus, quàm Sapientiæ, volens corroſiones emendare, eos tranſcri-

tranſcribendos dedit, ſcriptura non rectè ſuppleta. Quapropter libros edidit erroribus plenos. Hæc ille. Ex quibus patet, quòd huius quarti libri inſcriptio poteſt eſſe vitiata, corrupta, atque mendoſa, ex conſequenti Ariſtotelem non eo pacto illum inſcripſiſſe. Quod etiam conſonare videtur his quæ ipſe Ariſtoteles dixerat in calce tertij libri meteororum; vbi proponit ſe de metallis & foſsilibus ſigillatim tractaturum.

Item ſecunda ratio eſt nulla. Ex eo quia id quod pro antecedente præmiſit, non admittendum, ſuperqueſatis in his quæ ſuperius diximus fuit oſtenſum. Ordo ſiquidem doctrinæ, naturæ ordinem non inſequitur, niſi quatenus iſte noſtram iuuat faciliorem diſciplinam; penès quam tota ratio ordinis doctrinæ deſumitur. Hoc declarant verba Ariſtotelis in .5. Meta., ad initium, Auerroes in primo meteororum, in principio; modus procedendi Ariſtotelis in lib. de anima, vbi prius de viſu quàm de tactu verba facit; & in ſubſequentibus, vbi prius de animalibus quàm de plantis pertractandum propoſuit. Idem demonſtrat modus quem in edocendo ſeruauit Euclides. Tandem ipſemet Buccaferreus prope finem primæ ſuæ lectionis ſuper quarto meteororum, veritate coactus, in hæc prorupit verba: Dico quòd peruertit aliquando Ariſtoteles ordinem doctrinæ, propter commodiorem doctrinam. &c. Non igitur neceſſariò philoſophus debet inſequi ordinem naturæ. Quod tamen ipſe pro fundamento aſſumpſit. Sed de hoc fuſius diximus ſupra. Ad. 2.

Propterea ad tertiam, quæ erat Olympiodori, accedentes, dicimus ꝙ minimè officit. Quoniam in libris de ortu & interitu non agitur tantùm de elementis prout qualitatibus informantur, ſed de eiſdem quatenus adinuicem admiſcentur; miſtio autem non poteſt fieri ſine actione & paſsione; propterea de actione & paſsione agit in libris de ortu & interitu Ariſtoteles; & ex conſequenti de elementis, prout actionibus & paſsionibus afficiuntur; & hoc in generali. In hoc autem quarto, deſcendit ad varios effectus earundemmet primarum qualitatum; veluti diximus ſupra. Et de his non agit hîc ſimpliciter Ariſto., ſed quatenus ad miſta perfecta attinent. Ad. 3.

Addo quòd falſum dixerim, elementa prius pati, quàm informentur qualitatibus. Propterea quòd non agunt & patiuntur adinuicem, niſi ratione contrarietatis exiſtentis in eis. Quæ tamen non niſi ex qualitatibus contrarijs originem trahit. Videtur etiam ſibi contradicere; quia dicit vna ex parte quòd elementa informantur qualitatibus, & afficiuntur paſsionibus. Alia verò ex parte dicit, quòd paſsiones prius quàm qualitates pertractari debent, quia paſsiones præcedunt qualitates. Igitur qualitates non ſunt formæ elementorum; quia paſſio fluit à forma. Qualitates igitur erunt, ſimul & non erunt formæ elementorum.

Etſi dicat arguens, quòd elementa patiuntur ratione efficientis, in eis qualitates ipſas introducentis. Hoc non admitto; quoniam non

prius ſunt elementa, quàm illas habeant qualitates; nec ſunt generabilia neq. corruptibilia, ex lib. de coelo, cap. 1. in principio. Sed in 2. de partibus animalium habetur, q̃ elementa fiunt ex illis quatuor qualitatibus primis; reliquæ verò, ab his dependent. Et ſi gratis id velimus admittere; perſpicuum eſt, ꝙ de illa paſsione non habetur ſermo in hoc libro; Et per conſequens prorſus vana redditur ratio.

Ad 4. Quarto loco dicimus ad Pomponatium, quòd liber ille eſt pars libri de generatione, & quaſi complementum illius. Et quando dicit Pomponatius hoc eſſe falſum, quia Ariſto. in calce huius quarti continuat orationem cum libris de animalibus; id non aſſerimus nos, at ſimpliciter inficiari non dubitamus. Ea de cauſa, quia Ariſtoteles eo in loco nil aliud intendit, niſi ordinem tradere doctrinæ, qui eſt inter partium ſimilarium materiam & formam, inter ſimilares & diſsimilares, ac tandem inter has & ea quæ inde oriuntur. Vt ſcilicet à partium ſimplicium, quæ ſimilibus conſtant partibus, cognitione exordium ſumamus; quæ vt exactè agnoſcamus, quænam ſit illorum materia, forma, atque efficiens prius inueſtigandum venit. Deinde ad partes compoſitas, quæ ex illis conſtant, accedamus oportet. Demum ad animalis, ſeu ſtirpis ſpeculationem veniamus. Quemadmodum enim de miſtis, partibus ſimilibus conſtantibus pertractando, eorum cauſam materialem, formalem, & efficientem nouimus, & inde & quid & propter quid ipſorum habuimus. Ita cùm de miſtis, partibus diſsimilaribus conſtantibus, ſermonem velimus habere, eodem tramite procedendum eſt; vt ſcilicet prius materiam, formam, cauſamq. eorum effectricem agnoſcamus, tandem de eis exactam habebimus notitiam. Præcognitis igitur partibus ſimilaribus, ad diſsimilares, quæ ex illis conſtant, & tandem ad animalia & ſtirpes procedendum venit; cùm ex partibus diſſimilaribus conſtent. Non igitur continuat dicta dicendis Ariſtoteles; ſed tradit ordinem quo in agnoſcendis animalibus & ſtirpibus vtendum eſt. Eo ſcilicet quo vſi ſumus in cognoſcendis miſtis, ſimilibus partibus conſtantibus. Nam prius nouimus elementa, deinde partes ſimilares, ex illis conſtantes, ac demum miſta ipſa & corpora ſimilaria, ex eis conſtantia. Ita pari ratione, in agnoſcendis animalibus & ſtirpibus, prius partes ſimilares, deinde diſsimilares ex illis conſtantes, ac demum animalia & ſtirpes, quæ ex illis conſtant. Eapropter dicebat Ariſtoteles epilogando: Manifeſtis autem his, ſimiliter ea quæ non ſimilium partium ſpeculandum, &c. Vnde per illud verbum (ſimiliter) noſtræ expoſitioni annuere videtur. Quaſi dicere velit: Similiter, ideſt, ſimili modo & ordine, animalia & ſtirpes erunt ſuo loco conſideranda.

Et confirmatur doctrina: Quandoquidem, nedũ huiuſmodi ordinem in dignoſcendis animalibus & ſtirpibus, ſeruandum docet, & tradit; verùm etiam ordinem, quo in eis tractandis vti debemus. Vt ſcilicet primo loco de animalibus, deinde de plantis ſermonem habeamus; & tractando de animalibus, prius de homine quàm de alijs ſit tractatus,

& ora-

& oratio. Ea, quam inferius adducemus, ratione motus. Et propterea exempla adducendo, inquit: Vt hominem, plantam, & alia eiuſmodi. Vbi etiam Buccafer. adnotauit, illum eſſe ordinem pertractãdorum. Quem Ariſtotelem ſeruaſſe, infra patebit. Interim, hæc ſunt quæ circa Alexandri placitum de hoc quarto libro mihi dicenda occurrunt. Si placent, gaudeo planè; ſin minus, melius libenter audirem. In hanc enim ſententiam, & ratio, & magna Alexandri auctoritas me traxit.

Dubitatur tamen adhuc; quoniam ſtante etiam huiuſmodi ſolutione, manet in ſuo robore argumentum. Siquidem etſi tradat Ariſtoteles ordinem ſeruandum in doctrina animalium, ob id non ſequitur quin liber ille quartus ſit meteorologicus, immo totum oppoſitum; quoniam poſt eum mox de animalibus agendum dicit, & tali ordine procedendum. *Dubit.*

At ratio nulla; quoniam non dicit Ariſtoteles, poſt quartum illum librum, de animalibus agendum; atqui ordinem tantùm aſsignat; vt dictum eſt; idq́. propter magnam quam habent adinuicem conuenientiam, quæ vtrobique tractantur. Sunt enim omnia miſta perfecta. Et hoc eſt notandum. Melius enim connectuntur perfecta cum perfectis, quàm cum imperfectis. *Solutio.*

Quænam philoſophiæ pars ſequatur ad librum meteororum. Cap. 67.

HIS igitur ita conſtitutis, ſupereſt vt noſtrum proſequendo inſtitutum, declaremus quiſnam liber poſt illum meteororum ſequatur; Propterea dicimus hunc eſſe librum de hiſtoria animalium. Quod quidem anteq̃ probemus, pariterq́. declaremus, illud adnotandum cenſuimus, quòd de illis loquimur libris, quos legimus & habemus; cùm nos minimè lateat; librum metallorum & foſsilium ſigillatim, ad libros ſequi meteororum. Non quidem tanq̃ tractatum ab illo de meteorologicis omnino diſtinctum, ſed quaſi complementum illius. Nam ſicut de eiſdem tractatio in vniuerſali ad libros attinet meteororum, cur non etiam illá in particulari? Sed eam deſideramus. Corrupta & ammiſſa fortè ex illa quam dicit Strabo in foſſa occultatione. Et hoc dixi propter ea quæ tradit Ariſtoteles inter initia primi meteororum; vbi poſt tractatum de meteorologicis, promittit ſe tractaturum de animalibus & plantis. Quo fit, vt liber de metallis & foſsilibus, ad librum attineat meteororum; & idcirco nulla de eis habita mentione in principio libri meteororum; poſt meteorologica, de animalibus & plantis ſe tractaturum eſt pollicitus. Hæc tamen addidi, ob ſciolorum importunitates, circa locum libri de metallis. Quòd itaq. libri de animalibus ſequantur poſt libros meteor., patet ex .1. cap. libri .1. illius tractatus; vbi Ariſto. præmittit libros de animalibus, libris de plantis, huiuſmodi verbis: Cùm aũt pertranſiuerimus de his, ſpeculabimur ſi quid poſſumus, ſecundùm inductum modum dicere de animalibus, & plantis, vniuerſaliter & ſingillatim. Et ad innuendum quòd metallorum tractatio ad meteorologiam

attinet,ſubdit dicens: Ferè enim his dictis,finis vtique factus erit totius eius,quod à principio nobis propoſiti.Vbi nullum relinquit locum libro metallorum; quód ſignum eſt ea in meteorologicis comprehendi, ratione quam ſupra diximus.

Opinio uccafer. e ordine brorum anima- ue.

Quem autem ordinem adinuicem habeant libri de animalibus, dubitatio eſt apud nonnullos; & præſertim apud Buccaferreum; qui in calce quarti libri meteorologicorum negat,libros de animalibus ordinem adinuicem,& continuationem habere. Ita quòd; inquit; liber de partibus, non ſequitur librum de hiſtoria animalium, quia non habent ordinem continuum adinuicem.

Contra ccafer.

Cæterùm miror tanti viri, quòd non viderit Ariſtotelem in ſecundo de partibus animalium ad initium,ita dicentem: Ex quibuſnam,& quot numero membris ſingula animalia conſtarent,libris hiſtoriarum, qui de his ſcripti à nobis ſunt,planius explicauimus.Nunc quas ob cauſas quæq; ad hunc modum ita ſe habent conſideremus, videlicet ita, vt omnis ratio ſeiuncta ab ijs,quæ per hiſtorias expoſuimus,tractetur. Hæc ille. Ex quibus perquamclariſſimè conſtat, Ariſtotelem ſe continuare; vt ſui moris eſt:cum libris de hiſtoria animalium. Id quod non fecit in primo libro, quia fuit veluti procœmium & pædia; ipſo atteſtante ad finem eiuſdem, qui ait: Sed de modo viaq́.tractandi,hactenus; cauſas nunc explicare tum communium, tum propriorum conemur, exorſi à primis, ſicut ſtatuimus.

Confirmatur, quia Ariſtoteles, illum quem inter initia ſuæ philoſophiæ docuit ordinem, minimè ſeruaſſet; quod eſt magnum quid; præſertim nulla vrgente in oppoſitum neceſsitate. Illa igitur de animalibus tractatio fuit profectò ordinatiſsima. Eundemq́. ordinem ſeruauit Ariſtoteles, quem in libris octo auſcultatorijs. Prius nanque entis, ſeu corporis mobilis communis principia, materiam ſcilicet & formam, in duobus prioribus libris, deinde eiuſdem accidentia in ſex alijs libris pertractauit. Ita in libris de animalibus, prius de materia, ſcilicet de partibus animalium; deinde de forma, videlicet de anima; tandem de accidentibus in paruis naturalibus. Nam optima cuiuſque rei cognitio habetur, ſi prius eius naturam, eſſentiam, atque ſubſtantiam, deinde eiuſdem propria accidentia exaremus. Si enim rei ſubſtantia ignorata, ab eius accidentibus initium caperemus, eorum nunquam ſcientiam haberemus, quia cauſas prorſus ignoraremus. Subſtantia autem cuiuſque corporis naturalis ex materia conſtituitur & forma; quare prius hæ duæ eſſentiales partes cognoſcendæ veniunt, deinde accidentia, affectioneſq́. ab eis effluentes. Huiuſmodi autem eſſentiales partes ita ſe habent adinuicem, quòd materia dirigitur ad formæ receptionem, & materia ſemper eſt propter formam, & ad formæ cognitionem neceſſaria; veluti docuit Ariſtoteles in .2. auſcultatorio libro. Quare prius de materia quàm de forma agendum venit. Ita etiam Ariſtoteles in libris auſcultatorijs; in primo ſiquidem de materia, in ſecundo verò de forma verba fecit. Corporis

Itaque animati forma cùm ſit anima ipſa, materia verò ipſæ partes inſtrumentales, in quibus tanq̃ in materia ineſt anima,& quibus vtitur ad exercendas operationes vitales. De huiuſmodi materia prius eſt agendum, quàm de forma. Vires enim ac animæ facultates non ita exactè noſcuntur, niſi prius notis partibus inſtrumentalibus, in quibus exercentur. Hanc ob cauſam, prius Ariſtoteles de partibus animalium tanq̃ de materia, poſtea de anima tanq̃ de forma agere inſtituit. Et de huiuſmodi partibus, prius pingui quadam Minerua & ſine cauſarum aſsignatione, in libris de hiſtoria animalium tractationem habuit; accuratius deinde in libris de partibus animalium; vt à facilioribus ad magis ardua fieret progreſſus.

Cognita tandem materia, ad formæ conſiderationem pedem conuertit, in libris de anima. In quibus quidem de anima generatim verba facit; quatenus ſcilicet eſt communis omnibus viuentibus; ab anima vegetali exordiendo, quæ eſt communis omnibus animalibus & ſtirpibus; deinde ad propriam animalium animam, quæ ſenſitiua dicitur, ac demum de hominis anima ſermonem habuit. Cùm itaque anima, quædam ſit omnibus viuentibus communis, ab ea tanq̃ ab vniuerſaliori inchoandum duxit Ariſtoteles; vt eum quem diximus ordinem ſeruaret. De materia verò pertractando, non ita ſe geſsit, quandoquidem erat impoſsibile; cùm nulla ſit animalium & ſtirpium communis materia. Non enim eiſdem inſtrumentis, & eiuſdem generis organis, in animali, & in ſtirpe vtitur anima; quemadmodum liquidò patet. Propterea animaduertens Ariſtoteles, quòd ad omnium animæ partium; nimirum vegetalis, ſenſitiuæ, & intellectiuæ; notitiam, ſatis erat cognitio materiæ in libris de partibus animalium tradita, cùm in eiſdem partibus, omnes dictarum partium animæ operationes exerceantur; hinc factum fuit, quòd de materia non generatim, at in particulari tractandum duxit. Et quia cuiuſque rei eſſentiæ cognitio, magis in formæ; quàm in materiæ cognitione conſiſtit; idcirco Ariſtoteles prius tractauit de anima in generali, quàm in particulari; vt prius exponeret, atque declararet ſubſtantiam corporis viuentis, quàm animalis; & ita ordinem ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia, quem inter initia ſuæ philoſophiæ docuit ſeruandum, ipſe quoque mirabiliter ſeruaret.

Et ſi materiam particularem, formæ præmiſit vniuerſali; id conſultò & mirabili artificio factum eſt. Nam impoſsibile erat, materiam præmittere vniuerſalem; veluti diximus; cùm non ſint eadem organa, eademq́. inſtrumenta animalis & plantæ. Et forma non benè poteſt cognoſci, ſine cognitione materiæ; & præſertim in propoſito; quia huiuſmodi materia eſt corpus actu exiſtens & ſenſibile, ex conſequenti multò notius ipſa forma. Ob igitur clariorem, faciliorémq́. doctrinam, cenſuit Ariſtoteles, melius eſſe aliquam conſiderare materiam, quàm nullam. Et ita prius de partibus animalium hiſtoricè, deinde ſcientificè, quàm de ipſa anima verba fecit. Et ad pinguiorem mineruam adnotandum

eſt; quòd in huiuſmodi tractationibus, ordo doctrinæ videbatur exigere, vt prius de corpore viuente latè ſumpto, deinde de plantis, ac demum de animalibus eſſet tractatio; & earum trium tractationum vnaquæq; eſſet diſtincta. Eorum ſiquidem quæ viuentibus competunt, quædam ſunt propria animalium, quædam propria ſtirpium, quædam verò vtriſq; communia; quæ quidem omnibus alijs erant præponenda. Nihiloſecius non tres, atqui duas fecit tractationes Ariſtoteles; vnam de animalibus, aliam de plantis; ſed cum illa de animalibus commiſcuit illam de communibus. Cùm de ijs tractet, quæ ſunt propria animalium, & cum eis, de ijs, quæ ſunt communia omnibus viuentibus. Non ita tamen, quòd huiuſmodi communia attribuat animalibus, vt animalia ſunt, at vt ſunt viuentia, & ex conſequenti vniuerſam viuentis naturam in animalibus contemplatur. Idq; fecit Ariſto., ob clariorem, facilioremq; doctrinam; quandoquidem quamplurima ſunt & animalibus & plantis communia, quæ faciliùs in animalibus quàm in ſtirpibus cognoſcuntur; & idcirco in animalibus prius erant declaranda, vt poſteà faciliori & clariori modo in plantis noſcerentur. Hæc deſumpſimus ex Theophraſto, In primo de hiſtoria plantarum, cap. 1. & 4.; vbi dicit, quòd partes plantarum, ex partibus animalium innoteſcunt.

Ordo accidentium in animalibus. Et quia diximus quòd Ariſtoteles in libris de animalibus tractat tum ea quæ ſunt eorum propria, tum quæ ſunt omnibus communia viuentibus; animaduertendum eſt, quòd huiuſmodi contemplando communia in animali, in eodem etiam contemplabatur accidentia vtriſq; communia. Et idcirco eundem ordinem ſeruauit in eis declarandis, quem habent reſpectu naturæ ipſius animalis. Vt ſcilicet ea quæ ſunt ei magis intrinſeca & eſſentialia, priori loco tractentur. Et quia magis eſſentialis eſt ipſe ſenſus, cùm nullum animal ſit quin habeat ſenſum. Deinde motus, ſine quo animal non poteſt ſibi acquirere victum, nec ex conſequenti diu durare. Huic autem ſubſequitur generatio; quia ſine ea deſtrueretur ſpecies. Ariſtoteles igitur poſt tractatum de anima, primo loco de ſenſu & ſenſibilibus, de memoria, & alijs operationibus, ad ſentientem facultatem attinentibus, pertractare voluit. Poſtea de motu, & deinde de generatione. Poſt conſiderationem de generatione animalium, tractat operationes communes omnibus viuentibus vt ſic; veluti ſunt iuuentus, ſenectus, longitudo, & breuitas vitæ, vita, & mors, reſpiratio, ſanitas, & morbus. Patet igitur ſi ſit ordo in huiuſmodi libris; immo tantùm abeſt vt ſint ſine ordine, vt potius mirabiliſsimus ſit eorum ordo. Et quòd ita ſit, magis patebit ex ijs quæ eos ordinando dicturi ſumus.

Interim eſt animaduertendum, quòd quando dicit Ariſtoteles in ordinatione doctrinæ, ab vniuerſalioribus eſſe inchoandum; verum eſt vt plurimum; veluti aliàs diximus; & propter eſſentiæ notitiam. Qua quidem nota, non eſt cur de accidentibus, ordine eodem pertractare ſimus coacti; niſi accidentia minus vniuerſalis, ſint ſpecies accidentium magis vniuerſalis; vel cognitio iſtorum conferat ad notitiam illorum; Id quod etiam ſuperius diximus. Quòd ſi neutrum iſtorum contingat, de accidentibus eo ordine qui nobis magis videbitur expediens pertractare poterimus.

Quandoquidem, ſubſtantia cùm ſit illorum cauſa; ſequitur neceſſariò, vt cognita ſubſtantia, de eis modo præfato poſsimus ſermonem habere. Si enim noſcamus naturam hominis & animalis, nulla nos cogit neceſsitas, vt prius animalis, quàm hominis accidentia ſpeculemur. E diuerſo autem, ſi neutrum noſcamus; cùm cognitio naturæ hominis, cognitam poſtulet naturam animalis, cùm animal ſit genus, & homo ſpecies; ſequitur quòd hominis accidentia, ignoratis illis animalis, minimè cognoſcere valeamus.

Ariſtoteles igitur notis tum viuentis, tum animalis naturis; reliquum erat de eorum accidentibus verba facere. Et cùm animalis accidentia, quæ ſunt ſenſus, memoria, reminiſcentia, ſomnum, vigilia, motus, & generatio; non ſint ſpecies accidentium viuentis, quæ ſunt iuuentus, ſenectus, longitudo, & breuitas vitæ, vita & mors, ſanitas & morbus; neq. iſtorum notitia ad illorum cognitionem conferat, non erat cur prius de accidentibus communibus omnibus viuentibus, quàm de proprijs animalis ſermonem haberet. Quinimmo, in ipſo animali viuentia ſpeculando, veluti diximus; conſequens erat, vt etiam ipſorum accidentia in eodem animali contemplaretur; & ideo eo ordine quo in illo reperiuntur; quemadmodum mirabili, & diuino quidem iudicio, illum feciſſe, omnia quæ diximus clarius oſtendendo, facilè atteſtari poterimus.

Ea probantur quæ præmiſimus. Cap. 68.

QVOD igitur in de animalibus tractatione, liber de hiſtorijs primum ſibi vendicet locum, tum auctoritate, tum ratione non erit difficile oſtendere. Nam Ariſtoteles inter initia primi meteororum libri, proponit ſe poſt meteorologica de animalibus tractaturum; veluti ſuperius diximus. Et huiuſmodi tractatio expoſtulat, vt prius de materia quàm de forma, verba faciamus; ex illis quas iam adduximus rationibus. De materia igitur, ſeu de partibus animalium pertractando, ab vniuerſalioribus erant primordia capienda; ut ſcilicet prius hiſtoricè, & ſecundùm aliorum relatum; deinde ſcientificè de ea, ſeu de eis ſermonem haberet. Propterea dicebat Auerr., quòd Ariſto. in lib. de natura animalium proceſsit ex fide ſenſus, & ex ijs quæ reuelata ſibi fuerunt, per indubitatam reuelationem. Et idcirco appellatur ille tractatus de hiſtorijs animalium. Ariſto. inſuper, idem in .2. de partibus animalium, cap. primo, ad initium; ueluti iam ſuperius retulimus, enodatè deſcribit. *Lib. de hiſtoria animalium.*

Quo loci habetur etiam, quòd poſt librum de hiſtorijs, liber ſequitur de partibus animalium. Quod ſimiliter ſupra aduerſus Buccafer. annotatum reliquimus. Id quod inſuper ex Auer. in initio primi meteororum, & Alexandro in principio enarrationis de anima elicitur. Dicit enim uterq. iſtorum, quod liber de partibus animalium, ordine doctrinæ præcedit librum de anima. Huiuſq. reddit rationem Alexander; quia ſecus procedendo, ea quæ commodè & aptè de animæ ſubſtantia proferuntur, contradictionibus implicaremus. Vnde vult quòd notitia libri de parti- *Lib. de par. animalium.*

bus

bus animalium præcedat notitiam de anima, ſicut etiam materia præcedit formam. Si igitur liber de partibus animalium, quia de materia; illum de anima, quia de forma pertractat, iuxta horum virorum placitum præcedit; eadem ratione & liber de hiſtorijs animalium, eundem de anima librum neceſſariò præcedet. In illo enim agitur etiam de materia. Cùm autem magis vniuerſalia minus vniuerſalia præcedant, & liber de partibus ſit minus vniuerſalis libro de hiſtorijs; quòd ille ſequatur ad iſtum neceſſariò deducitur.

Libellus de animalium inceſſu

Confirmatur adhuc doctrina; quandoquidem libellus cui titulus eſt de animalium inceſſu, ad illos quatuor de partibus, tanq̃ illius tractatus complementum, immediatè ſubſequitur; veluti ex fine quarti libri, & principio ipſius libelli perquamclariſsimè conſtat. Nam primo loco, huiuſmodi habentur verba formalia: Sed de partibus animalium, quam ob cauſam quæque ſint, dictum iam eſt per omnia animalium genera. Quæ cùm explicata ſint, ſequitur vt de partibus animalium inceſſui deſſeruientibus diſſeramus. Secundo verò loco ita legitur: De commodis autem animalium partibus ad illam quæ per locum eſt mutationem perſcrutandum eſt, quamnam ob cauſam illarum quæque huiuſmodi exiſtat, cuiusúe gratia inſint illis. Ex quibus patet, quòd poſtq̃ in quatuor præcedentibus libris, de animalium partibus omnibus, præterq̃ de inceſſui ſeruientibus pertractauerat, doctrinæ & tractatus complementum exigebat, vt de illis etiam haberetur ſermo. Vnde codicis græci defectus & error manifeſtiſsimè conſtat. Quandoquidem in calce quarti libri habentur hæc verba formalia: ἐφεξῆς ἐστι, τὰ περὶ τὰς γενέσεις αὐτῶν διελθεῖν. Hoc eſt, ſequitur vt ea quæ ad ipſorum generationes attinent percurramus. Nam γενέσεως idem quod generatio ſignificat. In principio autem libelli ſubſequentis, ita ad uerbum legitur: περὶ δὲ τῶν χρησίμων μορίων τοῖς ζώοις πρὸς τὴν κίνησιν τὴν κατὰ τόπον, ἤδη σκεπτέον. Hoc eſt; De commodis autem animalium partibus ad illam quæ per locum eſt mutationem, perſcrutandum eſt. Nam κίνησιν motum propriè ſignificat. Cùm igitur in fine quarti de partibus animalium polliceatur Ariſtoteles de his quæ ad animalium generationes attinent ſe tractaturum; & in principio ſubſequentis libelli, de animalium partibus ſecundùm locum mutationi deſeruientibus, ſe verba facturum proponat; quomodo finis quarti de partibus animalium, & principium de eorundem inceſſu, adinuicem conſonabunt? Vt igitur omnia conueniant, in fine prædicti quarti, loco γενέσεις poteſt poni κινήσεις. Hoc eſt: Reliquum eſt, vt ea quæ ad ipſornm motus ſpectant percurramus. Et ita rectè emendatus locus relinquetur Ariſtotelis, qui fortè unus ex illis fuit à tineis corroſis, humiditateq́ labefactis, à quibuſdamúe, quorum ſuperius, ex Strabone, memoriam egimus, perperam correctis.

Id quod etiam confirmatur: Quia niſi eſſet corruptus, de generatione animalium, poſt tractatum de partibus, haberetur ſermo; vt ex verbis conſtat; hoc autem eſſe falſum conuincitur ex Ariſto. in .5. lib. de generatione animalium, cap. 7. ad finem, vbi inquit: De voce igitur, quæ non ante diſſeruimus, cùm de ſenſu aut de anima ageremus, hunc habeat modū.

Ergo

Ergo prius de anima,quàm de generatione animalium egit Ariſtoteles. Sed prius de inceſſu quàm de anima tractandum venit; vt patebit infra; Igitur libellus de inceſſu animalium præcedit libros de generatione eorundem,Nullus autem ei remanet alius locus,niſi poſt tractatum de partibus; vt alios libros ordinando patebit; & etiam quia tractatus de materia animaliũ eſſet imperfectus.Ergò immediatè ſequitur ad illum. Ex conſequenti textus græcus eſt corruptus.Idq.in cauſa fuiſſe crediderim, quia [illegible] & [illegible] habent ſymbolum adinuicem. His itaq. in hunc modum conſtitutis, quòd ſcilicet libellus de inceſſu animalium ſubſequatur ad tractatum de partibus animalium tanq̃ eius complementum; ꝙ liber de partibus ſubſequatur ad illum de hiſtorijs animalium, neceſſariò conſequitur. Proptereaq; in calce primi capitis eiuſdem libelli de animalium inceſſu,ad librum, ſeu ad tractatum de hiſtorijs animalium his verbis ſe continuat; De omnibus certè ijs,& quæcunque iſtis ſunt cognata,perſcrutandæ ſunt cauſæ. Quòd enim hoc contingat modò,ex naturali palam eſt hiſtoria; quam autem ob cauſam,nunc eſt inueſtigandum.Vnde eodem modo vtitur continuandi,quo uſus eſt etiam in initio ſecundi de partibus animalium; ueluti conſideranti patet. Quare de animalium partibus libri quatuor, unà cum de eorundem inceſſu, ipſorum materiam,ſeu de ipſorum materia tractationem abſoluunt.

Et quia habita ratione materiæ,immediatè tractatur de forma; ueluti exemplo de .1. &..2. auſcultatorio libro, ſupra expoſuimus; idcirco poſt libellum de inceſſu,ſequitur immediatè tractatus de anima. Quod *Libri de anima.* etiam patet ex uerbis Ariſtotelis,in calce eiuſdem libelli,quibus inquit; Iis autem ſic determinatis,proximum eſt de anima contemplari. Quod quidem cum ijs quæ dixerat Ariſtoteles in primo de partibus animaliũ cap.primo,optimè conſonat.Nam ibi docet,quòd Naturalis debet tractare de materia & forma; eapropter tractando de animalibus, nedum debemus tractare de elementis; ut perperam opinabatur Empedocles; ſed etiam de partibus tam ſimilaribus, quàm diſsimilaribus; & de forma cuiuſque partis; quoniam homo,cæteraq.animalia immediatius ſunt ex illis,quàm ex elementis. Et quia anima eſt forma animalis, propterea; inquit Ariſto.; & de anima Naturalem tractare oportet. Ex quo patet, quòd & de partibus animalium tractat, ueluti de eorum materia propinqua; & de anima tanq̃ de forma. Poſt igitur tractatum de partibus,ſequitur tractatus de anima; ſicut ad tractatum de materia,ſequitur ille de forma. Quare ut hunc ordinem ſeruaret Ariſtoteles, primò tractat de partibus tanq̃ de materia,& poſtea de anima tanq̃ de forma,proponit ſe uerba facturum. Et in primo de anima libro ad initium,ita atteſtatum reliquit; Videtur autem & ad ueritatem omnem cognitio ipſius multum conferre; maximè autem ad naturam. Eſt enim tanq̃ principium animalium; Quærimus autem contemplari, & cognoſcere naturam ipſius,& ſubſtantiam; poſtea quæcunq. accidunt circa ipſam; quorum alia quidem propriæ paſsiones uidentur, alia autem communes, & animalibus propter illam ineſſe. Ex quibus duo præcipuè elicio; primũ,

quòd poſt tractatum de partibus,ſeu de materia animalium,tractat de anima,tanq̃ de forma. Vt eundem ſeruet ordinem, quo vſus eſt in primo & in .2. auſcultatorio libro. Eapropter dicebat Auer. ibidem comm. 2. Et cauſa in hoc eſt, quia cognoſcere de animalibus, eſt maxima cognitio partium naturalium;& anima eſt principium animalium. Vnde neceſſarium eſt vt ſcire de anima ſit neceſſarium in cognitione animalium; non tantùm vtile. Secundum eſt,quòd poſt tractatum de anima,tractabit de accidentibus animalium; vt (iuxta ea quæ ſupra diximus) ex ſubſtantiæ notitia noſcamus & accidentia. Et quia ſuperius diximus, Ariſtotelem in animali communia ſibi & plantis contemplari; & nedum eſſentialia, verùm etiam accidentia; propterea eo ordine quem habent in animali, ea contemplatur Ariſtoteles. Vt ſcilicet ea quæ ſunt ei magis intrinſeca, primo loco ponantur. Et quia magis intrinſecus eſt ipſe ſenſus,cùm ſine eo nullum poſſit eſſe animal; idcirco poſt libros de anima, ſubſequitur liber de ſenſu & ſenſibilibus,de memoria & reminiſcentia,alijsq; operationibus ad ſentientem facultatem attinentibus; veluti ſunt ſomnum & vigilia,Somnium,diuinatio per ſomnium,de communi motu animalium, ac demum de generatione animalium. Hoc ordine huiuſmodi accidentia pertractat Ariſtoteles, ratione adducta; & propterea primo loco de ſenſu & ſenſilibus verba facturus, ita exorditur: Quoniam autem de anima ſecundum ſeipſam determinatum eſt prius, & de virtutum qualibet ſecundùm partem ipſius,conſequens eſt facere conſiderationem de animalibus,& vitam habentibus omnibus,quæ ſunt propriæ, & quæ communes operationes eorum. Ex his, continuatio huius libri ad libros de anima,manifeſtiſsimè conſtat.

Liber de ſenſu & ſenſilibus

Poſt hæc autem ſequitur immediatè libellus de memoria & reminiſcentia; veluti ex epilogo libri de ſenſu & ſenſilibus perſpicuum eſt, vbi hæc leguntur verba formalia: De ſenſorijs igitur & ſenſilibus quomodo habent,& communiter,& ſecundùm vnumquodq. ſenſorium, dictũ eſt. Reliquorum autem primò conſiderandum de memoria,& reminiſcentia. Hæc ibi. Quibus quidem cũ ijs quæ in initio libelli de memoria & reminiſcentia dicuntur collatis,omnia perſpicua atque conſonantia redduntur.

Liber de memoria & remin.

Poſt hæc verò ſequitur libellus de ſomno & vigilia; veluti patet, finem libri de memoria & reminiſcentia, principiumq. de ſomno & vigilia adinuicem conferendo. Nam finis illius ita iacet: De memoria igitur & ipſo meminiſſe, quæ ſit natura ipſorum, & qua earum, quæ ſunt animæ meminerint animalia, & de ipſo reminiſci quid ſit, & quomodo fiat, & propter quam cauſam, dictum eſt. Principium verò iſtius ita legitur: De ſomno autem & vigilia conſiderandum eſt quid ſint. &c. Vbi enodatè habetur continuationis nota; quemadmodum ex ijs quæ ſuperius diximus, vnicuiq. in Ariſtotelis doctrina etiam mediocriter erudito, ſuperq́ue ſatis conſtare crediderim.

Lib. de ſomno & vigilia.

Et quia ex quo animalia dormiunt ideo ſomniant, idcirco poſt tractatum de ſomno & vigilia, ſequitur ille de ſomnijs. Quod etiam patet ex fine præcedentis,& initio ſubſequentis: vbi Ariſtoteles vtranq. liquidò adinuicem continuat. Finis enim

Libri de ſomnijs.

de ſomno talis eſt: Quæ igitur cauſa dormiendi dictum eſt. &c. Libellum autem de ſomnijs ita ſcribendo auſpicatur: Poſt hæc autem quærendum eſt de ſomnijs. &c. Ex quibus patet continuatio vtriuſq. adinuicem. Ad hæc ſequitur libellus de diuinatione per ſomnum. Nam huiuſmodi oritur à ſomno; vt perſpicuum eſt. Et præter hæc, adeſt principium iſtius libelli, quod quidem cum fine præcedentis tali pacto continuatur: De diuinatione verò quæ in ſomnis fit, & dicitur accidere à ſomnijs, neq. contempſiſſe facilè, neq. ſuaſum eſſe. Attamen eiuſmodi libelli finis, hæc omnia ſibi inuicem continua his verbis perquamclariſsimè demonſtrat; Quid igitur eſt ſomnus, & ſomnium, & propter quam cauſam vtrumq. horum fit; amplius autem & de ea quæ ex ſomnijs eſt diuinatione, dictum eſt. De communi autem animalium motu dicendum. Hæc ibi. Quorum tamen vltima verba, licèt in aliquibus codicibus non legantur; Græcus nihilominus textus ita legit ad formam: περὶ δὲ τῆς κοινῆς κινήσεως τῶν ζώων, λεκτέον. Hoc eſt: De communi autem animalium motu dicendum. Quæ quidem, cum principio de animalium motu, peroptimè conſonant; quo loci ita legitur ad verbum: De motu autem animalium, quæcunq. circa vnumquodq. genus ipſorum ſunt, & quæ differentiæ, & quæ cauſæ ſingulorum accidentium, quæ inſunt ipſis, conſiderandum eſt de omnibus in alijs. Et meritò iureq. optimo poſt hæc, tractat de motu animalium Ariſtoteles. Proptereaquòd poſt tractatum de materia, ſequitur ille de forma; & poſt hunc, de operationibus ad ſentientem facultatem attinentibus; deinde de motu, quia ſine eo non poſſunt ſibi acquirere victum, nec ex conſequenti diu durare. Eapropter poſt libellum de diuinatione per ſomnum, ſequitur ille de motu animaliũ. Veluti clarius liquet in fine eiuſdem libelli, his verbis: De partibus igitur vniuſcuiuſq. animalium, & de anima; præterea de ſenſu, & memoria, & ſomno, & communi motu diximus cauſas. Reliquum autem eſt de generatione dicere. Ex quibus facillimè conſtat, huiuſmodi libros eum adinuicem ordinem habere, quem nos aſsignauimus. Et quòd poſt eos, ſequitur ille tractatus de generatione animalium. Eiuſq. ratio eſt: Quandoquidem, generatio, animæ vegetatiuæ operatio cùm ſit, idcirco ab ipſius animalis eſſentia remotior eſt, quàm ſit ſenſus & motus. Et licèt ſit communis animalibus & ſtirpibus; animalium tamen dicitur generatio, quia in animali conſideratur. Iam enim diximus, communia animali & plantæ, in animali conſiderari.

Lib. de diuinatione per ſomnum.

Lib. de motu animalium.

Lib. de generatione animalium

His itaq. in hunc modum conſtitutis & diſcuſsis, eius intentũ atq. principale inſtitutum proſequitur Ariſtoteles; poſt hæc ſcilicet de communibus omnibus viuentibus operationibus pertractando; veluti iam inter initia libelli de ſenſu & ſenſibilibus propoſuerat. Quo in loco ita legitur: Conſequens eſt facere conſiderationem de animalibus & vitam habentibus omnibus, quæ ſunt propriæ, & quæ communes operationes eorum. Vnde patet quòd de animalium operationibus proponit ſe verba facturum; hoc ſcilicet ordine, vt prius de proprijs tanq̃ magis eſſentialibus & intrinſecis; poſterius verò de ſibi communibus & ſtirpibus habeatur

beatur

Lib. de longitu. & breuita. vitæ.

beatur ſermo. Eapropter de longitudine & breuitate vitæ primo loco verba facit; vt videre eſt ex fine de generatione animalium, & principio præfati libelli. Ita enim ſe continuat: Dixi etiam de cæteris membrorum affectibus, qui non alicuius cauſa, ſed neceſſariò veniant, & quam ob cauſam, videlicet eam, cui motum tribuimus. De eo autem quod eſt hæc quidem eſſe longæ vitæ animalium, hæc autem bræuis vitæ, & de vitæ omnino longitudine & breuitate conſiderandum cauſas. Hæc ibi. Ex quibus liquet continuatio finis de generatione animalium, cum principio de longitudine & breuitate vitæ.

Lib. de iuuent., ſenectute. &c.

Poſt quem quidem tractatum, ſequitur ille de iuuentute & ſenectute, de Vita & morte, & Reſpiratione. Quod ex fine præcedentis tractatus facillimè conſtat: Inquit enim: Reliquum autem nobis conſiderare de iuuentute & ſenectute, & vita & morte; his enim determinatis, finem vtiq. habebit, quæ de animalibus methodus. Quibus immediatè ſe connectit dicens; De iuuentute autem & ſenectute, & vita & morte nunc dicendum; Simul autem & de reſpiratione neceſſarium fortè cauſas dicere. Quibuſdam enim animalium propter hoc accidit viuere & non viuere. Vbi declarat cur de reſpiratione tractatum, cum ijs immiſceat. Nam licèt, propria ſit animalis reſpiratio; ob faciliorem tamen doctrinam, inter has de ea tractationem poſuit. Nam animal reſpirans, per modicum tempus ſine reſpiratione viuere poteſt. Hanc ob cauſam tractatui de vita & morte, illum addidit de reſpiratione. Quo quidem terminato, iam adeſt finis doctrinæ de animalibus.

Liber de ſanitate & morbo.

Cui quidem ſubſequitur illa de ſanitate & morbo; quemadmodum conferendo finem de iuuentute & ſenectute, cum principio de ſanitate & morbo, liquidò patet. Ait enim primo loco: Et de vita quidem & morte, & de cognatis huius ſpeculationis, ferè dictum eſt de omnibus. Se autem continuando in .2. loco ita ſcribit: De ſanitate verò, morboq., non ſolum medici, ſed & Naturalis eſt cauſas quadantenus dicere. Verùm huiuſmodi tractatus (fortè ex illa quam narrat Strabo occultatione corruptus & ammiſſus) deſideratur.

Lib. de plantis.

Poſt hæc ſequitur de plantis; vt ex fine de longitudine & breuitate vitæ, ſatis comprobari poteſt. Ibi nanq. ita ſcriptum reliquit Ariſtoteles: Sed de hoc quidem ſecundum ſe in ijs quæ de plantis determinabitur. &c. Ei quod in primo de generatione animalium libro, cap. primo in calce iam dixerat correſpondens. Quo loci, de ſtirpibus ſe verba facturum in hunc modum pollicetur: Sed de ſtirpibus, ſiue plantis, ſeorſum opere per ſe ipſis dicato, agendum eſt.

An verò ſit ille de plantis Ariſtotelis tractatus, qui duobus tantùm abſoluitur libris, aut ille qui ſexdecim libris, Theophraſto aſcribitur, non eſt meum diſputare modò; cùm præter noſtrum ſit inſtitutum. Hoc enim iam ab Auguſtino Sueſſano in ſua præfatione quam edidit in libros de animalibus diſputatum, relinquimus. Sat igitur ſit nobis, totius naturalis ſpeculationis Ariſtotelis libros, ita congeſtos, ab eoq. ordinatos fuiſſe demonſtraſſe.

De ſub-

De ſubiecto totali & adæquato Naturalis philoſophiæ. Cap. 69.

APVD omnes philoſophos vertitur in dubium nunquid ens mobile, ſeu potius corpus mobile, aut ſubſtantia mobilis, ſubiectum ſit adæquatum totius Naturalis negotij. Vnde quidam ita ens mobile magnificant, quòd de corpore mobili, aut corpore naturali, ſeu ſubſtantia mobili, & alijs huiuſmodi, ne verbum quidem audire volunt. E regione verò, corpus mobile, quibuſdam adeo probatur, vt ens mobile nolint audire. Alij tandem vtrunque amplectentes, inter ens mobile, corpus mobile, ſubſtantiam mobilem, corpus naturale, ſubſtantiam corpoream, & alia id genus ſi qua ſunt, nullum niſi nominis diſcrimen ponunt. Nos itaque huiuſmodi opiniones examinantes, nonnulla in eis minus benè dicta obſeruauimus, quare & noſtram ſententiam adducendam ſumus arbitrati. Quam quidem vt clariorem reddamus, hoc tramite procedendum duximus; vt primo loco titulus exponatur quæſiti, nonnulla præmittendo neceſſaria. Secundò, tribus concluſionibus eidem fiat ſatis. Tertio & poſtremo loco aliorum examinabimus opiniones, & ſi quæ præfatis concluſionibus fuerint difficultates aduerſantes, diſſoluentur.

Declaratio tituli quæſtionis. Cap. 70.

QVOD igitur ad primum attinet, ne in ambiguo laboremus, non eſt ignorandum quot modis ſubiectum accipiatur; quandoquidem plurimæ ſunt huius vocis ſignificationes; quæ quidem cùm ſatis vulgatæ, & tritæ, ac nulli ferè philoſopho incognitæ ſint, dimittantur, & hoc vnum ſufficiat, quòd in propoſito ſubiectum ſumitur pro re in ſcientia conſiderata. Et hæc acceptio adhuc ambiguitatem claudit, ita vt in plures ſignificationes veniat diuidenda. Primo itaque modo in ampliſſima ſignificatione ſubiectum ſumi poteſt; vt quicquid in aliqua ſcientia tractatur, eius ſubiectum vocetur. Quo quidem modo, etiam principia & affectiones ſubiecti, cùm in ſcientia conſiderentur, eius ſubiectum nuncupari poſſunt. Alio modo ſumitur ſubiectum magis propriè, vt non omne de quo in aliqua ſcientia verba fiunt, at ſolùm illud cui certæ quædam adſint conditiones, ſubiectum vocetur. Vtporè quòd de eo quid & quia præcognoſcatur; iuxta ea quæ tradidit Ariſto. in primo de poſterio. reſolutione. Ita vt ſit ens per ſe neceſſarium; neceſſarium, inquam, quod vel per ſe ſemper ſit, vel à natura producatur, non autem à nobis per noſtrum liberum arbitrium ponatur in eſſe; cùm ita ſe habeat ſubiectum diſciplinæ operatricis; veluti ſuperius docuimus. Propterea dicebat Ariſto. in vlt. cap. 2. poſte. ſcientias eſſe de ente, artes verò in generatione verſari. Adhuc; (& hæc eſt præcipua ſubiecti conditio) requiritur ꝙ ſubiectum ſit toti ſcientiæ ſubſtratum; & alijs omnibus quæ in ea

conſiderantur, ſiue affectionibus, ſiue principijs, tanq̃ omnium baſis
& fundamentum ſubiacere debet. Quo fit, vt quicquid ea ratione qua-
tenus in alio ineſt conſideratur in ſcientia, nullo pacto in ea ſubiec-
tum uocari poſſit. Et quoniam perſpicuum eſt in qualibet ſcientia
affectiones per principia ſubiecti demonſtrari; quòd ſubiectum, & af-
fectiones & principia in ſe contineat & habeat, neceſſariò conſequi-
tur. Quatuor igitur ſunt conditiones ſubiecti cuiuſlibet ſcientiæ, ſeu
Conditiones ſubiecti. diſciplinæ ſpeculatiuæ; Prima, quòd ſit ens per ſe neceſſariò exiſtens,
& abſque ulla humana operatione. Secunda, q̃ ſit præcognitum quid no-
.1. men ſignificet, & quod ſit. Tertia, vt proprias habeat affectiones & prin-
.2. cipia. Quarta, q̃ eius conſideratio nulla alia ſit, quàm prout his omni-
.3. bus tanq̃ baſis & fundamentum ſubſternatur. Et hac præcipuè condi-
.4. tione diſtinguitur ſubiectum à principijs & affectionibus; veluti ex ip-
ſo nomine ſuperq́; ſatis conijcere poſſumus. Nam ſubiectum id eſt quod
omnibus ſubijcitur. Et iſtæ conditiones adeò ſunt neceſſariæ, vt quauis
illarum ſublata, tota corruat diſciplina.

Sunt tamen qui duas alias addere ſolent; nimirum quòd habeat ſpe-
Contra cõmunē opinionē de conditionibus ſubiecti. cies, & quòd ſit unum, uniuocum uel analogum. Ambas deſumunt
ab Ariſtotele; qui in primo poſte., cap. 23. hæc habet uerba forma-
lia: Vna autem ſcientia eſt, quæ eſt unius generis, quæcunque ex pri-
mis componuntur, & partes ſunt, aut paſsiones horum per ſe. Ex qui-
bus uidetur uelle, quòd ſubiectum nedum habet principia & paſsiones,
verum etiam debet eſſe unum, & habere partes, ideſt, ſpecies; & ita ſex
erunt ſubiecti conditiones. Verumenimuero hanc non crediderim men-
tem eſſe Ariſtotelis; vt ſcilicet ſubiecti conditiones eo loci aſsignare
& tradere intendat, at potius docere undenam ſcientia dicatur & ſit
una; & dicit illam ſcientiam eſſe unam, quæ eſt unius generis, ideſt,
quæ uerſatur circa ea quæ ſunt unius generis. Quibus habitis, mox
declarat quæ intelligat unius generis, uel ſub uno genere, dicens:
Quæcunque ex primis componuntur. &c. Quibus uerbis comprehen-
dit omnia quæ intelligit eſſe eiuſdem generis, circa quod uerſans ſci-
entia, tenetur hæc omnia ſcire; & ſunt hæc: Compoſita, ex quibus com-
ponuntur, & partes, uel etiam paſsiones horum. Hæc omnia ſub uno
genere dicuntur comprehendi, & propterea ad vnam ſcientiam pertine-
re, non ad plures. Habent enim idem fundamentum, eandemq́; radicem à
qua dependent, & prodeunt. Oportet igitur primò vt cognoſcat princi-
pia ex quibus componuntur, ſicut Naturalis materiam & formam, ex qui-
bus eſt compoſitum. Item Geometra cognoſcere debet puncta, lineas, ſemi-
circulos, lunulas, & huiuſmodi ex quibus fiunt figuræ; de quibus agere de-
bet. Ita etiam Arithmeticus numeros conſiderans, debet noſcẽ vnitatem &
radices numerorum, & qui primi. &c. Hæc igitur dicũtur prima, ex quibus
componuntur alia. Debet itaq; vna & eadem ſcientia quæ verſatur circa
vnum genus, cõſiderare de primis, ex quibus componuntur alia, & ex illis
cognoſcere cõpoſita. Adhuc, & partes eorũ conſideret oportet; per partes
intelligendo ſpecies. Non enim ſatis eſt agere de genere aliquo, niſi

etiam de partibus eius agatur in quibus diuiditur. Vt qui agit de animali,& de ſpeciebus eius;qui de ente,etiam de ſpeciebus entis. Vel paſsiones horum . Præter hæc, paſsiones horum adhuc ſunt eiuſdem conſiderationis. Et per paſsiones intelligit Ariſtoteles compoſitorum,& partium;quæ tamen inſunt eis per ſe; ſecus non eſt neceſſe . Vt Mathematicus agit de figuris,& ſpeciebus figuræ,& paſsionibus figuræ,& ſpecierum eius.Immo etiam de paſsionibus primorum ex quibus componuntur, loquitur Ariſtoteles. Vt ſi de linea agatur,vt recta vel curua eſt. Debet enim Geometra & hanc differentiam cognoſcere de linea . Ideo non ſolùm ad partes & compoſitum, ſed etiam ad prima, referri poteſt illud verbum (horum.)

Quòd autem dicit per ſe , patet quòd quæ per accidens non ſpectant ad ſcientiam; vt quòd linea ſit alba, vel nigra. &c. Quòd verò vſus eſt diſiunctione dicens: Vel paſsiones; non autem dixit: Et paſsiones : ſignificare voluit, quòd aliquando paſsiones habent rationem partium, ideſt, ſpecierum quibus diuiditur genus . Sicuti rectum & curuum diuidunt lineam . Item par & impar diuidunt numerum,& tamen dicuntur paſsiones numeri; ex philoſopho .4. Meta. t.c.5. Et ibidem contextibus .3.4.&.5.vocat paſsiones entis,ſpecies,ſeu genera eadem; ſicut ſimile,diſsimile,idem,diuerſum,contraria,vnum,plura,& id genus alia. Indifferēter vtitur nomine paſsionis,& ſpeciei,ſeu generis. Et ex illa qua vſus eſt diſiunctione in memorato loco, conijcere poſſumus, mentem non fuiſſe Ariſto.,ſubiecti conditiones enumerare;quandoquidē coniunctione vſus fuiſſet,dicens: Et ſpecies,& paſsiones. &c. Hæc igitur omnia ſub vno continētur genere; ad vnam propterea ſcientiam ſpectare vult Ariſtoteles . Vnde quæ nouerit omnia hæc, erit vna ſcientia; ſecus non.

Huc etiam tendit illa alia conditio,nempe ꝙ ſit vnum. Nam hoc potius reſpicit ſcientiæ vnitatis,quàm ſubiecti conſtitutionem. Quod quidem ſignificauit Ariſtoteles,dicens,ſcientiam eſſe vnam,quæ vnius generis ſubiecti eſt;& non dixit,ſcientiam eſſe,quæ vnum ſubiectum habet.Significare intendens,quòd vnitas ſubiecti,non ad ſubiectum ſcientiæ,vel ad ſcientiam conſtituendam,atqui ad ſcientiæ vnitatem efficiendam requiritur. Mentem igitur Ariſtotelis in memorato loco eam eſſe crediderim,vt non ſubiecti conditiones,at potius ſcientiæ vnitatem declaret; quemadmodum ex his quæ diximus iam ſatis conſtare poteſt.Quibus etiam huiuſmodi addo inſtantiam.Quòd ſi de homine,aliqua detur ſcientia.perſpicuum eſt, hominem in ea ſubiectum eſſe, cùm & affectiones & principia in ſe contineat; non tamen ſpecies habet,nec iterum partes,cùm ſpecies ſit infima & vltima.Deus eſt ſubiectum theologiæ; non tamen habet partes, cùm ſit ſimplicisſimus . Hanc igitur ob cauſam, dicimus nos, neceſſarium minimè eſſe, vt ſubiectum ſcientiæ habeat partes , ſeu ſpecies; ſed ſi habet, ad eandem ſpectant ſcientiam, ad quam & ſubiectum ipſum . Quare tot erunt ipſius ſubiecti conditiones, quot nos ſuperius enumerauimus.

Duplex ratio ſubiecti. Habet adhuc ſubiectum partem materialem & partem formalem. Prima eſt res conſiderata, ſecunda eſt modus conſiderandi, & eſt ille qui dat formam & eſſe ipſi ſcientiæ. Res enim conſiderata poteſt vni ſcientiæ & alijs eſſe communis; at modus conſiderandi cuiuſque ſcientiæ, proprius eſt, propriumq́. efficit ſubiectum. Vt ſi dicamus, corpus quatenus naturale eſt, ſubiectum eſſe in Naturali diſciplina. Ratio, ſeu pars materialis, eſt corpus, quod quidem commune eſt Naturali diſciplinæ, Stereometriæ, & alijs quamplurimis artibus. Ratio vero, ſeu pars formalis, eſt naturale, ſeu habens in ſe principium motus. Quod quidem proprium eſt Naturalis philoſophiæ, conſiderantis corpus quatenus habet naturam in ſe, motusq́. principium. Et hæc conſtituit Naturalem diſciplinam, eamq́. ab alijs diſtinguit.

Pars formalis ſubiecti, non rem ipsã, at modũ conſiderandi reſtringit. An autem huiuſmodi ratio, ſeu pars formalis, apponatur ſubiecto ad coarctandum rem ipſam conſideratam, ſeu potius eius conſiderationem, ſunt qui non rectè intelligunt. Eapropter hoc ſemper præ oculis habeamus oportet, partem formalem, non rem ipſam, at modum conſiderandi coarctare. Vnde ſi quis dicat quòd homo inquantùm rationalis, alicuius ſcientiæ ſubiectum eſt; perſpicuum redditur, hominem partem eſſe materialem, rationalem verò partem eſſe formalem. Quæ quidem pars formalis, non rem ipſam conſideratam, ſeu hominem reſtringit, cùm ſint inter ſeſe æquales; Nam omnis homo eſt rationalis; ſed modum ipſum conſiderandi. Quandoquidem hominis conſideratio, ſeu modus conſiderandi hominem, poteſt eſſe multiplex; ſiquidem vt ſanabilis, vt felicitatis capax, vt rationalis, alijsq́. modis conſiderari poteſt. Idcirco cùm dicimus quòd homo eſt ſubiectum vt eſt rationalis; ad hunc vnum modum conſiderandi hominem coarctamus & reſtringimus, alios omittendo. Ita cùm dicimus, corpus naturale, quà naturale, ſeu corpus quatenus habet in ſe principium motus, ſubiectum eſſe Naturalis diſciplinæ; non corpus ipſum, at modum conſiderandi reſtringimus; omne ſiquidem corpus habet in ſe principium motus, & è contra; quare ſunt æqualia; & ideo vnum non poteſt per aliud reſtringi, cùm ab æquali nulla fiat reſtrictio. Poteſt tamen corpus conſiderari vt quantum, & alijs quamplurimis modis; & propterea corpus & eius conſideratio non ſunt æqualia, ſed iſta illud excedit. Hanc igitur ob cauſam, dum dicimus corpus quatenus habet in ſe principium motus, ſubiectum eſſe Naturalis philoſophiæ; omnes alios modos ipſum conſiderandi excludendo, ad hunc vnicum reſtringimus.

Contra Scotum. Hinc obiter colligatis, quanti roboris ſit ratiocinium Scoti aduerſus D. Thomam, in prima par. ſummæ Theo., q. 1., ar. 1. ad 2. Nam ſi corpus poteſt conſiderari vt quantum, & vt habet in ſe principium motus; hæc nónne diuerſa dicunt prædicata? Iſtis prædicatis, nónne aliquid correſpondet reale? Vtique. Nam principium motus dicit naturam, quæ eſt ſubſtantia; materia nimirum & forma. Quantum verò dicit accidens, nempe quantitatem. Ad hoc igitur vt habeam exactam notitiam de corpore, ſub hac ratione quatenus habet in ſe principium

 motus,

motus, & quatenus eſt quantum, neceſſariò duæ requiruntur ſcientiæ; Naturalis ſcilicet & Mathematica. Quare diuerſi modi conſiderandi, nedum ſcientiarum pariunt diſtinctionem, verùm etiam earum arguunt neceſsitatem: quod ſi vidiſſet Scotus, acutiſsimum & eleuatiſsimum D. Tho. minimè labefactaſſet.

His igitur omnibus ponderatis atq. intellectis, perquamclariſsimè conſtat, ſubiectum illud eſſe, quod omnibus in ſcientia conſideratis tanq̃ baſis & fundamentum ſubeſt. Et ex conſequenti perſpicuum redditur, neque principia, neque paſsiones, alicuius ſcientiæ ſubiectum propriè dici poſſe. *An principia ſint ſubiect.ũ.*

Id quod etiam ſatis eleganter docuit Reuerendiſs. Caſertanus, lib. primo Apologiæ, ſectio 8. & 10. & deq. euerſione ſingularis certaminis, lib. 15. ſectio. 3., & lib. 19. ſectio. 8.; eiuſq. potiſsima ratio ea eſt: Quoniam non mouentur homines à cauſis ad philoſophandum, ſed à compoſitis, quæ per ſe exiſtunt, & quærimus cauſas ipſorum, alioquin nunq̃ philoſophati eſſemus. Neceſſe enim fuit, vt ſenſus primò mouerentur, quandoquidem niſi aliquid ſenſiſſemus, nunq̃ ad diſcendum commoti fuiſſemus. Hinc Ariſtoteles: Propter admirari, cæperunt philoſophi philoſophari. Cùm itaq. compoſita ſint quæ mouent ſenſum, ac demũ intellectũ ad inquirendas eorum cauſas & principia: proculdubio & cauſæ & principia nõ propter ſe, at propter cõpoſita quærũtur. Et ita cõpoſitũ erit ſubiectũ, principia autem & cauſæ, minimè. Quòd ſi inſcribũtur aliqui libri ab ipſis cauſis, vt liber de principijs & de anima, non inſcribuntur, quia in eis libris anima ſit ſubiectum, neque principia, ſed vt notetur differentia aliarum cauſarum, quæ inueſtigantur in alijs libris. Ita Caſertanus. Cuius quidem ſententia, duo præcipuè continet: nimirum ꝙ principia & cauſæ non poſſunt eſſe ſubiectum, at ſolummodo compoſita; & ꝙ ſi libri à principijs & cauſis inſcribuntur; ob id tantùm fit, vt notetur differentia aliarum cauſarum, quæ in alijs libris inueſtigantur. *Caſertanus.* *1. Meta.*

Dubitatio contra Caſertanum. Cap. 71.

QVO tamen ad primum dictum, non deſunt (& hi quidem peregregij) qui in eum animaduertunt, ita ſcribentes: Ariſto. in poſte. lib. primo, cap. 8. & 9. docet quod in omni demonſtratione ſunt tria: quod demonſtratur; & hoc eſt quod quæritur. Id de quo demonſtratur: & hoc eſt ſubiectum. Et tertiò id ex quo demonſtratur. & hæc ſunt principia & propoſitiones. Quando igitur cauſæ & principia ita ſe habent, quòd non ſunt ea quæ demonſtrantur, nec ea ex quibus, ſed ea de quibus; neceſſe eſt ut tunc habeant rationem ſubiecti. Et hoc poterit eſſe dupliciter: vel à priori, ſi cauſa illa non ſit prima; ſed poſſit per aliam demonſtrari aliquid de ipſa. Vel à poſteriori, ex effectibus, accidentibus, & ſignis. 1.

Conſtat etiam, ꝙ vnum genus cauſæ eſt idoneum ad arguendum aliquid de alio genere cauſæ; vt ex fine vel forma, arguitur quid de mate- 2.

ria. Sicut patet in lib. phyſicorum, quòd diſputatio eſt de principijs, & de eis fiunt demonſtrationes, & ſoluuntur quæſtiones, an ſint, quæ ſint, quot ſint; & alia quæ habentur in calce primi phyſicorum.

3\. Ariſtoteles etiam in poſterioribus analyticis poſuit duplicem demonſtrandi modum; per cauſam ſcilicet & effectum, ſeu quia, poſterius; ſignificans non in omni ſcientia quærendam eſſe cauſam; Præſertim cùm res de qua agitur non habet cauſam; ſed eius cognitio & notitia aliunde venanda eſt. Vnde etiam primo phyſicorum tex. primo, cùm diceret in naturalibus quærendam notitiam de principijs eorum, adiecit cauſam; quia ſcilicet naturalia ſunt de numero eorum quæ habent cauſas: & Methodus ſcientiæ Naturalis eſt de numero earum quæ habent cauſas. Quod quidem fruſtra diceret, ſi omnis methodus haberet cauſas, per quas traderet ſcientiam, nec poſſet tradi ſcientia, aut methodus eſſe de non habente cauſam.

4\. Sic etiam Theophraſtus in ſuo lib. Meta. cap. 4. commendabat eos qui non ſolum tradebant notitiam principiorum, ſed etiam accommodabant eam ad cognitionem eorum, quæ ex illis ſunt principijs. Et ſcientiam Metaphyſicam vult verſari circa prima rerum principia vt ſubiectum; ideo ponit eam longè ab alijs diuerſam, & modum diſputandi longè ab alijs diuerſum.

Et confirmatur; quoniam Metaphyſica eſt ſcientia prima, quæ non poteſt confugere ad alias cauſas; cùm ſit circa prima entia & primas cauſas. Satis etiam conſtat quòd verba phyloſophi in 6. Meta. clariſsima ſunt; quòd ſcilicet theologia verſatur circa prima entia, & circa illam naturam diuinam. Conſtatq. philoſophum loqui de ſubiecto propriè accepto; ſicut alijs ſcientijs ibi attribuit ſuum ſubiectum; Phyſicæ, inq; & Mathematicæ. Et conſtat ratio adducta, quòd illud eſt ſubiectum, de quo fiunt quæſtiones, & de quo demonſtrantur quæſita prius; nec oportet, quod habeat cauſas niſi in demonſtrando; tales autem cauſæ poſſunt eſſe accidentia propria, effectus, paſsiones, rationes ducentes ad impoſsibile. &c. Conſtat autem ex facto, quod philoſophus mouet quæſtiones de ſubſtantijs ſeparatis, & de prima quæ eſt Deus, & ſoluit oſtendens quòd ſit, quis

5\. ſit, quid ſit, qualis, propter quid ſit talis. Quare conſtat principia & cauſas poſſe eſſe ſubiectum in ſcientia. Et ita principia in libris phyſicorum, anima in libris de anima, & ſubſtantiæ ſeparatæ in Metaphyſica erunt ſubiectum propriè acceptum; contra Caſertanum.

Ad rationem Caſertani.

Ad cuius quidem fundamentū & rōnes, ſub hac diſtinctione reſpōdetur, nimirum quod principia poſſunt dupliciter cōſiderari; vno modo reſpectiuè ad ea, quorum ſunt principia & cauſæ; & ſic cùm per eas cauſas cognoſcantur cauſata, & paſsiones oſtendantur de eis, neceſſe eſt dicere, quòd eatenus habent rationem cauſarum ſubiecti, non autem quòd ſint ſubiectum, ſed media ex quibus demonſtratur. Verùm ſi conſiderentur per ſe, vt ſunt ea de quibus quæſtiones fiunt & demonſtrantur quæſita, ne-

6\. ceſſe eſt vt ſic habeant rationem ſubiecti. Vnde ſi conſideretur eſ cognitio, quæ traditur de principijs & cauſis rerum naturalium in primo phyſicorum

ſicorum, propter ipſas res naturales quarum ſunt cauſæ & principia; & ſic illa cognitio terminetur ad eas; ita ſubiectum ibi ſunt res naturales, quarum ſunt principia; non autem ipſa principia; quia ſic conſiderantur principia & cauſæ, vt ſunt ea ex quibus cognoſcuntur cauſata, vel aliquid de cauſatis. Et iſta eſt veluti cognitio reſpectiua & reflexiua. Sed ſi conſideretur ea cognitio, quæ habetur de principijs & cauſis, in eis perſiſtendo; vt de materia prima, de Deo, primo Motore. &c. de quibus ſiunt demonſtrationes, & aliqua oſtenduntur de eis; & ſic accipiuntur, habent rationem ſubiecti; de quo ſcilicet fit demonſtratio, & ſoluitur quæſtio; non autem habet tunc rationem medij, ex quo demonſtretur quid de aliquo alio; quare nec cauſæ, aut principij, aut eius ex quo; quod idem eſt.

Ideo cognitio quæ habetur de anima, ſi conſideretur vt dirigitur in cognitionem rerum animatarum, facit vt anima non ſic ſit ſubiectum de quo ſcientiam querimus, ſed ſit medium per quod ſciantur alia, ſcilicet res ipſæ animatæ. Sin autem conſideretur ipſa anima vt eſt id quod cognoſcitur, & de quo ſoluuntur quæſtiones, & demonſtrantur paſſiones & quæſita, vt ſic habet rationem ſubiecti. Et ita dicitur de alijs. Præſentim de ſubſtantijs ſeparatis, & præcipuè de Deo. Quatenus enim per cognitionem Dei habemus cognitionem omnium dependentium ab eo vt à cauſa prima, eatenus Deus non habet rationem ſubiecti, ſed medij; per quod cognitum, alia cognoſcuntur; quia eſt id ex quo, non id de quo; vt ſupra ex primo poſte. cap. 8. diximus ex philoſopho. Sed ſi conſideretur Deus in ſe, vt eſt id quod cognoſcitur, de quo quæritur & demonſtratur, ſic habet rationem ſubiecti. Eſt enim vnum & idem quod poteſt habere rationem cogniti, & rationem medij, per quod aliud cognoſcatur. Primo modo habet rationem ſubiecti in ſe. Secundò autem modo, medij in ordine ad aliud, quod per ipſum cognoſcatur.

Et licèt cognitio quæ habetur de cauſa & principio vt ſubiectum, & id de quo quæſita demonſtrantur, ſit vt plurimum per medium debile, vel per effectum, vel per accidens proprium & huiuſmodi; notitia autem quæ habetur de cauſato per cognitionem cauſæ ſit per medium nobilius, & demonſtratio hæc ſit à priori, illa à poſteriori. Cognitio tamen illa quæ habetur de cauſa & principio per demonſtrationem à poſteriori, eſt præſtantior; & hoc non ratione medij, ſed ratione ſubiecti quod ex ſua natura eſt notius, q̃a eſt cauſa per quã ſecũdùm naturã debet cognoſci effectus, nõ ecõuerſo. Quòd ſi ſecus accidit, hoc eſt per accidẽs, rõne nr̃i; vt habetur .1. poſte. cap. 2. Ex his oĩbus videtur impugnata opinio, & ſoluta ratio Reuerendiſsimi Caſertani.

Defenſio Caſertani. *Cap. 72.*

CAETERVM, ſi ſubtilius & intimius res conſideretur, diſputatio adhuc habet locum. Et vt clarius omnia noſcantur, ab illorũ fundamento primordia capienda ſtatui. Quando ſiquidem Ariſtoteles in primo poſte. libro, cap. 8. dicit omnem demonſtratiuam ſcien-

tiam circa tria verſari,nimirum ſubiectum,principia & affectiones. Senſus non eſt,vt ſcientia in tres diuidatur partes; in quarum vna de ſubiecto, in alia de principijs,& in alia de affectionibus ſermo habeatur; cùm præter principiorum & affectionum tractationem, nulla ſit alia de ipſo ſubiecto ſpeculatio. Nil enim aliud eſt ſcientiam aliquam circa aliquod,veluti circa proprium ſubiectum verſari,quàm illius ſubiecti principia & affectiones conſiderare. Sed ſenſus eſt,quòd ſubiectum præſupponitur,atq. toti ſubſternitur diſciplinæ. Deinde eius inquiruntur principia & affectiones; quibus habitis & notis,& ipſius ſubiecti natura dubio procul perſpicua redditur & manifeſta. De ſubiecto igitur nulla eſt habenda peculiaris tractatio, ab illa principiorum & affectionum diſtincta; atqui tota ſcientia in duobus tantùm eſt occupata; in principijs ſcilicet & affectionibus,ſeu accidentibus ſui ſubiecti. Id quod loco proximè citato innuere voluit Ariſtoteles,quando dixit ſuppoſitionem ſubiecti in ſcientijs aliquando deſpici atq. contemni; vt porò quando eſt de ſe manifeſtum & planum; ob id tamen non obſtare,quin tria ſint illa quæ in ſcientia conſiderantur,ſcilicet ſubiectum,principia,& accidentia. At ſi de ſubiecto,præter illam principiorum & accidentium,aliqua eſſet peculiaris ſpeculatio atq. tractatio, inanis & fruſtra fuiſſet huiuſmodi Ariſtotelis admonitio. Quandoquidem ex ea (vt mea fert opinio) nil aliud præter hoc colligi poteſt; videlicet, quòd cùm expreſsè non præſupponatur ſubiectum,ſed deſpiciatur omnino,de eoq. nulla peculiaris habeatur ſpeculatio,poſſet quiſpiam in tali caſu,ſcientiam circa duo tantùm verſari cenſere atq. exiſtimare. Quod vt tolleret Ariſtoteles,addidit quòd hoc non obſtante, adhuc tria in ſcientia conſiderantur; quandoquidem ſubiectum toti ſubijcitur diſciplinæ. Quod ſi de eo peculiaris,& ab illa principiorum,pariterq. accidentium, diſtincta haberetur pertractatio,nónne vana fuiſſet illa Ariſtotelis nobis tradita adnotatio? Nam quis tunc non videret ſcientiam circa tria verſari? Sed confirmentur omnia vnico perquamclariſsimo exemplo. Nam ſit ſcientia de homine; tunc perſpicuum eſt quòd tria ibi conſiderantur;nempe homo tanq̃ ſubiectum, eiusq. principia & accidentia. Quapropter; ni res ita ſe habeat veluti nos docuimus; aliqua pars erit in qua tractabitur de homine ipſo tanq̃ de ſubiecto. Alia in qua de principijs,ac demum alia,in qua de accidentibus ipſius hominis habebitur ſermo. Nunc percunctor ego,ſi in ſecunda & in tertia parte ſcientiæ,conſiderantur principia hominis atq. accidentia; quid poſtea de homine relinquitur amplius tractandum? Nihil profectò; quia eſt iam præcognitus homo, & non quæritur;atqui eius tantùm principia & accidentia; quibus cognitis,& ipſe homo perfectiſsimè cognitus relinquitur. Quare illa alia pars ſcientiæ quæ ipſi homini atque ſubiecto reſeruatur, eſt omnino nulla. Quando igitur dicimus,ſcientiam aliquam verſari circa tria,tunc & res conſideratæ ſpectantur,principia ſcilicet & accidentia,& ſubiectum ipſum toti ſcientiæ ſubſtratum. Quando verò dicimus,eam in duobus verſari,datur intelligi quòd tota ſcientia circa duo tantùm,nimirum principia

pia & accidentia,eſt occupata.Si demum dicatur,ſcientiam in vno tantùm verſari, intelligitur ſubiectum; cuius tota eſt illa tractatio & diſciplina. Quia de principijs & affectionibus hominis agere,eſt de homine agere.

Et ſi liber,de homine inſcribatur,à tota re conſiderata deſumitur inſcriptio; quia quicquid in eo conſideratur,aliquid hominis eſt; nempe principium,vel affectio. Eapropter dicunt nonnulli,& benè,quòd ſubiectum vbique & nullibi tractatur. Vbique,quoniam omnia quæ tractantur,non alia ratione tractantur,niſi quatenus aliquid eius ſunt. Nullibi verò,quia præter principiorum & accidentium tractationem,nulla alia de eo ſeorſum relinquitur.Tria igitur hæc,ſubiectum,principia,& affectiones,ſe mutuo reſpiciunt,& cum relatione conſiderantur, diuerſimodè tamen.Subiectum enim conſideratur prout alijs omnibus ſubijcitur; principia verò vt cauſæ ſunt, ex quibus aliorum pendet cognitio, aut etiam à quibus alia producuntur; affectiones verò,quatenus in ſubiecto ſunt,& à principijs profluunt & deriuantur.Et ita ſe mutuò reſpiciendo,vnam ſcientiam conſtituunt. Principiorum igitur propria conditio eſt,vt conſiderentur cum relatione & reſpectu ad ea quæ ex principijs pendent; quandoquidem tunc principia dicuntur,quando vt principia conſiderantur; & tunc ſemper habent reſpectum ad id cuius ſunt principia; veluti ex eorum definitionibus perquamclariſsimè conuincitur. Materia ſiquidem prima definitur per relationem ad corpus naturale cuius eſt principium, quando dicitur:Materia eſt primum ſubiectum ex quo fit aliquid cùm inſit.Et anima dicitur actus corporis phyſici organici.Clarum igitur eſt,quòd principia ſemper conſiderantur cum reſpectu ad ea quorum ſunt principia.Et quòd ſubiectum toti ſubſternitur ſcientiæ;ita vt aut totum genus, aut aliqua eius ſpecies pertractetur; & per conſequens,tali ſubiecto nulla vnquam ſcientiæ pars deſtituta eſſe poteſt.

Quibus ſtantibus,in hunc modum poteſt erigi demonſtratio: Principium in ſua ratione formali claudit reſpectum ad id cuius eſt principium; ſecus non eſſet principium. Ergo vbicunq.conſideretur,ſemper in ordine ad ſubiectum,& ita nunquam poterit eſſe ſubiectum,ſed ſemper habebit rationem principij. *Prima ratio.*

Præterea:In qualibet parte ſcientiæ eſt conſideratio de ſubiecto,aut de toto genere, aut de aliqua eius ſpecie; alioquin non eſſet adæquatum ſcientiæ.Ergo quæcunq.conſiderantur in ſcientia,ſeu ſint principia,ſeu affectiones; ſemper conſiderabuntur vt aliquid ipſius ſubiecti; aut principium aut affectio.Et idcirco ſi erit ſpeculatio de aliquo principio,ſeu de aliquo accidente, hæc non erunt ſubiectum; ſed id cuius ſunt vel principia, vel accidentia. Non enim debemus confugere ad principia vel affectiones vt aliquod ipſorum nobis ſtatuamus ſubiectum, cùm iam proprium ſubiectum habeamùs. .2.

Et quod magis vrget: Si in libris phyſicorum principia ſunt ſubiectũ, & in lib.de anima,ipſa pariter eſt ſubiectum; quæro vbinam conſiderantur vt principia. Si dicatur quòd ibidem; non igitur erunt ſubiectum. .3.

Si di-

Si dicatur quòd ſunt ſubiectum quatenus de eis ſoluuntur quæſtiones; Principia autem quatenus habent reſpectum ad principiata. Arguo ego; Quando de eis ſoluuntur quæſtiones, aut habent reſpectum ad ſubiectum, aut non. Si primum; non igitur ſunt ſubiectum, at ſemper principia. Si ſecundum; nunq̃ igitur conſiderabuntur in ſcientia vt principia, at ſemper vt ſubiectum; quod non conſonat. Non enim alio modo conſiderantur principia naturalia, nec anima ipſa, quàm in libris phyſicorum, & in libris de anima.

Et quod dico de principijs, dico etiam de affectionibus. Nam quando ſoluuntur quæſtiones de affectione aliqua, tunc de ea habetur ſpeculatio, & non aliter. Tunc igitur aut habet relationem ad ſubiectum, aut non. Si primum; non poteſt igitur eſſe ſubiectum. Si ſecundum; nunq̃ igitur conſiderabitur in ſcientia vt affectio, at ſemper vt ſubiectum; quod nimis abſonum crediderim.

Solutio. Balduinus in proœ. phy. Sunt tamen qui dicunt, principia & affectiones eſſe ſubiectum actuale illis in libris, in quibus de eis quæſtiones ſoluuntur; illud verò cuius ſunt principia vel affectiones, ſubiectum eſt potentiale ſeu virtuale; cùm omnia, eius gratia pertractentur & conſiderentur.

Impugn. At nimis ridiculum hoc: Quandoquidem cùm in qualibet parte ſcientiæ tractetur aut de principijs aut de affectionibus; nulla relinquetur pars, in qua compoſitum ſit ſubiectum actuale; quo nil peius.

Dub. 1. Cæterùm duplex ſuboritur difficultas; & prima eſt; Si paſsiones & principia non poſſunt eſſe ſubiectum, cur Ariſtoteles multoties inſcribit libros vel à principijs, vel ab affectionibus; vt liquidò conſtat de libris animaſticis & de generatione & corruptione? Item libri de partibus animalium; & parua naturalia; illi à principio materiali inſcribuntur, iſta verò ab affectionibus.

2. Secunda eſt hæc: Dictum eſt ex Ariſto., quòd in omni demonſtratiua ſcientia, tria reperiuntur; nempe ſubiectum, principia, & affectiones. At quædam ſunt ſubiecta, quæ non habent principia; vt ſubſtantiæ ſeparatæ. Ergo in illa ſcientia non erunt tria conſiderata.

Solut. 1. ex Caſertano. Ad primam difficultatem reſpondebat Caſertanus ubi ſupra; nempe in de euerſione ſingularis certaminis, lib. 15. ſectio. 3.; quod illud fit ut notetur differentia aliarum cauſarum, quæ inueſtigantur in alijs libris; veluti etiam ſuperius adnotauimus.

Cōtra Caſertanum At certè huiuſmodi doctrina non videtur mihi adamuſsim ſatisfacere. Proptereaquòd fortè ſatisfaceret, ſi omnes libri qui non inſcribuntur à ſubiecto, inſcriberentur à cauſis & à principijs. At multi ſunt qui (veluti diximus) inſcribuntur ab affectionibus; vt illi de generatione, & alij quos dubitando memorauimus. Et tali inſcriptioni cùm non ſatisfaciat Caſertanus, eius reſponſio mihi tanq̃ ſufficiens minimè probatur. Eapropter mihi alia relinquitur ratio adducenda; nimirum quòd libri multoties non à ſubiecto, at ab intentione inſcribuntur. Vt illi de anima, de generatione, & alij ſupra enarrati; idq. conſultò fecit Ariſtoteles, vt inde facilè illorum librorum ſubiectum colligere poſſemus; ex intentione

tione enim licet inferre ſubiectum. Quod vt magis omnibus perſpicuum euadat, illud animaduertendum cenſuerim; nimirum ſubiectum & ſcopum, ſeu intentionem, in idem re & ratione minimè incidere. Quandoquidem ſubiectum illud eſt, quod in initio cuiuſque ſcientiæ tanq̃ notum præſupponitur; intentio verò eſt, eius principia & affectiones inquirere. Et cùm ſubiectum nil aliud ſit præter principia & affectiones, vt ſubiectum & intentio re idem ſint, ratione verò diuerſa, neceſſariò conſequitur. Et idcirco ex vno licet aliud inferre; veluti Auer. in ſua præfatione in libris phyſicorum, ex ſubiecto intulit intentionem. Nam dicebat, res ſenſibiles ibi eſſe ſubiectum; igitur intentio eſt philoſophi Naturalis, principia & accidentia rerum ſenſibilium inueſtigare. Et ita ſcientia circa tria, intentio verò circa duo tantùm verſatur; propterea quòd ad accidentia & principia ſubiecti inquirenda, tota intentio authoris dirigitur. Et ex hac infertur ſubiectum; veluti ſi dicamus; In libris phyſicorum intentio authoris eſt, corporis naturalis latiſsimè ſumpti, principia inquirere & affectiones; igitur corpus naturale latiſsimè ſumptum eſt ibi ſubiectum. In libris de anima & de partibus animalium, & in paruis naturalibus, intentio authoris eſt, agere de principijs & affectionibus corporis animati, igitur in illis libris ſubiectum eſt corpus animatum. Fauet Balduinus in proœmium Auer. ſuper lib. phy.

Aliud ſubiectum, aliud intentio.

Quod ſi animaduertiſſent Iauellus, & alij, in quæſtionibus ſuis ordinarijs ſuper libros de anima, non dixiſſent, animam eſſe ſubiectum in illis libris de anima. Nequidem Franciſcus ille Vicomercatus, in initio primi phy. ſtatuiſſet, principia & accidentia corporis mobilis, minimè autem corpus mobile latiſsimè ſumptum, in illis libris ſubiectum eſſe. Tum; inquit; quia de corpore mobili ibi nihil differit Ariſtoteles, ſed in initio primi de coelo. Tum quia multiplicaretur corpus mobile latiſsimè ſumptum ſine neceſsitate; cùm ſit ſubiectum totius Naturalis diſciplinæ, & etiam octo librorum de phyſico auditu.

Contra Iauell. et Vicomercatum.

Verumenimuerò non video quomodo poſſit iſte vir conſiderationem de principijs & accidentibus, ab illa de ſubiecto ſeparare; cùm nil aliud ſit ſubiectum, quàm principia & affectiones. Neceſſe eſt igitur, quòd conſiderando Ariſtoteles principia & affectiones generatim in libris phyſicorum, quòd illud ſit ibi ſubiectum, cuius principia & accidentia quæruntur. Hoc autem non poteſt eſſe niſi corpus mobile latiſsimè ſumptum: De tali igitur corpore diſſerit Ariſtoteles in lib. phyſicorum. Et cauſam erroris crediderim fuiſſe, quia cenſuit de ſubiecto peculiarem ſpeculationem, præter illam de principijs & accidentibus, in ſcientia habendam; cuius tamen oppoſitum oſtendimus ſupra.

Nec verum eſt, quòd Ariſtoteles incipiat tractatum de corpore mobili in libris de coelo; at completa tractatione de corpore mobili latiſsimè ſumpto, ad partes ſtatim, ſeu ſpecies, pedem conuertit; & primò ad ſimpliciorem. Minusq. multiplicatur corpus mobile latiſsimè ſumptum. Quoniam cùm dicimus, illud eſſe ſubiectum in tota ſcientia, ſenſus eſt, quòd in qualibet parte ſcientiæ tractatur de eo; ſeu quò ad totum ge-

nus, ſeu quò ad aliquam eius ſpeciem. Corpus igitur mobile latiſsimè ſumptum tractatur in libris phyſicorum; in alijs verò partibus naturalis philoſophiæ, de eius ſpeciebus & partibus; veluti ex his quæ in eius ordinatione diximus, ſuperquèſatis conſtare poteſt.

Quòd verò corpus animatum, & non anima, ſit ſubiectum in libris de anima, ex dictis iam patet. Clarum ſiquidem eſt ex ipſius animæ definitione, illam ibi tanq̃ principium conſiderari; ex conſequenti intentionem eſſe Ariſtotelis, ibi de anima uerba facere ut de principio corporis animati, non ut de ſubiecto. Subiectum enim illud eſt, cuius principia & accidentia quæruntur. Et eundem ſeruauit ordinem Ariſtoteles in tractatione de animalibus, quem ſeruauit in tractatione corporis mobilis latiſsimè accepti in libris phyſicorum. Nam primò tractauit de eius principijs intrinſecis, materia ſcilicet & forma; deinde de accidentibus. Sic etiam de animalibus, primò tractauit de eorum principijs intrinſecis, nempè materia & forma; quæ ſunt anima & partes animalium; deinde de ipſorum accidentibus in paruis naturalibus.

Decipitur igitur Iauellus, & alij qui eius doctrinæ aſſentiunt. Et quia hæc ad complementum doctrinæ tantùm tetigimus; ideo eius ratio nes adducere ſuperuacaneum duximus. Nam ex dictis ſunt ſolutæ; nec licet in unum omnia confundere.

Solut. 2. Ad ſecundam difficultatem facilè diceret Caſertanus, negando ſubſtantias abſtractas eſſe ſubiectum in prima philoſophia; id quod docuit in primo libro Apologiæ, ſectio. 9. 10., & alibi. At nobis non probatur hæc doctrina; veluti probauimus in quæſito ſpeciali de hoc.

Poteſt igitur facilè etiam ſatisfieri, illa qua communiter utuntur reſponſione; quòd ſcilicet ſubſtantiæ abſtractæ habent principium, ſeu principia cognitionis, & in demonſtrando; & hoc ſufficit ad ſaluandum quòd omne ſubiectum habet principia. Subtilius tamen dici poteſt; quod ſpeculatio de natura ſubſtantiæ abſtractæ eſt ſpeculatio correſpondens ſpeculationi de principijs. Nam principia alicuius ſubiecti ob aliud non quærimus, niſi vt eius noſcamus naturam & ſubſtantiam. Quando itaque res eſt omnino ſimplex & carens principijs, ſat eſt ſi eius naturam & eſſentiam cognoſcamus. Et hæc notitia, notitiæ principiorum optimè correſpondet. Subſtantiæ igitur abſtractæ, licèt ſecundùm ſe non habeant principia, habent tamen ratione noſtri; quoniam dum eas contemplamur, cognitio eſſentiæ & naturæ ipſarum, eſt tanq̃ cognitio principiorum earum. Et eiuſmodi cognitio proportionaliter correſpondet cognitioni, quæ de principijs in alijs diſciplinis habetur. Vnde & tria ibi conſiderantur; nimirum natura ſubſtantiæ abſtractæ, affectiones, & ſubiectum, ab his mente & ratione ſeiunctum. Idem dicatur de quolibet alio ſubiecto ſimplici. In his & quibuſdam alijs, ducem habui doctiſsimum Zabarellam.

Ad ra-

Ad rationes in oppoſitum. Cap. 73.

HIS dictis, ſupereſt vt rationibus in oppoſitum faciamus ſatis, deinde ad alia transeamus. Quando igitur primo loco dicitur quòd cùm de principijs aliquid demonſtratur, tunc habent rationem ſubiecti; hoc non admittimus; quia ſemper conſiderantur in ordine ad aliud; nimirum ad ſubiectum. Et omnes illæ demonſtrationes ſemper reſpiciunt ſubiectum; tanq̃ id cuius principia & accidentia quæruntur, vt perfectè cognoſcatur. Et animaduertendum eſt, quòd ſcientia quæ habetur de principijs, habetur de ſubiecto; quia tractando de principijs, ſimul tractatur de ſubiecto; quemadmodum dictum eſt. *Ad. 1.*

Ad ſecundam iam patet; quoniam ſi ex vno genere cauſarum demõſtratur aliquid de alio, hoc non fit ratione ſui, ſed ſemper ratione ſubiecti, de quo eſt ſcientia. Et in calce libri phyſicorum primi, omnia illa prædicata concluduntur de principijs rerum naturalium, vt earum noſcamus eſſentiam & naturam, & non ratione principiorum in ſe. *Ad. 2.*

Ad tertiam conceditur demonſtratio illa à poſteriori & ſine cauſa in eſſendo; nec, ob id quod diximus, ſequitur quod ſit fruſtra; quia eſt propter ſubiecta ſimplicia; vtpotè ſubſtantias abſtractas, & etiam propter inueſtiganda principia & cauſas. Non tamen ſequitur quòd principia & cauſæ ſint ſubiectum, quia non propter ſe quæruntur. *Ad. 3.*

Ad authoritatem Theophraſti, dicimus ꝙ fauet nobis, quandoquidem ſi cõmendabat eos qui non ſolùm tradebant notitiam principiorũ; ſed etiam accommodabant eam principiatis; ſignum manifeſtum eſt, ꝙ principia non per ſe quæruntur, at ratione ſubiecti. *Ad. 4.*

Ad Confirmationem, cùm tandem concluditur quòd de ſubſtantijs ſeparatis ſoluuntur quæſita. &c., admittimus omnia. At cùm infertur: Ergo principia habent rationem ſubiecti; Negamus argumentum. Cùm probant, quia ſunt cauſæ omnium aliorum, & ab eis omnia pendent. Dicimus quòd verum eſt; & ideo vt ſic conſiderantur non vt ſubiectum atqui vt principia ſunt. Nam Metaphyſica, præter hoc quòd eſt Theologia, eſt etiam prima philoſophia. Et quatenus eſt prima, eatenus eſt vniuerſalis; veluti probauimus ſupra: Vt vniuerſalis igitur, habet omnia conſiderare, etiam ſubſtantias materiales; ſuo tamen modo, & vt decet. Hac de cauſa, munus Metaphyſici eſt conſiderare ſubſtantias abſtractas, vt principia ſunt & cauſæ corporis coeleſtis & aliorum inferiorum. Vt verò dicitur & eſt theologia, tunc negamus quòd conſideret ſubſtantias ſeparatas ſub ratione principiorum & cauſarum; at conſiderat ſub ratione ſubiecti, quod eſt propriè ſui iuris; alia verò non niſi per modum ſequelæ & ſecundariò. Quare autem ſubſtantiæ ſeparatæ ſint diuerſis rationibus & principia & ſubiectum, illud ex earum ſubſiſtentia & perfectione prouenire conſtat. Non enim ſunt principia intrinſeca alicuius & eſſentialia, veluti materia & forma, quemadmodum fuſius diximus in quæſito de ſubiecto Meta.

Dicimus igitur, quòd quando quærimus nunquid ens mobile, ſeu corpus mobile, ſubiectum ſit adæquatum totius philoſophiæ Naturalis; Senſus eſt, nunquid toti philoſophiæ ſit ita ſubſtratum, vt tota intentio Ariſtotelis in illa ſcientia, dirigatur ad inueſtiganda eius principia & affectiones; vel totius generis, vel alicuius eius ſpeciei; & ſit baſis & fundamentum omnium, quæ in illa ſcientia conſiderantur. Et tot de primo dicta ſint.

Reſpondetur quæſito tribus concluſionibus. *Cap. 74.*

Prima cō cluſio. QVO ad ſecundum, hac prima concluſione, præfato quæſito reſpondemus affirmatiuè. Siue dicamus ens mobile, ſiue corpus mobile, vel ens naturale, vel corpus naturale, ſeu ſubſtantiam corpoream, aut ſubſtantiam mobilem, aut ſubſtantiam ſenſibilem, ſubiectum eſſe adæquatum totius Naturalis philoſophiæ; cùm inter hæc nullum niſi vocis verſetur diſcrimen; vtcunque dicatur, nobis maximè probatur. Quæ quidem concluſio cùm duas præcipuas habeat partes, nimirum ꝙ inter illa quæ enarrauimus, nullum niſi vocis, verſatur diſcrimen. Et ꝙ vtcunque dicatur, illud eſt ſubiectum. Idcirco primam partem prius declarandam; & deinceps ad ſecundæ probationem, ſermonem conuertendum duximus.

Vt igitur fundamentum & rationem primæ partis concluſionis facilius omnes percipere queant, altius exordiendo, illud in primis animaduertendum ſum arbitratus quod aliàs diximus; nempe quòd Ens vniuerſale eſt ad omnia, vt nihil ſit vniuerſalius ipſo; vt conſtat. Non ſic autem quòd ex æquo omnia comprehendat; ſed nomen ipſum primò ſignificat naturam quandam omnium primam, à qua omnia pendent; & propterea omnia participant nomine eius, ſicut & natura illa. Vnde ſicut vniuerſalius eſt nomen, ita & natura, penès quam ſumptum eſt, omnium eſt prima. Sicut enim homine, animal vniuerſalius eſt, quia animalis ratio ſumitur penès ſenſum; qui eſt natura prior rationali, penès quod ſumitur homo; & animatum vniuerſalius animali, quia ſumitur penès vegetatiuam animam, quæ eſt prior ſenſu; & ſic aſcendendo vſque ad corpus; quod cùm vniuerſalius ſit miſtis & ſimplicibus grauibus vel leuibus, & corruptibilibus, vt competat etiam immortali corpori per ſe primò neceſſe eſt; & ita natura corporis erit prior omnibus illis. Sic igitur cùm corpore vniuerſalius ſit prædicatum ſubſtantiæ; omne ſiquidem corpus eſt ſubſtantia, at non conuertitur, cùm quædam ſit incorporea; neceſſe eſt vt ratio ſubſtantiæ ſit naturæ prioris corpore; quare & eſſentiæ. Idem enim eſt (vt indicat verbum græcum) οὐσία quod ſubſtantia, natura, ens, & eſſentia. Quamobrem & hoc nomen (ens) vt eſt vniuerſalius corpore, ita etiã ſumitur penès naturam corpore ſuperiorem. Et ita ens propriè ſignificat ſubſtantias ipſas, omnes quidem; ſed maximè incorporeas. Corporeas tamen etiam, ſed non vt corporeæ,

at vt ſubſtantiæ ſunt. Sola nanque ſubſtantia eſt quæ per ſe exiſtit; at verbum grecum ὤν ſignificat ens & exiſtens; igitur ſignificat ſubſtantiam. Item, natura ſignificat eſſentiam; veluti docuit Boetius in lib. de duabus naturis, dicens: Natura eſt vnamquamque rem informans ſpecifica differentia. Et eſſentia ſignificat ſubſtantiam; veluti ab omnibus receptum eſt; igitur ſubſtantia, natura, ens, & eſſentia ſunt eiuſdem cognationis, idemq́. ſignificant. Id quod etiam innuit Ariſtoteles in vndecimo Meta., ſumma.3. cap. primo ad initium. Translatum eſt etiam vt ſignificet ſubſtantiarum accidentia. Sicut enim ſubſtantia ſimpliciter dicta, & ſine aliqua additione, eſt ſuperior & prior ſubſtantia corporea, quæ ſuperaddit aliquid ſubſtantiæ; multò magis ens & ſubſtantia erit prior, & quid ſuperius ad accidentia ſubſtantiarum ipſarum, quæ ſunt poſteriora ſecundùm naturam, non ſolùm ſubſtantijs ſimpliciter dictis, ſed etiam corporeis. Quare ens prædicabitur de illis, non eo modo quo de ſubſtantijs, at in obliquo & ſecundùm quid. Non enim propriè ſunt, ſed inſunt. Inde ſequitur, quòd ſicut entis nomen extenditur ad omnia, etiam accidentia ita & nomen eſſentiæ, ſubſtantiæ, & naturæ. Nam & eſſentia dicitur quantitatis, & ſubſtantia qualitatis, ſic etiam nomen quidditatis; quod tamen videtur proprium omnino ſubſtantiæ, vt diſtinguitur contra accidentia.

Ens igitur propriè ſignificat ſubſtantiam; accidentia verò, non niſi per translationem. Quandoquidem cùm ſit nomen vniuerſaliſſimum; & ex conſequenti à natura omnium prima deſumptum, naturam longè poſteriorem; niſi per translationem; ſignificare minimè poteſt. Quarè natura ſubſtantiæ, videtur poſterior natura entis; quia prædicatum quod oritur à ſubſtantia, eſt minus vniuerſale quàm ens, quod prædicatur de ſubſtantia & de non ſubſtantia; vt patet.

At hoc eſt omnino falſum; propterea quòd ſequeretur quòd ſuprà naturam ſubſtantiæ eſſet quædam natura prior; vtpotè entitatis; à qua oriretur prædicatio entis, natura prior quàm prædicatio ſubſtantiæ. Eſt igitur eadem natura ſubſtantiæ & entis; veluti ex græcorum verborum cognatione declarauimus. Quòd autem ens videatur quid vniuerſalius, eſt non quia dicat naturam priorem natura ſubſtantiæ; ſed quia nomen ſubſtantiæ ſeruatur determinatè ad vera entia ſignificanda, quæ ſunt ſubſtantiæ. Nomen autem entis effunditur ad alia etiam; propterea quia participant de ſubſtantia, ideſt, de eſſe, quia ſunt aliquid eius. Quia ſunt; inquam; aliquid eſſentiæ, ideſt, ſubſtantiæ, dicuntur eſſe. Et propterea philoſophus ſæpe monet, ꝙ ſubſtantia propriè eſt ea quæ eſt, & cui nomen & ratio, & natura entis competit. Valeat igitur Pererius; qui in lib. 2., cap. primo ordinando ea quæ in categoria ſubſtantiæ enumerantur, ſupra ſubſtantiam poſuit ens tanq̃ quid ea vniuerſalius. Natura igitur ſubſtantiæ eſt omnium prima & vniuerſaliſſima, ſupra quam nihil eſt, & ſub qua immediatè ſequitur natura corporis; quæ primò reperitur in corpore coeleſti, deinde in elementis, ac demum in miſtis. Conſtat autem quòd huiuſmodi ſubſtantia corporea, ex materia & forma com-

ponitur, & vtraque illarum eſt ſubſtantia. Subſtantia itaque corporea, ſeu corpore ipſo nihil eſt latius, quàm ſubſtantia & ens. Poſt autem ſubſtantiam corpoream, ſequitur immediatè quantitas; & hac de cauſa ponitur ſecundum prædicamentum. Tria igitur hîc habemus: Nimirum ſubſtantiam, ſubſtantiam corpoream, & quantitatem. Sed prima appellatur ens abſolutè; vt probauimus. Ergo & ſecunda debet appellari ens corporeum. Idem enim eſt ens quod ſubſtantia. Et tertia; per tranſlationem; debet appellari ens quantum. Sed ens corporeum, compoſitum eſt ex materia & forma; & hæc primò & per ſe, & nõ ſecundùm accidens, dicunt motum; igitur ens corporeum & ens mobile idem ſunt. Ens autem cùm idem ſit quod ſubſtantia; relinquitur vt ens mobile & ſubſtantia mobilis idem ſint. Subſtantia autem mobili, & ſubſtantia corporea, & corpore ipſo, nihil eſt latius, nihilué communius, niſi ſubſtantia & ens; cùm nihil ſupra ſe habeat, niſi hoc. Ergo ſubſtantia mobilis, ſubſtantia corporea, & corpus, idem ſunt. Ex conſequenti ſubſtantia mobilis & corpus mobile erunt idem. Conſtat autem, veluti ſupra docuimus; quòd ſubſtantia mobilis & ens mobile ſunt idem; Ergo & ens mobile & corpus mobile idem ſunt. Mobilitas autem non prouenit niſi à materia & à forma; quarum vtraq; eſt natura, iuxta ea quæ docet Ariſtoteles in .2. libro auſcultatorio. Ergo ens habens materiam & formam eſt ens naturale; habet enim naturam. Ens autem mobile eſt huiuſmodi; cùm mobilitas, ſeu poſſe moueri, non ſit niſi à materia & forma, quæ ſunt natura. Ergo ens mobile & ens naturale idem ſunt.

Amplius; Corpus mobile non ita appellatur, niſi quia habet in ſe principium quo poteſt moueri, & hoc eſt Natura. Ergo ſicut appellatur mobile ex eo quia moueri poteſt, pari ratione poteſt appellari naturale, ex eo quia habet naturam principium motus. Et ita corpus mobile & corpus naturale idem erunt.

Item; ſubſtantia mobilis præter hoc q; habet materiam & formam, habet etiam qualitates ſenſibiles; vt conſtat. Ergo ſubſtantia mobilis & ſubſtantia ſenſibilis idem ſunt. Sed ſubſtantia mobilis identificatur cum ente mobili & alijs, quæ ſuperius enumerauimus; Ergo & ſubſtantia ſenſibilis.

Liquidò igitur conſtat quòd ens mobile, corpus mobile, ens corporeum, ſubſtantia corporea, ſubſtantia mobilis, ſubſtantia ſenſibilis, ens naturale, & corpus naturale idem omnino ſunt. Quod quidem perquamfacillimum redditur, ſi rectam inſpiciamus lineam prædicamentalem, & ſubſtantiæ categoriam. Clarum ſiquidem eſt, quòd huiuſmodi ſeries ab Ariſtotele & alijs ita deſcribitur.

Subſtantia.
Corpus.
Corpus animatum.
Animal.
Homo.
Plato.

Modò

Modò omnia hæc,rationem habent ſubſtantiæ,& nullum eorum eſt,quod rationem ſubſtantiæ ſubterfugere queat. At prima dicitur ſubſtantia abſolutè,& abſque alia additione. Item dicitur ens abſolutè,& abſque alia additione. Quia ſubſtantia & ens idem ſunt;quemadmodum ſuperius fuit declaratum. Secunda verò addit primæ naturam corporis; Ergo ſicut prima appellatur ſubſtantia & ens abſolutè; Ita & ſecunda appellabitur ſubſtantia & ens corporeum. Conſtat autem quòd natura corporis claudit materiam & formam,quæ ſunt natura. Et à natura denominatur naturale. Ergo ſicuti dicitur ſubſtantia & ens corporeum;ita poteſt nuncupari & dici ſubſtantia & ens naturale. Natura autem cùm ſit principium motus eius in quo eſt primò & per ſe, & non ſecundùm accidens; ex .2. auſcultatorio libro. Quòd omne naturale,ſeu habens naturam, poſſit moueri,& ſit mobile, neceſſariò conſequitur. Ergo ſicut ſecunda ſubſtantia appellatur ſubſtantia & ens corporeum, & etiam ſubſtantia & ens naturale;cur etiam non appellabitur ſubſtantia & ens mobile?

Et ſi ſubſtantia corporea & ſubſtantia mobilis, & ens corporeum & ens mobile idem ſunt. Cur & ens mobile & corpus mobile non erunt idem? Quid enim aliud eſt ſubſtantia corporea,& ſubſtantia mobilis,& ens corporeum,quàm corpus mobile? Nam ſecunda ſubſtantia addit primæ naturam corporis. Vel igitur iſta ſecunda ſubſtantia eſt mobilis,vel non. Si non; igitur non eſt ſecunda,ſed prima ſubſtantia. Si ſic,dùm habeat naturam corporis,ſequitur quòd ſit corpus mobile.

Et ea ratione qua eſt ſubſtantia,eſt etiam ens. Ergo ſicut dicitur ſubſtantia mobilis & corpus mobile;ita etiam poteſt dici ens mobile. Et quia eſſe mobile,ſeu poſſe moueri eſt à natura; neceſſariò conſequitur, quòd ſi dicatur ens mobile & corpus mobile, quòd etiam dicatur ens naturale & corpus naturale. Et re vera adeo res clara eſt,vt (niſi proteruire velimus) nulla prorſus relinquatur ambiguitas. Quod etiam authoritate Ariſtotelis confirmari poteſt. Nam in primo lib. de coelo & mundo t. c. 99. dicit, quòd motus non eſt ſine phyſico corpore. Ergo idem eſt corpus mobile & ens mobile. Illatio adeo nota eſt & clara,vt; niſi apud eos qui ſunt hebetis ingenij; nulla egeat declaratione. Et Auer. ibidem;Vbi non eſt corpus,ibi non eſt motus. Propterea juxta hæc tria iam ſuperius enumerata,nempe ſubſtantiam,ſubſtantiam corpoream, & quantitatem; ſeu ens,ens corporeum,& ens quantum;tres ſunt ſcientiæ totales,inter ſeſe realiter diſtinctæ. Nimirum Metaphyſica, Naturalis, & Mathematica. Prima verſatur circa ſubſtantiam & ens abſolutè ſumptum. Secunda circa ſubſtantiam & ens corporeum ſeu mobile;quod primum obtinet locum poſt ſubſtantiam,& ens abſolutè ſumptum. Idcirco dicebat Ariſtoteles in Metaphyſicis,quod niſi eſſent ſubſtantiæ ſeparatæ, Phyſica eſſet prima philoſophia. Et hoc ideo quia verſatur circa ſubiectum,quod poſt ſubſtantias ſeparatas,primum obtinet locum. Vt patet de corpore coeleſti. Et hanc ob cauſam, Ariſto. in. 7. Sapientiæ libro,t. c. 39. Naturalē diſciplinā,ſecundā appellat philoſophiam. Nam poſt ſubſtantias

ſeparatas,ſequitur immediatè natura corporis coeleſtis, quæ eſt nobiliſſima;& poſt hanc,natura elementorum, quæ eſt minus nobilis. Deinde natura miſtorum. Propterea Ariſtoteles ordinando ſubſtantiæ categoriam; primo loco poſuit ſubſtantiam abſolutè ſumptam; ſecundo loco ſubſtantiam corpoream abſolutè ſumptam; Tertio loco ſubſtantiam corpoream animatam; & ſic ſemper ab vniuerſaliori ad minus vniuerſale deſcendendo. Quod non vidit Zimara, theoremate 1x1. de quo alias.

Contra Zi mar.

Et quia poſt ſubſtantiam immediatè ſequitur quantitas, idcirco hanc conſiderat tertia ſcientia & Mathematica. Et in libro decem Categoriarum,ſecundum obtinuit locum. Tot igitur de prima parte concluſionis, mihi dicta ſufficiant.

Secunda verò pars erat,q̃ vtcunq. dicatur,illud eſt ſubiectum in Naturali diſciplina. Clarum ſiquidem eſt,q̃ cùm ens mobile & corpus mobile inter ſe ſint idem,& etiam cum alijs quæ ſupra enumerauimus,ſi vnum eſt ſubiectum,etiam aliud.

Ens mobile eſt ſubiectum. 1. ratio.

Quod igitur ens mobile ſit ſubiectum, facilè & laconicè tali ratione demonſtro: Illud eſt ſubiectum in Naturali philoſophia,cuius principia & affectiones in illa ſcientia quæruntur. Ens autem mobile eſt huiuſmodi; Ergo &c. Maior patet ex conditionibus ſubiecti. Nam remotis principijs,remouentur affectiones; & iſtis ſublatis,corruit tota demonſtratio, pariterq́ ſcientia. Et habetur ex Ariſtotele .12. Meta. t.c.1. ita dicente: Speculatio de ſubſtantia eſt. Siquidem ſubſtantiarum principia & cauſæ quæruntur. Et vndecimo Meta. ſumma .3. cap. primo: Omnis autem ſcientia circa vnumquodq. eorum quæ ſub ea ſcibilia ſunt, principia quædam & cauſas quærit. Minor probatur: Quandoquidem principia quæſita in primo libro phyſicorum,ſunt materia, forma, & priuatio; quæ quidem omnia ſunt principia corporis mobilis; Hoc autem idem eſt cum ente mobili, vt ſupra reliquimus probatum. Si itaq. ſunt principia corporis mobilis,etiam entis mobilis. Item Affectiones corporis mobilis ſunt motus,alteratio, generatio, & alia id genus. Ergo ſunt etiam affectiones entis mobilis; Huiuſmodi autem affectiones demonſtrantur in Naturali diſciplina. Igitur ens mobile eſt in ea ſubiectum.

.2. Amplius principaliter. Illud eſt in aliqua ſcientia ſubiectum,quod eſt ens reale neceſſarium,toti ſcientiæ ſubſtratum,& tanq̃ baſis & fundamentum omnium quæ in tali ſcientia conſiderantur. Ens autem mobile eſt huiuſmodi reſpectu Naturalis philoſophiæ; Ergo eſt in ea ſubiectum. Maior eſt nota ex conditionibus ſubiecti. Minor probatur: Nam ens mobile eſt ens reale neceſſarium,cum non ſit à noſtro libero arbitrio,ſed à natura. In qualibet parte ſcientiæ Naturalis,vel de toto genere in ſe, vel de aliqua eius parte & ſpecie tractatur; vt liquidò conſtat: Ergo eſt toti ſcientiæ ſubſtratum. Et quæcunq. conſiderantur in illa ſcientia, vel ſunt principia vel paſſiones ipſius,vel alicuius eiuſdem ſpeciei. Ergo ens mobile eſt baſis & fundamentum eorum omnium, quæ in Natu-

rali philoſophia conſiderantur. Quare eſt ibidem ſubiectum.

Totus iſte proceſſus, ex his quæ Naturalem philoſophiam ordinando diximus, facillimè conſtat. Quandoquidem oſtendimus ibi, quòd in quali- bet parte Naturalis philoſophiæ tractatur vel de corpore mobili in ſe & abſolutè conſiderato, vel de aliqua eius ſpecie. Et ita cùm nullibi in ſcientia, de ſubiecto peculiaris habeatur tractatio: quemadmodum ſupra demonſtrauimus; relinquitur quòd in qualibet parte Natura- lis philoſophiæ, de principijs ſeu affectionibus ipſius corporis mobilis latiſſimè ſumpti, aut alicuius eiuſdem ſpeciei, ſermo habeatur. Corpus igi- tur mobile, & ex conſequenti ens mobile; ſunt enim idem; erit ſubiec- tum in Naturali philoſophia.

Amplius. Ariſtoteles in.7. diuinæ philoſophiæ, contextu.39. in cal- 3
ce, habet hæc verba: Quodam modo Naturalis & ſecundæ philoſophiæ opus eſt, ea quæ circa ſenſibiles ſubſtantias, ſpeculatio eſt. Ergo ſubſtan- tia ſenſibilis eſt ſubiectum in Naturali philoſophia. Subſtantia autem ſenſibilis & ens mobile ſunt idem; vt præoſtenſum eſt. Ergo Ens mo- bile eſt ſubiectum in Naturali philoſophia. Quod & declarauit Ariſto- teles in.6. Metà. contex.2. his verbis: Cùm autem Naturalis etiam circa quoddã entis genus ſcientia ſit (etenim circa talẽ ſubſtantiã eſt, in qua principium eſt motus, & ſtatus qui in ea eſt). patet q̃ nec actiua, neq; factiua eſt. Et paulò poſt: Naturalis ſpeculatiua quædam profectò eſt, ſed ſpeculatiua circa tale ens, quod poſſibile moueri. Hæc Ariſtoteles. Ex quibus habetur, quòd ſubſtantia mobilis & ens mobile ſunt ſubiec- tum Naturalis diſciplinæ. Et cùm in.7. Meta. loco à nobis proximè cita- to; velit hanc eandem diſciplinam circa ſenſibiles ſubſtantias verſari; niſi eam velimus tria habere ſubiecta, (contra Ariſto. in primo poſte. cap. .23., vbi vult quamlibet ſingularem ſcientiam vnico gaudere ſubiecto.) cogimur dicere ens mobile, ſubſtantiam mobilem, & ſubſtantiam ſen- ſibilem idem eſſe. Et per conſequens, ſi vnum eſt ſubiectum in Natu- rali philoſophia; etiam aliud, abſque vlla controuerſia, atque diſcri- mine.

Id quod etiam adnotauit Auer. in.7. Sapientiæ libro, commento.59. his verbis: Et propter hoc quod dixit philoſophus primus non conſi- derat de ſubſtantijs ſenſibilibus ſecundùm quòd ſunt ſenſibiles, ſed ſecun- dùm quòd ſunt ſubſtantiæ; Naturalis verò ſecundùm quòd ſunt ſubſtan- tiæ ſenſibiles. Et ideo dicit: Quoniam quodammodo perſcrutatio de ſubſtantijs ſenſibilibus, & conſideratio de eis eſt philoſophiæ Naturalis, quæ eſt ſecunda; id eſt, quòd philoſophia Naturalis non perſcrutatur de ſubſtantia ſicut facit iſta ars, ſed de ſubſtantia ſecundùm quòd eſt ſenſi- bilis; Et dicit ipſam eſſe ſecundam, in reſpectu primæ philoſophiæ, quæ dicitur Metaphyſica, ſecundùm ordinem doctrinæ, non eſſe. Hæc Auer- roes. Ex quibus habemus, quòd Naturalis diſciplina ſpeculatur ſubſtan- tiam, non quà ſubſtantia eſt, ſicuti Metaphyſica; ſed quà eſt ſubſtantia ſen ſibilis. Habemus etiam quòd Naturalis diſciplina eſt ſecunda reſpectu Meta., ordine perfectionis ſeu naturæ, non ordine doctrinæ; quod ſatis

ijs quæ ſupra docuimus, de ordine ſcientiarum ſermonem habentes. Modò conferamus hæc cum ijs quæ docet idemmet Auerr. in .7. Meta. comm.5. his verbis: Et iſtas eaſdem opiniones dixit, cùm perſcrutatus fuit de principijs ſubſtantiæ mobilis, ſcilicet ſubſtantiæ Naturalis; ſed illic, ſcilicet in phyſico auditu, fuit perſcrutatus alio modo ab iſto. Illic enim perſcrutatus eſt de principijs corporis ſecundùm quòd eſt naturale, ideſt, ſecundùm quòd quieſcit aut mouetur; hîc autem perſcrutatus eſt de eis, ſecundùm quòd eſt ſubſtantia tantùm. Hæc Auer. Quibus omnibus adinuicem collatis, perquamclariſſimè conſtabit, ſubſtantiam ſenſibilem, ſubſtantiam mobilem, ſubſtantiam naturalem, & corpus naturale, eſſe omnino idem, & Naturalem philoſophiam circa ea, tanquam circa proprium ſubiectum verſari. Quòd cùm ens mobile idem ſit cum omnibus ijs; veluti probatum reliquimus; perſpicuum redditur & clarum, ens mobile eſſe ſubiectum in Naturali philoſophia. Quod & clarè docet Auer. in.4. Meta. comm. primo, his verbis: Et ſimiliter etiam ſcientiæ naturales de quadam parte entis, ſcilicet de ente mobili, & de accidentibus eſſentialibus, idem ſecundùm quod eſt mobile; & de motu. Et in.12. Meta. comm.5. dicit, quòd naturalis diſciplina eſt de ente mobili; & paulò poſt dicit, quòd ſubiectum ſcientiæ naturalis eſt corpus mobile. Et in primo phy. dicit, quòd eſt de rebus ſenſibilibus tanquam de ſubiecto. Et Ariſto. in 12. phy. t. c.71. Quæcunque mota mouent, phyſicæ ſunt conſiderationis. Et primo coeli t. c. primi. &c. Vtcunque igitur dicamus, ſiue ens mobile, ſiue corpus mobile; aut ens corporeum, aut ſubſtantiam corpoream; vel ens naturale, vel corpus naturale; ſeu ſubſtantiam mobilem, ſeu ſubſtantiam ſenſibilem, ſubiectum eſſe in naturali philoſophia; omnia tanquam veriſſima, & ad aures Ariſtotelis & Auerrois amplectenda, pariterq. approbanda cenſemus.

Huic noſtræ ſententiæ ſubſcribit Alexander, ille ex Aphrodiſiade, .6. Sapientiæ, enar.2., ita ſcribens: Propoſitum eſt Ariſtoteli, Naturalem doctrinam contemplatricem eſſe, non actiuam oſtendere, & in eo ente, quod in ſe motus & quietis principium habeat. Hoc eſt in corpore naturali verſari, quanquam ſi naturale corpus id eſſe intelligitur, quod in ſe motionis atque quietis principium habet. Hæc Alexander. Ex quibus vult ens mobile, corpus mobile, & corpus naturale idem eſſe, & ſubiectum ad aures Ariſtotelis, in Naturali philoſophia eum ſtatuit.

Simplicius quoq. in ſuo proœmio ſuper libris phyſicorum, habet hæc verba formalia: Cæterùm vniuerſi ſermonis de natura alius eſt circa principia rerum omnium naturalium quà naturales ſunt, eædem dictu corporeæ; & circa ea quæ neceſſariò ſequuntur talia principia. Alij verò ſunt circa ea quæ à principijs proficiſcuntur. Hæc ille. Ex quibus patet, quod per naturales & res corporeas idem intelligit; & eas in Naturali diſciplina vult eſſe ſubiectum.

Huic doctrinæ aſſentitur ex latinis doctiſſimus Zimara, in concordantijs Auer. ſuper .4. Meta. comm. primo; & in tabula, dictione: motus. Religioſiſſimus & vndequaq. doctiſſimus Pater Toletus in .q. ſpeciali de

ſubiec-

ſubiecto philoſophiæ Naturalis, in proœmio ſuper libris phyſicorum, dicit ens mobile, corpus mobile, & corpus naturale, quò ad ſuppoſitionem æqualia eſſe, hoc pro pluribus vnum ſupponere, quàm aliud; immo; inquit; inter ſe conuertuntur; ſed modus ſignificandi varius eſt.

Excellentiſsimus amicus noſter, & in collegio noſtro Bononienſi doctor egregius, Magiſter Georgius Buſtus Vercellen., Dominicanæ Familiæ profeſſor, in prima par. quæſtionum quolibetalium .q. prima, inter ens mobile & corpus mobile, nullum ponit diſcrimen.

Idem docet Balduinus in .q. de hoc, ſuper proœmio Auerr. in lib. phy., concluſione .1., & .2.

Cardinalis Melphitenſis, in prima parte ſuæ philoſophiæ, tracta.2.cap.18. Iulius Sirenius de ſubiecto primæ philoſophiæ, ſectione .3. cap.19. Lucillus Philalthæus in primo phy. cap.3. Benedictus Pererius, lib.2. cap. primo, in fine. Alexander de Ales in ſua præfatione in lib. Meta. Quare tum ratione, tum Ariſtotelis & Auerrois, aliorumq́. grauiſsimorum virorum authoritate, noſtra prima concluſio relinquitur fulcita, corroborata, atque probata. Et quoniam ſuperius diximus, vnumquodque ſcientiæ ſubiectum, duplicem habere partem, nimirum materialem atq. formalem, ordo & perfectio doctrinæ exigit, vt declarata & probata ratione & parte materiali ſubiecti Naturalis philoſophiæ, pars etiam formalis exaretur. Eapropter hæc ſecunda ponitur concluſio:

Mobilitas, ſeu Naturalitas, aut quodcunque illorum quæ ſupra enarrauimus dicatur, formale eſt ſubiecti Naturalis diſciplinæ. .2.Conc.

Concluſio prius exponitur, deinde probatur: Eſt igitur animaduertendum, quòd per mobile, naturale, ſenſibile, & corporeum, idem intelligo; illud ſcilicet quod in ſe habet principium motus & ſtatus. Sicut Ariſto. in .6. Meta. ſumma prima, cap. primo; & in .11., ſumma .3. cap. primo. Vnde cùm dico: Ens mobile quatenus mobile, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia; ſenſus eſt; Ens mobile quatenus in ſe habet principium motus, & quietis, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia. Ita etiam cùm dico: Ens naturale quà naturale, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia; ſenſus eſt: Ens naturale quatenus habet naturalitatem & principium motus & quietis, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia. Pariter cùm dico: Subſtantia ſenſibilis quà ſenſibilis, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia; Eundem habet ſenſum: Vt dicatur: Subſtantia ſenſibilis quatenus in ſe habet cauſam & principium ſenſibilitatis; quæ eſt natura; ſubiectum eſt in Naturali philoſophia. Idem dico de ente corporeo; vt ſit ſenſus: Ens corporeum quatenus in ſe habet materiam & formam, quæ ſunt principia entis, ſeu ſubſtantiæ corporeæ, & naturam; ſubiectum eſt in Naturali philoſophia. Naturale enim illud eſt, quod intra ſe principium habet motus & ſtatus; vt author eſt Ariſtoteles in primo lib. de coelo contex.5., qui ait: Omnia enim naturalia corpora & magnitudines, ſecundùm ſe, mobiles ſecundùm locum eſſe dicimus. Naturam enim motus principium ipſis eſſe dicimus. Et primo lib. auſcultatorio t. c.11. ita loquitur: Nobis autem ſupponatur ea quæ natura, aut omnia, aut

quædam moueri. Huiusq. rationem reddit philoſophus .2. phy. contex. 3. Quia ſcilicet natura eſt principium motus & quietis.

Item; Mobile dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo vt eſt quædam aptitudo ipſius mobilis aut vt etiam actu mouetur; & vt ſic, paſsio eſt rei naturalis. Alio modo vt habet intra ſe principium illius aptitudinis, nempè naturam; & ita idem eſt quod naturale. Similiter ſenſibile, vt eſt aptitudo, eſt paſsio rei naturalis; vt autem intra ſe habet principium talis aptitudinis, ita idem eſt cum naturali. Eodem modo dico de corpore; non enim eſt corpus, niſi quia habet materiam & formam, ex conſequenti naturam; omne autem habens naturam eſt naturale. Ergo corporeum & naturale idem ſunt.

Solutio tacita obiect. cōtra Albertū. Nec huic doctrinæ obſtat id, quod de triplici corpore docuit magnus Albertus; nimirum Metaphyſico, Mathematico, & Naturali. Metaphyſicum appellat corpus compoſitum ex materia & forma, ſecluſis quantitate & qualitate, cum aptitudine tamen ad illas. Subſtantiam verò compoſitam cum ipſa quantitate, vocat corpus Mathematicum. Ac demum corpus cum ipſa materia ſenſibili, eſt phyſicum.

Hoc enim corpus metaphyſicum crediderim non nouiſſe Ariſtotelem, neminemq. antiquorum peripateticorum. Nam Ariſtoteles in .3. auſcultatorio libro, contextu .40., ita conſcriptum reliquit: Si enim eſt corporis ratio planitie terminatum, non vtique erit corpus vllum, aut intelligibile, aut ſenſibile infinitum. Ex his vult Ariſtoteles omne corpus, aut ſenſibile, aut intelligibile eſſe; ſeu aut phyſicum, aut mathematicum; ſecus ratio eſſet nulla. Et vndecimo Metaphy. ſumm.4. cap.2. inquit: Non ſanè fuerit infinitum corpus, nec intelligibile, nec ſenſibile.

Huic doctrinæ fauet Auer. in .3. Sapientiæ, comm.17. his verbis; Et nullum corpus eſt niſi mathematicum, aut ſenſibile. Et Alexander lib. primo quæſtionum naturalium, cap.2.

Solut. Pererij lib.2 c.3. Quibus tamen non obſtantibus, ex recentioribus quidam occurrunt, dicentes, quia triplex eſt corporis conſideratio, nempe Metaphyſica, Phyſica, & Mathematica, idcirco triplex etiam datur corpus. Cæterùm Ariſtoteles & Auerroës duo tantūmodo ponunt; tum quia corpus metaphyſicum & phyſicum re non differunt; tum quia cōmunem modum dicendi ſunt inſequuti.

Impugnatio. Veruntamen hoc nihil eſt: Quandoquidem licèt ſubſtantia compoſita, abſque actuali quantitate vel qualitate, intellectu concipi poſsit, nihilominustamen illa ſubſtantia eo pacto conſiderata, ex intrinſeca ſui ratione habet aptitudinem ad illa, ex eo quia eſt materialis. Erit igitur eiuſdem ſcientiæ, conſiderare ſubſtantiam quantificabilem, & quantam; & ſubſtantiam qualificabilem, & qualem. Sicuti eiuſdem ſcientiæ eſt conſiderare hominem riſibilem, & hominem ridentem. Ratio eſt doctiſsimi Patris Toleti, loco præcitato.

1. Cartarius in proœ. phy. lec.5. Cui quidem addunt alij: Ariſto. in .6. diuinorum, t.c.3. dicit; Si ſubſtantiæ non eſſent abſtractæ, tunc naturalis philoſophia eſſet prima philoſophia.

loſophia. Modò ponatur quòd huiuſmodi ſubſtantiæ non ſint;ob id non ſequitur, quod Naturalis philoſophia ſit prima; quia adhuc ipſa Metaphyſica erit prima; cùm hoc corpus Metaphyſicum conſideret, quod eſt ſupra corpus phyſicum.

Adhuc; Illa abſtractio corporis Metaphyſici à corpore naturali & .3.
mathematico,eſt impoſsibilis;quoniam ſicut animal vniuerſale non ponit in numero cum ſuis ſingularibus,ſed eſt quid commune ipſis;ita & hoc corpus metaphyſicum non ponet in numero cum corpore Naturali & Mathematico,ſed erit tanq̃ commune vtrique.

Addo & ego: Illud corpus metaphyſicum compoſitum ex materia & .4.
forma;aut habet in ſe principium motus,aut non. Si primum, igitur idem eſt quod phyſicum; per ea quæ iam dicta ſunt. Si ſecundum,non igitur natura eſt principium motus & quietis, quod aduerſatur Ariſtoteli .2. phyſicorum. Materia enim & forma ſunt natura; authore Ariſtotele in .2.phyſicorum.

Amplius: Hoc corpus Metaphyſicum,aut dicit naturam ſuperiorem .5.
corpore phyſico,aut non; Si primum; igitur inter ſubſtantiam abſolutè ſumptam, & ſubſtantiam corpoream, datur medium; quod non admittitur in recta linea prædicamentali. Si non; vana eſt igitur illa diſtinctio.

Præterea: Dicit reſpondens,quòd quia corpus metaphyſicum & na- .6.
turale ſunt idem re,propterea Ariſtoteles, duo tantùm poſuit corpora. At ſi hoc verum eſt,vnum erit tantùm corpus; quia corpus phyſicum & mathematicum ſunt idem re. Vel ſequeretur q corpus mathematicum & naturale eſſent diſtincta re; & ita duo corpora in eodem loco; contra Ariſtotelem .3. Meta. t.c.9.

Si dicatur quòd triplex eſt corporis conſideratio, ideo triplex corpus; ridicula doctrina; tum quia ex hoc quod res multipliciter conſideratur,non ſequitur q multiplicetur,ſed remanet ſemper eadem. Hæc nota ſunt. Tum quia Metaphyſicus conſiderans ſubſtantiam compoſitam, non abſtrahit à motu; ſecus eſſet mendax. Sicut enim homo non poteſt intelligi ſine rationalitate; ita nec natura ſine motu; cùm ſit de intrinſeca eius ratione. Ergo non diſtinguitur omnino à Naturali philoſophia in hac ſpeculatione; ſed ſolummodo, in hoc, q Metaphyſica illam conſiderat ſubſtantiam in vniuerſali; Naturalis verò in particulari; vt aliàs deduximus. Nec ob id ſequitur quòd ſubſtantia compoſita ſit propriè ſubiectum Metaphyſicæ,ſub ratione qua eſt theologia; quandoquidem vt ſic habet pro ſubiecto ſubſtantias & mentes abſtractas; ſubſtantiam vero compoſitam non contemplatur, niſi quatenus eſt vniuerſalis, & per modum ſequelæ; vt ſuperius diximus.

Ita igitur expoſita & declarata concluſione, in hunc modum proba- *Prima ratio.*
tur: Illa eſt prima ratio formalis ſubiecti totalis & adæquati Naturalis diſciplinæ,qua primò poſita,aliquid reponitur ſub tali diſciplina; & qua primò remota,aliquid remouetur à tali facultate. Huiuſmodi autem eſt mobilitas,ſeu naturalitas. Ergo. &c. Maior tanq̃ omnibus nota relinquitur;

tur; propterea quòd omnia conſiderata in ſcientia, in vna conueniunt ratione formali; ex Ariſtotele primo de poſte. reſolutione, cap.23. Minor verò probatur; Omnia ſiquidem habentia principium motus & quietis, ſunt phyſicæ conſiderationis, & omnia carentia huiuſmodi principio, nõ amplius ſunt phyſicæ conſiderationis; authore Ariſtotele .2. auſcultatorio libro, contex.71. Et infra contex.73., probant Ariſto, & Auer. primum motorem non cadere ſub phyſici conſideratione, quia in eo non eſt principium motus. Tale autem principium eſt natura. Ergo mobilitas, ſeu naturalitas, eſt ratio formalis ſubiecti Naturalis diſciplinæ.

2. Amplius: Ariſtoteles in .2. Sapientiæ libro, contextu.16. volens perſcrutari quænam ſint entia ad Naturalem ſpectantia, & quæ non, dixit: Quamobrem conſiderandum eſt primò quidnam natura ſit; ſic enim & de quo Naturalis ſcientia eſt, manifeſtum erit. Hæc ille. Ex quibus patet, eum voluiſſe naturam eſſe modum conſiderandi, ratione cuius omnia ſunt phyſicæ conſiderationis, quæcunque in Naturali conſiderantur diſciplina. Vnde & Auer. ibidem in commentó dicit: Quando homo ſciuerit naturam quid ſit, declarabuntur ei naturalia à non naturalibus. Hanc doctrinam deſumpſi ex doctiſſimo Zimara, in prima ſolutione contradictionum Auer., ſuper quarto Meta.; & eſt eius tertia ratio in ordine; qua probat naturalitatem, rationem eſſe formalem ſubiecti Naturalis philoſophiæ. Quam quidem rationem, ſuperquéſatis indignè ſibiipſi attribuit Balduinus in primo phyſicorum, ſuper prooemio Auer. quæſtione de ſubiecto Naturalis philoſophiæ, concluſione ſecunda; quo loci, naturale aſtruit ſubiectum eſſe formale Naturalis philoſophiæ. Ad quod quidem probandum, Zimaræ primo loco ſecundam adducit rationem, qua idem probare contendit; Eamq́. ſtatim, ipſum nominando refellit. Deinde ſubdit: Et ideo nos aliter probamus hoc ex Ariſtotele & Auerroe, primo poſte. quarto. Et tunc accipit tanq̃ propriam, tertiam Zimaræ rationem. Quod quidem vero philoſopho, & viro docto nimis indignum eſſe ſum arbitratus. Aſt de his hactenus.

3. Tertio loco arguitur tali pacto: Modus conſiderandi ſumitur à modo definiendi; ita docente Ariſtotele in .2. phy. contex.19.; vbi differentiam oſtendit inter Naturalem & Mathematicum, ex varia eorum definitione. Definitio autem corporis, ſeu entis naturalis, eſt habens principium motus & ſtatus; ex Ariſtot. .2. phy. contex.4. Ergo etiam conſideratur à Naturali ſub hac ratione formali, qua eſt naturale, ſeu qua habet in ſe principium motus & quietis.

Confirmatur ratio authoritate Ariſto., in .11. Sapientiæ libro, ſumma .2. cap. primo, vbi ait: Naturali nanque ſpeculatione de eis, non prout entia, ſed prout motu participant, attribuere queat quiſpiam.

Adhuc: in .2. auſcultatorio libro, contex.20. comparat ſcientias Mathematicas & Naturales adinuicem, & dicit quòd Geometria conſiderat de linea phyſica, ſed non quatenus phyſica. Ergo Naturalis, lineam phyſicam conſiderat vt phyſica eſt. Hoc enim probat Ariſtoteles, per locũ à minori, exẽplo de Perſpectiua. Hæc igitur de ſecunda cõcluſione dicta ſufficiãt,

Tertia

Tertia talis eſt: Licèt oĩa prædicta prorſus idẽ ſint; nihilominus tamẽ, tutius, clariusq́., Naturalis philoſophiæ ſubiectum aſsignabimus, dicendo, illud eſſe corpus naturale quà naturale, quàm aliorum quouis vtendo. .3.concl.

Probatur; Quandoquidem ſubiectum ſcientiæ debet vnà cum ſuis paſſionibus, prædicationes parere naturales, minimeq́. ridiculas nec ferè idẽticas. Huiuſmodi autem ſunt ens mobile & corpus mobile; non autem corpus naturale. Ergo magis hoc quam illorum quodlibet, Naturali philoſophiæ pro adæquato ſubiecto debet aſcribi. Media deducitur; quoniam dicendo Ens mobile, ſeu corpus mobile eſt mobile, ſeu mouetur; Id quod ex ſe conſtat enunciare videtur; & ita propoſitio magis ridicula, quàm grauis foret iudicanda. Id verò non ſequitur, ſi de corpore Naturali eædem formentur propoſitiones. Quare concluſio tuta.

Præterea: Si dicatur ens mobile eſt mobile; licèt hunc habeat ſenſum propoſitio illa, ſcilicet Ens habens principium motus, eſt aptum natum vt moueatur. Videtur tamen propoſitio identica, vt ſit ſenſus: Ens habens principium motus, eſt habens principiũ motus; quæ eſt propoſitio identica, ſicut iſta: Homo eſt homo. Idem dico de corpore mobili. Quod tamen non ſequitur ſi dicatur: Corpus naturale eſt mobile.

Secundo loco arguitur pro eadem concluſione tali pacto: Subiectum, radicem paſsionum clariori quo poteſt modo exprimere debet. At clarius eam exprimit corpus naturale, quàm Ens, ſeu corpus mobile. Ergo potius illud q̃ aliquod iſtorum, debet nuncupari ſubiectum Naturalis diſciplinæ. Minor probatur; Siquidem, natura eſt principium motus: Corpus autem naturale habet naturam & principium motus. Ergo clarius exprimit mobilitatis radicem, quæ eſt Natura, q̃ Ens, ſeu Corpus mobile. .2.

Tertiò arguitur ſic: Illud verbum (mobile) multiplex eſt; veluti ſuperius fuit expoſitum. Nam ſumitur aliquando pro eo quod intra ſe habet principium motus; aliquando pro eo quod eſt aptum natum moueri; ac demum pro eo quod actu mouetur. Huiuſmodi autem multiplex acceptio æquiuocationem parit; & hæc obſcuritatem, pariterq́. deceptionem. Si verò dicamus corpus naturale, ceſſant omnia. .3.

Quartò in hunc modum arguitur: Natura eſt principiũ motus & quietis. At ens mobile, neq. corpus mobile principium exprimit quietis. Corpus autem naturale exprimit vtrunq. Nec valet ſi dicatur, ꝙ ſufficit paſsionem poſitiuam exprimere. Quandoquidem & eodem modo dici poſſet, ꝙ in definitione Naturæ non erat neceſſe dicere: Natura eſt principium motus & quietis; ſed ſat fuiſſet dixiſſe: Natura eſt principium motus. Cuius tamen oppoſitum vidimus Ariſtotelem ſeruaſſe. .4.

Huiuſmodi rationes adduxit grauiſsimus pater Toletus in iam præcitata quæſtione; vt probaret tutius fore ſi dicamus, Ens naturale, quàm ens mobile, ſubiectum eſſe in Naturali diſciplina. Quæ quidem omnia licèt veriſsima ſint; nihiloſecius, & mihi probabilius, clariusq́. videtur ſi dicamus, Corpus naturale, q̃ ens naturale ſubiectum eſſe Naturalis diſciplinæ. Quandoquidem poſſet quiſpiam arbitrari, nos ſub ente

naturali claudere etiam materiam & formam; quemadmodum & quidam alij voluerunt eas ſub ente mobili contineri; veluti manifeſtum in ſequentibus reddetur, quod tamen omnino negamus.

.5. Quintò arguo ſic: Si dico ens corporeum, ſeu corpus, ſubiectum eſſe in Naturali diſciplina; tunc videtur cum Mathematica quandam affinitatem habere; ex Ariſto. 2. phy. 18. Si verò dicamus Corpus naturale, omnia ceſſant.

.6. Sextò: Si dicatur ſubſtantia corporea; non adhuc clarius ſubiectum paſſionum radicem exprimeret. Nam radix mobilitatis, ſeu motus, generationis, alterationis, &c. non eſt corpus, ſeu ſubſtantia quà corporea; ſed Natura. Ergo &c.

.7. Septimò: Si velimus ſubſtantiæ mobili id eſſe attribuendum; idem ſequitur quod de Ente mobili dicebamus; vt patet.

.8. Octauò: Si dicamus ſubſtantiam ſenſibilem ſubiectum eſſe in Naturali facultate; Nec paſſionum radicem clarius exprimit, nec principium quietis dicit.

Licèt igitur hæc omnia idem ſint; veluti ſuperius reliquimus probatum; attamen clarius exiſtimo ſi dicamus, Corpus naturale quà tale ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia, q̄ ſi quolibet aliorum vti velimus. Illud tamen non dico neceſſarium eſſe; at propter doctrinæ bonitatem, & vt ſermo clarior, propriorq́; reddatur, tali pacto loquendum cenſuerim. Nam per naturale ſignificatur immediatè radix & ratio formalis, à qua dependet ipſa mobilitas; quæ vt plurimum ſtat pro paſſione ſubiecti. Et hæc de ſecundo principali, mihi dicta ſint ſatis.

Opinio D. Thomæ de ſubiecto Naturalis philoſophiæ. Cap. 75.

QVO ad tertium quod principaliter propoſuimus pertractandum, relinquitur vt aliorum opiniones examinemus; quibus difficultates & rationes nobis aduerſantes manifeſtabuntur, & inde omnibus tutiſsimè occurrentes, magis eorum quæ diximus veritas eluceſcet.

Opinio D. Thomæ. Primo igitur loco ſeſe offert ſanctiſsimi, angeliciq́; doctoris opinio & ſententia ponderanda; quam quidem eandem eſſe cum noſtra, dubio procul arbitramur; Id quod ex plurimis eius authoritatibus poteſt facilè conuinci. In proœmio ſiquidem quod ipſe ſuper libris phyſicorum edidit, ita ſcribit: De his verò quæ dependent à materia non ſolùm ſecundùm eſſe, ſed etiam ſecundùm rationem, eſt Naturalis, quæ phyſica dicitur. Et quia omne quod habet materiam mobile eſt; conſequens eſt, q͂ ens mobile ſit ſubiectum Naturalis philoſophiæ. Naturalis autem philoſophia de naturalibus eſt; Naturalia autem ſunt quorum principiū eſt natura; Natura autem eſt principium motus & quietis in eo in quo eſt. De his igitur quæ habent in ſe principium motus, eſt ſcientia Naturalis. Hæc D. Thomas. Ex quibus explicitè habetur, quòd ens mobile

eſt ſubiectum in ſcientia Naturali. Implicitè verò habetur etiam, quod corpus mobile, & corpus naturale eſt eiuſdem ſcientiæ ſubiectũ: & ita ens mobile, corpus mobile, & corpus naturale ſunt idem. Et quod id implicitè habeatur, facilè deducitur. A primo ſiquidem vſq. ad vltimum deducendo, concludit quod ſcientia Naturalis eſt de his quæ habent in ſe principiũ motus, tanquam de ſubiecto. Corpus autẽ mobile, ſeu naturale, habet in ſe principium motus, Ergo circa illud, tanquam circa ſubiectum ſibi adæquatum verſatur ſcientia Naturalis. Et ex conſequenti idem erit quod ens mobile. Et ne quis credat, me D. Thomam in hanc violenter trahere ſententiã, audiat illum in 4. auſcultatorio libro, lectio. 12., in expoſitione t. 74., expoſitione prima in calce, ita loquentem: In hoc autem libro agitur de corpore mobili in communi. Et ideo frequenter vtitur Ariſtoteles in hoc libro in ſuis rationibus, quibuſdam quæ ſunt falſa, ſi conſiderentur naturæ determinatæ corporum; Poſſibilia autem, ſi conſideretur natura corporis in communi. Ita D. Thomas. Conformis his quæ docuerat in primo phy., lectio. 2. in principio; vbi dicit, quod in libris phyſicorum tractatur de ente mobili in communi. Quare niſi in proœmio illum habeat ſenſum, quem ex eius verbis ego deduxi, non video quo modo à contradictione ſaluari poſſit. Cùm itaque in proœmio illum, quem diximus habeat ſenſum; relinquitur neceſſario, quod quando paulo inferius dicit ens mobile ſimpliciter, ſubiectum eſſe libri phyſicorum, optimè dicat, ſibiq. omnino ſibi conſtans. At quando immediatè ſubdit: Non dico autem corpus mobile, quia omne mobile eſſe corpus probatur in iſto libro. Nulla autem ſcientia probat ſuum ſubiectum. Et ideo ſtatim in principio de coelo qui ſequitur ad iſtum, incipitur à notificatione corporis. Totam hanc litteram additam eſſe cenſuerim. Tum ob id, quod Magiſter Georgius Vercellen. adducit teſtimonium; nempè quod in bibliotheca Bononienſi adeſt antiquus codex manuſcriptus, qui huiuſmodi non habet litteram. Tum ex verborum ſerie D. Tho., quam ego diligenter obſeruaui. Sibi enim primo contradiceret; quandoquidem in primis verbis dicit, ſcientiam Naturalem eſſe de his quæ in ſe habent principium motus, quia eſt de naturalibus, & naturalia ſunt, quorum principium eſt natura. Inde colligit, ens mobile ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia. Et ob illam quam adducit rationem, concludit tandem, ens mobile ſimpliciter & abſolutè conſideratum, ſubiectum eſſe in libris phyſicorum. Quibus quidem verbis, id optimè correſpondet, quod in quarto dicit phyſicorum; nimirum, quod in illo opere agitur de corpore mobili in communi.

His igitur ſtantibus, ſi alia ex parte dicat corpus mobile ſimpliciter acceptum, in lib. phyſicorum ſubiectum minimè eſſe, nónne manifeſta erit contradictio? Neceſſe eſt igitur, D. Thomã ens mobile ita approbare, quod à principali huius negotij inſtituto haudquaquã corpus mobile reijciat.

Præterea: Niſi illa quam diximus addita ſit litera, indigniſſima illius cum immediatè ſubſequenti, ſequitur continuatio; quandoquidem idem bis immediatè, & nulla vrgente ratione repeteret. Dicit enim: Nulla autem ſcientia probat ſuum ſubiectum. Et ideo ſtatim in principio de coelo

 qui ſe-

qui ſequitur ad iſtum, incipitur à notificatione corporis. His dictis, immediatè ſubdit: Sequuntur autem ad hunc librum alij libri ſcientiæ Naturalis, in quibus tractatur de ſpeciebus mobiliũ. Puta in libro de coelo, de mobili ſecundũ motũ localem, qui eſt prima ſpecies motus. &c. Si itaq. ſanctiſsimi doctoris intentio erat, hæc & ſubſequentia dicere, ad quid ideo immediatè ſuperius enarrare? Nulla ſiquidem ad hoc vrgebat neceſsitas. Quare ſi ita legamus: Sed quia ea quæ conſequuntur aliquod commune, prius & ſeorſum determinanda ſunt, ne oporteat ea multotiens pertractando, oẽs partes illius repetere; neceſſarium fuit ꝙ præmitteretur vnus liber in ſcientia Naturali, in quo tractaretur de his quæ conſequuntur ens mobile in communi; ſicut omnibus ſcientijs premittitur philoſophia, in qua determinatur de his quæ ſunt cõmunia enti, inquantũ eſt ens. Hic autem eſt liber phyſicorum, qui etiam dicitur de phyſico, ſiue de naturali auditu, quia per modum doctrinæ ad audientes traditus fuit; Cuius ſubiectum eſt ens mobile ſimpliciter. Sequuntur autem ad hunc librum alij libri ſcientiæ Naturalis. &c. Totius literæ ſequetur tanto viro digniſsima continuatio.

Addo, quòd in hac vltima litera in qua totam diuidit Naturalem philoſophiam, in qualibet eius parte, ſpeciem aliquam corporis mobilis, pro ſubiecto tradit. Si igitur in qualibet parte Naturalis philoſophiæ, de aliqua ſpecie corporis mobilis habetur ſermo; quare corpus mobile non erit in ea ſubiectum? Eadem enim eſt ſcientia generis & ſpecierum, auctore Ariſtotele primo de poſter. reſolutione, cap. 23.

Cartarius in proemio phy. lec. 8. Quidam tamen ſunt D. Thomæ verba ita rimantes, vt ad eius aures velint corpus mobile, & non ens mobile, ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia; ens autem mobile ſimpliciter, in octo libris de phyſica auſcultatione, corpus autem mobile minimè. Pro quorum declaratione, animaduertunt, Naturalem philoſophiam eſſe in duas partes diſtributam atque diuiſam, in partem ſcilicet intellectiuam, & in partem ſcientificam; ſeu in partem in qua agitur de principijs, & in partem in qua agitur de principiatis. Prima pars continetur in octo libris auſcultationis; Secunda verò in libris de coelo, & deinceps. Tunc ſtante hac diſtinctione, dicunt D. Thomam voluiſſe corpus mobile eſſe ſubiectum in parte ſcientifica Naturalis philoſophiæ. At in parte intellectiua voluit ens mobile ſimpliciter eſſe ſubiectum, non autem corpus mobile. Et ita, inquiunt, ceſſant apparentes contradictiones in dictis eius in proœmio phyſicorum, & in proœmio libri de coelo. Quando ſcilicet dicit ibi ens mobile eſſe ſubiectum, non autem corpus mobile; hic autem dicit corpus mobile ſubiectum eſſe. Propterea quòd in proœmio phyſicorum loquitur & intendit de ſubiecto partis intellectiuæ Naturalis philoſophiæ; & hoc dicit eſſe ens mobile ſimpliciter, conformis ijs quæ poſtmodum dicit in initio lectionis ſecundæ, eiuſdem primi phyſicorũ. In proœmio autem libri de coelo ſtatuit corpus mobile ſubiectum eſſe in tota philoſophia naturali, quæ agit de principiatis, ſeu in parte ſcientifica. Quare nulla contradictio.

Impugna. Verumenimuerò, præter hoc quòd huiuſmodi doctrina eſt ſimpliciter

falſa;

falſa; veluti ex ijs quæ ſuperius de principijs diximus liquidò conſtat; nec etiam D.Thomæ ſapit mentem. Proptereaquòd falſum eſt primò, ipſum negare ens mobile ſubiectum eſſe in tota Naturali philoſophia, etiam in parte quam ſcientificam vocant. Id quod etiam ſuperius ex eiuſdem verbis perquamclariſſimè demonſtrauimus. Inquit enim: De his uerò quæ dependent à materia non ſolùm ſecundùm eſſe, ſed etiam ſecundùm rationem, eſt Naturalis, quæ phyſica dicitur. Et quia omne quod habet materiam mobile eſt, conſequens eſt, quòd ens mobile ſit ſubiectum Naturalis philoſophiæ. Quid clarius? Nec poteſt dici quòd loquatur de ſubiecto partis intellectiuæ, ſeu octo librorum de phyſico auditu. Quandoquidem paulò inferius declarans q; in Naturali ſcientia neceſſarium fuit vnum præmittere librum, in quo de his tractaretur quæ ens mobile in communi conſequuntur; demum concludit q; huiuſmodi eſt liber phyſicorum, cuius ſubiectum eſt ens mobile ſimpliciter, ſiue in communi.

Amplius: Si D.Thomas non vult corpus mobile ſubiectum eſſe in parte intellectiua, ſeu in octo libris auſcultatorijs, cur in .4. eius voluminis libro, loco præcitato; nimirum lectio .12. in expoſitione primæ partis contex. .74., dixit q; in illo libro agitur de corpore mobili in communi?

Præterea: Implicat ſibi hæc doctrina: Si enim eiuſdem ſcientiæ eſt de genere, deq; eiuſdem ſpeciebus verba facere; veluti ex Ariſtotele parum ſupra notatum reliquimus; neceſſariò conſequitur, quòd ſi in octo libris auſcultatorijs verba fiunt de ente mobili ſimpliciter, & per conſequens de genere; in eadem quoque ſcientia Naturali ſermo habeatur de huiuſmodi generis ſpeciebus. At hoc non poteſt eſſe niſi in parte quam ſcientificam uocant. In ea igitur tractatur etiam de ente mobili. Quare de ente mobili non poteſt tractari in libris phyſicorum, ſeu in parte intellectiua, quin de eo etiam tractetur in parte ſcientifica. Et dicere oppoſitum, eſt duo pugnantia affirmare. Et ita D.Thomam à contradictione liberare uolentes, magis in contradictionem ducunt.

Adhuc: Tractans de ſpeciebus alicuius generis, de eodem genere etiã pertractare debet. Hoc notum eſt ex dictis. Si igitur in parte ſcientifica Naturalis philoſophiæ tractatur de corpore mobili; hoc erit aut in cõmuni, aut in particulari. Non in cõmuni ut omnes fatentur; & præſertim D.Thomas in calce proœmij phyſicorum, vbi totam diſtinguit & diuidit Naturalem philoſophiam; & cuiq. parti, ſuum aſſignat particulare ſubiectum. In particulari igitur tractabitur de corpore mobili in illa parte ſcientifica. At in communi & ſimpliciter, vbinam tractabitur? In parte intellectiua certè. Ad aures igitur D.Thomæ fatendum eſt ens mobile, & corpus mobile, ſeu naturale, idem eſſe. Et ita ſi vnum eſt ſubiectum in Naturali philoſophia, etiam reliquum.

Et quia optimè nouerat Sanctiſſimus pater, q; in eadem ſcientia tractatur de ſpeciebus atq. de earum genere; propterea in octo libris auſcultatorijs, de ente mobili ſimpliciter, ſeu de genere; in alijs verò de eius ſpeciebus, ſermonem voluit haberi.

Et hæc doctrina, alijs eiuſdem doctiſſimi & ſanctiſſimi patris authoritatibus fulcitur. In procemio ſiquidem Meta. habet hæc verba: Eiuſdem autem ſcientiæ eſt conſiderare cauſas proprias alicuius generis, & genus ipſum. Sicut Naturalis conſiderat principia corporis naturalis. Non igitur ponit diſcrimen inter ens mobile, corpus mobile, & corpus naturale.

Sed ex procemio quoque libri de coelo, id optimè firmatur, quo loci ita ſcribit: Et hic quadruplex ordo conſideratur etiam in proceſſu ſcientiæ Naturalis. Nam primò determinantur communia naturæ in libro phyſicorum, in quo agitur de corpore mobili inquantùm eſt mobile. Vnde reſtat in alijs libris ſcientiæ Naturalis, huiuſmodi communia applicare ad propria ſubiecta. Subiectum autem motus eſt magnitudo & corpus; quia nihil mouetur niſi quantum. Ecce quo modo in his verbis eſt omnino conformis his quæ iam docuerat tum in procemio, tum in quarto phyſicorum; ſi tamen illa remoueatur clauſula, quam additam diximus. Et vlterius perquamclariſſimè conſtat eos deceptos fuiſſe, qui dixerunt, D. Thomam voluiſſe vt in libris phyſicorum ſubiectum eſſet ens mobile ſimpliciter, minimè autem corpus mobile. Quandoquidem conformis his quæ iam in .4. phyſicorum dixerat, hîc totum dicit oppoſitum.

Et addit præterea, quòd ſubiectum motus eſt corpus & magnitudo, quia nihil mouetur niſi quantum. Quid clarius? In expoſitione tamen primi contextus prioris libri de coelo clarius loqui videtur, in hunc modum: Quia igitur in hoc libro, primò incipit applicare Ariſto. ad corpora, quæ communiter dicta ſunt de motu in libro phyſicorum: Ideò primò procemialiter oſtendit quòd ad ſcientiam Naturalem pertinet determinare de corporibus & magnitudinibus. Et infra: Sed, quia in qualibet ſcientia oportet conſiderare principia, ſubiungit, quòd Naturalis ſcientia eſt circa quæcunque principia prædictæ ſubſtantiæ, ſcilicet corporeæ mobilis. Per quod datur intelligi, quòd ad Naturalem pertinet præcipuè conſiderare de corpore, inquantùm eſt in genere ſubſtantiæ; Sic enim eſt ſubiectum motus. Hæc ille. Ex quibus omnibus adinuicem collatis, duo præcipuè colligo; alterum eſt, quòd D. Thomas nullum ponit diſcrimen inter ſubſtantiam corpoream, ſubſtantiam mobilem, ens mobile, corpus mobile, & corpus naturale. Alterum verò eſt, quòd valde fuit deceptus Iauellus, qui in prima quæſtione ſuper libro primo de phyſico auditu, corpus mobile, ſubiectum eſſe principale in Naturali philoſophia, ens autem mobile, ſubiectum adæquatum aſtruere contendit; & Petrum Pomponatium redarguit, qui ens mobile, corpus mobile, & ſubſtantiam mobilem, idem eſſe aſſeuerabat.

Contra Iauellum.

Et magis huius viri detegitur error, ex his quæ tradit D. Thomas in. 1. de poſte. reſolutio., lectio. 41., expoſitione. 2., his verbis: Vnde relinquitur, quòd cuiuslibet ſcientiæ vnitas, ſecundùm vnitatem ſubiecti eſt attendenda. Sed ſicut vnius generis ſubiecti vnitas eſt communior, quàm alterius, vtpotè entis ſiue ſubſtantiæ, quàm corporis mobilis, ita vna ſcientia eſt com

munior

munior q̃ alia;Sicut Metaphyſica,quæ eſt de ente,ſiue de ſubſtantia; eſt communior q̃ phyſica,quæ eſt de corpore mobili. Hæc ille. Ex quibus perſpicuum redditur,D.Thomam loqui de ſubiecto adæquato,non principali,Naturalis diſciplinæ. Tum quia comparat Metaphyſicam & Naturalem adinuicem,penès maiorem,minoremq́. communitatem; quæ non ex principali,at ex adæquato oritur ſubiecto. Tum quia ineptiſſimè textum exponeret Ariſtotelis,dicentis, vnitatem ſcientiæ, penès ſubiecti adæquati vnitatem attendi. Tum etiam,quia comparando Metaphyſicã & Naturalem adinuicem, Metaphyſicam communiorem dicit Naturali; quia illa uerſatur circa ens,ſeu ſubſtantiam;hæc autem circa corpus mobile. Modò ſic eſt,quòd ens ſubiectum eſt adæquatum Metaphyſicæ, non principale; veluti ex eo in proœmio Meta.liquidò conſtat. Ergo eius etiam intentio eſt, quòd corpus mobile ſubiectum ſit adæquatum Naturalis facultatis; ſecus nulla eſſet comparatio, nihilq́. probaret,cùm æquiuocationi inniteretur. Res adeo mihi clara uidetur, ut nulla egeat expoſitione; nihiloſecius propter ſciolos & proteruientes,in hunc modum ſum digreſſus. Quo quidem digreſſu liquidò conſtat,nos à doctrina D.Thomæ, in hac parte minimè recedere. Quod ut adhuc clarius euadat, doctiſſimorum Thomiſtarum opiniones, pariterqúe dicta examinemus.

Opinio Cardinalis Caietani examinatur. Cap. 76.

PRIMO itaque loco ſeſe offert Cardinalis Caietani opinio, qui vult ita ens mobile ad aures D. Thomæ ſubiectum eſſe in Naturali diſciplina,quòd corpus mobile,nequidem ſubſtantiam mobilem,minimeq́.ſubſtantiam ſenſibilem audiri permittit. Et hanc ſuam opinionem firmare intendens,quid per mobile,deindè quid per ens intelligat,in hunc modum explicat atque declarat. Cùm mobile motum reſpiciat,ſicut motus dupliciter ſumitur,communiter ſcilicet & propriè; ita etiam mobile dupliciter ſumatur oportet;nempe communiter & propriè. Communiter mobile dicitur illud, quod ad quamlibet phyſicam mutationem ſe extendit. Propriè uerò, quòd motum tantum propriè dictum reſpicere dicitur. Tunc dicit,quòd mobile in propoſito, communiter ſumitur; prout ſcilicet idem eſt,quod mutabile phyſica mutatione. Secundò dicit, quòd mobile adhuc dupliciter ſumitur; nimirum ſubiectiuè, pro eo quod eſt ſubiectum motus;& terminatiuè,pro eo quod eſt terminus alicuius mutationis. Et tunc vult,quòd in propoſito indiſtinctè ſumatur. Ens quoque dupliciter accipitur; vno modo pro omni eo quod vtcunque habet eſſe; & ita in propoſito minimè accipitur. Alio modo pro eo quod propriè eſt. Hoc autem in his quæ fiunt,eſt id quod propriè fit; quandoquidem eius eſt propriè eſſe,cuius eſt fieri. Id autem quod propriè fit eſt compoſitum,ſiue ſubſtantiale,vt homo,ſiue accidentale,vt homo muſicus; ita docente Ariſtotele in .7. Sapientiæ,contextu .27.&.28. Et ita accipitur ens in propoſito. Ad hoc igitur vt aliquid ſit

Opinio Caietani.

pars

pars ſubiectiua entis mobilis, neceſſariò requiritur ut ſit propriè ens, & ꝙ ſit mutabile phyſica mutatione. Quare nec materia prima, nec forma ſubſtantialis, aut accidentalis, eſt ens mobile; atqui entis mobilis principia ſunt. Eſt igitur ens mobile communius q̄ ſit corpus mobile, & q̄ ſubſtantia naturalis, ſeu ſenſibilis. Quia continet ſub ſe omnia naturalia compoſita, quæ ſola mutabilia ſunt, ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia ſint; ſiue ſecundum formam abſtractam, ſiue ſecundùm vbi.

Amplius; eſt etiam ens mobile abſtractius q̄ corpus mobile, & q̄ ſubſtantia naturalis, ſeu ſenſibilis; dato etiam ꝙ ad compoſita accidentalia non ſe extenderet; quandoquidem ens, aliquem gradum dicit priorem quocunque illorum. Nec obſtat ꝙ per ly (mobile) contrahatur; quoniam ſicut ſubſtantia rationalis abſtractius quid eſt q̄ animal rationale; ſic ens mobile abſtractius, & prius quid eſt, quàm ſubſtantia mobilis. Quamuis enim ex parte ly (mobile) æqua ſit abſtractio; ex parte tamen ly (ens) & ly (ſubſtantia), abſtractius eſt ens mobile. Vnde quemadmodum concedens ſubſtantiam rationalem, adhuc diſputandi locum haberet, an illa rationalis ſubſtantia eſſet corpus, aut animal. &c. Et continuè ab abſtractiori ad minus abſtractum quadammodo deſcendere, dum à ſubſtantia rationali ad corpus rationale; & à corpore, ad corpus animatum. &c. veniretur; ſic ſub ente mobili, quæſtio remanet an illud ſit ſubſtantia, aut corpus. &c. Cùm igitur in re mutabili poſſit conſiderari ꝙ ſit corpus mutabile, & ꝙ ſit ſubſtantia mutabilis. & ꝙ ſit ens mutabile; D. Tho. ens mobile, ſiue mutabile, tanq̄ quid omnibus eis abſtractius & prius vult ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia. Et licèt aliquod complexum ſonare videatur; incomplexum tamen, & per ſe vnum quodquideſt ſignificat, ſicut ens per ſe. His itaque præmiſſis, arguit poſtea Caietanus pro ſua opinione in hunc modum;

Prima ratio Caieta. Adæquatum ſubiectum primarum paſſionum naturalium, eſt adæquatum ſubiectum philoſophiæ Naturalis. Sed ens mobile, & non ſubſtantia, aut corpus mobile, ſeu naturale, eſt adæquatum ſubiectum primarum paſſionum naturalium. Ergo eſt ſubiectum Naturalis philoſophiæ. Maior nota. Minor probatur, ſupponendo ꝙ mobilitas ſit vel prima, vel vna de primis paſſionibus naturalibus. Tunc ſic. Adæquatum ſubiectum transmutabilitatis, habet materiam, formam, & priuationem, pro adæquatis principijs. Sed tantùm ens mobile habet hæc pro adæquatis principijs. Ergo nil aliud ab ente mobili eſt ſubiectum adæquatum tranſmutabilitatis, & conſequenter primarum paſſionum naturalium. Maior proſyllogiſmi ex eo eſt nota; quia in omni materia, ſubiectum, paſſio, & paſſionis principia ſunt æqualia; vt patet de homine, riſibilitate, & animali rationali. Principia autem tranſmutabilitatis, materiam eſſe, formam, & priuationem, conſtat ex primo phyſicorum. Ergo ſunt principia adæquata eius ad quod ſequitur tranſmutabilitas. Minor patet ex his quæ docet Ariſtoteles in .12. Meta. à tex. 19. vſque ad. 29.; vbi habetur, ꝙ materia, forma, & priuatio, ad genus ſubſtantiæ non arctantur. Sed materia & forma & priuatio in genere ſubſtantiæ ſunt principia propria ſubſtantiæ mu-

mobilis; & materia & forma & priuatio in genere quantitatis, ſunt propria principia quanti mutabilis; & materia, forma, & priuatio in genere qualitatis, ſunt principia propria qualis mutabilis.

Et ſi dicatur, quòd licèt materia, forma, & priuatio excedant ſubſtantiam mobilem formaliter, non tamen virtualiter. Quia principia propria ſubſtantiæ continent principia cæterorum generum; & ſubſtantia mobilis continet omne quantum & quale mobile, & tranſmutabilitas ſubſtantialis omnem aliam. Id non excludit vim rationis, propter duo.

Primò, quia falſum eſt quod principia propria ſubſtantiæ mutabilis, ſint principia principiorum cæterorum generum mutabilium. Quandoquidem etſi verum ſit, materiam & formam ſubſtantialem, cauſam eſſe & principium materiæ & formæ in quantitate & qualitate, veritati tamen repugnat, quòd principia tranſmutabilitatis ſubſtantialis, ſint principia principiorum tranſmutabilitatis aliorum generum. Priuatio enim ſubſtantialis, non eſt principium priuationis accidentalis; & hæc vtrinq. eſt principium tranſmutabilitatis. Idq; patet in corpore coeleſti, quod quidem tria habet principia, nimirum materiam, formam, & priuationem. At horum trium, duo tantùm ſunt principia ſubſtantialia, materia ſcilicet, & forma; priuatio verò non eſt principium niſi accidentale; quia ſcilicet eſt principium tranſmutabilitatis accidentalis in corpore coeleſti, cùm ſubſtantialiter nullo pacto tranſmutetur.

Secundò; quia dato, quod eſſet talis incluſio virtualis, adæquatum tamen ſubiectum tranſmutabilitatis eſſet, non ſubſtantia mobilis, at ens mobile. Quoniam quando aliqua proprietas vniuerſalis ſecundùm prædicationẽ, habet ſubiectum adæquatum ſecundùm prædicationem, in quo reperitur cauſa ſecundùm quam ineſt quibuſcunque proprietas illa, illud tale eſt eius ſubiectum, ſecundùm quòd ipſum. Nec eſt requirendum pro primo ſubiecto illius, id ad quod per viam reſolutionis, proprietas illa & eius principia reducuntur. Secus periret doctrina Ariſto. in primo poſte. cap. de vniuerſali. Vbi docemur ibi ſiſtere, quando adæquatum ſubiectum ſecundùm prædicationem inuenimus, & cauſam in eo per quam ſibi, cæteriſq; illa paſſio ineſt.

Nulla etiam poſſet poni proprietas communis alicui analogo ad ſubſtantias & accidentia, cùm accidentia & eorum proprietates, & principia in ſubſtantijs virtualiter claudantur.

Niſi igitur velimus abuti vocabulis, cogimur dicere quod illud eſt ſubiectum adæquatum tranſmutabilitatis, quod in ſeipſo adæquatè claudit propria principia tranſmutabilitatis. Sed nec ſubſtantia mobilis, nec corpus mobile claudit in ſe illa; quoniam propria principia tranſmutabilitatis vniuerſalis, ſeu in communi, ſunt materia, forma, & priuatio in communi, quæ genus ſubſtantiæ tranſcendunt, enti autem mobili adæquantur. Quare ens mobile erit adæquatum ſubiectum tranſmutabilitatis, & per conſequens ſubiectum adæquatum Naturalis philoſophiæ.

Secundò principaliter arguit ſic: Coniunctio omnis mobilis cum ratione corporeitatis non ſupponitur in Naturali philoſophia, ſed in 6. 2 ratio.

phy.

phy. probatur. Ergo non corpus mobile, ſed ens mobile eſt ſubiectum Naturalis philoſophiæ. Antecedens patet ex 6. phy. t. 32. vbi probatur quòd omne mobile eſt corpus. Conſequentia verò probatur: Tum quia ſi corpus mobile ponitur adæquatum ſubiectum, oportet ſupponi mobilitatem eſſe coniunctam corpori, aut vt rationem formalem, aut vt paſſionem. Tum quia oportet ſupponi corpus coextendi ipſi, vt ſcilicet nihil ſit mobile, quin ſit corpus; ſecus non ſupponeretur ſubiectum adæquatum ſcientiæ. Vtrunque autem horum impoſsibile eſt ſupponi, ignorata vniuerſali coniunctione ipſius mobilis cum corpore, vt de ſe patet, Ergo &c.

Et in forma ſyllogiſtica ita procedit: Nulla ſcientia habens ſubiectum complexum, aut complexè ſignificatum, probat eam coniunctionem partium ſubiecti, ſine qua complexum illud ſubiecti rationem induere non poteſt; alioquin ſcientia conſtitueret ſibiipſi ſubiectum. Sed philoſophia Naturalis, ſi corpus mobile ponitur ſubiectum, probat coniunctionem partium ſubiecti, ſine qua ſubiectum illud ſubiecti rationem induere non poteſt. Corpus igitur mobile ſubiectum adæquatum Naturalis philoſophiæ non poteſt poni.

Rurſus eandem rationem in hunc modum format: Nullum coniunctum cuius de omni coniunctio probatur in aliqua ſcientia, eſt ſubiectum adæquatum illius. Corpus mobile eſt coniunctum, cuius de omni coniunctio probatur in philoſophia Naturali. Ergo corpus mobile non eſt ſubiectum in philoſophia Naturali. Maior patet. Quia ſi coniunctum ponitur ſubiectum, oportet coniunctionem, vel vt cauſam formalem, vel vt paſsionem ſupponere, & coextenſam omni coniuncto. Minor patet ex 6. phy. Vbi probatur vniuerſalis coniunctio mobilis cum corpore.

8. Tertio loco arguit tali pacto: Ariſtoteles in 3. phy. definiens motum, in eius definitione non poſuit corpus, aut ſubſtantiam, ſed ens in potentia. &c. Tunc ſic: Illud eſt ſubiectum Naturalis philoſophiæ, quod ponitur in definitione priorum accidentium naturalium, quia tale eſt proprium ſubiectum eorum, 7. Meta. 15. Sed non corpus, nec ſubſtantia, ſed ens in potentia ſecundùm quòd in potentia, quod idem eſt quod ens mobile, vt patet 3. phy. t. c. 6. ponitur in definitione primorum accidentium naturalium, ſcilicet motus. Ergo ens mobile eſt ſubiectum Naturalis philoſophiæ.

Et confirmatur doctrina authoritate Ariſto. & Auer. Nam Ariſto. in primo phy. 11. ſupponendum dicit in Naturali philoſophia, omnia, aut quædam moueri. Et non dixit omnia, aut quædam corpora, &c. Auer. autem non ſolicitus de vocabulis, in 3. Meta. comm. 1. dicit, ens mobile ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia. Et in 12. Meta. comm. 5. corpus mobile, & in procemio phy. res ſenſibiles. Et propterea non verba ſua in hac re, ſed ſenſum ponderari voluit. Quia in 2. phy docet aliquid prius corpore ſubiectum eſſe Naturalis philoſophiæ, dum dicit in comm. 3. Et ſciendum eſt quòd ſubiectum iſtius libri eſt natura, & principia naturalia, cùm ſint communia omnibus rebus naturalibus. Et ideo in hoc li-

bro non definiuit corpus, neque alia de quibus conſiderat Naturalis, ſicut fecit in primo coeli & mundi. Ex quo habetur, quòd apud ipſum conſideratio de corpore mobili differtur vſque ad librum de coelo, & ab eius definitione inchoatur; vt patet in .t.2. Vult itaque vir iſte, ens mobile ſignificare tertium quid, commune ſecundùm analogiam ſubſtantiæ & accidenti; commune; inquam; ſecundùm vnam rationem formalem; non quidem vnam ſimpliciter, at analogicè. Quia dicitur de ſubſtantijs, quantis, qualibus &c.; veluti ipſe declarat in reſponſione ad primum.

Contra Caietanum. Cap. 77.

VERVMENIMVERO, nec mentem D. Thomæ, nec veritatem ſapit huiuſmodi doctrina. Primum patet ex dictis; ſecundum verò, omnia librando, diligenterq. trutinando, palam fiet.

Primo itaque loco, cùm mobile vult communiter ſumi, aſſentior & ego. Propterea quòd per mobile in propoſito, illud intelligo quod habet in ſe naturam. Motus autem poſitus in definitione naturæ, communiter accipitur; quemadmodum ex eius definitione, in.3. phyſicarum auſcultationum facilè colligi poteſt. Ariſtoteles nanque in memorato loco ad initium, rationem ordinis oſtendens, dicit, quòd cùm in definitione naturæ ponatur motus, idcirco motum quid ſit definire oportet. Conſtat autem quòd eo loci, motus ad generationem ſubſtantialem ſe extendit, atque corruptionem; vt contextibus.4.&.6. inſpici poteſt. Quare & mobile ipſum communiter ſumitur; quoniam mobile ſemper reſpicit motum. In eo verò quod dicit mobile indiſtinctè ad mobile ſubiectiuè, & terminatiuè ſumendum, cùm ens mobile ſubiectum dicitur Naturalis philoſophiæ, neſcio quo modo & verum dicat, & ſibi conſtet. Nam mobile terminatiuè illud dicimus, quod eſt terminus motus; veluti & ipſe declarat. Forma autem; ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis, eſt terminus motus; Mouebitur igitur terminatiuè; & ita erit pars ſubiectiua entis mobilis; quod tamen ipſe negat.

Adhuc: Mobile ſubiectiuè bifariam accipi ſolet; nimirum ſucceſſiuè veluti corpus in loco; aut ſubitò & in inſtanti; prout materia prima, quatenus recipit formam. Si igitur mobile, ſubiectiuè abſque alia additione ſumatur, cur & materia prima non erit & ipſa pars ſubiectiua entis mobilis? Non igitur video quo modo vir iſte, materiam primam & formam ab ente mobili ſecludere poſſit, & deinde velit mobile, indiſtinctè ad ſubiectiuè & terminatiuè mobile ſumi.

Ni fortè dicere velit, mobile ita indiſtinctè ſumi, vt & principia & affectiones includerentur; & hoc pacto talis eſſet ſenſus: Quicquid tractatur in Naturali diſciplina, eſt mobile; aut ſubiectiuè, aut terminatiuè; ideſt, aut eſt ens mobile, aut principia & affectiones entis mobilis. Si ens mobile, illud mouetur ſubiectiuè ſucceſſiuè; ſi verò principia ſint ipſius, aut *Reſponſio.*

erit forma aut materia. Si forma, mouetur terminatiuè, quia eſt terminus motus, ſi fuerit accidentalis; vel mutationis, ſi fuerit ſubſtantialis. Si verò fuerit materia, mouebitur ſubiectiuè in inſtanti ſuſcipiendo formam. Cùm itaque omnia hæc mobile reſpiciat, hinc factum eſt, vt ità indiſtinctè ſumeretur.

Impugna. 1. Veruntamen, adhuc patitur anguſtias; proptereaquòd ex vna parte vult, mobilitatem rationem eſſe formalem ſubiecti Naturalis diſciplinæ; ex alia parte verò dicit, quòd ſubiectum, ratio formalis, & paſſiones debeant ſibi inuicem æquari. Quo ſtante, arguo ſic: Subiectum & eius ratio formalis debent eſſe æqualia: Mobilitas autem eſt ratio formalis ſubiecti Naturalis diſciplinæ, quod eſt ens mobile; Ergo debent ſibi inuicem æquari. At mobile dicitur etiam de principijs & affectionibus ſubiecti. Ergo non æquatur ſubiecto.

2. Amplius: Iuxta eius dicta in prima ratione, adæquatũ ſubiectum tranſmutabilitatis, habet materiam, formam, & priuationem pro adæquatis principijs. Atqui principia & affectiones entis mobilis non habent huiuſmodi principia; vt liquidò conſtat; principiorum enim eſſent principia. Ergo non poſſunt eſſe ſubiectum tranſmutabilitatis, nec mobile de eis poteſt prædicari.

3. Præterea: Mobile non poteſt eſſe ratio formalis ſubiecti Naturalis philoſophiæ, niſi quatenus idem dicit quod naturale; ſecus idem eſſet & ratio formalis & paſſio. Naturale autem nec de materia dicitur nec de forma; cùm neutra illarum quid naturale ſit, ſed natura. Ergo nec mobile de eis dici poteſt.

Ponderandum vlterius mihi relinquitur id, quod de ente tradit iſte vir. Dicit enim, ꝙ cùm dicitur ens mobile, per ens intelligit id quod propriè fit, nempe compoſitum, ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale; ex Ariſto. 7. Meta. Et inde colligit, ens mobile communius eſſe corpore mobili, & ſubſtantia naturali; quia continet in ſe omnia naturalia compoſita, ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia ſint.

Hanc doctrinam duo pugnantia claudere crediderim; proptereaquòd per ens, id quod propriè fit intelligit. Et deinde vult, ens mobile latius eſſe corpore mobili, & ſubſtantia naturali. Hæc duo pugnare videntur. Ex eo quia docebat Ariſtoteles in. 7. Sapientiæ contex. 27. quidditatem neque formam, at ſolùm compoſitum ſubſtantiale propriè fieri. Atqui inter compoſitum ſubſtantiale, corpus mobile, & ſubſtãtiam naturalem, nullum verſatur diſcrimen. Ergo nec inter ens mobile & corpus mobile; cùm ens mobile ſignificet compoſitum ſubſtantiale.

Reſponſio. Fortè diceret Caietanus; Ens mobile communius eſſe corpore mobili, quia nedum ſignificat compoſitum ſubſtantiale, verùm etiam accidentale. Quia Ariſtoteles in. 7. Sapientiæ contex. 32. dicit etiam, ꝙ forma nõ fit accidentalis, at compoſitum. Vtpotè lignum album, & animal quantũ; non autem albedo, neque quantitas.

Impugna. Cæterùm animaduertat doctiſſimus vir, quòd dixit, per ens ſe id intelligere, quod propriè fit; hoc autem, ſoli competit ſubſtantiali compoſito.

to. Per-

to. Perſpicuum ſiquidem eſt,accidentale compoſitum non propriè nec ſimpliciter fieri,at ſolùm ſecundùm quid.Non enim fit ſimpliciter lignũ, at lignum album; nec ſimpliciter animal,ſed animal quantum. Non igitur ſub eo quod propriè fit,accidentale compoſitum cadere poteſt. Id quod etiam confirmatur authoritate Ariſtotelis, primo phy.t.c.62.; vbi hoc idem apertisſimè docet.

Adhuc poſſet dicere, ꝙ dixit accidentale compoſitum propriè fieri, non in reſpectu ad ſubſtantiale compoſitũ, at in reſpectu ad formã; quæ ab Ariſtotele locis proximè citatis, dicitur non propriè fieri, ſed compoſitum. Et propterea cùm ens in propoſito id ſignificet, quod in hoc ſenſu propriè fit; neceſſariò conſequitur, ꝙ & ſubſtantiale compoſitum, & accidentale ſignificet. Corpus autem mobile cùm hæc duo minimè reſpiciat, at ſolummodò primum, relinquitur ꝙ ens mobile communius ſit corpore mobili. *Reſponſio.*

Verumenimuerò nondum ſe tuetur; ea propter aduerſus huiuſmodi doctrinam inuehor, oſtendendo compoſitum accidentale ens mobile minimè eſſe. Nomen ſiquidem vniuerſalisſimum, ab vniuerſalisſima omnium natura deſumendum venit. Ens autem, nomen eſt vniuerſalisſimum; Ergo à natura omniũ vniuerſalisſima deſumitur. Huiuſmodi autem natura eſt ipſa ſubſtantia; cùm ſupra ſe nullam habeat aliam naturam. Ergo ens propriè & prima ſui ſignificatione, ſubſtantiam ſignificat. Hæc omnia ex dictis nota ſunt. Si igitur ens propriè ſubſtantiam ſignificat; accidens non niſi ſecundùm quid, & per tranſlationem ſignificare poteſt; id quod etiã ſuperius probatum reliquimus. Quo ſtante, arguo ſic: Ens abſolutè ſumptum, ſubſtantiam propriè ſignificat. Ergo ens cum additione ſumptum, ſubſtantiam cum additione ſumptam propriè ſignificat. Atqui ens mobile, eſt ens cum additione ſumptum. Ergo ſubſtantiam cũ additione ſumptam propriè ſignificat. Hæc autem additio eſt mobilitas. Ergo ſubſtantiam mobilem propriè ſignificat. Subſtantia autem mobilis & corpus mobile ſunt idem; quemadmodum ſupra probauimus. Ergo ens mobile, & corpus mobile erunt etiam idem. Compoſitum autem accidentale nec ſubſtantiam mobilem, nec corpus mobile; etiam ſecundùm Caietanum; vllo pacto ſignificat. Ergo nec ens mobile. *Impugna.*

Amplius. Sicut ſe habet ens abſolutè ſumptum ad ſubſtantiam & accidens; Ita ſe habet ens mobile ad compoſitum ſubſtantiale & compoſitum accidentale, etiam ſecundùm Caietanum, in reſponſione ad primũ principale; vbi vult, ꝙ ens mobile ſignificet tertium quid, commune ſecundùm analogiam ſubſtantiæ & accidenti. Atqui ens abſolutè ſumptũ non ſignificat accidens, niſi ſecundùm quid, & per tranſlationem. Ergo nec ens mobile, compoſitũ accidentale, niſi ſecundùm quid, & per tranſlationem ſignificare poteſt.

Adhuc: Si ex eo quia ens abſolutè ſumptum, de ſubſtantia prædicatur & accidente, communius eſſet & latius ipſa ſubſtantia; ſequeretur neceſſariò, quòd ſupra naturam ſubſtantiæ, eſſet aliqua alia natura ſuperior & præſtantior; quod tamen falſum eſſe ſupra probauimus. Ergo pari

paſſui Si ex eo ꝙ ens mobile,compoſitum ſubſtantiale ſignificat & accidentale,latius,communiusúe eſſet ipſa ſubſtantia naturali,& corpore mobili;ſequeretur tunc,ꝙ ſupra naturam corporis,ſiue ſubſtantiæ corporeæ, præter naturam ſubſtantiæ abſolutè & ſimpliciter ſumptæ,eſſet alia prior natura,in ſe claudens principium motus.Quare inter ſubſtantias abſtractas & corpus coeleſte,de quo primò & per ſe dicitur corpus,quædam alia mediaret natura,primò & per ſe mobilis;quod eſt ridiculū. Ad quem igitur modū accidens eſt ens & habet eſſe; ita etiam cōpoſitum accidentale eſt ens mobile,& mouetur. At accidens non eſt ens,nequidē hēt eſſe,niſi ſecundùm quid.Ergo nec huiuſmodi compoſitū accidentale eſt ens mobile,nec mouetur,niſi ſecundùm quid.Quatenus ſcilicet corpus,ſeu ſubſtantia corporea & naturalis mouetur. Ipſa enim ſola eſt quæ mutatur, & propriè mouetur; quoniam vel generatur,vel corrumpitur,vel alteratur, vel augetur, aut localiter mouetur.

3. Præterea:Subiectum adæquatum alicuius facultatis & diſciplinæ,ita in ea tractatur,vt vel de genere,vel de aliqua eius ſpecie habeatur ſermo.Si itaq.ens mobile,ad compoſitum ſubſtantiale & accidentale ſe extendit; Sequitur neceſſariò,ꝙ ſicut in octo libris phy. de ente mobili in cōmuni ſermo habetur,& in quāplurimis alijs partibus philoſophiæ Naturalis, de aliquibus ſpēbus cōpoſiti ſubſtantialis verba fiunt; ita etiā in aliqua eius parte,de aliqua ſpē cōpoſiti accidentalis tractaretur.Quod tamen falſum eſſe,iam in diuiſione Naturalis philoſophiæ oſtendimus.Et in prima parte huius quæſiti declarauimus,ꝙ accidentia in Naturali diſciplina,& in quauis alia ſcientia,tractantur non vt ſubiectum;atqui vt ſubiecti affectiones.

4. Amplius: Ariſtoteles in .2. phyſicarum auſcultationū ad initium,quid ſit natura indagare volens,naturalia artificiatis comparando,inquit: Eorum quæ ſunt,alia quidem ſunt natura,alia verò propter alias cauſas. Et in .7. Meta.contex.22.,ait: Eorum autem quæ fiunt,quædam natura, quædam arte,quædam à caſu fiunt.Quæ verò ſint à natura facta,explicat Ariſtoteles in .2. phy.,his verbis:Natura quidem ſunt & animalia,& partes ipſorū,& plantæ,& ſimplicia corpora,vt terra & ignis,& aer & aqua. Hæc enim & huiuſmodi, natura eſſe dicimus. Hæc autem omnia ſunt compoſita ſubſtantialia; nulla de compoſito accidentali habita mentione. Ergo de ſolo compoſito ſubſtantiali, tanꝗ de ſubiecto,in Naturali philoſophia agere intendit.

5. Id quod clarius oſtendit in eodem .2. auſcultatorio,contex.4.Vbi tradita definitione naturæ, tanꝗ principij rerum naturalium, mox habens naturam,in hunc modū definit: Naturam aūt habent quæcunq; huiuſmodi habent principiū.& ſunt hæc oīa ſubſtantia.Subiectū .n. quoddā;& in ſubiecto eſt natura ſemper.Ex his perſpicuū eſt,ꝙ Ariſto.,tradita definitione, pariterq.notitia principiorum rerum naturalium,& ſubiecti Naturalis philoſophiæ;ipſum quoq.ſubiectum immediatè definit.Hoc autem eſt habēs naturam. Ergo habens naturam, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia. Atqui habens naturam & naturale, ſunt omnino idem; veluti cuilibet, etiā mediocriter erudito,de facili cōſtare poteſt.Ergo naturale,ſubiectū

eſt in Naturali philoſophia. Hoc autem naturale eſt ſubſtantia;quemadmodũ docet Ariſtoteles in præcitatis verbis, Ergo ſubſtantia naturalis ẽ ſubiectũ in Naturali philoſophia. Subſtantia aũt naturalis & corpus naturale ſunt idẽ: Ergo corpus naturale eſt ſubiectũ in Naturali philoſophia. Quòd ſi corpus naturale; Ergo & corpus mobile. Corpus aũt mobile eſt cõpoſitũ ſubſtantiale, minimè aũt accidentale. Quare de primo vſq. ad vltimũ deducendo, cõpoſitũ accidentale ſub ſubiecto Naturalis diſciplinæ minimè cadit. Quòd autem per habens naturam intelligat Ariſto. corpus naturale, & ſubiectum eiuſmodi facultatis; patet à ſimili, ſecundo de anima libro, contex. 6.; vbi habens animam dixit corpus animatum. Ergo & habens naturam, corpus naturatum, ideſt, naturale nuncupari debet.

Præterea: Illud intelligit Ariſto. in præfato .4. contex. 2. libri auſcultatorij, quod ponit in definitione accidentis naturalis, quod in .5. eiuſdẽ libri contextu, his verbis definit: Secundùm aũt naturã ſunt & hæc, & quæcũq. his inſunt ſecundùm ſe. Vt igni ferri ſurſum. Hoc .n. natura quidem non eſt, neq. habet naturam; ſed à natura, & ſecundùm naturam eſt. At in huiuſmodi definitione ponit corpus naturale. Ergo in tex. 4. per habens naturam intelligit corpus naturale. Maior patet ex verbis Ariſtotelis, dicit enim: Secundùm autem naturam ſunt quæcunq. his, ideſt, habentibus naturam definitis in .4. contex.; inſunt ſecundùm ſe. Minor probatur ex Auerroe, ita exponente: Et quæcunq. his, ideſt, rebus naturalibus, inſunt ſecundùm ſe. Et Ariſtoteles exemplum attulit de igne. .6.

Amplius: Doctrina eſt Ariſtotelis .7. Meta. contex. 17., ꝙ accidens proprium, per proprium ſubiectum debet definiri. Accidens autem naturale eſt proprium corporis naturalis. Ergo debet definiri per corpus naturale. At accidens naturale definitur in .5. contex. 2. phy., & per eum quod definitur in .4. contextu eiuſdem libri. Ergo quod in eo .4. contextu definitur eſt corpus naturale; & ita ſubiectum Naturalis diſciplinæ. .7.

Amplius: In .1. de poſte. reſolut. cap. 23., ſeu textu. 178., tria ſunt quæ in quauis vna arte præcipuè conſiderantur; Principia, ſubiectum, & accidens proprium. Ariſtoteles autem in .3. contextu .2. auſcultatorij libri naturam definit, tanq̃ principium corporis, ſeu entis naturalis. Et in .5. contextu eiuſdem libri, accidentis naturalis definitionem exhibet. Ergo & conſonum erat, ꝙ in .4. contextu corpus naturale, & ſubiectum definiret. Et ita ordinatè procedendo, primò principiorum, deinde ſubiecti, ac demum affectionis definitionem traderet Ariſtoteles. Per habens naturam igitur, intelligit corpus naturale, ſeu ſubſtantiam naturalem; & hoc erit ſubiectum in Naturali philoſophia. .8.

Conformiter his, in .3. phy. contex. 4., (& eſt confirmatio doctrinæ) motus definitionem inueſtigans, illud adduxit poſtulatum: Non eſt autẽ motus præter res. Idq́. probat ſubdens: Mutatur enim ſemper id quod mutatur, aut ſecundùm ſubſtantiã, aut ſecundùm quantum, aut ſecundùm quale, aut ſecundùm locum. Ex his liquidò conſtat, Ariſtotelem velle motũ ſine aliquo ſubiecto minimè eſſe poſſe, & ꝙ ſecundùm ſuã eſſentiã & formã, ſeu quidditatem, non eſt quid diſtinctum ab ipſis decem generibus,

 ſed ſem-

ſed ſemper eſt aliquid eorum; Quia ſi eſt motus ad ſubſtantiam, eſt etiam ipſe motus talis in genere ſubſtantiæ; & ita de alijs dicendum venit. Hic autem, duo videtur dicere Ariſtoteles; nempe ꝙ motus ſit ſemper in aliquo ſubiecto, & ſit ſemper in aliquo prædicamētorum; At re vera ſunt oīno idem. Quia ipſum ſubiectum eſt in eodem genere in quo eſt motus, & forma quæ acquiritur. Quia motus ad quantitatem, qui eſt auctio, hēt ſubiectum nō ipſam ſubſtantiā præcisè; vt ſubſtantia eſt de genere ſubſtantiæ; ſed vt eſt potentia quanta. Et ita vt eſt de prædicamento quātitatis. Sic qđ calefit, eſt quidem corpus & ſubſtantia, quæ ſubijcitur calefactiōni; ſed nō vt præcisè eſt ſubſtantia, ſed vt eſt calefactibilis; & ita vt eſt in prædicamēto qualitatis, in quo eſt calor & calefactio; & ſic de alijs. Propterea dixit Ariſtoteles, motum non eſſe extra res, vt vellet eſſe in aliquo ſubiecto, & ſimul in aliquo prædicamēto; illo ſcilicet, in quo ſuū ſubiectū. Vt igitur probet Ariſtoteles, motū nō eſſe extra prædicamēta, ſeu res prædicamētales, ſed in pluribus prædicamētis, ſuppoſito ꝙ motus ſit ſemper in eo, qđ mouetur, arguit in hūc modū: Vbicunq. eſt id qđ tranſmutatur, ibi eſt motus. Sed oē qđ tranſmutatur, aut eſt ſecundùm ſubſtantiam, ideſt, in prædicamēto ſubſtātiæ; aut ſecūdùm quantitatē, ideſt, in prædicamēto quātitatis; aut ſecūdùm qualitatē, ideſt, in prædicamēto qualitatis; aut ſecūdùm locū, ideſt, in prædicamēto vbi. Ergo motus ē in aliquo horū prædicamentorū. Hac igitur ſtante Ariſtotelica doctrina, erigamus & nos in hūc modū rōnē: Motus nō poteſt eſſe ſine ſubiecto; qđ tamē rōne potētiarū ad formas cùm diuerſificetur; inde reponitur, & motus cū eo, in diuerſis generibus. Huiuſmodi aūt ſubiectū nō eſt niſi ſubſtantia; vt ex præcitata Ariſtotelis doctrina iā ſatis cōſtare poteſt. Id. n. qđ mutatur, aut ſecūdùm ſubſtātiā, aut ſecūdùm quantitatē. &c. Quòd ſi nō eſſet ſubſtātia, his verbis minimè vſus fuiſſet; at potius dixiſſet: Id qđ mutatur, aut ē ſubſtātia, aut quātū, aut quale. &c. Et hæc optimè correſpondent illis, quæ in. 1. coeli. t. c. 99. dixit etiam Ariſtoteles, & cū eo Auerroes; nimirū ꝙ motus non ē ſine corpore phyſico.

Confirmatur adhuc huiuſmodi doctrina, ex Ariſt. 6. Meta. contex. 3., vbi ait: Si igitur non fuerit ſubſtantia aliqua alia à ſubſtantijs exiſtentibus natura, tunc prima ſciētia eſt Naturalis. Et in vndecimo eiuſdem, ſumma. 3., cap. 1. in calce, idem repetit, dicens: Si itaq. naturales ſubſtantiæ, primæ ſint entium, ipſa quoq. Naturalis ſcientia, prima ſcientiarum erit.

At hoc non eſſet verum, niſi ſubſtantia naturalis eſſet ſubiectū in Naturali philoſophia. Propterea Ariſtoteles illis in locis, vult ſciētiā illā eſſe primā & vniuerſalem, quæ circa oīum primā verſatur naturā. Et cùm poſt ſeparatas ſubſtātias immediatè ſequatur ſubſtantia naturalis & mobilis; neceſſariò cōſequitur, vt dēptis mētibus & ſubſtātijs abſtractis, natura oīum prima ſit ſubſtātia naturalis. Et quia Naturalis philoſophia circa eā verſatur, tanq̄ circa ſibi adæquatū ſubiectū, idcirco vellet Ariſto., illā eſſe primā & vniuerſalē. Secus nulla eſſet eius rōcinatio. Ac demum in. 12. Meta. cōtex. 5. & 6. Diuiſa ſubſtātia in immobili, mobili æterna, & mobili corruptibili; Vtranq. mobilē ad naturalē ſpeculationem ſpectare docet; quia principiū quoddam, nempè materiā, habent cōmune. At clarum eſt, ꝙ ibi

 de mate-

de materia loquitur propriè ſumpta. Ergo & ſolùm de ſubſtātia naturali; minimè verò de compoſito accidentali. Id quod etiam patet ex .1. & .3. coeli, contextu .1. Sed hæc quia intelligenti ſuperq́ſatis manifeſta ſunt, nolo amplius immorari. Grauitas enim huius viri fuit in cauſa, vt plusq̄ par erat, in longum protraheretur oratio.

Ad ea igitur quæ alia ex parte dicit, pedē conuerto; nimirū ꝙ ſi etiam ens mobile ad cōpoſita accidentalia minimè ſe extēderet, adhuc abſtractius eſſet ipſo corpore mobili & ſubſtantia naturali; quoniam ens, gradū quendā dicit, quocūq. illorū ſuperiorē. &c. Hæc itaq. cōſiderando, nō poſsū de tāto viro nō vtiq. mirari. Propterea quia, ens mobile, aut quid cōplexū, aut incōplexū ſignificare admitteret. Atqui incōplexū quoddā proculdubio ſignificare docet. Quòd ſi res ita ſe habet, nunquid & per ſe vnū quodquidē, ſicut ens per ſe, ſignificabit? Vtiq. inquit Caietanus. Nūc arguo. Ens mobile, quid incōplexū, & per ſe vnū quodquideſt, ſicut ens per ſe, ſignificat. Ergo naturā quandā & eſſentiā, ſeu ſubſtantiā per ſe ſignificat. Ex terminis nanq. id quod conſequitur liquidò conſtat. Modo, huiuſmodi natura, aut eſt ſupra ſubſtantiā corporeā, aut intra eā, aut ſub ea. Si ſupra eam; cùm ibi non ſit niſi ens in ſe, ſeu ſubſtantia & natura; materiæ oīno expers, ſequitur, ꝙ ens mobile naturam immaterialem ſignificet; quod quidem pugnantia dicit. Si verò ſit ſub ea? Non igitur eſt abſtractius ipſa. Erit igitur intra eam, ex conſequenti tendunt de pari.

Et quando dicit, ꝙ concedens ſubſtantiam rationalem, adhuc diſputandi locum haberet, an ſit corpus, aut animal; quia ſubſtantia rationalis abſtractius quid eſt, quàm animal rationale; vtiq. non approbo. Quid enim ſignificat ſubſtantia rationalis, niſi animal rationale? Hoc ſiquidem nomen (ſubſtantia rationalis) ab aliqua natura deſumptum fateamur oportet, & hæc quidem in genere ſubſtantiæ. Aut igitur deſumptum eſt à natura animalis; aut à natura corporis animati; aut à natura corporis; aut à natura ſubſtantiæ. Conſtat autem ꝙ à neutra iſtarum. Ergo deſumptum eſt à natura hominis. Et quid eſt homo, niſi animal rationale?

Abſtractione igitur logica in reali diſciplina vtendo, conceptusq. logicales nimis conſiderando, in eam deuenit ſententiam doctiſsimus atq. ſubtiliſsimus iſte Cardinalis.

Quem etiam modum illi ſeruant, qui conceptus, & compoſitionem ex conceptibus, aſſerunt Metaphyſicam. Vt ſcilicet natura communis generica, vel etiam prior, vt entis, primò concipiatur. Et per additionem fiat compoſitio, & deſcenſus ad inferiora. Cùm hoc tamen munus ſit logici, non primi philoſophi; veluti in .12. Sapientiæ libro, contex. 4. his verbis teſtatur Ariſtoteles: Recentiores verò, vniuerſalia magis ponunt eſſe ſubſtantias. Genera nanque vniuerſalia ſunt, quæ aſſerunt magis principia, atque ſubſtantias eſſe, propterea quòd logicè quærunt. Antiquiores verò ſingularia; vt ignem & terram; non autem corpus commune.

Cōtra quoſdam Metaphyſicos.

Vbi magnus ille ex Aphrodiſiade Alexāder, enar. 2., ita loquitur: Relictis n. rebus, quæq. propriè eſſe intelliguntur, in non entibus inquirendo verſabantur, quoniam vniuerſalia cùm non ſint, eſſe obtinent cogitatione. Idq.,

quoniã logicè & inaniter inquirebant. Nec his verbis Platonẽ deſignat, cùm Plato non fuerit in huiuſmodi ſententia; ſed, alios ſuos æquales. Veteres verò contra, ſingula ſubſtantias appellabant. Hæc Alexander; & benè. Quia Plato poſuit ſpecies ſeparatas, non vt ſunt in mente, vel vniuerſaliter prædicantur; at ſecundùm eſſe reale ſuum; vt volunt. Quod dixi propter Auerroem; qui vult Ariſtotelem eo loci Platonem redarguere. Ex his igitur omnibus ſimul collatis; Cardinalis ampliſſimi Caietani opinionem, iam infirmatam crediderim. Quod tamen inter ſoluendum eius ratiocinia, magis fortè conſtabit.

Rationes Caietani ſoluuntur. *Cap. 78.*

AD primam itaque eius rationem negatur minor. Cùm probat, adhuc negatur minor. Ad probationem dico, quòd accidentia eo modo quo ſunt entia mobilia, habent etiam principia ſui eſſe & tranſmutabilitatis. Atqui entia mobilia ſunt ſecundùm quid & per tranſlationem; quare & principia ſecundùm quid habent, atque per tranſlationem. Hanc ob cauſam dicebat Ariſtoteles locis ab ipſo Caietano citatis, nimirum .12. Meta. t. c. 23., quòd omnium prædicamentorũ intrinſeca principia, ſunt quidem diuerſa ſimpliciter, eadẽ autem ſecũdùm proportionem. Vbi Alexander enar. 12. dicit: Vt intelligatur, elementa quæcunque reperiantur, tria omnino eſſe proportione; materiam, formam, & priuationem. In tex. verò .25. docet Ariſtoteles, eadem eſſe principia conſiſtendi ſubſtantiarum & accidentium, inquiens: Cùm autem quædam ſeparabilia, quædam inſeparabilia ſint, illa ſunt ſubſtantiæ; propter quod hæc omnium cauſæ ſunt. Siquidem abſque ſubſtantijs, paſſiones & motus non ſunt. Vbi Auerroes in commento ita loquitur: Materia enim quæ eſt in ſubſtantia, eſt materia omnium prædicamentorum, & cauſa eorum: Contraria enim ſimiliter quæ ſunt in ſubſtantia, ſunt cauſæ contrariorum aliorum prædicamentorum. Et Alexander ibidem, enar. 14., inquit: His verbis docet eadem eſſe ſubſtantiarum conſiſtendi principia & cauſas, quæ accidentium.

D. quoque Thomas in. 12. Meta. ſuper tex. 23. inquit: Sic igitur manifeſtum eſt; quòd ſecundùm analogiam, ideſt, proportionem, tria ſunt elementa omnium; ideſt, materia, forma, & priuatio. Et ſuper tex. 25., hæc habet verba formalia: Entium enim quædam ſunt ſeparabilia, ſcilicet ſubſtantiæ; alia ſunt inſeparabilia; ſcilicet accidentia. Quia paſſiones, & motus, & huiuſmodi accidentia, non poſſunt eſſe ſine ſubſtantijs. Vnde manifeſtum eſt, quòd principia prima in generatione ſubſtantiæ, ſunt etiam cauſæ omnium aliorum generum; non ſolùm quantùm ad primam cauſam mouentem, ſed etiam quantùm ad cauſas intrinſecas. Nam materia & forma ſubſtantiæ, ſunt cauſæ accidentium. Hæc ille. Conſtat igitur, quòd accidentia non ſunt entia mobilia, niſi quatenùs ad corpus mobile attributionem habent, ab eiusq́. ſubſtantia dependent. Quare reſponſum ab ipſo Caietano allatum omnino approbamus.

Quando verò illud primo loco improbat, dicendo principia ſubſtantiæ, cauſas non eſſe principiorum aliorum generum; Id ab Ariſto., Auer., Alexandro, D. Thoma, & veritate abhorrere commonſtrauimus. Et quando dicit, quòd principia tranſmutabilitatis ſubſtantialis, non ſunt principia principiorum tranſmutabilitatis accidentalis. Id conſtantiſſimè negamus. Quando probat de corpore coeleſti; dicimus, quòd non eſt par ratio de corpore coeleſti & iſtis ſublunaribus. Propterea quod natura vtriſque vniuocè minimè competit, atqui analogicè tantùm; veluti docuit Auer. 2. phy. com. 3. & primo coeli com. 5. Et in 12. Meta. comm. vltimo, dicit quòd natura ſecundùm famoſitatem prius dicitur de corporibus generabilibus & corruptibilibus, quàm de corporibus coeleſtibus. Cùm itaque natura, ſimpliciter, prius dicatur de corpore coeleſti, quàm de huiuſmodi ſublunaribus, licèt ſecundùm famoſitatem oppoſito modo ſe habeat; Sequitur neceſſariò, vt etiam nobiliori modo ſit in corpore coeleſti, quàm in iſtis inferioribus. Propter in his eſt priuatio ſubſtantialis, quæ principium eſt priuationis accidentalis; Et ita principium tranſmutabilitatis ſubſtantialis, eſt principium principiorum tranſmutabilitatis accidentalis. In illis verò, cùm perfectiori modo ſe habeat, nulla eſt priuatio ſubſtantialis, at ſolùm accidentalis & ſecundùm quid. Quare nec tranſmutatio ſubſtantialis, ſed accidentalis tantùm. Cuilibet enim materiæ, iuxta eius potentiam eſt annexa priuatio. Et quia materia horum inferiorum eſt in potentia ad formas contrarias, idcirco & priuationem ſibi habet annexam, quæ principium eſt tranſmutationis ſubſtantialis. Materiæ verò coeli non eſt in potentia niſi ad vbi, ſeu loci mutationem, & ad nouam luminis, vel tenebrarum receptionem. Proptereà nullam habet ſibi annexam priuationem, niſi accidentalem, quæ tranſmutabilitatis accidentalis eſt principium. Quando igitur arguit Caietanus: Priuatio ſubſtantialis non eſt principium priuationis accidentalis. Hoc abſolutè negatur. Cum probat, quia non eſt principiũ priuationis accidentalis quæ in corpore coeleſti reperitur. Dicitur, quòd non eſt neceſſe; cùm natura non niſi analogicè dicatur de corpore coeleſti & de iſtis inferioribus. Et ita patet ad primum obiectum contra reſponſum.

Ad id vero quod ſecundò loco aduerſus idem reſponſum affert, negatur minor. Ad probationem dicimus, quòd materia, forma, & priuatio tranſcendunt genus ſubſtantiæ formaliter, non autem virtualiter. Sed in hac ratione format doctor conceptum logicum, & vniuerſale quoddam ad ſubſtantiam & accidens; ipſumq. ens mobile appellat: quod nihiloſecius ſuperius exploſimus. Et hæc circa primam rationem principalem.

Ad ſecundam dico, quòd Ariſto. in primo phyſicarum auſcultationum præſupponit corpus naturale, ſcilicet compoſitum ex materia & forma, & ex conſequenti mobile eſſe; vt mobile idem ſonat quod naturale; ſeu habens in ſe principium motus. Nam omnis ſubſtantia, aut eſt corporea, aut incorporea, ſeu naturalis, aut ſupernaturalis; vel mobilis, vel immobilis; hæc Ad 2.

lis; hæc

lis; hæc enim omnia idem ſonant. Si eſt naturalis, eius affectiones ſunt, quantitas, motus, ideſt, aptitudo ad motũ: generabilitas, corruptibilitas; ideſt, aptitudo ad generari & corrumpi: locus, tempus, & id genus alia. Præſuppoſito igitur quòd ſubſtantia naturalis, ſeu corpus naturale, & compoſitum ex materia & forma, ex conſequenti mobile, ſit; à quibuſdam poſtea vertitur in dubium, nunquid huiuſmodi ſubſtantia, & corpus compoſitum ex materia & forma, ſit quantum & diuiſibile, nec ne. Et hoc eſt quod probat Ariſto. in .6. auſcultatorio libro, contex. 32. non ex primaria intentione, at ratione motus; vt liquidò conſtat. Vnde cùm dicitur: In .6. phy. probatur mobile eſſe corpus. Non eſt ille ſenſus, vt probetur mobile compoſitum eſſe ex materia & forma, ſeu naturale. At ſenſus eſt, quòd probatur mobile, ſeu ſubſtantiam compoſitam ex materia & forma, quantam eſſe & diuiſibilem: de quo à ſenioribus dubitabatur. Et ita ſcientia nec ſubiectum probat, nec eius rationem formalem: at eiuſdem ſubiecti affectionem. Pro cuius notitia, animaduertendum venit, ꝙ quidam ex antiquioribus ponebant corpus mathematicũ & corpus naturale differre realiter: vt ex .3. Meta. 9. colligi poteſt, & alij ponebant quædam corpuſcula indiuiſibilia ſemper moueri, ex primo phy. Ariſto. igitur veræ philoſophiæ compilator, cùm eis iam præſupponit corpus naturale eſſe: Quòd poſtmodum habeat per ſe quantitatem & ſit diuiſibile, contra vtranque opinionem demonſtrat. Ad hoc quid modò ſequatur

Ad argumentũ formaliter. incommodi, minimè video. Eapropter cùm arguit Caietanus: Coniunctio omnis mobilis cum ratione corppreitatis non ſupponitur in Naturali philoſophia. Negatur abſolutè. Cùm probat ex .6. phy. Negatur quòd ibi probetur omne mobile eſſe corpus naturale: ſed benè probatur, illud eſſe quantum & diuiſibile. Quandoquidem nulla reperitur ſubſtantia naturalis, & compoſita ex materia & forma, quin ſit corporea.

Ex his patet etiam ad vtranquè rationem ſyllogiſticam. Vtraque enim minor eſt falſa. Et quia innititur authoritati Ariſtotelis, iam conſtat quid dicendum. Probatur nanque mobile eſſe quantum; non autem mobile eſſe compoſitum ex materia & forma; neque eſſe corpus naturale.

Notandũ. Et quòd ita ſit, patet ex hoc: quia ſecus ſibiipſi repugnaret Ariſtoteles, cùm in primo phy. 11. ſupponat naturalia moueri, & in .6. eiuſdem voluminis probet omne mobile eſſe corpus. Percunctor ſiquidem ego, nunquid Ariſto. in primo phy. per naturalia, ſubſtantiam intelligat corpoream, vel incorpoream. Non quidem ſecundam, cùm ad negotium ſpectet Metaphyſicum. Ergo primam. Cùm itaque per naturalia intelligat ſubſtantiam, ſeu ſubſtantias corporeas, & has moueri ſupponat: liquidò conſtat, ꝙ etiam ſupponit mobile eſſe corpus. Quòd ſi ſupponit, ad quid poſtea probare?

Nec poteſt dici, ꝙ ſupponat veluti inferius probandum. Tum quia peteret principium, aſſumendo contra ſeniores id quod relinquitur probãdum. Tum quia, id ex inductione iam notum eſſe affirmat.

Amplius:

Amplius; Ariſtoteles in .2. auſcultatorio libro, contex. 16., hæc habet verba formalia: Quoniam autem determinatum eſt quot modis natura dicitur; poſt hoc ſpeculandum eſt, quo differt Mathematicus à Phyſico. Etenim plana & ſolida habent phyſica corpora, & longitudines, & puncta, de quibus conſiderat Mathematicus. In tex. verò .18. inquit: De his igitur negotiatur & Mathematicus; ſed non quatenus phyſici corporis terminus eſt vnumquodque; neque accidentia ſpeculatur, quatenus talibus exiſtentibus accidunt. Quapropter & abſtrahit, &c. Ita Ariſtoteles. Vbi modum quo Naturalis à Mathematico diſcriminatur ſpeculandum proponit; hac vnica ratione ductus; quia ſcilicet Mathematicus verſatur circa punctum, lineam, ſuperficiem & corpus. Naturalis verò circa eadem; quoniam corpora phyſica habent ſuperficies, corpora, lineas, & puncta. Cùm igitur hi, duo ſint artifices, eandemq. rem contemplentur; reliquum eſt, modum conſiderandi quo differant, aſsignare. Eapropter in contex. 18., hunc aſsignando dicit, quòd Naturalis ea omnia conſiderat, vt termini ſunt corporis naturalis & accidentia. Mathematicus verò, ſecundùm ſe; & non quatenus accidentia ſunt corporis naturalis & per ſe exiſtentis, eadem conſiderare dicitur. His itaque ſtantibus, animaduerto ego, quòd Ariſtoteles vult corpus, ſuperficiem, lineam, & punctum, quantitates & accidentia eſſe, quæ corpori inſunt naturali, per ſe exiſtenti. Et vltra, ſunt hoc modo, quia terminant & continent ſubſtantiam ipſius corporis naturalis. Si igitur corpus à Mathematico conſideratum, accidens eſt terminans & continens ſubſtantiam corporis naturalis; conſequens eſt, vt corpus ſubſtantiale & naturale, prius natura ſit corpore quanto. Hanc ob cauſam, Ariſto. in primo auſcultatorio libro, contex. 11., ſuppoſuit corpus naturale & mobile eſſe. In .2. verò libro, idem declarauit per ſe quantitatem habere. Cæterùm an hoc eſſet generaliter verum, dubitabant antiquiores philoſophantes, quædam ponentes corpuſcula naturalia indiuiſibilia, mobilia tamen; vt Democritus, Leucippus, & Epicurus; idcirco id reliquit probandum in .6. eiuſdem voluminis. In .6. inquam; quia ibi ratione motus id probare cogebatur; vt liquet. Cùm enim motus, accidens ſit ipſius mobilis, vt continuus atq. diuiſibilis probetur, id per mobilis continuitatem atq. diuiſibilitatem optimè declaratur.

Addo, quòd Ariſto. in primo de coelo, contex. 5. dicit: Omnia enim naturalia corpora, & magnitudines, ſecundùm ſe mobiles ſecundùm locum eſſe dicimus. Naturam enim motus principium ipſis eſſe dicimus. Hæc ille. Modò perſpicuum eſt, quod per magnitudines ſecundùm ſe mobiles, corporis naturalis terminos minimè intelligit; cùm non niſi per accidens moueantur. Corporeas igitur magnitudines ex materia & forma conflatas intelligamus oportet.

Per hæc igitur patet etiam ad authoritatem Auer. in .1. coeli, com. 5., & D. Tho. in primo contra Gent. cap. 13. Vbi dicunt, quod in .6. phy. probatum eſt omne mobile eſſe corpus. Corpus; inquam; non ſimpliciter & naturale; at quantum & diuiſibile. Tot de ſecunda ratione.

Ad ter-

Ad 3. Ad tertiam negatur minor. Nam definiendo motum Ariſtoteles per ens in potentia, nil aliud præter corpus naturale, & ſubſtantiam compoſitam, naturalemq. intelligere voluit. Idem nanque ſignificat ens, quod ſubſtantia; veluti ſuperius probatum reliquimus.

Quinimmo potius hoc nomine (ens) quàm hoc nomine (corpus) vſus eſt Ariſtoteles, vt innueret ſe de corpore, deq. ſubſtantia naturali vt ſic, minimè autem de ea vt eſt quanta, ſermonem habere. Id quod motum definiendo in 3. auſcultatorio libro, contex. 6., his verbis innuere voluit: Eius quod potentia exiſtit actus, quatenus huiuſmodi, motus eſt. Nihil ſiquidem exiſtit, niſi ſubſtantia. Quapropter & in 6. Sapientiæ libro, contextu primo, ita ſcriptũ reliquit: Cùm autem Naturalis etiam circa quod dam entis genus ſcientia ſit, (etenim circa talem ſubſtantiam eſt, in qua principium eſt motus & ſtatus, qui in ea eſt,) patet quòd nec actiua, nec factiua eſt. Ecce quo modo per ſubſtantiam declarat & aperit, quid per nomen entis intelligat. Subſtantiam ſcilicet, principium motus & ſtatus in ſe habentem. At quid hoc ſibi vult, niſi ſubſtantiam naturalem & corpoream?

Ad authoritatẽ verò ex primo phy. 11. citatam, iam patet. Dicit enim: Nobis autem ſupponatur ea quæ ſunt natura, aut omnia, aut quædam moueri. Per ea autem quæ ſunt natura, nil aliud intelligit, quàm naturalia. Hæc verò, nónne idem quod ſubſtantia naturalis, ſeu corpus naturale ſignificant? Naturale ſiquidem illud eſt, quod in ſe habet naturam; quemadmodum ſuperius expoſuimus.

Ad authoritatem Auerrois dico primò, quòd per ens mobile, corpus mobile, & res ſenſibiles, idem intelligit. Dico ſecundò, quòd in comm. 3 ſecundi libri auſcultatorij eſt admodum deceptus, negans corpus mo- *Contra Auerr.* bile, ſeu naturale, ibi eſſe ſubiectum; & deinde aſſerens eius definitionem differri ad principium vſque primi libri de coelo & mundo: vt ex prædictis conſtat. Etenim pluribus oſtendimus rationibus, ſubiectum Naturalis philoſophiæ, in ſecundo auſcultatorio libro, contex. 4., ab Ariſtotele definiri. Non igitur id in initio primi de coelo & mundo præſtatur.

1. His tamen addo, ꝙ Ariſtoteles in primo phyſicarum auſcultationum ad initium, docet ꝙ ob rei cognitionem perfectam, principia cognoſcimus, eorumq. naturam diſquirimus: Atqui in libris auſcultatorijs, rationem, notitiamq. principiorum corporis naturalis inueſtigat. Non igitur niſi ob ipſius perfectam cognitionem habendam. Quare in præfatis libris, corpus naturale ſubiectum erit. In ſuperioribus ſiquidem probauimus, principia nunq̃ rationem habere ſubiecti, at in ordine ad illud, ſemper de eis verba fieri.

2. Præterea: Auer. in prologo ſuper libro phyſicorum ad initium, ita ſcribit: Et quia ſubiectum iſtius artis non ſunt niſi res ſenſibiles; ſubiectum dico, ſecundùm ꝙ tranſmutantur per ſe, ideſt, ſecundùm ꝙ habent de ſe principium motus & quietis. Hæc ille. Ex quibus habetur, ꝙ Naturalis diſciplinæ ſubiectum illud eſt, quod ex ſe mouetur, & habet principium motus.

motus & quietis. Hoc autem ab Ariſtotele .2. phy.4. definitur; veluti ſuperius declarauimus. Non igitur ſubiecti Naturalis diſciplinæ definitio, vſque ad libros de coelo & mundo differtur.

Adhuc: Per hæc quæ in citato prologo dixit Auerroes, ſine motu & materia non eſt definitio naturalis; quare nec ſubiecti naturalis. Sic igitur in primo libro de coelo & mundo, corpus mobile, & ſubiectum Naturalis philoſophiæ, cum motu & materia definiri debet. Quod tamen minimè fit; quia per tres dimenſiones definitur; quæ quidem definitio non eſt cum motu & materia; authore Ariſto.2.phy.17. In primo igitur de coelo & mundo, nec ſubiectũ iſtius artis, nec corpus naturale definitur. .3.

Amplius: Non ſibi conſtat Auerroes; quandoquidem inter Naturalem at Mathematicum differentiam aſſignans.2.phy.17.; dixit, id quod Mathematicus ſpeculatur, corpus eſſe ſine motu & materia. Naturalem autem cum motu & materia conſiderare. In .2. autem phy. comm.3. dixit, ꝙ in principio coeli & mundi, corpus definitur quod eſt ſubiectum in Naturali philoſophia. Definitio autem illa corporis allata in initio primi de coelo & mundo, ſine motu eſt atque materia; vt conſtat. Naturalis igitur philoſophus, & cum materia, & ſine materia; item & cum motu, & ſine motu definiet. Quod implicat. Diuiſio nanque non eſt merito materiæ, at quãtitatis; 16. phy.32. Quando igitur dicit Caietanus, ꝙ in libris phyſicorum corpus mobile non conſideratur, minimeq́; definitur, ſed eius definitio vſque ad primum librum de coelo & mundo differtur; Negatur omnino. Cum probat authoritate Auerrois; eius dictum in hac parte minimè acceptamus; vt ex dictis patet. .4. .5.

Quomodo intelligatur definitio corporis in lib. de cælo.

Cæterum quid dicendum de definitione illa corporis in initio primi de coelo & mundo? Licèt quamplurimi cum Auer. conueniant; nihilotamenſecius, ſi rem accuratius rimari velimus, alioſum tendit illa definitio. Prologus nanque Ariſtotelis in primo libro de coelo & mundo, ſe extendit vſque ad textum quintum excluſiuè. In illo itaque proœmio, ſe de vniuerſo acturum proponit, deq; partibus eius; veluti ex.4. contextu facilè conuincitur. Et quia de vniuerſo hanc intendebat concluſionem; Illud ſcilicet perfectum eſſe; quemadmodum in eodem.4. contextu ad finem perſpicuum eſt. Propterea corpus trina dimenſione definiendum ſumpſit; vt ſi poſtea vniuerſum tali perfectione diuiſibile reperiretur, inde perfectum eſſe concluderetur. Huius ſignum eſt; ꝙ in quinto contextu eiuſdem libri, jam in.2.phy.contex.4. corporis naturalis traditam definitionem, his verbis aſſumit: Omnia enim naturalia corpora, & magnitudines, ſecundùm ſe mobiles ſecundùm locum eſſe dicimus. Naturam enim motus principium ipſis eſſe dicimus. Si igitur in principio, corpus definit naturale, ad quid in quinto contextu eam reaſſumere definitionem, quam in.2.phy. iam tradiderat? Quanq̃ igitur vir iſte doctiſſimus, magno ſit ingenio præditus, & authoritate fulgeat non parua, in hac tamen parte, eius ſententiæ minimè ſubſcribo.

Aliorum

Aliorum Thomiſtarum dicta examinantur.

Cap. 79.

SVNT alia ex parte ex eadem Thomiſtica ſchola viri minimè flocipendendi; vtpotè Iauellus, Franciſcus Ferrarienſis, & Gratiadeus; quorum dicta in iuniorum gratia examinanda cenſuimus. Primò itaque loco ſeſe offert Iauellus, qui ex tertio auſcultatorio libro in hunc modum ratiocinatur: Ariſtoteles definiens motum, per ens & non per corpus definiuit. Ens igitur mobile, minimè autem corpus mobile, ſubiectum eſt in Naturali diſciplina. Id quod conſequitur manifeſtat ex hoc; quia motum definiens Ariſtoteles, in eius definitione claudit etiam generationem & corruptionem; veluti per eius exẽpla ſatis conſtat. Harũ autem mutationum ſubiectum eſt materia prima, quæ non eſt corpus.

Rationes Iauelli .1.

.2. Secundò arguit tali pacto: Nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum. In .6. autem phy. probatur corpus mobile eſſe. Ergo ens mobile, & non corpus mobile, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia. Mediam ex eo probat, quia in .6. phy. probat Ariſtoteles omne mobile eſſe corpus. Ergo probat corpus mobile eſſe. Id quod conſequitur in hunc modum deducit: Quicunque de aliquo compoſito probat quòd ſua principia non repugnant quin exiſtant; conſequenter probat illud compoſitum eſſe, vel ſaltem non repugnare quin ſit. Atqui in .6. phy. probat philoſophus huius compoſiti (corpus mobile) principia non repugnare quin exiſtant; cùm mobilitas, corporeitati minimè repugnet, nec è contra. Conſequenter igitur probat hoc compoſitum (corpus mobile) eſſe; vel ſaltem non repugnare quin ſit. Quod quidem ſufficit ad hoc vt aliqua ſcientia probet ſuum ſubiectum. Quia de ſubiecto ſcientiæ non eſt neceſſe exiſtentiam actualem in omni ſciendi modo tenere; at ſufficit aliquando aptitudinalis, vel non repugnantia. Quare optimè conſtat; quòd philoſophus probans omne mobile eſſe corpus, ex conſequenti corpus mobile ſe eſſe demonſtrat.

Franciſcus ferrarienſis Hoc idem argumentum erigit Gratiadeus in prologo ſuper lib. phy. q. 6. & Franciſcus Ferrarienſis, primo phy. q. 2. illudq; in hunc modum exponit atque declarat: In omni propoſitione affirmatiua vera, prædicatum eſt aliquo modo vnum cum ſubiecto; & compoſito ex ſubiecto & prædicato non repugnat eſſe. Vt patet tam in propoſitionibus de prædicato accidentali, quàm in illis de prædicato eſſentiali. Proptereaquòd cùm dicitur: Homo eſt albus; manifeſtum eſt, quòd homo & albus ſunt vnum ſubiecto. Ita etiam cùm dicitur: Homo eſt rationalis; Homo & rationalis ſunt vnum eſſentialiter. Et compoſito ex homine & albo, aut ex homine & rationali, non repugnat eſſe. Cùm igitur probatur aliquod prædicatum de aliquo ſubiecto, probatur prædicatum eſſe vnum cum ſubiecto, & compoſitum ex ſubiecto & prædicato eſſe; id eſt, ſibi non repugnare eſſe. Sicut cùm probatur quòd homo eſt albus, aut quòd eſt riſibilis; probatur album, aut riſibile, vnum eſſe cum homine; Et quòd huic

toti:

toti:Homo albus;Vel Homo riſibilis;non repugnat eſſe.Et ſi demonſtrari poſſet; inquit Gratiadeus; quòd componentia hircoceruum non haberent repugnantiam adinuicem,ſtatim demonſtratum eſſet,quòd in rerum natura poſſet hircoceruus eſſe.Componentia autem corpus mobile,ſunt mobile & corpus. Ad oſtendendum igitur quòd illud coniunctum ex illis duobus, in rerum natura eſſe poſſit, non exigitur niſi demonſtrare quòd illa duo adinuicem repugnantiam non habeant.Quia igitur in .6.phy.demonſtratur non ſolùm quòd mobile non repugnat corpori,ſed etiam quòd ad ipſum neceſſariam habet habitudinem;ſatis conſtat,quòd de hoc coniuncto,quod eſt corpus mobile, eſſe aptitudinale ibi demonſtratur. Ita procedunt doctiſſimi iſti viri; non tamen aduerſus ea quæ diximus urgere uidentur.

Gratiade.

Præmiſſarum rationum ſolutio. Cap. 80.

PROPTEREA ad primam rationem,licèt ex dictis ad tertium Caietani ratiocinium ſatis conſtet;nihilotamenſecius propter iuniores negatur illatio.Ad eius probationem dicimus,quòd vnum ſupponit falſum, tum ſimpliciter, tum etiam ad aures D. Thomæ. Nimirum quòd materia ſit ens mobile, cùm entis mobilis ſit principium; veluti declarat Ariſtoteles in primo phyſico.ad initium; & D.Thomas ibidem,in expoſitione .t.6.; vbi diuidendo literam,in hunc modum effatur: In prima parte determinat de principijs ſubiecti huius ſcientiæ;ideſt,de principijs entis mobilis,inquantùm huiuſmodi. Hæc ille. Principia autem entis mobilis ſunt materia & forma; vt liquidò conſtat. Ariſtoteles igitur definiendo motum per ens in potentia,nil aliud intelligit quàm ſubſtantiam mobilem,& corpus mobile. Quare in hoc defecerunt tres iſti viri,alioquin doctiſſimi, ponentes materiam & formam entia mobilia. Quibus etiam aſtipulatur Auguſtinus Sueſſanus,in expoſitione prologi Auer. ſuper libris phyſicorum;quem demum inſecutus eſt Ludouicus Cartarius Bononien.,in prooemio phy., lectione.7. Addens quòd ens mobile prædicatur etiam de accidentibus, de quibus corpus minimè prædicatur. At re uera ens mobile de accidentibus non niſi in obliquo prædicatur; Id quod etiam dicimus de corpore mobili. Sicut enim accidentia non ſunt entia mobilia, ſed entis mobilis; ita nec corpora mobilia,ſed corporis mobilis ſunt affectiones. Idem dico de ente mobili reſpectu ſenſorij.Quod quidem organum entis mobilis,non autem ens mobile nuncupari debet.

Ad primā.

Cōtra Sueſſanū & alios.

Ad ſecundam, Balduinus ſuper prooemio Auer.in primo phy., q.de ſubiecto Naturalis philoſophiæ,in ſolutione primi argumenti contra tertiam concluſionem,reſpondet negando minorem.Cùm probat,negat conſequentiam.Ad eiusq.probationem negat maiorem.Et hanc affert inſtantiam; Ars demonſtrat interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam eſſe. Ergo demõſtrat eſſe ecclipſim in Luna.Non ſequitur.Ecclipſim nanq.eſſe, notum eſt ad ſenſum,nec poteſt demonſtrari.Sed quando fit demonſtratio

Ad 2. Balduinus.

per interpoſitionem terræ,non demonſtratur Ecclipſim eſſe;ſed eius propter quid. Ita pari paſſu,cum dicit Iauellus: In.6.phy.probantur principia corporis mobilis eſſe;Ergo probatur etiam corpus mobile eſſe.Negatur illatio.Non enim quando probatur antecedens eſſe,probatur conſequens eſſe.Quia ſtat me ignorare antecedens eſſe,& tamen me ſcire conſequens eſſe;veluti de interpoſitione & Ecclipſi dictum eſt.

Busti solutio ad eandem.

Magiſter verò Georgius Buſtus, .q. iam ſuperius citata,dicit,ꝙ huiuſmodi conſequentia non valet: Ariſtoteles in.6.phy. probat omne mobile eſſe corpus.Ergo conſequenter probat corpus mobile eſſe.Quoniam à propoſitione tertij adiacentis in prædicatis eſſentialibus,ad ſecundum adiacens,non ualet conſequentia.

Cōtra Balduinum.

Verumenimuerò neutrobi rationis uim ſublatam eſſe crediderim.Cùm enim Balduinus per inſtantiam de Ecclipſi reſpondet;nimirum ꝙ probans interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam,ob id Ecclipſim eſſe minimè probat,ſed propter quid ſit. Nec quando probatur antecedens eſſe,probatur conſequens eſſe.His non obſtantibus,Iauellus inſiſteret;Quoniam licèt non probetur Ecclipſim eſſe actu; probatur tamen ꝙ illi non repugnat eſſe. Et quando probatur antecedens eſſe,licèt non probetur conſequens eſſe actu;illud nihiloſecius,probatur aptitudinaliter eſſe. Quare idem quod prius.

Contra Bustum

Quando verò dicit Buſtus,ꝙ à propoſitione de tertio adiacente,ad propoſitionem de ſecundo adiacente,in prædicatis eſſentialibus,non valet cōſequentia; Non acquieſcerent præfati doctores. Atqui dicerent,ꝙ licèt non ualeat quò ad eſſe actu; valet tamen quò ad eſſe aptitudinale. Præſertim in his,quorum componentia adinuicem non repugnant. Vnde ſi nō valet: Homo eſt animal rationale. Ergo homo eſt. Valet tamen: Homo eſt animal rationale. Ergo homini non repugnat eſſe. In quo ſenſu volunt eorum rationem habere efficaciam;cùm non de exiſtentia,at ſolùm de aptitudine curent.

Solutio propria.

Quamobrem tutius,iuxta eam quam præmiſimus doctrinam,reſpondendum crediderim. Vt ſcilicet primo loco negetur minor. Cumq́. probat; antecedens inficiandum arbitrarer. Non enim probat Ariſtoteles mobilitatem de corpore,neque corpus de mobili;corpus; inquam naturale.Atqui de mobili probat eſſe quantum & diuiſibile. Quod & ipſe Iauellus fatetur in Epitomi ſuper.6.phy.,tracta.3.cap.2. Vbi vult,philoſophum arguere contra Democritum,qui ponebat corpuſcula quædam indiuiſibilia ut puncta,& ea uolebat eſſe in continuo motu. Ariſtoteles igitur probat quòd nullum indiuiſibile ſecundùm quantitatem,vt punctus,poteſt per ſe moueri. Hæc Iauellus. Ex quibus perquamclariſſimè conſtat,ipſum uelle Ariſtotelem demonſtrare nihil eſſe mobile,quin etiam diuiſibile ſit ſecundùm quantitatem. Quod ſi verum eſt,quomodo probabit philoſophus principia huius compoſiti: Corpus mobile? Si enim Democritus,corpora quædam indiuiſibilia,ſemperq́.mobilia ponebat,& fatebatur,ad quid contra eum probare omne mobile eſſe corpus? Nedum igitur falſum dicit vir iſte in illa prima quam citauimus

quæſtione,

quæſtione,verùm etiam aduerſatur ijs quæ docet in Epitomi ſuper.6.auſcultatorio libro.

Addo, quòd ſi Ariſtoteles in.6. auſcultatorio libro probat mobilitatem de corpore; aut quatenus mobilitas dicit aptitudinem ad motum; aut ea ratione qua dicit actum mouendi; ſeu potius inquantùm naturalitatem dicit & principium motus. Si quatenus dicit aptitudinem ad motum; probat igitur paſſionem de corpore mobili. Quòd ſi ex eo probat corpus mobile eſſe; conſequens eſt, vt omnis ſcientia probet ſuum ſubiectum eſſe,cùm de eo affectiones demonſtrat. Si verò vt dicit actum mouendi; Id ſub demonſtratione minimè cadit,quia eſt ſingularium. Et ſi caderet ſub demonſtratione, accidens tantùm probaretur de ſubiecto;& ita idem quod prius. Relinquitur ergo quòd ea ratione probetur, qua naturalitatem dicit & principium motus. Quare Ariſtoteles probaret naturalitatem de corpore naturali, ſeu naturam & principium motus in eſſe in corpore mobili. Quòd tamen veluti notum reliquit in primo phy.11. Et in.2. eiuſdem voluminis,contex.4. declarans quæ ſunt naturata, dicit quòd ſunt quæcunque naturam habent;& hæc omnia ſunt ſubſtantiæ.

De quibus quidem ſubſtantijs, in octauo Sapientiæ libro, contex.1. in hunc modum effatur:Subſtantiæ verò quædam ab omnibus conceſſæ ſunt; de quibuſdam autem ſeparatim enunciauerunt quidam.Conceſſæ quidem quæ naturales ſunt; vt ignis,terra,aqua,& cætera ſimplicia corpora; Deinde plantæ,& partes earum;animalia & partes eorum;& tandem coelũ, & partes coeli. Hæc ille. Quæ etiam repetit ibidem,contex.2.in calce. Si igitur huiuſmodi ſubſtantiæ naturales ab omnibus iam erant conceſſæ; ad quid probare naturalitatem,ſeu naturam eis inditam eſſe? Nunquid in octauo phyſicarum auſcultationum,contex.22. id manifeſtum eſſe his verbis enunciauit? Suppoſitio enim eſt,ꝙ natura principium motus eſt. Quòd ſi ſupponitur naturam principium eſſe motus, ad quid probare corpus naturale eſſe mobile? Ad ea enim quæ ſunt per ſe nota & ab omnibus confeſſa,non erigitur demonſtratio;.2.phy.6. Ex quo ſequitur,ꝙ nec corpus mobile eſſe,poſſit demonſtrari.

Quod quidem hunc in modum confirmari poteſt:Ariſto.in.4.phy.contex.104.dicit,ꝙ motus notus eſt per id quod mouetur,& latio per id quod fertur. Et octauo eiuſdem voluminis contex.22. docet,phyſicum motum eſſe demonſtrare minimè poſſe.Ex quibus,duo præcipuè habemus: Alterũ quidem,ꝙ motum eſt notius motu.Aliud verò,ꝙ motum eſſe,neq. debet, nequidem poteſt phyſicus demonſtrare. Quibus ſtantibus,arguo ſic: Corpus mobile eſt notius ipſo motu. At motum eſſe,demonſtrari minimè poteſt. Ergo à fortiori,nec corpus mobile eſſe poterit demonſtrari.

Ratio autem, quare mobile ſit notius motu, conſtat ex hoc, quia ponitur in definitione motus; .3. phy. 6. Vbi Themiſtius ita ſcriptum reliquit in fine: Accedit,quòd notius eſt mobile aliquanto quàm motus. Non enim idem eſt noſce motum eſſe,& quid ſit motus exploratum habere. Nam ut ſit motus neminem latet; quid autem ſit,vel nos quo-

que nunc quærimus;at verò motũ eſſe,res motæ nobis oſtendunt. Hæc autem ſunt, quæ nos mobilia nuncupamus. Quare is qui in motu definiendo admonitionẽ habet rei mobilis, affert rem magis planam & notã, ad docendum id quod erat ignotius. Hæc ille. Conſtat igitur ꝙ Ariſtoteles, nec mobile de corpore, nec corpus mobile eſſe demonſtrat.

Cōtra fundamētum ipſorum. Quod vt clarius euadat, & ne difficultatem ſubterfugere videar, principale fundamentum cui eorum innititur doctrina, à veritate abhorrere vtique oſtendo. Nam quando dicunt: Cùm probatur aliquod prædicatum de aliquo ſubiecto, probatur prædicatum eſſe vnum cum ſubiecto;& compoſitum ex ſubiecto & prædicato eſſe, ideſt, ſibi non repugnare eſſe, admitto. Sed quando ſubdunt, quòd hoc eſt probare ſubiectum eſſe; inficior omnino. Quandoquidem cùm aliquis probat prædicatum de ſubiecto, iam ſubiectum præſupponit eſſe; non igitur probat ipſum eſſe, nequidem ei non repugnare eſſe. Vtpotè ſi quis probare vellet hominem eſſe album, vel riſibilem; id præſtare non poſſet, niſi præſupponeret hominem eſſe. Quare non probaret hominem eſſe, neq; ei minimè repugnare eſſe; at oſtenderet ꝙ eſſe album, ſeu riſibilem, homini minimè repugnat. Et ita probaret ſubiectum eſſe tale vel tale; quod ſoluit quæſitum quia eſt; non autem id ſimpliciter eſſe; quod ſoluit quæſitum an eſt. Dato igitur quòd Ariſtoteles probaret mobile de corpore; neceſſe eſſet ipſum præſupponere corpus eſſe, deinde oſtendere mobile ei minimè repugnare;& hoc pacto probaret corpus eſſe mobile, non autem ipſum eſſe.

Si dicant quòd ſaltem probaret huic compoſito (corpus mobile) non repugnare eſſe. Admitto. Cæterùm ſi inferant: Ergo probaret ſubiectum eſſe, vel ei non repugnare eſſe. Minimè aſſentior. Propterea quòd cùm dicimus, corpus mobile ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia; idem intelligimus, perindè ac ſi diceremus; corpus habens in ſe principium motus, ſeu corpus naturale. Modò perſpicuum eſt, naturalitatem de corpore phyſico minimè probari poſſe. Atqui ſi Ariſtoteles probaret mobilitatem de corpore, probaret veluti paſſionem de ſuo ſubiecto. Subiectum enim motus eſt ipſum corpus & magnitudo. Et idcirco probando ꝙ huic compoſito (corpus mobile) non repugnat eſſe; idem eſſet ac ſi probaretur, ꝙ huic ſubiecto (corpus phiſicum) non repugnat hæc paſſio (mobilitas). Quemadmodum ſi probaretur riſibile de homine; probaretur ꝙ huic ſubiecto (homo) riſibilitas minimè repugnaret; non autem probaretur hominem eſſe; vt liquidò conſtat.

Et quando dicunt, ꝙ ſi poſſet demonſtrari componentia hircocerui adinuicem non repugnare, ſtatim demonſtratum eſſet ꝙ hircoceruus poſſet eſſe in rerum natura. Id inficiandum cenſuerim. Quandoquidem illa duo componentia ſe haberent veluti eſſentia. Probare modò atque alicuius rei eſſentiam declarare; eſt quid tantùm, & non propter quid ſit, aperire. Demonſtratio verò omnis, non ſolùm propter quid eſt, ſed etiam rem ipſam eſſe oſtendit. Veluti ſi quis hominem eſſe riſibilem demõſtraret; nedum propter quid riſibilis eſſet, verùm etiam ipſum eſſe riſibi-

lem oſten-

dem oſtenderet.Hinc Ariſtótelem videmus in primo auſcultatorio lib., materiam & formam eſſe,ſibiq́. inuicem non repugnare,& eſſe principia componentia ens mobile declarare; veluti in calce illius libri ſub his verbis ſatis conſtat: Quòd igitur ſint principia,& quæ,& quot numero, determinatum ſic à nobis ſit. Et D. Tho.ibidem ſuper.t.6.dicit, ꝙ ibi tractatur de principijs entis mobilis.Ob id tamen non probatur ens mobile eſſe.At potius declarat Ariſtoteles ipſius eſſentiam,per principia eſſentialia,ipſum conſtituẽtia.Quemadmodum ſi hominem per ſua interna principia declarare velimus;non vtiq.illum eſſe,neq. propter quid ſit,at ſolùm quid ſit oſtenderemus. Quandoquidem id eſſet petere quod eſt in principio;idem per ſeipſum demonſtrando.Quod quidem illis ſemper euenit, qui aliquid per ſuas cauſas internas & eſſentiales demonſtrare contendunt. Propterea quòd demonſtratio ſemper fit per cauſam extrinſecam;& quæſitũ propter quid,quæſitum eſt cauſæ externæ.Si enim quæratur propter quid homo ſit riſibilis; reſpondebitur ſtatim, quia eſt rõnalis.At rationalitas nũquid cauſa eſt interna ipſius riſibilitatis? minimè quidem. Si rurſus quæratur propter quid Luna ecclipſatur? Ecce reſponſum: Propter interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam; Quæ quidem eſt cauſa extrinſeca. Sed de his hactenus.

Scotiſtarum opinio exaratur. Cap. 81.

PROSEQVOR autem, & ad Scotiſtarum opinionem examinandam me accingo; qui quidem, & ab eorum principe, & inter ſeſe non parum diſſident.Scotus nanq.in.6.Meta.libro,ſuper textu.1., propè finem,ab his quæ diximus minimè diſcordare videtur,cùm Naturalem diſciplinam circa ſubſtantiam mobilem, ſeu ens mobile ſenſibile verſari in hunc modum declaret: In iſta parte intendit talem rationem, ſcilicet Ariſtoteles: Scientia practica verſatur circa ſubiectum in quo nõ eſt principium motus & quietis.Sed phyſica verſatur circa ſubiectum in quo eſt principium motus & quietis.Ergo phyſica non eſt ſcientia practica. Dicit igitur,ꝙ quoniam ſcientia phyſica eſt circa quoddam genus entis; nam circa talem eſt ſubſtantiam, in qua eſt principium motus & ſtatus, ideſt, quietis; palàm quia nec eſt factiua nec actiua, quæ ſunt ſcientiæ practicæ. Et parum infra: Quare ſi omnis ſcientia eſt actiua aut factiua,quarum vtraq.eſt practica;aut eſt theorica,ideſt,ſpeculatiua; phyſica erit quædam theorica,ideſt,ſpeculatiua,& non practica. Sed tamen talis theorica,quæ verſatur circa tale ens,quod eſt poſſibile moueri; & circa ſubſtantiam, quæ ſecundùm rationem non eſt ſeparabilis, ſcilicet à materia ſenſibili. Hæc Scotus. *Scotus.*

Ex quibus perquamclariſsimè conſtat, ipſum velle Ariſtotelis ſententiam eſſe, vt Naturalis ſcientia circa ens mobile, ſeu ſubſtantiam mobilem, à materia ſenſibili minimè ſeparabilem, verſetur. Conformis his quæ docet Alexander Alenſis, in.6.Metaphy. ſuper eodem contextu; à quo hæc omnia deſumpſit. Et idem ex propria ſententia, infra ſuper

textu. 2., ſub his verbis conſtanter affirmat: Notandum quòd vt habetur 2. phy. t. c. 26., conſideratio phyſica extendit ſe ad omnes formas quæ habent eſſe in materia, & non vltra procedit; & ideo terminus eius eſt ad formam rationalem, non inquantum ſeparabilis eſt à corpore; ſed inquantùm eſt actus corporis. Et ideo 2. de anima t. c. 6. definitur anima, quòd eſt actus, vel forma organici corporis. Et ideo ſubdit hic philoſophus, quòd phyſici eſt conſiderare de anima, quæcunque non eſt ſine materia. Et ideo de formis ſeparatis, vt ſunt intelligentiæ, non amplius ſe intromittit phyſicus, ſed tranſcendunt conſiderationem eius. Et parum infra: Et per hoc patet differentia inter Mathematicam & phyſicam ſcientiam. Nam phyſica conſiderat & definit concepta cum materia ſenſibili; Mathematica autem abſtrahit à tali materia; Vt ſicut definitiones phyſicæ ſunt ſicut ſimum; ita definitiones mathematicæ erunt ſicut concauum. Vnde ſicut phyſica ſunt in materia ſenſibili ſecundùm eſſe & ſecundùm conſiderationem; ſic mathematica abſtrahunt à materia ſenſibili ſecundùm conſiderationem, licèt non ſecundùm eſſe. Hæc ille. Quæ quidem etiam parum infra in eadem lectione, tali pacto confirmat: Phyſica verò quia conſiderat ſubſtantiam corpoream inquantum in conceptu quem de corpore habet, includuntur principia motus & operationis; Ideo per materiam ſic definit; non quòd motũ ponat in definitione, quia ille eſt paſsio apud eum; ſed materiam ſecundùm conſiderationem contractam, ſecundùm quam eſt principium motus. Ità Scotus. Vnde ſi hæc omnia adinuicem conferantur, palàm quòd huius viri ſententia eſt, ens mobile, ſubſtantiam mobilem, ſubſtantiam ſenſibilem, & ſubſtantiam corpoream, idem eſſe; Naturalemq. diſciplinam circa huiuſmodi, tanq̃ circa ſibi adæquatum ſubiectum verſari. In 2. verò theologicarum ſententiarum, d. 2., q. 9., vult quòd Angeli ſint in loco definitiuè, de vnoq. in alium locum continuè moueantur.

Anto. Trõbeta. Inde Anton. Tromb. in ſuo quolj. q. 11., hanc ſtatuit concluſionem; quòd ſcilicet ſubſtantia naturalis, ſubiectum eſt in Naturali philoſophia. Per ſubſtantiam naturalem illam intelligendo, cuius naturalitas eſt ratio formalis, per quam appropriatur ipſi ſubſtantiæ vt ſit ſubiectum motus. Et ita ſub tali ſubſtantia naturali comprehenduntur intelligentiæ; præter primam, quæ nullo modo moueri poteſt. Idq. dicit eſſe de mente theologorum. Philoſophorum autem ſi inſequamur principia, tunc dicit, ꝙ Naturalis diſciplinæ ſubiectum, eſt ſubſtantia naturalis. Per ſubſtantiam naturalem illam intelligendo, cuius eſſe & definiri, dependet à materia ſenſibili. Et hoc pacto, ſubſtantia naturalis idem eſt quod corpus naturale. Et ſub tali ſubſtantia; ſecundùm philoſophos, non continentur intelligentiæ; quia ſecundùm ipſos ſunt immobiles; nec ex parte ipſarum poteſt accipi ſucceſsio & continuitas in eis; ac demum ſunt actus puri & ſimpliciſsimi; & ex conſequenti, non in potentia ad vbi. Quare ſi phyſicè, & ad aures Ariſtotelis de Naturalis philoſophiæ ſubiecto ſermonẽ habere velimus; tunc dicit, quòd ſecundùm mentem ipſius Scoti, illud eſt corpus phyſicum.

Ioannes

Ioannes verò Canonicus in primo phy. q. 1. ar. 2. concluſione. 2., negat corpus materiale eſſe conſideratum in ſcientia Naturali; quoniam & Angeli naturaliter mouentur, qui nihiloſecius ſunt minimè corporei. Atqui ſubſtantia finita in ſuo conceptu communi, ſub ratione quà eſt naturalis, ſubiectum eſt Naturalis diſciplinæ; inquit ipſe eodem in loco, concluſione. 5. & 6. Et per naturalitatem idem intelligit, quod Antonius Trombeta. Demũ concludit, q; Naturalis philoſophia vt eſt ab Ariſto. tradita, eſt erronea & inſufficiens. Quodq́ non ſolùm ſecundùm theologũ, ſed etiã ſecundùm phyſicũ, vel ſecundùm veritatẽ philoſophiæ fuit inſufficienter & falſo modo locutus de Naturali philoſophia. Vel quia non habuit notitiam plenã de rebus naturalibus; vel ſi habuit, oppoſitũ poſuit. Quibus dictis, vult q; philoſophia Naturalis, bifariam conſiderari poſſit; vel vt ab Ariſto. tradita, vel in ſe & abſolutè. Primo modo eſt in ea ſubiectum corpus. Secundo modo, ſubſtantia finita in ſuo conceptu communi. *Ioannes Can. uicus*

Antonius verò andreæ, de tribus principijs. q. 1. damnat illam particulam (finita) à Ioanne Canonico in Naturalis philoſophiæ ſubiecto poſitã; quoniã huiuſmodi ſcientia, naturalis cùm ſit, de ẽre finita & prædicamentali pertractari debet. Quare ſat erat Ioãni Canonico dicere, q; ſubſtantia naturalis ſubiectũ eſt in Naturali philoſophia; veluti dixit Antonius Trombeta. Quo quidem loquendi modo, etiã Deus peroptimè excluditur ab hac ſcientia; cùm nec naturalis ſit, nec prædicamentalis ſubſtantia. *Ant. and.*

In. 1. verò Meta., q. 1. ad. 4. argum., in hunc modũ effatur: Vnde caueant illi qui ens mobile ponunt ſubiectum ſcientiæ Naturalis. Quoniã non poterunt euadere quin ſcientia Naturalis ſubalternetur Metaphyſicæ; cùm mobilitas ſit quaſi differentia accidentalis. Quare ſumma huius opinionis eſt, quòd ſubſtantia naturalis, quà naturalis, ſubiectum ſit phyſicæ diſciplinæ. Dicunt ſubſtantiam & non corpus, vt angelos includant. Addunt naturalem, & non dicunt mobilẽ; ne videantur velle mobilitatem, rationem eſſe formalem ſubiecti; cùm ſit accidens. Subdidit demum Ioannes Canonicus, finitam; vt Deum ab hac excluderet ſcientia. Quam quidem, in ſe tunc & abſolutè conſiderant; non autem vt eſt ab Ariſtotele tradita. Quia vt ſic, corpus phyſicum & ſubſtantia naturalis vt à materia dependet, ſubiectum eſt Naturalis diſciplinæ. Et propterea in hoc ſecundo ſenſu, nobis haudquaquã aduerſantur. Inter ſe autem ſunt aliqualiter diſcordes; vt iam declarauimus; & ab eorum principe ſatis diſſidere videntur. Quandoquidem & ſi in theologia dicat Angelos localiter & continuè moueri; eos tamen non dicit ſub Naturalis diſciplinæ ſubiecto comprehendi. At uerò in Metaphyſicis, idem quod nos ſentit & docet; quemadmodum ex eius verbis ſuperius formaliter & ad verbum citatis, ſuperq́ue ſatis conſtare poteſt. Verùm quia me ſuper eos de Scoto iudicium ferre minimè condecet; idcirco quicquid ſit de eius ſententia in hoc, illud mihi examinandum relinqui vtique ſcio; an ſcilicet Ariſto. ſit de Naturali philoſophia accuratè, eruditè, exactè, atque ſufficienter locutus. Quo quidem exarato, mox notum erit quanti momenti ſit eorum doctrina.

Contra Scotiſtas. Cap. 82.

PRIMO itaq. non benè id quod dicunt, mihi intelligere videntur. Vult enim Ant. Tromb., ſuam concluſionem ad mentem theologorum eſſe veram. Ioannes verò Canonicus, idem dicit eſſe verum de Naturali philoſophia in ſe & abſolutè conſiderata; minimè autem quatenus eſt ab Ariſtotele tradita. Anto. and. demum, aduerſus Ioannem Canonicum concludit, ꝙ illa particula (finita) in eius concluſione poſita, ſuperuacanea eſt & inanis. Propterea& Naturalis philoſophia ſcientia eſt humanitus inuenta. De ente igitur prædicamentali & finito, neceſſariò determinare habet. Modò pugnantia in his mihi aſſeuerare videntur. Siquidem illa concluſio, ſi ad aures theologorum in ſe veritatem continet, fidei catholicæ innitatur oportet; quæ quidem non eſt niſi de his quæ à ſummo omnium opifice gratis reuelantur. Huiuſmodi autem, lumine naturali conuinci minimè poſſunt. Cùm igitur Angelos moueri ſit nobis in ſacris, diuiniſq. eloquijs expoſitum & reuelatum, quomodo lumine naturali id poterit conuinci? Neutiꝗ certè. Quod ſi verum eſt, quo modo eis fores Naturalis philoſophiæ recludi poſſint; cùm ipſa ſenſum minimè excedat; non ſatis agnoſco. Eadem igitur aſſertio, & naturalis erit, & de reuelatorum numero; quæ ſibi inuicem repugnare neminem latet.

Ioannes iterum Canonicus, Angelos dicit ſub Naturalis philoſophiæ in ſe & abſolutè conſideratæ ſubiecto contineri; non autem vt ex Ariſtotelis officina eggreditur. Percunctor igitur ego, nunquid huiuſmodi Naturalis philoſophia in ſe & abſolutè conſiderata, lumen excedat naturale, nec ne. Si affirmatiuè reſpondeat; non igitur eſt amplius naturalis; vt liquidò conſtat. At verò ſi id inficietur; quid eſt tunc ſub lumine naturali cadens, quod ab Ariſto. non fuerit adamuſſim & accuratè pertractatum? Non igitur de Naturali philoſophia eſt ineptè locutus. At iſte vir haudquaꝗ ſibi conſtat; cùm dicit, Angelos cadere ſub ſubiecto Naturalis philoſophiæ chriſticolarum, non Ariſtotelis. Quandoquidem huiuſmodi chriſtiana philoſophia innititur catholicæ fidei, quæ lumen admodū excedit naturale. Quare eadem doctrina erit & chriſtiana & naturalis; quod mihi non benè conſonat. Cùm vna à ſacra pagina, alia verò à ſenſu, originem trahat.

Idem etiam de Anto. andreæ mihi concludendum venit. Quoniam vult illam particulam (finita) poſitam à Ioan. Cano. in ſua concluſione, inanem eſſe & vanam; cùm Naturalis philoſophia ſit humanitus inuentã. &c. Quòd ſi humanitus eſt & naturaliter inuenta, de his tantùm quæ lumine naturali acquiruntur pertractare debet. Angelos autem moueri, ſub lumine naturali minimè cadit, cùm ſint omnino incorporei. Cadit ergo ſub lumine fidei. Quare ſub Naturalis philoſophiæ ſubiecto continentur minimè. Et ſi continentur, eadem concluſio erit & chriſtiana, ſeu theologica, & naturalis. Id verò quod de mobilitate reſpectu entis mobilis aſſe-

lis aſſerunt, nimirũ q eſt quaſi differentia accidentalis; iam ſatis ſuperq́. ex dictis in ſuperioribus exploſum relinquitur.

Sed in eos omnes ſimul in hunc modum animaduerto: Ea quæ lumine noſcuntur naturali, prius in ſenſu quàm in intellectu reperiuntur; vt author eſt Ariſtoteles in de ſenſu & ſenſilibus. Si itaque Angeli phyſicè mouentur, neceſſe eſt vt eorum motus cadat ſub ſenſu. Hoc autem eſſe falſum nemo ambigit. Quare nec phyſicè mouentur.

Amplius: Quod phyſicè mouetur, habet in ſe principium ipſius motus, .2. phy. 4. 5. & .71. 75. Huiuſmodi autem principium eſt natura, quæ de materia dicitur & de forma. Angeli ergo ſi motu phyſico ferantur, ex materia erunt compoſiti & forma. Quod nimis abſonum eſſe nouimus.

Præterea: Quod phyſicè mouetur, aut eſt in loco, aut circa locum. In loco; inquam: circumſcriptiuè & definitiuè; veluti omnia corpora naturalia ab vltima ſphæra. Circa locum, vt ipſa vltima ſphæra; .4. phy. tractatu de loco. Angeli verò non niſi definitiuè ſunt in loco, & ſecundùm eos, & ſecundùm veritatem: Non igitur phyſicè mouentur. Et quia dicunt, eorum concluſionem veram eſſe ſecundùm mentem theologorum, audiant eos loquentes.

D. nanque Auguſtinus libro octauo ſuper Geneſim ad literam, cap. 20., ita loquitur: Deus ſpiritalem creaturam corporali præpoſuit; quòd ſpiri- *Auguſtinus.* talis tantũmodo per tempora mutari poſſet; corporalis autem per tempora & loca.

Omne autem quod mouetur per locum, non poteſt niſi & per tempus ſimul moueri. At non omne quod mouetur per tempus, neceſſe eſt etiam per locum moueri. Exempli enim gratia, per tempus mouetur animus, vel reminiſcendo quod oblitus erat, vel addiſcendo quod neſciebat, vel volendo quod nolebat. Id autem quod mouetur per locum, mutatur de vno in alium locum. Scio tamen, Magiſtrum Sententiarum in primo, .d. .37., & alios præclariſſimos theologos, huiuſmodi gloſſare D. Auguſtini authoritatem; ita vt velit, ſpiritum tranſire de loco ad locum, non ita tamen vt dimenſionibus, vel circumſcriptus interpoſitione ſui, faciat diſtantiam circumſtantium, ſicut corpus. Vel quia omnis ſucceſſio reducitur ad menſuram temporalem; & quia in motu Angeli immediatè attenditur aliqua ſucceſſio, vtpotè ſucceſſio operationum, & mediante illarum operationum ſucceſſione, attenditur variatio, ſiue ſucceſſio localis. Et ideo motus ille Angelorum, magis propriè dicitur motus per tempora, quàm per loca. Inde fortè D. Auguſtinus negat ſimpliciter ſpiritualem creaturam moueri per loca, eam aſſerens mutari per tempora. Atqui huiuſmodi expoſitiones conuincunt, q Angeli localiter mouentur; at q phyſicè moueantur non dicunt.

D. deinde Dionyſius Areopa. de coeleſti hierar. cap. 15. hæc habet *Dionyſius* verba formalia: At verò cùm ventorum appellatione cenſentur, naturæ ſumma celeritas, quæ cuncta fermè abſque vlla mora temporis penetrat, motuſque ille ex ſummis ad infima, rurſusque ex imis ad ſumma

in momen-

in momento pertingens, profectò ſignatur.

Gregor. Nazian. Ac demum Beatus Gregorius Nazianzenus ait, quod abuſiuè dicimus Angelos eſſe in loco; quoniam deberemus dicere quod operantur in loco. Ergo nec phyſicè mouentur.

Amplius; Si id verum eſt, vnde tantum inter theologos de motu Angelorum diſſidium?

Fatemur igitur & nos cum omnibus theologis Angelos moueri. Quòd uerò phyſicè moueantur, imus omnino inficias. Sicut enim eſſe in loco, æquiuocè conuenit corpori & Angelo, ita etiam & moueri ſecundùm locum. Verùm quia non licet immiſcere ſacra prophanis; demum concludimus, Ariſtotelem omnia quæ lumine naturali poſſunt conuinci, glorioſiſſimè pertractaſſe. De contumelijs uerò atq. conuicijs, quibus eum temerè ter afficiunt, ſilentium ago, aliorumúe iudicijs relinquo.

Aliorum ſimul argumenta colliguntur. *Cap.* .83.

INTERIM ad aliorum ratiocinia diſſoluenda me confero; & primò illa adducenda ſum arbitratus, quæ in initio primi libri auſcultatorij erigit Dominus Aegidius Romanus, vt oſtendat non ens mobile, at corpus mobile ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia. Duo igitur vult nobis ſequi incommoda, ſi ens mobile ſubiectum in tali diſciplina ſtatuamus. Alterum quidem, quòd Naturalis philoſophia eſſet Metaphyſica, uel pars eius. Aliud uerò, quòd ipſa non procederet ex per ſe notis.

Aegidius.

.1. ratio. Primum in hunc modum deducit: Ens non contrahitur ad modum generis per differentiam, quia tunc eius differẽtia nihil eſſet; .3. Meta. 10.3 ſed contrahitur per diuerſos modos eſſendi, & ita diuerſos conſtituit modos entium. Quo ſtante, tali uia procedit: Ad eandem ſcientiam ſpectat tractare de ente & de partibus eius. Metaphyſica autem conſiderat ens; Ergo & quamlibet eius partem. Sed ens mobile eſt pars entis; quia ly (mobile) contrahit ens per ſpecialem modum eſſendi. Ergo ſi ens mobile eſt ſubiectum in Naturali philoſophia; illa erit Metaphyſica, vel pars eius.

.2. Item; Si ens mobile eſt ſubiectum in Naturali philoſophia, tunc ipſa ſubalternaretur Metaphyſicæ. Quandoquidem cùm motus non fluat ab ente, ſed ſit quaſi differentia accidentalis, conſtituit ſubiectum quaſi per accidens; veluti patet de linea viſuali reſpectu Perſpectiuæ. Quòd autem Naturalis diſciplina ſit ſubalternata, non admittitur. Quare ens mobile non erit in ea ſubiectum.

Oportet igitur dare aliquod ſubiectum, ex cuius principijs; ſecundùm quòd huiuſmodi; oriatur motus, ad hoc quòd de eo in eo quòd mobile, poſſit eſſe ſcientia per ſe. Vel ſi de ente mobili vellemus huiuſmodi ſcientiam eſſe, hoc non erit in eo quòd mobile, ſed in eo quòd ens. Et tunc erit Metaphyſica, vel pars eius.

.3. Secundum uerò probat tali pacto; Quando aliqua ſcientia conſiderat

aliquod

aliquod ſubiectum ſub aliqua paſsione ſibi inæquali; quæ circa tale ſubiectum conſiderabit, ad immediata & per ſe nota minimè reducere poterit. Motus autem ipſi enti non æquatur. Ergo ſi eſt aliqua ſcientia de ente mobili in eo quòd mobile, non ex per ſe notis procedere poterit; quod de naturali philoſophia haudquaq; eſt fatendum. Quare nec ens mobile erit in ea ſubiectum.

Animaduertant igitur iuniores, quòd tota uis iſtius proceſſus ex hoc pendet: Cùm enim mobile additur enti, vel ipſum limitat per ſe, vel per accidens. Si primum; tunc phyſica erit pars metaphyſicæ; quemadmodum ſcientia de ſpecie, eſt pars ſcientiæ de genere. Si ſecundum; tunc erit ſubalternata Metaphyſicæ; veluti ſcientia de numero ſonoro, ſubalternatur ſcientiæ de numero ſecundùm ſe. Cùm autem Naturalis ſcientia ſit à Metaphyſica genere diſtincta; vtrunque falſum eſſe neceſſariò conſequitur.

Rationes Ægidÿ ſoluuntur. *Cap. 84.*

QVARE, vt hæc & quamplurima alia ratiocinia tum in Naturali, tum in Diuina ſcientia occurrentia facillimè tollantur, vnum ualde adnotandum propono, quod etiam ſuperius tetigi aduerſus Cardinalem Gaietanum. Illud nempè, quòd ens alio modo quàm genus, ſua reſpicit inferiora. Genus ſiquidem, naturam quandam dicit, & rationem obiectiuam; quæ per varias atq. diuerſas differentias, contrahitur ad ſpecies. Et ſi fuerit differentia ſubſtantialis, compoſitionem facit ſubſtantialem; vt animal rationale; Si uerò fuerit accidentalis, compoſitionem facit accidentalem; vt animal album. Ens autem non ita ſe habet; at omnia indiſtinctè & confuſè ſignificat; Vtpotè ſubſtantiam incorpoream & corpoream per ſe; accidens uerò per tranſlationem; veluti aliàs declarauimus. Vnde cùm utrunque illorum ſeorſum explicare atque ſignificare intendimus, nec differentiam addimus ſubſtantialem, nec accidentalem, nequidem modum aliquem eſſendi cuiq; illorum; at vocem tantùm, qua facilius intelligatur de quonam eorum ſermonem habeamus. Vt ſi de ſubſtantia omnium prima ſimus verba facturi, illam ens, ſeu ſubſtantiam immobilem & abſtractam nuncupamus. Si uerò de ſubſtantia corporea; illam ens mobile, ſeu ſubſtantiam mobilem apellamus. Si uerò de accidente tractare uelimus, illud ens album, ſeu ens nigrum, & huiuſmodi, eſſe dicimus. Hæc tamen uerba ipſi enti addita, nullam dicunt compoſitionem ſubſtantialem, neque accidentalem; ſed ob uocabulorum penuriam, id quod erat confuſè ſignificatum, explicamus atque determinamus. Propterea Ariſto. in. 12. Sapientiæ libro, contex. 21., ens & unum, elementa intelligibilia appellabat, dicens: Neque ſanè ullum intelligibilium, & unum uel ens, elementum eſt. Hæc autem quare elementa appellet intelligibilia, ea ſanè ratio eſt; quòd cum uniuerſalia ſint, rationem habent principij & elementi in compoſitione illa, quæ fit per mentem & intellectum noſtrum. Sed illa non eſt compoſitio realis, & ſpectans ad

primum

primum Philoſophum;ſed eſt compoſitio intellectualis,ad Logicum ſpectans,ſeu Dialecticum. In qua re multi decipiuntur,credentes ad primum philoſophum,talem ſpectare compoſitionem ex conceptibus;vnde & cōceptus ipſos uocant Metaphyſicos; ſed re uera logici ſunt. Et idcirco cùm naturam aliquam concipimus ſuperiorem,& ab illa per additionem ad inferiora deſcendimus,logicè, minimè autem realiter procedimus. Hoc itaque eſt, quod cum quamplurimis alijs,tum antiquis,tum recentioribus,comminiſcitur Dominus Aegidius. Format enim in intellectu ſuo conceptū entis ſupra ſubſtantiam; deinde conceptum illum contrahit per diuerſos modos eſſendi ad ſubſtantiam & accidens. Vnde cùm ei aliquid additur,vel eſt per ſe,vel per accidens.Si per ſe,tunc ſcientia,cuius tale ens eſt ſubiectum,pars erit Metaphyſicæ,quæ eſt de ente abſolutè. Si uerò per accidens,illa ſcientia erit ſubalternata Metaphyſicæ, vel uti patet ex primo poſte.de conditionibus ſcientiæ ſubalternatæ. Quare ſi ens mobile ſubiectum eſt in Naturali philoſophia, alterum iſtorum ſequitur neceſſariò.

Ad primā rationem. At re uera purum commentum eſt hoc,& magis ad Logicum q̄ ad ſcientificum ſpectans.Propterea,cùm dicit Aegidius,quòd ſi ens mobile ſubiectum eſt in Naturali philoſophia,illa duo nobis ſequuntur incommoda; Huiuſmodi prorſus negatur conſequutio. Cùm primo loco probat,ex eo quia ens per diuerſos modos eſſendi contrahitur; illud minimè admittendum cenſemus. Et quia eius prima ratio,falſo huic innititur fundamēto,minorem proſyllogiſmi ſimpliciter & abſolutè inficiamur. Cùm probat,quia ly (mobile) contrahit ens ad ſpecialem modum eſſendi; negamus omnia. Non enim ens mobile eſt compoſitum,at unicam rem dicit, perinde ac ſi uno vocabulo exprimeretur. Et quia facit uim in hoc,ꝙ ens mobile eſt inferius ente; & propterea uidetur quòd ſit pars entis,& ita Naturalis ſcientia ſit etiam pars Metaphyſicæ: Animaduertendum eſt,ꝙ inferiora & ſuperiora eiuſdem eſt ſcientiæ conſiderare, quando ſunt ſub eadem abſtractione à materia. Secus autem,minimè. Ens igitur cùm ab omni abſtrahat materia,mobile uerò ſit cum materia ſenſibili; Quomodo ens mobile erit pars entis? pars quidem erit in genere rei,at non in genere ſcibilis.Quod tamen facit unam ſcientiam,partem eſſe alterius. Et hanc ob cauſam, minorem proſyllogiſmi ſimpliciter & abſolutè negauimus.

Ad.2. Ad ſecundam negatur illatio: Cùm probat per hoc quòd mobile eſt quaſi differentia accidentalis; Negamus. Si enim non accidit corpori mobili, nec enti mobili; quia ſunt omnino idem; veluti ſuperius probauimus. Quare ſicut ex principijs corporis phyſici oritur motus,ita ex principijs entis naturalis,ſeu entis mobilis.

Ad.3. Et per hoc patet ad tertium: Cùm enim dicit in media propoſitione ꝙ motus non æquatur enti; deficit.Sed debet dici:Motus non æquatur enti mobili.Et tunc negatur; quia ex eius oritur principijs.Cauſa huius defectus fuit,quia cùm dicimus ens mobile; arbitratur ipſe,ꝙ ens illud accipiamus ſupra ſubſtantiam conceptum, & ꝙ illi, mobile addamus tanq̄

differentiam,

differentiam, vel quaſi differentiam accidentalem, ſeu tanq̃ ſpecialem modum eſſendi. Et tunc cùm ens ſit ſupra ſubſtantiam, & mobile ſub ſubſtantia; relinquitur quòd ſubiectum Naturalis philoſophiæ, compoſitum ſit ex differentia, vel quaſi differentia, & genere remoto. Veluti ſi diceremus animal componi ex materia prima & anima; verè quidem, at impropriè loqueremur. Cùm propria materia animæ non ſit materia prima, ſed corpus organicum; quemadmodum patet in.2.de anima libro, ex ipſius animæ definitione. Ariſtoteles autem in.6. Topicorum, eas redarguit definitiones, quibus res definiuntur per genus remotum. Quare; inquit Aegidius; ſi addatur mobile ipſi enti; perſpicuum eſt, ꝙ mobile non æquatur enti; quia non omne ens eſt mobile. Et propterea, ſi dicamus ens mobile ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia; tunc ſubiectum & eius ratio formalis non eſſent ſibi inuicem æqualia. Verumenimuerò ſi ſupra ſubſtantiam ſtatuamus ens, neceſſariò conſequitur, vt ſupra ſubſtantiam ſit aliqua alia natura, ea vniuerſalior; quod nimis abſonum eſt dicere. Ens igitur, idem quod ſubſtantia ſignificat. Eapropter cùm dicimus ens mobile, nil aliud uolumus, niſi ſubſtantiam mobilem. Subſtantia autem mobilis, idem eſt quod corpus mobile. Non itaque per mobile contrahitur ens; at ſignificatur quodnam ſit illud ens, & illa ſubſtantia, circa quã tanq̃ ſibi adæquatum ſubiectum, verſatur Naturalis philoſophia; ꝙ ſcilicet eſt ens, & ſubſtantia mobilis, ſeu corpus mobile, & naturale. Ens enim mobile, idem eſt quod ens naturale, & ſubſtantia naturalis. Et ita cuilibet hæc intelligenti manifeſtum erit, ꝙ dicendo ens mobile ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia; non ponitur ratio formalis inæqualis proprio ſubiecto. Vnde benè dixit Aegidius, ſe non attingere intellectum poſitionis ſui Doctoris, & Magiſtri D. Thomæ.

Ludouicus etiam Buccaferreus in.1.phy. lectio.8., innititur rationibus Aegidij contra D. Thomam; ac demum concludit, corpus naturale ſubiectum eſſe in Naturali philoſophia; quod quidem, nec D.Tho., nec nobis aduerſatur. Sed dato uno incouenienti, multa ſequuntur. *Buccafer.*

Lucillus vero Philaltæus in.1.phy.cap.3., & in expoſitione primi textus primi libri de coelo, vult naturam ſubiectum eſſe primum & adæquatum in Naturali philoſophia; corpus uerò naturale, ſeu ens mobile, non primum, ſed quatenus in ſe naturam capit. Idq. multis conatur firmare ratiocinijs; & primò ſic: Res naturales præſupponunt naturam tanq̃ principium; Ergo natura eſt ſubiectum. *Lucilli phi la'thai opinio.* *1 ratio.*

Secundò: Subiectum in ſcientia eſt notisſimum. Sed natura adeo nota eſt, ꝙ ridiculum eſt tentare illam demonſtrare. Ergo eſt ſubiectum. *2.*

Tertiò: Subiectum illud eſt, quo reliqua in ſcientia conſiderata conſiſtunt, & ad quod reuocantur. Natura eſt huiuſmodi. Ergo. &c. Minorem probat, quia omnia conſiderata in ſcientia naturali ad naturam reuocantur, per eam conſiſtunt, & ſpectantur; ea ſublata, cuncta concidunt; ea afferta, reliqua confirmantur. *3.*

Quartò: Scientia nomen ſuum ducit à materia ſubiecta; ceu Arithmetica à numero, Geometria à terra, Aſtronomia ab aſtro, Theologia à *4.*

Deó,& Naturalis à natura. Quare ipſa eſt ſubiectum.

5. Quintò; Subiectum ſcientiæ debet eſſe unum. Natura eſt una, quæ Naturalem diſciplinam ab alijs ſeparat. Ergo. &c.

6. Sextò: Materia ſubiecta habet partes & affectiones, quæ de illa demonſtrantur. Natura habet partes materiam & formam; habet affectus comites motum & quietem. Ergo eſt ſubiectum primum totius naturalis negotij; & deinde corpus naturale, vel mobile ens, ſeu res mobilis, atque res ſenſibilis; quæ omnia eadem aſſerit.

Contra Lucillum. Cæterùm huiuſmodi doctrina immediatè Ariſtoteli aduerſatur, qui in .6. Sapientiæ contex. primo; dicit; Naturalem ſcientiam circa talem ſubſtantiam uerſari, in qua principium motus eſt & quietis. Modò clarum eſt, quòd natura non habet in ſe huiuſmodi principium, ſed eſt ipſummet principium. Quare ſubiectum eſſe minimè poteſt. Et hoc ſufficiat pro infinitis ferè argumentis, quæ aduerſus huiuſmodi concluſionem erigi poſſent.

Ad. 1. Lucilli rationem. Sed quid ad eius rationes? Ad primam negatur illatio, quam nec ipſe probat. Immo totum ſequitur oppoſitum; quia eſt principium, ideo non poteſt eſſe ſubiectum. Id quod ſuperius probatum reliquimus.

Ad. 2. Ad ſecundam dicimus primò ad maiorem, quòd ſubiectum debet eſſe notiſſimum; ſed præter hoc, debet etiam habere principia & eſſe toti ſcientiæ ſubſtratum; ita ut in qualibet parte ipſius ſcientiæ tractetur uel de toto genere; uel de aliqua eius ſpecie; & omnia conſiderata in ſcientia, habeant relationem ad illud. Natura autem non ita ſe habet.

Dicimus ſecundò ad minorem, quòd naturam eſſe eſt notiſſimum; at notius corpus naturale. In ſuperioribus nanque probauimus, mobile eſſe notius motu; qui tamen eſt notior natura. Ignorato enim motu, ignoratur natura. 3. phy. 1. & per motum inuenit Ariſtoteles materiam primam; eamq́. docuit ingenerabilem, & incorruptibilem eſſe; primo phy. 82.

Ad. 3. Ad tertiam negatur maior. Nam illa eſt conditio principiorum & cauſarum, non ſubiecti. Ex materia ſiquidem & forma conſtituitur corpus naturale, in easq́. tanquam in principia propria reſoluitur. Subiecti verò conditio qua à principijs & affectionibus diſtinguitur, ea eſt, vt omnibus quæ in ſcientia conſiderantur ſubiaceat, principijs nempe & affectionibus. Principia tamen in ſubiecto ineſſe dicuntur, vt partes eſſentiales in toto; ſicuti materia & forma in corpore naturali. Affectiones uerò ſicut accidens in ſubiecto proprio. Natura modò cùm non ita ſe habeat, reliquum eſt, vt uanum ſit, illam pro ſubiecto, Naturali philoſophiæ aſcribere.

Ad. 4. Ad quartam dicimus primò, quòd antecedens non eſt uerum generaliter, ſed quandoque nomen ducit ſcientia ab intentione ipſa; quemadmodum de libris animaſticis, & illis de ortu & interitu, ſuperius oſtendimus. Dicimus ſecundò, quòd admiſſo generatim antecedente conſequutio prorſus negatur. Cùm probat, quia dicitur ſcientia Naturalis à

natura. Id haudquaq̃ admittimus; ſed naturalis dicitur à rebus naturalibus,& naturam in ſe habentibus,quæ in ea pertractantur. A natura autem, non niſi à cauſa remota denominatur talis.

Ad quintam dicimus, quòd præter illam,alias habet conditiones ſubiectum,ſuperiùs expoſitas, quas in natura minimè reperimus. Quare illa, quam arguens proponit, non ſufficit. Immo eſſe unum non eſt conditio ſubiecti; ſed requiritur ad unitatem ſcientiæ. *Ad 5.*

Ad ſextam negatur minor. Nam licèt natura ſit principium motus & quietis; huiuſmodi tamen paſsiones in ea non ſunt ſicut accidens in ſubiecto,nec per conſequens de ea demonſtrantur; ſed de corpore naturali. Quare hoc, & non illa, ſubiectum erit in Naturali philoſophia. Hæc ſunt quæ circa primam concluſionem mihi occurrunt dicenda. Hoc, inſuper, addendo,quòd natura, illas non habet conditiones omnes,quas pro ſubiecto ſuperiùs adduximus. *Ad 6.*

Secunda examinatur Concluſio. Cap. 85.

CIRCA ſecundam uerò; in qua docuimus mobilitatem,ſeu naturalitatem,formale eſſe ſubiecti Naturalis philoſophiæ; adeſt doctisſimus Zimara,in ſolutionibus contradictionum in dictis Auer.ſuper 4.Meta.com.1.;& in ijs quæ ſuper .q.19.Ioannis de Ianduno in .1.Meta., aduerſus eum adnotauit. Vbi vult ꝙ naturalitas, minimè autem mobilitas, ſit ratio formalis prænarrati ſubiecti.

Arguit idcirco primò tali pacto: Mobilitas & ſenſibilitas habent reduci ad naturalitatem; cùm natura ſit principium motus. Ergo naturalitas eſt ratio formalis, minimè autem mobilitas. *Zimara.* .1.

Amplius: Mobilitas eſt prima paſsio,& nulla talis poteſt eſſe prima ratio ſubiecti ſcientiæ, cùm ſit demonſtrabilis, aut ſimpliciter, aut demonſtratione cauſæ. Ergo non eſt ratio formalis. .2.

Amplius: Illa eſt ratio formalis ſubiecti adæquati Naturalis habitus, qua primò poſita,aliquid reponitur ſub tali habitu. Et qua primo remota,aliquid remouetur à tali habitu. Huiuſmodi eſt naturalitas; cùm omnia habentia in ſe principium motus & quietis ſint phyſicæ conſiderationis, & omnia carentia huiuſmodi principio, non amplius ſint phyſicæ conſiderationis; .2.phy.71.Ergo.&c. .3.

Quartò: Subiectum naturaliter eſt prius paſsione ſecundùm ratione ſubiecti. Poſterius autem non eſt ratio formalis conſiderandi prius. Mobilitas autem eſt paſsio naturalis in ſcientia Naturali. Ergo.&c. .4.

Quintò: Res naturales poſſunt perfectè cognoſci ut abſtrahunt à mobilitate, & ſine motu, quidditatiuè in Naturali ſcientia poſſunt cognoſci, cùm quidditas abſtrahat à quolibet accidente. Hoc autem non eſſet, ſi mobilitas eſſet ratio formalis ſubiecti Naturalis philoſophiæ; Quia ratio formalis ſubiecti, includitur in omnibus inferioribus ipſius ſubiecti. Quare; inquit; mobilitas non eſt ratio formalis, ſed prima paſſio eiuſmodi ſubiecti. Et cùm ratio formalis ipſius ſit nobis ignota, .5.

eam circumloquimur per primam paſſionem, nempe per motum; ſeu mobilitatem. Et ita quando dicit Ariſtoteles, quòd Naturalis quicquid conſiderat, ſub ratione motus conſiderat; ſenſus eſt, quòd conſiderat ſub illa ratione formali, ad quam immediatè ſequitur motus; Quæ cùm ſit nobis ignota, circumloquimur eam nomine mobilitatis: Superius tamen illam naturalitatem appellauit.

Contra Zimaram. Cæterùm iſte vir multa dicit; Ego autem unico uerbo omnia ſoluam: Mobile nanque, ſeu mobilitas, poteſt tripliciter conſiderari; quemadmodum etiam in ſuperioribus diximus; Nimirum pro actu mouendi, pro aptitudine ad motum, & pro eo quod habet in ſe principium motus. Et in hoc tertio ſenſu accipitur in propoſito; & tunc non eſt paſſio, ſed ratio formalis, & idem quod naturalitas; Veluti aliàs oſtendimus contra Epiſcopum Caſertanum. Et per hæc patet ad obiecta.

Aduerſus tertiam concluſionem rationes adducuntur. Cap. 86.

CONTRA tertiam concluſionem, quædam difficultates emergunt, quas ſingillatim adducam & ſoluam, vt completa atque perfecta

.1. reddatur quæſtio. Primo igitur loco ad hunc modum arguitur. Illud corpus eſt ſubiectum in Naturali philoſophia, quod ab Ariſto. primo coeli ad initium fuit definitum. At ibi fuit definitũ corpus mathematicum; quia dixit Ariſtoteles, corpus eſſe id quod eſt omniquaque diuiſibile. Quæ definitio competit corpori mathematico; vt liquet; Ergo corpus mathematicum eſt ſubiectum in Naturali philoſophia.

.2. Amplius: Si corpus naturale eſſet ſubiectum in Naturali diſciplina, tunc periret doctrina Ariſto. in .6. Sapientiæ, particula .3.; vbi dicit q; ſi non eſſent ſubſtantiæ abſtractæ, philoſophia Naturalis eſſet prima philoſophia. Ponamus ſiquidem q; ſubſtantiæ abſtractæ non ſint; ob id tamen Naturalis diſciplina non eſſet prima; quia poſſet conſiderari corpus naturale ſub ratione entis, quæ eſt conſideratio metaphyſica.

Et confirmatur ratio; quoniam remotis ſubſtantijs ſeparatis, adhuc eſſet corpus quantum, quod eſt prius corpore naturali; quia abſtractum eſt prius non abſtracto.

.3. Præterea: Subiectum debet eſſe unum; at corpus naturale non eſt unum, cùm non conueniat uniuocè cum corpore coeleſti & iſtis inferioribus: Ergo corpus naturale non eſt ſubiectum in Naturali philoſophia.

.4. Adhuc: Conſideratio ſubiecti in ſcientia propria debet eſſe perfectiſſima. Conſideratio autem corporis naturalis quà naturale, non eſt perfectiſſima; cùm ſit relatiua, & non abſoluta. Ergo, &c.

.5. Amplius: Vel illud quà naturale eſt quid intrinſecum ipſi corpori, vel quid extrinſecum. Si quid intrinſecum; igitur committitur nugatio. Si quid extrinſecum, tunc erit unum per accidens.

.6. Item: Subiectũ debet adæquari omnibus conſideratis in ſcientia, in qua

eſt ſubiectum.Sed corpus naturale non adæquatur omnibus conſidera-
tis in Naturali philoſophia; cùm ibi conſiderentur materia,forma,& alia
quæ non ſunt corpora. Ergo.&c.

Præterea:Si corpus naturale eſſet ſubiectũ Naturalis philoſophiæ,tunc .7.
ipſa eſſet ſubalternata Geometriæ. Hoc falſum,ex .6.Meta. 1. Ergo.&c.
Id quod conſequitur probatur: Illa eſt ſcientia ſubalternata,quæ conſi-
derat partem ſubiecti ſubalternantis,cum additione accidentali;ex primo
poſte.Corpus autem ipſum eſt ſubiectum in Geometria. Et corpus natu-
rale, eſt pars corporis in communi, & naturalitas accidit ipſi corpori in
communi.Corpus enim ut corpus,non eſt naturale. Ergo Naturalis phi-
loſophia ſubalternatur Geometriæ.

Amplius:Sequitur ꝙ Naturalis ſit pars Geometriæ.Quoniam ex primo .8.
poſte.43.ſcientia eſt unius generis ſubiecti, principium, partes, & paſſio-
nes conſiderans.At corpus naturale eſt pars corporis in communi,quod
eſt ſubiectum Geometriæ. Ergo.&c.

Vlterius: Ens per accidens non poteſt eſſe ſubiectum in aliqua ſciētia .9.
.6.Meta.4.Sed corpus naturale eſt ens per accidens. Ergo.&c. Media
probatur, Naturalitas accidit corpori,& non eſt eius definitio; quia cor-
pus ut corpus, non eſt naturale, ſed diuiſibile ſecundùm longum, latum, &
profundum; primo coeli ad initium.

Præterea:Nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum.At eſſe corporis natu- .10.
ralis probatur in philoſophia Naturali. Ergo.&cæ. Minor probatur:
Quia primo phy.60. probatur, materiam primam & formam eſſe, quæ ſunt
principia corporis naturalis. Ergo faciendo regreſſum à principijs ad eſſe
principiati,demonſtratione propter quid,eſſe corporis naturalis demon-
ſtrabitur.

Amplius: Illud eſt ſubiectum philoſophiæ Naturalis, quod diuiditur .11.
in partes eiuſdem philoſophiæ,ita ut partes eius in partibus philoſophiæ
Naturalis conſiderentur. At partes mundi conſiderantur in partibus
omnibus philoſophiæ Naturalis. Ergo totus mundus eſt in ea ſubi-
ectum.

Adhuc: Illud eſt ſubiectum totius ſcientiæ,quod continet omnia cōſi- .12.
derata in illa ſcientia. At mundus continet omnia conſiderata in philo-
ſophia Naturali. Ergo eſt in ea ſubiectum. Minor probatur: Quoniam
continet intra ſe quatuor cauſas, continet coelum & corruptibilia, & paſ-
ſiones omnes corporis naturalis.

Item: Sicut ponitur corpus naturale ſubiectum in Naturali philoſophia; .13.
ita poteſt poni corpus quantum, vel figuratum. Sicut enim omne corpus
naturale eſt motu præditum,ita debet eſſe affectum quantitate & figura.
At non ponitur corpus quantũ;Ergo non eſt cur ponatur corpus naturale.

Amplius; Ariſto. in Naturali philoſophia agit de caſu & fortuna, vacuo .14.
& infinito,quæ non attinent ad corpus naturale. Ergo ipſum non eſt ſubi-
ectum in illa ſcientia.

Adhuc arguit Caietanus in .q. de ſubiecto philoſophiæ Naturalis,& ni- .15.
titur oſtendere,ꝙ rectiùs dicatur mobile,quàm naturale. Quoniam ſuppo-

ſito ente naturali ; adhuc philoſophus Naturalis liber non incedit, niſi mobile addat; vt ipſe Ariſto. teſtatur in primo phy. t.c. 11. contra Parmenidem & Meliſſum, concedentes ens naturale, ſubdens: Nobis autem ſubiiciantur omnia, aut quædam naturalia moueri.

.16. Item: Subiectum debet notiſſimè ſupponi. Et definientia ſunt notiora definito. Sed per motum natura definitur. Ergo quod clarè ſignificatur per ens mobile, obſcurè importatur per ens naturale, ſeu per corpus naturale. Hoc enim ſi debet declarari, ad motum deuenire oportet.

.17. Præterea: Nominibus utendum eſt ut plurimum, 2. Topico. At nomen naturæ uſitatur ad cuiuſque rei eſſentiam; & naturale ad omne non artificiale. Et proptereà ſi ens naturale ſupponeretur, ens non artificiale intelligeretur ſubiectum in Naturali philoſophia, quod eſt falſum. Quare rectiùs uſitatur hoc nomen mobile, quàm naturale. Iſtæ ſunt rationes quæ aduerſus huiuſmodi concluſionem adduci ſolent; quibus ſolutis, finem imponemus huic quæſtioni.

Prainducta diſſoluuntur rationes. *Cap.* 87.

Ad.1. AD primam igitur negatur maior, iuxta ea quæ ſuperius aduerſus Auer. tradidimus. Nam definitio naturalis, materiam reſpicit & motum; cuiuſmodi non eſt illa in initio primi libri de coelo & mundo.

Ad.2. Ad ſecundam negatur illatio. Cùm probatur, dicimus quòd remotis ſubſtantijs abſtractis, ſola remaneret ſubſtantia ſenſibilis & corporea, quæ eſſet omnium cauſa & principium; & idcirco eſſet ens, quod ex conſequenti à Naturali conſideraretur. Proptereà magnus ille ex Aphrodiſiade Alexander, in 7. Sapientiæ enarr. 2. dicit, cùm ſubſtantia ſit propriè ens, primumq́. tempore, ratione, cognitioneq́., quòd ſit ens inueſtigare, nihil eſt aliud quàm ſubſtantia quæ ſit inquirere. Et qui ponebant principium unum, ut Thales, ens quoque unum eſſe tradebant. Quare vult habere Alexander, quòd ens, principium, & ſubſtantia ſunt idem. Et 11. eiuſdem voluminis libro, enarr. 26., dicit, quòd ens eſt primum omnium principium. Vnde ſi remouerentur ſubſtantiæ abſtractæ, ſicut modò coelum eſt cauſa horum inferiorum ſecundaria, tunc eſſet cauſa omnium prima. Et ita ſubſtantia corporea eſſet ens. At ſubſtantia corporea eſt iuris philoſophi Naturalis; ergo & ens eſſet ſui iuris. Hanc ob cauſam dicebat Ariſto., quòd ſublatis mentibus ſeparatis, Naturalis philoſophia eſſet prima; quia eſſet de primo ente, & de primo omnium principio.

Ad Confirmationem, negatur quòd corpus mathematicum ſit prius corpore naturali. Cùm probatur quia abſtractum eſt prius non abſtracto. Dicimus quòd verum eſt de abſtracto ſecundùm eſſe, non ſecundùm rationem; veluti eſt corpus mathematicum; quod cùm ſit quantitas, perſpicuum eſt, quòd eſt poſterius ſubſtantia. Siquidem ſubſtantia, & ratio-

ne, &

ne; & cognitione, & tempore, & natura, omnium primum eſt; 7. Meta. 4.

Ad.3. Ad tertiam negatur minor; licèt illa non ſit propria ſubiecti conditio; vt probauimus ſupra, ſed ad unitatem ſcientiæ requiratur. Ad probationem dicimus, quòd ad unitatem ſcientiæ ſufficit unitas ſubiecti, ſaltem analogica; ceu ſe habet corpus naturale ad æternum & corruptibile.

Ad.4. Ad quartam negatur minor. Ad probationem dicitur, quòd conſideratio corporis naturalis ut naturale, per ſe & formaliter loquendo eſt abſoluta; concomitanter autem eſt relatiua; cùm illa particula; quà naturale; non, niſi ut ratio aperiatur formalis ipſius ſubiecti, apponatur. Quod ideo fit, quia unico non poteſt exprimi vocabulo.

Ad.5. Ad quintam dicitur, quod illud (quà naturale) eſt quid intrinſecum; nec ob id committitur nugatio; cùm illa non apponatur particula niſi ut explicetur ratio formalis, qua corpus naturale conſideratur in Naturali philoſophia. Quæ quidem, tota in corporibus uerſatur; attamen non ſola; quia etiam Stereometria de corporibus eſt, & artes quamplurimæ in corporibus uerſantur; ſed corporis conſideratio ut eſt naturale, propria eſt Naturalis philoſophi.

Ad.6. Ad ſextam negatur minor. Ad probationem dicimus quòd omnia conſiderata in ſcientia habent attributionem ad ſubiectum, vel ut partes, vel ut principia, vel ut affectiones. Et idcirco de omnibus prædicatur in recto, vel in obliquo. Materia igitur & forma tam ſubſtantialis quàm accidentalis, licèt non ſint partes ſubiectiuæ, ſunt tamen ipſius ſubiecti principia & affectiones.

Ad.7. Ad ſeptimam negatur illatio. Ad probationem dico primò, maiorem eſſe falſam, nec unq̃ fuiſſe ab Ariſto. prolatam. Nam ſubiectum ſubalternantis non eſt genus ſubalternatæ; vt in ſuperioribus reliquimus probatum. Dico ſecundò, ꝙ minor quò ad ſecundam partem etiam eſt falſa. Cùm probat ex eo quia corpus ut corpus non eſt naturale. Dico quòd per corpus naturale non intelligo corpus mathematicum; atqui compoſitum ex materia & forma; cui poſtea conuenit eſſe quantum, continuum, loco moueri, & eſſe in tempore. Et ut ſic, nego quòd corpus ut corpus non ſit naturale; & etiam quod ſit ſubiectum in Geometria; quæ erat prima pars minoris.

Ad.8. Ad octauam, id quod conſequitur inficiamur omnino. Ad probationem dico primò, quòd iuxta præmiſſam declarationem, minor non uenit admittenda. Quandoquidem compoſitum ex materia & forma, eſt corpus in genere ſubſtantiæ, quod eſt prius corpore mathematico, ex conſequenti non eſt pars ipſius.

Dico ſecundò, ꝙ maior eſt uera, quando ſuperior & inferior ſciētia ſunt ſub eadē abſtractione à materia; cuiuſmodi non ſunt Naturalis & Mathematica. Et propterea dato, ſed non conceſſo, ꝙ Naturalis eſſet inferior Mathematica, adhuc non eſſet pars ipſius, ſicut nec eſt pars Metaphyſicæ.

Ad.9. Ad nonam, mediam admittimus minimè. Ad probationem negatur antecedens;

recedens; quòd ſcilicet naturalitas accidat corpori, & non ſit eius definitio. Cùm dicitur, quòd eius definitio eſt eſſe diuiſibile ſecundùm longum, latum, & profundum; Dico quòd illa definitio eſt corporis mathematici. Definitio uerò corporis naturalis, traditur ab Ariſto. in .2. auſcultatorio libro, contex.4.; veluti in ſuperioribus fuit à nobis probatum.

Ad.10. Ad decimam, negatur minor. Ad probationem; quicquid dicat Balduinus & alij; dicimus nos, quòd illa non eſt demonſtratio; at potius eſſentiæ declaratio; vt habuimus ſupra.

Ad.11. Ad vndecimam, totum negamus argumentum; maiorem ſcilicet & minorem. Tum quia de ratione ſubiecti non eſt ut habeat partes; prout ſupra declarauimus. Tum quia non partes uniuerſi, at corporis naturalis, in phyſica pertractantur diſciplina.

Ad.12. Ad duodecimam dicimus ad maiorem, quòd præter illam, aliæ requiruntur conditiones; Nimirum quòd de eo præcognoſcatur quid & quia; quòd eius principia & affectiones quærantur; & quòd ita ſit baſis & radix eorum quæ in ſcientia conſiderantur, quòd ea, nec ab eis excedatur. Modò perſpicuum eſt, quòd in ſcientia Naturali non præcognoſcitur quid & quia de uniuerſo, nec eius principia quæruntur, nec affectiones; minusq́. eſt radix eorum quæ in Naturali diſciplina conſiderantur; cùm etiam intelligentias in ſe claudat, quæ non ſunt iuris huius artificis. Hæc omnia clara ſunt ex primo phy.11., & ex .2. phy.4. & .71. Quare toto coelo totaq́. terra aberrauit Simon Porrius, huiuſmodi ſibi ſtatuens opinionem.

Ad.13. Ad tertiamdecimam negatur conſequentia. Ad probationem dico, ꝙ licèt corpus naturale ſit & quantũ & figuratum; nihilotamenſecius quia de eo in Naturali facultate uerba fiunt, ſub ea ratione qua in ſe habet principium motus & quietis, quæ nomine naturalitatis, minimè autem quanti uel figurati exprimitur; idcirco corpus naturale, & non corpus quántum uel figuratum ponimus ſubiectum in Naturali philoſophia.

Ad.14. Ad quartãdecimam dicitur, ꝙ in Naturali philoſophia quædam tractantur per ſe, vt ſunt principia, affectiones, & ſpecies corporis naturalis. Quædam uerò per accidens; veluti caſus, fortuna, vacuum, infinitum, & alia huiuſmodi. De quibus tractat Ariſtoteles, vel ut oſtendat ea eſſe falſa, vel ut redarguat eos, qui de illis malè ſentiunt. Vnde cùm dicitur, ꝙ hæc nõ pertinent ad corpus naturale; dicimus, ꝙ pertinent indirectè. Vt ſcilicet oſtẽdatur, mundum non eſſe à fortuna; vt dicebat Democritus; nec ipſam eſſe quandam cauſam diuinam; vt Stoici. De uacuo uerò pertractat & infinito; ut oſtendat, nullum dari corpus naturale infinitum, nequidem illud in uacuo moueri, aduerſus eos, qui & uacuum ponebant, & infinitum.

Ad.15. Ad quintamdecimam, conſequutionem minimè tenere affirmamus. Cùm probatur, quia Ariſto. in primo phy.11. addidit mobile naturali, contra Parmenidem & Meliſſum; dicimus, ꝙ ideo eo pacto proceſſit Ariſto., non quia oſtendere uellet, naturale & mobile non eſſe idem; neque unum eſſe manifeſtius alio. Cùm naturam & mobile eſſe ſit per ſe notum .2. phy.6., & .4. eiuſdem voluminis, .104., Eamq́. principium motus eſſe, .8. phy.22., ab omnibus uerè philoſophantibus fuiſſe receptum, perquam-

clariſſimè

clariſſimè doceat. Sed ut Parmenidis & Meliſſi manifeſtaret errorem, qui unicum ponebant naturale principium immobile: Implicat enim, quòd ſit naturale, & immobile. Cùm itaque ens mobile, ens naturale, corpus mobile, & corpus naturale, idem ſint, & æquè nota; conſequens eſt, vt ponens unum, ponat & reliquum; ob illa tamen, quæ ſupra enarrauimus incommoda euitanda; corpus naturale, & non aliud, naturalis diſciplinæ ſubiectum eſſe aſtruimus.

Sed ſi dicas: Si naturale & mobile ſunt æquè nota; cur Parmeni. & Meliſs. vnum ponebant, reliquum negando? Et ego dicam tibi: Si mobile eſt notius naturali; cur & ipſi hoc aſſerendo, illud negabant; cùm totum oppoſitum fuiſſet dicendum? Si enim notius eſt mobile quàm ſit naturale; magis oportet ut mobile affirment quàm naturale; nihilominus naturale uolunt, & mobile negant. Quod etiam dicitur de Zenone, qui negabat motum, .8. phy. 22. Id tamen non euenit ob rerum ipſarum occultationem, at potius ob eorum ingenij hebetudinem. *Dub.*

Ad ſextamdecimam dico, quod ſecunda pars maioris propoſitionis non eſt ſemper uera, ſed quandoque ſunt æquè nota; vtpotè quando fit definitio ex notis nobis & naturæ. Doctrina eſt Ariſto., in 6. Topico. cap. primo, vbi hæc habet uerba formalia: Simpliciter igitur melius per priora, poſteriora tentare cognoſcere; ſcientificum enim magis huiuſmodi eſt. Verùm ad eos, qui impotentes ſunt cognoſcere per talia, neceſſarium forſan per ea quæ illis nota ſunt facere orationem. Sunt autem talium definitiones, quæ & puncti & lineæ & ſuperficiei. Omnes enim per poſteriora, priora indicant. Nam illum quidem lineæ, iſtam autem ſuperficiei, hanc uerò corporis fines dicunt eſſe. Non oportet autem latere, quoniam ſic definientes non contingit, quodquiderat eſſe definito indicare, niſi contingat, idem & nobis notius eſſe, & ſimpliciter notius. Hæc ille. Vbi magnus ille ex Aphrodiſiade Alexander, ad verbum in hunc modum effatur; Qui igitur facit definitionem ex ſolis naturæ notis, & non nobis, benè facit quò ad naturam, ſed non nobis. Sed ſi ex notis ſecundùm ambo, optimam efficit definitionem. Item, qui ex ſolùm notis nobis, ideſt, poſterioribus, tentet definire, ob ualde plebeios, vulgareſq;, ac rudes viros, hoc faciens, forſitan rationabiliter facit; ſed ad ſcientiam & exactam cognitioné, minimè. Ita Alexander. Amplius, nedũ ſubiectũ debet notiſſimè ſupponi, at etiá paſſionum radicẽ clarius quoad fieri poteſt exprimere, aliaq; inconuenientia à nobis ſuperius adducta euitare. Quod quidem euenit, ſi dicamus corpus naturale, non autem ſi dicamus corpus, ſeu ens mobile. Ex his igitur liquidò conſtat, quòd non ſemper definientia ſunt priora & notiora definito; ſed aliquando ſunt notiora naturæ, quandoque notiora nobis, ac demum utroque modo ſe habentia; & tunc eſt optima definitio. Et ita cùm naturam & motum eſſe ſit per ſe notum, ita ut neutrum illorum poſſit, neque debeat phyſicus demonſtrare: .2. phy. 6.; & .8. phy. 22.; relinquitur quòd natura ipſa definiatur per ea quæ ſunt nota nobis & natura. Quòd cùm & ipſa ſit de numero iſtorum, neceſſariò conſequitur, quòd definiens & definitum ſint æquè nota. Vnde cùm na- *Ad.16.*

turale

turale à natura,& mobile à motu dicatur,idem de vtroq.dicendum venit. Ob eas tamen quas ſuperius adduximus rationes,melius eſt ſi dicamus corpus naturale,quàm ens mobile,ſubiectum eſſe in naturali diſciplina.

Ad.17. Ad decimamſeptimam, nego quòd naturale vſitetur tantùm ad non artificiale, ſed naturale diſtinguitur contra voluntarium, contra violentum, contra ſupernaturale, contra caſuale, ac demum contra artificiale. Cùm itaq. arguit Caietanus: Si ens naturale,ſeu corpus naturale ſupponatur ſubiectum in Naturali diſciplina, ſequitur tunc, quòd ens non artificiale intelligatur in ea ſubiectum. Id quod conſequitur inficiamur omnino. Quoniam ens non artificiale in plus ſe habet q̄ naturale, cùm dicatur etiam de voluntario, violento, ſupernaturali, & caſuali. Et ſi dicatur, quòd in principio ſecundi phy. diuidit ens in naturale & artificiale. Hoc parum refert; quoniam in .7. Meta. contex.22., dicit: Eorum autem quæ fiunt, quædam natura, quædam arte, quædam à caſu fiunt. Vnde huiuſmodi conſequutio minimè ualet: Corpus naturale,ſeu ens naturale ſupponitur ſubiectum in Naturali philoſophia: Ergo ens non artificiale intelligitur in ea ſubiectum. Quoniam ſequeretur tunc, quòd ens naturale & artificiale contradictoriè opponerentur. Sed de his hactenus; modò ad mathematicalia tranſeamus.

De Mathematica diſciplinæ diuiſione atq; ſubiecto. Cap. 88.

TRIBVS ſtatutis diſciplinis, quæ in rerum cognitione uerſantur, Metaphyſica nempe, Phyſica, ſimul atque Mathematica, interq; duas primas habito diſcrimine; reliquum eſt, vt quo pacto Mathematica & Phyſica adinuicem conueniant uel differant, vt inde facilius noſtrum reddatur inſtitutum, videamus. Ariſtoteles igitur in .2. auſcultatorio libro, ad contextum .16., & deinceps, id optimè præſtat, inquiens, quòd Naturalis cum Mathematico in his concurrit, quòd uterque meditatur punctum, lineam, ſolidum, planum, figuram, & id genus alia; atuerò diſcriminantur in modo conſiderandi; quoniam Mathematicus maximè ſpeculatur puncta, longitudines, ſuperficies, ſolida, non quà termini ſunt corporum naturalium, cuiuſmodi facit phyſicus; qui ea meditatur, quà illa ſunt in materia, & accidunt ei, & ſunt in corpore mobili, magno uel paruo. Geometra enim de corpore, trinaq. dimenſione habet curam, qua conficiatur ex longitudine, latitudine, profunditate, & quo pacto ſuperficiebus concludatur, ſine materia & corpore phyſico, nec curat an poſſint eſſe ſine materia, nec ne; ſed perinde uſurpat atque per ſe exiſterent. Vnde Mathematicus cogitatione ſeparat ſua cogitata à materia, & motu; non uanè tamen nec temerè, quia illa cogitata ſunt re uera. Quantitas enim eſt ſeparabilis à materia & motu, intelligentià, ita ut per ſe conſideretur, & quaſi exiſtat, ſed non re ipſa, cùm omnis quantitas re uera ſit in materia naturali. Non ergo Mathematicus ui mentis ſeparat illa mathematica, quàm quòd ſuapte natura illa ſint ſeparabilia, iccirco in ſeparando non eſt conatus, nec

nitos, nec mendacium, inquit Ariſtoteles. Phyſicus autem à materia & motu nil ſeparat, etiam cogitando. Propterea licèt corpora phyſica habeant ſuperficies, longitudines, & puncta, quemadmodum & mathematica; Naturalis tamen ſub ea ratione qua Naturalis eſt, talia non conſiderat ut ſunt ſeorſum, & ſeparatim ſe habentia: at ſi ſolam longitudinem, ſine latitudine conſiderat, tunc mathematica utitur abſtractione; quoniam nulla eſt phyſica magnitudo, niſi corpus. Vnde lineæ, ſuperficies, & puncta naturalia, quatenus naturalia ſunt, corporea ſunt ſemper; mathematicalia autem puncta ſunt indiuiſibilia; magno atteſtante Auerroe, in 4. auſcultatorio libro, comm. 118; atque 2. cœli, comm. 14. Vnde Lucidiſſimus Themiſtius 3. phyſicarum auſcultationum, ad. 71 textum, ait: Sed quemadmodum nihil uetat longitudine, latitudine, & puncto indimenſibili ſeparatim, atque ſeorſum uti, quamuis nullum illorum per ſe ſubſiſtat actu; quia tamen finguntur ſubſiſtere, in conſiderationem per ſe ſine mendacio ueniunt.

Mathematicus igitur abſtrahit à materia ſenſibili & motu; Naturalis non item. Quæ tamen differentia non ita uenit ſimpliciter intelligenda, quemadmodum ſonare uidetur. Quoniam cùm dicitur, quòd Naturalis non abſtrahit à materia ſenſibili, illud ſequitur, quod communi uſu loquendi ſolent philoſophi aſſeuerare, nimirum quòd Naturalis definit per materiam ſenſibilem; ita ut in definitionibus naturalibus ponantur ſenſibiles qualitates; id quod tamen non euenit, niſi quando differentiæ ſubſtantiales rerum ſunt occultæ, quia tunc eis [illegible] ponuntur; veluti docet Auerr. 8. Sapientiæ, comm. 5.; ſed intelligitur, quòd Naturalis in ſuis definitionibus non abſtrahit à principio, à quo emanant huiuſmodi ſenſibiles qualitates, quod eſt ipſa natura. Et ita etiam intelligimus, cùm dicimus, Naturalem non abſtrahere à motu; quoniam non abſtrahit à natura, quæ eſt principium motus. Mathematicus autem, quia abſtrahit à natura, idcirco dicitur abſtrahere à motu; cùm tamen multa de motu, ſecundum formalem modum, & abſtractionem mathematicam, poſſint in Mathematicis diſciplinis rectè conſiderari, quæ in naturalibus minus admittuntur. Magnus enim Auerroes in primo libro de cœlo & mundo, com. 32., vult, Mathematicum imaginari poſſe, motibus circularibus ineſſe contrarietatem; quemadmodum ipſe probat; id autem negat Naturalis; vt ibidem ait Auerroes. Quadratum, inſuper, creuit addito gnomone; illud autem crementum eſt motus mathematicus, ſine alteratione. Campanus, non ſpernendus Geometra, in ſuo compendio de ſphæra, puncti fluxu efficit lineam, fluxu lineæ ſuperficiem, fluxu ſuperficiei corpus, tradit. Sit igitur in hoc differentia concluſa inter Mathematicum & Naturalem, quòd ille abſtrahit à natura, iſte autem minimè. Et propterea Mathematicus licèt abſtrahat à ſenſibili materia, non tamen abſtrahit ab intelligibili, authore Ariſtotele .7. Sapientiæ, contex. 35.; & Auerroes in 4. eiuſdem voluminis, comm. primo, declarat huiuſmodi materiam intelligibilem eſſe quantum præciſè acceptum, ſub his verbis: Manifeſtum eſt quòd non eſt alicuius ſcientiæ ſcientiarum particularium conſideratio de ente, ſecundùm

quòd eſt

quòd eſt ens; ſed tantùm eſt ſcientiarum particularium conſideratio de accidentibus, quæ accidunt alicui parti partium entium; accipiendo illam partem quaſi diſtinctam ab ente; ſicut faciunt ſcientiæ mathematicæ, quæ accipiunt numeros & magnitudines diſtinctas ab ente, & conſiderant de eis, & ſuis accidentibus eſſentialibus. Quo fit, vt materia intelligibilis ſit ipſum continuum in Geometria, vt abſtrahit à qualitatibus ſenſibilibus; & numerus itidem abſtractus, ſit in Arithmetica ſubiectum.

Vnde cùm duplex ſit quantitas, diſcreta nempe & continua, dupliciter etiam accipitur mathematica diſciplina; quoniam alia conſiderat quantitatem diſcretam, alia continuam. Quantitas diſcreta ſumitur & ipſa dupliciter; abſolutè videlicet, atque reſpectiuè. Si abſolutè, vel theoricè, vel quaſi practicè. Et ſi hoc ſecundo modo ſumatur, de ea tunc eſt una ſcientia, ſeu diſciplina, vel cognitio rudis, quæ dicitur Abacus; ob faciliorem computationem inuentus. Eſt deinde alia ſcientia literalis & ſubtilis, quæ ſcientia dicitur Algoriſmi. Si uerò primo eam meditemur modo, de ea tunc habetur ſcientia, quæ dicitur Arithmetica; de qua quidem Boetius narrationem, Euclides uerò demonſtrationem habet. Reſpectiuè autem ſi accipiatur eadem quantitas diſcreta, ſiue numerus, & ſecundùm proportionem numerorum ad inuicem, Muſica tunc habetur, & Armonica ſcientia; quoniam illa proportiones conſiderat numerorum, ex quibus diuerſæ fiunt ſonorum conſonantiæ. Quantitas item continua, reſpectiuè ſumitur & abſolutè. Et hoc ſecundo modo, vel eſt ſpeculatiua, vel quaſi practica. Si ſecundo modo illam meditari uelimus, tum eſt ſcientia, ſeu cognitio de commenſuratione dimenſionum coeli, ſiue terræ, tam ſine, quàm per inſtrumenta; & de his cognitio eſt & diſciplina, quæ dicitur Altimetra; cuius tres aſsignantur partes; prima eſt de menſura altitudinum, ſecunda planitierum, ac tertia profunditatum. Si uerò primo modo, ſiue quatenus theorica eſt, atque ſpeculatiua, eam ſpectemus, tunc ſcientia inſurgit quæ dicitur Geometria, de qua optimè Euclides ſermonem habet. Relatiuè autem ſi eadem ſumatur quantitas continua, tunc uel refertur ad lineam ſenſibilem, de qua eſt Perſpectiua; vel ad ſuperficiem naturalem, de qua eſt Planimetria, vel ſuperficierum commenſuratiua; vel tandem refertur ad corpus. Et hoc, vel ſenſibile, de quo eſt Stereometria; vel alio modo eſt Solidi menſuratiua, & ponderum peritia. Ita eam diuidunt peritiores mathematici; & præcipuè Ioannes baptiſta Capuanus de Manfredonia.

Et inter huiuſmodi diſciplinas, ſcientiæ continentur illæ, quæ mediæ atque ſubalternæ dicuntur; quarũ rationes in ſuperioribus amplè & copiosè ſatis habuimus. Ex quibus conſtat, ſcientias omnes quas naturales appellant, à domino Deo emanaſſe, & ita optimas eſſe; cùm non niſi de rebus uerè naturalibus agant; quemadmodum dictum eſt. Et ſi illarum quædam minus laudabilis eſſe uideatur, illa eſt iudiciaria, atque pronoſticatrix Aſtrologia, de qua relinquitur agendum.

Pronoſticatrix Aſtrologia nunquid haberi poſſit. *Cap. 89.*

DE Aſtrologica diſciplina non deſunt qui uerba faciant, ita ut nonnulli pro ea, aliqui uerò contra, multa in medium afferant. Sunt enim qui eam prorſus flocipendendo, legibus interdictam ciuilibus & pontificijs volunt, & alij aduerſus eam libros quamplurimos conſcripſere, in quibus aliquid benè libratum nunquam reperire valui. Verùm quia rationes, experientiæ, & doctiſsimorum virorum maxima authoritas, in oppoſitum admodum urgere uidentur; diſtinctione quadam utuntur, vt ea mediante, Aſtrologiam ab Aſtronomia non parum diſtare apprime noſcamus; hanc proinde laudantes, illamq. damnantes, humana curioſitate retentam uolunt, & à philoſophis irriſam garriunt. Ducti fortaſsis beati Iſidori authoritate, qui etymologiarum lib. 3. & cap. 26., ait: Inter Aſtronomiam autem & Aſtrologiam aliquid differt. Nam Aſtronomia, coeli conuerſionem, ortus, obitus, motusq. ſiderum continet, vel qua ex cauſa ita uocentur. Aſtrologia uerò partim naturalis, partim ſuperſtitioſa eſt. Naturalis, dum exequitur Solis & Lunæ curſus, vel ſtellarum, certasq. temporum ſtationes. Superſtitioſa uerò eſt illa, quam matemathici ſequuntur. Qui in ſtellis augurantur, quiq. etiam duodecim coeli ſigna, per ſingula animæ vel corporis membra diſponunt, ſiderumq. curſu natiuitates hominum & mores prædicare conantur. Hæc beatus Iſidorus. Quibus nos parendum corde & ore profitemur; ipſi tamen non intelligunt, dum Aſtrologiam ab Aſtronomia omnino ſecernunt. Siquidem ita ſe habent Aſtronomia & Aſtrologia, quemadmodum pars illa Medicinæ quam theoricam vocant, & quæ dicitur practica. Illa enim pollicetur, iſta ſanitatem præſtat; hæc finis, illa actio; hæc portus, illa nauigatio; pariter hæc omnia de Aſtronomia & Aſtrologia dici debent. Aſtrologia enim per ſe (modò quis rectè utatur) rationibus nixa, & præ iudicijs hominum ſapientiſsimorum, nihil dubitauerit affirmare, non eſſe inter ſcientias lumine naturali inuentas, quæ magis præſtigia detegat, aut quæ magis deuulget qui imperitos fallere conantur; tantò ſimulationibus & ſuperſtitionibus aduerſantior, quantò propius ad veritatem accedit. Et ita per rationes maniſeſtiſsimas luce clarius fiet, nullam eſſe in Aſtrologia fallaciam, nullam perniciem. Oſtentat hæc coelum & planetas, vbi tu poſsis nonnihil præuidere, vbi non ſtellas in animalia transformatas, non plenum fabulis coelum, non pro uero coelo commentitium aſpicies; ſed Dei arcana, quæ ad coeleſtium, diuinarum, immortaliumq; ſubſtantiarum amorē nos trahere queunt. Hæc miram coeleſtium magnitudinem, incredibilem ſuperiorum motuum uelocitatem, inferioris mundi regimen, & per cōſequens Dei altitudinem, & ineffabilem uirtutem oſtendit. Hæc coeleſtia cuncta, aſtra, aſtrorumq. affectiones oſtendit apertè; quæ oīa per rōnes, experimenta, tam diuturnis obſeruationibus, tam diligentibus annotamentis corroborata, tot ſeculorum, totq. ætatum approbatione

recepta, fidem aſtruere poſſunt. Quid igitur ſi miſsis aliorum in eam calumnijs, hac vnica aſſertione dicamus ipſam poſſe haberi, & naturali virtute comparari?

Noſter ſiquidem intellectus, ſi quædam non mediocria de Deo, quo maius excogitari non poteſt, qui eſt à ſenſibus remotisſimus, lumine naturali apertisſimè demonſtrat; nónne multò faciliùs coelorum vires agnoſcere poterit? Ipſorum enim ſubſtantia aut cognoſci poteſt, aut non. Si non, ad quid incaſſum laborat philoſophia? Si autem cognoſcitur ſubſtantia, cur & non vires?

Vlterius, longè difficilius eſt, ſtellarum motus, eccentricos, & epiciclos comperiſſe, q̃ effectuum inferiorum coeleſtes cauſas cognouiſſe. Si enim huiuſmodi circuli in coelo ſunt, maximam intellectus noſtri efficaciam concludunt. Sin autem, adhuc maiorem; cùm falſum quoddam comperierit, omni veritati conſonum.

Longè; rurſus; difficilius eſt atque mirabilius, coelos, ſtellas, eccentricos, epiciclosq́. metiri; quàm illis cognitis, ſuos effectus in eas cauſas reducere.

Primum nanque adeo magnum, & inopinabile eſt, quòd niſi ſenſu cernerentur eclipſes ab Aſtrologis præuiſæ, atque præmenſuratæ, nullus id fieri poſſe prima fronte aſſeueraret. Quid igitur ait Ioannes Picus, ꝙ huiuſmodi diſciplina, oraculis Prophetarum, Pontificum ſanctionibus, hominum ſanctisſimorum vocibus, & doctrinis, et moribus & pietati peſtifera condemnatur?

Atqui diceret fortasſis, rationes noſtras pro Aſtronomia concludere, ipſe autem Aſtrologiam damnat. Verùm nugæ iſtæ; quoniam præmiſimus ſatis inter vtranque diſcrimen. At non vidit ipſe batum Iſidorum, duas Aſtrologiæ partes aſtruere? Cur igitur ſaltem partem illam quam naturalem appellat non tuetur? Aſt quanti momenti ſit eius in hac parte doctrina, in ſequentibus commoſtrabimus.

Quid de Aſtrologia ſenſerint antiqui philoſophi, enarrat Ioan. Picus. Cap. 90.

COMPLVRES philoſophos in medium adducit Ioannes Picus, primo libro aduerſus aſtrologos, ad initium, quorum nullum aſtrologicæ diſciplinæ credidiſſe dicit. Vt potè Pythagoras, Democritus, Plato, Ariſtoteles, & alij quos enumerat quamplurimi; ſed de his agamus. De primo ait: Pythagoram Aſtrologiæ fidem non præſtaſſe, tum author eſt Theodoretus, tum Laertius quoq. Diogenes & Plutarchus indicauerunt. De ſecundo mox ſubdit: Democriti illud fertur, quod ante pedes nemo ſpectat, coeli ſcrutantur plagas. Plato & Ariſto.; inquit; philoſophiæ principes, indignam putauerunt, de qua uerbum aliquando facerent tota ſua philoſophia; plus eam ſilendo, quàm quiſq́ voce, ſcriptiſúe, condemnantes. Nam qui aliter ſentiunt, illud quæſo reſpondeant, cur toto de-

toto decurſu ſuarum cōmentationum,vbi uel proprietates explicādæ coeleſtium,vel cauſæ inferiorum inde erant petendæ, aſtrologicum illi nihil vnq̃ attulerint ? An ad philoſophum hæc ſpectare non putarunt, partes vniuerſi primas & nobilisſimas, corpora mota, rurſusq́. mouentia, cauſas efficacisſimas, ſine quibus fieri quicq̃ in natura, aut cognoſci non poſſit, ſi quid tales eſſe credantur, quales eas Aſtrologi faciunt; de quibus vniuerſalia quædam cognoſcere, qualia ſcribunt philoſophorum duces; ſi qua propria magis poſſent intelligi, non philoſophi, ſed imperfecti philoſophi eſt. Cur igitur Ariſtoteles libros ſuos de coelo tam ieiunos reliquit? Vbi tam multa, tam ſplendida dicere potuit; & ſi potuit, debuit de ſtellis, de planetis, eorum efficientiam, proprietates, cognitionem, indicans nobis? Cur in metheorologicis, imbrium, cometarum, ventorum, cauſas perſcrutatus, aſtrologicarum rerum ſemper obliuiſcitur? Cur in libris de animalium generatione, nec gemellos, nec partus portentoſos, atq; monſtrificos, nec ſexus, numerumúe puerperij, nec formam, nec qualitates, ad ſydera aut refert, aut referri poſſe meminit in tranſcurſu ? Cur idem in Timæo facit & Plato ? An hæc quaſi parua contempſerunt, quæ ſi ſunt uera, maiora eſſe non poſſunt? An non contempſerunt quidem, ſed ignorauerunt; & in Aegipto, Babyloniaq́. verſati, non poterunt hæc intelligere decantata apud hos populos, & cuiq. de medio etiam nota? Profeſsionis certè ſuæ non eſſe; vt diximus; non putarunt, niſi ſuam ignorarunt profeſsionem; vt philoſophi munus crederent apū & formicarū minutisſimè quærere proprietates; Iouis & Saturni etiam non putarent; præſertim ſi veritatē ſuper his, non ſolùm obſeruatio docet, ſed & ratio monſtrat; quod ſcriptores aſtrologi maximè contendunt. Quidnam igitur aliud dici poteſt, quàm in ea fuiſſe Platonem, Ariſtotelemq́. ſententia, non eſſe cauſas coeleſtia quorum dicunt Aſtrologi, nec Aſtrologiam vel artem eſſe, vel ſcientiam, cuius erat cum alijs alioquin mentio facienda; ſed ex ludicris unam, ſiue fraudibus potius circulatorum; quo genere Geomantiæ, Hydromantiæ præſtigia, incantationes; quarum ueteres nulli philoſophi inter ſcientias, arteſq́. meminerunt. Nam ſi foret ars Aſtrologia, penderet à Naturali ſcientia, ſicut Medicina. His addit Alexandrum, Auerroem, & Auicennam, inquiens: Alexander ex Aphrodiſiade, ſummus auctor in Ariſtotelica philoſophia, de fato librum ad Cæſares, Seuerum primum, & Antoninum filium ſcribens, & fati reiecit neceſsitatem, & de aſtrologicis ſiluit. Auerrois, celeber in eadem familia philoſophus, & rerum naturalium grauis æſtimator, vbique Aſtrologiam lacerat, damnat, inſectatur. Nam in prima quidem philoſophia, aſtrologorum opinionem de coeleſtibus imaginibus, quibus ſubeſſe terrena figuræ ſimilis animalia putant, fabuloſam dicit; qua tamen ſublata, ruit maxima pars Aſtrologicæ ſuperſtitionis. Auicenna, vir magnus in omnibus diſciplinis, vltimo ſuæ primæ philoſophiæ libro, multis rationibus cōprobauit, ab aſtrologis præuideri futura non poſſe. Quare nec eorū prædictionibus vllam fidem adhibendam. Multa alia inducit ex philoſophis Picus, quæ omittenda cenſui, tum quia iſti quorum ſententias enarrauimus famo-

ſiores ſunt; tum quia ex dictis ad eorum authoritates, mox veritas palam fiet, & aliorum monumenta peribunt. Ad hæc igitur dicamus.

Dicta Joannis Pici refelluntur Cap. 91.

IN primis dicit Picus, Theodoretum enarraſſe Pythagoram Aſtrologiæ fidem non præſtaſſe. At ego apud eundem Theodoretum multa de ipſo Pythagora perlegi; id tamen quod dicit Picus nunq̃ inueni. Sed eſto q̃ id habeat ex Theodoreto; habeo & ego ex D. patre Auguſtino de Ciuitate Dei lib. 7., cap. 35., ipſum Pythagoram fuiſſe hydromanticum, ſiue necromanticum. Sed quid hydromantia, niſi diuinatio ex Dæmonum inuocatione? Nam in ampulla vitrea impoſita aqua, quæ à puero inſpiciatur, multa mala ſequuntur, quæ ſatius eſt ne nominari quidem. Quid necromantia, niſi ex mortuis diuinatio? Sed de eodem legi apud graues authores, q̃ Aſtrologiæ, Chaldaicæq́. diſciplinæ cupidus, Babylonem ſeſe contulit, vbi ſyderum curſus, eorumq́. in genituris hominum effectus, eſt edoctus. Apud eoſdẽ legi Democritum, Theologiam ac Aſtrologiam didiciſſe à Magis & Chaldæis. Sed Lucius Bellantius, vir in hac arte peritiſſimus, dicit q̃ ipſi non modò inter magicos connumerantur, ſed magicæ artis inuentores, ab antiquis ſcriptoribus habiti ſunt. Lucillus Philalthæus in primis commentarijs libri de coelo, ſuo conſilio. 3. nónne de Pythagora ſcribit, q̃ à Chaldæis accepit Manticen, diuinandi ſcientiã, & Aſtrologiã, tantumq́. didicit, quantum ex eã gente didiciſſe potuit? Benè fateor Pythagoram aſtrologos redarguiſſe, quia; inquit; mentiuntur in multis; ideq́. de Geometris. At non eſt ob id inferendum, huiuſmodi facultates eſſe uanas. Quemadmodum nec Naturalis diſciplina eſt uana, licèt in multis, eius mentiantur profeſſores. De Diogene nõ curamus; multa .n. uana protulit, & admodũ indigna eſt operatus. Dicebat nanq., aerem eſſe cõpotem diuinæ rõnis, ſine qua nihil ex eo fieri poſſet; concubuitq́. cum vxore publicè, dicens non eſſe de talibus uerecundandum; ſed putabat ſectam ſuam nobiliorem futuram, ſi in hominum memoriam, inſignior eius impudentia figeretur. Legatur D. Auguſtinus de Ciui. Dei lib. 8. cap. 2., & lib. 14., cap. 20. Inſanus itaq. Diogenes; quare non mirum ſi eius verba, minusq́. authoritatem non curamus. Plutarchus quæ ſuæ erant profeſſionis ignorabat; qd igitur ait de Pythagora? An nouit Numam Pompilium eius fuiſſe auditorem; ſeu potius quæſtionẽ dimiſit indeciſam? Sed Plato & Ariſtoteles nunq̃ Aſtrologiã damnarunt; qui tamen cæteros philoſophos antecellũt. Et ſi de eã non ſcripſerunt, nec etiam Muſicam, Perſpectiuam, Arithmeticam, Geometriam conſcripſerunt. Sat eſt tamen, quod. 2. lib. phy. contex. 20., inter Mathematicas & Naturales diſciplinas, Aſtrologiam locauit Ariſtoteles, & 12. Sapientiæ, contex. 44. inquit, quòd ſola Aſtrologia inter omnes Mathematicas, de ſubſtantia ſenſibili ſempiterna, theoriam facit. Nec dicant quòd de Aſtronomia non autem de Aſtrologia loquitur Ariſtoteles; quoniam ex dictis iam patet quid dicendum. Addo, q̃

Tom. 5.

ibidem

ibidem uolunt Ariſtoteles & Auerroes, Primum philoſophum accipere numerum motuum coeleſtium ab Aſtrologo. Quomodo igitur illam damnant? Quinimmo Auerroes in com. 44. duodecimi Meta., ex eius diſcurſu oſtendit, ſe Aſtrologiam non parum calluiſſe. Et in eo quod dicit Picus, Auerroem negaſſe illas imagines, dicimus, quòd negauit etiam eccentricos, prout uidere eſt in. 12. Sapientiæ com. 45.; ob id non eſt inferendum, ipſum negaſſe Aſtrologiam, ſed quaſdam in ea opiniones; quemadmodum contingit etiam in philoſophia.

Quòd ſi uelint eam negaſſe; ſciant quoque, illum in multis deliquiſſe, ad philoſophiam pertinentibus; præſertim de vnitate intellectus, de forma ſubſtantiali hominis, de locante & locato; quando ſcilicet locantis corporis qualitates ſentiri non poſſe à locato ipſo teſtatur; quaſi omnium eiuſdem ſpeciei locatorum, vel etiam generis, vnicum ſit temperamentum, per ætates, complexiones, diuerſasq́. diſpoſitiones non uariabile. Sed hoc unum ſufficiat, ꝙ in. 12. Sapien., com. 45., conqueritur quoniam ob ſenium non poteſt Aſtrologiam perfectè acquirere. Quomodo igitur eam poterat ſimpliciter damnare? De Alexandro quid dicit Picus? Tollit fatum; tollit igitur & Aſtrologiam? Nónne & ueri Aſtrologi, fati tollunt omnino neceſsitatem? Cumq́. dicit Picus, ꝙ Alexander in illo ſuo libello de fato ne uerbum quidem fecit de aſtrologicis; id noſtro fauet inſtituto. Quoniam inde fit conſequens, vt cum fato nullum habeat commercium Aſtrologia. Nec Auicenna in ſua Meta. huiuſmodi damnat diſciplinam. At ſolùm dicit, homines non poſſe omnia præuidere futura, & ſimpliciter eorum naturas cognoſcere; ſic enim dij eſſent, non homines. Sed quis inter ueros Aſtrologos unq̃ oppoſitum dedit? Auicenna igitur tracta. 10. ſuæ Meta., cap. 1. in calce, concludit ꝙ non debemus adhærere omnino verbis Aſtrologorum, quando nobis futura prædicunt. Vt ſcilicet credamus ea infallibili quadam euenire neceſsitate. Id quod innuere uoluit cùm dixit, ꝙ non debemus adhærere omnino uerbis eorum. Quaſi dicere uelit: Non ſunt omnino poſthabendi aſtrologi, ſed in aliquibus audiendi. Propterea mox ſubdit hæc verba: Quamuis concedamas pro beneplacito noſtro, ꝙ quicquid nobis dant ex ſuis propoſitionibus ſapientialibus uerum eſt. Vnde particularem notitiam in propria forma & ſimpliciter ſolùm ignorari uoluit; quod & ueræ aſtrologiæ profeſſores, corde & ore fatentur, atque profitentur. Hæc ſunt quæ uolui in medium attuliſſe pro parte philoſophorum, quos ipſe Picus principem locum ſibi uendicaſſe uoluit; vt ex ijs, nullo negotio pateat quanta ſit ei in reliquis adhibenda fides. De Cicerone nolui ſermonem habere; quoniam excepta vi eloquentiæ, in cæteris ſæpius ceſpitat. Non eſt tamen ſilentio inuoluendum quod addit Picus, nimirum ꝙ ſi foret ars Aſtrologia, à Naturali, ſicut & Medicina, penderet philoſophia. Quidni? Nónne Ptole. id apertiſsimè docet? Idem nónne innuere uoluit Ariſto. in. 2. phy. libro, dum eam, mediam inter Mathematicam collocat & Naturalem? Sed de his ſatis.

Prophetarum pro ſe inducit Picus; & ſanctiſſimorum virorum teſtimonia.

Cap. 92.

TRANSEAMVS; inquit Picus; ad prophetas, hoc eſt, ad veteris & nouæ legis oracula, ab Iſaia exordium facientes. Is igitur cùm Babylonijs, apud quos hæc ſecta maximè viguit, vnde aſtrologi etiam Chaldæi dicebantur; futurum excidium minaretur, & Cyrum Regem Perſarum, per ducentum etiam annos anteq̃ naſceretur vnctum appellatum, aduerſus illos dimicantem tubis excitaret, ita Chaldæorum
Eſai.47. ciuitatem deſolandam alloquitur: Stent nunc & ſaluent te augures coeli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent uentura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſsit eos; non liberabunt animam ſuam de manu flammæ. Et ante hæc, paucis interiectis, de hac coeleſtium obſeruatione eos ita taxauerat: Sapientia hæc & ſcientia tua decepit te; veniet ſuper te malum; & neſcies ortum eius; & irruet ſuper te calamitas; quam non poteris expiare. In quibus verbis; propheta diuinus duplicem aſtrologorum temeritatem accuſat; quarum altera eſt, putare ſe ex coelo poſſe futura præuidere; altera, cùm ſint præuiſa, vel depellere mala, vel bona confirmare. Veniet igitur; inquit; malum, cuius neſcies ortum; hoc eſt, quod tibi nec Mars, nec Saturni frigida ſtella præſignificauerit. Tunc nec irruentem calamitatem poteris expiare; hoc eſt, horarum electionibus, & aſtrologicis imaginibus, aut ſuperſtitioſis alijs machinamentis à te propellere.

Deus; inſuper; Deuterono. cap. 18. per Moſen ita loquitur nobis: Gentes iſtæ quarum poſsidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à domino Deo tuo aliter inſtitutus es. Vnde per augures, intelligunt Aſtrologos peritiores hebræorum.

Hiere.ca.10. Hieremiæ illud quis ignorat? Iuxta viam gentium nolite diſcere, & à ſignis coeli nolite metuere, quæ timent gentes. Quid igitur; ait Picus; homo chriſtianus; aſtrologorum iudicijs vel gaudet, vel triſtatur; à quibus nihil ſperandum Iſaias, Hieremias nihil timendum; immo per vtrúq; diuina nobis veritas affirmat; totum hoc quod profitentur; ſicut inquit Ambroſius; quærere abſurdum, cùm quæ pollicentur ſint impoſsibilia.

Iob.ca.38 Vnde coeli dominator Iob? Nunquid noſti ordinẽ coeli, & pones rationem eius in terra? Quis enarrabit coelorum rationem? Duplex enim; inquit; error aſtrologorum; alter quòd multa coelo ſubijciunt, quæ inde non dependent; alter quòd quæ etiam efficit coelum, inde tamen ab eis, vt putant, præuideri non poſſunt; quod allata in medium apud Iob verba nobis oſtendunt. Et cùm doctores Eccleſiæ utrunque pariter refellant, quomodo dici poteſt id eos tantùm non probare, quod libertatem tollat arbitrij, aut fati neceſsitatem inducat? Auguſtini ratio illa de geminis, nónne eò tendit, vt omnem tollat ab eis præſcientiam futurorum?

rorum? Idem in Enchiridion, nônne ipſam ſolàm temporum obſeruationem, vt hæc fauſta, illa infauſta putemus, ad magnum dixit pertinere peccatum. Item alia inducit Picus tum ex D. patre Auguſtino, tum ex alijs Eccleſiæ ſanctiſſimis patribus; quibus nititur oſtēdere Aſtrologiam impiam, vanam, blaſphemam, ſuperſtitioſam, abominabilem, ridiculam, occupatiſſimam vanitatem, inutilem & impoſſibilem, à philoſophis confutatam, ac demum omnino falſam, & fidei noſtræ ſine dubio contrariam.

Addit, quòd & Summi Pontifices, noſtris hominibus iſtam profeſsionem interdicunt; vt probat ex Alexandro 3., Gregorio iuniore, Concilio Toletano, & alijs. Quibus demum addit leges ciuiles; & præcipuè Iuſtiniani Cæſaris codices legales; quibus mandat feliciſſimus Imperator, vt ſi quis mathematicum conſuluerit, capitis ei poena denuncietur. Et ipſe ita hoc hominum genus horrebat, vt ſi quis in eius comitatu deprehenderetur Mathematicus, ſummis ad eculeum vſque tormentis, temeritatis ſuæ lueret poenas. Hanc igitur Aſtrologiam prudentiſſimi legumlatores exterminarunt, & doctiſſimi philoſophorum confutauerunt, & viri diuini atque ſanctiſſimi abominati ſunt. Ita concludit ſuum primum librum in hac materia Ioannes Picus.

In ſubſequentibus etiam multa & quamplurima inducit, quibus labefactare contendit, & prorſus Aſtrologiam è medio tollere. Cæterùm quia ea recenſendo, nimis prolixa eſſet oratio noſtra, & huc rei inſtitutæ exitus minimè tendit, idcirco ijs ſublatis, an bona vel mala vera ſit Aſtrologia, non erit difficile inſpicere, & inde noſtrum habebimus intentum; quo habito, ad alia properabimus.

Quantum Pici propoſitum concludant præinducta prophetarum & aliorum teſtimonia conſideratur. Cap. 93.

MAGNVS pater Auguſtinus, de ordine lib. 2., cap. 15., de Aſtrologia verba faciens, illam inter ſeptem artes liberales connumerat, magnumq. appellat religioſis argumentum, & tormētum curioſis. Et cap. 16. ait, quòd liberales diſciplinæ ad diuina, noſtrum efferunt intellectum. Beatus Gregorius Nazianzenus in oratione funebri in laudem Cæſarij fratris habita, eius doctrinam enarrans, ait: Atque in Geometria quidem & Aſtronomia, ſciētia alijs periculoſa, ita ſe comparauit, vt cum quicquid ea vtilitatis haberet collegiſſet, nimirum ut ex rerum coeleſtium concentu atque ordine Creatorem ſuſpiceret; quicquid rurſus ea noxij complectebatur effugeret, nempe ea quæ ſunt ac fiunt, ad ſyderum curſus haudquaq̄ referens, quemadmodum faciunt qui conſeruam creaturam aduerſus Creatorem ſeditioſè concitant; verùm ut alia omnia, ſic eorum quoque motum, vt par eſt, diuinæ prouidentiæ aſſignans. Hæc ille. Qui & in oratiōne funebri habita in laudem magni Baſilij, eius quoq. Tom. 1.

eruditionem,

eruditionem, mirabilemq. doctrinam explicans, ait: Iam uerò Aſtronomiam, Geometriam, numerorum proportiones hactenus didiciſſe contentus, ne ab illis qui harum artium gloria ſibi placent commoueretur, quicquid ſupererat, vt pietatis cultoribus infrugiferum contempſit. Hæc verba exponuntur ibi, ſcholio.42.; quo loci declarantur ea, quæ Beatus Baſilius ex prænarratis diſciplinis dicitur contempſiſſe, in hunc modum: Aſtrorum enim nexus & mutuas comparationes, quibus prouidentia tollitur, & ſyderis natalitij indagationem, & fatum, & geniturarum effectus; itemq. certis aſtris ea quæ ſunt & fiunt asſignare, omnemq; inquam huiuſmodi rerum cognitionem aſpernatus eſt. Eam autem partem quæ docet, quo modo per coeleſtium ſyderum motum; partim anni viciſsitudines fiant, ac per ſupernorum corporum aptisſimam concinnitatem, animos noſtros in opificis admirationem rapit, eaq. ſigna, quibus vel imbres, vel ſiccitates, vel motus ventorum, vel aliud quidpiam eius generis mediocriter inquirit; non modò non reijciendam, ſed amplexandam etiam duxit. Ita tamen, vt cùm cætera alia, tum aſtrorum motum ad Deum authorem referret. Conſimili modo ex Geometria eam partem, quæ magnitudines & figuras, & quid unumquodque ſit exquirit, haudquaq. improbauit. Illud autem, quoniam coeleſtia corpora circulari motu feruntur, circuli autem principium non facilè ſenſibus noſtris comprehenditur; iccirco exiſtimare mundum hunc viſibilem principij expertem eſſe, Deoq. coæternum; hoc & ſimiles nugas repudiauit, ac procul ablegauit. Iam Arithmeticam methodum hactenus probauit, vt analogias quaſdam quæreret. Analogia autem eſt ſimilitudo numerorum, & in unum idemq. collectio; vt cùm dicimus, quam rationem habet octonarius ad quaternarium, eandem quaternarius ad binarium; Dupli enim rationem habet. Eodem modo de magnitudinibus, quam rationem habent octo cubiti ad quatuor; eandem quatuor ad duos. At diuinam quãdam uim & poteſtatem numeris tribuere, Deumq. ijs ſubijcere, & affirmare res eas quæ fiunt, ſecundùm eos fieri, id uerò ut uanum execratus eſt. Proinde utrinque ex æquo laudandus Baſilius, tum q optima elegerit, tum q peſsima reliquerit. Hæc ibi. Aduerſus tamen Aſtrologos, omnibus eloquentiæ uiribus dimicat Baſilius, homilia, ſeu congresſione .6. in Hexameron.

His itaque contenti ſimus, eaq. in uirtute repetamus, quæ à ſanctis patribus dicta & acta fuere, vt inde noſtram ualeamus rationem erigere; ac demum omnibus quæ aduerſus Aſtrologiam habet Picus; vnico reſponſo conemur facere ſatis. Diuus igitur pater Auguſtinus dicit, Aſtrologiam magnum eſſe religioſis argumentum, ſed curioſis tormentum. Eam rurſus inter artes connumerat liberales, quæ intellectum noſtrum efferunt ad diuina. Beatus Gregorius Nazianzenus, dicit, q Cæſarius multum ex ea collegit utilitatis, quæ tamen alijs eſt periculoſa. Itemq. dicit, beatum Baſilium, eiuſdem Aſtrologiæ ſtudijs deditum fuiſſe, ac nedum illius, verùm etiam Geometriæ & Arithmeticæ, ex quibus tandem optima elegit, peſſimaq. dereliquit. Sed & ſenio confectus, aduerſus eam

optimè conſcripſit. Quid igitur Pice? Vna eademq́. ſcientia & diſciplina, optima parit, ſimul atque peſsima? Vtilis eſt & periculoſa? Modò laudanda, modo uituperanda? Vel eſt bona ex ſe, vel mala. Si mala, quomodo vtilis? Si bona, quomodo periculoſa? Nec amplius illam in medium afferas diſtinctionem, qua Aſtrologia ab Aſtronomia ſecerni ſolet. Quoniam præter ea quæ diximus, tibi unum aliud adnotari uelim; nempe quòd ſancti patres, eadem de utraque proferunt uerba. Diuus enim Auguſtinus dicit Aſtrologiam religioſis magnum eſſe argumentum, & tormentum curioſis. Idemq́. de Aſtronomia beatus Gregorius Nazianzenus docet apertè; veluti diximus. Vel igitur utraque mala & peſsima, vel inter eas nulla diſtinctio. Quòd ſi utraque mala, cur non utranque refellis? Et ſi ex Geometria & Arithmetica, eiuſdem generis ſequuntur errores qui ex Aſtrologia, cur hanc damnas, illasq́. unicè laudas? Memento quòd omnes iſtæ tres, inter artes connumerantur liberales; quæ quidem nos efferunt ad diuina. Tu ſanctorum patrum authoritatibus in Aſtrologiam animaduertis, & eorundem ſanctisſimis dictis, eandem ipſe defendo. Quid igitur dicendum? Agedum Ioannes, Aſtrologiam in ſuperioribus oſtendimus eſſe à Deo; ex quo ſequitur, quòd bona ſit & optima. Omnes ſiquidem liberales artes ab unico authore Deo procedunt. A bono autem non niſi bonum. Veram igitur & naturalem Aſtrologiam non damnant diuina eloquia, minusq́. Eccleſiæ ſanctæ doctisſimi patres; ſed ſuperſtitioſam, vanam, fallacem, mendacem, atque erroribus plenam; cuius non Deus, ſed Diabolus eſt author. Quinetiam non Aſtrologiam damnant, ſed abutentes eá potius accuſant; ſeu qui nomine Aſtrologiæ, incantationes circulationes, & maleficia quamplurima nuncupari uolunt. Hi enim præter hæc, fati neceſsitatem ponunt, cuncta in coelis præuideri poſſe putant, eorum quæ præuidentur particulares differentias ſe cognoſcere credunt, quæ coelum oſtendit futura, diuinæ voluntati nolunt eſſe ſubiecta, extra ordinem coelorum nihil diuina voluntate euenire exiſtimant, coelos uenerantur, eorum authorem poſthabendo, ac demum circulari motui aſtrorum, omnium quæ fiunt cauſam aſcribunt.

Modò autem non ſunt Aſtrologi iſti, ſed augures, circulatores, diuinatores, incantatores, ſortilegi, & maledicti Diaboli ſectatores. Hos iuſſit conuocari Nabuchodonoſor Daniel. 2., vt indicarent ei ſomnia ſua. Hos damnat Iſaias in præcitata ab ipſo Pico authoritate; & hanc ſi perfectè retuliſſet, fortè non tanta dixiſſet. Dicit nanque Propheta parum ſupra: Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua; ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſsis fieri fortior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum. Stent & ſaluent te augures coeli, & quæ ſequuntur. Cumq́. dicit Picus, quòd per augures intelligunt quidam hebræorum aſtrologos; non ſunt in hoc audiendi hebræi; tum quia eorum dictum repugnat nuper citatæ literæ, tum quia ſanctisſimis Eccleſiæ doctoribus aduerſatur. Diuus nanque Hieronymus præmiſſa Iſaiæ verba exponens, ait: Habuiſſe Babylonem, omnemq́. Chaldæam, incantatorum & augurum, & ariolorum, & gazareno-

rum ſtudium, quos nos auruſpices appellamus, Danielis prophetæ lectio probat; qui ad eorum conſilium, cuncta reges Babylonios feciſſe commemorat. Pro eo quoque quod nos iuxta Symmachum & Theodotionem interpretati ſumus, ſtent & ſaluent te augures coeli, ſeptuaginta manifeſtius tranſtulerunt: Stent & ſaluam te faciant aſtrologi coeli; qui vulgo appellantur mathematici, & ex aſtrorum curſu, lapſuq́. ſyderum, res humanas regi arbitrantur. Hæc ille. Ex quibus habemus, quòd augures illi non ſunt aſtrologi, ſed falſi diuinatores, & incantatores. Nec obſtat alia ſeptuaginta translatio, quoniam & ipſi aſtrologos uocant coeli, qui ex aſtrorum curſu res humanas regi uolebant. Patet autem quòd iſti non ſunt verè aſtrologi, ſed aſtrologi nuncupati. Non enim loquebatur ſimpliciter propheta, ſed ad Babylonem ſermonem habebat, quæ huiuſmodi incantatores uocabat aſtrologos; quemadmodum & hæretici theologos appellant Lutherum, Caluinum, & alios huiuſmodi; qui tamen non ſunt ueri theologi, ſed theologi nuncupati. Vnde ſi ex eo quòd ipſi quamplurima aduerſus Sacroſanctam Romanam Eccleſiam ex diuinis eloquijs inducunt, inferret diuinam ſcripturam vanam eſſe & periculoſam, is hæreticus cenſeretur, horribilemq́. in modum eſſet in eum animaduertendum. Quandoquidem non ex ſacra pagina ducuntur errores, at ex hæreticorum peſſima, atque diabolica interpretatione.

Ita etiam de Naturali philoſophia dicendum uenit; eſt enim vera ſcientia, & à Deo opt. Max. dependens; quemadmodum in ſuperioribus fuit oſtenſum. Modò autem ſi ex ea ducantur errores, non uenit ipſa accuſanda, ſed eam malè intelligẽtes. Vnde ſi in ſcholis philoſophorum legatur mundus æternus, error quidem eſt; ſed non philoſophiæ in ſe, at philoſophiæ Ariſtotelis. Si dicatur quòd unicus eſt humanus intellectus; error peſſimus; non tamen philoſophiæ, ſed Auerrois perperam agentis. Si dicatur quòd res humanæ curſu reguntur ſyderum, & quòd omnia fatali eueniunt neceſsitate, peſſima hæreſis iſta; at hoc non fatentur aſtrologi, ſed Stoicorum maledicta ſecta. Si futura prædicent, eorumq́. particulares differentias aſsignent, error utique damnandus; atqui non aſtrologiæ, ſed circulatorum & augurum. Propterea D. Baſilius non contra Aſtrologiam, ſed aduerſus huiuſmodi ea abutentes dimicare intendit, ipſo atteſtante, qui ait: Sed homines ij qui ultra ea quæ culta ſunt ſaliunt, vt uetere prouerbio dicitur, ad eius etiam patrocinium, defenſionemq́. partis ſyderalis ſcientiæ, quæ in omnium ortu verſatur, hanc trahere ſententiam ſcripturæ conantur. Atque aiunt vitam noſtram humanam à coeleſtium corporum motione pendere; & hanc ob cauſam ex ſyderibus à Chaldæis eorum notationes effectuum, qui nobis accidunt, fieri, ſermonemq́. ſimplicem hunc ſcripturæ; Sint, inquam, in ſigna, non eorum affectuum quibus afficitur aer, neque mutationum temporum, ſed ſortis hominum vitæ ita prorſus, vt opinantur, eisq́. placet, intelligunt. Hactenus Baſilius. Qui non aduerſus naturalem, veramq́. Aſtrologiam, ſed contra Genethliacos & aſtrologos nuncupatos, ſuum uertit ſermonem. Secus non dixiſſet Gregorius Nazianzenus, ipſum ex ea quamplurima collegiſſe utilia.

giſſe vtilia. Si enim eſt uana & ridicula; vt ait Picus; quomodo ex ea collegit utilia ſanctiſsimus iſte pater? Si autem bona & optima exiſtit, cur eam oppugnat? Vera eſt igitur ſententia noſtra; quod nempe optima eſt quæ uera dicitur Aſtrologia, at ſub eius nomine hæreſes introducentes, peſsimi & maledicti. In eos propterea animaduertit D. pater Auguſtinus, & non in ueram Aſtrologiam; veluti conſtat in eius confeſſionum libro. 5. cap. 3., & deinceps, aliijsq. in locis quamplurimis. Tom. 1.

Quare cum D. Iſidoro optimè conueniunt patres iſti; qui Aſtrologiam diuiſit in Naturalem & ſuperſtitioſam; illamq. amplectendo, iſtam reprobauit. Quam etiam reprobant diuina eloquia à Ioanne Pico inducta, Summi Pontifices, Sacra Concilia, Auguſtiſsimi Imperatores, & nos cum illis. Quod ſi feciſſet ipſe Picus, optimè quidem; at in Aſtrologiam ſimpliciter, & abſq. vlla diſtinctione animaduertens, toto coelo (vt aiunt) totaq. terra aberrauit, & inde nullo penitus negotio tolluntur omnia quæ in eam ſcripſit. Quocirca pro ſalute Aſtrologiæ, aduerſus Ioannem Picum hæc dicta ſufficiant. Sed & omnia quæ de ſcientijs habuimus humanis, in unum colligentes, vnica fatemur concluſione, illas omnes optimas eſſe, à Deoq. benedicto nobis gratis contributas fuiſſe. Quare malè Caluinus, qui in ſuo Antidoto, pagina. 169., referente Camerario de libero arbitrio, lib. 1. cap. 1., harum profeſſores Sophiſtas appellat, qui dialecticis ſyllogiſmis, atq. philoſophorum propoſitionibus, ſacras quæſtiones decidere conantur; cùm tamen philoſophia cum theologia nihil habeat commune. Immemor hæreticus iſte, quòd cùm ratiocinari nos doceat Logica facultas, & philoſophia veritatem ſecundùm naturam cognoſcere; minimè abſurdum eſt, ſi in re theologica, tanq. ancillis, ſobriè illis utamur. Sic enim Salomon ancillas euocari iuſsit, & Paulus philoſophos citauit; inquit Camerarius. Audiunt igitur libenter maledicti iſti hæretici Paulum dicentem: Videte ne quis vos ſeducat per inanem philoſophiam. Nolunt tamen eundem audire dum ait: Non veni ad vos in ſublimitate ſermonis. Ornatus ſiquidem verborum eos maximè delectat; quinimmo illos negligunt, & contumelijs afficiunt, qui in rebus difficillimis pertractandis, verbis nō utuntur phaleratis. Id quod tamen nedum Apoſtoli Pauli, atqui etiam philoſophorum aures offendit. Sed quod eis placet, pro uoluntate accipiunt; quodq. minus arridet, pro voluntate reijciunt. Et id nō ſolùm in prophanis, at etiam in ſacris euenit codicibus, atq. ſcientijs. De his igitur in ſequentibus relinquitur agendum.

Quòd ſacra, diuinaq. Scriptura eſt norma & regula omnium aliarum ſcientiarum atq. diſciplinarum, & quinam eius libri ſint canonici. Cap. 94.

SACRA, pariterq. diuina, illa dicitur ſcriptura, quæ ſolo diuino ſpiritu eſt patefacta & aſpirata, necnon per eos adminiſtrata, qui ſpiritu Dei ſunt locuti; per eoſdemq. ſeruata pura, integra, & ſemper ſtabilis. Verbum ſiquidem Dei eſt permanens in æternum, & abſque

vlla commiſtione falſitatis, ea commonſtrat, quæ humano generi ſunt neceſſaria ad ſalutem. Vnde non eſt ulla ſcriptura alia, quantumuis probati authoris, quam ita habere oporteat puram, incontaminatam, abſque ulla ſuſpicione erroris, & commiſtæ falſitatis, quemadmodum habenda eſt iſta. De qua ullo pacto licet ſuſpicari aut dubitare, ſit ne uera uel falſa quæuis propoſitio, atque ibi aſſerta uel negata ſententia. Et licèt ſcripturæ aliæ, quas in ſuperioribus, artes uocauimus liberales, quandam doceant ueritatem; illam tamen in qua ſalus eſt animæ non attingunt. Quæ nihilominus tamen ſola eſt quæ uerè animum facit liberum, eius atteſtante authore, qui ait: Si manſeritis in ſermone meo, cognoſcetis veritatem, & uerè diſcipuli mei eritis, & veritas liberabit vos. Omnes quoque philoſophorum, & huius noſtri ſeculi Sapientum artes & diſciplinæ de moribus, uirtutibus, hominumq. beatitudine multa quidem tradiderunt; at ueram lucem, qua ſine corpus totum relinquitur tenebroſum, inuenerunt minimè. De Deo, inſuper, eiuſq. operibus diſſeruerunt quidem & gentiles, huius mundi ſapientes; at non ſecundùm gemina illius opera ſuper genus humanum, conditionis nempe atque reſtaurationis. Conditionis enim opera, quidam eorum agnouerunt, reſtaurationis autem non item.

Ioan. 8.

Vnde tota ſacra ſcriptura, cùm de utriſque pertractet, nimirum de ipſo Deo benedicto, & de eius operibus ſuper humanum genus, conditionis videlicet atque reſtaurationis; cumq. ueram, infallibilem, æternam, & omnium primam commonſtret ueritatem; quòd in eam omnes aliæ dirigantur diſciplinæ, & quòd ipſa ſit omnium aliarum ſcientiarum regula, norma, & menſura, ſatis relinquitur probatum. Quicquid igitur vel in philoſophicis, vel in moralibus, vel in liberalibus artibus, vel in poetarum carminibus, vel in oratorum hiſtorijs reperitur, aut cognitione dignum, aut humano generi vtile, in hanc unam diuinam ſcientiam, tanq. in immenſum cuiuſque cognitionis pelagus eſt reducendum, atque ſecundùm eam flectendum & interpretandum. Hæc ſola dicitur ſacra & canonica ſcriptura, ſecundùm maiorum traditionem, per ipſum Spiritum Sanctum ad eruditionem noſtram; vt diximus; diuinitus inſpirata. Canonica; inquam; dicitur, quia fidei, religionis, atque pietatis canonem, ſiue regulam & normam, è coelis ſummo Dei beneficio ad nos delatam continet ampliſsimam. Cùm enim Omnipotentis Dei integerrima uoluntas, noſtrarum voluntatum, necnon & actionum norma eſſe debeat, meritò ſanè à canone & regula, nomen accipere huiuſmodi ſcriptura debuit, qua diuina ſunt myſteria, atque voluntas comprehenſa; dicebat dominus Dieguus Payua. Illamq. demonſtramus eſſe canonicam, per teſtimonium Eccleſiæ, non illius ſolùm quæ nunc eſt, ſed intellectæ ſecundùm ſucceſsiones Eccleſiarum, ipſorumq. patrum ſeriem, ab initio ad hæc vſque tempora ſibi ſuccedentium; diuo atteſtante Irenæo, lib. 3. aduerſus hæreſes Valentini, cap. primo, qui ait: Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos; quod quidem tunc

dem tunc præconiauerunt, poſtea uerò per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum. Hæc ille. Qui & idem proſequitur infra: Hac uia patres qui ante nos fuerunt, vt Dionyſius, Clemens, Polycarpus, Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Hilarius, Chriſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, & cæteri, æſtimarunt doctrinam eſſe ſanctam & canonicam, per eaſdem eccleſias, quas & ipſi fundauerunt Apoſtoli, docentes, aut viua voce, aut Epiſtolis ad illas conſcriptis. Hæc eſt ſola religionis Chriſtianæ machina, quæ cunctas hæreſes ſemel aboleuit; ipſa, inquam, communis omnium ſanctorum patrum profeſsio, ſecundùm ſuorum temporum ſucceſsiones, concorditer reddentium teſtimonium verbis Spiritus ſancti ſcriptis in Euangelijs, alijsq́. libris canonicis; dicebat doctiſsimus Ioannes Driedo. Vnde & nos ijs ſanctiſsimis, pariterq́. doctiſsimis patribus aſſentientes, illos dicimus, & citra omnem dubietatem conſtantiſsimè affirmamus, corde & ore profitemur, ſacræ diuinæq́. ſcripturæ libros canonicos eſſe, quos tales eſſe decreuit ſacroſancta Eccleſia Romana, pluribus in locis; at præſertim in Concilio Tridentino, ſeſsio. 4., cano. primo. Diui etiam patris Auguſtini exemplum conſectati, qui contra epiſtolam Manichæi, quam uocant fundamenti, cap. 5. ait: Ego verò Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas. Tom.6.

Sed ubinam eſt huiuſmodi catholica Eccleſia? Scrupulum hunc eximunt nobis Chriſti uerba, dicentis in Matthæo cap. 24.: Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Corpus Eccleſiam eſſe docet nos D. Apoſtolus ad Epheſios cap. primo, vbi ait: Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius (ſupple tu, Chriſti) & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Aquilas autem, quos eſſe dicemus alios, quàm quorum iam fecimus mentionem, ſanctiſsimos Eccleſiæ patres? Quorum & excelſa uirtus, & ſublime fuit ingenium, & doctrina ſingularis; quorum plerique fuſo ſanguine ſuo, veritatem eorum quæ ſcripſerunt comprobarunt. Quamobrem ubicunque uidebimus illas aquilas congregatas, ibi Chriſti corpus, ibi Catholicam Eccleſiam eſſe, minimè dubitabimus. Sicubi unam aliquam in ſententiam conuolant, ex uarijs & longo interuallo diſiunctis totius orbis Chriſtiani partibus ſanctæ illæ aquilæ, & qui eas ſunt ſecuti, quin hæc Eccleſiæ catholicæ ſententia ſit, nihil eſt quod ambigamus. In medio enim eorum Chriſtus eſt; quemadmodum ipſe promiſit Matt. 18., inquiens: Vbi ſunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum.

Nec modò incipit Eccleſia ſancta Dei, atqui ab initio mundi omnes quotquot fuerunt ſancti, ad ipſam Eccleſiam pertinent; dicebat Auguſtinus in ſermone de Iacob & Eſau. Verùm in ſermonibus de tempore, ſermone. 217., ait: Eccleſia catholica, fratres cariſsimi Tom.10. non ſolùm poſt aduentum Domini & Saluatoris noſtri prædicata eſt,

ſed etiam ab initio mundi multis figuris & ſacramentis ſecretioribus deſignata. Nam & in ſancto Abel Eccleſia catholica fuit, & in Noe, & in Abraham, & in reliquis, vſque ad aduentum domini Saluatoris. Rurſus de *Tom. 5.* Ciuitate Dei lib. 18. cap. 51., idem optimè confirmat in hunc modum: Nō ſolùm à tempore corporalis præſentiæ Chriſti, & Apoſtolorum eius; ſed ab ipſo Abel, quem primum iuſtum impius frater occidit, & deinceps vſque ad huius ſeculi finem, inter perſecutiones mundi, & conſolationes Dei, peregrinando procurrit Eccleſia.

Quid igitur recentiores garriunt hæretici, qui nomine Eccleſiæ, non hanc noſtram, ſed primitiuam illam Apoſtolorum intelligi uolunt? Vnde in ea ſola ſacros libros dignoſcendi ius & poteſtatem agnoſcunt. Quippe quæ eorum teſtis extiterit, quæ literis ſunt ab Euangeliſtis, atq; Apoſtolis prodita. Nobis uerò, aiunt, non per Eccleſiæ quàm nunc ſuſpicimus iudicium, ſed per teſtificationem ueteris illius Eccleſiæ conſtare poſſe qui libri ſacri ſint & canonici; quam ueluti per manus, continuata quadam ſucceſsione, veteres ad nos patres tranſmiſerunt. Vnde eſt ut non Eccleſiam putent, ſed traditionem poſſe de libris canonicis controuerſiam dirimere.

Atqui non ſum neſcius, Eccleſiam eſſe unam, & perpetuam; vnum enim caput, unum igitur corpus; caput eſt Chriſtus, corpus Eccleſia; ueluti diximus: Chriſtus unus, vna igitur Eccleſia. Et Oſeæ 2. Dominus Deus Eccleſiæ ſanctæ ſuæ ait: Sponſabo te mihi in fide in ſempiternum. Cui Diuus Apoſtolus ad Ephe. cap. 5. optimè correſpondet; quia illud repetens quod habetur Gene. cap. 2. Erunt duo in carne vna; ſubdit: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto; & in Eccleſia.

Vna igitur & ſempiterna cùm ſit ſancta Dei Eccleſia; cur etiam non erit vna & ſempiterna authoritas? Nunquid dicemus huiuſmodi corpus, cuius caput eſt Chriſtus, mortuum eſſe, vel potius ſemiuiuum? Abſit. Eadem igitur uirtus & authoritas quæ erat in primitiua Eccleſia, reſidet etiam in hac noſtra. Et quia dicunt iſti noui theologi, q; ius & poteſtas ſecernendi libros ſacros & canonicos ab apocryphis, in ea ſola reſidebat primitiua Eccleſia, quia teſtis eorum extitit, quæ ab Euangeliſtis & ſanctis Apoſtolis conſcripta fuere; inde colligamus oportet, authoritatem Eccleſiæ ab eo dependere, quia uidit quæ facta & ſcripta ſunt, & teſtis de uiſu extitit eorum. At nunquid primitiua illa Eccleſia, teſtis fuit eorum quæ in ueteri continentur teſtamento? Minimè quidem. Eas nihilominus approbauit ſcripturas. Aliunde igitur fatendum eſt eius prouenire authoritatem; nimirum ab *Pſal. 47.* vnico Chriſto, ab vnicoue Spiritu ſancto; qui eam fundauit in æternum.

Addo, q; ubique è medio tollunt Eccleſiæ ſanctæ traditiones, modò autem pro ſua ipſorum ſententia eas admittunt. Si enim ſola ſacra ſcriptura eſt inſpicienda, eiq́ue ſoli fides adhibenda; traditiones autem ſunt omnino poſthabendæ, & prorſus abigendæ; cur poſtea volunt ſolam traditionem poſſe de libris canonicis controuerſiam dirimere?

Sed nunquid certa nobis traditione conſtat, Apoſtolos à domino noſtro IESV Chriſto accepiſſe, quinam ex libris veteris legis, ſacri eſſent, & qui Apocryphi? Minimè certè. Pereant igitur hæretici; & nos dicamus, poſteriorem hanc Eccleſiam non eſſe minori authoritate præditam, quàm fuerit illa prior. Quare omnes illæ ſcripturæ, ſacræ ſunt atq. canonicæ, quas tales eſſe ipſa decreuit. Libros autem Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, & alios quos Lutherus, Caluinus, eorumq. aſſeclæ canonicos eſſe nolunt, approbauit & canonicos eſſe declarauit in ſacroſancto Concilio Tridentino; & alibi, prout rectè exponunt Cano de locis theologicis lib. 2. cap. 9., Sixtus ſenen. in ſua bibliotheca ſancta, libro primo, & alij. Sunt igitur honore diuino cum ſacris reliquis afficiendi, & citra controuerſiam pro canonicis habendi. Et quia conſilium non eſt de hoc diſceptare modò, niſi quatenus principali noſtro inſtituto deſeruit; propterea ſiſto à curſu, & huic tertio libro de humanis diſciplinis atque reuelata, DEI auxilio, Beatæq. Virginis MARIAE de Monte Carmeli interceſsione, finem impono.

Sed nunquid certe nobis traditione [illegible] noſtro IESV Christo accepit, quam [illegible] qui Apoſtolis? [illegible] tuus, [illegible] tum, quam facit [illegible] canonicæ, quas ta[illegible] cleſiaſtici, Machabæorum, [illegible] aſſerit canonicos eſſe [illegible] in ſacroſancto Concilio [illegible] no de locis theologicis [illegible] ſancta, libro primo [illegible] quis dedicatis, [illegible] coctiam non eſt [illegible] ſtro inſtituto deſerui[illegible] mantis diſciplinis [illegible] RIAE de Monte Carmeli [illegible]

REVERENDI ADMODVM SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PHILOSOPHI PRAESTANTISSIMI, LACTANTII DOMANINII MANTVANI, CARMELITÆ,

DE DIVINA PROVIDENTIA LIBER QVARTVS.

IN QVO TRACTATVR DE LIBERO HOMINIS arbitrio; vt inde habeatur quo modo ſimul cum Dei præſcientia optimè conueniat.

Præfatio.

QVONIAM *in prænarratis, de ſcientia Dei tum abſoluta, tum participata, & reuelata ſermonem habuimus, ſimulq; de rerum contingentia, & earum adinuicem conuenientia, miſſo contingente ad vtrumlibet, inferius dilucidando; reliquum eſt modò, vt de eo verba faciamus, vt inde omnes Chriſti fideles optimè colligere queant, diuinam præſcientiam cum libero hominis arbitrio minimè pugnare; aduerſus perfidos Lutheranos, Caluinum, & eius aſſeclas; qui arbitrij facultatem cum Dei gratia, præſcientiaq; ac prædeſtinatione componere neſcientes, cuncta neceſſitate abſoluta euenire fatentur. De his igitur verba facturi, diuino prius inuocato numine, quid hominis ſit liberum arbitrium, primo loco dicamus.*

Quid ſit liberum hominis arbitrium.

Cap. Primum.

ISAIAS propheta in illo ſuæ prophetiæ magnifico exordio, quid ſit liberum hominis arbitrium dilucidè ſatis innuere videtur, cùm ait: Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Ex quibus, tum eius excellentia, tum infirmitas, nullo negotio colligi poteſt. Per caput enim intelligit propheta liberum hominis arbitrium; quandoquidem ſicut caput corpori præeminet, ita liberum hominis arbitrium omni præſidet occaſioni. Iſto nihil dignius; inquit Hugo de ſancto Victore; [Et miſcel-lan. 2. lib. 4. tit. 33. tom. 3.] quia incommutabili æternitati præ cæteris vicinius accedit, eius in ſe imaginem expreſsius gerit; quia nulla culpa, vel miſeria, non dicam deſtrui, ſed nec minui poteſt. Et ſicut ſuperiorem non habet, nec habere poteſt, ſic liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati poteſt; quia violentiam illi inferre, nec creatorem decet, nec creatura poteſt. Totus ſi infernus, totuſq. mundus, & militiæ cœleſtis in vnum coniuret exercitus, vnus ex libero arbitrio conſenſus in qualibet re, inuito extorqueri non valet. Hæc itaque ſit liberi arbitrij dignitas, ſeu nobilitas, & excellentia. In homine tamen languidum dicitur, quia ad amorem bonum torpet. Huius capitis languorem oſtendebat dominus IESVS Ioan. 15., inquiens: Sine me nihil poteſtis facere. Quid enim boni ex ſeipſo facere poteſt, quando nec poteſt dicere, Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto? [1. Corin. 12.] Nihil ergo languidius eo, quod ad quodlibet bonum, etiam minimum, minimè conualeſcere poteſt; quia, Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. [Roma. 9.] Vnde ſicut admiranda arbitrij dignitas eſt, ab vllo cogi non poſſe; ſic miſeranda infirmitas, in ſeipſo ad omne opus bonum torpere. Ob id ſequitur Propheta: Omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.

Vt per languorem capitis intelligamus debilitatem liberi arbitrij ad bonum. Per infirmitatem corporis, inquietudinem deſiderij ad malum. Per mœrorem cordis, caliginem, & ambiguitatem iudicij, ad vtrunque diſcernendum. Vnde ſequitur Propheta: Vulnus, & liuor, & plaga fluens; non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Ex quo deploratum eſſe malum oſtendit, vbi medicamentum non admittitur. Vt innuere uellet liberum hominis arbitrium, propter primum illud Adæ peccatum, ita imbecillum, debilitatum, infirmum, ac vulneratum eſſe; vt eius infirmitas, niſi Chriſti beneficio curari, recreariq. non poſſit. Propterea in 2. cap. eiuſdem ſuæ prophetiæ, hunc in modum Iſaias ſuum proſequitur intentum: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei

Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Quid in his verbis Propheta, niſi quòd ſub Chriſto domino, verè liberi erimus? Quippe in propheticis, vbi reperitur, in nouiſsimis diebus, id de tempore Meſſiæ eſt intelligendum. Vnde catholici doctores atque chriſtiani, illud .2. caput Iſaiæ, de Chriſto intelligendum docent. Quòd ſcilicet ipſius Eccleſia, ex gentibus in magnam congreganda ſit multitudinem; Idq. prædicatione nouæ legis & gratiæ, ex Ieruſalem prodeuntis; vnde ſalus, & liberi hominis arbitrij ſanitas prouenit, atque recreatio. Quo fit, vt opera quædam externa, ab homine, naturali rerum iudicio, emergentia, ſuis quo quo modo viribus facere poſsit; interiores autem animi motus, ſalutares videlicet animi affectus, cogitatusq., ex quibus opera æternæ vitæ meritoria, veluti optimi eorum fructus prodeunt; quos ſcilicet cordis noſtri affectus, ſpiritalem etiam nuncupamus iuſtitiam, diuina ſemper gratia aſsiſtente, quopiam arbitrij aſſenſu, vel diſſenſu accedente, efficere poterit. Vndè ad Corinthios prima, cap. 15. inquit D. Apoſtolus: Virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per dominum noſtrum IESVM Chriſtum. Et D. pater Auguſtinus de gratia & libero arbitrio cap. 4., ſubdit: Ergo & victoria qua peccatum uincitur, nihil eſt aliud quàm donum Dei, in iſto certamine adiuuantis liberum arbitrium. *Tom.7.*

Ex quibus quidem omnibus, doctores theologi hanc eliciunt definitionem; Liberum arbitrium eſt facultas voluntatis & rationis, qua bonum eligitur gratia aſsiſtente, & malum gratia deſiſtente. Quam quidem definitionem, de veritate .q. 24. ar. 3., ad primum argumentum, vult D. Tho., quod ad primam partem attinet, liberum etiam arbitrium complecti, quatenùs eſt in Deo; rationem accipiens pro qualibet immateriali cognitione; penès quam, beatus Dionyſius de diuin. nomi. cap. 6., rationem ponit in Deo. At verò D. Anſelmus in de libero arbitrio, cap. 3. illud definit quatenus Deo competit, Angelis, & hominibus, inquiens: Liberum arbitrium non eſt aliud, quàm arbitrium potens ſeruare rectitudinem voluntatis, propter ipſam rectitudinem. *Tom.3.* Quidam enim dicebant libertatem arbitrij eſſe, poſſe peccare & non peccare. Atqui D. pater Anſelmus in memorato loco, cap. primo, eis occurrit, dicens: Libertatem arbitrij non puto eſſe, potentiam peccandi & non peccandi. Quippe ſi hæc eius eſſet definitio, nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium; quod nefas eſt dicere.

Veruntamen obijcit diſcipulus, quòd illatio non currit; quoniam aliud eſt liberum arbitrium Dei & Angelorum bonorum, aliud noſtrum. Et D. Magiſter reſpondet, quòd licèt differat liberum arbitrium hominum, à libero Dei arbitrio & Angelorum bonorum; definitio tamen huius libertatis, in utriſque ſecundùm hoc nomen, eadem eſſe debet. Quamuis enim animal differat ab animali, ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidentaliter, definitio tamen ſecundùm nomen animalis, omnibus anima-

libus eſt eadem. Quemadmodum licèt homò ſit rationalis, & Aſinus non; in definitione tamen animalis non differunt; ſed in genere eſt eadem vtriuſque definitio. Hoc autem in loco agitur de liberi arbitrij definitione in genere. Quapropter talem oportet darę definitionem libertatis arbitrij, quæ nec plus, nec minus illa contineat. Quoniam ergo liberum arbitrium diuinum, & bonorum Angelorum peccare non poteſt, non pertinet ad definitionem libertatis arbitrij poſſe peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis eſt peccandi poteſtas. Quandoquidem voluntas illa liberior eſſe uidetur, quæ ſic vult & poteſt non peccare, vt nullatenus ualeat flecti à non peccandi rectitudine, quàm illa quæ flecti aliquo modo poteſt ad peccandum. Quoniam qui ſic habet quod decet, & quod expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior eſt, quàm ille qui ſic habet hoc ipſum, vt poſsit perdere; & ad hoc quod dedecet & non expedit, valeat adduci. Peccare autem, ſemper dedecens & noxium eſt. Liberior itaque uoluntas eſt, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam poteſt deſerere. Et quod additum minuit, & ſeparatum auget libertatem, id nec libertas eſt, nec pars libertatis. Cùm autem poteſtas peccandi ita ſe habeat, quòd addita uoluntati minuit eius libertatem, & auget ſeparata. Fit igitur neceſſariò conſequens, vt nec libertas ſit, nec pars libertatis. Quare definitio illa communis libertatis arbitrij eſt omnino reijcienda, & quam tradit D. Anſelmus, prorſus amplectenda.

Cuius quidem ſufficientiam oſtendit ipſe cap. 13. ex eo quia ita conſtat ex genere & differentijs, vt nihil illi addendum, aut demendum intelligi poſsit. Quoniam; poteſtas; inquit ipſe; genus eſt libertatis. Quod autem additum eſt; ſeruandi; ſeparat eam ab omni poteſtate, quæ non eſt ſeruandi; ſicut eſt poteſtas ridendi, aut ambulandi. Addendo uerò; rectitudinem; decernimus eam à poteſtate ſeruandi aurum, & quicquid non eſt rectitudo. Per addimentum, voluntatis, ſegregatur à poteſtate ſeruandi rectitudinem aliarũ rerum, vt virgæ, aut opinionis. Per hoc autem quod dictum eſt; propter rectitudinem ipſam; diuiditur à poteſtate ſeruandi rectitudinem uoluntatis propter aliud; vt cùm ſeruatur propter pecuniam, aut naturaliter. Seruat enim naturaliter canis rectitudinem voluntatis, cùm amat catulos ſuos, aut dominum ſuum ſibi benefacientem. His ita conſtitutis, vlterius progreditur D. Anſelmus in cap. 14. & vltimo, eandem libertatem diuidendo. Quoniam licèt ſecundùm illam definitionem, communis ſit omni rationali creaturæ, vel naturæ; multum tamen differt illa quæ Dei eſt, ab illis quæ rationalis naturæ ſunt, & illæ ab inuicem. Propterea inquit, quòd libertas arbitrij, alia eſt à ſe, quæ nec facta eſt, nec ab alio accepta, quæ eſt ſolius Dei. Alia à Deo facta, & accepta, quæ eſt hominum & Angelorum. Facta autem, ſiue accepta, alia eſt habens rectitudinem quam ſeruet, alia carens. Habens, alia tenet ſeparabiliter, alia inſeparabiliter. Illa quidem quæ ſeparabiliter tenet, fuit Angelorum omnium anteq̃ boni confirmarentur, & mali caderent; & eſt omnium hominum ante mortem, qui habent rectitudinem eandem.

Quæ verò tenet inſeparabiliter, eſt electorum Angelorum & hominum. Sed Angelorum electorum; poſt reproborum ruinam, & hominum poſt mortem ſuam. Illa autem quæ caret rectitudine, alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Quæ recuperabiliter caret, eſt tantùm in hac vita omnium hominum carentium, quamuis illam multi non recuperent. Quæ autem irrecuperabiliter caret, eſt improborum hominũ & angelorum; ſcilicet angelorum, poſt ruinam; & hominum, poſt hanc vitã. Ita D. Anſelmus. Ex cuius quidem uerbis & doctrina, poteſt nullo negotio definitio haberi liberi hominis arbitrij, coincidens cum prima, quæ talis erat: Liberum arbitrium eſt facultas uoluntatis & rationis, qua bonum eligitur gratia aſsiſtente, & malum gratia deſiſtente. Modò autem inquit D. Anſelmus, quòd alia eſt libertas arbitrij habens rectitudinem, alia carens. Habens, quædam tenet ſeparabiliter, quædam inſeparabiliter. Sub prima, præter angelos, continetur etiam homo, illam habens in præſenti vita. Si itaque homo in præſenti vita conſtitutus habet rectitudinem ſeparabiliter, & conſtat quòd non ſeparatur ab eo niſi accedente peccato; fit neceſſariò conſequens, quòd ſicut Dei gratia aſsiſtente, habet homo illam rectitudinem, ita eadem diuina gratia deſiſtente, ſeparatur ab eo, & ita malum eligitur. Quæ autem caret rectitudine ita ſe habet, quòd alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Sub harum prima, homo continetur in hac præſenti vita conſtitutus; quem quidem conſtat, illam non niſi per eandem diuinam gratiam poſſe recuperare; quod idem eſt quòd bonum eligere. Et ita diuina aſsiſtente gratia, homo ſua libertate arbitrij eligit bonum. Libertas autem eſt in voluntate, & arbitrium in intellectu; vt probabitur infra; quare ſequitur ut etiam de mente D. Anſelmi, liberum hominis arbitrium ſit facultas uoluntatis & rationis, qua bonum eligitur aſsiſtente gratia, & malum gratia deſiſtente. Sit igitur hæc definitio liberi hominis arbitrij; quæ relinquitur examinanda.

Præmiſſa definitio examinatur.

Cap. 2.

SACRI noſtri theologi, hoc nomen; liberum arbitrium; ſpectatu dignum ſunt ſemper arbitrati; quoniam ſecundùm propriam vocabuli ſignificationem, actum quendam nominare uidetur; at ſecundùm communem uſum loquendi, liberum arbitrium dicitur id quod eſt illius actus principium. Vnde dicunt, quòd bifariam accipitur; propriè nempe, & ex accommodatione uſus. Primo modo ſignificat actum; ſecundo modo, principium illius actus; & in hoc ſenſu ſumitur eius definitio.

Quia tamen principium actus in nobis eſt & potentia & habitus, quoniam dicimur aliquid cognoſcere & per ſcientiam, & per intellectiuam potentiam; reliquum eſt ut liberum arbitrium ſit vel potentia, vel habitus, vel potentia cum habitu; quod quidem, eius definitionem reddit obſcuram & cognitu difficilem; cùm ex ea modò uideatur habitus, modò

potentia.

potentia. Dicitur enim facultas voluntatis & rationis. Facultas autem, poteſtatis nominat facilitatem; quæ quidem eſt per habitum. Quoniam habitus eſt quo facilè quis agere poteſt. Eſt, inſuper, liberum arbitrium ſubiectum gratiæ, id quod habitui minimè competere poteſt, ſed potentiæ. Non enim poteſt habitus, alterius habitus eſſe ſubiectum. Quare definitio illa non eſt ſatis clara. Vt igitur omnibus pateat, dicimus quòd liberum arbitrium eſt potentia, minimè autem habitus, nec potentia cum habitu; & hoc intendit definitio. Siquidem doctrina eſt ab omnibus catholicis recepta, quòd naturale eſt homini quòd ſit liberi arbitrij. Si igitur liberum arbitrium eſt habitus, quòd ſit naturalis, aut non naturalis, ſit neceſſariò conſequens. Secundum non eſt admittendum; quoniam eius naturalitati repugnat quòd ſit habitus non naturalis. Nec admittimus primum; quoniam nullus habitus naturalis adeſt nobis ad ea quæ ſubſunt libero arbitrio; quia ad ea reſpectu quorum habemus habitus naturales, ſumus naturà propenſi; quemadmodum ad aſſentiendum primis principijs. Ea autem ad quæ ſumus naturà propenſi, non ſubſunt libero arbitrio; quoniam quod eſt nobis naturale, non eſt in poteſtate noſtra; & idcirco nec eſt laude nec uituperio dignum. Contra igitur propriam rationem liberi arbitrij eſt, quòd ſit habitus naturalis. Quare nullo modo erit habitus. Dicuntur; inſuper; habitus illi; ſecundùm quos ad paſſiones vel ad actus, nos benè habemus, vel malè; veluti docet Ariſtoteles in .2. libro de moribus. Per temperantiam enim ad concupiſcentias nos benè habemus; malè autem per intemperantiam. Item, per ſcientiam ad actum intellectus dum uerum cognoſcimus, nos benè habemus; malè autem, per habitum contrarium. Liberum autem arbitrium indifferenter ſe habet ad benè vel malè eligendum. Vnde impoſſibile eſt q̃ liberum arbitrium ſit habitus. Relinquitur ergo quòd ſit potentia. Potentia; inquam, naturalis, & in ſecunda ſpecie qualitatis. Et eſt naturalis, quatenus naturale ſumitur non pro ratione rei, at pro inhæſione illius rationis in ſubiecto; quia omnia quæ ita congenerantur alicui, ſunt ei naturalia, quia non liberè inſunt. Dicitur ergo liberum arbitrium potentia naturalis, ratione inhæſionis; diſtinguitur autem contra potentias naturales, & dicitur potentia libera, ſecundùm rationem potentiæ. Et dicitur liberum arbitrium potentia naturalis, non autem habitus naturalis; quoniam illæ duæ naturalitates in habitu ſunt inſeparabiles, ita quòd ſi eſt naturalis quantùm ad inhæſionem, eſt etiam quantùm ad rationem; etſi contra non recurrat oratio; vt conſtat. In potentia autem, res non ita ſe habet; ſed naturalitas inhæſionis ſtat cum libertate rationis. Sumitur nanque in propoſito naturale, quatenus diſtinguitur contra liberum. Naturale enim terminatur ad unum, liberum uero ad oppoſita. Doctrina eſt D. Tho. & domini Cardinalis Caietani, in prima par. ſumm. Theo. q. 83., ar. 2. Et hoc liberum arbitrium eſt potentia appetitiua. Quoniam eius natura conſiſtit in electione, ſeu eius proprium eſt electio. Ex hoc enim liberi arbitrij eſſe dicimur, quòd poſſumus unum recipere, alio recuſato; & hoc eſt eligere. Proprium autem electionis

obiectum,

obiectum, eſt illud quod eſt ad finem. Hoc autem, quatenus tale, habet rationem boni, quod dicitur vtile. Et bonum vt ſic, cùm obiectum ſit ipſius appetitus; ſequitur quòd electio ſit principaliter actus appetitiuæ virtutis. Et ita liberum arbitrium eſt appetitiua potentia.

Vnde Damaſcenus in 2. lib. cap. 44. dicit, quòd liberum arbitrium nihil aliud eſt, niſi voluntas. Voluntas; inquam; nòn abſolutè, ſed in ordine ad actum proprium, & immediatum voluntatis, qui eſt eligere. Ex natura enim voluntatis procedit quòd electio ſit libera. Colligit tamen liberum arbitrium virtutem voluntatis; & rationis; propter quod dicitur vtriuſque facultas. Non ita quòd liberum arbitrium ſit illæ duæ potentiæ eſſentialiter, ſiue ſecundùm ſuam naturam; ſed quia colligit eas virtualiter. Eligere enim quod eſt actus proprius & immediatus voluntatis, dicit duo; iudicium nempe diſcretionis, & deſiderium conſecutionis; primum eſt rationis, ſecundum voluntatis; quoniam eligere eſt alterum alteri præoptare. Electio enim dicit quandam comparationem unius ad alterum, & iſta comparatio pertinet ad conſilium præcedens; quod eſt rationis. Appetitus autem, quamuis non ſit collatiuus, quatenus tamen à vi cognitiua conferente mouetur, quandam habet collationis ſimilitudinem, dum unum alteri præoptat. Et licèt conſilium, ſiue iudicium ſit rationis per modum conſulentis & dirigentis; eſt tamen voluntatis etiam per modum imperantis. Voluntas enim mouet rationem, imperando actum eius; quod eſt ſimpliciter iudicare; ratio autem mouet uoluntatem, obiectum ſuum ei proponendo, qui eſt finis; quemadmodum patet in rege & eius conſiliarijs. Nam rex in regno iudicat per modum imperantis; conſiliarij autem per modum dirigentis. Iudicium tamen liberè eligendi ad uoluntatem pertinet, ſecundùm quòd in ea manet virtus rationis. Vnde merito, iureq. optimo liberum arbitrium dicitur facultas uoluntatis & rationis. Ex quo datur intelligi, quòd cùm dicimus hominem eſſe liberi arbitrij; non intelligimus quod actu liberè iudicet; ſed quod in ſe habet unde poſſit liberè iudicare. Ex communi nanque vſu loquendi, facultas ſignificat poteſtatem, qua aliquid habetur ad nutum; vnde & poſſeſsiones facultates dicuntur, quia ſunt in dominio poſsidentis. Et ita conſtat prima pars definitionis liberi hominis arbitrij, quæ eſt potentia; & hæc appetitiua, ſiue uoluntas. Cuius obiectum; in propoſito; ad quod ſe extendit, eſt bonum & malum; propterea dicitur quòd liberum arbitrium eſt facultas, qua bonum vel malum eligitur. Bonum quidem per ſe, & diuina aſsiſtente gratia; malum autem per conſequium, & deſiſtente gratia. Quoniam bonum eligere, ſiue poſſe bonum eligere, eſt pertinens ad hominis libertatem; diuinaq. fauente gratia, eligitur de facto. Quoniam non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis; quaſi ex nobis; ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. .2. Cor.3. Poſſe autem eligere malum, ſiue poſſe peccare, non eſt de ratione liberi arbitrij, nec pars eius; velutiex D. Anſelmo ſupra optimè nouimus. Conſequitur tamen liberum arbitriũ quatenus eſt in natura creata, ad defectum poſsibili; quemadmodum docet D. Tho. de veritate, q.24., ar.8., ad ſecundum argumentum. Et hoc

eſt (mea

eſt (mea quidem cenſura) quod voluit D. pater Anſelmus, in ſuo dialogo de libero arbitrio, cap. 2.; quando urgente diſcipulo, quòd ſi poſſe peccare nec eſt libertas, nec pars libertatis, inde neceſſariò conſequitur, vt angelus & homo per liberum arbitrium non peccauerint, at ex neceſsitate: Aut enim ſponte, aut ex neceſsitate peccauerunt. Si ſponte, quomodo niſi per liberum arbitrium? Et ſi non per liberum arbitrium, vtique ex neceſſitate. Et quod auget difficultatem, eſt illud Ioannis cap. 8.: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Qui autem ſeruus poteſt eſſe peccati, huic poteſt dominari peccatum. Quomodo igitur libera fuit illa natura, aut cuiuſmodi liberum arbitrium illud erat, cui peccatum dominari poterat? Ipſe magiſter ſub his uerbis reſpondebat: Et per poteſtatem peccandi, & ſponte per liberum arbitrium, & non ex neceſsitate, noſtra & angelica natura primitus peccauit, & ſeruire potuit peccato; & tamen non illi peccatum dominari poterat, vnde illa non libera, aut eius arbitrium non liberum dici poſsit. Per liberum arbitrium peccauit apoſtata angelus, ſiue primus homo, quia per ſuum arbitrium peccauit, quod ſic liberum erat, vt nulla alia re cogi poſſet ad peccandum, & ideo iuſtè reprehenditur; quia hanc haberet arbitrij ſui libertatem, non aliqua re cogente, non aliqua neceſſitate, ſed ſponte peccauit. Peccauit autem per arbitrium ſuum, quod erat liberum, ſed non per hoc unde liberum erat; ideſt, per poteſtatem qua poterat non peccare, & peccato non ſeruire; ſed per poteſtatem quam habuit peccandi; qua nec ad non peccandi libertatem iuuabatur, nec ad peccandi ſeruitutem cogebatur. Quod autem conſequi tibi uidetur, quia ſi potuit ſeruus eſſe peccati, potuit ei dominari peccatum; & ideo nec illum, nec eius arbitrium liberum fuiſſe. Non ita eſt. Etenim qui ſuæ poteſtatis eſt, vt non ſeruiat, nec alienæ poteſtatis ſit ut ſeruiat, quamuis poteſtate ſua ſeruire poſsit; quandiu non illa quæ eſt ſeruiendi, ſed illa quæ non eſt ſeruiendi utitur poteſtate, nulla res poteſt illi dominari ut ſeruiat. Nam etſi diues liber, poſsit ſe facere ſeruum pauperis; quandiu hoc non facit, nec ille nomen amittit libertatis, nec pauper illi propriè dicitur dominari. Aut ſi dicitur, impropriè dicitur; quia hoc non in eius, ſed in alterius eſt poteſtate. Quamobrem nihil prohibet angelum & hominem ante peccatum liberos fuiſſe, aut liberum arbitrium habuiſſe. Hæc D. Anſelmus.

Qui in ſequentibus poſtea declarat quomodo poſtq̃ ſe fecerunt ſeruos peccati, liberum habuerunt arbitrium. Sed de hoc agemus inferius. Interim ergo dicimus, quòd ſi homo peccauit non per poteſtatem qua poterat non peccare, ſed per poteſtatem quam habuit peccandi; quæ tamen nec augebat libertatem, nec eum ad peccandi ſeruitutem cogebat; illud perſpicuum relinquitur & clarum, quòd poſſe peccare non eſt de ratione, nec pars liberi arbitrij; ſed illud conſequitur, quatenus eſt in natura creata, poſsibili ad defectum. Quando igitur quæritur, nunquid homo liberè, vel neceſſariò peccauerit; reſpondeatis formaliter, quòd liberè peccauit; ideſt, nemine cogente. Non ita tamen, vt ea ſit vſus libertate, qua poterat non peccare; quoniam ea libertas non ſtat cum ſeruitute. Eſt

enim implicatio (vt aiunt) contradictionis, quòd quis princeps magnus ſit, & ita liber ut nemo ei dominari poſsit; & illa poſtea utatur libertate, vt ſeruus efficiatur. Sed utetur ſẽper defectiua poteſtate, quæ potius ſerui tus, q̃ libertas uenit appellanda; ſeu potius radix eſt dicenda ſeruitutis, q̃ libertatis. Ita pari ratione, homo quando peccauit, vſus eſt illa poteſtate defectiua, quæ non eſt de ratione libertatis; ſed illam conſequitur, quatenus eſt in natura creata, poſsibili ad defectum. Ariſtoteles enim. 3. lib. de moribus, cap. 12. dicebat, quòd intemperantia circa delectationes, ſeruile eſt, & beſtiale. Quoniam ſeruus eſt, qui paſsionibus ſeruit. Primò Polit. cap. 2. Vnde liberum arbitrium nunq̃ eligit malum per ſe, at per conſequias; quatenus ſcilicet eſt in natura creata, poſsibili ad defectum, diuinaq́. deſiſtente gratia. Quare eius optima relinquitur definitio. Quæ quidem, num Protoplaſti in utroque ſtatu libertati conuenetit, relinquitur examinandum.

Qualis fuerit protoplaſti libertas.
Cap. 3.

QVO præmiſſa definitio magis ac magis eluceſcat, qualiſnam fuerit protoplaſti libertas, videamus oportet. Quod ut clarius præſtare poſsimus, illud in primis exarandum nobis occurrit, nempe quo modo ſe habuerit homo in initio ſuæ creationis; grauiſsimum Dominicum à Soto inſequuti; licèt eius in hac parte doctrina, non omnibus arrideat. Quamuis igitur humana natura non fuerit ſecundùm rem niſi in quadruplici ſtatu; iuſtitiæ uidelicet originalis, peccati originalis, gratiæ, & gloriæ; nihilotamenſecius, quò exactior & copioſior ſit doctrina, ad eaq́. vtilior, quæ inferius dicturi ſumus, hominem ipſum animo concipere, & in mera ſua natura creatum ita effingere poſſumus, vt inde ſex ei aſsignemus ſtatus, quatuor præmiſsis, duos alios addendo; nimirum ſtatum in puris, meriſq́. naturalibus, & ſtatum naturæ integræ. Status in puris naturalibus, eſt ſi homo ſine gratia à Deo conderetur, & ſine iuſtitia originali, & ſine aliquo dono ſanante naturam, atque etiam ſine peccato; atqui ſolummodo compoſitus ex corpore & anima, cum ſuis potentijs; qualem philoſophi ſemper agnouerunt. Status naturæ integræ, ille eſt, ſecundùm quem, hominem intelligimus conditum in ſtatu conſono rationi naturali; quia ſcilicet in eo pars ſenſitiua eſt rationi ſubiecta, & ipſa ratio eſt benè affecta erga Deum, vt eſt finis naturæ, eo pacto, vt in naturalibus eſſet omnino rectus, atque perfectus. Status iuſtitiæ originalis, eſt ſtatus ille feliciſsimus, in quo credimus primũ hominem fuiſſe creatum; vt nomine iuſtitiæ originalis, non ueniat intelligenda virtus illa ſpecialis, quæ inter Cardinales adſcribitur, ius vnicuique ſuum tribuens; nequidem talis iuſtitia, quali nunc iuſtificamur, quæ eſt gratia remiſsionis peccatorum. Sed iuſtitia originalis, eſt rectitudo quædam totius hominis; videlicet corporis ad animam, & appetitus ſenſitiui ad rationem, huiuſq́. ad Deum.

Senſualitas enim tunc nullam rationi moleſtiam inferret, cùm uellet homo uti membris corporeis, defatigarentur minimè, ac denique ratio nunquam interturbata, Deo eſſet ſemper intenta. De hac loquebatur Eccleſiaſtes cap. 7. inquiens: Fecit Deus hominem rectum. Et quoniam per originem iuſtitia illa, tum recepta fuit Adæ, tum etiam transfundenda erat in poſteros, originalis dicitur. Qua modò ratione, contraria culpa, originalis quoque appellatur. Status naturæ lapſæ ille eſt, in quo homo conſideratur in peccatum iam prolapſus. Status gratiæ eſt, in quo iuſtificamur per Chriſtum dominum, ſeruatorem noſtrum. Ac demum ſtatus gloriæ eſt, in quo per eundem Chriſtum beatificatur homo. Qui quidem, in puris, meriſq. naturalibus conceptus, medium adhuc inter angelos & animalia bruta obtineret locum, & ita utrunque participaret extremum, naturam videlicet intellectualem, & animalem; nomine animalis intelligendo totam ſenſilem partem, nimirum cognoſcitiuam & appetitiuam; nomine uerò intellectualis, ratio intelligitur atque uoluntas. Ita in homine diuidit partes Ariſtoteles, libro de moribus ſecundo; & in primo Politi., ſenſilem partem docet rationi obedire; non quidem ſeruitio deſpotico, veluti ſeruus domino ſuo; qui cùm non ſit ſui iuris, non habet renitendi facultatem; at obſequio politico, & regali; quemadmodum ciuis paret principi; vtpotè in cuius eſt arbitrio, illi non obtemperare. Ex quo, nullo negotio illa conuincitur diſparitas & lucta ſpiritus aduerſus carnem, & huius aduerſus illum, cuius meminit D. Apoſtolus, inquiens: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Et alio in loco; Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Licèt enim Paulus de homine loquatur in natura lapſa, idem tamen iudicium ferendum eſt de eo in puris naturalibus conſtituto. Vnde illa rebellio & pugna inter carnem & ſpiritum, quæ communi vſu nomine concupiſcentiæ ſignificatur, eſt homini à natura ingenita. An verò fuerit aucta ex peccato, ſuo loco dicemus. Liberum haberet arbitrium homo ita phyſicè conſideratus; quoniam ad imaginem Dei factus, iudicio & arbitrij vſu, pecoribus, cæteriſq. rebus ratione carentibus dominaretur. Finem denique haberet naturalem, atque ſupernaturalem. Finis eius naturaliſſimus eſt operari ſemper ſecundùm rationem; (eſt enim homo animal rationale) hoc eſt agere propter honeſtum, quando, & vbi oportet, ſecundùm prudentiæ regulas, ratione præſcriptas. Finis verò ſupernaturalis conſiſtit in viſione Dei ſummè dilecti; dicente Domino: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum. Et hunc finem nõ potuiſſet phyſicus iſte noſter homo proprijs conſequi viribus; cùm ſit ſimpliciter ſupernaturalis; veluti aliàs latiùs docuimus. Illud igitur uerſatur diſcrimen inter hunc & ſtatum naturæ integræ, ꝙ in hoc nulla eſt pugna neq. rebellio inter carnem & ſpiritum; quoniam in tali ſtatu homo ſpectatur atque conſideratur ita benè compoſitus, & ad finem conſtitutus ſuæ naturæ proportionatum, vt ſine aliqua pugna, aut difficultate,

in bono ualeat perſeuerare uirtutum;etſi pro ſui arbitrij libertate poſſit ab eo rectitudinis ſtatu declinare,atque deſiſtere.Siquidem per hominem in ſtatu naturæ integræ conſtitutum,homo intelligitur in ſtatu conſtitutus rationi conſentaneo,cum dono ſanante naturam,ad officia uirtutum, & ad finem naturæ noſtræ idoneum atq. decentem. In illo uerò ſtatu,hominis videlicet in puris,meriſq. naturalibus conſtituti; contrariantur inter ſe appetitus ſenſitiuus & rationalis;vnde ſequitur rebellio illa & pugna inter carnem & ſpiritum, quam dicebamus. Et licèt donum illud ſanans naturam iu ordine ad finem ſibi proportionatum & conſentaneum,ſuper naturale eſſet;à peritioribus tamen theologis naturale uocatur;tum quoniam illius eſſet ſtatus conditio;quemadmodum lumen gloriæ,ipſis beatis naturale dici ſolet. Tum uerò, quoniam huiuſmodi donum hominem perficeret in ordine ad finem ſuæ naturæ conſentaneum,& non amplius. Tum tertiò,quoniam homo tali dono prædirus,poſſet per facultatem naturæ,vniuerſum bonum perficere, ſuæ naturæ proportionatum; quandoquidem tale bonum,facultatem nō exſuperaret naturæ humanæ,& alia ex parte,natura integra eſſet,atq. perfecta; vnde poſſet illa præſtare. Status autem iuſtitiæ originalis ſuperaddit ſtatui naturæ integræ & perfectæ gratiam ipſam,quæ eſt principium bonorum meritorum,& quæ facit homines Deo gratos,diuinæq. naturæ conſortes; addit inſuper cætera Spiritus ſancti Chariſmata,quæ ipſam gratiam in homine conſequuntur uiatore; nimirum fidem,ſpem,& charitatem.Ratio deniq. humana,ex coniunctione ad donum iuſtitiæ originalis,haberet in ſe uigorem quo poſſet concupiſcentiam frænare,& in officio detinere virtutum. Vnde quando Eccleſiaſtes dicit cap.7.: Fecit Deus hominem rectum; integram intelligit rectitudinem D.Tho.,.1.par.q.95.ar.1.,qua ſcilicet Deo ſubiectus eſſet homo per gratiam,ideoq. vires inferiores rationi,& animæ corpus. Quæ quidē plā,in ea continentur,quā præmiſimus,iuſtitiæ originalis definitione.

Nouimus enim quamplurimos fuiſſe grauiſsimos doctores, dicentes Adam in ſola originali iuſtitia fuiſſe creatum,abſque gratia gratum faciente, ex quo ſequitur, quòd iuſtitia illa non faceret rationem ita Deo eſſe intentam, quaſi eſſet homo per illam ad amicitiam Dei ſubleuatus; atqui eatenus intentā,quatenus in Deum naturaliter fertur natura noſtra.Diuus autem Thomas,& alij non pauci in ea ſunt ſententia, vt primum hominem credant in gratia ſimul atque iuſtitia fuiſſe conditum. Quinetiam iuſtitiam illam ita à gratia pendere, vt fuerint vel inſeparabiles,vel forſan una, eademq. res. Quod an verum ſit,vel potius gratia fuerit radix iuſtitiæ,nolo diſputare modò; Scio enim hinc inde ualidiſsimas non deeſſe rationes. At ſufficiat nobis quòd fuerint inſeparabiles; ita ut quia homo fuit creatus in gratia, fuerit etiam in iuſtitia; & contra ſemper reccurrit oratio; Item,quia perdidit gratiam, expoliatus quoque fuerit iuſtitia. Et in hanc ſententiam traxit me Diuus pater Auguſtinus, qui de correptione & gratia, cap.10., Tom.7.
in hunc modum effatur: Diabolus uerò & angeli eius,& ſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat

tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinẽ, tanq̃ præmium ipſius permanſionis acciperent; id eſt, vt magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſsimè noſſent; hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine ullo uitio fruebantur. Nam ſi ſuum caſum futurum noſſent, æternumq́. ſupplicium, beati utique eſſe non poſſent, quos huius tanti mali metus iam tunc miſeros eſſe compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamuis ſui futuri caſus ignatum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & nõ miſerum fieri, in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto ac ſine uitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere uoluiſſet, profectò ſine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam meritò huiuſmodi permanſionis, beatitudinis plenitudinem, qua & ſancti angeli ſunt beati; id eſt, vt cadere non poſſet ulterius; & hoc certiſsimè ſciret. Hactenus Auguſtinus. Qui de rectitudine pertractat, qua fuit primus homo creatus, illumq́; angelis æquiparans, ait, ꝙ ſicut illi fuerunt beati, hoc eſt, in gratia Dei, priusq̃ caderent; in qua, niſi per liberum arbitrium cecidiſſent, fuiſſent per gloriam confirmati; Ita pari paſſu, Adamus fuit in beatitudine creatus, vt poſſet non peccare; in qua tranſlatus in coelum, fuiſſet confirmatus, ſi in illa perſeueraſſet. At quomodo ſine gratia, illum beatum appellare poteſt? Quando igitur Eccleſiaſtes dicit cap. 7., ꝙ Deus fecit hominem rectum; de perfecta loquitur rectitudine, quæ Dei amicitiam complectitur. Id quod etiam eodem in loco, cap. 11. confirmat Auguſtinus, inquiens: Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. At nusq̃ bonam voluntatem extra charitatem appellat Auguſtinus.

Huic doctrinæ fauet authoritas Concilij Triden., ſeſsio. 5. cano. primo & 2.; quo loci fatetur Adam ſanctitatem à Deo accepiſſe, ſimul atque iuſtitiam. Atuerò quid per ſanctitatem, niſi gratiam intelligit ſacroſancta Synodus? Et hæc quidem gratia, quia erat donum totius naturæ, vnà cum uirtutibus fuiſſet infuſa ſimul cum anima in conceptione prolis. Cùm enim ſtatus ille longè eſſet præſtantior ſtatu culpæ, nulli debet eſſe dubium; inquit Soto; quin ante vſum rationis, paruuli recepiſſent gratiam; & cùm nullo tunc temporis opus eſſet ſacramento, quia nulla præcedente culpa, nullus futurus erat redemptor; nulla eſt ratio, cur non fuiſſent tunc homines concepti in gratia; nullum ſiquidem erat peccatũ originale. Nec ob id fuiſſet gratia formá naturalis, atqui ſemper donum gratuitum. Quoniam licèt infunderetur in generatione, non tamen ex vi generationis, ſed Dei gratuita uolũtate. Et licèt Concilium Tridentinum, loco proximè citato, non dicat hominem conditum, ſed conſtitutũ fuiſſe in iuſtitia & ſanctitate; quod quidem uerbum, utramq; ſententiam amplecti videtur, nẽpe hanc quã ſequimur nos ex D. patre Auguſtino & beatiſsimo Aquinate, & illam quæ dicit, inter iuſtitiam & ſanctitatem, ſiue gratiam, non nihil temporis interceſsiſſe. Ad noſtrum tamen ſenſum reduci poteſt, ex ijs

quæ Eccle.18. habentur; nimirum quòd, Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul. Non igitur prius creauit Adam, deinde gratiam in eo. Et ſi ſancta ſynodus id noluit definire, probabilior tamen redditur ſententia noſtra. In hoc itaque ſtatu iuſtitiæ originalis, habebat homo liberum arbitrium; veluti uno ore omnes fatentur, nec de hoc ulla eſt controuerſia. Vnde nihil impediebat ad bonum, ad malũ nihil cogebat, tunc ſine errore iudicabat ratio, & bonum ſine difficultate appetebat uoluntas. Et quia triplex reperitur libertas, videlicet à neceſsitate, à peccato, & à miſeria, ſeu, vt alij dicunt, naturalis, gratiæ, & gloriæ; vt prima dicatur à verbo quod eſt libet; aliæ uero duæ, ab eo quod eſt libero; & prima ſpecies opponitur coactioni & neceſsitati, altera uerò ſeruituti; omnes iſtæ libertates fuerunt in ſtatu innocentiæ. Et prima, quia eſt naturalis, adhuc manet poſt peccatum; ſed reliquas duas perdidimus. Quas per Chriſtum recuperamus; ſecundam quidem in hac vita; tertiam autem in futura. Prima libertas eſt æqualiter in omnibus, non minor in malis, quàm in bonis, tam plena poſt peccatum, ſicut & ante peccatum. Quoniam ſicut tunc cogi non poterat, ita nec modò. De ſecunda dicit Apoſtolus 2. ad Corin. cap. 3.: Vbi Spiritus domini, ibi libertas. Et ad Roma. 6.: Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ; nunc autem liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem.

Iſtam libertatem; inquam; homo peccando amiſit. Et hoc eſt quod in Enchi. cap. 30. inquit Auguſtinus: Homo malè utens libero arbitrio, ſe Tom.3. perdidit & ipſum. Non eſt amiſſa prima libertas, quæ dicitur naturalis, ſeu libertas à neceſsitate; ſed libertas à peccato; quoniam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati; Ioannis cap. 8.; Vnde: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Hanc igitur libertatem à peccato illi ſoli habent, qui per gratiam reparantur; non quòd penitus ſint ſine peccato; inquit Hugo de ſancto Victore; Sed quia non dominatur eis peccatum. De tertia libertate, in hunc modum loquitur D. Apoſtolus ad Roma. cap. 8.: Et ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hanc itaque; vt diximus; nullus habet in præſenti. Quoniam licèt peccatum non regnet in homine, & per conſequens ſit liber à peccato; in præſenti nihiloſecius, à poena peccati nullus liberatur. Ex quibus conſtat, quam peccando amiſerit homo libertatem, & in quo per peccatum ſit diminutum liberum arbitrium. Quia tunc nulla difficultas ad rectè volendum, nullum impedimentum de lege membrorum ad bonum perficiendum; ſed modò anteq̃ per gratiam liberatum ſit à peccato, nec velle, nec perficere bonum poteſt. Dicente D. Apoſtolo ad Roma. cap. 7.: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Niſi enim liberetur per gratiam intus operantem, & excitantem cor, non poteſt ipſum arbitrium erigi ad bonum. Sed de his inferius. Liberum igitur hominis arbitrium ante lapſum poterat ex gratia accepta benè uiuere, & non peccare unq̃. Et propterea non indigebat tum gratia Chriſti miſerentis, & ad pugnandum, ac uincendum adiuuantis. Iam autem poſt lapſum,

factum eſt miſerũ,ſeruituti peccati & damnationis obnoxiũ,à quibus malis non poteſt niſi per Chriſti gratiam redimentis liberari. Ex quo falluntur huius noſtræ ſæuiſsimæ tempeſtatis hæretici, dum ex ſacris,diuiniſq. ſcripturis,additis quoque ſanctorum Patrum authoritatibus,liberum noſtrum arbitrium deſtruere cõtendunt; libertatem à peccato, & libertatem à miſeria,à potentia quam liberũ vocamus hominis arbitriũ,minimè diſtinguere volentes; minuſq. animaduertentes diſcrimen inter ſtatũ innocentiæ,& ſtatũ naturæ humanæ iam lapſæ. Qui quidem ſtatus, hominem nobis præmonſtrat cum ſolo peccato originali,ſi propriè loqui velimus. Homo enim conditus in puris naturalibus , in hoc differt ab homine in ſtatu naturæ lapſæ cõſtituto;quòd iſte ſe habet veluti homo nudus,qui propter peccatum fuit veſtibus expoliatus,& ille ſicuti homo qui ſuapte natura conditus eſt ſine veſte,& nunq̃ habuit illam. Vterque enim nudus incedit,ſed prioris nuditas non eſt poena,ſed naturæ conditio;poſterioris verò nuditas & ſpoliatio,poena eſt propter delictum inflicta. Eadem ratione,appetitus ſenſitiuus iuſtitia originali deſtitutus,rebellis erat rationi; quæ quidem rebellio , poena erat peccati, necnon eiuſdem effectus. At uerò dato homine in puris naturalibus conſtituto , hæc eadem rebellio in appetitu ſenſitiuo locum haberet; ſed tamen eo tempore poena minus eſſet,at quædam naturæ conditio. Itaque donum iuſtitiæ originalis,hanc rebellionem compeſcebat aduerſus rationem; quo quidem dono ablato, ſubſecuta fuit rebellio. Modò autem, ſi poſt peccatum originale,actualia peccata admiſerit homo, iam non erit inſtar hominis ſpoliati , atqui homini aſsimilabitur malè veſtito . Vnde tunc per malos habitus eſſet pronior ad malum,& ad bonum ineptior . Horum autem rationem inducunt doctiſsimi D.Tho. aſſeclæ in hunc modum ; quia deſtitutio gratiæ & iuſtitiæ originalis,quæ expoliationem inſequitur,non eſt per ſe expoliationis effectus,atqui per accidens,veluti remouentis prohibens. Vnde quemadmodum lapis non velocius , aut tardius mouetur quando remouetur prohibens,quàm ſi nunq̃ impeditus inciperet moueri , ita natura humana poſt peccatum originale,per quod fuit iuſtitia originali deſtituta, manet æquè ad bonum & malum propenſa, ac ſi eſſet in puris naturalibus producta,atque creata. Ex quibus omnibus,ſatis claram habemus notitiam quatuor illorum hominis ſtatuum , quos in ſuperioribus enumerauimus: nempe naturalis,naturæ integræ,iuſtitiæ originalis, atque naturæ lapſæ ſimpliciter. De ſtatu autem gratiæ,latius inferius verba faciemus. Interim dicamus protoplaſtum,illam ante lapſum habuiſſe arbitrij libertatem , quam exarauimus ; quia ſcilicet habebat poteſtatem faciendi quicquid ſimpliciter volebat,tam videlicet in his quæ pertinent ad Deum,q̃ in his quæ ſpectant ad naturalia. At per peccatum perdidimus poſsibilitatem faciendi quicquid uolumus,in his quæ ad Deum pertinent ; videlicet,ne ualeamus per nos gratiam Dei promereri. Manſit tamen poſsibilitas ad naturalia. Hæc item manſit libertas in ſupernaturalibus ad utrumlibet ; vt ſcilicet quoties uelimus Deo cooperari , præſtò ſit ad opitulandum nobis . Quod ſi nolimus, neminem ipſe cogat; atqui

iuxta noſtram naturam liberè permouent. Vnde Hypoghoſticon libro 3. ad
initium, D. pater Auguſtinus in hunc modum effatur: Iterum poſſe dicunt Tom.7.
(ſupple tu, Pelagiani) hominem per liberum arbitrium, tanq; per ſe ſibi
ſufficientem implere quod velit; vel etiam meritis operum, à Deo gra
tiam vnicuique dari. Reſpondemus: Neminem poſſe per ſe ſibi, ideſt, per
liberum arbitrium ſufficienter implere quod velit. Rectè dicimus, niſi pro-
toplaſtum ſolum potuiſſe, cùm voluntas liberi arbitrij fuiſſet ſana eidem
ante culpam. Nam vt calcatius liberum arbitrium cum poſſibilitatis bo-
no, quo valeret implere quod voluiſſet, Adam factum intelligas, audi
quid dicit ſcriptura ſancta in libro Eccleſiaſtico: Deus, inquit, ab initio Eccle.15.
fecit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui, adiecit mandata &
præcepta: Si uolueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & fidem facere
beneplacitam in perpetuum: Appoſui tibi ignem & aquam, ad quod uolue-
ris porrige manum tuam. Ante hominem eſt vita & mors, bonum & ma-
lum, & quod uoluerit, dabitur illi. Quid eſt autem: Et reliquit illum in ma-
nu conſilij ſui, niſi dimiſit eum in poſſibilitate liberi arbitrij ſui? In manu
enim poſſibilitas arbitrij intelligitur. Ipſa eſt prima gratia, qua primus
homo ſtare potuiſſet, ſi ſeruare mandata domini uoluiſſet. Hac ergo per
inobedientiam deſolatus homo, iudicio iuſto factus eſt ſerpenti, ideſt, dia
bolo cui maluit obedire quàm Deo, captiuus. Et ideo ſcriptum eſt: A quo .2. Pet.2.
enim quis ſuperatus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Et iterum: Omnis qui Ioan.8.
facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Quod confirmat Apoſtolus Paulus iam
baptizatis, dicens: Cùm eſſetis ſerui peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ, videli- Rom.8.
cet alieni eratis à iuſtitia. Per ſe ergo homo lapſum facere potuit, quia
uoluit: ſed non ſicut per ſe lapſus eſt, continuò à lapſu per ſe, ideſt, per
propriam voluntatem conſurgere valuit, niſi manu domini miſericordiſ-
ſima, quando eius placuit pietati, fuiſſet erectus. Propter quod ſcriptum
eſt: Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Hæc Au- Pſal.144
guſtinus, quibuſdam interpoſitis: Et inferius ait concludendo: Per pecca-
tum ergo liberum arbitrium hominis poſſibilitatis bonum perdidit, non
nomen & rationem. Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus homini-
bus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum quæ ad
Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere; ſed tantùm
in operibus vitæ præſentis, tam bonis, q̃ etiam malis. Bonis dico; quæ de
bono naturæ oriuntur, ideſt, velle laborare in agro, velle manducare &
bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare do-
mum, vxorem uelle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diuerſarum re-
rum bonarum, velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitam; quæ
omnia non ſine gubernaculo diuino ſubſiſtunt; immo ex ipſo & per ipſum
ſunt, vel eſſe coeperunt. Malis uerò dico, vt eſt uelle idolum colere, velle
homicidium, velle adulterium facere, res alienas uelle diripere, Deum
viuentem in ſæcula blaſphemare, velle turpiter uiuere, velle maleficia di-
ſcere, velle inebriari, & luxurioſè viuere; velle quicquid non licet, vel non
expedit operari. Sed iſta non pertinent ad ſubſtantiam vitæ præſentis,
quia non ſunt à Deo, immo malè deſiderata, maculant vitam quæ eſt à Deo.
Hæc ille.

Hæc ille. Et paulò poſt ſubdit, inq̃s; Iſta ſunt diaboli opera, quæ Chriſtus Dei patris uerbũ, quod eſt gladius bis acutus, in hunc mundũ ueniens, ex virgine natus, de credentium libero arbitrio gratuita ſua gratia amputat; idoneam in eiſdem ad credendum præparans uoluntatem; per quam poſſint tam Dei patris, q̃ ſuam, ſanctiq́. Spiritus iuſtam peragere uoluntatem. Non ergo homo uoluntate ſua adhuc in initio liberi arbitrij claudicante, præuenit Deum vt cognoſcat & quærat eam gratiam tanq̃ pro meritis accepturus; ſed præcedit, vt iam dixi, miſericordiſſima gratia ſua Deus hominis ignorantis, & nondum ſe quærentis voluntatem liberi arbitrij, vt eum ſe ſcire & quærere faciat: ſicut dixit Ioannes Apoſtolus in
1. Ioan. 5. epiſtola ſua: Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius. Hactenus Auguſtinus, quibuſdam interpoſitis. Primus itaque homo fuit creatus in gratia, qua quidem mediante, poſſibilitatem habebat faciendi quicquid ſimpliciter volebat; tam ſcilicet in his quæ pertinent ad Deum, q̃ in his quæ ad naturalia ſpectant; cùm tamen eiuſmodi poſſibilitatem, modo prænarrato, per peccatum amiſerit, fit meritò conſequens, vt definitio, quam præmiſimus liberi hominis arbitrij, vtrunque ſtatum complectatur; ante nimirùm, & poſt lapſum.

Verùm quia intentio eſt de libero arbitrio pro ſecundo ſtatu, de quo dicebat Iſaias: Omne caput languidum & omne cor moerens; idcirco hunc ſtatum proſequemur, atque moerorem. Sic enim rationem habebimus & cauſam languoris in capite, infirmitatis in corpore, & moeroris in corde. Quæ quidem, non niſi ex humano ſcelere originem traxerunt, quod & nobis cauſam mortis contraxit. Conſequitur ergo vt de peccato dicamus, in quod vltro, & ſua voluntate prolapſus homo, ſuam quoque demiſit poſteritatem. Hoc communi vſu uocatur peccatum originale, quod quidem Pelagiani omnino tollebant; verùm Lutherani in alterum extremum è regione impingunt; volentes quòd peccatum originale ſecundùm propriam culpæ rationem, maneat in baptizato; & inde colligentes, hominem non poſſe diuinam ſeruare legem; quare; inquiunt; perit omnino liberum hominis arbitrium. Vt igitur prorſus ſit eis incluſa uia, & ad malignandum tranſitus interdictus; de peccato originali pertractare minimè grauabimur. Quò tandem ſtatum naturæ lapſæ, & an tollat liberum hominis arbitrium, perfectè ac dilucidè inſpicere valeamus.

An ſit peccatum originale. Cap. 4.

MALEDICTVS ille, diuinæ gratiæ inimicus atque infenſus, perfidus Pelagius, de peccato originali, deq́. malis inde prouenientibus infraſcriptas hæreſes ſtatuit; nimirum quòd infantes in eodem naſcuntur ſtatu, in quo ex Adam etiam non peccante nati fuiſſent, peccato minimè obnoxij, nec in ira Dei conſtituti, ſed innocentia pleni. Et propterea infantes ſunt baptizandi; non ut à peccato, aut à diaboli poteſtate liberentur, atqui ut in regnum Dei admittantur. Siquidem peccatum Adæ;

ſum Adæ (inquit) ipſum ſolum læſit, & non genus humanum: corporali morte moriturus etiam erat Adam, ſimul & uniuerſum genus humanum, & ſi Adam non peccaſſet. Concupiſcentia carnis, legi repugnans naturæ, inſuper & mors ipſa, omniſq. in hac uita hominis mortalitas (ſunt; inquit Pelagius) non ſupplicia primariæ culpæ, ſed conditiones naturæ. Hæc eſt maledicta Pelagij hæreſis de peccato originali: quam quidem ut iuniores theologi percipere queant, nouerint illam ad quatuor præcipuè capita reduci.

Primum eſt, Infantes naſcuntur in eo ſtatu, in quo nati fuiſſent ex Adam etiam non peccante. Atque ita eos docet nec iuſtos naſci, nequidem iniuſtos, ſed innocentia plenos. .1.

Secundum caput eſt, quòd docet, infantes non naſci obſtrictos ullius damnationis uinculo, atque ita eoſdem eſſe baptizandos, non ut à peccato liberentur, ſed ut in regnum Dei admittantur. .2.

Tertiò docet, concupiſcentiam carnis eſſe naturale bonum, à Conditore inſitum naturæ. .3.

Quartò uult mortem, famem, ſitim, omnemq. in hac uita humani generis miſeriam, eſſe conditiones naturæ humanæ, ita primitùs à Deo inſtitutæ, & non ſupplicia culpæ. .4.

Ex his itaque, ceu præiactis fundamentis, ad ſuos procedebat errores, ſeu ulterius ſuas protrahebat Pelagius hæreſes contra diuinam gratiam, pro defenſione liberi arbitrij. Quoniam dum ſtatuunt huius iniquitatis aſſeclæ, infantes naſci innocentes, & ſine peccato; ex conſequenti concludũt eos poſtq̃ ad rationis uſum peruenerint, hanc poſſe innocentiam ſeruare, atque cuſtodire, quam à Deo habent conditam, & inſtitutam. Neque enim Deus iuſtus & bonus (inquiunt) potuit naturam condere impotentem ad permanendum in eo quod acceperat. Si enim rationalis natura ſic eſſet condita, ut non poſſet talis permanere, qualis fuiſſet condita, iam nõ eius culpa deficeret ab eo ſtatu, in quo erat condita.

Et pro huius perniciei confirmatione, diuo patre Auguſtino referente, de peccatorum meritis & remiſſione, lib. 3. cap. 3. has erigunt rationes: Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit: Ergo & Chriſti iuſtitia etiam non credentibus prodeſt. Id quod abſurdiſſimum iudicant, atque falſiſſimum. Tom.7. .1.

Deinde, Si baptiſmus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato. Non enim potuerunt ad poſteros tranſmittere, quod ipſi minimè habuerunt. .2.

Illud quoque accedit, quòd ſi anima non eſt ex traduce, ſed ſola caro, ipſa tantùm habet traducem peccati, & ipſa ſola pœnam meretur. Iniuſtum eſt enim (inquiunt) ut hodie nata anima non ex maſſa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Siquidem nulla ratione conceditur, ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena. .3.

De nuptijs quoque & concupiſcentia lib. 2. cap. 4. & deinceps, multa alia recitat Pelagianorum argumenta idem pater Auguſtinus; quorum primum erit nobis quartum in ordine, cuius uis talis eſt: Deus inſtituit coni- Tom.7. .4.

ugium; veluti habetur Gene. cap. 1. & 2. Qui igitur ex commiſtione maris & foeminæ naſcuntur, peccatum non trahunt originale. Vnde falſum eſt, eos qui de parentibus qualibuſcunque naſcantur, adhuc ſub diabolo eſſe, niſi renaſcantur in Christo.

.5. Aiunt inſuper, Deum paruulorum authorem unico ore confitemur. At malum ille non facit. Quare nec homines ob hoc facit, vt à Diabolo legitimo iure teneantur.

.6. Scriptura quoque diuina Gene. cap. 4. dicit: Cognouit Adam Euam vxorem ſuam, & concepit, & peperit filium, vocauitq. nomen eius Seth, dicens: Suſcitauit mihi Dominus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Diuinitas igitur, ſemen dicitur excitaſſe; ideſt, libidinem coeundi; cuius motu excitaretur ſemen, vt gremio foeminæ poſſet infundi. Fructus itaque inde prouenientes non detinentur à Diabolo.

.7. Adhuc, Eadem ſancta Scriptura Gene. cap. 9. de Noe dicit & filijs eius, quod ſimiliter fuerint benedicti vt Adam & Eua, dicente Deo: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini ei. Voluptas igitur illa quæ diabolica nuncupatur, iam in ſupradictis coniugibus habebatur; quæ vt inſtitutione bona, ita etiam benedictione permanſit. A Deo itaque cùm ſit huiuſmodi voluptas, quì fieri poteſt vt inde fructus eueniant ſubditi diabolo?

Confirmatur ratio; quoniam concupiſcentiam hanc ſine qua nulla foecunditas eſt, excitauit Deus in Abraham & Sara; veluti habetur Gene. cap. 17. Si ergo ad opus diaboli pertinet, vnde per donum coeleſte in ſenibus excitatur? Et cur Deus eam pro munere confert?

Quòd ſi dicatur; vſus in eis vigebat, & foetus non erat. Adhuc ratio manet. Quoniam quem conditor promiſit, conditor dedit; non concubitus, ſed Dei opus eſt qui naſcitur. Qui enim primum hominem fecit ex puluere, omnes fabricatur ex ſemine. Sicut ergo tunc limus, qui aſſumptus eſt materia, non author fuit hominis, ita nunc uis illa uoluptatis, confetrix commiſtrixq. ſeminum, non explet operationis vicem; ſed de theſauris naturæ offert Deo, vnde ille hominem dignetur operari. Si igitur qui naſcitur, non concubitus, ſed Dei opus eſt, quì fieri poteſt vt ad diabolum pertineat?

.8. Amplius, Si Angelus in primordio creationis ſuæ fuiſſet malus, ſequeretur, Deum fuiſſe mali authorem. Anima autem in exordio ſuæ creationis contrahit maculam. Videtur igitur quod Deus ſit author illius maculæ. Anima enim rationalis à ſolo Deo creatur, & corpori infunditur. Si ergo contrahitur macula, ex ipſa creatione, & infuſione illam contrahit. Quo fit, vt Deus author ſit peccati originalis, cùm ſit author creationis & infuſionis.

Sunt hæc ratiocinia quæ magnopere amplificant Pelagiani; ſed & multa alia inducunt, quæ uideri poſſunt apud D. patrem Auguſtinum, in memorato loco de nuptijs & concupiſcentia, à cap. 13. vſque in finem. Interim nos ad alia feſtinemus.

Pranarra-

Pranarrata hæreſis confutatur. *Cap. .5.*

QVONIAM hæreſis Pelagiana ad quatuor præcipuè capita redu
cebatur, vt iuniores theologi rem ualeant in pauca conferre,
quatuor iterum præmittemus ſententias generales, illis præin-
ductis capitibus obſiſtentes,& eccleſiæ catholicæ,atque orthodoxæ fidei
articulis optimè conformes,quarum prima ita ſe habet:

Infantes trahunt peccatum ex Adam,qui naturam bonam & rectam à .1.
Deo acceptam,peccando fecit peccatricem; proinde ita infantes mox
vt homines extiterint, inq. ſuo initio,ſine vllo temporis interuallo ſimul
fecit eſſe peccatores, iniuſtos,minimè autem tales,quales nati fuiſſent,ſi
naturam propagandam non vitiaſſent eorum parentes,hoc eſt;non inno
centia plenos. Si Adam non peccaſſet,tum qualis à Deo factus eſt,talis
ab eo propagaretur natura; iam verò ipſe poſt peccatum,qualem ſe fe-
cit peccando,talis & ab eo natura propagatur.

Secunda ſententia talis eſt: Infantes naſcuntur filij iræ,atque in re- .2.
miſſionem peccatorum ſunt baptizandi,& non ſolùm ad intrandum re-
gnum coelorum.

Tertia ita iacet: Concupiſcentia ſecundùm quam caro concupiſcit .3.
aduerſus ſpiritum,non eſt à Deo patre,ſed intrauit in uniuerſum genus hu
manum,per unum hominem peccantem.

Quarta demum eſt hæc:Omnis miſeria ſuper humanum genus eſt qui .4.
dem à Deo,non vt creatore humanum genus inſtituente,atqui ut iudice
peccatum humani generis uindicante.Modò igitur ſint hæc quatuor,di-
ctis quatuor Pelagij repugnantia,& chriſtianæ fidei conuenientia,vt inde
clarior noſtra reddatur oratio,doctiſſimum & eruditiſſimum Driedonem
inſecuti. Et conſilium eſt atque intentio noſtra,huiuſmodi propoſitio-
nes,ſiue ſententias eiſdem argumentis comprobare,quibus uſi ſunt ſan-
ctiſſimi Eccleſiæ Patres,& præſertim D.pater Auguſtinus.Sed prima com
probata,mox aliarum ueritas palam erit.

Sit igitur primæ noſtræ propoſitionis cõprobatio deſumpta ex D.Pau
lo ad Romanos cap.5.,qui de narratis bonis quæ nobis per fidem ob-
uenerunt,mala item à quibus per eandem,& per IESVM Chriſtum libe
rati ſumus, recenſere incipit,ſub his uerbis:Propterea,ſicut per unum
hominem peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors;&
ita in omnes homines mors pertranſijt,in quo omnes peccauerunt.
Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non
imputabatur,cùm lex non eſſet.Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Mo
ſen,etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis
Adæ,qui eſt forma futuri.Sed non ſicut delictum,ita & donum. Si enim
unius delicto,multi mortui ſunt,multò magis gratia Dei & donum in gra
tia unius hominis IESV Chriſti in plures abundauit. Et non ſicut per
vnum peccatum,ita & donum;nam iudicium ex vno,in cõdemnationem;
gratia autem ex multis delictis,in iuſtificationem. Si enim unius delicto

mors

mors regnauit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in uita regnabunt per vnum IESVM Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi.

Eſt hîc inter Adam & Chriſtum comparatio; dicitq́. Apoſtolus, quòd ſicut per illum inuecta culpa eſt in orbem, ac perinde mors; ita & per hunc delata è coelo eſt iuſtitia & ſalus. Ita vt mala omnia quæ per delictum protoparentis noſtri nobis fuerunt hæreditaria, in duo hæc referantur, peccatum uidelicet & mortem; hoc eſt, culpam & poenam. Nomine ſiquidem mortis, miſerias reliquas eſt complexus; quemadmodum cuncta beneficia Chriſti reſoluit in gratiam & uitam æternam. Dicit ergo: Quia diximus de ſanatione tabis per Chriſtum, veniamus modò ad primordia huius mali, vt beneficium Chriſti illuſtrius fiat, duasq́. inſinuemus differentias temporis in progreſſu peccati; alteram vſque ad legem excluſiuè, alteram verò poſt datam legem Moſi. Vnde nouerint omnes, Iudæi, inquam, & Gentiles, per gratiam Chriſti iuſtificatum, abſolutumq́. fuiſſe humanum genus, non ſolùm ab illa culpa, qua per delictum Adæ fuerat infectum, verùm & ab alijs, quæ per propriam voluntatem ſub vtraque lege, naturæ nempe & ſcriptæ admiſerat. Quoniam nec per legis ſcriptæ meritum, vetuſti originalis peccati ueniam conſequebantur, nequidem per eius uigorem, noua Iudæi cauêre poterant. Quandoquidem lex ſubintrauit, vt abundaret delictum. Vt coniunctio illa (vt) non ſit cauſalis, ſed euentum ſignificet; nimirum quid per uitium hominum, occaſione legis *Ad Rom. Cap. 7.* fuerit ſubſecutum. Lex enim ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Licèt prauis hominibus fuerit occaſio peius offendendi. Dei enim intentio fuit, per legem recti & praui diſcerniculum aperire, vt malum facilius homines declinarent, bonumq́. inſectarentur; deinde quoque aduentum prænunciare ſanctiſsimi ac diuiniſsimi Seruatoris noſtri IESV. Ob idq́. benè natis hominibus, rectéq́. inſtitutis, nullius fuit occaſio mali, *Ad Gala. Cap. 3.* ſed plurimi cauſa boni. Quia lex pædagogus noſter fuit in Chriſto. Quoniam per moralia præcepta inſtituebatur populus ille, & per cerimonialia, tum ab idololatria diuertebatur, tum admonebatur uenturi Meſsiæ. Peruerſi uero & rebelles, multis modis inde nacti ſunt occaſionem coaceruandi maiora peccata.

Expoſito igitur; ſubaudit Apoſtolus; in præcedentibus, Chriſti erga naturam humanam beneficio, operæpretium eſt utrumque adinuicem conferre, tabem nempe atque beneficium, vt hoc inde illuſtrius euadat. A peccato itaque originis primordia capientes, dicamus, quòd ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Et ſicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, (idem enim propter longum hyperbaton reaſſumendum uenit) quoniam per ipſius Adæ inobedientiam, in omnes homines ab ipſo per rationem ſe-

minalem de lege communi ducentes originem, peccatum transfuſum eſt, quo damnationis rei effecti ſunt. Sic & per vnius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Quoniam per vnius Chriſti iuſtitiam, in omnes homines ex ipſo per fidem, vel fidei ſacramentum, qui eſt Baptiſmus, donum deriuatum eſt, ſiue transfuſum, ad efficiendam in eis iuſtificationem vitæ.. Et huiuſmodi delictum fuit inobedientia ex elatione proueniens; itidem & iuſtitia, ex obedientia & humilitate in nos peruenit. Vnde, ſicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem, iuſti conſtituentur multi. Et quanq̃ ante legem ſcriptam, nullum peccatum eſſe uideretur, quia ubi non eſt lex, nec præuaricatio; tamen ab initio orbis, & ſub lege naturæ peccatum fuit in mundo, & inde mors ſemper ingruit in humanum genus. Licèt autem ab hominibus tunc non reputaretur peccatum, quoniam in lege naturæ, rariſſima necnon & tenuiſſima erat notitia originalis culpæ; vtpotè quæ citra reuelationem, quæ quibuſdam principibus uiris fiebat, per quos fortè diuulgabatur, haberi non poterat; eo ꝙ lex non erat ſcripta, per quam illud innoteſceret. Erat nihilominus in reputatione Dei. Ob id regnauit mors ab Adam vſque ad Moſen, ideſt, vſque ad legem datam per Moſen; regnauit, inquam, mors temporalis, tanq̃ effectus & damnum, atque uindicta eiuſdem peccati, eo quòd uniuerſo orbi dominabatur, ſuamq́ poteſtatem, quaſi ui quadam exercebat in omnes; quoniam fuerat à iuſtiſſimo Deo in peccati ultionem decreta. Quo fit, vt etiam in eos regnauerit, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Licèt enim infantes nullam legem inſtar Adæ, propriæ uoluntatis actu tranſgrediantur, illos tamen quoque depaſcitur mors; eo quòd omnes, ac ideo etiam illi, in Adam peccauerunt, qui eſt forma futuri Adæ, nimirum Chriſti glorioſi. Qui per ſimilitudinem, meritò, iureq́ optimo, nouiſſimus nuncupatur Adam. Quoniam ſicut ille præceptum Dei, eſu ligni tranſgreſſus, nos oẽs anteq̃ in lucẽ æditi quicq̃ mali admitteremus, immerentes peremit; ita & nos Chriſtus in ligno crucis voluntati obtemperans patris, anteq̃ naſceremur, ac bonum faceremus ullũ, quantùm in ſe fuit, viuificauit. Et ſicut per uitiatam illius ſeminationem, làtente culpa naſcimur filij iræ; ita & per ſacram Chriſti ablutionem, occulta gratia naſcimur filij Dei. Ac demum, ſicut in Adã oẽs moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabũtur. Sed nõ ſi- *1.Cor.15.* cut delictũ, ita & donũ. Si.n. vnius delicto multi mortui ſunt; multò magis gratia Dei & donũ, in gratia vnius hoĩs IESV Chriſti, in plures abũdauit.

Quamuis enim Adam fuiſſet forma & ſimilitudo Chriſti in cauſis, non fuit tamen in effectibus; quoniam in his erat diſſimilitudo & contrarietas. Siquidem fuit uterque fons & origo; atqui fuit alter origo humanæ culpæ, condemnationis & mortis; alter uerò diuinæ gratiæ, & liberationis, & vitæ, Vnde meritò fit primo loco inter delictum Adæ, & Chriſti gratiam comparatio, quatenus cauſæ ſunt mortis & vitæ; nimirum ꝙ non ſicut delictum, ita & gratia. Lapſus enim culpæ ab infirmitate humana proceſſit; gratiæ uerò cumulus ex omnipotentia diuina; quæ multò eſt maior

in ſubleuanda creatura,q̃ infirmitas in deprimenda. Si enim vnius culpa multos potuit perdere,ac mortis uinculis irretire,multò magis gratia Dei & donum,in gratia unius hominis IESV Chriſti;in plures abũdauit,& affluentius exuberauit in vitam. Siquidem gratia Dei,ex perenni, infinitoq. bonitatis fonte per ſuum vnigenitum deriuata, infinito interuallo potentior eſt, q̃ culpa imbecillitatis humanæ. Quoniam, *2.Cori.9.* Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.Vnde quamuis gratia Dei ſalui facti ſimus, non tamen tali gratia, in qua non in- *Ioan 1.* terceſſerit ſumma Chriſti iuſtitia. Nam de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quocirca exceſſus & præſtantia gratiæ in hoc collocatur,quòd ſi una culpa potuit genus humanum in mortem adigere,longè tum facilius,tum efficacius,& copioſius potuit nos gratia in vitam reſti- *Ioan. 10.* tuere,dicente domino: Ego ueni ut vitã habeant,& abũdantius habeant. Et nedum eſt exceſſus gratiæ ſupra culpã ſecundùm effectus vitæ & mortis,atqui etiam ſecundùm iuſtificationem & condemnationem. Quoniã, non ſicut per unum peccatum,ita & donum.Nam iudicium ex uno in condemnationem;gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.Non .n. qualis fuit per vnius peccatum condemnatio,talis præciſè fuit iuſtificatio.Quandoquidem iudicium ex uno delicto,& gratia ex multis delictis. Illud enim fuit unicum delictum,ob quod fuimus omnes iudicati, atque damnati,& iure hæreditatis coeleſtis eiecti;gratia uerò contra,ex multis in iuſtificationem.Siquidem non modò ab illo nos tantùm Chriſtus relaxauit,ſed ab omnibus,quæ per ſe uniuerſi mortales ſua ſponte,vel commiſerant,vel commiſſuri erant.Vnde iudicium ex uno delicto emanauit, quo nos omnes in condemnationem delati ſumus; gratia uerò Dei ex multis nos eripiens, ad iuſtificationem perduxit.

Et quia non ſolùm mortis,ſed etiam regni ipſius ſupra meminimus, illuc modò reſpicientes dicimus, quòd ſi unius delicto mors regnauit; hoc eſt iure acquiſito,ingreſſum habuit per vnum,multò magis abundantiam gratiæ accipientes,regnabunt in uita per unum IESVM Chriſtum. Vnde exuberantiſſima fuit copia gratiæ Dei & IESV Chriſti domini noſtri,in expurganda originis contagione;at non ſolùm in hoc,atqui etiam in diluendis actualibus criminibus,quæ legis occaſione ſuccreuerunt. Lex enim ſubintrauit,vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum,ſuperabundauit & gratia.Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam,per IESVM Chriſtũ dominum noſtrum.Hanc mentem Apoſtoli fuiſſe in præcitatis verbis,nemo eſt ſanæ mentis qui ambigere poſſit.Quare peccatum originis dari negare non poſſunt Pelagiani.Et pudefieri quoq.deberent catholici nonnulli,qui defendunt eo loci agere Paulum,non de peccato illo Adæ,genus humanum contaminante;ſed de peccatis,quæ eius imitatione perpetrantur. Si enim res ita ſe haberet, quomodo Paulus dixiſſet regnare quoq; mortem in eos,qui nõ peccauerunt ſimilitudine & imitatione Adæ? Nec extorqueant in aliũ ſenſum Apoſtoli verba;tũ quoniam perit eorũ cõtextura,tum quia inferius apertiſſimè inquit Apoſtolus, q per inobediẽtiam

vnius hominis,peccatores conſtituti ſunt multi. Non enim ait ſolùm,in mortem,aliasúe moleſtias,ac pœnas peccati adacti ſumus; ſed,peccatores conſtituti. Non igitur ſolùm pœnis ſubiecti naſcimur,verùm & culpa infecti. Id quod præterea adnotandum eſt in eo quod ait, conſtituti.Vnde palàm colligitur,de peccato loqui originali.Conſtitui enim, idem pollet, quod citra filiorum conſenſum, parentis inobedientia rei facti,anteq̃ naſcerentur;quemadmodum & Chriſti obedientia,pari contrà forma,iuſtos nos abſque noſtris conſtituit meritis.Quocirca non ſolummodo ad adultos,ſed etiam vſque ad infantes ante uſum rationis,tá gratia hæc protenditur, q̃ culpa.

Confirmatur doctrina, ex eo quod ait Apoſtolus, nempe q̄ in Adam omnes peccauerunt.Si enim ſola imitatione,& non propagatione intrauit peccatum per Adam,quomodo in eo omnes peccauerunt? Eſſet enim ineptiſſima loquutio;quoniam præpoſitio illa (in) notat naturam; vt ſit ſenſus,q̄ nos omnes peccauimus in lumbis Adæ.Et propterea ad Epheſios cap. 2.ait,q̄ eramus naturà filij iræ. Vnde prima ad Corin.cap.15. ſequitur,q̄ ſicut in Adam omnes moriuntur,ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.Modò autem liquidò conſtat; q̄ per Chriſtum non ſolùm intrauit iuſtitia imitatione;quamuis & ipſum imitentur adulti,ſed ſpirituali quoque regeneratione,veluti in infantibus patet,lauacro baptiſmi regenitis.Fit ergo ut Adam quoque,non ſolùm imitatione, verùm & generatione,reos nos conſtituerit culpæ.

Addo,quòd ni res ita ſe habeat quemadmodum nos diximus,ineptiſſimè D.Apoſtolus ratione imitationis noſtræ incuſaret Adam,eiusq; reprehenderet mores. Quoniam licèt homines ex Adamo peccandi occaſionem captaſſent, indeq; eius ſectati fuiſſent exemplum; ob id non eſt inferendum,ipſum Adamum eos conſtituiſſe peccatores,in eoq; omnes peccaſſe; quare nec eſt reus culpæ, nec incuſandus. Non enim ipſe fuit qui in nobis peccauit; ſed nos ipſi peccauimus. Cur igitur noſtri ſceleris venit ipſe accuſandus? Quòd ſi ex imitatione eſt accuſandus; cur non etiam accuſatur diabolus,cuius item imitatores fuimus? Quin etiam ſolus diabolus eſſet in hoc redarguendus, pariterque accuſandus; cùm ſit pater mendacij, & inuentor peccati. Vnde beatus pater Auguſtinus de peccatorum meritis & remiſſione libro primo, cap. 9. ait: *Tom. 7.* Sed ſi Apoſtolus peccatum illud commemorare uoluiſſet, quod in hunc mundum non propagatione,ſed imitatione intrauerit, eius principem non Adam, ſed diabolum diceret,de quo ſcriptum eſt: Ab initio diabolus peccat. *1. Ioan. 3.* De quo legitur etiam in libro Sapientiæ. Inuidia *Sapien. 2.* autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Nam quoniam iſta mors ſic à diabolo uenit in homines, non quòd ab illo fuerint propagati, ſed quòd eum fuerint imitati, continuò ſubiunxit: Imitantur autem eum qui ſunt ex parte eius. Proinde Apoſtolus cùm illud peccatum ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione tranſiſſet, eum principem poſuit, à quo propagatio generis humani ſumpſit exordium. Imitantur quidem Adam, quotquot per inobedientiā

 tranſgre-

tranſgrediuntur mandatum Dei. Sed aliud eſt quod exemplum eſt vo-
luntate peccantibus, aliud quod origo eſt cum peccato naſcentibus. Nam
& Chriſtum imitantur ſancti eius ad ſequendam iuſtitiam. Vnde & idem
1.Cor.4. Apoſtolus dicit: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Sed præter hãc
imitationem gratiæ eius, illuminationem iuſtificationemq́. noſtram etiam
1.Cor.3. intrinſecus operatur, illo opere de quo idem prædicator eius dicit: Neq.
qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Hac
.n. gratia, baptizatos quoq. paruulos, ſuo inſerit corpori, qui certè imitari
1.Cor.15. aliquem nondũ valent. Sicut ergo ille in quo oẽs viuificabuntur, præterq̃
ꝙ ſe ad iuſtitiam exemplũ imitantibus præbuit, dat etiam ſui Spiritus oc-
cultiſſimã fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis; Sic & ille
in quo oẽs moriuntur, præterq̃ ꝙ eis qui præceptũ Domini voluntate tran
ſgrediuntur imitationis exemplum eſt, occulta etiam tabe carnalis concu
piſcentiæ ſuæ tabificauit in ſe oẽs de ſua ſtirpe venientes. Hinc oĩno, nec
aliunde Apoſtolus dixit: Per vnũ hominem peccatũ intrauit in mundũ, &
per peccatũ mors, & ita in oẽs homines pertranſiuit, in quo oẽs peccaue-
runt. Hactenus Auguſtinus. Ex quo patet, Apoſtolũ opponere Adã & Chri
ſtũ in comparatione, quã facit in memorato loco, tanq̃ diuerſarũ & contra
riarũ rerũ fontes atq. principia. Adã quidem peccati & mortis, Chriſtũ ve-
rò iuſtitiæ & vitæ. Sed certũ eſt, inquit Auguſtinus, iuſtitiã & vitã per Chri-
ſtum introiſſe, non ſolùm vt iuſtitiæ exemplar. Igitur & peccatum per Adã,
non ſolùm vt per typum, formam, & exẽplar introiſſe intelligendũ eſt, ſed
per ipſum vt principiũ, per quod transfuſum eſt in poſteros, & propagatũ.
Tom.2. Item in epiſtola ad Hylarium, quæ eſt numero. 89. ait: Quod aũt dicũt
infantem morte præuentũ non baptizatum, perire nõ poſſe, quoniam ſine
peccato naſcitur; non hoc dicit Apoſtolus; & arbitror eſſe melius vt Apo-
ſtolo potius, quàm iſtis credamus. Dicit enim ille doctor gentium, in quo
Chriſtus loquebatur: Per vnũ hominem peccatũ intrauit in mundũ, & per
peccatũ mors; & ita in oẽs homines pertranſijt, in quo oẽs peccauerunt.
Et paulò poſt dicit: Nam iudicium quidem ex vno delicto in condemna-
tionem, gratia aũt ex multis delictis in iuſtificationem. Proinde iſti, quem
fortè inuenerint infantem, non ex illius vnius hominis concupiſcentia
procreatum, ipſum dicant illi damnationi nõ eſſe obnoxium, nec per Chri-
ſti gratiam ab illa damnatione eſſe liberandum. Quid eſt enim ex vno de-
licto in condemnationem, niſi illo delicto quo deliquit Adam? Et quid
eſt ex multis delictis in iuſtificationem, niſi quia Chriſti gratia non ſolùm
illud delictum ſoluit, quo obſtringuntur infantes, ex illo vno homine pro
creati, ſed etiam multa delicta, quæ cùm creuerint homines, addunt ma-
lis moribus ſuis? Tamen & illud vnum quo eſt obligata propago carna-
lis, quæ ab illo primo homine originem ducit, ſufficere dicit ad condem-
nationem. Ideo non eſt ſuperfluus baptiſmus paruulorum; vt qui per ge-
nerationem illi condemnationi obligati ſunt, per regenerationem ab ea-
dem condemnatione liberentur. Hæc ille.
Tom.7. Qui & Hypognoſticon lib. 2. ait: Audis itaq; per vnum hominem pec-
catum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes

homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt; & audes dicere, hæretice, Adæ peccatum nulli niſi ſoli nocuiſſe ipſi? Hoc idem fatetur Origenes cap.5. in epiſtola Pauli ad Romanos, inquiens; Sed uide in his Apoſtolum naturæ ordinem tenuiſſe; & ideo quoniam de peccato loquebatur ex quo mors in omnes homines pertranſierat, ſucceſſionem poſteritatis humanæ quæ huic morti ſuccubuit ex peccato uenienti, non mulieri aſcribit, ſed viro. Sed ut adhuc euidentius fiat quod dicimus, addemus etiam hoc quod idem Apoſtolus ad Hebræos ſcribit: Sed & Le- Cap.7. ui qui decimas accepit decimatus eſt; adhuc enim in lumbis erat patris Abrahæ cùm obuiauit ei Melchiſedech, regreſſo à cæde regum. Si ergo Leui qui generatione quarta poſt Abraham naſcitur, in lumbis Abrahæ fuiſſe perhibetur; multò magis omnes homines qui in hoc mundo naſcuntur, & nati ſunt, in lumbis erant Adæ, cùm adhuc eſſet in paradiſo. Et omnes homines cum ipſo, vel in ipſo, expulſi ſunt de paradiſo, cùm ipſe inde pulſus eſt. Et per ipſum mors quæ ei ex præuaricatione uenerat, conſequenter & in eos pertranſiit, qui in lumbis eius habebantur. Et ideo rectè Apoſtolus dicit: Sicut enim in Adam omnes 1.Cor.15 moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Hæc Origenes, paucis interpoſitis. Ex quibus apertiſſimè vult, Apoſtolum in præcitatis verbis ſermonem habere de peccato originali.

D. quoque Ambroſius illa eadem Apoſtoli verba exponens, ait: Mani- Tom.5. feſtum itaque eſt in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa. Ipſe enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes nati ſunt ſub peccato. Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipſo ſumus oẽs. Ita D. Ambroſius. Qui cum alijs rectè ſentientibus vult Apoſtolum docere peccatum intraſſe per Adam, propagatione, non imitatione, contra Pelagianos; & contra nonnullos catholicos vult habere, q Apoſtolus ibi loquitur de peccato originis, non autem de peccatis quæ imitatione Adami perpetrantur.

Fauet D. Ioãnes Chryſoſtomus, qui in epiſtola Pauli ad Rom. cap. 5., & Tom.4. ſermone 10. inquit: Quomodo igitur mors ingreſſa eſt, & quomodo obtinuit? Per vnius peccatum. Quid uerò eſt, in quo omnes peccauerunt? Illo cadente, etiam qui de ligno non comederunt, ex ipſo omnes facti ſunt mortales. Et paulò poſt: Hinc itaq. clareſcit, non hîc dici de peccato, quod fit ex tranſgreſſione legis, ſed quod ex inobedientia Adæ. Illud ſcilicet eſt, vnde omnia infecta, vaſtataq. ſunt. Et quæ huius eſt demonſtratio? Illa videlicet, q ante legem quoque mortui ſunt omnes. Hæc ille.

Aſtipulatur Theodoretus eadẽ verba D. Apoſtoli exponens, cùm inqt: Tom.2. Cùm Dominus Deus Adam fabricatus eſſet, & ratione ornaſſet, dedit unũ præceptũ ad rationẽ exercendã. Neq. enim fieri poterat, vt qui eſſet rõnis particeps, & bona ac mala diſcernendi facultatem haberet, abſq. vlla lege viueret. Is deceptus, mandatum tranſgreſſus eſt. Supplicij aũt cõminationẽ, legiſlator mãdato coniũxit ab initio. Is itaq. cùm mortis decreto factus fuiſſet obnoxius, ita Cain, & Seth, & alios genuit. Hi verò oẽs, vtpotè ex eo geniti, habebant mortalem naturam; eiuſmodi autem natura multis indiget, & cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diuerſis artibus,

Dicit itaque diuinus Apoſtolus, quòd cùm Adam peccauiſſet, & mortalis propter peccatum factus eſſet, vtrunque ad genus peruenit. Ad omnes enim homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauerunt. Non enim propter primi hominis peccatum, ſed propter ſuum, vnuſquiſque mortis decretum ſuſcipit. Hactenus Theodoretus, paucis in medio collocatis. Vnde patet quòd peccatum propagatione, non imitatione generi inuaſit humano; quandoquidem vnuſquiſque propter ſuum peccatum, mortis ſuſcepit decretum; & protoplaſto cadente, ad genus mors peruenit, ſimul atque peccatum. Sed & D. Apoſtolum id uoluiſſe in præcitatis verbis, aſſerit beatus iſte pater. Cuius verba vſqueadeo clara ſunt, vt nulla egeant expoſitione.

Hæc omnia confirmat D. Proſper, de promiſsionibus & prædictionibus, cap. 5., vbi præmiſſa poena qua propter peccatum plectendus ueniebat Adam, in hæc prorupit uerba: Hanc prædictam poenam peccati, quã radix humani generis Adam pro ſententia excepit, ac ſuis poſteris, tanq̃ ramis, transfudit. Per vnum hominem, dicit Apoſtolus, peccatum intraſſe in mundum, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt. Humus enim quæ creatoris imperio fertiles, ſalubresq. ex ſe herbas, ſine vlla cultura, homini ante produxit; poſt, ærumnis; ſentibusq. referta eſt; vt in ſudore ac labore ex ea omnem hominem edere panem oporteat, donec recurrat in mortem. Hæc ille.

Tom. 2. Beatus quoque Anſelmus præmiſſa Apoſtoli verba explicando ait: Per unum hominem qui primus peccauit, intrauit originale peccatum in hunc miſerum mundum; id eſt, in vniuerſum genus humanum; quoniam peccando, omnem ſuam ſtirpem in ſeipſo, tanq̃ in radice uitiauit; vt quicquid prolis ex ſimul damnata per quam peccauerat, coniuge (per carnalem concupiſcentiam in qua inobedienti poena ſimilis retributa eſt) naſceretur, traheret peccatum originale. Ita D. Anſelmus. Huic expoſitioni aſtipulantur D. Tho., Caietanus, Soto, Primaſius, & alij quamplurimi.

Tom. 1. Sed Concilium Mileuitanum canone. 2. linguacium omnium & blateronum petulantia, inceſta, atq. impuriſsima ora occludit, cùm ait: Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum, baptizandos negat, aut dicit, in remiſsionem quidem peccatorum eos baptizari; ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis, in remisſionem peccatorum, non verè, ſed falsè intelligatur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt; niſi quemadmodum Eccleſia catholica, vbique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remisſionem ueraciter baptizantur; vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Hæc ibi. Cui ſuccedit Concilium Tridenti., ſeſſio. 5. cano. 2. 3. 4.

Stante igitur tot ſanctiſsimorum,atque grauiſsimorum uirorum communi conſenſu,ſanctæque Romanæ Eccleſiæ circa præcitata D. Apoſtoli uerba declaratione,pariterq. determinatione,non ſunt profectò audiendi illi,qui(etiam inter catholicos)in dubium reuocant,an de peccato originali intelligantur , nec ne. Minusq. audiendus uenit , quin protſus reijciendus,audax ille & impudens Eraſmus;qui in ſuis annotationibus putat ſermonis proprietatem & ſeriem,tenoremq. diſputationis Paulinæ mollius quadrare,ſi de peccato per imitationem intelligatur.Verùm quia in eum peroptimè animaduertit ſubtiliſsimus & eruditiſsimus Dominicus Soto,ſat erit nobis ſi illum inter locutuleios & bláterones connumerauerimus; quorum lingua tam prodiga eſt atque infrænis,vt fluat ſemper,& æſtuet colluuione verborum teterrima; vnde ſatis (vt aiunt) loquentiæ, ſapientiæ parum.Pereant igitur ipſi, & ſit hæc pro peccato originali, multis authoritatibus confirmata prima ratio. Et quia natura humana ita eſt originali peccato vulnerata, vt ad malum ſit procliuis ſemper, & deorſum ſenſualitate trahatur; quoniam ex primo peccato inter carnem & ſpiritum quædam eſt ſuborta rebellio ; quæ communi vocabulo, carnis dicitur concupiſcentia ; ex qua quicquid peccati eſt in cogitationibus,in ore,& in opere, totum ex illa oritur concupiſcentia,quæ ex primo peccato proceſsit. Sicut enim ſpiritus fuit Deo rebellis,eius non obſeruando præcepta; ita iuſto Dei iudicio factum eſt, vt caro quæ prius ſpiritui ſubdebatur, ipſi rebellando, contra eum concupiſcat. Propterea regius Propheta hanc pro ſe rationem inducens, dixit in ſuo idiomate. הֵן בְּעָווֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי Hoc eſt, Ecce in iniquitate generatus fui, & in peccato calefecit ſe de me mater mea. Ex interprete uerò. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea. Et probè quidem interpres; quandoquidem ita in ſingulari locutus eſt Propheta, quoniam de ſolo originali peccato loquebatur. Quemadmodùm etiam D. Apoſtolus ſingulariter dixit. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. Non autem dixit pluraliter; peccata;quod tamen fuiſſet dicendum,ſi de actualibus & per imitationem ſermonem habuiſſet. Quia tamen peccatum originale, multa in ſe continet virtualiter peccata, quatenus ex corruptione fomitis,ſumus ad ea propenſi, idcirco uigilantiſsimus interpres,more Euangeliſtarum,ſenſum magis attendens q̃ verba,in plurali locutus eſt,dicens:Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum,& in peccatis concepit me mater mea. Hoc eſt,concepit me in peccato originali; ex quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & inde multa ſequuntur actualia peccata;veluti fuerunt adulterium & homicidium,quæ commiſi.Vnde peccatum meum uidetur magis remiſsibile.Propterea:Miſerere mei Deus,ſecundùm magnã miſericordiam tuam.Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum,dele iniquitatem meam. Ex hac igitur magni Prophetæ authoritate, facilè conſtat dari peccatum originale;& quòd cum eo, D. Apoſtolus optimè ſentit.Vnde D. pater Hieronymus il-

Tom. 3

Pſal. 50.

2. Reg. 12.

Tom. 7.

mus illum exponens verſiculum, ait: Hic verſiculus, totius generis humani caſum exponit, ſicut in Iob: Nec ſi vnius diei ſit ſuper terram, poteſt eſſe mundus à ſorde peccati. Concipitur autem & naſcitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur; ſed baptiſmo per gratiam Chriſti purificatur. Et D. Remigius ad idem inquit: Et in peccatis concepit me mater mea; ideſt, in concupiſcentia carnali concepit. Quæ carnalis delectatio, ex peccato primi parentis in carne noſtra uiget. In idem tendit Iob cap. 3., cùm ait: Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.

Tom. 3. Quæ quidem uerba ponderans D. Ambroſius in oratione de fide reſurrectionis, ſic loquitur: Cognouerat naſci, malorum omnium eſſe principium; & ideo diem quo natus eſt perire optauit, vt tolleretur origo incommodorum. At quænam eſt huiuſmodi origo, niſi peccatum originis?

Item cap. 14. ſequitur: Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſerijs. Et paulò poſt: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es? Vtique; Solus nanque Deus eſt peccati remiſſor. Vnde Gloſſa: Is enim qui per ſe ſolus mundus eſt, mundare præualet immunda. Ipſa enim propter delectationes carnis, noſtra conceptio immunda eſt. Et interlinearis: Vnde in iniquitatibus conceptus, ſum mundus per teipſum. Septuaginta, hæc Iob vltima uerba ita uerterunt: Quis eſt mundus à ſordibus? At nemo; ne ſi vna quidem die vita eius ſit ſuper terra. Vnde non eſt cur ampliùs quis dubitet an ſit peccatum originale. Eò maximè quando præter tot ſcripturarum teſtimonia, & ſanctorum patrum authoritates, adeſt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiſſima, atque inuictiſſima determinatio. Quo fit, vt non ſolùm ſit dogma hæreticum aſſeuerare quòd non ſit peccatum originale, ſed etiam dicere quod locus ille D. Apoſtoli ad Roma. 5., quem ſupra expoſuimus, ad literam non intelligatur de peccato originali, in Adami poſteros transfuſo. Ita enim definiuit Concilium Mileuitanum, & ſub eiſdem verbis Concilium Tridentinum, locis ſupra citatis. Hæc tamen dixiſſe volui, rationes in ſuperioribus adductas, & ut omnibus ſuis numeris & partibus res perfecta, exploratáq; redderetur, ſimul atq; vt iunioribus theologis iter parem feſtiuum, ac demum inde cupiens, tali paratu, aliquot paraſe amicos beneficio meo. Interim ad argumenta Pelagij me conuerto.

Ratiocinia Pelagij diſſoluuntur.

Cap. 6.

PRIMO loco ad ſuam hæreſim corroborandam arguebat Pelagius, quòd ſi Adæ peccatũ etiã non peccantibus nocuit, ita pari ratione Chriſti iuſtitia non credentibus prodeſt; paruulis nempe baptizandis, ſiue baptizatis; cùm nondum uſum habeant rationis. Hoc autem abſurdiſſimum iudicabat Pelagius, atque falſiſſimum.

Huic rationi reſpondet D. pater Auguſtinus, quòd pueri cùm baptiſmo offe-

mo offeruntur credunt,non propria,ſed aliena fide; nimirum geſtantiũ & Eccleſiæ; quoniam Euangelium ſolenniter ſuſcipiunt,& fidem IESV Chriſti per obligationem,qua verbis ſuſceptorum,quæ ſua propria cenſentur,aſtringuntur. Vnde quodammodo recipiunt Euangelium per auditum parentum;qui adhibentes ipſi fidem,ſe,ſuoſq. liberos,quos habent in legitima poteſtate,baptizant. Vnde libro primo de peccatorum meritis *Tom.7.* & remiſſione,cap.20.,illud exponens quod habetur Ioan.3., Qui credit in filium,habet vitam æternam; qui autem incredulus eſt filio, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum; ait: *Eccleſia* baptizatos infantes,fidelium numero adiungit. Porrò ſi iſti qui baptizantur,propter virtutem,celebrationemq. tanti ſacramenti,quamuis ſuo corde & ore nõ agant quod ad credendum, confitendumq. pertineat, tamen in numero credentium computantur; profectò illi quibus ſacramentum defuerit, in eis habendi ſunt qui non credunt filio; atque ideo ſi huius inanes gratiæ de corpore extiterint, ſequetur eos quod dictum eſt, non habebunt vitam,ſed ira Dei manet ſuper eos. Et ibidem cap.27.,inquit: Quis autem neſciat credere eſſe infantibus baptizari, non credere autem non baptizari? Quo modo autem credant infantes cùm vſum non habeant rationis,ibidem exponit cap.19., inquiens: Fideles vocantur,(ſabaudi infantes) quoniam fidem per verba geſtantium quodammodò profitentur. Et ad Bonifacium, epiſtola quæ eſt numero.23., inquit: *Tom.2.* Vt autem poſſit regenerari(ſabaudi paruulus) per officium voluntatis alienæ,cùm offertur conſecrandus, facit hoc vnus ſpiritus,ex quo regeneratur oblatus. Non enim ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate,aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide; ſed, Niſi quis renatus *Ioan.3.* fuerit ex aqua & ſpiritu. Aqua igitur exhibens forinſecus ſacramentum gratiæ, & ſpiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ,ſoluens vinculum culpæ,reconcilians bonum naturæ,regenerat hominem in uno Chriſto,ex uno Adam generatum. Regenerans ergo ſpiritus,in maioribus offerentibus,& paruulo oblato,renatoq. communis eſt. Ideo per hanc ſocietatem unius eiuſdemq. ſpiritus,prodeſt offerentium uoluntas paruulo oblato. Hæc ille. Qui & Hypognoſticon lib.5.,illud Seruatoris noſtri in- *Tom.7.* ducens Matth.11., Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos,inquit: In hac uocatione ſunt & paruuli,qui aſſumuntur in fide credentium,non obedientia voluntatis, ſed dilectione nimia charitatis.

Quo fit, vt quando Mar.16.cap. dixit Dominus noſter; Euntes in mundum uniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit;qui uerò non crediderit condemnabitur, intelligendum ueniat nedum de adultis, qui ſunt rationis compotes, at etiam de infantibus,qui uſu carent rationis. Diuus enim pater Auguſtinus ingenioſiſſimè; vt ſui moris eſt; animaduertit uerba illa Domini noſtri eſſe uniuerſalia,& uniuerſaliter prolata, perinde atque illa; Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto,non poteſt introire in regnũ Dei. Et iterum quod Matthæi.19.legitur,quòd domino oblati ſunt paruuli,

ut manus

vt manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. IESVS verò ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me uenire; talium eſt enim regnum coelorum. Quæ quidem uerba conſiderans ipſe D. pater, Hypognoſticon lib. 5. ait: Sinite paruulos venire ad me; id eſt, nolite eos credere me non indigere; non enim poſſunt uenire in regnum Patris mei, niſi per me. Hæc ille. Qui animaduertens quòd illa verba (niſi per me) idem ſonant ac ſi dixiſſet, niſi per fidem in me; ſeu, niſi crediderint in me; & quòd Eccleſia ab ipſis Apoſtolis edocta, decreuit quòd ſuſceptores pueri, ſuo ipſius nomine interrogati an credat, reſpondeant, Credo; decreuit & ipſe quòd pueri baptiſmo oblati credunt in IESVM Chriſtum dominum noſtrum, non quidem propria & actuali, ſed aliena fide; vt dictum eſt. Cui quidem decreto, optimè in commentarijs ſuper Matthæum cap. 28., in calce, ſubſcribit D. pater Hiero-

Tom. 6. nymus, illa verba exponens domini Seruatoris: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quo loci, hæc habet verba formalia. Primùm docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim poteſt fieri ut corpus, baptiſmi recipiat ſacramentum, niſi ante anima fidei ſuſceperit veritatem.

Tom. 2. Vnde beatus pater Ambroſius de vocatione gentium lib. 2. cap. primo, dicit: Proinde vigilanter conſideremus, prædicatoribus Euangelij

Matt. 28. quid à domino iubeatur. Secundùm Matthæum quippe ſic ait: Data eſt mihi poteſtas omnis in coelo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui uobis. Et ecce uobiſcum

Mar. 16. ſum uſque ad conſumationem ſæculi. Secundùm Marcum verò eiſdem Apoſtolis ita dicitur: Ite in orbem vniuerſum, prædicate Euangelium vniuerſæ creaturæ; & qui crediderit & baptizatus fuerit, ipſe ſaluus fiet; qui verò non crediderit, damnabitur. Nunquid hac præceptione, vllarum nationum, vllorumúe hominum facta diſcretio eſt? Neminem meritò excepit, neminem ſeparauit genere, neminem conditione diſtinxit. Ita D. ille pater. Si modò cùm dominus noſter illa protulit uerba: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit; neminem conditione diſtinxit, cur ad paruulos non ſunt etiam extendenda? Valeant igitur theologorum noſtrorum quidam, volentes pueros credere per fidem infuſam. Non enim dixit dominus: Qui baptizatus fuerit & crediderit; ſed: Qui crediderit & baptizatus fuerit. Vt inde colligeremus, fidem in paruulis, actum præcedere baptiſmi. Vnde per illa uerba non deſignat dominus habitum infundendum à Deo per baptiſmum, ſed actum, qui ſicut baptiſmus ipſe, à baptizando exigitur, tanq̃ neceſſaria præparatio ad gratiam. Quia non poteſt fieri ut corpus, baptiſmi recipiat ſacramentum, niſi ante anima fidei ſuſceperit ueritatem; dicebat D. pater Hieronymus. Quocirca optimè Dominicus Soto, de natura & gratia lib. 2. cap. 10., & 4. ſen. d. 5. q. unica, ar. 9. Vir enim iſte doctiſſimus, ex beato Auguſtino concludit, quòd credere, vt eſt vniuerſis neceſſarium ad iuſtitiam idem eſt, quòd Euangelium ſolenni profeſsione ſuſcipere. Niſi quòd

adulti ſuſcipiunt actu credentes,& confitentes fidem,atque obligantes ſe legibus Chriſti.Pueri autem ſuſcipiunt eandem fidem per obligationem, qua uerbis ſuſceptorum aſtringuntur;quæ tamen ſua propria cenſentur; quemadmodum minor ætate uerbis tutoris obligatur.Et ita dicit ſe intelligere Auguſtinum,dicentem ipſos credere; ideſt,ſuſcipere ſolenniter Euangelium per uerba geſtantium. Vnde per auditum parentum, quodammodò recipiunt Euangelium; quatenus ipſi fidem adhibentes, quos habent in legitima poteſtate filios,ſeq.baptizant. Ita quoque ſentit D. Tho.3. par.ſummæ theologiæ,.q.68. ar.9.; vbi ad primum reſpondens argumentum,ait:Regeneratio ſpiritualis quæ fit per baptiſmum,eſt quodammodò ſimilis natiuitati carnali,quantùm ad hoc,quod ſicut pueri in maternis vteris conſtituti,non per ſeipſos nutrimentum accipiunt,ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur; Ita etiam pueri nondum habentes uſum rationis,quaſi in utero matris Eccleſiæ conſtituti, non per ſeipſos,ſed per actum Eccleſiæ ſalutem ſuſcipiunt.

Vnde Auguſtinus lib.de peccatorum meritis & remiſsione,quod refertur cano.Mater,de conſecra.d.4.,Mater,inquit,Eccleſia os maternũ paruulis præbet, vt ſacris myſterijs imbuantur;quia nondum poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam,nec ore proprio confiteri ad ſalutem.Si autem propterea rectè fideles uocantur,quòd fidem per uerba geſtantium quodammodo profitentur,cur etiam non poenitentes habeantur, cùm per eorum verba geſtantium, diabolo & huic ſeculo renunciare monſtrantur? Eadem ergo ratione dicuntur intentionẽ habere, quam ipſi ſignificant qui eos geſtant. Dicuntur igitur infantes qui baptiſmo offeruntur intentionem habere,non per actum propriæ intentionis, ſed per actum eorum quibus offeruntur. Hæc uoluit D.Tho.de intentione paruulorum,ex D.Auguſtino.Et quod dicit de intẽtione,aſſerit etiam de fide ibidem, ad ſecundum argumentum, quatuor præcipuè colligens ex eodem Auguſtino ſub his verbis: In Eccleſia Saluatoris, paruuli per alios credunt,ſicut ex alijs,quæ in baptiſmo remittuntur,peccata traxerunt. Ecce primum,quod ex beato Auguſtino ad Bonifacium,colligit D.Thomas;& refertur de Conſecra.d.4.; cano. In Eccleſia. Secundo colligit, quòd non impeditur eorum ſalus,etiam ſi parentes,& baptizantes,& eorum ſuſceptores ſint infideles.Nam,vt ad eundem Bonifacium Auguſtinus ait; offeruntur paruuli ad ſuſcipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus; (quamuis & ab ipſis,ſi ipſi boni fideles ſunt) quàm ab uniuerſa ſocietate ſanctorum, atque fidelium. Ab omnibus nanque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum charitate ad communionem Sancti Spiritus adiuuantur. Ex hoc infertur tertium,quòd nempe infidelitas propriorum parentum, etiam ſi eos poſt baptiſmum,doemoniorũ ſacrificijs imbuere conentur, pueris non nocet.

Tom.7.

Lib.1.cap.16.

Tom.2.

Quia,vt Auguſtinus ibidem ait,puer ſemel per aliorum uoluntatem regeneratus,deinceps non poteſt uinculo alienæ iniquitatis obſtringi, vbi nulla ſua uoluntate conſentit;ſecundùm illud Ezechiel.18.Sicut anima

patris

patris mea eſt,ita & anima filij. Anima quæ peccauerit,ipſa morietur. Quartò demum conuenientiam conſtituit,inter originalis culpæ,& communicationem fidei. Nam cùm Adam peccauit, non erant homines per ſe ſeparatim viuentes:ſed tota natura humana in illo continebatur; Omnes enim;vt ait Paulus;in ipſo peccauimus;atque adeo inde culpam cõtrahimus,quæ per gratiam baptiſmalis vndæ diluitur. Pari ergo modo, fides unius,immò totius Eccleſiæ,paruulo prodeſt per operationem ſpiritus ſancti; qui unit Eccleſiam,& bona unius alteri communicat. Hæc D.Tho.,Auguſtinum inſecutus.Non ita tamen fides Eccleſiæ prodeſt infanti,vt per ſuæ ipſius fidei meritum ſaluetur;quoniam infans non per fidem,ſed per fidei ſacramentum regulariter ſaluatur. Sed Eccleſiæ merita proſunt infanti,& iuxta articulum communionis ſanctorum,& particulariter tum orando pro eo, tum applicando eundem ſacramento ex corde puro,& charitate plena;vt ibidem notat Caietanus. Vnde quamuis nulla eſſet charitas, neque meritum in tota Eccleſia, per ſacramentũ ipſum uirtute operis, tanq̃ per Dei inſtrumentum, gratia baptizato infunderetur.

Cenſent igitur ſanctiſſimi,necnon & doctiſſimi patres iſti,infantes credere,non ſolùm per habitum infuſum,ſed quia idipſum quod eſt baptizari,eſt euangelium ſuſcipere,obligariq́.ad eius legem & fidem; hoc eſt, ad legem ſuo tempore ſeruandam,atque fidem confitendam;perinde ac ſi illi ratione vtendo,idipſum reciperent Euangelium. Quoniam præter alia, ſanctorum communio in hoc conſiſtit,quod Eccleſia pueros ante vſum rationis quaſi in gremio geſtat,illisq́.ſacramenta offert,& pro eis preces fundit;vnde intentio & fides Eccleſiæ reputantur pueri.

Ad 2. Arguebat ſecundò Pelagius, quòd ſi baptiſmus mundat illud delictum antiquum, nati ex duobus baptizatis, debent profectò tali carere delicto;cùm & eo careant illorum progenitores. Delet enim baptiſmus culpam,pariter & poenam.

Ad hoc reſpondet D.pater Auguſtinus multis in locis;& eius reſponſum,ad formam ſub his verbis reducitur,quòd nempe pater baptizatus, biſariam conſiderari poteſt;aut quatenus Dei,aut quatenus ſeculi filius. Non ſub prima,atqui ſub ſecunda generat conſideratione.Sic enim habet naturam,quam ab Adam uitiatam ſuſcepit;& propterea ſi careat etiã peccato originali, ipſum tamen in prole transfundit.

Tom 7. Vnde contra duas epiſtolas pelagianorũ ad Bonifacium lib. 3.& cap. 3. ait: Baptiſmus abluit quidem peccata omnia, prorſus omnia, factorũ, dictorum,cogitatorum,ſiue originalia, ſiue addita, ſiue quæ ignoranter, ſiue quæ ſcienter admiſſa ſunt;ſed non aufert infirmitatem,cui regeneratus reſiſtit,quando bonum agonem luctatur;conſentit autem,quando ſicut homo in aliquo delicto præoccupatur. Quænam autem ſit huiuſmodi infirmitas declarat ipſe contra Iulianum lib. 6. cap. 5. & 6., vbi ait, Tom. 7. Omni peccato caret qui baptizatur,non omni malo. Quod planius ita dicitur:Omni reatu omnium malorum caret,non omnibus malis.Non enim caret corruptione corporis, ignorantia,& concupiſcentia; quæ quidem

peior eſt quàm ignorantia, & eſt illa communis infirmitas, qua peccatum originale traducitur à parentibus baptizatis, in poſteros baptizandos. Iſta igitur carnis concupiſcentia; inquit Auguſtinus; dimittitur in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur; quamuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen. Et de peccatorum meritis & remiſsione lib. 3. cap. 8., exemplum ad hoc inducit aptisſimum de præputio & tritico. Nam quemadmodum præputium quod per circunciſio nem aufertur, manet in eis quos gignunt circuncifi; & palea quæ opere humano tanta diligentia ſeparatur, manet in fructu qui de purgato tritico naſcitur; ita baptizatus, licèt ſit ipſe purgatus à peccato originali, vt tamen generat alium, generabit ipſum cum peccato originali. Quoniam non generant parentes filios ſecundùm illam generationem, qua ſunt nati denuo; at ſecundùm illam, qua carnaliter & ipſi ſunt primò generati. Vnde beatus Thomas 1 2. q. 8 1. ar. 3. ad. 2. argumentum, quod eſt ſimile huic quod in manibus habemus, ait: Peccatum originale per baptiſmum aufertur reatu, inquantum anima recuperat gratiam quantùm ad mentem; remanet tamen peccatum originale actu, quantùm ad fomitem; qui eſt inordinatio partium inferiorum animæ & ipſius corporis, ſecundùm quod homo generat, & non ſecundùm mentem. Et ideo baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant inquantum ſunt renouati per baptiſmum, ſed inquantum retinet adhuc aliquid de vetuſtate primi peccati. Sic D. Thomas. Qui cum beato Auguſtino optimè ſentit; licèt quidam thomiſtarum has velint ſolutiones eſſe diuerſas; at re vera ſunt penitus eadem. Sed & adhuc clarioribus verbis, idem repetit D. Tho. de malo. q. 4. ar. 6. ad. 4., inquiens: Peccatum originale opponitur iuſtitiæ originali, per quam ſuperior pars animæ, & Deo coniungebatur, & inferioribus viribus imperabat, & etiam corpus abſque corruptione poterat conſeruare. Per baptiſmum ergo tollitur peccatum originale quantùm ad hoc quòd datur gratia; per quam ſuperior pars animæ coniungitur. Non autem datur animæ virtus, per quam poſſit conſeruare corpus abſque corruptione, aut per quam poſſit ſuperior pars conſeruare inferiores abſque omni rebellione. Vnde manet poſt baptiſmum & neceſsitas moriendi, & concupiſcentia, quæ eſt materiale in originali peccato. Et ſic quantùm ad ſuperiorem partem animæ participat nouitatem Chriſti. Sed quantùm ad inferiores animæ vires, & etiam ipſum corpus, remanet adhuc vetuſtas quæ eſt ex Adam. Manifeſtum eſt autem quòd homo baptizatus non generat ſecundùm ſuperiorem partem animæ; ſed ſecundùm inferiores, & ſecundùm corpus. Et ideo homo baptizatus non transfundit in prolem nouitatem Chriſti, ſed vetuſtatem Adæ. Et propter hoc licèt ipſe non habeat peccatum originale inquantum eſt culpa, tranſmittit tamen peccatum originale in prolem. Hæc ille. Modò autem quid eſt dictu, quòd homo baptizatus non generat ſecundùm ſuperiorem partem animæ; ſed ſecundùm inferiores, & ſecundùm corpus; niſi quod non generat quatenus Dei filius, ſed quatenus filius ſeculi, habens naturam quam

ab Adam vitiatam ſuſcepit;veluti ex D.Auguſtino dicebatur?

Dub. Sed aiebat hæreticus; nónne baptiſmus remittit culpam ſimul & poenam? Modò autem reſponſio docet oppoſitum; nimirum quòd remiſſa culpa, remanet poena, ſcilicet ipſa concupiſcentia & fomes.

Solutio. Atqui facilis diſſolutio; quippe originali culpæ, duplex fuit debitá poena. Vna quæ eſt carentia viſionis Dei;& quia hæc non fuit promouēs, ſed ſoffocans, ideo in baptiſmo cum culpa remouetur. Alia verò poena fuit pronitas;& hæc non fuit poena ſoffocans; ſed promouens illi, cui infligebatur; ideoq́. in baptiſmo non tollitur, ſed relinquitur homini ad exercitium; contra quam pugnans, exercitatur & promouetur etiam. Illi enim ſic exercitato, redditur corona pro certamine; quæ ſecus non redderetur eidem; dicente Apóſtolo .2. ad Thimo. 2. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Vnde & ſi aliter fieret homo beatus, & non certans contra illam pronitatem, nunq̃ tamen redderetur ei corona pro certamine; quod eſt ipſi homini nimis glorioſum.

Dub. Dicit autē hæreticus; ex hac poena ſequitur neceſſariò culpa; id quod ſatis aures offendere videtur.

Diſſolut. At hoc nihil. Quoniam inconueniens quidem eſſet, ſi huiuſmodi poena ordinaretur ad malum culpæ in eodem; ſed cùm ex illa ſequatur culpa in ipſa prole, & non in eo cuius eſt poena; nullum ſequitur abſurdum. Doctrina eſt Alexandri de Ales, 2. par. ſummæ theologiæ, q. 105., memb. primo ad primum argumentum.

Dub. At nondum quieſcit hæreticus, non penetrans qùi fieri poſſit, vt ex poena proueniat culpa; eo maximè ſtante, q̄ hæc ſemper illam præcedit.

Solut. Reſpondet D. Tho. in memorato loco, ad .7., inquiens: Non eſt inconueniens quòd poena ſit cauſa culpæ, quia vires inferiores non ſunt ſuſceptiuæ culpæ, niſi inquãtum poſſunt moueri à ſuperioribus. Et ideo remota culpa à ſuperiori parte animæ, non remanet ratio culpæ in inferioribus actu, ſed uirtute; inquantum ſunt generationis humanæ principium.

Fuit huiuſmodi doctrina decreta in ſacroſáncto Concilio Tridentino, ſeſſio. 5. cano. 6.; vbi tandem da concupiſcentia & fomite verba faciens, ita concludit: Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit; quæ cũm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti IESV gratiam repugnantibus non valet; quinimmo qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquãdo Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Eccleſiam catholicam nunq̃ intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato ē, & ad peccatũ inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.

Et ſi dicatur, quòd beatisſima Dei genitrix Virgo MARIA non habuit peccatum originale, licèt ab Adam proceſſerit ſecundùm rationem ſeminalem; dicendum eſt, quòd ipſa ſola, ſpeciali gratia fuit præuenta, & præſeruata, eo q̄ fuit præuiſa mater, & Domus Dei. Vnde Salomon:

Can. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Et pſal. Domum tuam

Domine decet ſanctitudo. Et propterea in memorato loco ſub finem, de beatiſsima Virgine MARIA, Sacroſanctum Concilium Tridentinum ſic loquitur: Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem MARIAM, Dei genitricem; ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ quarti, ſub poenis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat. Huiuſmodi autē conſtitutiones poſſunt uideri in extrauagantibus communibus, lib.3. de reliquijs & ueneratione ſanctorum. Sed hæc ſufficiant pro diſſolutione ſecundi argumenti, & eorum quæ ad illud proximiùs ſequuntur.

Tertio loco arguebat Pelagius tali pacto: Si anima non eſt ex traduce, ſed caro ſola, ipſa tantùm habet traducem peccati, & ipſa ſola poenam meretur. Iniuſtum eſt enim, vt hodie nata anima non ex maſſa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Nec ulla ratione conceditur, vt Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena. *Ad.3.*

Ad hoc argumentum non reſpondet omni ex parte D. Auguſtinus; in lib.3. de peccatorum meritis & remiſsione, cap.4. inquit: Ego autem & ſi refellere iſtorum argumenta non ualeam, video tamen inhærendum eſſe iis quæ in ſcripturis ſunt apertiſsima, vt ex his reuelentur obſcura; aut ſi mens nondum eſt idonea, quæ poſsit ea uel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inueſtigare, ſine ulla hæſitatione credantur. Idem aſſerit ibidem, cap.10. Sed ad beatum Hieronymum ſcribens epiſtolam, quæ eſt numero 28. ita ad uerbum loquitur: Miſiſti ad me diſcipulos, vt ea doceam quæ nondum ipſe didici. Doce ergo quod doceam. Nam ut doceam multi à me flagitant, eisq. me ſicut alia multa & hoc ignorare confiteor. Doce ergo, quæſo, quod doceam, doce quod teneam; & dic mihi ſi animæ ſingillatim in ſingulis hodieq. naſcentibus fiunt, vbi in paruulis peccent, vt indigeant in ſacramento Chriſti remiſsione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro eſt propagata peccati. Aut ſi non peccant, qua iuſtitia creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inſeruntur, vt eas, niſi per Eccleſiam ſubuentum fuerit, damnatio conſequatur, cùm in earum poteſtate non ſit, vt eis poſsit gratia baptiſmi ſubueniri. Hæc ille, paucis interiectis. Ex quibus fatetur, ſe illius ratiocinij ſolutionem ignorare. Dicit tamen cap.10. nuper citato, eſſe difficillimam quæſtionem, nunquid rationalis anima ſit ex traduce; quam quæſtionem feramus eſſe occultam, & meminerimus nos eſſe homines. *Tom.7.* *Tom.2.*

D. autem Tho. prima.2.q.81.ar.1.ad.2. reſpondet, quòd & ſi anima nō traducatur, quia uirtus ſeminis non poteſt cauſare animam rationalem, mouet tamen ad ipſam diſpoſitiuè. Vnde per uirtutem ſeminis traducitur humana natura à parente in prolem, & ſimul cum natura, naturæ infectio. Ex hoc enim fit iſte qui naſcitur conſors culpæ primi parentis, quòd naturam ab eo ſortitur per quandam generatiuam motionem. Et in reſponſione ad tertium ait, quòd licèt originalis culpa non ſit actu in ſemine,

eſt tamen ibi uirtute humanæ naturæ, quam concomitatur talis culpa. Id quod cum Caietano intelligendum uenit concomitanter, non cauſaliter; vt potè quia in ſemine continetur natura humana, quam conſequitur peccatũ originale; nec eſt ponenda in ſemine uirtus quædam ſpiritualis, quæ peccatum efficiat originale.

Huiuſmodi ſolutio optima eſt, ſed inferius magis aperietur. Interim procedamus ad alia; Ea nempe quibus nitebantur Pelagiani oſtendere Deum imputare aliena peccata, qui tamen propria dimittit. Diuus enim pater Auguſtinus de peccatorum meritis & remiſsione lib. 3. cap. 7., inquit, ꝙ huiuſmodi peccata non ſic dicuntur aliena, vt oĩno ad paruulos non pertineãt. Siquidem in Adam oẽs tunc peccauerunt, quando in eius natura illa inſita, in qua eos gignere poterat, adhuc oẽs ille unus fuerunt, ſed dicuntur aliena, quia nondum ipſi agebant uitas proprias; ſed quicquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat. Ita Auguſtinus. Et eſt perinde ac ſi diceret, peccatum originale non eſt propriè noſtrum ex parte cauſæ; hoc eſt, non eſt commiſſum noſtra uoluntate. Eſt nihilominus propriè noſtrum ex parte ſubiecti, quia propriè ineſt omnibus. Vnde ab eo ſumus (vt aiunt ſcholaſtici) formaliter peccatores, & inobedientes. Sed & hæc inferius magis patebunt.

Ar.4. Quarto loco arguebant tali pacto: Deus inſtituit coniugium. Qui igitur ex commiſtione maris & fœminæ naſcuntur; non trahunt peccatum originale.

Conſequutio non currit; inquit Auguſtinus, de nuptijs & concupiſcentia lib. 2. cap. 5. quoniam & diuerſitas ſexuum pertinet ad uaſa gignentium, & utriuſque commiſtio ad ſeminationem pertinet filiorum, & ipſa foecunditas ad benedictionem pertinet nuptiarum. Hæc omnia ſunt quidem à Deo; at concupiſcentia carnis ex mundo eſt, cuius mundi princeps dictus eſt diabolus. Quos igitur Deus fecit, ſub diabolo ſunt per peccatum, non per naturam.

Dub. At, inquit hæreticus: Sicut non poteſt ſine ſexibus foetus, ita nec ſine uoluntate eſſe delictum.

Solutio. Ita eſt, inquit Auguſtinus. Sicut enim per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt; per unius illius uoluntatem malam, omnes in eo peccauerunt, quando omnes illi vnus fuerunt; de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt. Et retractationum lib.

Tom. 1. primo cap. 13., ait: Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur libero arbitrio uoluntatis, non abſurdè uocatur etiam uoluntarium, quia ex primi hominis mala uoluntate contractum, factum eſt quodammodo hæreditarium. Vnde concludit quòd uſqueadeo peccatum uoluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit uoluntarium. Quia igitur peccatum originale eſt propriè peccatum; inde fit ut ſit uoluntarium. Sed de hoc latiùs infra.

Ar.5. Quinto loco arguebat tali pacto: Deus eſt author paruulorum; & malũ

non

non fecit. Non igitur ad hoc homines fecit, vt à Diabolo legitimo iure teneantur.

Reſpondet D. pater Auguſtinus in proximè citato loco, cap. 6., quòd vtique paruuli & bonum ſunt à Deo; ſed non delictum, non membrorum inobedientia per carnis concupiſcentiam, quæ non eſt à patre. Et ideo non ita tenentur quia homines ſunt, quod naturæ nomen eſt, cuius author diabolus non eſt; ſed quia peccatores ſunt, quod culpæ nomen eſt, cuius diabolus author eſt.

Arguebat ſextò authoritate Gene. 4., vbi Adam dixit: Suſcitauit mihi dominus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Deus igitur illi excitauit libidinem coeundi. Vnde fructus inde proueniens non detinditur à diabolo. Ad 6.

Ad hoc reſpondet D. pater Auguſtinus in memorato loco, cap. 8., quòd illud dictum: Excitauit mihi dominus ſemen: idem ſonat ac ſi dixiſſet: Dominus dedit mihi filium. Quoniam loquebatur Adam de natura, non de vitio ſeminis. Illa quippe habet authorem Deum, ex iſto autem trahitur peccatum originale. Vnde illud dixit Adam, non poſt coitum ſuum, quo ſemen emiſit, ſed poſt coniugis partũ, quo filium Deo donante ſuſcepit. Nec gratulatio eſt, niſi fortè libidinoſorum, ſuum vas in morbo concupiſcentiæ poſſidentium; quod 1. Theſſa. cap. 4. votat Apoſtolus; ſi ſemen extra coeundi voluntatem fundatur, nec ſequatur conceptus, aut partus, vbi nuptiarum verus eſt fructus. Eſt igitur gratulatio Adam, non ex libidine, ſed ex fructu, proueniente tamen à natura ſeminis, quæ Deum habet authorem.

Arguebat ſeptimo loco de Noe & filijs eius, inquiens, q fuerunt benedicti ſicut Adam & Eua. Cùm igitur voluptas illa ſit à Deo, fructus inde proueniens non poteſt eſſe ſubditus diabolo. Ad 7.

Diuus pater Auguſtinus in memorato loco, cap. 9. reſpondet quemadmodum reſpondit etiam ſuprà, nimirum q natura hominis, eiusq; bonitas eſt à Deo; voluptas verò, ſiue carnalis concupiſcentia, quæ eſt vitium de quo modò agitur, eſt à diabolo. Deus enim dedit fœcunditatem, viuacitatem, ſanitatem, ipſamq; ſubſtantiam animi & corporis; vitium autem diabolum habet authorem.

Cæterùm confirmabatur ratio, ex eo quia huiuſmodi concupiſcentiã, ſine qua nulla datur fœcunditas, excitauit Deus in Abraam & Sara. Nõ igitur diabolum habet authorem.

Eodem in loco cap. 10. reſpondet Auguſtinus, negando quòd Deus concupiſcentiam carnis excitauerit in illis ſenibus, quoniam proculdubio inerat in corpore mortis huius; ſed fœcunditas defuit, cuius author eſt Deus; & ipſa donata eſt quando voluit Deus. Vnde quando ait Pelagius, quòd ſine carnis concupiſcentia nulla datur fœcunditas; eſt omnino irridendus.

Vrget tamen adhuc hæreticus, quòd qui naſcitur, non concubitus, ſed Dei opus eſt. Ad diabolum igitur quomodo pertinebit.

Satisfacit ibidem Auguſtinus, cap. 13., negans omnino quòd ſemina ab

ipſa uoluptate carnalis concupiſcentiæ conficiantur atque miſceantur; atqui ab ijs quæ iam ſunt in corporibus à uero Deo condita. Excitantur tamen, inquit, & emittuntur cum uoluptate. Inde maculatur fructus, & fit ſubditus diabolo. Id quod infra clarius euadet. Sed interim dicimus, quòd qui naſcitur eſt opus generantis, quoniam generat materiam diſpoſitiuè ad animam; ueluti diximus.

Ad.8. Ad octauum, ſimilitudinem inficiamur omninò. Non enim Angelus eſt creatus ut ſit forma corporis; idcirco non poſſet ex parte materiæ defectum incurrere; at ſi maculam peccati haberet ex primordijs ſuæ creationis, illud eſſet ex parte creantis. Anima autem rationalis, licèt ſit à Deo creata, & corpori infuſa; eſt tamen creata & infuſa ut ſit forma corporis; idcirco ex coniunctione ad illud poteſt labem contrahere, ex primi parentis infectione, cuius non eſt Deus cauſa. Vnde animæ infuſio poteſt habere reſpectum, vel ad Deum infundentem, vel ad corpus cui infunditur. Habito reſpectu ad Deum, non eſt dicendum quòd anima ex ſui infuſione contrahat maculam. Quòd ſi habeatur reſpectus ad corpus cui infunditur, procul dubio contrahit maculam; vt latiús patebit infra. Sint igitur in hunc modum diſſoluta ratiocinia Pelagij, quibus nitebatur prorſus peccatum tollere originale, & inde uſqueadeo liberum magnificare hominis arbitrium, vt gratiæ diuinæ nullum, niſi ad benè eſſe, relinqueret locum. At contrà Lutherus & Caluinus, qui ita peccatum originale amplificant, quòd liberum hominis arbitrium penitus euertunt, ſeu euertere nituntur. Nos autem fidei catholicæ profeſſores, & peccatum fatemur originale, & eius per baptiſmum remiſſionem.

Sed per eius labem, tam miſerum incurrit homo uitæ ſtatum, vt non tantùm diuerſis morborum, paſſionum, mutationum, & affectionum generibus, mortique factus fuerit obnoxius; at grauiſſima etiam illa quatuor vulnera perpeſſus ſit, quæ præcipitem illum in omne uitium dederunt; nempe delitеſcentem concupiſcentiam, craſſam ignorantiam, propenſam & lubricam ad omne peccatum procliuitatem, & lentam ad omne opus bonum tarditatem. Prima malorum omnium eſt radix; ſecunda eſt cauſa errorum; tertia eſt ad omne ſcelus ianua; quarta eſt ueluti maceria inter hominem & uirtutem.

Quid ſit peccatum originale.

Cap. 7.

SOLENT doctores philoſophi de duplici rei quidditate ſermonem habere; quid eius nomen ſignificet; & quid ſit in ſeipſa poſtea declarando. Nomen igitur & nos prius habeamus oportet; deinde quid in ſeipſo peccatum ſit originale, iuxta ſanctorum patrum decreta aperiemus. Nomine igitur peccati originalis, quendam intelligimus naturæ defectum, habentem rationem culpæ; quem diximus hominem à ſua origine & generatione contrahere; propter quod peccatum dicitur originale; quaſi uidelicet ab ipſa hominis origine contractum. Hoc itaque

probauimus in quolibet paruulo reperiri, atque adulto, niſi ſacroſancta baptiſmatis unda renaſcatur ablutus. Itemq; diximus ꝑ ita importuniſsima hæc peſtis, per oẽs corporis partes & animi pertinuit, vt nihil ferè in nobis ſit, qđ non illius diritatẽ facilè teſtetur. Propterea ad Roma. 5. dicebat D. Apoſtolus, quòd per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Et ad Corinthios prima. cap. 2. ait, animalem hominem non percipere quæ ſunt ſpiritus Dei. Iterum ad Roma. cap. 7. & 8. conqueritur perficere ſe bonum non poſſe, cùm ſapientiam carnis Deo inimicam eſſe confirmat, cùm legem queritur ſe in membris ſentire, cum mentis lege mirum in modum pugnantem, atque inuitum ſe in peccati ius & ditionẽ pertrahentem; cum magno Propheta pſal. 52., peccati originalis tyrannidem atque immanitatem omnia depopulantẽ demonſtrat; quia omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum; ſiue modò in propria, ſiue in alterius perſona loquatur Apoſtolus, nihil ad rem. Vnde non intendit peccati originis ex his definitionem, ſiue naturam inducere; veluti quidam Lutheri & Caluini moderni ſectatores falsò dictitant & prædicant.

Nam quæ uera atque propria ſit huius peccati ratio, quæ natura, & quæ eſſentia, neminem ex ſacris libris vnq̃ uidi catholicum demonſtrantem. Ratione tamen agentes, ſunt qui uaria & diuerſa notent & ſentiant. Quidam enim uolunt illud eſſe terrenorum amorem; at hoc nulla poteſt ratione fulciri. Quandoquidem in propoſito, amor aut ſignificat actum amandi, aut potentiam ad ſenſibilia propenſam, atque terrena. Si detur primum, peccatum eſt actuale, minimè autem originale. Si verò admittatur ſecundum, potius effectus eſt appellandus peccati originalis; veluti & ipſa carnis concupiſcentia; quàm peccatum originale, vt patebit infra.

Alij uolunt huiuſmodi peccatum nil aliud eſſe, quàm inimicitia cum Deo. At re uera inimicitia non eſt peccatum; ſed effectus peccati. Nam quoniam quis Deum, vel alium offendit, inſurgit inimicitia. Item in infantibus ſi peccatum originale eſt odium; aut huiuſmodi peccatum eſt odium quo infans odit Deum, aut quo Deus odio habet ipſum. Primum non eſt admittendum; quoniam nullum habet infans uoluntatis uſum. Secundum autem non eſt peccatum; quia eſt in Deo, ſed eſt opus peccati; quoniam Deus peccato prouocatus, illud concipit odium.

Adhuc, cùm in iuſtitia originali tria inueniantur, iuxta D. Tho. placitum, prima par. q. 95. ar. 1., nempe donum ipſum gratuitum, ſubiectio mentis ad Deum, & rectitudo uirium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam; ſunt qui uelint peccatum originale priuationem eſſe iuſtitiæ originalis, & illius doni gratuiti. Id quod tamen eſſe non poteſt, ea de cauſa, quoniam priuatio iuſtitiæ originalis in Adam non fuit peccatum, ſed peccati effectus. Quare nec in nobis erit peccatum. In pueris quoque baptizatis nullum remanet peccatum originale, manet nihilominus priuatio iuſtitiæ originalis. Itemq; Deus abſtulit effectiuè originalem iuſtitiam, eaq; voluit homines priuari; vel igitur Deus voluit peccatum, & fuit cauſa ipſius, vel falſum eſt priuationem iuſtitiæ originalis, peccatum eſſe originale.

originale. Non primum. Ergo ſecundum.

Alij dicunt, peccatum originale, animæ eſſe concupiſcentiam, qua homo contra rationem ad appetendum inclinatur; hoc eſt, peccatum originale illam eſſe morbidam qualitatem, animæ inhærentem, de qua Magiſter ſententiarum & alij cum eo, 2.d.30. ſermonem habent, dicentes, quòd huiuſmodi concupiſcentia non ſubſtantialiter manet, ſed eſt affectio malæ qualitatis, ſicut lãguor, veluti docuit Auguſtinus de nup. & concu. lib. 1. cap. 25. Amplius dicunt hanc qualitatem animæ, nõ carni inhærere, diuo atteſtante Auguſtino lib. 5. contra Iulianum, cap. 9. & 11. qui ait, quòd anima in carne, veluti in uaſe uitiato corrumpitur.

Tom. 7.

Addunt, quòd qualitas hæc, ex morbida cauſatur qualitate, quam ex libidinoſa coeuntium concupiſcentia, caro prolis contrahit ex ipſa conceptione. Idq. uolunt ex Magiſtro ſententiarum lib. 2. d. 30. & alijs.

Inſuper dicunt, quòd huiuſmodi qualitas contracta eſt in carne primorum parentum, ex afflatu uenenoſi ſerpentis qui eos tentauit, in eisq. perſeuerauit, & permanet in ſuis poſteris.

Agunt deinde rationé, hunc in modum. Hæc macula non fuit in primo parente ante peccatum, nec fuit in Chriſto, ſecus peccatum habuiſſet originale. Eſt igitur aliquid naturæ ſuperadditum; & ita qualitas.

Hæc, inſuper, qualitas nõ concreatur à Deo, neque per proprios habetur actus, & non eſt in corpore; quia ſola anima eſt peccati ſubiectum. Ita ergo, inquiunt in ſemine eſt qualitas iſta, & à ſemine producitur in carne generata; cui cùm infunditur anima, ex morbida illa qualitate corporea, qualitas noxia in anima cauſatur, quæ ſola, & eſſentialiter eſt peccatum originale. Hanc ſententiam amplectuntur Magiſter ſententiarum, Gregorius Ariminenſis, & Biel.

Quæ tamen ab omni ueritate abhorret, cùm nec in ſacroſancta, diuinaq. ſcriptura, nec in ſanctis patribus vllam penitus habeat fundamentum. Sed rationi quoq. valde repugnat, quoniam qualitas in carne exiſtens, corporea eſt: in anima igitur quomodo poterit qualitatem efficere ſpiritualem? Nec id unq̃ uoluit. D. pater Auguſtinus, at locutus eſt ſemper de concupiſcentia carnis, non animæ, veluti ex ſuis cunctis operibus iam eſt compertiſsimum. Et quando ait, huiuſmodi concupiſcentiam non manere ſubſtantialiter, ſed eſſe malæ qualitatis affectionem, ad Manichæos dirigit ſermonem, eosq. repellere intendit, qui dicebant malum in nobis ſubſtantiam eſſe, à Deo malo ingenitam. At contra ipſe ait, quòd malum concupiſcentiæ non eſt in nobis à natura, illam enim Deus creauit ſanam; atqui accidentaliter nobis adiacet ex culpa protoplaſti, & primi hominis. Et quotieſcunque dixerit Auguſtinus, & alij ſancti patres cum eo, animam infici ex carne, tanq̃ ex uaſe, id inſinuare uolunt, quòd anima hoc non trahit malum, quia emigret ex corpore in corpus, prout Pythagorici uolebant. Nec uerò quia traducitur anima de ſemine infecto; quandoquidem non traducitur anima rationalis, veluti ſenſitiua in brutis animalibus, at uenit deforis, & à Deo infunditur & creatur. Itaque peccatum contrahit originale, quia infunditur carni ab Adam ſeminatæ.

Quod

Quod eſt dictũ, hominem concipi in peccato, quia concipitur filius Adæ per generationem actiuam.

Sunt & alij qui beatiſsimum patrem Auguſtinum imitati, concupiſcentiam carnis peccatum uolunt eſſe originale. Siquidem de peccatorum meritis & remiſsione lib. 2. cap. 4. inquit Auguſtinus: Concupiſcentia tanq̃ lex peccati, manens in membris corporis mortis huius, cum paruulis naſcitur, in paruulis baptizatis à reatu ſoluitur, ad agonem relinquitur, an te agonem mortuos nulla damnatione perſequitur. Paruulos non baptizatos reos innectit, & tanq̃ iræ filios, etiam ſi paruuli moriantur, ad condemnationem trahit. *Tom.7.* Et contra Iulianum lib. 6. cap. 5. ait: De hac quippe agimus concupiſcentia, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; non de illa bona, qua ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, & qua concupiſcitur continentia, per quam concupiſcentia uincatur, ſi uoluptas corporis non eſt hominis bonum. In capite autem 6. in hunc modum proſequitur intentum: Dimittitur concupiſcentia carnis in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur; quamuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen. Id quod optimè conſonat ijs quæ primo retractationum libro, cap. 15. volebat, cùm dixit: Concupiſcentiæ reatus in baptiſmate *Tom.1.* ſoluitur, ſed infirmitas manet; cui donec ſanetur, omnis fidelis, qui benè proficit, ſtudioſiſsimè reluctatur. Ita Auguſtinus. Vnde uidetur uelle concupiſcentiam carnis, propriè eſſe peccatum originis. Quo fit, vt eius uerbis ſint decepti multi, illi quidem qui hanc aſſeuerarunt concluſionem, & illi qui aduerſus Auguſtinum inſurgentes, admodum laborant, vt concupiſcentiam carnis oſtendant non eſſe originale peccatum.

Sed re uera neutra iſtarum opinionum (mea quidem cenſura) ſenſum habuit Auguſtini. Non prima; quoniam illud quod in Adam prius q̃ in nobis fuit, ſi in illo non erat peccatum, neque profectò erit in nobis. Hæc autem carnis concupiſcentia, in Adam non fuit peccatum, at potius effectus & pœna conſequens peccatum. Quoniam propter Adæ peccatum ſublata iuſtitia, defrænata, laxataq́; eſt huiuſmodi concupiſcentia, nedum in eius perſona, verum etiam in tota natura. Quemadmodum igitur non fuit in illo peccatum, ita nec in nobis, at effectus & pœna peccati.

Amplius, res illa non eſt propriè peccatum, quæ eadem manet in iuſtificato, quæ erat in peccatore. Concupiſcentia autem eadem manet: illa igitur non eſt propriè peccatum; at planè reatus ille, qui remittitur dum regeneramur.

Poſſemus multa alia inducere; verùm hæc modò ſufficiant: quoniam inferius ad Lutheranos ſermonem conuertentes, hæc ipſa res clarior euadet.

Interim ſecundam aggredior opinionem, vt inde uideamus, & colligamus apertè, ſententiam non fuiſſe D. patris Auguſtini, quòd carnis concupiſcentia propriè ſit, & (vt aiunt) formaliter originale peccatum. Siquidem lib. primo contra duas epiſtolas pelagianorum cap. 13. ſic loquitur *Tom.7.* D. ille pater: Sed & iſta concupiſcentia carnis falli eos credo, uel fallere, cum qua neceſſe eſt ut etiam baptizatus, & hoc ſi diligentiſsimè proficit,

& ſpiritu

& ſpiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiam ſi uocatur pec-
catum, non utique quia peccatum eſt; ſed quia peccato facta eſt, ſic uoca-
tur; ſicut ſcriptura, manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit.

Tom. 8. Et in pſalmum 70. ait: Propter primum hominem primi captiui, prop-
ter ſecundum hominem ſecundi redempti; nam & ipſa redemptio cla-
mat captiuitatem noſtram. Vnde enim redempti, ſi non antea captiui? Et
eam captiuitatem expreſſius ab Apoſtolo inſinuatam ex epiſtola eius uer-
Roma. 7. ba quædam commemorantes inſinuauimus & repetimus: Video aliam
legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me
ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Ipſa eſt prima cap-
tiuitas noſtra, qua concupiſcit aduerſus ſpiritum caro. Venit autem hoc
de pœna peccati, ut homo aduerſus ſeipſum diuideretur, qui noluit ſubdi-
Tom. 10. tus eſſe Deo. Et ſermone 4. ait: Fiat quod ait Apoſtolus: Non re-
Roma. 6. gnet peccatum in ueſtro mortali corpore. Non dixit, Non ſit. Iam enim
eſt ibi. Quod ideo peccatum uocatur, quia merito peccati contigit. Non
enim in paradiſo caro concupiſcebat aduerſus ſpiritum, aut erat ubi iſta
pugna, ubi pax erat ſola; ſed factum eſt poſtquam homo noluit
ſeruire Deo, & donatum eſt ſibi, ut poſſit ſaltem poſſide-
re ſe; ſed ab eo poſſeſſus a quo deceptus, cœpit caro concupiſcere ad-
Tom. 1. uerſus ſpiritum. Et de libero arbitrio quoque libro primo, cap. 1. inquit: Po-
teſt etiam putari falſa eſſe iſta ſententia, qua diximus: Nuſquam, niſi in uo-
Roma. 7. luntate eſſe peccatum, quia dixit Apoſtolus: Si autem quod nolo hoc fa-
cio, iam non ego operor illud, ſed id quod habitat in me peccatum. Hoc
enim peccatum uſque adeo non eſt in uoluntate, ut dicat: quod nolo, hoc
facio. Quomodo ergo nuſquam eſt, niſi in uoluntate peccatum? Sed hoc pec-
catum de quo ſic eſt locutus Apoſtolus, ideo peccatum uocatur, quia
peccato factum eſt, & pœna peccati eſt; quandoquidem hoc de concu-
piſcentia carnis dicitur, quod aperit in conſequentibus, dicens: Scio quia
non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum; uelle enim adiacet mi-
hi, perficere autem bonum non inuenio.

Tom. 7. Item de nuptijs & concupiſcentia lib. primo, cap. 23. de eadem carnis
concupiſcentia uerba faciens, ait: Sic autem uocatur peccatum, quia pec-
cato facta eſt, cum iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum; ſicut uoca-
tur lingua locutio, quam facit lingua; & manus uocatur ſcriptura, quam fa-
cit manus. Item appellatur peccatum quia peccatum, ſi uincit, facit; ſi-
cut uocatur frigus pigrum, nõ quòd à pigris fiat, ſed quòd pigros faciat.
Ita Auguſtinus. Qui clariſſimis & lucidiſſimis uerbis docet, concupiſcen-
tiam carnis non eſſe uerè & propriè peccatum originale, ut ei attribuit
Albertus Pighius; ſed eſt effectus & pœna peccati. Cur autem dixerit
quòd in baptiſmate ſoluitur concupiſcentiæ reatus, ſed infirmitas ma-
net, dicemus poſtea.

Opinio Pighij. Nunc autem uideamus quid de hac ipſa re uoluerit ipſe Albertus Pi-
ghius. Vir igitur iſte, pius quidem & doctus, libro ſuo controuerſiarum,
controuerſia prima, tres præmittit hypotheſes, deinde ex illis ſuam colli-
git ſententiam. Prima itaque hypotheſis talis eſt: Nemo lege communi

naſcitur

naſcitur ex Adam,niſi uinculo illius peccati originis,iræ filius,mortis reus,damnationiq́. obnoxius,quouſq. inde liberetur per mediatoris noſtri IESV Chriſti gratiam.

Secunda eſt hæc: Peccatum ſecundùm propriam ſuam,veramq́. rationem,qua de eo diuinæ ſcripturæ loquūtur,eſt iniquitas,aut iniuſtitia;hoc eſt,obliquitas à rectitudine,quæ à nobis exigitur,ſecundùm diuinæ legis præſcriptam nobis regulam.

Tertia demum & vltima ita ſe habet:Quicquid ſit illud quod peccatum originale dicimus,verè illud & propriè peccatum erit;& ſecundùm eandem ſuam propriam rationem vniuocè dicetur peccatum,ſecundùm quam,etiam perſonale,& cuiuſque proprium actuale dicitur peccatum.

Ex his modò præmiſsis colligit Pighius, tot non eſſe peccata originis,quot naſcuntur homines,vt quiſque ſuum proprium habeat,quod trahat ab ipſo conceptu,ac materno vtero;ſed unum illud,quod commiſit protoparens,eſſe originale delictum,cuius omnes rei ſumus,& à quo omnes denominatione extrinſeca,peccatores denominamur; vtpotè qui in primo parente,ſicuti membra corporis eramus.Et hoc peccatum,inquit, verè in nobis eſt peccatum,quod in baptiſmate condonatur.Nam ſi vna ea,vera,& propria peccati eſt ratio,iniquitas nempe,& obliquatio à rectitudine,quam diuinæ legis regula à nobis exigit;ſequitur euidenter,proprium peccatum nullum reperiri in paruulo;vt qui ſub lege nondum eſt, nec uſum habet rationis,qua poſsit uim legis apprehendere,nec arbitrij liberi facultatem,qua obſequium legi debitum haberet in ſua poteſtate.

Id confirmat authoritate D.Apoſtoli ad Romanos.5.,quam ſupra expoſuimus.Per unum,inquit,hominem peccatum intrauit in mundum,& per peccatum mors,& ita in omnes pertranſijt,in quo omnes peccauerunt.In quo,videlicet delicto,omnes peccauerunt.Non igitur ſinguli ſingula habemus.Item ibidem ait Apoſtolus.Iudicium ex uno,ſcilicet delicto,in condemnationem.Et iterum:Per unius inobedientiam,peccatores conſtituti ſunt multi.Vnius illius inobedientia,non ſua propria,peccatores conſtituti ſunt multi.

Authoritas etiam adeſt beatiſsimi patris Auguſtini,libro retractatio- *Tom.1.* num primo,cap.15.quo loci,aduerſarijs dicentibus:Cur igitur peccatum dicitis paruulorum,quorum uoluntatem non tenetis ream?Reſpondetur; inquit,non eos proprietate uoluntatis,ſed origine reos teneri.Et paulò poſt:Peccati reum teneri quemquam,quia non fecit quod facere non potuit,ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt.Cur ergo,inquiunt aduerſarij,paruuli tenentur rei?Reſpondetur,inquit Auguſtinus; quia ex eius origine tenentur,qui non fecit quod facere potuit,diuinum ſcilicet ſeruare mandatum.Item de peccatorum meritis & remiſsione lib.primo,cap.10.ait Au- *Tom.7.* guſtinus.Certum,manifeſtumq́.eſt,alia eſſe propria cuique peccata,in quibus hi tantùm peccant,quorum peccata ſunt;aliud hoc unum,in quo omnes peccauerunt,quando omnes ille unus homo fuerunt.Et in Enchiri cap.48.inquit:Illud tamen unum peccatum,quod tam magnum in loco & habitu tantæ felicitatis admiſſum eſt, vt in uno homine originaliter,

atque (vt ita dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur, nō ſoluitur ac diluitur, niſi per mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum IESVM. Demum concludit Pighius, quòd ſi hoc pacto dicatur, facilè intelligitur quid ſit peccatum originale; ſecus non eſt intelligibile. Vnde illud in hunc modum definiendum ſtatuit. Peccatum originale eſt peccatum originis humani generis, Adæ videlicet, quo & ſe & nos, regno coeleſtis illius Hieruſalem (in quod in ipſo, & cum ipſo, certa lege & conditione aſcripti erāmus) extorres fecit, & mortis regno ſubiectos, æternæq́. damnationi obnoxios reddidit; atque omnibus humanæ naturæ calamitatibus, & miſerijs, à quibus ſuperabundantia donorum diuinæ gratiæ nos vindicauerat, & immunes præſtiterat vnà ſecum inuoluit. Cuius vnius reatu conſtricti omnes, peccatores naſcimur; à quo nos liberat & abſoluit, regenerationis in Chriſto gratia. Hac ſua definitione arbitratus eſt vir iſte doctiſſimus, omnes difficultates in hoc negotio emergentes facillimè tollere.

Contra Pighium. Cæterùm contra Pighium inſurgit D. Apoſtolus, loco ab eo citato, à nobiſq́. præexpoſito, quando ait: Per inobedientiam vnius, peccatores conſtituuntur multi. Profectò non dicit, denominantur; at conſtituuntur; veluti etiam ſuperius annotauimus. Vnde ſuper his verbis D. Pauli, ſic *Tom. 2.* loquitur beatus Anſelmus; Verè ſicut delictum vnius condemnauit omnes, ſic iuſtitia vnius iuſtificat oēs. Nā ſicut per inobedientiam vnius primi hominis, quæ eſt delictum ipſius, peccatores conſtituti ſunt multi, ideſt, omnes qui ex eo nati ſunt, originale peccatum ex eo traxerunt, ita & per obediētiam vnius hominis Chriſti, conſtituuntur multi iuſti, ideſt, iuſtificabuntur fide incarnationis & paſſionis eius, in qua fuit obediens vſque ad mortem. Hæc Anſelmus. Dicat modò grauiſſimus Pighius, quid ſibi vult dictum illud beati Anſelmi: Omnes qui ex eo nati ſunt, originale peccatum ex eo traxerunt? Quòd nempe ab eo peccatores denominamur extrinſecè, aut potius, quòd in nobis perſiſtat, ſimusq́. formaliter tales? Non primum quidem; tum quia non dixiſſet, traxerunt, ſed, peccatores nuncupantur, aut aliquid ſimile. Tum quia comparatio inter Adam & Chriſtum, quam habuit Apoſtolus, eſſet ſatis inepta. Quandoquidem illud apud omnes catholicæ fidei profeſſores perſpicuum eſt & clarum, quòd per Chriſti obedientiam, iuſti conſtituuntur multi, non quidem denominatione extrinſeca; ſed intrinſeca & formaliter. Niſi ergo ſimili modo per inobedientiam Adæ, peccatores conſtituantur multi, mox perit comparatio inter vtrunque. Tum quia idem Anſelmus paulò ſuperius, hæc habet verba formalia: Sicut iuſtè per delictum vnius tranſiēs in omnes homines, itum eſt in condemnationem corporis & animæ; ſic iuſto iudicio etiam per vnius iuſtitiam, venientem in omnes homines electos, itum eſt in iuſtificationem; vt participatione iuſtitiæ Chriſti iuſtificentur; quæ iuſtificatio eſt cauſa vitæ, ſicut condemnatio mortis æternæ. Ecce quòd D. Anſelmus clariſſimis & lucidiſſimis verbis fatetur, quòd delictum Adæ tranſit in omnes homines; at quomodò tranſit, niſi peccatores formaliter conſtituantur? Item dicit, quòd Chriſti iuſtitia

venit in omnes homines electos, ſicuti delictum Adæ tranſit in omnes homines. At niſi ſinguli ſingula habeamus originalia peccata, & per conſequens intrinſecè & formaliter peccatores ſimus, quomodo erimus formaliter iuſti, per Chriſti iuſtitiam? Profectò ab illa vnica Chriſti iuſtitia, omnes electi, extrinſecè denominarentur iuſti; quod tanq̃ abſurdum reiicitur ab omnibus.

Rurſus, in baptiſmo, aut peccatum remittitur, aut non. Secundum eſt contra fidem catholicam, & Concilium Tridenti, ſeſſio. 5. Datur ergo primum. Modò ſic: Aut in paruulo baptizato remittitur peccatum propriũ, aut alienum. Secundum eſt nimis abſurdum; quoniam Deus qui propria remittit peccata, imputabit aliena? Itemq; Concilio Tridentino in memorato loco valde repugnat. Relinquitur ergo ꝙ in baptiſmate, proprium remittatur peccatum. Quod ſi ita eſt, quomodo non habemus ſinguli ſingula peccata?

Et propterea Concilium Tridentinum ſeſſio. 5. cano. 2. ita decretum reliquit: Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe; & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe; aut inquantum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & poenas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, nõ autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit: cùm contradicat Apoſtolo dicenti: Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Ecce ꝙ ſacroſancta Synodus vult Adam peccatum etiam in totum genus humanum transfudiſſe, & D. Apoſtolum in eo ſenſu interpretatur. Vnde fit conſequens, vt vnuſquiſq. proprium habeat peccatum originalẽ. Id quod ibidem cano. 3. eadẽ ſancta Synodus ſub his verbis ſancitũ eſſe voluit: Si quis hoc Adæ peccatũ, quod origine vnũ eſt, & propagatione, nõ imitatione, trãsfuſũ oĩbus, ineſt cuiq. propriũ; vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remediũ aſſerit tolli, q̃ per meritum vnius mediatoris Domini noſtri IESV Chriſti, qui nos Deo recõciliauit in ſanguine ſuo, factus nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio; aut negat ipſum Chriſti IESV meritũ, per baptiſmi ſacramẽtũ in forma Eccleſiæ ritè collatum, tam adultis q̃ paruulis applicari, anathema ſit. Et in Cano. 4. ita legitur: Propter hanc regulam fidei, ex traditione Apoſtolorũ, etiã paruuli, qui nihil peccatorũ in ſemetipſis adhuc cõmittere potuerunt, in remiſsionem peccatorũ veraciter baptizãtur, vt in eis regeneratione mũdetur, quod generatione cõtraxerũt. Ni aũt propriũ vnicuiq. inſit originale peccatũ, quid eſt hoc qđ generatione cõtrahũt? Sed clarius ibidẽ, cano. 5. quãdo Sãcta Synodus eos damnat, q negãt in baptiſmo tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet. In omnibus igitur & ſingulis hominibus, propria & vera culpa reperitur originalis.

Tom. 6.

Sed audiamus ipſum Pighium ſibi repugnantem. In prima ſiquidem hypotheſi dicit, & ſibi ſtatuit, quòd nemo lege communi naſcitur ex Adam, niſi vinculo illius peccati originis, iræ filius, mortis reus, dam-

 nationiq.

nationiq́.obnoxius. Alia verò ex parte vult quòd extrinſecè denominemur peccatores. Modò autem, ex hypoteſi illud optimè ſequitur, quòd verè in nobis ſit,& propriè peccatum. Quo quidem ſtante,qùi fieri poteſt,vt ab extrinſeco denominemur peccatores? Si enim peccatum mihi non ineſt proprium,quomodo naſcar ipſius originalis peccati vinculis colligatus,non facilè video. Et ſi propriè ſum filius iræ,& mortis reus,damnationiq́.obnoxius,vtique ab intrinſeco peccator item ſum denominandus,& nullatenus ab extrinſeco; quoniam hæc re vera adinuicē pugnant. Vel enim ſum filius iræ,& reus mortis intrinſecè,vel extrinſecè. Si primum,ſum igitur etiam intrinſecè peccator; quoniam ira & mors, effectus ſunt,ſiue pœna peccati. Si ſecundum, non igitur ſum propriè reus mortis.

Eſt itaque ſententia hæc Alberti Pighij omnino improbabilis; nec eius rationes vim aliquam habent. Quæ vt diſſoluantur, illud vnum annotandum propono,quod ex beatiſſimi patris Auguſtini emanauit ore, libro.22. contra Fauſtum, cap.27.; quòd ſcilicet peccatum eſt,factum, vel dictum,vel concupitum aliquid,contra æternam legem. Lex vero æterna eſt,ratio diuina,vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſeruari iubens,perturbari vetans. Vnde ratio culpæ eſt deflexus ille operis,& declinatio à lege Dei,& rationis regula; quemadmodum Adam lineam ſibi præſcriptam tranſgreſſus,comedit de ligno ſcientiæ boni & mali. Et hanc peccati definitionem admittimus cum Pighio, peccata omnia ex æquo reſpicere & amplecti,ſiue cuique eorum vniuocè conuenire. At ob id non ſequitur, quin in paruulo, ſiue in homine, qui dum concipitur, nondum eſt iudicij & libertatis compos, neque ad legis normam agere, nec inde deuiare poteſt, ſit ratio veræ culpæ; veluti vir iſte, cæteroquin doctiſſimus,perperàm arbitrabatur. Siquidem verum eſt,quòd vnico illo Adæ peccato,peccauimus omnes; quoniam quando peccauit ipſe Adam, peccauit in eo ſimul tota natura humana; vnde reatus ille peccati, relictus eſt in ipſa natura. Et idcirco vt ab Adam,omnes trahimus naturam, ſuam quiſque propriam recipiendo, ita & omnes,eius contrahimus peccatum; per hoc quòd in ſingulis eſt deuiatio illa,& obliquitas animi à Deo; qua proinde cuncti contagione culpæ ita inficimur, vt ſingulas ſinguli contrahamus maculas.

Tom.6.

Vnde cùm animam recipimus,non peccamus,ſed concipimur in peccato. Neq.dicendus eſt quis originaliter peccare,ſed peccatum originaliter trahere cũ natura. Minusq́.negandũ venit peccatum Adæ illud eſſe, quod contrahimus. Et propterea cũ hoc q̃ paruulus non habet vſum rationis,nec eſt iudicij,& libertatis compos,optimè ſtat q̃ ſit veræ & propriæ culpæ obnoxius. Quoniam eſt huiuſmodi peccatum naturæ,non perſonæ. Ex quo patet ad rationem Pighij,ſimulq́.ad D. Apoſtoli authoritatē; quam etiam in ſuperioribus expoſuimus,& eius germanum ſenſum,ex Sacroſancto Tridentino Concilio oſtendimus ſatis. Patet etiam ad authoritates Auguſtini; quoniam vtique verum eſt, nos reos teneri vnico illo Adæ peccato,& non proprio perſonali; modo quo diximus. Vnde perit

etiam

etiam peccati originalis definitio,ab ipſo Pighio allata.

Proptereà cùm omnis definitio conſtet ex materia & forma, quid ſi nos tum ex D.patre Auguſtino, tum ex beato Anſelmo, cum D.Thoma,ipſius peccati originis veram conflabimus definitionem? Diuus itaq. pater Auguſtinus, animaduertens quòd Pelagius volebat carnis concupiſcentiam bonum eſſe quoddam naturale,à Conditore inſitum naturæ,in odium ipſius oſtendit oppoſitum,illam uocando peccatum originale; nomen pro materiali capiendò, & ab immediato effectu nomen cauſæ ſumendo. Dicimus enim quòd ira eſt accenſio ſanguinis circa cor,cùm tamen ſit formaliter appetitus vindictæ.Dicimus quoque ſcripturam manum, & locutionem linguam, vt immediatus effectus nomen ſumat cauſæ; veluti in ſuperioribus ſe declarauit Auguſtinus. Quòd ſi Pelagius non obſtetiſſet, ſecus fortè locutus fuiſſet D. ille pater. Vnde per figuram & impropriè loquendo, dixit quòd in baptiſmate ſoluitur concupiſcentiæ reatus, ſed infirmitas manet. Id quod etiam voluit D. Tho.,quando dixit quòd in baptiſmate aufertur peccatum originale reatu,manet tamen actu. Veluti declarat ipſe in epiſtola Pauli ad Roma. cap.7. lectio.2.,inquiens: Peccatum originale ante gratiam Chriſti eſt in homine ſecundùm culpam & poenam.Sed veniente gratia,tranſit reatu,& permanet actu; quantùm ad fomitem peccati, vel concupiſcentiam habitualem,quæ operatur in homine omnem concupiſcentiam actualem.

Quapropter beatus Anſelmus libro de conceptu virginali, cap.3. ad peccati originalis formale reſpiciens, ait: Originale peccatum non eſt aliud quàm iniuſtitia,ideſt,abſentia debitæ iuſtitiæ. *Tom 3.*

Atqui D.Tho.prima ſecundæ,q.82.ar.3. vtranque definitionem complectens, ait, quòd peccatum originale materialiter eſt concupiſcentia; formaliter verò eſt defectus originalis iuſtitiæ.Vt ſit definitio talis: Peccatum originale eſt concupiſcentia,originali iuſtitia carens.Et hanc volumus.Pro cuius declaratione,illud animaduertamus oportet,quod docet D.Tho.prima par.q.95.ar.1.;nimirùm quòd in iuſtitia originali tria inueniuntur; primum,donum ipſum.Secundum,ſubiectio mentis ad Deû. Tertium,rectitudo virium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam.Priuatio primi non eſt peccatum originale,ſed eius effectus.Secundum verò,quod eſt prima rectitudo,eſt quaſi formale,& primarium.Tertium autem,quod eſt ſecunda rectitudo,eſt quaſi materiale,ex priori dependens.Vnde priuatio primæ rectitudinis,& ſubiectionis ad Deum, nô eſt effectus peccati in Adam, ſed ratio formalis ipſius. Priuatio verò ſecundæ,ſeu aliarum rectitudinum,fuit in Adam, itemq. in nobis effectus peccati.Eapropter beatus Thomas.2.Theologicarum ſenten., d.32.q.1. ar.1. ad primum dicit,quòd in baptiſmate reſtituitur nobis iuſtitia originalis,quantùm ad formale; ideſt,quantùm ad ſubiectionem animæ ad Deum. Hanc doctrinam ſi annotaſſet Pighius,fortaſsis in aliam deſcendiſſet ſententiam. Sed pergamus ad alia.

Aduerſus ea, quæ diximus nonnulla difficultates emergunt. *Cap.* 8.

IN capite præcedenti illam ſatis reiecimus opinionem atque ſententiam, quæ carnis concupiſcentiam docebat peccatum eſſe originale. Idq. meritò, iureq́. optimo; quandoquidem Sacroſancta Synodus Tridentina, ſeſſio .5. cano.5. de ea ſic loquitur: Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunq̃ intellexiſſe peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit. Anathema igitur Lutherus, anathema Caluinus, & maledicti illotum oẽs aſſeclæ; qui aduerſus Catholicam Eccleſiam Romanam temerè, impudenter, atq. ore duriſsimo, docent, necnon & profitentur, habitualem concupiſcentiam mortale peccatum perpetuò eſſe. Lutherus nanque in aſſertionibus ad Leonem, articulo, 2. ait: In puero poſt pabtiſmum negare remanens eſſe
Roma. 7. peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare. Paulus enim dicit: Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum niſi lex diceret: Non concupiſces. Hic ſine dubio claret, concupiſcentiam eſſe peccatum. At quis hominum, qui concupiſcentiam non ſentit, poſtq̃ adoleuerit, quamuis baptizatus? Cùm hic Apoſtolus ſanctiſsimus, nedum baptizatus, ſuam concupiſcentiam accuſet? Vnde ergo hoc peccatum, niſi ex natiuitate carnis, etiam poſt baptiſmum remanens?

At ne quis putet Apoſtolum in perſona aliorum loqui, Galat. 5. ad eos, qui Spiritu viuebant, generali ſententia dicit: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Quid erat neceſſe mandare, vt ſpiritu ambulent, qui ſpiritu viuunt, ſi non ſupereſt peccatum carnis, quod crucifigant? Denique dicit cap. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc. n. ſibi inuicem aduerſantur, vt nõ quæcunq. vultis, illa faciatis. Quæ autem poteſt eſſe concupiſcentia ſpiritus, niſi charitas? Vt & Auguſtinus ſæpius interpretatur. Vbi autem charitas niſi in baptizatis? Et tamen in his pugnant vtraque concupiſcentia. Et quæ eſſet Apoſtolicæ doctrinæ vis atque authoritas, ſi non generaliter ad oẽs homines pertineret? Non enim abſolutè dicere debuiſſet, ſpiritũ & carnẽ, ſibi repugnare; ſed aliquorum ſpiritum & carnem, ſcilicet malorum. Nunc autem prorſus de omnibus chriſtianis dicit: Quicunque autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & cõcupiſcentijs ſuis. Quod quomodo poteſt aliter intelligi, q̃ illud Roma. 6. Non ergò regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius? Cur prohibet obedire cõcupiſcentijs corporis, ſi non ſunt in corpore baptizati? Cur regnare vetat, ſi nullum adeſt peccatum? Niſi q verè in omnibus peccatum eſt, & concupiſcentia; ſed non debet regnare, nec nos ei obedire, ſeu conſentire; ſed contra pugnare, crucifigere & mortificare; ſicut Gene. 3. idem bellum ſpiritus & carnis deſcribitur: Inimicitias po-

nam inter te & mulierem,& inter ſemen tuum,& ſemen illius;ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.

Rurſus,Romanorum ſeptimo:Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem;video autem aliam legem in membris meis,repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati.Hoc enim non dici in perſona malorum,ſed in perſona ſua,& omnium ſanctorum filiorum Dei,ex eo patet, quòd condelectari legi Dei ſecundùm interiorem hominem,impoſſibile eſt homini extra gratiam conſtituto, qui potius odit legem. Quia cap.3.,generali ſententia de omnibus filijs hominum dixerat:Non eſt iuſtus,non eſt intelligens,non eſt qui faciat bonum,non eſt vſque ad vnum.At qui delectatur in lege Dei ſecundùm interiorem hominem,certè iuſtus eſt,intelligit,requirit Deum, & facit bonum, nec declinat à Deo;quum delectari in lege,non ſit niſi amantis,& deſiderantis legem.Et in fine ait:Igitur ego ipſemet ſeruio legi Dei,carne autem legi peccati.Si enim hoc non in perſona ſua, ſed impiorum dixit, dabimus malos eſſe ſeruos Dei,ſecundùm nobiliorem partem ſui, ſcilicet mentem. Nam ſeruire legi Dei, eſt obedire,in omnes eius voluntates ire,& ſubditum eſſe Deo.Quod impijſſimum eſt ſentire de impijs;quorum cor & mens penitus declinant à Deo.

Reuertamur ad probationem:Apoſtolus Hebræ.12. vtique baptizatis & ſanctis ſcribens,ait:Deponamus omne pondus,& circumſtans nos peccatum.Hîc ſeipſum quoq. inuoluens,docet deponi omne pondus,& circũſtans nos peccatum,ideſt,pertinaciter inhæret & inſtat;mira verbi emphaſi ſignificans,moleſtam,& improbam illam carnis noſtræ concupiſcentiam,& procacitatem,qua nos aſsiduè ſolicitat ad peccatum;nec aliquando quieſcit,nunc ira,nunc libidine,nunc ſuperbia, nunc auaritia nos inquietans.Ita vt D. Cyprianus ob hoc ipſum,optandum cenſeat mortem accelerari, Epiſtola de immortalitate,dicens: Cum auaritia nobis,cum impudicitia, cum ira,cum ambitione congreſsio eſt; cum vitijs carnalibus, cum illecebris ſecularibus aſsidua & iugis, & moleſta eſt luctatio. Obſeſſa mens hominis,& vndique zabuli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis,vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt,exurgit libido,ſi libido compreſſa eſt,ſuccedit ambitio, ſi ambitio contempta eſt,ira exaſperat, ſuperbia inflat, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Cogeris maledicere, quod lex diuina prohibet; compelleris iurare, quod non licet; tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hîc inter zabuli gladios diu ſtare, quum magis concupiſcendum ſit & optandum, ad Chriſtum,ſubueniente velocius morte,properare. Si tantus Martyr de ſe, ſuiſq. ſimilibus talia affirmat, quis dubitabit & omnibus ſanctis eadem tribuere? aut ſaltem non negabit in Sanctos quadrare quod Apoſtolus dicit: Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis; ne in perſonis impiorum, iſta videatur locutus.

Iuuant eandem hanc ſententiam & multa alia; primum id quod Apo-

ſtolus Roma. 12. præcipit vtique ſanctis & baptizatis, vt renouentur in nouitate ſenſus ſui; & alibi, 2. Corin. 4. Et ſi is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen hic qui intus eſt renouatur de die in diem. At renouari eſt ex vetuſtate in nouitatem mutari. Vetuſtas autem peccatum eſt veteris hominis, ſicut nouitas, gratia noui hominis. Renouari ergo arguit ineſſe vetuſtatem; ſicut rurſus dicit Col. 3. Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis. Et 1. Corin. 5. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. Quæ omnia certè affirmant reliquum vetuſtatis & peccati in nobis eſſe, quod exuendum, expurgandumúe ſit; quum ad eos ſcribat, qui iam erant, vt dicit, azimi, & creati in nouum hominem ſecundùm Deum.

Deinde parabolæ Saluatoris pulchrè huc valent; quarum vna de Samaritano, qui ſemiuiuum non ſubito ſanauit, ſed alligauit tantùm, & ſanandum ſuſcepit. Nónne oſtendit, neminem ſubitò ab omnibus peccatis ſanum factum, ſed pacto fidei in corpus Chriſti aſſumptum, de die in diem magis ſanari? Altera Matthæi 13. de fermento in ſata farinæ tria miſto, donec fermentaretur totum; quid aliud vult, q̃ fermento nouo fidei fermentari, non ſubito, ſed paulatim totum hominem? Vt hæc vita cognoſcatur non eſſe iuſtitia, ſed iuſtificatio; non ſanitas, ſed ſanatio; non finis, ſed phaſe Domini; non terra, ſed migratio; & prorſus continua pugnatio peccati. Et tranſitus de virtute in virtutem; vt docet Pſal. 84; & transformatio de claritate in claritatem, ad imaginem Chriſti; vt Apoſtolus vocat. At talis tranſitus certè manifeſtat reliquum ſemper eſſe peccatū, à quo recedamus, & ad maiorem iuſtitiam appropinquemus.

Et Ioan. 13. quum aſſeruiſſet diſcipulos eſſe mundos, tamen infra dicit. 15. ſe eſſe vitem, illos palmites; & tamen omnem fructiferum magis purgandum, vt plus fructificet. Quomodo enim ſunt mundi, & ſimul immundi, vt purgari egeant, qui niſi mundi eſſent, fructum non afferrent? Niſi quòd verum eſt quod idem 1. Ioan. 1. dicit: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Notauit Sanctus Auguſtinus, quòd non dixit habuimus, ſed habemus. Et Pſal. 18. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me domine. Et Pſal. 50. petit ſpiritum rectum, & cor mundum in ſe fieri, quum hoc non niſi iam mundus orare poſſet. Vnde ergo iſta immunditia tam ſanctis viris, ſpiritu feruentibus, nedum baptizatis? Quod malum mouet has immunditias? niſi radicale illud originis malum, de quo Paulus Coloſſenſibus ſcribit: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, auaritiam; non quòd his peccatis ſeruire eos arguat; ſed repugnent, ne eis ſeruiant.

Et vt finem faciamus; nónne omnes concludit ſub peccato ſola oratio dominica, dum omnibus, quantumlibet ſanctis, mandat orare; fiat voluntas tua, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum? Quid confitetur, qui petit fieri voluntatem Dei, niſi ſeſe nondum plenè facere voluntatem Dei, ac per hoc eſſe inobedientem Deo? (Neque enim fictis

hic verbis oratur,) hoc ſolo ſaluo, quòd agnoſcit & deprecatur ſuam inobedientiam, ac inquantum orat & agnoſcit, tantùm facit voluntatem Dei, id eſt, in ſpiritu, ſed in carne, contra quam ſic orat, nondum facit. Ita qui petit ſanctificari nomen Dei, nónne fatetur nomen Domini adhuc in ſe pollui ex parte? quod dolens deprecatur, & impletur in eo illud Roma. 7. Quod nolo malum hoc facio; quod uólo bonum, non facio. Sic qui aduenire regnum Dei petit, certè ſeruum diaboli ſe ex parte confitetur cum Apoſtolo, dicens: Video aliam legem in membris meis, captiuantem me in lege peccati. Nam quem non facit reum iſta lex, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo? Quis non parte aliqua magna ſeipſum diligit? Verùm ſciebat Apoſtolus hoc præceptum ſublimius eſſe, quàm vt inexercitati capere poſſent, ideo aſſumpſit quod præſumpſit non poſſe negari ab ipſis, nimirum omnium ſenſu cognitum.

Videamus autem qua ratione moueantur, vt negent, peccatum dici reliquam baptiſmo libidinem. Dicunt enim baptiſmi iniuriam eſſe, ſi non omnium peccatorum tribuere dicatur remiſſionem, ſicut habet fides catholica Eccleſiæ, & ſanctum Euangelium. Si ergo remiſſa ſunt omnia peccata, quod reliquum eſt, peccatum dici non debet.

Reſpondeo, quid hic dicere poſſum, niſi quòd vrgentibus eodem argumento pelagianis, Auguſtinus dixit, ſcilicet peccatum remitti quò ad reatum, ſed nō quò ad actum? Seu, vt ipſius vtar verbis, peccatum iſtud, reatu tranſit, actu manet. Sicut enim, vt idem ait, aliquod peccatum tranſit actu, & manet reatu, ſicut eſt omne actuale; ita econtra, hoc originis peccatum tranſit reatu, & manet actu. Ecce non negat eſſe peccatum, nec dicit ſolum defectum, aut poenam eſſe; ſed peccatum actu & verè eſſe.

Rurſum dicent, at nos reatum hunc propriè vocamus peccatum, non id quod remanet. Reſpondeo, in re iſta ſeria & ſacra, non licet argutijs ſophiſticis cauillari, quibus effingunt reatum eſſe reſpectum inter Deū & peccatorem, quo hic deputatur ad poenam. Iniuria eſt gratiæ Dei, ſi ſolum iſtum phantaſticum reſpectum tollere doceatur, quum, vt ſcriptura loquitur, gratia Dei renouet, mutet, & in nouos homines transformet de die in diem, & res iſta ſeriò agatur, non reſpectibus tollendis, ſed ſubſtantia, & vita mutandis.

Prima Ioan. 5. dicit: Scimus quoniam omnis qui natus eſt ex Deo, nō peccat; ſed generatio Dei conſeruat, & malignus non tanget eum, & omnis qui credit quoniam IESVS eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt, vt ibidē dicit. Ita ſimul verum eſt iuſtum non peccare, & tamen peccatum habere, ſeu malum facere. Concludamus ergo cum pulcherrimo dicto Auguſtini; Peccatum, inquit, remittitur in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Ecce eſt, & manet peccatum, ſed nō imputatur. Et propterea baptiſmus omnia peccata remittit, ſed nullum penitus tollit; ſed incipit tollere, vnde falluntur qui per remiſſionem, intelligunt omnimodam peccatorum expurgationem. Hæc ſunt, quibuſdam leuibus omiſſis, quæ in. 2. Lutheri habentur articulo.

omni, vero addit, quòd fomes peccati, etiam ſi nullum adſit actuale peccatum, moratur à corpore animam ab ingreſſu coeli. Et in calce eiuſdum articuli, eundem appellat actuale peccatum. Quare Melancthon dicebat, quòd ſancta ſcriptura non facit differentiam inter actuale & originale peccatum. Nam & originale, actualis eſt quædam praua concupiſcentia. Vnde concupiſcentia eſt formaliter peccatum, inquiunt iſti, etiam in baptizatis. Nihilominus prohibetur præcepto illo decalogi: Non concupiſces. Impoſſibilia igitur, aiunt, mandauit Deus ipſe benedictus; & alia quæ inde ſequuntur; atqui fundamento deſtructo, alia facilè ruunt.

Caluinus. In hanceandem hæreſim deſcendit maledictus Caluinus; qui primo loco in hunc modum arguebat: Romanorum 4. authoritate magni prophe-
Pſal. 31. tæ dicebat D. Apoſtolus: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. In baptiſmo igitur licèt ſimus abluti & ſanctificati, non imputando peccata; at non quòd concupiſcentia verum peccatum perpetuò non ſit.

Ad Romanos quoque ſcribens Apoſtolus, ait cap. 8.: Nihil ergo damnationis nunc eſt in his qui in Chriſto ambulant; non autem dicit: Nil peccati, quaſi peccatum à fomite procedens, de quo cap. 7. egerat, perpetuò mortale ſit peccatum; ſed quia non imputatur, nil damnationis habeat.

Tom. 7. Auguſtinus, inſuper, de nuptijs & concupiſcentia, cap. 23. ait: Si non fit
Exo. 20. quòd ſcriptum eſt, Non concupiſces; fiat ſaltem quod alibi legitur: Poſt
Eccle. 18 concupiſcentias tuas ne eas. Quibus oſtendit, ipſam habitualem concupiſcentiam, mortale peccatum eſſe.

Quid aliud ſenſit Paulus ad Roma. 6. cùm dixit: Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro; q̄ habitualem cōcupiſcentiam, peccatum mortale eſſe? Et non dixit Paulus, Non ſit; ſed, Non regnet. Et hoc Au-
Tom. 9. guſtinus obſeruat ſuper Ioan. tracta. 41. colu. penul., ſubiungēs: Quandiu viuis, peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis; ſaltem regnum illi auferatur, & non fiat quod iubet.

Quid, amplius, voluit idem Apoſtolus ad Romanos. 7. cùm dixit: Nō autem ego id operor, ſed quod habitat in me peccatum? Profectò his verbis declarat habitualem concupiſcentiam, peccatum eſſe mortale. Et addit Caluinus, quòd D. Apoſtolus, paucis exceptis verbis, in illo. 7. cap. ad Romanos, ea omnia de ſeipſo loquitur, quæ ibidem continetur; in hoc ſecutus Lutherum, ſicut & in multis alijs.

Kimnicius. Subſequitur modò alius Lutheri diſcipulus, qui de haceadem carnis concupiſcentia ita loquitur: Quia ſcriptura ſacra & experientia docent, in renatis poſt baptiſmum, originalem morbum, hoc eſt, carnis concupiſcentiam manere, quæ eos cogat Deum continenter orare, & inniti, vt dona renouationis in dies magis, atque magis augeantur, cupiditatumq. interitus perficiatur. Hoc autem tantùm quæritur quid concupiſcentia illa ſit per ſe, & ſuapte natura, quæ in renatis poſt baptiſmum in hac vita manet, quando ipſi non obeditur, an res ſit bona, pura, munda, ſancta, placens Deo, & legi diuinæ conformis. Sed Paulus ad Roma. 7., ad Galatas. 5.

latas.5., ad Coloſſen.3.& ad Ephe.4. planè docet concupiſcentiam illā, de qua ſermo eſt, verè eſſe peccatum. Nec poteſt Pauli diſputatio conſtare, ni carnis ipſos peſtiferos motus, atque titillationes in potiſsimis mortalium peccatis numeremus.

Addunt, quòd huiuſmodi concupiſcentia cùm ſolicitet ad malum, relinquitur quod ſit improba. Non eſt autem mala malitia actuali; Ergo originali.

Item, materiale peccati eſt verè peccatum, vt patet in furto & percuſſione. Concupiſcentia autem eſt materiale in peccato originali; Eſt ergo propriè peccatum. Alia etiam dicit hæreticus iſte, quæ cum ijs quæ ex Luthero diximus conueniunt, & idcirco miſſa faciamus, ad huiusq; hæreſis impugnationem deueniamus.

Prænarrata hæreſis, optimis reijcitur authoritatibus & rationibus. Cap. 9.

QVONIAM in ſignificatione vocabuli concupiſcentiæ, quidam poſſent decipi minus eruditi, illud ſciendum atque notandum venit, quòd ſcilicet hoc in loco de concupiſcentia non loquimur generatim accepta, quæ eſt tam bonarum q̃ malarum rerum appetitus; nec rurſus de concupiſcentia carnis ſpecialiter dicta, ſolummodo ſermonem habemus; quæ nempe eſt appetitus voluptatis in gula, & coitu. Atqui loquimur de carnalis hominis concupiſcentia praua, generaliter accepta; quæ quidem, iuxta doctrinam D. Ioannis Apoſtoli, in ſua prima epiſtola, cap.2., complectens concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, non eſt à Deo patre. In ſcripturis nanq̃ ſacris quædam reperitur concupiſcentia bona, penès quam interior homo concupiſcit aduerſus carnem; de qua verba faciebat Apoſtolus Paulus ad Gala. cap.5., dicens: Spiritus concupiſcit aduerſus carnem. Et Sapientiæ cap.6.: Concupiſcentia Sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Et magnus propheta pſal.83.: Concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Item pſal.118.: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Et ibidem: Concupiui ſalutare tuum, Domine. Hæc autem ſancta concupiſcentia eſt à Deo Patre; qua concupiſcit animus delectari in Domino, cupiens vel Deum ipſum, vel aliquid quo Deo inhæreat, obediat, placeat illi, viuat, ac immoreretur; dicebat doctiſsimus Driedo. Hoc pacto concupiſcimus fidem, ſpem, charitatem, cæterasq; virtutes, quibus Deo placeamus, & obediamus. Concupiſcentia verò praua generaliter accepta, de qua eſt modò ſermo, ea eſt, ſecundùm quam homo iungens ſe carni, hoc eſt, carnalis voluptatis deſiderio, à Deo alienatur conditore, ac redemptore, vero ſuo beatifico bono. Et hæc praua concupiſcentia, vtranque ſenſualitatis partem amplectitur; nimirum concupiſcibilem, atque iraſcibilem. Pars enim ſenſitiua vim vtranque comprehendit, cognoſcitiuam videlicet, atque appetitiuam; appetitus tamen ſolus eſt, qui apud theologos nomen habet ſenſualitatis; quoniam ſumitur

hoc no-

hoc nomen à ſenſuali motu,eo quòd ſenſualitas hominem extra rationis metas,ad ſenſibilia,quæ ad corpus attinent,tum blanditijs malitioſis eliciat,tum etiam concitet;quemadmodum à ſuo actu denominatur potentia;vt à viſione viſus.Mouere autem non tam propriè competit cognoſcitiuæ potentiæ,q̃ appetitiuæ. Quandoquidem operatio virtutis apprehenſiuæ perficitur in hoc quòd res apprehenſæ ſunt in apprehendente; operatio autem virtutis appetitiuæ perficitur in hoc quòd appetens inclinatur in rem appetibilem.Et ideo operatio apprehenſiuæ virtutis aſſimilatur quieti,operatio autem virtutis appetitiuæ magis motui aſſimilatur.Vnde per ſenſualem motum intelligitur operatio appetitiuæ virtutis. Et ita ſenſualitas eſt nomen appetitus ſenſitiui;quemadmodum docet D.Tho. prima par.q.81.ar.1. Iſte autem appetitus ſenſitiuus,in duas à philoſophis ſecatur partes, concupiſcibilem nempe atque iraſcibilem: Per illam in ea propendimus,quæ conueniunt;eaq́.renuimus,quæ nobis aduerſantur.Per hanc verò,reſiſtimus obſiſtentibus,& his quæ deterrent, ne conuenientia proſequamur. Licèt igitur ſub tali diuiſione,appetitus deſcribatur ſenſitiuus,nihilotamenſecius totus huiuſmodi appetitus nomen habet concupiſcentiæ. Vnde beatus pater Auguſtinus concupiſcentiam vocat ſenſualitatem,iuſtitia originali ſolutam.Et quia in tertio capite huius ſectionis,ſatis ex ſolertiſſimo Dominico Soto,de hac ipſa re ſermonem habuimus, quo nullo penitus negotio conuincebatur in homine in puris naturalibus conſtituto,ita vt ſit ei à natura ingenita,(imaginabamur enim hominem in puris,meriſq́; naturalibus conſtitutum) ſat erit modò ſi illud pro comperto relinquentes, an ſit huiuſmodi concupiſcentia ex peccato aucta definierimus.

Huiuſmodi quæſiti ſolutionem tetigimus ſupra,huius ſectionis cap.3., quando ex doctiſſimo Soto diximus, quòd homo in puris naturalibus conditus, in hoc differt ab homine in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto,q̃ iſte ſe habet veluti homo nudus,qui propter peccatum fuit veſtibus expoliatus;&ille ſicuti homo qui ſuapte natura conditus eſt ſine veſte,& nunq̃ habuit illam.Inter nos igitur in culpa originali conceptos,& eum, qui cum nuda natura naſceretur,(dempta ratione culpæ) illud eſt,quantum ad operandi virtutem & vires,interſtitium,quod inter hominem veſtimentis exutum,quibus fuerat indutus,& nudum natum,qui nunq̃ fuit veſtitus. Et ita huiuſmodi carnis concupiſcentia non eſt aucta ex peccato,quia eſt naturalis, & bona naturalia etiam in dœmonibus integra manſiſſe poſt peccatum, docebat D. Dionyſius, de diuinis nominibus, cap.4. quem quidem omnes inſequuntur veri theologi, 2.ſen.d.30. & D.Tho.prima ſecundæ,q.81. Et ſupra oſtendimus,quòd nulla fuit protoplaſto ingenita qualitas per actum peccandi,quæ per carnis propagationem in poſteros inſerperet;quoniam conſenſus ille ſpiritualis in peccatum,non potuit tam perpetuam qualitatem corpori imprimere. Illud tamen non imus inficias quod docet Ariſtoteles;nimirũ animi concitatione,nonnunq̃ affici corpus;& vice verſa,affici etiam animum,corporis commotione. Etenim calefit corpus ira,ac timore frigeſcit;quemadmodum &

dum & ex calore corporeo concitatur & turpis affectus animi. Aſt huiuſmodi qualitates, diſpoſitiones ſunt tranſeuntes, non tamen diuturni habitus. Et re vera non eſt cur concedamus actionem vnam animæ, peculiarem aliquam in corpore qualitatem ingeneraſſe in illo primo homine, ex eo quòd deliquerit in diuinam legem, cùm talem non ingerat quiuis alius actus culpæ. Sed dato etiam quòd fuerit infixa corpori Adæ, ob id tamen non ſequitur, quòd in totam ſuam poſteritatem diffundatur. Cùm itaque nullum principium naturæ noſtræ ſit per illam præuaricationem detractum atque detritum, nullaq. nobis intruſa qualitas, alius naturæ languor, aut debilitas ad benè agendum, propenſiorue inclinatio ad malum effingi non poteſt, q̄ ſi in puris naturalibus naſceremur. Cum horum tamen aſſertione, negamus animo præſenti, & exporrecta, minimè autem obducta fronte, hos naturæ noſtræ defectus, eò eſſe nobis prorſus naturales, quòd tales omnino creati ſimus; hoc enim illud eſt, quod de carnali noſtra concupiſcentia prædicabat maledictus ille Pelagius; veluti in ſuperioribus diximus ſatis. Atqui dicimus, quòd licèt mors & reliqui defectus ſint in nobis naturales ratione materiæ; quandoquidem omne miſtum ex elementis, eſt ſuapte natura corruptibile; quia tamen in prima noſtri conditione, donati ſupernè ſumus immortalitate, quam noſtra ex culpa amiſimus, mors effectus eſt, poenaq. peccati. Id quod Gene. 3. innuere voluit Dominus Deus, quando poſt condemnationem Adæ, vt in laboribus comederet, &c., ſubdit inquiens: Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris; oſtendens mortem, ratione materiæ, nobis eſſe naturalem; at poſtea effectus eſt peccati, remouentis prohibentem iuſtitiam. Ob id dicitur Sapientiæ primo: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Et ad Roma. 5. D. Apoſtolus: Per peccatum mors.

Idem de concupiſcentiæ rebellione, atque conflictu aduerſus ſpiritū fatendum eſt; quòd nempe licèt ex principijs naturæ nudæ ortum habeat; quia tamen per donum gratuitum originalis iuſtitiæ compreſſa erat, factum eſt, vt diſſolutio, effrænatioq. ipſius, ſit etiam opus, ac poena peccati; eademq. tyrannus, & lex carnis, & peccati fomes. Hæc ex ſubtiliſſimo, necnon & doctiſſimo Soto habuiſſe volui; quæ mihi arrident impensè. Huiuſmodi igitur concupiſcentia eſt genus ad omnia praua deſideria. Propterea Apoſtolus Petrus. 2. ſua cano. cap. 1. dicebat: Fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ, corruptionem. Et Sapientiæ. 4.: Inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum. Non tamen quia ſit ex peccato aucta, ſed quia diſſolutio ipſius eſt effectus, & poena peccati.

Nec obſtat ijs quæ diximus parabola illa euangelica Luc. 10.; in qua genus noſtrū comparatur homini incidenti in latrones, qui ab illis ſpoliatus, plagiſq. affectus, relictus eſt ſemiuiuus; vnde ſacri theologi noſtri concordes affirmant, hominem expoliatum eſſe gratuitis, atque in naturalibus vulneratum & læſum. Huiuſmodi autem læſio ita venit intelligenda, non quòd per vnum eundemq. primum actum delicti Adæ, taliter natura in perpetuum fuerit attenuata, vt ſit modò debilior, & languentior, quàm

Quomodo fuerit homo vulneratus in naturalibus.

quàm ſi in puris fuiſſet naturalibus condita. Aſt fuit ea ratione læſa huiuſmodi natura noſtra, quia rationalis cùm ſit, ſuum eſt ſecundùm rationem agere; à quo nihilominus tramite per ſenſualitatem cohibetur & deflectitur. Sed donum illud iuſtitiæ originalis, quod ſenſualitatem compeſcebat, hominem in naturalibus perficiebat, prohibendo ſcilicet ne ſenſualitas impedimento eſſet rationis officij, quæ ſunt homini naturalia. Priuatio igitur illius doni, fuit plaga & vulnus in natura, quatenus homo inde relictus eſt mancus, & incurſionibus diaboli, mundi, & carnis peruius, vt non poſſit iuxta naturam ſuam perpetuò operari. Veluti; inquit Soto; ſi natura hominis eſſet recta linea incedere, haberet nihilominus alligatum ſibi canem aliorſum trahentem; qui canem aliquo remedio coërceret, hominem in naturalibus perficeret; è regione autem, qui remedium auferret, læderet in eiſdem. Hæc dixi ratione iſtius parabolæ, communem inſecutus doctorum & expoſitorum opinionem, vt omnis è medio tollatur ſcrupulus. Infra tamen quid de ea ſentiam aperietur. Interim dico, quòd ijs non obſtat Ariſtotelis dictum in. 2. libro de moribus, minuſq. D. Tho. ſententia, 1. 2. q. 81. quibus in locis dicit ille, quòd actus ingenerant ſimiles habitus; & iſte, quòd inclinatio naturalis ad virtutem, diminuitur per peccatum. Vnde videtur quòd in eo qui vitijs ſeſe tradidit, imminuatur inclinatio ad bonum, augeaturq. ad malum. Hoc, inquam, non obſtat, quoniam licèt in ipſo Adamo, ſicut & in nobis per actualia noſtra, potuerit propter corruptos habitus bonum naturæ debilitari; at peccatum originale, cùm vnicum ſit, nullum poteſt, nec potuit habitum ingenerare; nec aliter eneruat (niſi quòd eſt culpa) inficitq. naturam, q̃ ſi homo in puris naturalibus naſceretur. Et ita cum ſubtiliſſimo atque ingenioſiſſimo Dominicò Soto ita concluſum relinquimus; quòd ſcilicet homo cum ſolo originali; ſecluſis habitibus actualium; non fertur impenſius in ſenſibilia, q̃ ſi eſſet in puris naturalibus. Atque ideo ſolùm differunt, ſicuti moles ab alto cadens, impedita prius, & poſtea ablato impedimento. Quæ quidem, æquali vehementia cadit, anteq̃ retineatur, & poſtq̃ remouetur obſtaculum. Non eſt igitur concupiſcentia hæc noſtra carnalis ita generaliter accepta, non eſt aucta ex peccato, quia ex principijs naturæ nudæ ortum habet. Quibus non obſtantibus, aſtruunt maledicti Lutherani & Caluiniſtæ, quòd eſt peccatum.

In eos igitur primo loco in hunc modum animaduerto: Quod eſt nobis naturale, non eſt laude nec vituperio dignum. Carnis autem concupiſcentia cùm ſit nobis naturalis; vtpotè quæ licèt nulla præceſſiſſet culpa, vel gratia, ex principijs naturæ exiſteret in homine, quàtenus ſenſibus pollet; veluti docet Ariſtoteles. 2. libro de moribus. Qùi igitur fieri poteſt, vt huiuſmodi concupiſcentia ſit peccatum? Eſt quidem effectus peccati; quoniam Deus fræno originalis iuſtitiæ creauit eam rationi ſubiectam, peccatum autem remouit iuſtitiam illam, quæ rebellionem eiuſdem concupiſcentiæ prohibebat. Et quòd ante baptiſmum ſit materialiter peccatum, iam clarum in ſuperioribus reliquimus & apertum. Damnant iſti peſſimi viri Logicam, necnon & philoſophiam; nihiloſeciuſtamen harum

ignoran-

ignorantia eos præcipites agit. Audiant; quæſo; pij, catholiciq́. lectores; Si dixero: Viſus, auditus, guſtus,& tactus,& reliqui ſenſus, nobis poſt Adami peccatum inſtrumenta ſunt delinquendi. Huiuſmodi igitur ſenſus, delicta ſunt atq.peccata? Aurum, honores,necnon & muliebris forma,& quicquid nos pellicit,pellitúe ad malum,eſt in nobis peruium ad malũ. In ſe igitur eſt malum? Huiuſmodi curruntne conſequutiones? Haudquaquam. Ita pari paſſu: Carnis concupiſcentia eſt fomes,hoc eſt, fomentum & alimentum vitiorum,quæ conſenſu allectæ inde voluntatis admittimus. Igitur eſt concupiſcentia propriè peccatum? Quid Auguſtinus ait contra duas epiſtolas Pelagianorum,lib.1.,cap.13.? Dicimus baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum,& auferre crimina,non radere,nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum vnde creſcant,iterum reſecanda peccata. In renatis igitur quomodo peccatum erit concupiſcentia? *Tom 7.*

Diuus Ioannes Chryſoſtomus homilia.13.in Epiſto. ad Roma.ait: Ipſæ paſsiones in ſe,peccatum non ſunt. Infrænata uerò ipſarum immodeſtia, péccatum operata eſt. Vt exempli gratia vnam illarum tractem. Concupiſcentia quidem peccatum non eſt. Quando verò in immodeſtiã foras eruperit, nolens intus nuptijs legalibus eſſe contenta, ſed alienis mulieribus inſiluerit, tunc demum adulterium fit,non à concupiſcentia; ſed à nimio & illicito illius luxu. Hæc ille. Cui optimè fauet D. Iacobus in epiſtola ſua,cap.primo,inquiens: Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Sed,Beatus qui ſuffert tentationem;quoniam cùm probatus fuerit,accipiet coronam vitæ,quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Si igitur concupiſcentia eſt perſæpè occaſio coronæ,qui fieri poteſt vt ſit propriè peccatum? *Tom. 4.*

Diceret fortaſsis Martinus,& diſcipulus eius hæreticus,quòd licèt huiuſmodi concupiſcentia tenet,& ſit aliquando occaſio coronæ; at ob id non habemus quin ſit propriè peccatum. Quinimmo eſt peccatum; dicebat ſupra articulo ſecundo; ſed non debet regnare in nobis; iuxta dogmata D. Apoſtoli ad Roma.6.; vt ei conſentiamus, & obediamus; at contra pugnare debemus, crucifigere, & mortificare, vt inde coronemur. *Euaſio.*

Sunt nugæ iſtæ; Martine; quoniam concupiſcentia, ſiue fomes iſte, nobis inſitus eſt à natura; quemadmodum dictum eſt; quæ verò ſunt à natura, nec laudem nec vituperationem merentur. Bone Deus, ſi hominem ab ipſo Deo benedicto in puris naturalibus creatum effingamus,& abſque culpa & gratia,necnon & quouis alio ſupernaturali dono,nónne medium adhuc teneret locum inter angelos & inferiores creaturas? Senſu igitur polleret atq.ratione. Illum itaq.ad hunc modum ſpeculemur,quemadmodum & ipſi philoſophi agnouerunt. Perſpicuum igitur illud eſt & clarum,quòd eſſet homo tunc ex anima rationali,& corpore conſtans,& ita ex ratione & ſenſu. Modò autem,philoſophi per ſenſum, partem totam ſenſilem intelligunt,nimirum cognoſcitiuam,& appetitiuam; ſicuti & per rationem, ſeu partem rationalem, intel- *Impugn.*

lectum accipiunt & voluntatem. Vnde optimè Ariſtoteles in 2. lib. de moribus, diſſecat in homine partes binas; eam videlicet quæ eſt rationis compos, atque ſenſilem alteram; quæ bruta dicitur, & rationis expers, quæue rationi obedit, obſequio politico & regali; authore eodem Ariſtotele, primo Politicorum libro, cap. 3. qui ait: Eſt igitur primum in animali perſpicere imperium dominicum & ciuile. Nam animus quidem in corpus, dominicum habet imperium; mens verò in appetitum, ciuile & regium; in quibus clarum eſt, ſecundùm naturam & vtilitatem, imperari ab animo corpori; & ab ea parte quæ habet rationem, ei parti quæ ſubiacet perturbationi. Ecce quòd animus habet dominicum imperium in corpus; vnde membra corporea dicuntur ſeruire animo, veluti ſeruus domino ſuo; qui quidem ſeruus, cùm non ſit ſui iuris, non habet renitendi facultatem. Mens verò & ratio in ſenſilem partem, dominium habet & imperium ciuile & regium; quemadmodum ciuis paret principi; vtpotè in cuius eſt arbitrio, ei minus obtemperare. Propterea inde oritur lis, queſtus, rebellio, lucta, atque diſſidium. Ex quibus patet, quòd rebellio illa & lucta cuius meminit Apoſtolus quando dicit: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ineſt nobis ex principijs naturæ. Lucta autem quam habet caro aduerſus ſpiritum, ab ipſa prouenit ſenſualitate, ſiue ab appetitu ſenſitiuo; qui & concupiſcibilem amplectitur, & iraſcibilem partem; vnde totus animalis appetitus, nomen habet concupiſcentiæ. Si igitur carnis concupiſcentia nil aliud eſt, quam appetitus ſenſitiuus, & iſte eſt nobis ingenitus à natura, nónne itidem concupiſcentia? Et ſi res ita ſe habet, quomodo erit ipſa concupiſcentia in renatis propriè peccatum? Videant modò Lutherani & Caluiniſtæ, ſitne adminiculo philoſophia, ſacris literis, ac rebus fidei rectè percipiendis? Nónne benè diximus nos in ſuperioribus, quòd fidei ſæpè, & multum ancillatur?

Sed dicant mihi iſti noui theologi, ſi vnuſquiſq. tentatur à ſua concupiſcentia; huiuſmodi tentatio vel eſt ex principijs naturæ, vel non. Si detur ſecundum, hoc eſt contra experientiam, & Diuo aduerſatur Apoſtolo, qui ait ad Gala. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem; patet autem quòd hæc ſunt principia ex quibus ipſe homo conſtat; vt deduximus. Si autem detur primum, iam eſt concupiſcentia naturalis; vnde redit primum.

Eſt, inſuper, manifeſtiſſima repugnantia in hac ipſa eorum doctrina; quoniam ex vna parte volunt concupiſcentiam eſſe propriè peccatum; & inde colligunt, Deum ipſum benedictum, impoſſibilia præcepiſſe; quoniam prohibuit concupiſcentiam, quam tamen ſubterfugere non valemus. Alia verò ex parte docent cum Apoſtolo Paulo, ne regnet peccatum in hoc noſtro mortali corpore, vt ei obediamus, & aſſentiamur; ſed contra pugnare debemus, crucifigere, & omni noſtro conatu obſiſtere, vt inde coronemur. Adſint modò viri iſti eruditiſſimi. Huiuſmodi re-

pugnantia non oritur niſi ex obſeruantia diuinorum præceptorum, ex qua ſequitur poſtea corona, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Si autem præcepit mihi Deus impoſſibilia, quomodo erit in me eorum obſeruantia? Et ſi non hæc, quomodo erit vlterius in me repugnantia, atque obſiſtentia? Et ſi non repugnantia, quomodo corona? Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Quòd igitur obſiſtam concupiſcentiæ, & non poſſim diuina ſeruare præcepta, duo in ſe claudit manifeſtiſsimè pugnantia. Quare quòd concupiſcentia ſit in renatis propriè peccatum, & quòd eam poſſint mortificare, & crucifigere, eſt manifeſta contradictio. Et quod peius eſt, D. Iacobus in præcitatis verbis, eodem eſſet peccato pollutus. Dicit nanque: Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Supra autem dixerat: Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Hæc cum ijs quæ dixit Apoſtolus Paulus. 2. ad Thi. 2. optimè conueniunt; ſcilicet, Nõ coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Hinc itaque duo præcipuè habemus, alterum eſt, quòd ex concupiſcentia prouenit peccatum, quòd tandem generat mortem. Aliud verò eſt, quòd ſi quis ſuffert tentationem, & motibus reſiſtit concupiſcentiæ, accipiet coronam vitæ. Modò percunctor ego, nũquid valeat ille ſufferre tentationem, aut motibus concupiſcentiæ reſiſtere, abſque diuinæ legis obſeruantia? Minimè quidem. At ſi præcepit Deus impoſſibilia, quomodo coronabitur legitimè certando, aut accipiemus coronam vitæ, motibus concupiſcentiæ reſiſtendo? Quòd igitur non conſentiendo concupiſcentiæ, illam crucifigam & oppugnem, quòdq; Deus ex altera parte impoſſibilia præceperit, repugnantiam manifeſtiſſimam includit. 2. ad Thi. 2

Diuus quoque Apoſtolus Paulus. 1. ad Corin. cap. 10. ait: Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Quæ quidem verba exponens D. Anſelmus, inquit: Non dœmoniaca, ſed humana tentatio vos apprehendat. Nam humanum quidem eſt, in corde tentationem perpeti; dœmoniacũ verò eſt, tentationis certamine, & in operatione ſuperari. Et quia neceſſe eſt vos tentationibus probari, non dico vel oro vt non tentemini, ſed vt tentatio nulla vos apprehendat niſi humana; id eſt, vt ſicut homines, non ſicut dœmones tentemini; ſcilicet vt per tentationes proficiatis, non ſuccumbatis. At ſi concupiſcentia eſt in renatis propriè peccatum, ex quo non poſſunt diuinam legem ſeruare, qui fieri poteſt vt in tentationibus proficiant, & non ſuccumbant? Eſt igitur & in verbis D. Apoſtoli repugnantia, & ita ſemper laborat incaſſum. Non eſt igitur concupiſcentia in renatis propriè peccatum, ſed fomes peccati; cuius quidem motibus, diuino fauente auxilio reſiſtendo, accipimus coronam vitæ.

Rurſus itaque ad principale redeamus, quando dicit Lutherus, quòd baptiſmus omnia peccata remittit, ſed nullum penitus tollit, ſed incipit tollere. Ex quo ſequitur vt remittatur peccatum in renato per

baptiſmum, quemadmodum & albedo in pariete per fuſcedinem, &
pullum colorem. Sicut igitur remiſſa albedine in pariete, adhuc paries
dicitur albus; ita pari ratione, remiſſo peccato ad ſenſum Lutheri in re-
nato per baptiſmum, adhuc ille dicitur & eſt peccator. Sed audiamus D.
Apoſtolum, priori ad Corinthios epiſtola, cap. 6. oppoſitum docentem
1. Cor. 6. ſub his verbis: An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? No
lite errare. Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, ne-
que molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari,
neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.
Et hæc aliquando quidem fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis,
ſed iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri IESV Chriſti, & in ſpiritu
Dei noſtri. Modò autem dicant mihi Lutherani & Caluiniſtæ, ſi renatus
per baptiſmum adhuc eſt peccator, quomodo eſt ablutus? Quomodo eſt
ſanctificatus & iuſtificatus? Sanctificatio enim pariterq. iuſtificatio, cũ pec
cato ex dyametro pugnant. Quare optimè beatus pater Hieronymus, qui
Tom. 8. dicta Apoſtoli verba exponens, ait: Omnia peccata baptiſmi gratia diluũ-
Tom. 5. tur. Cui ſubſcribit D. Ambroſius ad eadem verba, inquiens: Hæc omnia
beneficia puritatis in baptiſmate conſecuti noſcuntur, quod eſt fundamẽ
tum Euangelicæ veritatis. Illic enim omnibus peccatis depoſitis, ablui-
tur credens, iuſtificatur Domini nomine, & per Spiritum Dei noſtri, Deo
Tom. 2. filius adoptatur. Sed audiant D. patrem Auguſtinum, quem ſuum eſſe di-
cunt. Ipſe enim in epiſtola ad Bonifaciũ comitem, quæ eſt numero 50.
ait: Propter hanc ſpẽ dicit vniuerſa Eccleſia: Dimitte nobis debita noſtra;
ut non ſuperbientes, ſed confitentes mũdet nos ab omni iniquitate; atq.
ita ſibi dominus Chriſtus exhibeat in illa die glorioſam eccleſiam, non ha
bentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi; quam modò mundat
lauacro aquæ in verbo; quia neq; aliquid remanet in baptiſmo, quod nõ
dimittatur omnium præteritorum peccatorum.

Tom. 10. Et in ſermonibus de tempore, ſermone 90. ait: Quando in ſalutari laua
cro, tertiò Chriſtiani merguntur, tunc Aegiptij, ideſt, originalia peccata,
vel actualia crimina quaſi in rubro mari ſepeliuntur, & filijs Iſrael per-
tranſeuntibus ad Dei ſeruitium, ſola patiuntur peccata naufragium. Et
ne aliquis dubitet, & putet non omnia peccata ſopiri per baptiſmum,
agnoſcat & intelligat, quia quomodo nullus remanſit Aegiptiorum, ſic ni-
hil remanet penitus peccatorum.

Tom. 5. Id quod etiam confirmat de Ciuitate Dei, libro primo, cap. 27. ſub his
verbis: Quam cauſam ſi voluerimus admittere, eò vſq. progreſſa perueni-
et, ut hortandi ſint homines, tũc ſe potius interimere, cùm lauacro ſanctæ
regenerationis abluti, vniuerſorum remiſſionem acceperint peccatorum.
Tunc enim tempus eſt cauendi oĩa futura peccata, cùm oĩa ſunt deleta præ
terita. Ecce, Martine, q minus rectè præceptorem & magiſtrum imitatio-
ne expreſſiſti. Ipſe enim inter delere, abluere, & remittere peccata, nullum
aſſignat interſtitium; veluti in immediatè citatis eius verbis optimè con
ſtat. Sed ipſum rurſus audiamus in lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagia-
Tom. 7. norum, cap. 3. qui ait: Baptiſmus abluit quidem peccata omnia, prorſus

omnia;

omnia; factorum, dictorum, cogitatorum; ſiue originalia, ſiue addita, ſiue quæ ignoranter, ſiue quæ ſcienter admiſſa ſunt; ſed non aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonem luctatur. Hanc eandem doctrinam habet pluribus alijs in locis, quæ omittuntur breuitatis ergo.

Aſt non nouit Martinus, D. patrem Auguſtinum hanc ſuam doctrinam habuiſſe à ſanctiſſimo Ioanne Euangeliſta. Ipſe enim in ſua prima canonica Epiſtola cap. 3. ait: Scitis quia ille apparuit, vt peccata tolleret. Itemque Ioannes Baptiſta videns IESVM venientem ad ſe, dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Ioan.1.* Quid igitur cauillantur & garriunt iſti lutherani? Audiant audiant Paulum ad Roma. 8. concludendo dicentem: Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto IESV, qui non ſecundum carnem ambulant. Et de peccatorum meritis lib. 2. cap. 4. inquit Auguſtinus: Concupiſcentia tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis huius, cum paruulis naſcitur, in paruulis baptizatis à reatu ſoluitur, ad agonem relinquitur. *Tom.7.* Et in primo retractationum, cap. 15.: Concupiſcentiæ reatus in baptiſmate ſoluitur, ſed infirmitas manet. *Tom.1.*

Atqui dicit Lutherus ad illam quam modò induximus Pauli authoritatem, quòd non dicit Apoſtolus: Nihil peccati eſt. Sed, Nihil damnationis. Quam illa iuſtorum concupiſcentia ſit verè & propriè peccatum, atque de ſe damnatione dignum; ſed eis non imputatur propter fidem, & quia non ambulant ſecundùm carnem. Vnde authoritas D. Apoſtoli magis oppoſitum, quàm intentum præſtare videtur. *Reſponſio Lutheri.*

Reſponſum hoc eludit Diuus pater Auguſtinus, lib. primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 10., inquiens: Nulla ergo condemnatio eſt nunc his qui ſunt in Chriſto IESV. Non enim damnatur, niſi qui concupiſcentiæ carnis conſentit ad malum. *Impugna.* Ecce quòd dicens Apoſtolus, nihil eſſe damnationis in his, qui non ambulant ſecundùm carnem, palàm eſt ipſum docuiſſe, nihil in renatis eſſe damnatione dignum, præterquam ambulare ſecundùm carnem. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet, Pati moleſtias carnis, nihil prorſus damnabile eſt; ſed ambulare; ideſt, liberè operari ſecundùm carnem.

Fauet D. Anſelmus, qui præmiſſa D. Apoſtoli verba exponens, ait: Ergo nihil damnationis eſt nunc, & ſi ante fuit, in his qui ſunt in Chriſto IESV, in quo per baptiſmum ſoluta ſunt illis omnia. Dum non eſſent in Chriſto, & conſentirent concupiſcentiæ, erat illis damnatio. Nunc autem cùm ſint in Chriſto, & repugnent concupiſcentiæ, nihil damnationis eſt illis, quamquam ex carne concupiſcant; quia non pugnatores, ſed victi damnantur; nec eſt damnabile ſi exiſtant deſideria carnalia; ſed ſi eis ad peccandum obediatur. His qui ſunt in Chriſto non eſt damnatio; his dico, qui non operantur ſecundùm carnalem appetitum. In renatis igitur nil reperitur damnabile, niſi ambulare & operari ſecundùm carnē. Id quod etiā D. patris Auguſtini optimus diſcipulus Primaſius, eadē Apoſtoli verba exponens confirmat, dicens: Non damnatur, niſi qui cōcupiſcētiæ

carnis conſentit ad malum. Nam carne mortua, nihil habet in ſe quod dominari poſſit. Et ſi nolunt huiuſmodi ſanctisſimos, pariterq́; doctisſimos viros audire; audiant Ioannem Apoſtolum in ſua prima canonica, cap. 3. ita dicentem: Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Nedum filij Dei nominamur, ſeu reputamur, quod tamen eſſet, ſi in baptizatis, aliquid eſſet culpæ, non tamen imputatæ, vt volunt lutherani; verùm etiam ſumus verè filij Dei. Qui enim vocantur & non ſunt; inquit Auguſtinus; quid prodeſt illis nomen? Eapropter ad Titum cap. 3. dicebat Apoſtolus Paulus: Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, per IESVM Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. In his Apoſtoli verbis eſt periphraſis baptiſmi. Quandoquidem per baptiſmum regeneramur, & efficimur noua creatura; idq́; virtute Spiritus ſancti, quem dicit in nos effuſum; quod verbum ſignificat abundantiam; nec eo contentus, addidit (abundè) ideſt, opulentè, ſeu diuiter; vt mirè benignitatem exprimeret Dei patris erga filios. Modò autem, quænam eſt iſta abundantia & affluentia Spiritus ſancti in nobis per baptiſmum, ſi per eum non tolluntur omnino peccata omnia? Eſt igitur ad Pauli verba, Lutheri ineptisſima expoſitio.

Sed confirmatur hæc ſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrina, authoritate iterum D. patris Hieronymi, qui in Epiſtola ad Oceanum ita loquitur: Omnia nobis in baptiſmate condonata ſunt crimina; nec poſt indulgen-
Tom. 2. tiam, iudicis eſt metuenda ſeueritas; dicente Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine domini IESV Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Omnia peccata donata ſunt, benè, & fideliter. Hæc ille.

Miche. 7. Qui & infra ſubdit: Micheas de baptiſmi gratia vaticinatur; Ipſe auertet & miſerebitur noſtri; demerget iniquitates noſtras, & proijciet in pro-
Ezech. 36 fundum maris omnia peccata noſtra. Audiamus & Ezechielem filium hominis, quo modo de eius virtute pronunciet, qui hominis futurus eſt filius. Aſſumam vos de gentibus, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs veſtris; & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Ab omnibus, inquit, mundabo vos ſordibus. In omnibus, nihil prætermittitur. Ita beatus Hieronymus.

Tom. 2. Et libro. 9. Epiſtolarum ex regiſtro, cap. 30. ait beatus Gregorius: Qui dicit peccata in baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegiptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegiptios veraciter mortuos, fateatur neceſſe eſt, peccata in baptiſmate funditus mori; quia nimirum plus valet in abſolutione noſtra veritas, quàm vmbra veritatis.
Ioan. 13. In Euangelio dominus dicit: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Si igitur peccata in baptiſmate funditus minimè dimittuntur, quomodo is qui lotus eſt, mundus eſt totus? Totus

enim mundus dici non poteſt,cui de peccato aliquid remanſit. Sed nemo reſiſtit voci veritatis,quæ ait:Qui lotus eſt,mundus eſt totus. Nihil ergo ei de peccati ſui contagione remanet , quem totum fatetur mundum ipſe qui redemit: Hactenus beatus Gregorius. Quid ais, Martine? Fateris ne Aegiptios in mari rubro veraciter mortuos? Sed audi, bellua marina. Ioannes Euangeliſta in ſua epiſtola prima cap. 3. ait: Omnis qui facit peccatum,& iniquitatem facit. Et peccatum eſt iniquitas. Et Dominus Deus per os Dauid ait pſalmo. 118.: Iniquos odio habui,& legem tuam dilexi. Et Sapientiæ. 11. de Deo dicitur: Diligis omnia,& nihil odiſti eorum quæ feciſti. In homine igitur iniquo, duo cùm ſint, natura ſcilicet & iniquitas, aut Propheta odio habet naturam,aut iniquitatem. Non primum,quia natura eſt à Deo,qui nihil odit eorum quæ fecit. Ergo ſecundum. Propterea D. pater Auguſtinus notat,q non dixit Propheta,Iniquos odio habui,& iuſtos dilexi. Aut,Iniquitatem odio habui,& legem tuam dilexi. Sed cùm dixiſſet: Iniquos odio habui, expoſuit quare,addendo,& legem tuam dilexi, vt demonſtraret,non ſe in hominibus iniquis odiſſe naturam qua homines ſunt; ſed iniquitatem, qua legi quam diligit inimici ſunt. Optimè igitur Spiritus ſanctus,ne forte crederemus,quòd ſicut in iuſtis diligitur virtus & natura,ita per oppoſitum,in iniuſtis debeat odio haberi iniquitas & natura. Hinc igitur duo præcipuè habemus; quòd nempe iniquitas & peccatum conuertuntur,& quòd Deus odit iniquitatem. Ex quibus hæc maxima conflatur propoſitio: Deus odit peccatum. Modò ſic: Ais, Martine, peccatum originale manere,ſed non imputari; & ita carnis concupiſcentia in renatis eſt propriè peccatum,ſed non imputatur. Aut igitur Deus odio habet huiuſmodi concupiſcentiam,ſiue peccatum,aut non. Si detur primum,quomodò non imputat ad culpam? Et quomodò peccatum eſt in baptiſmate remiſſum? Nemo enim remittit culpam,niſi & odium penitus è pectore diuellat. Hanc ob cauſam dicitur Deus peccatorum obliuiſci,quæ remittit. Si verò detur ſecundum, iam nõ habet rationem culpæ. Et ſi dixeris aliquam eſſe culpam,ſiue aliquod eſſe peccatum,in quod Deus minimè odio habeat,iam ex dyametro pugnas cum Propheta,qui ait:Iniquos odio habui. Quare dicamus oportet, hanc tuam doctrinam duo claudere in ſe pugnantia,& ſeipſam deſtruere. Sicut enim adinuicem pugnant aliquod eſſe peccatum, & Deum in illud odium non habere;ita etiam ſi dicamus aliquod eſſe peccatum,& à Deo non imputari. Repetamus igitur nos cum ſancta Eccleſia Romana,quòd in renatis non eſt concupiſcentia propriè peccatum; at eſt ſenſualitas, quæ rebellare nata eſt aduerſus rationem. Sine conſenſu tamen,aut negligentia voluntatis,non erit rebellio illa peccatum. Poteſt enim inimicus excitare tentationis motum, ſed in nobis eſt,ſi voluerimus,dare,ſeu negare conſenſum. Et hoc eſt remedium,quod aduerſus huiuſmodi tyrannum nobis annunciant ſancti patres. Et re vera maxima indigemus conſolatione,aduerſus huiuſmodi ſæuiſſimum hoſtem, & morbum infeſtiſſimum; qui nobis tyrannico impetu inſultans, ad turpia quæque per-

petſanda prouocare non deſinit, Idcirco D. Bernardus in ſermonibus de quadrageſima, ſermone. 5. ait: Ipſi enim, vt manifeſtum eſt, geſtamus laqueum noſtrum, vbique propriũ circumferimus inimicum; carnem hanc loquor de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipſa origine, ſed multò amplius prauâ conſuetudine vitiatam. Hinc eſt quòd tam acriter caro aduerſus ſpiritũ concupiſcit, quòd aſſiduè murmurat, & impatiens eſt diſciplinæ; quòd illicita ſuggerit, quòd nec rationi obtemperat, nec inhibetur vllo timore. Huic accedit, hanc adiuuat, hac vtitur ad impugnandos nos callidiſſimus ſerpens, cui nullum aliud deſiderium eſt, nullum ſtudium, nullum negotium, niſi effundere ſanguinem animarum. Hic eſt qui iugiter machinatur malum, qui deſideria carnis inſtigat, qui concupiſcentiæ ignem naturalem, quodammodo venenatis ſuggeſtionibus ſufflat, illicitos motus inflammat, peccati occaſiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum tentare non ceſſat. Hic eſt qui manus noſtras proprio cingulo alligat; &, vt dicitur, baculo noſtro nos cędit; vt caro quæ data eſt in adiutorium, in ruinam nobis, & in laqueum fiat. Sed quid prodeſt iudicaſſe pericula, ſi nulla conſolatio, nulla adhibeantur remedia? Graue quidem periculum eſt, & grauis lucta aduerſus domeſticum hoſtem; maximè cùm nos aduenæ ſimus, & ille ciuis; ille ſuam inhabitet regionem, nos exules ſimus & peregrini. Magnum quoque diſcrimen aduerſus diabolicæ fraudis aſtutias, tam crebros, immo continuos habere conflictos, quem nec videre quidem poſſumus, & quem nimis aſtutum fecerit tam natura ſubtilis, quã longa exercitatio malitiæ eius. Veruntamen in nobis eſt ſi vinci nolumus; & nemo noſtrum in hoc certamine deijcitur inuitus. Sub te erit ò homo appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Poteſt inimicus excitare tentationis motum, ſed in te eſt, ſi volueris, dare, ſeu negare conſenſum. In tua facultate eſt ſi volueris, inimicum tuum facere ſeruum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus deſiderium cibi vanitatis, aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum; tu ſolummodo ne conſenſeris; & quoties reſtiteris, toties coronaberis. Hæc ille. Ex quibus omnibus colligere licet, quòd concupiſcentia, quatenus vel vrit, vel etiam delectat, nihil aliud q̃ bellũ, q̃ pugna, q̃ rixa quædam eſt; in qua ſi quis victor euaſerit, æternæ vitæ præmia meretur; ſin autem ſuperatus fuerit, ſtipendium illius mors erit æterna. Nihil igitur peccati, nihil damnationis eſt in eo, quod vrimur, quod delectamur; ſed, ſi ſuccumbimus delectationi, tum demum peccati, tum æternæ mortis rei efficimur. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; in eo nihil eſt peccati. Nam & ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem. Vnde

Tom. 10. ſermone 43. de verbis Domini, inquit Auguſtinus: Suggerit caro, fac adulterium; ſuggerit ſpiritus, non fac. Luctam video, victum non video. Pugna eſt, concupiſcit caro aduerſus ſpiritum, delectat adulterium. Fateor quia delectat. Sed ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, delectat & caſtitas. Ergò vincat ſpiritus carnem, aut certè non vincatur à carne. Et infra: Facite quod poteſtis, quod ait ipſe Apoſtolus: Non regnet peccatum in

Roma. 6.

veſtro

veſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs eius. Ecce quod nolo mala deſideria ſurgunt, ſed noli obedire. Arma te, ſume inſtrumenta bellorum. Præcepta Dei arma tua ſunt. Si bene me audis, & quod loquor, armaris. Non, inquit, regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Quamdiu enim portatis mortale corpus, pugnat contra vos peccatum; ſed non regnet. Quid eſt non regnet? Id eſt, ad obediendum deſiderijs eius. Si cœperitis obedire, regnat. Et quid eſt obedire, niſi vt exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato? Nihil hoc doctore præclarius. Quid vis iam vt exponam tibi? Fac quod audiſti. Non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato. Dedit tibi Deus poteſtatem per Spiritum ſanctum, vt membra tua teneas. Surgit libido, tene tu membra. Quid factura eſt quæ ſurrexit? Tu tene membra. Noli exhibere membra tua arma iniquitatis peccato. Noli armare aduerſarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido ſurrexit, tu tene membra tua. Tene manus ab omni ſcelere. Tene oculos ne malè attendant. Tene aures, ne verba libidinis libenter audiant. Tene totum corpus, tene latera, tene ſumma, tene ima. Quid facit libido? Surgere nouit, vinci non nouit? Surgendo aſſiduè ſine cauſa, diſcit & non ſurgere. Spiritu ambulate, dicit Apoſtolus; & concupiſcentias carnis ne perfeceritis. Hæc ille. *Gala. 5.*

Et D. pater Hilarius, illud enarrans pſalmi. 118.: Non dominetur mei omnis iniuſtitia; Non, inquit, vt à ſe abſit; ſed ne dominetur ſui, orat. Scit enim per tentationem ad gloriam perueniri. Ac paulò poſt: Dominationem iniuſtitiæ Propheta metuit, tentationem verò eius non recuſat. *Tom. 1.*

Audierunt modò Lutherani? Audierunt Caluiniſtæ? Per tentationem ad gloriam peruenitur, reſiſtendo ſcilicet, & minus obediendo; ſed quomodo? Per arma iuſtitiæ. Quænam ſunt? Diuina præcepta; inquit Auguſtinus. Peccatum igitur eſt cauſa gloriæ? Peccato reſiſtit, diuina ſeruando præcepta, in continuo exiſtens peccato mortali? Quid? Nonne dixi, Lutheri doctrinam, contradictionem includere? Sed audiamus Apoſtolum ad Roma. 6., vbi duos conſtituit dominos; peccatum nempe atq. obeditionem; & hinc inde ſeruos eſſe declarat, necnon & terminos duos, mortem ſcilicet & iuſtitiam. Mors eſt terminus peccati, iuſtitia verò obeditionis. Obeditionem appellans obſeruantiam diuinarum præceptionum. Vnde non fit tranſitus à peccato ad iuſtitiam, niſi per obeditionem, & obſeruantiam diuinarum præceptionum. Ait igitur Apoſtolus: An neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediẽdum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? Non poteſt igitur quis à peccato liberari, niſi per obeditionem. Vnde illa verba exponens D. Anſelmus, ait: Qui enim per fidem primò iuſtificati eſtis, nunc ſi diuinis præceptis obedientes fueritis, ad ſummam iuſtitiæ perfectionem aſcenderis. Huiuſmodi autem obeditio apud Martinum eſt impoſſibilis; quare contradictio in dictis eius. Pereat igitur ipſe cum peſſima ſua doctrina; quam ſupereſt è medio tollere; *Tom. 2.*

Rationes excinduntur Lutheri & aliorum.

Cap. 6.

LVTHERI ſententia fuit; quam poſtea ſecutus eſt vir ille peſtilentiſſimus, Ioannes Caluinus; præcepto illo quod habetur in decalogo Exo. 20. Non concupiſces; prohiberi concupiſcentiam illam quæ eſt nobis naturalis, & in regeneratis adhuc viuit, quæ habitualis nuncupatur. Ad idq; comprobandum, primo loco talem erigebat rationem: Ad Romanos ſcribens Apoſtolus Paulus, inquit capite. 7. Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces. Modò ſic: Quod eſt lege prohibitum, eſt peccatum. Concupiſcentia eſt lege prohibita. Eſt ergo peccatum; & propriè peccatum. Dialecticam logicam Martinus; attamen ex eius ignorantia imbuitur erroribus. Nomen ſiquidem concupiſcentiæ, plura in ſe continet ſignificata; veluti in ſuperioribus declaratum reliquimus; at in præſentiarum illud ſufficere volumus, quòd habitualem & actualem ſignificet concupiſcentiam. Diuina igitur lege, concupiſcentia prohibetur actualis, non habitualis; quippe cùm potentia ſit naturalis, inde fit neceſſariò conſequens, vt ſit nobis ineuitabilis; & propterea nec in baptizatis, quantum ad ſubſtantiam, diminuitur, nec debilitatur, nec ſopitur. Non eſt autem peccatum niſi voluntarium, authore D. patre Auguſtino pluribus in locis, at præci-
Tom. 1. puè de vera religione cap. 14.; cuius loci habet hæc propria verba: Vſque adeo peccatum voluntarium malum eſt; vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Nihilotamenſecius Martini ratio petit, vt concupiſcentia diuino iure prohibeatur habitualis, & ita arguit ab actuali ad habitualem concupiſcentiam, per fallaciam æquiuocationis.

Et quòd ſola prohibeatur actualis concupiſcentia, ex eo primò conſtat, quòd reliqua omnia diuina præcepta ſunt de actionibus noſtris intelligenda; vtpotè cùm dicitur, Non occides, non furtum facies, & cætera quæ contingentia ſunt; propterea etiam cùm dicitur, Non concupiſces; ſermo eſt de actione noſtra. Id quod forma ipſa mandati ex ſe optimè declarat. Non enim ait ſimpliciter & abſolutè, Non concupiſces; ſed, Non concupiſces rem, aut vxorem proximi tui. Vnde prohibetur voluntatis conſenſus, vel fortè etiam mora eius in reprimenda concupiſcentia, aduertente ratione. Et hunc voluntatis conſenſum, liceat nobis concupiſcentiam appellare actualem; ne quis crederet per concupiſcentiam actualem, nos intelligere motus concupiſcentiæ ſimpliciter. Etenim per concupiſcentiam actualem (vt breuius & formalius loquamur) intelligemus ſemper concupiſcentiam cum conſenſu voluntatis, ſiue motum ſenſualitatis voluntarium, & cui voluntas conſentit. Hæc enim eſt illa, quæ
Tom. 2. iure prohibetur diuino. Propterea D. pater Auguſtinus epiſtola. 200., quam dedit Aſellico Epiſcopo, ait: Hæc eſt vtilitas legis, quia oſtendit hominem ſibiipſi, vt ſciat infirmitatem ſuam & videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiſcentia, quàm ſanetur. Appe-

tuntur enim ardentius quæ vetantur, dum id quod ſpiritaliter iubetur, carnalis obſeruare compellitur. Vt autem ſit ſpiritalis qui legem impleat ſpiritalem, non fit ipſa lege, ſed gratia; hoc eſt, non imperio, ſed beneficio; non iubente litera, ſed adiuuante ſpiritu. Incipit autem homo ſecundùm gratiam in interiori homine renouari, vt mente agat quod amat, nec carni conſentiat agenti quod odit; id eſt, vt non omnino non concupiſcat, ſed vt poſt concupiſcentias ſuas non eat. Quod quidem tam magnum eſt, vt ſi omnimodè fieret, & quamuis inſint dum ſumus in corpore mortis huius deſideria peccati, nulli eorum tamen adhiberemus aſſenſum, non eſſet vnde diceremus patri noſtro qui eſt in cœlis: Dimitte nobis debita noſtra. *Matth. 6.* Nec tamen ideo tales iam eſſemus, quales erimus cùm mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc enim non ſolùm nulli deſiderio peccati obediemus, ſed nulla erunt deſideria talia, quibus non obedire iubeamur. Nunc ergo vbi dicitur: Iam non ego operor illud, ſed id quod in me habitat peccatum; de concupiſcentia carnis dicitur, quæ operatur in nobis motus ſuos, etiam quando ei non obedimus; dum non regnat peccatum *Roma. 6.* in noſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs eius, nec exhibemus membra noſtra arma iniquitatis peccato; in qua iuſtitia nondum conſummata perſeueranter proficientes, ad eius conſummationem quandoque veniemus, vbi peccati concupiſcentia non cohibenda atque frænanda, ſed nulla ſit. Hoc enim lex poſuit dicendo: Non concupiſces. Nõ quòd hîc valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus. Verum hoc fit non lege, quæ hoc imperat, ſed fide, quæ hoc impetrat; non litera quâ iubetur, ſed ſpiritu quo ſanatur, ſiue donatur. Non ergo meritis operantis hominis, ſed largientis gratiâ Saluatoris. Vtilitas itaque legis eſt, vt hominem de ſua infirmitate conuincat, & gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt, implorare compellat. Hactenus beatus Auguſtinus. Qui & de perfec- *Tom. 7.* tione iuſtitiæ, ſub finem, idem his verbis confirmat: Quiſquis autem dicit, poſt acceptam remiſſionem peccatorum, ita quemq̃ hominem iuſtè vixiſſe in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apoſtolo Ioanni, qui ait: Si dixerimus quia peccatum non habe- *1. Ioan. 1.* mus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Non enim ait, habuimus; ſed, habemus. Quod ſi quis aſſerit de illo peccato eſſe dictum, quod habitat in carne mortali noſtra, ſecundùm vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum eſt, cuius peccati deſiderijs ne obediamus, Paulus Apoſtolus præcepit: non autem peccare, qui eidem peccato quamuis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino conſentit vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamuis ipſa concupiſcentia moueatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quòd ei conſentire peccare ſit, nobiſq; moueatur inuitis; ſubtiliter quidem iſta diſcernit; ſed videat quid agatur de dominica oratione, vbi dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. *Matth. 6.* Quod, niſi fallor, non opus eſſet dicere, ſi nunq̃ vel in lapſu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, eiuſdẽ peccati deſiderijs aliquantulũ conſentiremus; ſed tantũmodo dicendũ eſſet: Ne nos inferas in tentationẽ, ſed libera nos à malo. Nec Iacobus Apoſtolus diceret: In multis offendimus oẽs. *Iacob 3.*

Non enim offendit, niſi cui mala concupiſcentia contra iuſtitiæ rationem appetendo, ſeu vitando, faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, ſiue fallens, ſiue præualens perſuadet. Hæc ille. Qui concupiſcentiam non damnat habitualem, ſiue quam naturalem diximus, ſed motum ſenſualitatis voluntarium, ſeu cui voluntas conſentit. Cùm enim, inquit, Apoſtolus Ioannes dicit ꝙ peccatum habemus; non loquitur de concupiſcentia naturali, quia illa non eſt peccatum: atqui de conſenſu voluntatis, quo prauis illius deſiderijs obedientiam præſtat. Declarat, inſuper, quare dicatur peccatum concupiſcentia ipſa naturalis; quia ſcilicet ei conſentire eſt peccare. Id quod etiam confirmat libro
Tom. 7. primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 13., veluti aliàs diximus. Vult enim quòd peccatum dicatur per Methonymiam; quia peccati effectus eſt, & ad peccatum ſolicitat. Ait nanque: Sed hæc etiam ſi vocatur peccatum, non vtique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur; ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem ſunt, quæ ſecundùm carnis concupiſcentiam, vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur; quæ tranſacta, etiam reos tenent, ſi non remittantur. Ea igitur utitur figura Apoſtolus, quando concupiſcentiam peccatum appellat; non quia ſcilicet peccatum ſit, at quia eſt effectus, & cauſa peccati. Quemadmodum etiam ſecunda ad Corinthios epiſtola, cap. 5., ait: Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Deum dicit patrem peccatum feciſſe filium ſuum Chriſtum.
Tom. 5. Vnde beatus pater Ambroſius ait: Et quoniam oblatus eſt pro peccatis, non immeritò peccatum factus dicitur; quia & hoſtia in lege quæ pro
Tom. 8. peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur. Idem beatus Hieronymus, hunc Pauli locum enarrans. Et idcirco Sacerdotes dicebantur peccata populi comediſſe, Oſeæ capite quarto.

Vnde Apoſtolus eo loci eadem vtitur figura, quæ græcè Methonymia dicitur, latinè uerò tranſnominatio. Et licèt multis modis fiat, in propoſito tamen fit quando ex effectu efficiens accipimus, vel contra. In primo ſenſu, cauſa ſumit nomen effectus. Vt quando Virgilius dixit: Mœſtumq́. timorem mittite; hoc eſt, timorem qui mœſtum facit. Et Apoſtolus, peccatum appellat concupiſcentiam, quia ipſa eſt cauſa peccati. Et Chriſtū dicit factum eſſe peccatum, quia eſt cauſa remiſsionis peccati. In ſecundo verò ſenſu, effectus ſumit nomen cauſæ. Et hoc eſt quod dicit diuus pater Auguſtinus; ꝙ nempe uocatur peccatum concupiſcentia, non quia peccatum ſit, ſed quia peccato facta eſt; ſcilicet originali; ſicuti & ſcriptura dicitur manus, quia manu facta eſt. Et ita decreuit Sacroſancta Tridentina Synodus, ſeſſione quinta, canone quinto.

An verò Paulus in ſua ipſius perſona, illa protulerit verba, quæ ſupra inducta fuere, ſiue etiam illa ad Galatas cap. 5., cùm ait: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus; nolo diſputare modò. Sed breuibus agendo, dico ꝙ utcunque ſit, non rectè colligit Lutherus, cùm ait: Mandat Paulus vt ſpiritu ambulent, qui ſpiritu viuunt. Supereſt igitur peccatum carnis, quod crucifigant. Atqui rectius ſi dixiſſet: Supereſt ergo concupiſcentia

reprimen-

reprimenda, & ab illis contendenda, qui ſpiritu viuunt. Non enim negat ſancta Romana Eccleſia, concupiſcentiam naturalem in baptizatis, ipſiſq. iuſtificatis manere; at negat, ipſam eſſe propriè peccatum: vt diximus. Eapropter illis mandat Apoſtolus, vt ſpiritu ambulent. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Si uerè ſumus regenerati ad nouam vitam, ſi ſemel ex ſpiritu Chriſti ſumus viuificati, præſtemus actus, illi vitæ conuenientes, vita illa appareat in quotidiana conuerſatione. Quod utiq. erit, ſi concupiſcentiæ reſiſtendo, carnem per ieiunia, cilicia, vigilias, & alia id genus opera laborioſa, ſupplicio afficiemus, & caſtigauerimus. Non igitur propter peccatum, at propter crucifigendam carnis concupiſcentiam, ita mandauit Apoſtolus.

Itemq. cùm dicit: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem; dat repugnantiam inter utranque concupiſcentiam, carnis nempe atq. ſpiritus, & hanc quidem etiam in baptizatis; ob id non dicit carnis concupiſcentiam eſſe peccatum, minusq. ex eius ſequitur verbis. Sed vrget Lutherus, quoniam concupiſcentia ſpiritus eſt charitas, ex Auguſtino. Quod aũt aduerſatur charitati eſt peccatũ: Data igitur eiuſmodi repugnantia, ſequitur, inquit, carnis cõcupiſcentiã eſſe peccatũ.

At negamus nos, quod ſemper omnis concupiſcentia ſpiritus ſit charitas. Nec Auguſtinus dicit oppoſitum. In prauis ſiquidem hominibus, concupiſcentia ſpiritus cum carne quandoque certat, eorum conſcientia illis teſtimonium reddente, nec uſqueadeo ſpiritus in eis putatur extinctus, vt nihil boni concupiſcat; charitate tamen minimè pollent. Non igitur omnis ſpiritus concupiſcentia eſt charitas, nec carnis pariter concupiſcentia aduerſus ſpiritum pugnans in bonis, peccatum erit. Quemadmodum enim illa in lethaliter peccantibus non eſt charitas, ita nec iſta in iuſtificatis peccatum erit. Atqui dato q aliquando concupiſcentia ſpiritus ſit charitas, erit ne tum carnis concupiſcentia peccatum? Haudquaq̃. Non enim charitati peccatum ſolummodo aduerſatur; ſed & peccati radix, ac paſsiones, eidem ſemper infeſtæ ſunt.

Quod vero ait, Apoſtolum de omnibus Chriſtianis dixiſſe: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Et quòd non aliter poteſt intelligi, q̃ illud ad Romanos. 6.: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Hanc nos accipimus doctrinam, & expoſitionem. At cùm dicit Lutherus: Cur prohibet obedire concupiſcentijs corporis, ſi non ſunt in corpore baptizati? Ad hoc dicimus, ex eo Lutherum falli, q autumat Sanctã Eccleſiam Romanam negare in corpore baptizati concupiſcentias eſſe relictas; cuius tamen oppoſitũ manifeſtauimus ſupra. Cùm autem ſubdit: Cur regnare vetat, ſi nullũ adeſt peccatum? Dicimus q ibi eſt peccatum, non propriè, at per Methonymiam dictum; & hæc eſt carnis concupiſcentia. Quã quidem non prohibet Apoſtolus, ſed illi obedire. Quia tunc regnaret in noſtro mortali corpore. Dicitur n. ille propriè regnare, cui obedientia præſtatur. Vnde Auguſtinus libro de continentia, cap. 3. inquit: Tunc peccatum in noſtro mortali corpore regnare oſtenditur, ſi deſiderijs eius obeditur. Tom. 4.

obeditur. Eſt ergo in nobis peccati concupiſcentia, quæ non eſt permittenda regnare. Sunt eius deſideria, quibus non eſt obediendum, ne obedientibus regnet. Et ibidem vult Apoſtolum, per peccatum intelligere concupiſcentiam peccati, quam prohibet regnare in noſtro mortali corpore. Inquit enim: Nec peccatum, ideſt, concupiſcentia peccati, hanc enim hoc loco peccati nomine appellat, (ſupple tu, Apoſtolus) regnet in noſtro mortali corpore.

Dub. Cæterùm huic doctrinæ aduerſari uidetur dictum Auguſtini, de nuptijs *Tom. 7* & concupiſcentia lib. 1. cap. 23. cùm ait: Si non fit quod ſcriptum eſt: *Exo. 20.* Non concupiſcas, fiat ſaltem quod alibi legitur: Poſt concupiſcentias tu- *Eccle. 18.* as non eas. Vnde videtur quòd non ſolùm obedire, at etiam ineuitabile illud carnis concupiſcere prohibeatur. Niſi enim res ita ſe habeat, ſatis inepta uidetur locutio Auguſtini; quoniam ſi idem eſt dicere: Non concupiſces &c. Poſt concupiſcentias tuas non eas, ad quid dicere, Si non fit primum, fiat ſecundum? Eſt quidem repugnantia, vt faciam ſecundum, ſi primum ad exitum perducere nequeo, cùm ſit hinc inde eadem difficultas, & tendant de pari.

Solutio. At verò niſi verba Auguſtini eo loci clara eſſent, ita ut nulla egeant expoſitione, conſequutio illa aliqualem haberet apparentiam. Sed ait: Nam ipſa quidem concupiſcentia iam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque ut ea perpetrent, à regina mente membra non dantur, vt ſi non fit quod ſcriptum eſt, Non concupiſcas; fiat ſaltem quod alibi legitur: Poſt concupiſcentias tuas non eas. Si modò concupiſcentia non eſt peccatum in renatis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, quis non videt non eſſe mentem Auguſtini, vt concupiſcentiæ fomes, ſiue concupiſcentia ipſa naturalis ſit lege prohibita? Verùm quia optimè nouerat naturale nobis eſſe in hoc mortali corpore concupiſcere, uſque dum animal reſurgat ſpirituale; idcirco eo modo locutus eſt. Quaſi diceret: Si non fit quod litera ſonare uidetur, nimirum, Non concupiſces, quia cùm ſit nobis innatum, redditur omnino ineuitabile; fiat ſaltem quod alibi legitur: Poſt concupiſcentias tuas non eas; & ita lex adimplebitur diuina. Quæ quidem, etſi videatur concupiſcentiam ipſam naturalem prohibere; id tamen minimè verum eſt; atqui ſolùm voluntarium prohibet conſenſum, liberumque & ultroneam obedientiam. Hinc propterea fit, vt Matth. 19. dicat Dominus noſter: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Vt verbum (vis) palam oſtendat noſtræ eſſe facultatis, per gratiam ipſius, cuncta ſeruare.

Et quòd ita ſenſerit Auguſtinus, illum audiamus, ſermonibus de tem- *Tom. 10.* pore, ſermone 45. vbi ſic ait: Melius quidem erat implere quod lex dixit: Non concupiſcas. Plenitudo eſt iſta uirtutis, perfectio iuſtitiæ, palma victoriæ, ne concupiſcas. Hoc quia non potes implere, quod poteſt, vel illud impleatur quod ſancta ſcriptura intendit: Et poſt concupiſcentias tuas non eas. Melius eſt non habere, ſed quia ſub malo poſt illas ire. Noli non poſt te ire, noli poſt eas ire. Si volueris poſt eas ire, non eris tecum quia contra mentem

tuam non rebellabunt. Rebellant, rebella; pugnant, pugna; expugnant, expugna. Hoc ſolum videto, ne uincant. Hæc ille.

Quod uerò ait Lutherus de cap. 3. libri Gene. non eum habet ſenſum, quem arbitrabatur ipſe; vt ſcilicet ſit ibi figuratum ſpiritus & carnis bellum; ſed de virgine unde natus eſt Dominus IESVS eſt intelligendum. Eo quòd illo tempore, ex ea Dominus naſciturus ad inimicum deuincendum, & mortem, cuius ille author erat, deſtruendam, promittebatur. Nam illud quod ſubiunctum eſt: Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius; hoc de fructu ventris Mariæ, qui eſt Chriſtus, intelligitur; Ideſt, tu eum ſupplantabis vt moriatur, ille autem victor reſurget, & caput tuum conteret, quod eſt mors. Quemadmodum & Dauid dixerat ex perſona Patris ad Filium: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Aſpidem dixit mortem, baſiliſcum peccatum, leonem antichriſtum, draconem diabolum; inquit D. Eucherius. Nec me latet, quoſdam illis verbis alium præbere ſenſum. Verùm vtcunque ſit, demus etiam ibidem ſpiritus & carnis pugnam figurari; num propterea remanentem fomitem, inde Lutherus eliciet eſſe peccatum? Minimè certè.

Quando autem ſubdit Martinus, Apoſtoli Pauli dictum aliud ad Romanos cap. 7. qui ait: Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati; quid de paruulis habet; inquit dominus Roffenſis; cùm nullam aliam legem in ſuis membris ipſi ſentiant, repugnantem legi mentium ſuarum? Sed laborat Lutherus, vt oſtendat Apoſtolum Paulum de ſeipſo hæc omnia effari; id quod etiam Caluinus ſuſtinere conatur. Et re uera quid eo loci Apoſtolus intelligat, explicare eſt difficile factu. Nos tamen, diuina fauente clementia, inferius noſtrum adijcere calculum, minimè grauabimur.

Interim autem dicimus, quòd dato etiam quòd Paulus in ſua ipſius perſona hæc loquatur, ob id non ſequitur, concupiſcentiam eſſe propriè peccatum. Quoniam iuſtus quantò magis melior eſt, tantò magis ſuæ carnis concupiſcentijs reluctatur; captiuatur nihilominus hac fomitis infeſtatione atque moleſtia, cùm ea à bono opere retrahitur, nec Dei mandata perficere permittitur. Et hanc quidem ſententiam affirmans Paulus, ait: *Roma. 7.* Nam uelle adiacet mihi, perficere aũt bonum non inuenio. Supra etiam dixerat: Non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum, illud facio. Vnde uellet iuſtus mentem ſuam ab omni prorſus carnis infeſtatione tueri, quod tamen non ſemper aſſequitur, ſed habet aliquando neceſſum dicere: Dimitte nobis debita noſtra. Propterea hoc certamen, iuſtis ac ſanctis viris, Dei præcepta exequi exoptantibus, fomitis ſuggeſtioni non aſſentientibus, ſed contra pugnantibus, conuenire decernitur. Cuius quidem palmam, ſola Chriſti gratia præſtat; dicente Apoſtolo: In- *Roma. 7.* felix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Cui reſpondens ait: Gratia Dei, per IESVM Chriſtum dominum noſtrum. Veruntamen hæc infeſtatio carnis, tantum abeſt vt peccatum ſit; inquit dominus

Tom. 1. Roffenſis: vt etiam in meritorum cumulum, iuſto viro cedat.

Vnde Auguſtinus primo retractationum, cap. 23. ait: A concupiſcentiæ dominatu non liberat niſi gratia Dei, per IESVM Chriſtum dominum noſtrum, dono Spiritus ſancti, per quem diffuſa charitas in cordibus noſtris, vincit carnis concupiſcentias, ne conſentiamus eis ad malè faciendum, ſed potius bona faciamus.

Attamen ſi conſenſus quiſpiam in eam, vel leuiſſimus, iuſto ſurrepſerit, is iurè peccatum exiſtimatur; quanq̃ inter ea quæ minuta dicuntur computabitur. Cùm igitur etiam iuſtis hoc conueniat certamen & pugna carnis & ſpiritus, quid ſi Paulus in illis verbis à Luthero citatis, de ſeipſo loquatur? Habet ne ob id q; in paruulis, poſtq̃ baptizati fuerint, maneat peccatum? Id nihilominus ſua intereſt demonſtrare, cùm in principio articuli ſecundi huiuſmodi propoſuerit concluſionẽ demõſtrãdam.

At Confirmat Lutherus, Apoſtolum Paulum in ſua ipſius perſona ſermonem habere, quia dicit: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem, legi peccati. Et quòd de impijs non poſſit intelligi, ex eo probat, quia ſeruire legi Dei, eſt obedire, in omnes eius voluntates ire, & ſubditum eſſe Deo; quod de impijs non eſt dicendum.

Tom. 1. Diuus pater Auguſtinus, libro primo retractationum, cap. 23. inquit, q; cùm eſſet presbyter apud Carthaginem, volebat Apoſtoli verba hæc, & ſimilia ad Romanos cap. 7., accipi non ex perſona ipſius, qui iam ſpiritalis erat, ſed hominis ſub lege poſiti, nondum ſub gratia: Id quod etiam

Tom. 7. affirmat contra Iulianum lib. 6. cap. 11. Atqui doctior effectus, illa intellexit, quemadmodum Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, & cæteri Eccleſiæ Sancti, notiq. doctores; qui & ipſum Apoſtolum aduerſus carnales concupiſcentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, ſtrenuè conflixiſſe, eundemq. conflictũ ſuum, illis ſuis verbis conteſtatũ fuiſſe ſenſerũt: Vnde quando dicit Apoſtolus: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati; verba ſunt, inquit Auguſtinus, iam ſub gratia conſtituti, ſed adhuc contra concupiſcentiam ſuam dimicantis, nec ei conſentientis vt peccet, ſed tamen quibus renititur, peccati deſideria patientis. Et primo retractationum, cap. 25., ait: Propter hanc itaque concupiſcentiam, motusq. ipſos, quibus ita reſiſtitur, vt tamẽ ſint in nobis, poteſt quiſque ſanctus iam ſub gratia poſitus, dicere iſta omnia, quæ hic eſſe dixi verba hominis nondum ſub gratia poſiti, ſed ſub lege. Vnde quando etiam dicit Apoſtolus: Scimus quia lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato; verba ſunt ſpiritalis hominis, iamq. ſub gratia conſtituti, propter carnis corpus, quod ſpiritale nondum eſt, erit autem in reſurrectione mortuorum, & propter ipſam carnis concupiſcentiam; cum qua ita confligunt ſancti, non ei conſentientes ad malum, vt tamen eius motibus, quibus repugnantibus reſiſtunt, non careant in hac vita. Demus ergo Luthero cum Auguſtino totum hoc intelligi de Paulo, q; gratia Dei ſuffultus, cum carne nihilominus præliabatur, vt illa duo membra ad ſuam ipſius perſonam referantur, quæ propriè legi Dei ſeruiebat; legi autem peccati, non niſi quia caro in ipſo, citra conſenſum in lethale

crimen,bellum gerebat aduerſus ſpiritum.At quid inde habet? Concupiſcentiam eſſe peccatum? Audiat Auguſtinum in memorato loco aduerſus Iulianum,ita dicentem:Peccati autem nomine quod in illo(ſ.habitu, Apoſtolo) habitabat, ipſam nuncupabat concupiſcentiam, quia peccato facta eſt, & ſi conſentientem traxerit, atque illexerit,concipit, paritq; peccatum.

Sed reclamabit Lutherus,inquiens; quemadmodum ſeruire legi Dei eſt obedire, in omnes eius voluntates ire, & ſubditum eſſe Deo; ita pari ratione,ſeruire legi peccati, eſt obedire,& ſubditum eſſe peccato. Si ergo Apoſtolus dicitur ſeruire legi peccati, quomodo non erit ſubditus peccato?Quo ſtatim fit,vt ſit propriè peccatum concupiſcentia.Et ſi eſt peccatum in baptizato ſancto,qui fieri poteſt vt non ſit peccatum in baptizato non ſancto,& ita in puero? *Impugna.*

Iam dictum eſt,Martine; quòd Apoſtolus ſeruiebat legi Dei propriè; legi autem peccati impropriè;quatenus ſcilicet caro in ipſo bellũ gerebat aduerſus ſpiritum. Et ſi aliter dicamus,vt ſcilicet ſeruire ſumatur iuxta tuam interpretationem,mox adeſt manifeſta in tuis verbis contradictio.Dicis enim quòd Paulus de ſe loquitur;& poſtea addis,quòd ſeruire eſt obedire,in omnes voluntates ire,& omnino ſubditum eſſe ei,cui ſeruitur.Audi modò;bellua marina;Paulus ſeruit carne legi peccati.Ergo obedit carni ad omnes voluntates eius,& eſt omnino ſubditus legi peccati. Quomodo ergo eſt iuſtus? Et tamen illum ſanctiſsimum appellas. Audi ergo beatum Anſelmum ita loquentem: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei,amando iuſtitiam,& reſiſtendo concupiſcentiæ. Carne autem ſeruio legi peccati,concupiſcendo. Ego ipſe hæc facio. Non alius in mente,& alius in carne;ſed ego ipſe in mente,ego in carne,non duo, ſed vnus ex vtroq. Mente ſeruio legi Dei in libertate Chriſti,carne aũt legi peccati,in vetuſtate Adæ.Nouitatis gaudio ſuſpendor,vetuſtatis onere prægrauor.Eſt mihi bellum aduerſum me.Sed ex qua parte diſpliceo mihi,iungor Deo. Et ex qua parte iungor Deo,idoneus ero ad vincendum me;quia ille mecum eſt,qui omnia ſuperat.Mente ſeruio legi Dei, volendo quod ipſa vult, & nolendo quod non vult; carne autem legi peccati; non quidem dando membra committendis iniquitatibus, ſed tantùm concupiſcendo;quamuis illicitæ concupiſcentiæ non dem manus.Hæc ille.Cui optimè aſſentitur Primaſius,qui ait:Carne ſeruit legi peccati,concupiſcendo;mente legi Dei,eidem concupiſcentiæ non conſentiendo. Atqui accedat præceptor Auguſtinus,qui de verbis Apoſtoli, ſermone.6.ait:Heſterna lectio ſancti Apoſtoli euſque terminata eſt,vbi dictum eſt:Igitur ipſe ego mente ſeruio legi Dei,carne autem,legi peccati.In qua concluſione demonſtrauit Apoſtolus,ad hoc ſe dixiſſe quæ ſupra dixerat:Iam non ego operor illud, ſed id quod in me habitat peccatum;quia non mente operabatur conſentiendo,ſed carne concupiſcẽdo.Hoc enim peccati nomine appellat; vnde oriuntur cuncta peccata; idest,ex carnali concupiſcentia. *Solutio.* *Tom. 10.*

Cæterùm vt in omnibus,huius flagitioſi viri ignoratio,ſimul atq; nefa-

rium facinus, magis ac magis appareat, videamus an verum ſit quod alia ex parte dicit. Ait enim: Si hoc quod ex Apoſtolo citauit, non in perſona ſua, ſed impiorum dixit, dabimus malos eſſe ſeruos Dei; quod eſt inconueniens. At inconueniens non eſt, vt qui propriè ſeruit legi pec cati, impropriè ſeruiat legi Dei; quatenus ſcilicet in eo cùm non ſit extincta conſcientia, continenter reclamat aduerſus carnem. Quid igitur prohibet illa verba tam in malos, q̃ in bonos competere poſſe? Sed hæc ſint ſatis ad hominem.

Qui alia deſumpta D. Apoſtoli authoritate, nitebatur adhuc demonſtrare concupiſcentiam eſſe propriè peccatum. Dicit enim Apoſtolus ad Hebræos cap. 12.: Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Ex quo infert Martinus, concupiſcentiam eſſe peccatum, & propriè peccatum etiam in renatis; tum quia per peccatum, illam intelligit Apoſtolus, tum quia in illo ſermone ſeipſum inuoluit. Atre vera nec veritatem ſapit, nec mētem habet Apoſtoli huiuſmodi doctrina. Non ſapit veritatem, quoniam & ſi Apoſtolus per circumſtans peccatum, cōcupiſcentiam intelligeret, ob id non ſequitur, illam eſſe propriè peccatum; vt probauimus ſupra. Cùm probat Martinus, quia nos aſſiduè ſolicitat ad peccatum; conſequutio eſt omnino abigenda. Nam pulcherrimæ forma puellæ ſtimulus eſt ad peccatum; at ob id non eſt illa peccatum. Ambitioſi & maligni, ex iuſto occaſionem nanciſcuntur in eum delinquendi; Iuſtus igitur eſt peccatum? Nō itaque ſequitur, quòd quicquid ad peccatum ſolicitat, ſit verè peccatum. Non habet mentem Apoſtoli, proptereaquòd cùm dicit, deponentes omne pondus; idem eſt ac ſi diceret: Curarum ſuperuacanearum molem abiiciamus, affectionemq́. terrenam; quæ nos ſemper ad ima trahit. Vnde per pondus, non peccatum, ſed terrenam affectionem intelligit Apoſtolus. Per circumſtans verò peccatum, occaſiones intelligit peccandi. Etenim oculus facilè ineſcatur, auditus demulcetur, tactus titillatur, lingua labitur procliuiùs, mensq́. ac cogitatio eſt ad malum propenſa. Depoſita igitur terrena affectione; inquit Apoſtolus; declinataúe quacunque peccandi occaſione, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, ſicut & cæteri quos in præcedenti capite recenſuimus.

Et quòd hæc fuerit mens ipſius Apoſtoli, declaratur; D. pater Auguſ-
Tom. 8. tinus in præfatione ſua in enarrationem ſecundam pſalmi 29.; definiens pondus, ait: Pondus eſt impetus quidam cuiuſque rei, velut conantis ad locum ſuum. Et parum infra ſubdit: Lapis ima petit, & lignum, & columnæ, & terra. De illo ergo ſunt genere rerum, quæ pondere ſuo deorſum feruntur. Libro verò 11. de Ciuitate Dei, cap. 28., inquit: Eſt & amor, quo amatur quod amandum non eſt; & iſtum amorem odit in ſe, qui illum diligit, quo id amatur, quod amandum eſt. In nobis igitur, ex his colligo duplicem amorem; bonum videlicet & malum; Ille eſt quo diligimus & amamus quod amandum eſt; iſte verò quo amamus minus amandum. At infra ſequitur Auguſtinus, dicens, quòd momenta ponderum ſunt velut amores corporum. Quia corpus fertur pondere, ſicut animus amore

fertur

fertur quocunque fertur. Pondus itaque animæ, eſt amor bonus, vel malus. Quia igitur pondus, vtrunque amplectitur amorem, nempe bonum & malum; (eſt enim pondus impetus quidam cuiuſque rei, velut conantis ad locum ſuum.) Ideo monens Apoſtolus vt fidem quam tenemus corde, operibus demonſtremus, hortatur vt deponamus pondus; hoc eſt, amorem: amorem, inquam, non bonum, & qui coeleſtia petit, quoúe diligimus ea, quæ ſunt ſuapte natura diligenda. Sed malum, & qui petit ima ſicut terra, & quo diligimus minus diligenda. Quod vt clarius euaderet, addidit Apoſtolus, & circumſtans nos peccatum, vt ſecundum eſſet declaratio primi. Amor autem malus cùm ſit affectio terrena, quæ facillima eſt nobis occaſio peccandi; quid mirum ſi Apoſtolus moneat hanc eſſe deponendam, vt facilius curramus ad propoſitum nobis certamen? Et iterum quid mirum ſi illud faciat ſub nomine ponderis & peccati? Eſt enim pondus, quia eſt amor, dicitur peccatum, quia eſt occaſio & cauſa peccati; per methonymiam.

Aſt reclamat Lutherus, quòd Apoſtolus ſeipſum illis verbis inuoluit. Non autem officit hoc, cùm ratione humilitatis id ipſe dixerit. Nónne priori ad Corinthios epiſtola, cap. 4. dicebat etiam; Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum?

Sed audiat Lutherus: Dicit Apoſtolus, deponamus omne pondus, & circumſtans nos peccatum. Per hæc interpretatur ipſe concupiſcentiam. At ſi hæc non poteſt deponi, ad quid hortatur Apoſtolus vt deponamus eã? Diuus enim Auguſtinus ſermonibus de tempore, ſermo. 45. ait: Conſuetudini ergo ſemper repugnandum eſt; quia ipſa concupiſcentia cum qua nati ſumus, finiri non poteſt, quandiu viuimus. Quotidie minui poteſt, finiri non poteſt. Dicet fortaſsis Lutherus, quòd eius ſenſus eſt vt deponatur reſiſtendo. Agedum, ſit ille Apoſtoli ſenſus; vt gratia doctrinæ dicamus: Occurramus concupiſcentiæ reſiſtendo, vt facilius curramus ad propoſitum nobis certamen. At ex hoc ſequitur ꝙ ſit propriè peccatum? Haudquaq̃. Dicet adhuc hæreticus, ꝙ Apoſtolus illam appellat circumſtans peccatum. Sed iam in ſuperioribus eſt ſæpius reſponſum. *Tom. 10.*

Nec aliud peccatum probos viros pati aſſerit Sanctiſsimus ille pater Cyprianus; at peccatorum tantùm infeſtationes, atque moleſtias iugiter ſuſtinere declarat. Vnde dicebat: Cæterùm quid aliud in mundo, q̃ pugna aduerſus diabolum quotidie geritur? quàm aduerſus iacula eius, & tela, conflictationibus aſsiduis dimicatur? Intentio igitur iſtius patris fuit, celerioris mortis beneficium commendare; quoniam peccandi periculis hominem ſubtrahit, & in non peccandi ſecuritatem conſtituit. Idq. probat, hoc cum futuro ſeculo conferendo; quoniam ibi perpetuum gaudiũ & lætitia, hic autem continua triſtitia, dicente Domino: Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, ſeculum autem gaudebit; vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in lætitiam veniet. Quibus verbis mox ſubdit beatus Cyprianus: Quis non ad lætitiam venire feſtinet? quis non triſtitia carere optet? Non igitur ſola vitia memorat carnalia, at etiam illecebras ſeculares, & ipſam zabuli infeſtationem, quia mentem *Ioan. 16*

is obſidet

is obſidet humanam. Et hæc non peccata,ſed peccatorum magis incitamenta cenſenda ſunt. Aſt videamus vim rationis Lutheri: Eſt colluctatio tum in probis tum in prauis hominibus,carnis aduerſus ſpiritum. Colluctatio igitur illa eſt peccatum. Mira peritia,ſubtilis arguties,viri nolentis logicam,nec philoſophiam audire,ſed in nuda verſari ſcriptura,eius poſthabitis & neglectis tum doctiſsimis,tum ſanctiſsimis interpretibus; cùm tamen ipſe ſit omnium ineptiſsimus. Cæterùm ad alia iſtius ærumnoſi ratiocinia pergamus.

Arguit itaque rurſus D. Apoſtoli authoritatibus,ex diuerſis locis deſumptis,in vnumq́. collectis; quibus hoc vnicum ſtruit antecedens: Præcipit Apoſtolus ſanctis & baptizatis, vt renouentur in nouitate ſenſus ſui, de die in diem. Cui mox ſubſumit Lutherus: At renouari eſt ex vetuſtate in nouitatem mutari;& vetuſtas peccatum eſt veteris hominis; ſicut nouitas gratia noui hominis. Renouari ergo arguit ineſſe vetuſtatem.

Ratio iniqua ſatis, & omni doctrina carens, quinimmo ſeipſam interimens. Adeſte Lutherani, & hunc veſtrum attendite præceptorem,vinculis conſtrictum. Ait enim ex vna parte, peccatum originale per baptiſmum non tolli,atqui ſolummodo remitti. Alia verò ex parte vult,& hortatur vt exuamus nos tali peccato, & renouemur in nouitate ſenſus, de die in diem. Modò ſic: Huiuſmodi renouatio ex vetuſtate in nouitatem, vel fit in nobis delendo omnino peccatum,de quo ſumus in controuerſia,vel ei reſiſtendo, illudq́. ſimul crucifigendo. Primum ad aures Lutheri eſt impoſsibile; quoniam nec per baptiſmum tollitur. Secundum verò, niſi per diuinæ legis obſeruantiam,ad exitum perducere nequimus. Quæ tamen diuinæ legis obſeruantia,ad eiuſdem Lutheri dogmata, eſt impoſſibilis. Impoſsibilis eſt igitur etiam in nobis illa reſiſtentia; & ex conſequenti illa renouatio. Apoſtolus igitur non ſibi conſtat. Quoniam vult nos eſſe in continuo peccato mortali, & ſimul præcipit vt renouemur; quæ adinuicem pugnant. Hoc autem non venit de Apoſtolo fatendum. Ratio igitur Lutheri ineptiſsima, & pugnantia includens.

Sed aiunt,quòd ſunt ſophiſmata hæc; ſophiſmatibus non utimur nos, ſed rationes inducimus concludentes; ipſi autem quia pædagogi ſunt & puri aſini,ideo non intelligunt. Eis igitur D. Apoſtoli exponamus authoritates; & primò ad Romanos ſcribens ait: Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam,Deo placentem,rationabile obſequiū veſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Baptizatos alloquitur Paulus; inquit Lutherus; quod & nos corde & ore fatemur. Sed eſt iſte ſenſus: Cùm tanta per miſericordiam Dei vobis ſint collata beneficia; (gratuita enim Dei miſericordia iuſtificati eſtis, adoptati in filios, inſtituti hæredes vitæ æternæ;) per hanc ipſam miſericordiam, qua ſaluati eſtis, obſecro vos,vt mactetis affectus veſtros corporeos,& carnis cupiditates; eiſq́. mactatis, vosipſos totos Deo offeratis, & conſecretis in victimam, hoſtiam, & ſacrificium; vt velut ſemel dicatos Deo, non ad

alios

alios vſus vos accommodetis. Et nolo vt more Iudaico, brutam & mortuam pecudem immoletis, at hoſtiam viuentem; nempe voſipſos. Viuentem dico, ne putetis quòd præcipiam mactari corpus; quoniam non corpus, ſed vitium quod regnat in eo mactandum eſt; vt fiat hoſtia ſancta, ab omni contagione aliena, & beneplacens, accepta Deo. Et ne accommodetis vos ad figuram huius ſeculi; vt uidelicet pro arbitrio cupiditatum veſtrarum vitam agatis; quemadmodum faciunt qui huic ſeculo dediti ſunt. Sed potius per renouationem mentis, quam iam per fidem in Chriſtum accepiſtis, transformemini in nouos affectus; vt ſic reddamini apti ad intelligendum quid à vobis iuſtificatis, per totam vitam requirat Deus. Quid gratum ſit, beneplacitum, & acceptum Deo. Niſi enim mactauerimus cupiditates carnis noſtræ, non poſſumus eſſe idonei, vt in actionibus noſtris intelligamus quæ ſit voluntas Dei; ſed quod noſtro ſenſui vehementer arridet, interpretamur id eſſe voluntatem Dei. Scopus igitur Apoſtoli in hac parte eſt, vt abiectis carnis noſtræ cupiditatibus, & vitijs mactatis, quæ regnant in noſtro mortali corpore, ſecundùm Chriſtum viuamus, vt tandem quæ ſit voluntas Dei intelligere valeamus. Et damus Luthero, quòd iſtæ carnis cupiditates & vitia ſint Adæ vetuſtas, à qua vult Apoſtolus vt renouemur. At cùm infert: Eſt igitur huiuſmodi vetuſtas propriè peccatum. Illatio non currit. Quinimmo eſt manifeſta contradictio; vt diximus. Eſt quidem peccatum actuale vitium; vt notum eſt; at concupiſcentia minimè; de hac tamen eſt ſermo noſter, & diſceptatio.

Quod verò dicit Apoſtolus 2. ad Corin., cap. 4., minus eſt ad propoſitum. Quoniam loquebatur Apoſtolus de tribulationibus, & ſanctorum in eis patientia. Dixerat enim ſupra: In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; humiliamur, ſed non confundimur; deijcimur, ſed non perimus; ſemper mortificationem IESV Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita IESV manifeſtetur in corporibus noſtris. Sed eodem præſidio, ait, quo Dauid in afflictionibus ſeruatus eſt, & nos ſeruamur; ſpiritu quo loquutus eſt, & nos loquimur. Credidit ille, propter quod & locutus eſt. Credidimus cum illo in Chriſtum, & eius reſurrectionem; propter quod confidenter loquimur, & prædicamus; ſcientes nos fore reſurrectionis illius participes. Propter quod nõ deficimus: ſed licèt is qui foris eſt noſter homo, corrumpatur; tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Ac ſi diceret. Cùm ſpectatam habemus Dei potentiam, & clementiam, qui nos à malis eripit, non ſegneſcimus, non defatigamur. Quandoquidem licèt corpus tribulationibus & paſſionibus corrumpatur; ſed anima ſpe futurorum, quotidie confortatur ad omnia toleranda. Id quod optimè conuenit cum eo quod ad Philippen. ſcribens, ait cap. 4.: Omnia poſſum in eo qui me confortat. Iſte eſt germanus ſenſus Apoſtoli; vt cuilibet literam conſideranti facilè conſtare poteſt. Non enim eius inſtituto deſeruiebat introducere ſermonem de vera & propria reformatione, vbi agebatur de perſecutioni-

bus, quas amici Dei & ſancti ſuſtinebant. Sed demus Luthero q́ loquatur de reformatione; quid tum? Verum ſiquidem eſt, quòd totus iſte homo, ideſt, interiore & exteriore ſui parte; inquit D. Anſelmus; inueterauit propter peccatum, & pœnæ mortalitatis addictus eſt. Renouatur autem nunc ſecundùm interiorem hominem, vbi ſecundùm ſui creatoris imaginem reformatur. In reſurrectione verò, etiam exterior percipiet cœleſtis beatitudinis dignitatem. Renouatio interioris inchoatur à fide, boniſq́. moribus augetur, & roboratur de die in diem. Quomodo? Transferendo amorem à temporalibus ad æterna, à viſibilibus ad intelligibilia, à carnalibus ad ſpiritualia, & ab iſtis cupiditatem frenare, vel munire.

Hoc eſt deponere vetuſtatem, & induere nouitatem. Quid inde? Vetuſtas igitur eſt propriè peccatum. Heus Martine, quò vadis? Siſte gradum, & reſponde. Dices fortaſsis, quòd illud verbum (intelligibilia) non eſt propriè latinum? Agè dicamus, ad ea quæ ratione & intelligentia comprehenduntur. Sunt iſtæ ſolutiones hæreticorum, ad rationes ſcholaſticorum efficaciſsimas, cùm dicunt quòd carent lingua latina. Quaſi quòd notitia eorum quæ ſunt fidei conſiſtat in verbis, & diſceptatio penès voces, & non res ſit attendenda.

Diceret tamen fortaſsis adhuc, quòd ſicut nouitas eſt gratia noui hominis, ita vetuſtas eſt peccatum primi hominis. Sed quo magis laborat, eo clarius detegitur eius ignorantia. Non enim gratia noui hominis eſt nouitas, ſed benè parit nouitatem. Ita & peccatum primi hominis peperit vetuſtatem. Vnde per Chriſti gratiam renouamur, & iuſtificamur, quemadmodum per Adæ peccatum, vetuſtatem contraximus. Idem dicitur alijs duabus authoritatibus, quod diximus ad primam; nempe quòd Coloſſenſes & Corinthij à vetuſtate renouentur; deponentes iniuſtitiam, & iuſtitiam induentes, pariterq́. carnis concupiſcentiam crucifigentes. Quæ quidem concupiſcentia, eſt vetuſtas remanens poſt baptiſmum; ſed non eſt propriè peccatū; veluti crebrius diximus. Mitto adulterum illū, quem patiebantur Corinthij ſecum verſari, & Paulus ſub nomine veteris fermenti iubet expelli; cùm finis ipſius Apoſtoli ille eſſet, vt uirtutibus, optimiſq́. moribus innouati, tanq̃ noua conſperſio perſeuerarent; & hoc ſufficit pro ſolutione rationis Martini. Non ergo à peccati vetuſtate (quod poſt baptiſmum remanſerit) receſſum, ſed à minori mentis perfectione ad maiorem, tribulationis igne, acceſſum illis verbis deſcripſit Apoſtolus. Id quod etiam innuere uoluit ad Roma. cap. 5., dicens: Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uerò ſpem.

Proſequitur intentum Lutherus ex illa parabola Lucæ cap. 10., de Samaritano, qui ſemiuiuum non ſubitò ſanauit; ſed alligauit tantùm, & ſanandum ſuſcepit. Nemo igitur; ait; ſubitò ab omnibus peccatis ſanus factus eſt; ſed pacto fidei in corpus Chriſti aſſumptus, de die in diem magis ſanatur.

Cæterùm multipliciter aberrat; primò quia pro ratione parabolas

affert,

afferT, quæ poſſunt ad varios & multiformes intellectus torqueri. Aberrat ſecundò quoniam dicit illam ſcripturam eſſe parabolam, cùm potuerit fuiſſe hiſtoria. Eſt enim Hieruſalem in monte Sion, & Hierico in loco deorſum. Eſt etiam quædam ſolitudo, ſeu deſertú, inter Hieruſalem & Hierico, in quo homines à latronibus ſpoliabantur, vbi comprehenſus fuit Sedechias à ſatellitibus Regis Babylonis, quarto Regum, cap. 25. cùm fugeret Hieruſalem. Aberrat tertiò, quia illam interpretatur literam pro genere humano à Chriſto ſanato; cùm tamen illum non habeat ſenſum, vt patet cuilibet, proceſſum literæ inſpicienti. Etenim domini IESV Seruatoris noſtri intentio erat illo in loco, oſtendere legiſperito quis ſit noſter proximus, id quod ipſe prius quæſierat. Et idcirco docet quòd ille dicitur & eſt proximus noſter, qui nobis aliquod bonum impendere poteſt. Quocirca omnis homo viuens, quicunque ſit ille, ſiue fidelis, ſiue infidelis, ſiue bonus, ſiue malus, proximus noſter eſt. Omnes etiam qui in charitate deceſſerunt, proximi noſtri ſunt; quoniam ſi ſunt beati in re, poſſunt nobis benefacere ſua oratione in cœlo; ſi verò ſunt beati in ſpe, poſſumus nos oratione noſtra ipſis benefacere; ad rationem ſiquidem proximi, ſufficit quòd vnus poſſit alteri ſubuenire. Ideo Chriſtus vt homo, proximus noſter dici poteſt; ſimiliter Angeli ſunt proximi noſtri, quia poſſunt nobis benefacere. Et propterea Chriſtus Samaritanum duntaxat vocauit proximum, & non leuitam & ſacerdotem, ratione beneficij quod contulerat in vulneratum. Dæmones verò, & qui cruciantur in Inferno, proximi noſtri non ſunt; quia nec ipſi nobis bonum impendere, nec auxilium recipere poſſunt: & ideo eos diligere minimè tenemur. Huc igitur tendebat illa ſcriptura: quæ ſiue ſit, ſiue non ſit parabola, nihil ad rem. Sed ſi nimis ſollicitus videor aduerſus Lutherum, illum in hac parte ſequor, qui aduerſus Eccleſiam Romanam vtebatur etiam argutijs diabolicis. At quid ſi demus ei illum quem ipſe habet ſenſum? Humanum ſiquidem genus originali vitio ſauciatum, Chriſtus vtique ſanandum ſuſcepit, vulneraq. alligauit, peccata videlicet cohibendo: ſed non quin ſubitò nos à peccato mundauerit. At poſteaq. Chriſtus ipſum genus humanum ſanauit, remanſit ei nihilominus concupiſcentiæ vulnus in carne, cui de die in diem medendum fuit. Verùm hoc ſublato reatu, peccatum non eſt, niſi veluti ſæpius diximus. Vnde cùm dicit Lutherus, neminem à peccatis ſubitò ſanari, ex Euangelio falſiſſimum eſſe conſtat. Ioannis enim cap. 8. dixit Dominus noſter languido annos triginta morbum paſſo: Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Et Lucæ cap. 7. dixit Mariæ Magdalenæ: Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te ſaluã fecit. Et Matth. 9. dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quomodo autem fuerit homo vulneratus in naturalibus, diximus ſupra, huius ſectionis cap. 9. Sed omnes partes parabolæ percurramus: Homo quidam: indiuiduum vagum, totum ambiens & ſignificans humanum genus, quod quidem in Adam iacebat deſtitutum ſalutis auxilio, vulneribus delictorum confoſſum: cui nec ſacerdos Aaron tran-

ſiens

ſiens,potuit ſacrificio profuiſſe; nec etiam eius frater Moſes leuita, potuit per legem ſubuenire. Samaritanus autem,& huius infirmi verus cuſtos,Chriſtus glorioſus,iter faciens,& deſcendens de coelo;quia nemo deſcendit de coelo; niſi qui aſcendit in coelum filius hominis qui eſt in coelo. Venit ſecùs eum;quia cùm haberet duo bona, ſcilicet iuſtitiam & immortalitatem;& nos duo mala,ſcilicet iniquitatem & mortalitatem; Si vtrunque malum noſtrum ſuſcepiſſet par noſter fuiſſet, & liberatore nobiſcum opus habuiſſet. Vt ergo eſſet non hoc quod nos, ſed prope nos,non eſt ille peccator,ſicut nos peccatores ſumus; ſed factus eſt mortalis, ſicut nos; ſuſcipiendo poenam; & non ſuſcipiendo culpam, deleuit & poenam. Et videns eum iacentem,non valentem,non currentem; miſericordia motus eſt; quia in eo nullum meritum inuenit,quo curari dignus eſſet; & appropians alligauit vulnera eius,cohibendo peccata,infundens oleum conſolationis bonæ ſpei,apud indulgentiam datam ad reconciliationem pacis, & vinum exhortationis ad operandum feruentisſimè in ſpiritu. Et imponens illum in iumentum ſuum,fidem ſuæ incarnationis eius cordi inſcribendo; duxit illum in ſtabulum Eccleſiæ, quæ in itinere mundi laſſatos,& ſarcinis delictorum defeſſos, ſuſcipit venientes. Et curam eius egit. Quia in Eccleſia depoſito onere peccatorum, viator laſſus reficitur, & refectus, ſalubri paſcuo reparatur. Sed quia non vacabat Samaritano huic diu in terris degere, redeundum erat vnde deſcenderat; & propterea, altera die dominicæ reſurrectionis, protulit duos denarios Sacroſanctæ, diuinæq; ſcripturæ, quæ duo continet in ſe teſtamenta,imaginem in ſe habentia æterni Regis expreſſam; quorum pretio, vulnera noſtra curantur. Et huiuſmodi denarios dedit ſtabulario,& ſummo in terris Eccleſiæ Paſtori dicens: Curam illius habe; & quodcunque ſupererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi. Vnde ſupererogauit Apoſtolus Paulus in illo conſilio; De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Manibus etiam ſuis operatus eſt,ne infirmorum aliquem in nouitate Euangelij grauaret; cùm ei liceret ex Euangelio paſci. Multum etiam ſupererogauerunt Apoſtoli; ſed & pro tempore doctores, qui vetus & nouum teſtamentum expoſuere ſupererogauerunt,pro quibus retributionem accipient. Ita dicunt Chryſoſtomus, Ambroſius, & Auguſtinus. Vnde liquidò conſtat, quòd non ſucceſsiuam ſcelerum ablutionem, ſed uaria fidei noſtræ myſteria, ac ſacramenta, innuit in illa parabola benigniſsimus Seruator noſter.

Quocirca rectius Martinus, ſi animaduertiſſet quòd eo in loco Chriſtus commendat charitatem & miſericordiam, qua erga proximos tenemur vti; & docet q̄ neceſſaria ſint opera bona, ad vitam æternam conſequendam, Inquit enim Legiſperito: Vade & tu fac ſimiliter. Non ait, crede ſolùm, aut, dic; ſed fac. Vade ne ſis piger,& ignauus,exerce miſericordiæ & charitatis opera. Prius nanque dixerat: Hoc fac,& viues. Ac ſi diceret: Dilige Deum & proximum,& ſic vitam æternam posſidebis. Et in fine colloquij repetit: Vade & fac ſimiliter: opem indigentibus ferto. Ideo Iacobus cap. 2. Fides ſine operibus mortua eſt. Id quod tamen

ipſe negat Martinus, & cum eo omnes Lutherani; vt inde occaſionem ſumant & anſam, vt laxis habenis, per latam vitiorum viam currant, & vt ſe quamplurimis & nefarijs peccatis poſsint immiſcere; & ita vt beſtiæ & pecudes, ſine lege, ſine gubernatore, & ſine paſtore viuuant, ſeq́. tradant deſiderijs animæ ſuæ. Sed dicamus ad alia.

Adeſt, inquit, & parabola illa Matt. 13., vbi dicitur: Simile eſt regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Ergo, inquit Lutherus, fermento nouo fidei fermentatur, non ſubitò, ſed paulatim totus homo.

At ratio ineptiſsima atque leuiſsima, cùm circa hanc parabolam tot ſint ſententiæ, quot capita dicentium. Audiamus nihilominus D. Hilarium, nodum fortaſsis attingentem, qui ait: Fermentum de farina eſt, quod virtutem acceptam, aceruo generis ſui reddit. Huic ſe dominus comparauit. Quod acceptum mulier, ſynagoga ſcilicet, per iudicium mortis abſcondit; arguens legem, & prophetas, euangelijs diſſolutos. Hoc autem in farinæ menſuris tribus, ideſt, legis, prophetarum, euangeliorum, æqualitate coopertum, omnia vnum fecit; vt quod lex conſtituit, prophetæ nunciauerunt, idipſum euangeliorum profectibus expleatur. Hæc ille. Qui, vt conſtat, per fermẽtum intelligit ſignificatum Chriſtum, eo quod accepta à nobis natura, virtutem diuinitatis ſuæ, humanæ naturæ communicauerit. Quid igitur ſi Chriſti gratia in tribus animæ viribus recepta, totum hominem paulatim fermentet? Id enim fit propter fomitem, qui paulatim per gratiam ſubducitur, & quotidie magis ac magis imminuitur. Vnde & ſi anima per Chriſti gratiam ſanetur, manet nihiloſecius adhuc in carne quidam fomitis languor, qui quotidie expurgatur; & ita vita noſtra, quidam tranſitus dicitur de virtute in virtutem, de claritate in claritatem, totusq́. homo de die in diem dicitur renouari. At verò ſi ex his inferatur, huiuſmodi fomitem eſſe propriè peccatum; conſequutio inſulſa & vana.

Quemadmodum vana eſt etiam ratio illa, quæ ad hæc ſequitur, cùm ait: Dominus IESVS Chriſtus, Ioan. 13. aſſerit, diſcipulos eſſe mundos. Et nihilominus infra cap. 15. dicit, omnem fructiferum palmitem eſſe purgandum, vt plus fructificet. Diſcipuli autem ſunt palmites. Quare purgandi. At non purgandi niſi quia immundi; quæ quidem immunditia, eſt à peccato originali.

Cæterùm nullius momenti eſt huiuſmodi proceſſus; q̃m diſcipulis Domini IESV, vel quoniã ipſi inhærebant, vel quoniam labore ſequendi nõ fatigabantur, vel quoniam in fide firmi manebant, vel quoniam non parua charitate ipſi Chriſto afficiebantur, mundicies inerat. Adhuc nihilominus erant à fomite magis ac magis purgandi. Quoniam qui benè viuere malunt, qui quammaximè poſſunt virtuti ſtudent; ijs per ſpiritus gratiam, quaſi per falcem, modò voluptates, modò alias turbationes animi, quibus mens à ſtatu ſuo deijcitur, Deus incidens eſt, ac amputans; dicebat beatiſsimus pater noſter Cyrillus, Epiſcopus Alexandrinus. Ac cur dicitur iſte fomes immundus? Quia quotidie nobis immunditiam

propinat; inquit doctiſsimus Roffenſis; & leuioribus ſaltem peccatis inquinat vnumquemque. Vnde optimè Apoſtolus Ioannes, cùm ait: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Itemq. optimè Diuus pater Auguſtinus, cùm notat quòd non dixit Apoſtolus, habuimus; ſed, habemus. At ſermo eſt ſemper de peccato actuali in adultis; cùm regenerationis lauacro, cuncta ſint præcedentia abolita facinora. Cui nihiloſecius minimè repugnat, vt ſingulo quoque momento aſsidua radicalis mali ſuggeſtione, multimodè à pura illa integritate, ac innocentia deficiamus. Quapropter Apoſtolus Paulus Coloſſenſes monuit, vt huiuſmodi originalis languoris procacitatem comprimerent. Verùm quoniam hoc non niſi iuuante domino perficere poſſumus, cor mundum in nobis fieri, ac ſpiritum rectum ab eo ideo poſtulamus. Illud quoque Pſalmographi, de peccato actuali intelligendum venit, cùm inquit: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſeruo tuo. Quædam enim ſunt peccata, quæ ab intrinſeco procedunt; veluti illa, quæ quis propria malitia, abſque exteriori tentatione committit; vel interiori tentatione propulſatus; vt à propria carne tentatus; & iſta dicuntur propria peccata, & intrinſeca. Alia ſunt ab extrinſeco introducta; ſicuti quæ fiunt per tentationes exteriores, vtpotè dæmonis, vel mundi, vel quæ per ſenſus corporales animam inuadunt; & iſta dicuntur aliena. Item, quædam ſunt peccata, quæ quis committit, & illa dicuntur propria. Alia autem ſunt peccata, quæ ex negligentia, vel malo exemplo principis alij committunt, quæ tamen principi imputantur, licèt neſciat quot ſuo exemplo peccauerint. Quia tot mortibus ſunt digni prælati, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt 1.1. q.3.c. Præcipuè; & hæc dicuntur aliena. Super igitur peccatis vtroque modo proprijs & alienis exclamans Propheta, orat modo præmiſſo. Erat enim rex, & ſuo adulterio multis; ne dicam omnibus à malum præbuerat exemplum. Quocirca neſciens quot ſuo malo exemplo peccaſſent, dixit: Delicta quis intelligit? Quaſi diceret: Quis malè agens, quomodo poteſt cognoſcere quot ſuo corrumpuntur exemplo? Quaſi dicat, nullus. Propterea, ab occultis meis, quæ proprio motu commiſi, munda me; & ab alienis, quæ ſcilicet commiſi prouocatus ab alio, parce ſeruo tuo. Item, ab occultis meis, quæ ego propria mala voluntate, quam nullus exterior cognoſcere poteſt, perpetraui atque commiſi, munda me; & ab alienis, quæ ſcilicet alij meo malo exemplo commiſerunt, parce ſeruo tuo. Videant modò pij lectores, quam vim habeat ratio ipſius Lutheri; qua ex iſtis ſcripturis colligebat, carnis concupiſcentiam eſſe propriè peccatum.

Deinde cùm ait, quòd omnes ſub peccato concludit ſola oratio dominica, dum omnibus, quantumlibet ſanctis, mandat orare, fiat voluntas tua, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, ſuperq. ſatis mentitur. Sublimius nanq. ac præcelſius eſt huiuſce orationis genus, q̃ ille opinatur maledictus hæreticus; quod cùm ſolius Dei intuitò, necnon & cha-

ritatis ardore pronunciari debeat, non prophanis & inobedientibus; vt ipſe aſſerit; ſed veris tantùm, legitimisq́. adoptionis filijs conueniet; qui verè ſibi Deum adoptionis patrem appellare præſumant. Homo igitur nouus, renatus, & Deo ſuo per eius gratiam reſtitutus, Pater, primo in loco dicit, quia filius eſſe iam coepit per fidem, & ſacroſanctum regenerationis lauacrum. Et quia, quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem, vt filij Dei fierent, ijs qui credunt in nomine eius; *Ioan. 1.* item in Euangelio Matt. cap. 23. præcepit dominus, ne vocemus nobis patrem ſuper terram; qui ſcilicet ſit nobis vnus pater, qui eſt in coelis; inde propterea fit, vt dicamus: Pater noſter; idest, eorum qui credunt, eorum qui per eum ſanctificati, & gratiæ ſpiritalis natiuitate reparati, filij Dei eſſe coeperunt; qui es in coelis; non enim eſt omnium credentium vnus pater terrenus & mortuus; ſed viuus, atque coeleſtis. Et quoniam ipſe dominus Deus dixit Leuiti. cap. 20. Sanctificamini, & eſtote ſancti, quia ego ſum dominus Deus veſter; &, eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis, vt eſſetis mei; ideo petimus & rogamus, vt qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe coepimus, perſeueremus, & hoc quotidie deprecamur, dicentes: Sanctificetur nomen tuum; ſcilicet in nobis. Opus eſt enim nobis quotidiana ſanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſsidua repurgemus. Non igitur qui petit ſanctificari nomen Dei, fatetur nomen Domini adhuc in ſe pollui ex parte; prout aſſerebat Lutherus; ſed vt ſanctificationis per baptiſmum adeptæ, perſeuerantiam tribuat. Et quæ ſit huiuſmodi ſanctificatio, quæ nobis de Dei dignatione cõfertur, priori ad Corinthios epiſtola, cap. 6. Apoſtolus prædicat, dicens: Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidem fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.

Ecce quòd ſanctificatos nos dicit in nomine domini noſtri IESV Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Hæc igitur ſanctificatio vt in nobis permaneat, oramus; & vt boni filij, quæcunque propria atque terrena vtilitate ſecluſa, patris noſtri gloriam totis viribus affectamus; vt cunctis mortalibus ita ea innoteſcat, vt nil queat eo ſanctius, glorioſiusq́. explicari. Cumq́. ſemper filius paternæ hæreditatis ſucceſsionem exoptet, ſubdit dicens: Adueniat regnum tuum. Noſtrum regnum petimus aduenire, à Chriſto nobis repromiſſum, eiusq́. ſanguine & paſsionē acquiſitum; vt qui in hoc ſeculo ante ſeruiuimus, poſtmodum Chriſto dominante regnemus; ſicut & ipſe pollicetur, dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. *Matt. 25.* Per regnum Dei poſſumus etiam ipſum Chriſtum intelligere, & eius gratiam; quam venire quotidie cupimus, & cuius aduentus vt cito nobis repræſentetur optamus; non quia confiteamur ex parte ſeruos nos eſſe diaboli; vt ait Martinus; ſed vt nos Dei filios eſſe fateamur;

id quod non poſſunt Iudæi, quoniam poſtq̃ ceſſauit circa illos nomen paternum, ceſſauit & regnum. Et propterea nos chriſtiani, qui in oratione appellare patrem Deum coepimus, & nos vt regnum Dei nobis veniat oramus; addimus quoque & dicimus: Fiat voluntas tua ſicut in coelo & in terra. Non petimus vt Deus faciat quod vult, quoniam Deo quis obſiſtit, quo minus quod uelit faciat? Neque idem confitemur nos eſſe Deo inobedientes, vt inquit Lutherus; quoniam licet ex nobis Dei voluntatem plenè facere minimè valeamus; at ob id non ſequitur, nos eſſe inobedientes, ſed benè impotentes, & diuino egentes auxilio. Propterea oramus & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei; quæ vt fiat, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope eius, & protectione; quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed eſt Dei totus miſericordia & indulgentia. Vt inde ſuorum mandatorum expletione, vel obedientia, terrena ſint conformia coeleſtibus. Sicut videlicet in angelis, ita & in hominibus; ſicut in Chriſto, ita & in Eccleſia; ſicut in mente, ita & in carne. Cùm enim corpus è terra, & ſpiritum poſsideamus è coelo, ipſi coelum & terra ſumus; & in vtroque, id eſt, & corpore & ſpiritu, Dei voluntas fiat oramus. Eſt namque inter carnem & ſpiritum colluctatio, & diſcordantibus aduerſus ſe inuicem quotidiana congreſsio; vt non quæ volumus, ipſa faciamus; dum ſpiritus coeleſtia & diuina quærit; caro terrena & ſecularia concupiſcit; & ideo petimus inter duo iſta, ope & auxilio Dei, concordiam fieri; vt dum & ſpiritui & carni voluntas Dei geritur, quæ per eum renata eſt, anima ſeruetur. Et quia volunt etiam iſti Lutherani, propter eandem carnis concupiſcentiam, nos quotidie peccari in eadem oratione dominica, dimitte nobis debita noſtra, audiant Auguſtinum lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 13. ita loquentem:

Tom. 7. Neque propter ipſam concupiſcentiam, cuius iam reatus lauacro regenerationis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Sed propter peccata quæ fiunt, ſiue in eius conſenſionibus, cùm ab eo quodlibet vincitur quod placet, ſiue cùm per ignorantiam, malum quaſi bonum placet. Fiunt autem, ſiue operando, ſiue loquendo, ſiue quod facillimum atque celerrimum eſt, cogitando. Illud autem quod in oratione ſequitur, propter ipſam dicitur: Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo. Vnde Auguſtinus propalàm manifeſtat, non concupiſcentiam, atqui tantùm voluntaris opera eſſe peccata. Siquidem propter conſenſiones voluntaris dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, quoniam peccata ſunt; ſed propter ipſam tentantem nos, infeſtantemq́ concupiſcentiam, addimus: Et ne nos inducas in tentationem. Quæ quidem omnia D. Iacobus Apoſtolus in ſua catholica epiſtola cap. 1. in hunc modum explanat: Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, (per conſenſum videlicet voluntaris) parit peccatum. Non eſt igitur concupiſcentia ante conſenſum, peccatum; at ex conſenſu concipiens, fit mater peccati. Idem voluit Apoſtolus Paulus ad Roma. 6., quãdo dicebat: Non regnet pecca-

tum in veſtro mortali corpore,vt obediatis concupiſcentijs eius,neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.Non enim prohibetur fomitem concupiſcentiæ habere, ſed illi obedire . Vt per hoc intelligamus quod ſequenti cap. ait, legem prohibere concupiſcentiam. Non enim vetatur ne inſit illa in carne, at voluntate nos concupiſcere; veluti etiam in ſuperioribus diximus ſatis.

Non acquieſcit tamen Lutherus, ſed alio diuerticulo ſuam maledictam hæreſim tueri conatur; quòd nempe ſit aliquod diuinum præceptum, quod à nemine pro hac vita adimpleri poſsit; nimirum iſtud: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. At mentitur adhuc hæreticus iſte; quoniam in hoc mandato non præcipitur illa Dei dilectio, ad quam producendam, anima noſtra adhibet omnes vires ſuas, & omnem conatum, quæ communi vocabulo appellatur dilectio conſumata; hæc enim habebitur in patria. Sed præcipitur dilectio nobis poſsibilis pro hac vita præſenti; quæ cùm ſequatur cognitionem, non erit niſi ex parte; quia .1. ad Corinth. cap. 13. ait Apoſtolus: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Quemadmodum igitur nunc cognoſcimus ex parte, ita diligimus ex parte; cùm dilectio ſequatur cognitionem; in poſterum verò ſperamus diligere ex toto. Doctrina eſt diui patris Auguſtini, de ſpiritu & litera, cap. 36. *Tom. 3.*

Sic itaque iubemur Deum diligere, vt nihil repugnans præceptis eius amemus. Vnde ille dicendus eſt diligere Deum ex toto corde, qui Deum diligens, reliqua omnia eius ſeruat mandata. Id quod habetur. 4. Regum, cap. 10. ſub his verbis: Porrò Iehu non cuſtodiuit vt ambularet in lege domini Dei Iſrael in toto corde ſuo; non enim receſsit à peccatis Ieroboam, qui peccare fecerat Iſrael. Quia enim alterum mandatum tranſgreſſus eſt, dictus eſt, non ambulaſſe in toto corde. Hanc ob cauſam dicebat ſuper Cantica ſermo. 50. D. Bernardus: Eſt charitas in actu, eſt & in affectu. Et de illa quidem quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumq́. formatum. Nam in affectu quis ita habet vt mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur. Cuius initium quidem profectumq́. vitam quoque præſentem experiri diuina poſſe gratia non negamus; ſed planè conſummationem defendimus futuræ felicitati. Et liceat introducere exemplum doctiſsimi Roffenſis, ad hoc aptiſsimum. Sit quiſpiam graui pondere onuſtus, eiq́ue iubeatur, vt omnibus viribus, & omni qua poteſt celeritate, montem conſcendat; is ſi conatum debitum adhibuerit, nihil moratus, præceptum haudquaquam violare, ſed verè ſeruare putandus eſt. Veruntamen quia depoſito pondere multò celerius id feciſſet, idcirco non penitus adimpleuit. Pondus enim obſtitit, quò minus liberè vires omnes ad negotium celerrimè perficiendum exerceret. Ita pari paſſu, cùm præcipiatur nobis, vt Deum

ex toto corde, ex tota animæ, ex tota mente; & ex omnibus viribus diligamus; iam corruptibile corpus vſqueadeo grauat animam, tantoq. premit onere, vt nequeat impendere dilectionem; ac proinde non iam adimplemus præceptum hoc in ſe, & abſolutè conſideratum; at quantum nobis poſsibile eſt in hoc mortali corpore. Vnde beatiſsimus pater Auguſtinus in memorato loco de ſpiritu & litera, inquit: Aliud enim eſt nondum totam aſſequi charitatem; aliud nullam ſequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamuis longè minus amet Deum, q̃ eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum. Sic etiam in his, quæ adiacent ſenſibus corporis, poteſt oculus nullis tenebris delectari, quamuis non poſſet in fulgentisſimam lucem defigi. Hæc ille.

Tom. 7. Cuius quidem locum alium præuaricatus eſt Lutherus; illũ nimirum, quem libro primo de nuptijs & cõcupiſcentia, cap. 25. ſub his verbis habemus: Dimittitur concupiſcentia carnis in baptiſmo; non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Lutherus autem ita refert: Peccatum remittitur in baptiſmo; non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Atque hinc infert peccatum originale remanere, ſed non imputari. At re vera non dicit Auguſtinus peccatum, ſed concupiſcentiam remanere; neque illam dicit remanere ſub ratione peccati, ſed ad pugnandum cum infirmitate noſtra; veluti in ſuperioribus multoties diximus, necnon & oſtendimus tum ex Auguſtino, tum ex alijs, omnia peccata in baptiſmo penitus deleri.

Tom. 7. Eius tamen meminerimus quod lib. 6. contra Iulianum, cap. 5. protulit ſub his verbis: Tu autem qui putas, quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Nunquid enim caret corruptione corporis? Tom. 10. Et de verbis Domini, ſermone 43. ſubdit: Modò autem quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, contentio mortis eſt. Non quod volumus facimus. Quare? Quia volumus vt nullæ ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus. Velimus nolimus habemus illas; velimus nolimus titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant, ſurgere volunt; præmuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Nunquid hoc etiam cum mortuus fuerit homo? Abſit. Deponis carnem, quomodo tecum trahis concupiſcentias carnis? Sed ſi benè pugnaſti, recipieris ad quietem. De qua quiete coronandus es, non damnandus, vt poſtea perducaris ad regnum. Ergo quamdiu hic viuitur, fratres, ſic eſt ſicut & nos, qui ſenuimus in iſta militia. Hactenus Auguſtinus. Quibus verbis affirmat, baptizatq dimiſſum eſſe reatum, & eundem carere peccato, etſi non careat concupiſcentiæ malo. Quæ quidem concupiſcentia manet ad luctam; vt ſi ſequatur victoria, ſequatur quoq. in nobis triumphus & corona; id quod reuera peccatum minimè poteſt.

Cæterùm Luthero non placet nomen reatus; quoniam, inquit, nil aliud eſt q̃ reſpectus quidam inter Deum & peccatorem, quo hic deputatur

ad poenam. Et hoc ſtante, relinquitur, ait, vt ſit iniuria gratiæ Dei; quùm renouet, mutet, & in nouos homines tranſmutet de die in diem. Vnde non tollitur reſpectus, ſed ſubſtantia & vita mutatur.

Placet nihilominus Auguſtino illud nomen; quoniam libro primo retractationum cap. 15. ait: Concupiſcentiæ reatus in baptiſmate ſoluitur, ſed infirmitas manet. *Tom. 1.* Id quod etiam ſemel atque iterum in ſuperioribus diximus. Et profectò, inquit Soto, deriuatur optimè à reus, ſicut famulatus à famulus, & à dominus dominatus. Vnde legitur Exodi cap. 32.: Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron. Et Deutero. cap. 21.: Et auferetur ab eis reatus ſanguinis. Eſt igitur in propoſito reatus, ipſa ratio peccati, à quo homo & fit, & habetur reus. Vnde reatum dilui in baptiſmo, eſt crimen quodcunque, & culpam tolli, vt amplius non ſit homo reus. Propterea de nuptijs & concupiſcentia *Tom. 7.* lib. primo cap. 26. ait Auguſtinus: In eis ergo, qui regenerantur in Chriſto, cùm remiſſionem accipiunt prorſus omnium peccatorum, vtique neceſſe eſt, vt reatus etiam huius, licèt adhuc manentis, concupiſcentiæ remittatur, vt in peccatum, ſicut dixi, non imputetur. Nam ſicut eorum peccatorum quæ manere non poſſunt, quoniam cùm fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur, in æternum manebit; ſic illius concupiſcentiæ quando remittitur reatus aufertur. Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. Demum concludit, dicens: Manent ergo, niſi remittantur. Sed quomodo manent ſi præterita ſunt, niſi quia præterierunt actu, manent reatu?

Sequitur poſtea capite ſequenti in hunc modum: Si itaque è contrario poteſt, vt etiam illud maneat actu, prætereat reatu. Agit enim aliquid concupiſcentia carnis; & quando non exhibetur ei vel cordis aſſenſus vbi regnet, vel membra velut arma quibus impleatur quod iubet, actus manet, reatus præterit. Ita D. ille pater. Ex quo liquidò conſtat, quòd poſt baptiſmum remanet actus, non reatus concupiſcentiæ. Alioquin quando aliquid agit, nullo accedente voluntatis conſenſu, adhuc reatus remaneret. Vnde ſicut in peccato actuali abeunte actu, vtpote homicidio, manet reatus; & vice verſa in concupiſcentia, diluto reatu, manet actus. In baptiſmate igitur tollitur culpa, & peccatum, quare mutatur, & renouatur homo; vnde nulla fit iniuria gratiæ diuinæ, ſi dicamus quòd in regeneratione tollitur concupiſcentiæ reatus; manet autem actus; quin potius extollitur; quoniam per eam aſſerimus baptizatos, iam verè quantùm ad animam, regeneratos eſſe, atque ſanctificatos, necnon & iuſtificatos; & nihiloſecius per eandem dum fomes in dies minuitur, eoſdem de die in diem transformari, donec in eis tandem regeneratio, renouatio, ſanctificatio, iuſtificatio, conſummata, completaq; fiat; dicebat dominus Roffenſis. Non eſt igitur quid commentitium hoc quod dicit Sancta Romana Eccleſia, ſed reale & veriſſimum. Nec eſt ille reatus, quidam phantaſticus reſpectus, vt voluit Martinus; at quid reale, velut optimè docuit Auguſtinus, lib. 6. contra Iulianum, cap. 8. *Tom. 7.* Proſequitur Martinus intentũ ſuum, authoritate deſumpta ex 1. Ioan.

cap.5.; vbi dicit, quòd omnis qui credit quoniam IESVS eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Deinde ſubdit: Scimus quoniam omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed generatio Dei conſeruat, & malignus non tanget eum. Ex quo mox infert Martinus, quòd idem ſimul poſſit non peccare, & peccatum habere. Propterea optimè Auguſtinus cùm ait, Peccatum remittitur in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur.

Socors, perditus homo, & omni ſcelere contaminatus; qui Logicam, ſimul atque philoſophiam auribus reſpuere nullatenus erubeſcit, inq. rebus ſacris nos dicit ſophiſmatibus vti; ipſe tamen ex illis D. Apoſtoli Ioannis verbis, conſecutionem trahit ineptiſsimam, & foeculentam. Audite; viri religioſi, & qui Deum timetis; vim huius ratiocinij: Qui natus eſt ex Deo, non peccat. Idem ergo ſimul poteſt non peccare, & peccatum habere. Quid vobis videtur? Dicet fortaſsis hæreticus, quòd in ea ratione præſupponit Martinus, natum ex Deo concupiſcentiam habere, & hanc eſſe peccatum, licèt non imputetur. Præſupponit falſum, quinimmo hæreticum, cùm præſupponit concupiſcentiam eſſe peccatum; ſed dato vno inconuenienti, multa ſequuntur. Quicquid igitur ſit de verbis Ioannis, (non enim me latet, ea quamplurimos ſuſtinere ſenſus) ſat eſt quòd ex illis ea non ſequitur, quam Martinus deducit illatio. Sed quid de Auguſtino? Vbinam dicit peccatū poſt baptiſmum remanere? Tuum erat, Martine, citare locum. Non enim dicit in baptizatis manere peccatum, ſed concupiſcentiam; quam tamen conſtantiſsimè ſemper negat eſſe propriè peccatum; veluti ſupra commonſtrauimus.

Cæterùm ne difficultates declinare videamur, verba D. Apoſtoli Ioannis expendamus. In initio illius capitis .5. ita ſcribit: Omnis qui credit quoniam IESVS eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Vt eleganti admodum ſentẽtia, oſtendat ſummam & caput fidei eſſe, vt credamus IESVM eſſe Chriſtum; ideſt, Meſsiam. Hoc quiſquis ex animo & dilectione confeſſus fuerit, ex Deo natus eſt. Non hîc tamen agit Apoſtolus de prima illa natiuitate, ſeu creatione, qua dicitur creaſſe omnia Deus; ea enim omnium gentium eſt communis; ſed de noua, & ipſis peculiariter exhibita beneficentia, qua nos ſibi Deus regenuit, & peculiaris indulgentiæ nutricatione, tanq̃ vnicè charos filios educauit, & docuit nos, ipſum vt patrem inuocare. De qua Chriſtus ipſe dicebat Ioan.3.: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spirituſancto, non poteſt introire in regnum Dei. His dictis, ſequitur Apoſtolus, declarans fidem hanc, & de Chriſto confeſsionem, non ſubſiſtere ſine dilectione & charitate. Ac demum concludit pro his qui ad mortem vſque peccant impoenitentes, & in tali ſtatu animam exhalant, non eſſe orandum. Inquit enim: Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat; & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. Per peccatum ad mortem, illud intelligens, quod virtuti & fidei, de qua ſupra loquutus fuerat, opponitur; perfidiam nimirum & incredulitatem. Quæ quidem, filios & electos Dei minimè lædit. Propterea in-

quit;

quit: Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tangit eum. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Non peccat ille ex Deo natus, natiuitate illa quam ſupra diximus, peccato ad mortem, ſeu finali impoenitentia, perfidia, & incredulitate; quoniam quidem Petrus peccauit, & lapſus eſt; ſed non peccato perfidiæ, & finalis impoenitentiæ. In ijs ſiquidem eſt propugnaculum fortiſſimum, & diligens cuſtodia, quæ eſt generatio Dei, ideſt, fides viua, & vitæ innocentia; quam etſi ſæpius inquietet Satanas, euertere tamen non poteſt. Tentauit quidem Petrum & Dauidem, ſed neque irretiuit, neque euertit. Gratia Chriſti, qua renati ſunt fideles, conſeruat eos, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Hunc, cum Claudio Guilliando, viro eruditiſſimo, crediderim eſſe illius loci Ioannis germanum ſenſum. Ad quem ſi ſequatur illa Martini conſecutio, iudicio præditis relinquimus examinandum. Quando verò ſubdit, quòd per baptiſmum, omnia remittuntur peccata, ſed nullum penitus tollit, nulla modò eſt opus reſponſione; quoniam id iam ſatis in ſuperioribus refellimus. Ad ea autem quæ 3. dixit articulo, iam ſatis patet etiam ex dictis. Quicquid enim ſit de verbis, quibus cum domino Roffenſe, ad ſententiæ integritatem, aliquid deeſſe crediderim; negamus animam, poſtq̃ à corpore migrauerit, ab ingreſſu coeli per fomitem remorari, dummodo ſit in Chriſto renata. Libro nanque 2. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 28. inquit Auguſtinus: Sicut enim facta, & dicta, & cogitata iniqua, quantùm ad ipſos motus animi & corporis pertinet, iam præterierunt, & non ſunt; eis tamen præteritis, & non iam exiſtentibus, reatus eorum manet, niſi peccatorum remiſsione ſoluatur; ſic contrà in hac, non iam præterita, ſed adhuc manente lege concupiſcentiæ, reatus eius ſoluitur, & non erit, cùm ſit in baptiſmo plena remiſsio peccatorum? Denique ſi continuò conſequatur ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus quæ tenebant. Hæc ille. Ecce quòd ſolutis per baptiſmum omnibus, quibus reus peccator habebatur, nihil omnino ſupereſt, protinus ex hac vita migraturo, quod eum ab ingreſſu coeli detineat. Id autem probat Martinus, vno præſuppoſito falſiſſimo; nempe fomitem eſſe verè peccatum. Quod ſi ita ſe haberet, ſequeretur intentum, ex 2. Petri cap. 3. vbi dicitur: Coelos nouos, & terram nouam expectamus, in quibus iuſtitia habitat. Atqui iam oſtendimus, & commonſtrauimus fomitem non eſſe propriè peccatum, ex quo totum fuit huiuſce rationis fundamentum. Tom. 7.

Addamus tamen cum domino Roffenſe, quòd fomes pertinet ad corpus, reatus verò ad animam. Per baptiſmum igitur ſublato reatu, ſimul & extincto corpore, qui fieri poteſt, vt præpediatur anima, quò minus ingreſſus ei pateat in coelum? Eſt, inſuper, fomes actualis quidam animæ languor, quamdiu eſt corpori annexa, necnon aſsiduus in prauos affectus ſtimulus, atque ad omne peccati genus incitamentum; quòd autem peccatum ſit actuale, haudquaq̃ admittitur. Satis enim inter ſe diſtant,

ad pec-

ad peccatum actualiter infeſtari, & actu peccare. Ex his, nullo penitus negotio tollitur dictum Melanchonis: quòd ſcilicet ſacra ſcriptura nullum ponit diſcrimen inter originale & actuale peccatum. Id enim apertè negamus. Cùm probat, quia originale peccatum eſt actualis quædam praua concupiſcentia; admittatur, ſaltem quod ad materiale attinet. At cùm ſubdit, concupiſcentia eſt peccatũ actuale; iã patet eſſe falsũ, immo hæreticum. Cùm addunt quòd præcepto illo decalogi, Non concupiſces, actus prohibetur concupiſcentiæ, ſiue concupiſcentia habitualis; iam conſtat eſſe falſum. Prohibetur nanque voluntatis conſenſus, non actus concupiſcentiæ; quia eſt naturalis; vt oſtendimus ſupra. Et hæc ſufficiant pro diſſolutione rationum Lutheri.

Eius tamen diſcipuli reclamant, dicentes, nomine concupiſcentiæ, nõ ſolùm illam carnis, ſed etiam illam quæ eſt in anima ſubintelligi. Hæc autem cùm ſit peccatum propriè acceptum, relinquitur concupiſcentiam eſſe verè peccatum. Atqui nulla eſt ratio. Quoniam aut loquuntur de concupiſcentia animæ, quæ eſt actus voluntatis conſentientis carni; & tunc non originalis, ſed actualis eſt culpa, vt conſtat, verùm de ea nulla diſputatio. Aut ſermo eſt de impotentia illa, animæq. declinatione, qua velut actus corporis, nata eſt pertrahi, ſenſibus illecta; & tunc idem eſt cum eo quod de carnis habuimus concupiſcentia. Quòd nempe ex principijs naturæ exiſtit, ſed Deus freno iuſtitiæ originalis creauit eam rationi ſubiectam; ſublata poſtmodum per peccatum illa iuſtitia, nihil aliud ſignificatur verbo, concupiſcentia, q̃ natura dono illo deſtituta, nõ culpa. Ita pari paſſu, totum hoc quod de anima dicitur, ſiue de eius in ſecundo ſenſu accepta concupiſcentia, naturam dicit, iuſtitia originali deſtitutam, non culpam. Eapropter negamus animæ concupiſcentiam eſſe propriè peccatum.

Tom. 7. Vrget nihilominus adhuc hæreticus, authoritate Auguſtini, lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. qui ait: Concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis; & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis. Hactenus ille. Qui in primo membro, dicit illam eſſe abſolutè peccatum.

Sunt qui velint Auguſtinum eo loci accipere peccatum pro quodam naturali defectu; ſicuti claudicans tibia, peccatum eſt, quia non rectè inſeruit naturæ. Vnde ex eo quòd bonum naturale hominis eſt operari ſecundùm rationem, ſenſualitas non obediens illi, eſt peccatum quoddam. Non damnabile quidem, & dignum pœna, ſed naturale.

Cæterùm adhuc vrgebit hæreticus, comprobando mentem fuiſſe Auguſtini, aſſentiri illam eſſe propriè peccatum; ſecus nulla eſſet collatio, quam inter ipſam concupiſcentiam & cordis cæcitatem inducit. Inquit enim: Sicut cæcitas cordis, quam ſolus remouet illuminator Deus, & peccatum eſt quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur, & cauſa peccati, cùm mali ali-

quid cæ-

quid cæci cordis errore committitur: ita concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis. &c. Modò autem, ſi concupiſcentia non eſt propriè peccatum ad aures Auguſtini loquentis, quomodo tenet comparatio? Siquidem ait, quòd cæcitas cordis eſt peccatum quo in Deum non creditur; quod utique verè eſt, & propriè peccatum. Dicit autem quòd ſicuti cæcitas cordis eſt peccatum, ita & concupiſcentia. Illa verò eſt propriè peccatum; quare & iſta. Vnde adhuc viget difficultas. Quapropter mihi magis probatur aliorum ſententia; qui volunt ſermonem fuiſſe illic Auguſtino de concupiſcentia ante baptiſmum; quam vocat peccatum, ratione reatus adiuncti. Nec obſtat quod non induxerit pro ratione reatum, ſed inobedientiam contra dominatum mentis. Quandoquidem illam rationem induxit, vt inde ratio principalis & præcipua colligeretur; nimirum inobedientia contra Deum. Propterea non dixit, illam eſſe peccatum propter inobedientiā contra dominatum mentis; ſed, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis. At cur hoc, niſi quia domino Deo obtemperare noluit? Idem igitur eſt ac ſi dixiſſet: Carnis concupiſcentia eſt peccatum, propter eius inobedientiam contra Deum, ex qua orta eſt eiuſdem inobedientia, contra dominatum mentis. Sed eo vſus eſt loquendi modo Auguſtinus, propter Iulianum, Pelagij ſectatorem; qui volebat huiuſmodi concupiſcentiam eſſe bonam, eo non obſtante, quòd ſit in nobis inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ; contra dictum quoddam ipſius Auguſtini, qui dicebat carnis inobedientiam inobedienti homini digniſsimè retributam, quia iniuſtum erat, vt obtemperaretur à ſeruo ſuo, ideſt, à corpore ſuo, ei qui non obtemperauerat domino ſuo. Iulianus autem dicebat hanc eſſe laudabilem, velut vltricem ſceleris, & in hoc Dei miniſtram. In quem mox animaduertit D. Auguſtinus, dicens: Lauda etiam angelos malos; lauda eorum principem Satanam, quia & ipſe vindex peccati fuit, quando ei tradidit Apoſtolus hominem in interitum carnis. Quia igitur ad hominem arguebat Auguſtinus, ita loquutus eſt, quaſi diceret: Tu Iuliane, dicis huiuſmodi concupiſcentiam eſſe bonam, & laudabilem, velut vltricem ſceleris, & in hoc Dei miniſtram; cùm tamen res oppoſito modo ſe habeat. Ex hoc enim quia eſt ſceleris vltrix, & Dei miniſtra, in propoſito quod in manibus habemus, colligitur potius quòd ſit peccatum, q̄ quòd ſit laudabilis: quoniam non eſt in hoc Dei miniſtra, niſi quia eſt peccatum; ſaltem quod ad materiale attinet ſignificatum; ſed hoc ante baptiſmum, & ante remiſſum reatum. Vnde iſta concupiſcentia eſt peccatum, poena peccati, & cauſa peccati; & ita eſt ſemper mala; quod eſt principale intentum contra Iulianum. Et pro confirmatione huius doctrinæ, ſit exemplum de cæcitate cordis; quam dicit Auguſtinus vltricem ſceleris, cùm ſit poena peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur; & hoc non niſi quia peccatum eſt, quo in Deum non creditur. Modò igitur his ita conſtitutis, reliquum eſt vt in Caluinum ſermonem conuertamus. 1.Cor.5.

Martini

Ad Caluinum. Martini veſtigia inſequutus Caluinus, hanc eandem concupiſcentiam, de qua hucuſque ſermonem habuimus, contendebat eſſe perpetuò peccatum. Et quando ex Paulo & Auguſtino probatur, omnia in baptiſmo peccata remitti, reſpondet id verum eſſe, non imputando peccata; non autem quòd concupiſcentia verum peccatum perpetuò non ſit. Idq; ob Lutheri dictum, qui, authore Auguſtino, volebat in baptiſmo remitti peccatum, non, vt non ſit; ſed vt non imputetur. Verumenimuerò cùm in ſuperioribus, huiuſmodi fuerit ſatis reiectum fundamentum, non eſt cur in eo amplius immoremur; ſed eius perpendamus rationes.

Arguit itaque primo loco tali pacto: Apoſtolus ad Roma. cap. 4., authoritate pſalmi dicebat: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. In baptiſmo igitur licèt ſimus abluti & ſanctificati, non imputando peccata, non autem quòd concupiſcentia verum peccatum perpetuò non ſit. Cùm enim ait Propheta, & cum eo Apoſtolus: Beatus vir, cui nō imputauit Dominus peccatum; vult vterque innuere, poſt baptiſmum adeſſe peccata, non autem imputari.

Mentiris, Caluine; quoniam eo in loco, non imputare, idem eſt quod remittere, & omnino tollere peccatum. Idcirco Deus tunc non imputat peccatum, cùm ſuam gratiam infundendo, illud penitus delet, atque remittit. Et quòd ita ſit, audi. Diuus Apoſtolus pro ſuæ doctrinæ comprobatione, Prophetam inducit, eo quem præmiſimus modo loquentem. Quo fit, vt illorum vterque in eundem tendat finem, & idem intelligat. Diuus autem Apoſtolus eò tendit, vt oſtendat hominem non niſi per Chriſtum iuſtificari; non autem per legem Moſis, neque per opera ſimpliciter propria, & ante Chriſtum, necnon & ſine Chriſto. Si quis enim ſine Chriſto dicat: Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupiſco, nullo adulterio contaminor, non inuenitur aliquid in vita mea quod reprehendatur; quid igitur mihi neceſſarius eſt Chriſtus? Ipſe enim præcepturus eſt vt benè viuam; at iam benè viuo. Iſte talis, inquit Apoſtolus, habet gloriam, ſed non apud Deum. Conſimilem igitur ſenſum neceſſe eſt vt habeat Propheta; ſecus Apoſtolus, eius authoritatem non rectè citaret. Agit itaque præcipuè Sanctiſsimus Propheta, contra vitium illorum hominum, qui peccata ſua vel neſciunt, vel neſcire volunt, vel cognita defendunt: de bonis ac proprijs meritis ſe iactantes, veluti Phariſæus ille, qui Lucæ cap. 18. orabat in templo, dicens: Non ſum ſicut cæteri hominum. Ex aduerſo autem docet Propheta, vt nos peccatores eſſe cognoſcamus, & noſtra peccata accuſemus; & ſi quid boni in nobis eſt, non nobis, ſed Dei gratiæ attribuamus. Vnde dicit: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum; nec eſt in ſpiritu eius dolus. Quaſi dicat: Si quis eſt verè iuſtificatus; id non viribus ſuis, ſed gratiæ Dei tribuat. Quoniam per ſolum Chriſtum iuſtificatur omnis homo, & in baptiſmo remittuntur iniquitates, peccata teguntur, tam in infante, q̃ in adulto: cui quidem, dummodo

ſit in

ſit in eo vera contritio,& non ſit in ſpiritu eius dolus,non imputat Dominus peccatum; at ſuam gratiam infundendo, illud penitus tollit. Vnde beatus pater Ambroſius ſuper epiſtola ad Roma.cap.4.ait: Remittere,& tegere;& non imputare, vna ratio,& vnus eſt ſenſus. Omnia enim vno modo obtinentur,& donantur. Videtur autem quibuſdam tripartita ratio eſſe in his dictis,quia diuerſis Propheta vſus eſt verbis, & quia à plurali numero ad ſingularem deſcendit. Cùm enim verba Dei inubertatem gratiæ,quia peccati diuerſa ſunt nomina; per delictorum vocabula enumerare vult,latius locutus eſt, vnius tamẽ ſignificationis ſunt verba; quia & cùm tegit remittit,& cùm remittit non imputat. Ad laudem enim gratiæ Dei prolixius loquitur,vt amplificet donum Dei. Tres enim gradus fecit,propter delictorum varietatem. Quorum primus gradus eſt iniquitas,vel impietas, dum non agnoſcitur creator. Secundus vero ſit grauium peccatorum operibus, tertius verò leuium. Hos tamen omnes in baptiſmate obliterari,tribus his gradibus,totius peccati corpus ſignificauit. Hactenus Ambroſius. *Tom. 5.*

Et D. pater Auguſtinus in 2. enarratione illius pſalmi 32., ait: Et quia totum gratiæ eius imputatur, non meritis noſtris, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata; non in quibus non ſunt inuenta peccata; ſed quorum tecta ſunt peccata. Cooperta ſunt peccata,& tecta ſunt; abolita ſunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere; ſi noluit aduertere, noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoſcere,maluit ignoſcere. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata. Nec ſic intelligatis quòd dixit,peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & viuant. Tecta ergo peccata quare dixit? Vt non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata,niſi punire peccata? Vt noueris quia hoc eſt Dei videre peccata,quod punire peccata,quid ei dicitur? Auerte faciem tuam à peccatis meis. Peccata ergo tua non videat,vt te videat. Hæc ille. Apud quem,idem eſt tegere,& remittere peccata; ſed cur & non etiam imputare? Diuus nanque Remigius ſuper illo pſalmo 31.,ait: Beatus vir,cui non imputauit Dominus peccatum. Quaſi dicat: Beati ſunt illi, qui per baptiſmum ſalui facti ſunt,accepta remiſsione peccatorum per gratiam. Idem eſt igitur non imputare,& remittere peccatum. Sed exponamus dictum Prophetæ per eundem prophetam; qui modum quo Deus non imputat peccatum, pſalmo 50. optimè oſtendit,inquiens: Miſerere mei Deus,ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundùm mulritudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: Ecce quòd dicit: Laua me, munda me, dele iniquitatem meam. Hoc autem eſt peccatum omnino tollere; non autem quòd iniquitas permanens, homini ſanato non imputetur. Id quod etiam aſſerit Ioannes in ſua prima epiſtola, cap. primo, inquiens: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra,& emundet nos ab omni iniquitate. Nec dicas, Calpine; quòd remittit & emundat non imputando. Quoniam præter ea *Tom. 8.*

quæ ſuperius diximus, addimus; quòd remanente iniquitate, licèt non imputata, ob id non ſumus mundi. Item, ibidem cap. 3. ſubdit Ioannes: Et ſcitis quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret. At quomodo tollit, ſi perpetuò manent? Item Paulus ad Roma. cap. 6. inquit: Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hoc ſciens quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Modò autem ſi mortuum eſt in baptiſmate peccatum, & corpus eius deſtructum, quî fieri poteſt vt perpetuò maneat? Nónne vidiſti, Caluine, hoc idem à Michæa propheta longè antea prænunciatum, quando cap. 7. dicebat: Reuertetur, & miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra? Hæc verba exponens D.
Tom. 3. pater Hieronymus, ait: Dicam & ego in fine voluminis, laborem opuſculi mei domini inuocatione conſignans: Deus, quis ſimilis tibi? aufer iniquitatem ſerui tui, tranſi peccatum reliquiarum animæ meæ, ne immittas in me furorem tuum, neque in ira tua corripias me, quoniam miſericors es, & multæ miſerationes tuæ. Reuertere, & miſerere mei, præcipita iniquitates meas, & mitte eas in profundum maris; vt ſalſugo & amaritudo vitiorum in ſalſa regione diſpereat. Ita D. ille pater. Qui cum Propheta inuocat Dei miſericordiam ſuper ſe, vt præcipitentur eius iniquitates in profundum maris, ita vt omnino diſpereant; non ut remaneant, & non imputentur. Id quod optimè ijs reſpondet, quæ ex eo ad oceanum ſupra citauimus. Vbi ſatis oſtendimus, omnia in baptiſmate peccata remitti. Non eſt tamen ſilentio prætereundum, quòd ipſe Caluinus duo inter ſeſe manifeſtè pugnantia in medium affert. Dicit enim ex vna parte, quòd non imputando remittitur peccatum; quandoquidem Chriſtus ſanguinem ſuum in remiſsionem peccatorum effudit; at ob id, inquit, remittendo, non delet peccatum Deus. In illa autem ſua maledicta, & diabolica, non chriſtiana inſtitutione, inquit: Quando Dominus eſt, qui remittit peccata, delet. Et contra Albertum Pighium, pagina mihi 168. dicit: Hæc carnalis generatio eſt, illa ſpiritualis; hæc peccato originali nos detinet obligatos; illa omni vinculo liberatos. Ecce, pie lector, quantùm poſsit veritas; cùm ſuos aliquando ad ſe trahat inimicos. Ad alias authoritates quas pro ſe inducit Caluinus, iam diximus ſupra. Et ſeptimum caput D. Apoſtoli Pauli ad Roma., exarabimus infra, Deo dante.

Ad authoritates interim, quas inducit Martinus Kimnicius ſupereſt facere ſatis, ni hoc iam præſtauerimus. At primo loco id negamus, quòd ipſe perperam ſupponit, concupiſcentiam nempe in renatis, morbum eſſe originalem. Negamus rurſus, D. Apoſtolum in illis authoritatibus velle carnis concupiſcentiam in renatis, eſſe propriè peccatum: veluti probè fuit in ſuperioribus demonſtratum: ſimul atque Pauli diſceptationem optimè ſtare, abſque hoc quòd huiuſmodi concupiſcentia ſit propriè peccatum. Benè verum eſt, quòd eſt ſuperque ſatis improba,

improbi-

improbitate originali; non quia ſit ipſa peccatum originale, ſed quia effectus eſt & poena originalis peccati. Eo enim eſt improba, quo dicitur peccatum. At hoc dicitur, quia eſt effectus peccati; veluti ex D. patre Auguſtino ſæpius habuimus. Itemq́. verum eſt, materiale peccati actualis, verè eſſe peccatum; quoniam actio eſt rectæ rationi deformis, atque deformitatis ſubiectum. In actuali nanque peccato, actio ſubſternitur obliquitati, ceu ſubiectum eius; quoniam per actionem ipſam diuertimus à ratione, & diuina regula; adeo vt actio ipſa propriè denominetur obliqua, & peccatum; ſicuti nix colore eſt alba; inquit Soto. In originali autem longè aliter; quoniam formale originalis peccati non eſt in concupiſcentia, at in eſſentia & natura animæ, cui originalis iuſtitia inhærebat. Sed concupiſcentia dicitur materiale iſtius peccati, quia eius formale eſt auerſio à Deo, & ſuperioris rationis deordinatio; ex qua inferiorum virium deordinatio, veluti materialis effectus conſecuta eſt. Quare patet ad omnia obiecta. Quibus ſolutis, ſupereſt vt .7. cap. ad Roma., ad pinguiorem mineruam exponamus.

Septimum Caput .D. Pauli Apoſtoli ad Romanos in tres diuiditur partes, eiuſq́. prima pars exponitur. Cap. II.

BEATISSIMI Apoſtoli Pauli ſenſum non intelligentes, aut ſe intelligere diſsimulantes maledicti Lutherani, hanc ob cauſam, cap.7. ad Roma. afferunt; vt illius authoritate, in primis concupiſcentiam habitualem peccatum mortale eſſe conuincant; deinde verò, eodem Pauli teſtimonio, legem ſeruari poſſe negent. Idcirco illud explicandum ſuſcepimus, vt inde eorum detegatur malitia, & veritas appareat.

In tres igitur præcipuas partes, illud caput diſtribuendum autumamus; vt prima, quadam reaſſumpta & ſubintellecta propoſitione, à principio capitis, vſque ad illam literam: Quid ergo dicemus? perduret. Ab illaq́. litera incipiat ſecunda, quæ manet vſque ad illam: Scimus enim quòd lex ſpiritualis eſt: Quæ pro tertia parte iudicatur vſque in finem. In prima parte, in ſua ipſius perſona & aliorum ſermonem habet. In ſecunda loquitur de ſeipſo ſub lege conſtituto. In tertia uerò, loquitur in perſona propria ſub Dei gratia exiſtente. Primò igitur commonſtrat Apoſtolus, legem Moſis mortuam eſſe, per myſterium incarnationis IESV Chriſti; & idcirco nos ad eius obſeruantiam non amplius teneri: quoniam in ipſo Chriſto eſt vita æterna, & non in legis obſeruantia. Idq́. probat exemplo mulieris, quæ defuncto viro, ſoluitur iure matrimonij, quo illi erat ſubdita, vt liberè alteri nubere poſsit. Et quia ſupra cap.6. dixerat: Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia; cuius probationem interpellauit, vt reſponderet ad illam interrogationem: Quid ergo? Peccabimus

quoniam non ſumus ſub lege? Idcirco nunc ad propoſitam concluſionem reuerſus, ait:

An ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Namque quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificetis Deo. Cùm enim eſſemus in carne, paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti; nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur; ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in uetuſtate literæ.

Hæc eſt prima pars huius ſeptimi capitis; in qua incipit Apoſtolus legis difficultatem oſtendere, & quòd vltra non ſit tenenda: & ne Iudæi mirarentur quòd dixerat: Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia; inchoat per rationes demonſtrare legem eſſe finitam, & prius etiam ſubditos minimè iuſtificaſſe, ſed magis peccatores conſtituiſſe. Fuit enim data vſque ad Chriſtum, & idcirco poſt acceptionem gratiæ non eſt tenenda. Id quod oſtendit Apoſtolus, inquiens: An ignoratis, fratres mei hebræi (vos enim alloquor, qui legem moſaicam optimè noſtis) ꝙ lex in homine dominatur vt ei obediat, quanto tempore viuit, & quandiu ſtatum habet ipſa lex? Hoc nequaquam ignorare debetis, propter notitiam quã habetis de ipſa lege. Et idcirco cùm mortua fuerit, non dominabitur illi amplius; ſed liberum dimittet. Iuſtum nanque fuit, vt lex dominaretur in quolibet homine ſubiecto, quandiu viueret, & poſt mortem ſuam, dominium amitteret; quatenus qui cunque tempore legis ſeruiliter cogebantur eam facere; poſt liberatoris aduentum, poſſent liberi ad euangelicam libertatem peruenire. Nam mulier quæ eſt ſub viro, viuente viro alligata eſt legi viri, vt non poſsit ab eo diſcedere. Sed ſi vir eius fuerit mortuus, ſoluta eſt à lege viri. Sic etiam quandiu lex ſtatum habet, debet ſeruari; ſed ſi lex ſtatum amittit, ſoluitur homo ab ea. Et quia viuente viro alligata eſt legi; igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Sic finita & ſublata lege, liberatus eſt homo per gratiam, vt non præuaricetur ſi ad Chriſtum tranſierit, dimiſsis figuris. Modò autem, vir eſt Moſes & lex; mulier anima, vel plebs Iudæorum, quæ eſt ſub ipſo Moſe. Viuente igitur Moſe, & ſtatum habente lege, plebs ipſa Iudæorum alligata eſt ei, vt non poſsit recedere ab eius carnali obſeruantia. Si autem mortuus fuerit uir eius Moſes, ſoluta eſt mulier à lege uiri, & plebs Iudæorum à iugo legis, ut non impediatur Chriſto copulari. Mortuus eſt autem Moſes, & mortua eſt lex per corpus Chriſti, & per myſterium incarnationis eius. Ideò & vos fratres mei, ſoluti eſtis à lege, & mortui eſtis ſupplicio legis; quia mortui eſtis legi dominanti, liberati ab eo effectu, quem lex puniēs damnat.

Vt ſitis ſponſa alterius viri,cuius non pudet eſſe,quia ſurrexit ex mortuis;& ſuperata morte in æternum uiuit.Et ideo ſurrexit,vt & nos à morte animæ faceret reſurgere, vt fructificaremus, & fructum boni operis faceremus Deo,qui antea fructificabamus morti.Quoniam cùm eſſemus in carne;in carne,inquam,non ſicuti qui ſunt in corpore,non ſicut increduli,non veluti qui de hominibus aliquid ſperant,non quemadmodum illi qui malè intelligunt Chriſtum,nequidem ſicuti chriſtiani illi,qui luxurioſam vitam ducunt,in carne eſſe dicuntur;ſed veluti qui erant ante fidem Domini noſtri IESV Chriſti,in carne eſſe dicebantur,ſub peccato uiuebamus,& carnales ſenſus ſequentes, vitijs & peccatis ſubiacebamus. Quandoquidem paſsiones peccatorum,& incentiua vitiorum, ſiue uehementes concupiſcentiæ, quas paſsiones voco, quià intrinſecus mentem affligunt,operabantur in membris noſtris,eaq́; ducebãt ad praua & mala operá;vt oculus per res varias fornicaretur,manus alium cæderet, lingua mentiretur,vt fructificarent morti,operaq́; morti congrua,necnon æterna morte digna patrarent. Iſtæq́; paſsiones erant per legem, quoniam per legem acceſſerant. Vbi enim non erat liberatoris gratia,augebat peccandi deſiderium,prohibitio peccatorum. Minor ſiquidem erat concupiſcentia,quando ante legem,ſecurus homo peccabat. Multò autem maior facta eſt,quando legem Dei coepit tranſgredi.Nunc autem quia eſt tempus gratiæ, ſoluti ſumus à lege mortis in qua detinebamur, per libertatem illius nouæ gratiæ. Ad huius enim legis obſeruantiam obligati eramus,vſque ad publicationem Euangelicæ legis. Nunc verò ſoluti ſumus,dum remiſsionem peccatorum accepimus. Non enim habet in nos poteſtatem; quoniam infidis & peccatoribus dominatur. Et hac de cauſa dicitur lex mortis, quia punit reos, & mortificat peccatores; dum peccantes non ad poenitentiam expectat,ſed mox interfici iubet; veluti per Moſen ſæpius dicitur: Qui fecerit hoc,vel illud,morte moriatur. Exo.21. Ita igitur ſoluti ſumus,vt ſeruiamus Deo in nouitate ſpiritus,& non Deut.21. in vetuſtate literæ; ſpiritalis gratiæ præceptis obedientes, non literam legis ſequentes. Litera enim occidit,ſpiritus autem viuificat. 2.Cor.3

Hunc arbitrarer eſſe germanum ſenſum iſtius primæ partis, Origenem, D. Ambroſium, beatum Anſelmum, Primaſium, necnon & Dionyſium Carthuſianum inſecutus. Vnde notant diuus pater Anſelmus,ſimul atque Primaſius,quòd quando Apoſtolus ſimilitudinem adaptat de foemina legitimè maritata,& viro ſubiecta,dicit: Itaque; fratres mei; & vos mortificati eſtis legi;quando debebat dicere: Mortificata eſt vobis lex. Sed hoc;inquit Anſelmus;inter Iudæos dicere,adhuc intractabile videbatur, & ideo magis intelligendum reliquit. Et idem valet quod dixit: Lex enim mortua eſt,quando carnalis actio penitus ceſſat. Et ille legi mortuus eſt,qui ab huiuſcemodi actione ceſſauit. Cautè ergo locutus eſt Apoſtolus, ne Iudæos offenderet; eligens potius dicere,mortificati eſtis legi; quàm,mortificata eſt lex vobis; cùm vtrunque idem ſignificet. Eundem ſenſum habet Primaſius. Quare omnia conſonant. Properemus igitur ad alia.

Secunda pars eiuſdem capitis explicatur. Cap. 12.

QVONIAM in eis quæ prius dicta fuere multa poſuerat Apoſtolus, quæ ijs qui legem vellent maledictis impetere, præberent occaſionem ad eam accuſandam, niſi afferret propoſitam quæſtionum ſolutionem; propterea in ſequentibus, partes tuetur ipſius. Dixerat enim: Lex ſubintrauit, vt abundaret peccatum. Lex iram operatur. Ex operibus legis non iuſtificabitur coram eo omnis caro. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur. Legem mortis eam dixit, & erutos nos ab ea gratulatur, & in illa Deo ſeruiri negat. Ne igitur iniquam hanc aſſerere putaretur, Metonymia vtendo, id purgat cum dicit:

Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognoui niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonũ. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

Hæc eſt ſecunda pars principalis huius ſeptimi capitis, in qua damus Caluino & Luthero, Apoſtolum de ſeipſo loqui; hoc nihiloſecius addendo, quòd transfert in ſuam perſonam, quod vult intelligi de quouis alio, qui ante Moſis legem vixit; vt per ſeipſum, omnem hominem intelligat; & inde generalem concludat, legis ipſius Moſaicæ ſanctitatem, & vtilitatem, ijs non obſtantibus, quæ de ea ſupra dixerat. In ſua enim adoleſcentia, & prima ætate, erat quaſi ſine lege; quia non erat legi obnoxius. Primo itaque loco ſoluit obiectionem, per quam videtur legem non fuiſſe bonam. Secundò oſtendit quid lex per ſe faciat. Tertiò declarat quid ex ea occaſionaliter ſequatur. Ac demum concludit intentum.

Dicit ergo: Habuimus quòd peccatorum paſsiones erant per legem, & quòd eſt lex mortis; videtur hoc haberi vitium in lege, quòd nos ad peccatum impellat. Quid ergo dicemus? Fortaſsis legem cauſam eſſe peccati? Abſit. Sic enim peccati eſſet ſuppeditatrix, ipſumq; doceret; quare & legislator illam ferendo peccaſſet; dicente Iſaia cap. 10. Væ qui
Pſal. 118 condunt leges iniquas. At, lex Domini immaculata. Non igitur eſt peccatum, nequidem cauſa, ſed index peccati. Oſtendit enim & quæ latebant peccata, & quæ impunè futura non eſſent apud Deum. Et prop-

tertia huius noſtræ epiſtolæ cap. 3. diximus, quòd per legem cognitio peccati. Ordinatur enim ad diſcernendum inter bonum & malum, inter virtutes & vitia, quatenus mala vitentur, & bona agantur. Idcirco peccatum, ſiue efficaciam peccati originalis non cognoui, niſi per legem. Sed adueniente lege prohibente concupiſcentiam, tunc ardentius coepi vetita concupiſcere. Ipſum namq. actum concupiſcentiæ optimè noueram, cùm omnes illum experiantur: ſed quantū ad reatum poenæ & Dei offenſam, non niſi per legem noui peccatum; ſaltem ita perfectè & communiter. Vnde concupiſcentiam carnalem & inordinatam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret; Non concupiſces. Tunc enim optimè noui, quòd quotieſcunque huiuſmodi prauæ & inordinatæ concupiſcentiæ, obedientiam præſtauero, factus ſum reus. Lex igitur non cauſat, nec tollit peccatum; ſed ipſum oſtendit, & in tranſgreſſoribus vindicat. Vnde non ſolùm in me, at etiam in alijs hominibus id lex operatur. Vt noſcatis per hæc & ſequentia, in me ſolo generalem agere cauſam, & ſub perſona mea, fragilitatem deſcribere conditionis humanæ.

Et quia, Nitimur in vetitum ſemper, cupimusq. negata; talisq. eſt noſtra carnalitas, vt ardentius deſideret prohibita; hinc factum eſt, vt peccatum originale, quod ante gratiam Chriſti erat in me ſecundùm culpam & poenam, adueniente lege, occaſionem acceperit, qua operatum eſt in me omnem concupiſcentiam actualem; nempe furti, adulterij, & aliorum quæ ſunt iure prohibita. Ephe. 2. Quoniam, nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum: & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri.

Ad Tit. 3. Eramus; inſuper; aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Vbi enim Spiritus Sanctus non adiuuat, inſpirans pro concupiſcentia mala, concupiſcentiam bonam, in cordibus noſtris diffundens charitatem; profectò lex, quamuis bona, auget prohibendo, deſiderium malum; ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito; cuius molem cùm euicerit, maiore cumulo præcipitatus, vehementiùs per prona prouoluitur. Similiter nanque & fluuius concupiſcentiæ, oppoſitis ſibi legis obicibus, fræ natus eſt, non ſiccatus; ac poſtmodum ruptis eiſdem obicibus, vehementior exiuit. At ob id non dico legem dediſſe occaſionem peccandi; ſed quòd ipſum peccatum occaſionem accepit ex lege.

Et quia in ſuperioribus diximus, peccatum in mundo vſque ad legem fuiſſe, porrò peccatum, lege non exiſtente, non imputari; imputatione ſcilicet legis, quæ ſecundam peccatorum cognitionem in hominibus excitat; idem modò ob maiorem huius rei exagerationem repeto; quoniam cùm dico, quòd ſine lege peccatum mortuum erat, nolo vt intelligatis, me hoc in loco vocare mortuum peccatum, tanq̃ id quod non eſt; ſed potius, quod cùm ſit, tamen quale ſit, nondum intelligitur. Vnde quod alibi dixi non imputari, idipſum nunc dico, mortuum eſſe. Quare licèt peccatum ante legem, effectum ſuum habuerit; non tamē tantum, quantū

modò cognoſcitur, erat. Dormire nanque videbantur peccata, & mortua eſſe, ante cognitam legem; veluti quaſi mortuum illud habetur, quod eſt debilitatum virtute. Ex quo optimè ſequitur, id verum eſſe quod paulò ante habuimus; nempe legem non dediſſe occaſionem peccandi; ſed ipſum peccatum ex lege occaſionem accepiſſe. Quoniam vbi non eſt gratia liberatoris, auget peccandi deſiderium, prohibitio peccatorum; & lex dum concupiſcentiam prohibet, quodammodo eam inflammat. Talis eſt enim noſtra carnalitas, vt ardentiùs deſideret prohibita. Id quod in memetipſo optimè noui. Quoniam ante vſum rationis, & legis cognitioné, viuebam ſine lege; & tunc iure proprio agebam, nullo legis timore, refrænatus. At cognita lege, latens in me noui peccatum, necnon & vim eius occultam. Propterea reuixit quod ante ſopitum, & ſomnolentum, ac quod nullius propè energiæ erat, factum eſt iritatius, occaſione non data, ſed accepta à mandato, prohibente peccatum. Tunc ſentiens in me peccati effectum, nempe terrorem, mortem, ac damnationem, quæ illud ſequuntur, factus ſum velut mortuus. Hoc enim perſpicuum eſt & clarum; quod puer per ætatis infirmitatem, obnoxius non eſt legi; ſed vbi adoleuerit, ſub lege eſſe incipit, & mandata cognoſcere. Propterea vbi adoleui, & coepi eſſe ſub lege, & delictum, quod cùm eſſem puer, per ignorantiam erat in me mortuum, reuixit in me, lege dominante. Vnde mandatum quod erat ad vitam datum, hoc mihi in morte inuentum eſt, pueritiæ conſuetudine, & more peccandi.

Aliud eſt enim legis inſtitutum, aliud verò quod propter peccatum accidit. Quippe mandatum vitam ſuppeditat; ad id autem quod eſt deterius conuerſio, parit mortem. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Lex ſancta eſt, quia diuina, pura, nihil ex ſe efficiens, quàm quod ſanctum & iuſtum eſt. Non eius naturæ eſt, qua mihi noceat; ſed mihi nocet mea & propria malitia, qui mihi demandata & iniuncta non cuſtodio. Mandatum quod Moſi traditum fuit, ſanctum profectò, vt quod doceret quid æquum, quid decens eſſet. Iuſtum autem, quod rectè tranſgreſſoribus ſententiam ferat. Bonum, ceu vitam obſeruantibus legem, impartiens. Non eſt ergo lex peccati cauſa; ſed occaſio, accepta vitio duntaxat ipſius peccantis. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Poterit ne id quod eſt ſecundùm ſe bonum, & viuificum, eſſe cauſa mali & mortis? Abſit. Sed peccatum mihi factum eſt mors, occaſione ſumpta à lege, etiam ſancta & bona; vt appareat peccatum, & id quod eſt, res nempe adeò ſcelerata, quæ re bona ita abutatur, vt vertat in damnum; per bonum ipſum & legem, mortem operatum eſt; vt fiat, & demonſtretur ſupra modum peccans, ſeu peccaminoſum, & inſigniter ſceleſtum peccatum: & noxa ipſius, quæ tanta eſt, vt lege Dei occaſione ſumpta nocentior reddatur, plenius appareat. Propterea fit, vt Chriſtum auidius amplecti debeamus. Sic igitur in hunc modum, iſtius ſeptimi Capitis ſecunda pars explicata.

Tertia pars eiuſdem ſeptimi capitis expo-nitur. Cap. 13.

IN præcedentibus ab illorum accuſatione legem defendit Apoſtolus, qui illam ueluti lethiferam damnare cogitabant: in tertia uerò eiuſdem capitis ſectione, ipſam adhuc laudibus ornat, & oſtendit quàm fuerit iuſta & bona: ſumpta ratione ab eiuſdem legis optimo propoſito, & quem in nobis ſortitur ſaluberrimo effectu; qui eſt, ſpiritum aduerſus carnem inſtruere, iuuare, atque fouere. Vnde præcedentem particulam exponendo, aperit atque conſtituit, non legem, quæ bona eſt, cauſam fuiſſe peccati, uel mortis; ſed peccatum per mandatũ operatum fuiſſe utrũque malum. Id quod per certamen & duellum demonſtrat, quod in nobis quotidie experimur inteſtinum, inter carnem & ſpiritum. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Et quia lex à parte dimicat eiuſdem ſpiritus, rationem inſtituens, uetansq́; carni ſuccumbere, propterea pugnam depingit inter legem carnis, & legem ſpiritus: oſtendens ex una parte legis bonitatem, ex ipſa repugnantia quæ in homine reperitur ad bonum, ex alia uerò, ipſius hominis conditionem. Ait ergo: Scimus enim quòd lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, uenundatus ſub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod uolo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio; conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod uolo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem uolenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei, ſecundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. (Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per IESVM Chriſtum dominum noſtrum.) Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei; carne autem, legi peccati.

Gala. 5.

In hac tertia parte admittimus cum D. patre Auguſtino, Apoſtolum hæc omnia dicere in ſua ipſius perſona, & aliorum ſanctorum; propterea ceſſent rationes Lutheri, & Caluini importunitates, ad id comprobandũ inductæ. Hoc igitur in loco, duo prius proponit Apoſtolus, nempe legem Moſis fuiſſe ſpiritualem, ſeipſumq́; eſſe carnalem. Deinde vtrunque probat ex vno & eodem medio. Ac demum ex utraque parte concluſionem inducit. Et quia ſupra dixerat quòd lex eſt ſancta, illud exponens, ait: Scimus enim quòd lex ſpiritualis eſt: Quia à Sancto Spiritu data, & ſpiritualia mandans, atque ſpiritum hominis alens, & inſtruens de diuinis, & cœleſtibus. Sed ego ſum carnalis, non quia ratio per uoluntatis aſſen-

ſionem ſit carni ſubiugata; ſed quia citra huiuſmodi aſſenſum, ſubiecta eſt pugnæ, & moleſtiæ carnis; in eaq́. tenetur deprauatione, quæ illata eſt à peccato originali. Quoniam, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Inde venundatus ſub peccato à primo parente; cuius præuaricatione diſpoliati ſumus originali iuſtitia, & in illam venditi ſeruitutem. Vnde hæc mea carnalitas, quæ importat rebellionem carnis ad ſpiritum, prouenit ex peccato primi parentis; quia hoc pertinet ad fomitem; cuius corruptio, ex illo peccato deriuatur. Hunc autem modò peccatum impropriè appello, quem prius, & ante meam conuerſionem, peccatum propriè eſſe volebam; ſaltem quod ad ſignificatum attinet materiale. Idq́. ne videar in ſermone æquiuocare. Et quòd ita fit, ex eo facilè conſtat, quoniam quod ego operor non intelligo, nec approbo; ſed me inſcio, meaq́. inconſulta voluntate, fit. Si enim aliquod malum, non exequendo in opere, vel conſentiente mente, at ſolùm concupiſcendo ſecundùm paſsionem ſenſibilis appetitus operari videor, & de facto operor, illa concupiſcentia eſt præter rationem & intellectum, quia præuenit eius iudicium. Propterea non dico, me illud non intelligere haud eſſe faciendum; ſed non intelligere ſimpliciter; quoniam intellectu nondum deliberato, aut percipiente, talis inſurgit concupiſcentiæ operatio. Quandoquidem, Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum illud facio. Volo quidem mentem meam à prauis concupiſcentijs conſeruare; ſed hoc bonum non ago, propter motus concupiſcentiæ inordinatos, inſurgentes in appetitu ſenſitiuo. Quocirca actione quadam imperfecta, quæ in ſola conſiſtit appetitus ſenſitiui concupiſcentia, illud facio malum, quod odi; perfecto, & odio illo, quo quis perſeuerat in deteſtatione mali, vſque ad finalem re-
Pſal.138 probationem ipſius; de quo dicitur in pſalmo: Perfecto odio oderam illos. Etenim qui tali odio odit, oppoſitum diligit ſemper illius quod odit. Si igitur ego, malum odio proſequor; fit conſequens, vt eius oppoſitum bonum utique diligam; Et hoc Dei gratia fultus. Vnde ſequitur, quòd lex; cui conſentio & ego; præcipiendo bonum, & prohibendo malum, ſit iuſta, ſancta, & bona. Manifeſtum ſiquidem eſt, quòd inclinatio hominis ſecundum rationem ad uolendum bonum, & fugiendum malum, eſt ſecundùm naturam, vel gratiam; & vtraque eſt bona. Vnde & lex, quæ huic inclinationi conſenſit, præcipiendo bonum, & prohibēdo malum, eadem eſt ratione bona.

Et quoniam dixi hanc eſſe hominis conditionem, vt ſit carnalis, venundatus ſub peccato; id nunc demonſtrare intendo, ratione ſumpta ab eo quod in me reperio. Ex hoc enim apparet quòd homo carnalis venundatus ſub peccato, eſt quaſi aliqualiter ſeruus peccati, quòd ipſe non agit, ſed agitur à peccato. Ille enim qui eſt liber, ipſe per ſeipſum agit, & non ab alio agitur. Dictum eſt autem, quòd per intellectum & voluntatem, legi conſentio. Nunc autem dum contra legem facio, ego iam non operor illud, ſed peccatum quod in me habitat. Et ſic patet, me ſeruum eſſe peccati, quatenus peccatum, in me quaſi dominium habens, operatur. Quando enim peccatum quod in nobis habitat, operatur in nobis;

tunc

tunc nos id non operamur, cùm nequaquam ei voluntas noſtra conſentit, & tenet etiam corporis membra, ne obediant deſiderijs eius. Illud enim dicitur homo operari, quod ratio operatur: quia homo eſt, id quod eſt, ſecundùm rationem. Vnde motus concupiſcentiæ, qui non ſunt à ratione, ſed à fomite, non operatur homo, ſed fomes peccati; quem, vt dixi, modò impropriè peccatum appello. Vnde cùm dico, quòd in me etiã per gratiam reparato peccatum operatur, illud ſecundùm carnem, ſimul cum appetitu ſenſitiuo, intelligendum venit. Quoniam per rationem & experimentum ſcio, quòd bonum gratiæ, quo ſum reformatus, non habitat in carne mea. Nam in corde meo, illud habitat bonum; iuxta quod aliàs dixi, habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Nam velle adiacet mihi, & per diuinam gratiam eſt mihi propinquum, & quaſi ſub mea poteſtate exiſtens, vt non ſolùm velim bonum, ſed etiam aliquid boni faciam: quia repugno concupiſcentiæ, & contra eam ago, ductus Spiritu Sancto. At non inuenio in mea poteſtate, quo modo iſtud bonum perficiam, concupiſcentiam funditus excludendo. Ex quo illud optimè ſequitur quod præmiſi; nimirum quòd bonum gratiæ non habitat in carne mea. Quandoquidem ſi habitaret in carne, quemadmodum per gratiam habitantem in mente, facultatem habeo volendi bonum; ita facultatem haberem perficiendi, per gratiam habitantem in carne. Et huius ſignum eſt, quia non ago bonum quod volo; ſed quod nolo malum; quemadmodum dictum eſt. Volo enim non habere concupiſcentiam, & tamen habeo; & nolo concupiſcere; ſed tamen concupiſco ex carne, non ex mente. *Ephe. 3.*

Vnde ſi quòd nolo, illud facio, & ſi inuitus concupiſco, non operor illud ego, quia mente non conſentio; at peccatum, ſeu fomes peccati, & concupiſcentia habitans in carne mea, illud operatur. Inuenio igitur per experimentum, legem Moſis conſonam eſſe mihi, volenti facere bonum, & concordià coniunctiſsimam rationi meæ, per quam bonum approbo, & malum deteſtor, dum & ipſa bonum mandat, & malum prohibet. Vnde relinquitur legem optimam eſſe; quoniam non ei, ſed mihi malum adiacet, & eſt in promptu, ex concupiſcentia; cui tamen non conſentio. Quóniam, Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem, & ſecundùm rationem & mentem; condelectorq́ ei ſecundùm bonæ voluntatis affectum. Ex quo optimè ſequitur, illam rationi meæ conſentire, ex conſequenti iuſtam eſſe & ſanctam. Nullus enim delectatur, niſi in eo quod eſt ſibi conueniens. Ego autem ſecundùm rationem condelector legi Dei. Lex igitur Dei conueniens eſt rationi. Quare ſpiritualis, & coeleſtis.

Ego autem, veluti dixi, carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Propterea video, & attendo aliam legem, nempe ipſius peccati pruriginem, atq; concupiſcentiam, in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Eſt enim huiuſmodi peccati fomes lex alia, à lege Dei; quoniam ſicuti lex diuina inducit ad bonũ faciendum, ita fomes inducit ad peccandum. Et meritò,

iureq́; optimo lex appellatur, quoniam iure ſupplicij impoſita eſt. Hæc igitur lex, originaliter quidem conſiſtit in appetitu ſenſitiuo, atqui diffuſiuè inuenitur in omnibus membris meis, qui concupiſcentiæ ad peccandum deſeruire uellent. Habet, inſuper, duos in me principaliores effectus, repugnantiam nempe, & captiuitatem. Siquidem repugnat ſemper legi Dei, quæ eſt in mente mea, repugnat quoque rationi, & iuri naturali. Deinde captiuat me per illicitos, & eius importunos motus. Me, inquam, hoc eſt carnem meam; in qua non eſt aliena, ſed mea natura. Sentio nanque in me deſideria ſurgere, puritati mentis meæ contraria; contra quæ, liberatoris gratiam imploro. Etenim ſum ex parte liber, & ex parte captiuus. Vbi enim condelector legi Dei, non captiuus, ſed legis amicus ſum; & ideo liber. Sed nondum tota, nondum pura eſt, nondumq́; plena libertas; quia nondum æternitas. Captiuus igitur ſum carne, non mente; occaſione, non conſenſione. Captiuus item ſum in lege iſtius fomitis, quæ eſt in meipſo; quoniam non quæ volo facio. Et in me quiddam mortuum eſt, & quiddam viuum: Mors contendit, mens non conſentit.

Quid inde ſperandum eſt? Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sum enim priuatus felicitate originalis iuſtitiæ, multisq́; corruptionibus, ærumnis, & miſerijs plenus; quis igitur me liberabit de corpore iſto mortali, quod obligat ad mortem naturæ, inclinat ad mortem culpæ, exponitq́; periculis mortis æternæ, quatenus anima mea huic vitæ ſubtracta, ad patriam redeat, & Deo liberè perfruatur, ſecureq́; viuat? Gratia Dei, per IESVM Chriſtum dominum noſtrum. Solus enim Dominus noſter IESVS Chriſtus, nos à graui poteſtate liberauit; morte quidem fuſa, ac profligata, nobis autem immortalitate promiſſa, & vita, laborum ac moleſtiarum, belliq́; & peccati experte. Atque horum quidem in vita futura fructum percipiemus; in præſenti autem, Sancti Spiritus gratiam percipientes, non ſoli aduerſus animi perturbationes in acie ſtamus; ſed eam opitulatricem habentes, eas vincere poſſumus.

Et quia condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem, & video aliam legem in mēbris meis; igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, amando iuſtitiam, & reſiſtendo concupiſcentiæ; carne autem ſeruio legi peccati, concupiſcendo. Mente ſeruio legi Dei in libertate Chriſti; carne autem legi peccati, ex vetuſtate Adæ. Mente ſeruio legi Dei, volendo quod ipſa vult, & nolendo quod non vult; carne autem legi peccati, non quidem dando membra committendis iniquitatibus, ſed tantùm concupiſcendo; quamuis illicitæ non dem manus concupiſcentiæ. Id quod de me dico, atque de alijs etiam ſub Dei gratia conſtitutis. Quæ quidem gratia, in nobis operatur, quæ lex ipſa non potuit; nempe remiſſionem omnium peccatorum, & liberationem ab omni ſeruitute peccati. Propterea eſt relinquenda, & Chriſtus inſequendus.

Hæc eſt ſumma tertiæ partis illius ſeptimi capitis diui Apoſtoli Pauli ad Romanos; quod quidem, Lutherus & Caluinus volunt eſſe ſuum, ad aſtruendum peccatum originale in baptizatis, ad concludendum impoſsibili-

poſsibilitatem obſeruantiæ legis diuinæ, & per conſequens ad penitus eneruandum liberum hominis arbitrium. Sed tantum abeſt vt hoc verum ſit, vt doctrinæ Apoſtoli, nihil poſsit magis eſſe contrarium; veluti ex dictis optimè conſtat. Oſtendit enim legem Moſis eſſe finitam, propterea nos ad eius obſeruantiam non amplius teneri; at noſtrum eſſe ad Chriſtum properare, in quo eſt ſalus & vita noſtra. Demonſtrat poſtea, huiuſmodi legem ſanctam eſſe, atque ſpiritualem; & ob id cauſam non eſſe peccati. At huius cauſam eſſe concupiſcentiam. Quæ ante baptiſmum eſt propriè peccatum, ſaltem quòd ad eius attinet ſignificatum materiale. Poſt baptiſmum verò, non niſi impropriè, & per methonymiam. Demum concludit quòd ſolus Chriſtus eſt verus liberator totius humani generis. Quid modò habent iſti noui theologi aduerſus peccati originis, & liberi hominis arbitrij, per ſanctam Romanam Eccleſiam habitas deciſiones? Nihil profectò. Feſtinemus igitur ad alia.

De cauſa peccati originalis, & quo modo traducatur. Cap. 14.

RES quidē ardua & perdifficilis in hoc proponitur capite, magis propter hæreticos, vt eorū obiectionibus occurramus, q̄ propter catholicos excutienda. Horū.n. magis intereſt remediū quærere, q̄ modū quo peccatum contrahitur originale inueſtigare. Vnde B. pater Auguſtinus, Epiſto. 29. ad D. Hieronymū, ait: Cùm quidam fuiſſet in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eum magis exciperet ne moreretur, q̄ ſuffocaret ne loqueretur, acceſsit alius, & eo viſo admirans, ait: Quomodo huc cecidiſti? Ait ille: Obſecro; inquit; cogita quo modo hinc me liberes, non quo modo huc ceciderim quæras. Ita quoniam fatemur, & fide catholica tenemus, de reatu peccati tanq̄ de puteo, etiam paruuli infantis animam, Chriſti gratia liberandam, ſatis eſt ei, quòd modum quomodo ſalua fiat, nouimus; etiam ſi nunq̄ quomodo in malum illud deuenerit nouerimus. Hactenus beatus ille pater. *Tom. 2.*

Poſteriores autē in ſacra theologia doctores, ob eam quā diximus cauſam, illud inueſtigarunt. Vnde vno ore fatentur, huiuſmodi peccati cauſam, fuiſſe ipſum Adam. Qui quidem, in gratia creatus, vel poſt creationē conſtitutus, accepit originalem iuſtitiam ſibi, ſuiſq. poſteris, qui ſimiliter in ea naſcerētur; & hæc ſenſibus frænum eſſet, vt iugiter, ſuperſtitē gratia, rationi parerent. Accepit quoque lignum vitæ ad immortalitatē. Et ita pro animi dignitate dotatus eſt, inſignitusq́. totus homo, & factus à Deo rectus. Hæc idcirco dona, Adæ collata ſunt, non vtique vt ſingulari perſonæ; veluti dixi; ſed vt publicæ, & vt communia toti naturæ. Quæ ideo, perpetua originum ſerie, ſucceſſura erant in poſteros. Quinimmo in gratia quoque fuiſſent proles creatæ. Ipſa enim erat donum totius naturæ, & cum virtutibus fuiſſet infuſa ſimul cum anima, in conceptione prolis. Et licèt fuiſſet infuſa ipſa gratia in generatione; non tamen ex vi generationis, ſed gratuita voluntate Dei, quandiu nullus tranſgreſſus fuiſſet *Cauſa peccati originis.* *Eccle. 7.*

eius mandata. Cùm itaque Adam, non ſolùm tota tunc eſſet natura hu-
mana, verùm ſementis, ſeminatioq́. ipſius, vt in cuius lumbis totum genus
latebat humanum; tranſgreſsione illa primi præcepti, ſub mortis inter-
minatione toti naturæ poſiti, totam ſecum naturam vitiauit, in mor-
temq́. ac mortalium miſerias adegit. Vnde beatus pater Auguſtinus, Hy-
Tom. 7. pognoſticon lib. 2. inquit: Adam factus eſt abſque peccato natura; cùm ve-
rò peccauit homo, natura peccauit, & facta eſt natura iam peccatrix. Et
ſub finem addit: Peccatum ergo protoplaſti omnes trahimus, non motum
imitatione, ſed ſeminis conceptione, ſicut ſcriptum eſt: Ecce enim in ini-
Pſal. 50 quitatibus cõceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Et D. Tho.
, 1. 2., q. 81. ar. 1. ait: Secundùm fidem catholicam, primũ peccatum primi
hominis, originaliter tranſit in poſteros; ob idq́. pueri mox nati, ad bap-
tiſmum deferuntur, tanq̃ ab aliqua culpa abluendi; oppoſitumq́. eſt hæreſis
Pelagiana. Explicare autem qualiter tranſeat in alios, multum faceſcit ne-
Quomodo gotij. Sunt in hac parte varij varia loquentes, at nobis ſufficiat vnicum
peccatum D. Apoſtoli teſtimoniũ; qui ad Romanos cap. 5. rem ipſam quamoptimè
originale explicare videtur, cùm ait, Adam geſsiſſe formam futuri Chriſti. Ex eo
transfun-
datur. nanque, culpæ Adæ & gratiæ Chriſti, optimè relucet antitheton, cùm
de Chriſto benedicto, ad baptiſmatis aquam accedente, ait Pater coele-
Matt. 3. ſtis; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ac ſi diceret:
Hic eſt filius meus dilectus, conſubſtantialis, coæternus, naturalis & vni-
cus. Dilectus, inquam, quoniam quatenus Deus, illum diligo amore infini
to, & æterno, ſicut meipſum. Secundùm verò humanitatem aſſumptam, di-
ligo eum magis q̃ totum vniuerſum; quia maius bonum contuli illi ſo-
li, q̃ totis creaturis ſimul; nempe perſonalem vnionem cum Verbo, & gra-
tiam ſine menſura. In quo mihi complacui, & in quo voluntas mea im-
plebitur, quantùm ad reparationem generis humani. Hic non eſt pecca-
tor; vt vos putatis; ſed filius eſt Dei. Columba, quæ ſine felle eſt, oſtendit
ꝙ hic humilis IESVS caret felle peccati. Et hoc dixi in eius baptiſmo,
vt noſcatis ꝙ in baptiſmo efficitur homo filius Dei adoptiuus. Propte-
rea quemadmodũ Adam fuit, in quo vno, tota eius gens, & natio mihi di-
ſplicuit, quæ ſibi naturali ſucceſsit generatione; ita hic eſt filius meus di-
lectus, in quo vno, quotquot baptiſmate in ipſo regenerati fuerint, in gra-
tiã mihi reconciliati, placebunt. Vnde ijs aſtipulatur Apoſtolus Paulus, in
memorato loco, dicens: Sicut per inobedientiã vnius hoĩs, peccatores cõ-
ſtituti ſunt multi, ita per vnius obeditionẽ, iuſti conſtituentur multi. Qua-
re oẽs in Adã peccaſſe, nil aliud eſt, q̃ naturã noſtrã, ob ſuæ culpæ par-
ticipationẽ, ingratam, inuiſamq́. Deo eſſe. Et idcirco tota eius natio & ſo-
boles naſcimur filij iræ. Veluti in Chriſto iuſtificari, eſt, ꝙ ob eius gratiam
nobis participatam, oẽs ſumus Deo grati. In quo propterea renaſcimur
filij miſericordiæ. Illo itaq. Adæ peccato peccauimus oẽs; quandoquidẽ
dũ animã recipimus, nõ peccamus; ſed concipimur in peccato. Nequidem
dicendus eſt quis originaliter peccare, ſed cum natura peccatum origi-
naliter trahere. Neque negandum eſt, peccatũ Adæ eſſe illud, quod con-
trahimus. Id tamen fit per hoc, quòd reatus ille peccati relictus eſt in

natura, quæ in Adam peccauit. Et propterea vt omnes trahimus naturam ab Adam, ſuam quiſque propriam recipiendo, ita & omnes contrahimus peccatum eius, per hoc quòd in ſingulis eſt deuiatio illa, & obliquitas animi à Deo; qua proinde cuncti contagione culpæ ſic inficimur, vt ſingulas ſinguli contrahamus maculas. Tametſi reatus ille in nobis non ſit poſitiua qualitas; quod ad ſuum attinet formale; ſed mera priuatio iuſtitiæ. Quapropter cùm in remiſſione originalis, nobis gratia reſtituatur in ordine ad Deum; non tamen vires inferiores in ordine ad rationē; optimè dicebat D.Tho., quòd in baptiſmo reſtituitur iuſtitia originalis, tantùm quò ad formale. Eadem igitur ratione, per generationem qua natura propagatur, traducitur & reatus idem. Atque adeò vt ſuam quiſque recipit indiuiduam naturam, ita & ſuo inficiatur reatu, quo naſcitur formaliter peccator. Nec aliud quicquam eſt, animam infici carni aduenientem, quàm cum ipſo corpore per generationem Adæ coire ad compingendam, & componendam naturam, quæ fuit in ipſo vitiata. Vnde falſum eſt quod nonnulli comminiſcuntur, nimirum quòd morbida quædam in generatur qualitas carnis, qua anima dum infunditur, deturpetur. Doctrina eſt ſubtiliſsimi Dominici Soto; quæ mihi certè ſemper arriſit; eo maximè, quia ei fauere videtur D. pater Anſelmus, de conceptu virginali, cap. 5., per totum. Nec obſtat quod dicunt nonnulli; ꝙ ſcilicet ſi anima illa quæ creatur in corpore, crearetur extra corpus, & nihil vltra ſibi daretur, q̃ datur cùm corpori infunditur, non diceretur originale habere peccatum, immo pura & innocens. Quare, inquiunt, intelligere oportet, ꝙ aliquo modo corruptio redundet in animam ex carne. Hoc, inquam, non obſtat; quoniam tunc anima illa extra corpus creata, non haberet relationem ad corpus, nec concurreret ad componendam naturam.

Tom. 1.

Quomodo anima inficiatur.

Tom. 3.

Quomodo autem per voluntatem tunc Adæ omnes peccauimus, optimo exemplo dilucidat S.Tho., 1.2., q.81., ar.1., ſub his verbis: Omnes homines qui naſcuntur ex Adam, poſſunt conſiderari vt vnus homo, prout omnes in natura conueniunt, quam à primo parente accipiunt; ſicut in ciuilibus, oēs homines vnius cōmunitatis, reputantur quaſi vnum corpus, & tota cōmunitas, quaſi vnus homo. Sic ergo multi homines deriuati ſunt tanq̃ mēbra vnius corporis ab Adam. Sed actus vnius mēbri corporalis, vt manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus; immo volūtate animæ, quæ mouet manū. Vnde homicidiū non imputatur manui, ſi cōſideretur ſecundùm ſe diuiſa à corpore; ſed quatenus eſt aliquid hoīs, quod mouetur à primo principio, hoīs motiuo. Sic ergo inordinatio quæ eſt in hoc hoīe, ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parētis; qui mouet generationis motione oēs, qui ex eius origine deriuantur, prout voluntas animæ mouet oīa membra ad actū. Hactenus D. Thomas. Cuius quidē exemplū à quibuſdā impugnatur; ſed re verà non eius ſenſū bénè percipiunt. Arbitrantur n. Sanctū Doctorē velle, illud exēplū in oībus currere; at nihilloſecius ſat fuit ei, ex illo oſtendere nō eē impoſsibile aliquē eſſe formaliter peccatorē, licèt propria nō peccauerit volūtate. Ex hac doctrina optimè cōſtat, quomodo aīa intellectiua ſit infecta

peccato originali, licèt non traducatur. Id quod ex D. Tho. habuimus ſuperius; huius nempe ſectionis cap. 6. Eſt igitur peccatum originis verè & propriè peccatum; ita vt quilibet, ſuum proprium, cum natura contrahit ſibi propria; veluti ex Apoſtolo ad Roma. 5., in ſuperioribus habuimus, & ex Concilio Tridentino, ſeſsio. 5., cano. 2. & 4.

Quòd ſi eſt verè & propriè peccatum, quòd etiam ſit voluntarium, ſit neceſſariò conſequens. Idcirco diuus pater Auguſtinus, retractationum Tom. 1. lib. 1. cap. 13. ait: Vſqueadeo peccatum voluntarium malū eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtantur libero arbitrio voluntatis, nō abſurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractū, factum eſt quodāmodo hæreditarium. Ita Auguſtinus, paucis interpoſitis. Quo fit, vt huiuſmodi peccatum nō ſit propriè noſtrū ex parte cauſæ, cùm non ſit noſtra voluntate commiſſum. Id quod optimè declarat Auguſtinus ſanctiſsimus, de peccatorū meritis & remiſsione, lib. 3., cap. 7., quemadmodum in ſuperioribus expoſuimus; huius videlicet libri cap. 6., in diſſolutione tertij argumenti maledicti Pelagij. Quo loci, diximus etiam peccatū originale eſſe propriè noſtrum ex parte ſubiecti; quia propriè ineſt oībus. Vnde licèt nō habeat directè rationem culpæ perſonalis, habet nihiloſecius ratione culpæ naturalis. Eapropter D. Au-Tom. 5. guſtinus de Ciui. Dei lib. 13. cap. 14., inquit: Deus n. creauit hoīem rectū, naturarū author, non vtiq. viciorū, ſed ſponte deprauatus, iuſteq. damnatus, deprauatos, damnatoſq. generauit. Oēs enim fuimus in illo vno, quādo oēs, ille vnus corrupit, qui per foeminā lapſus eſt in peccatū, quæ de illo facta eſt ante peccatum. Nondū erat nobis ſigillatim creata & diſtributa forma, in qua ſinguli viueremus, ſed iam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur. Qua ſcilicet propter peccatū vitiata, & vinculo mortis obſtricta, iuſteq. damnata, non alterius conditionis homo ex hoīe naſceretur. Hucuſque ille locutus eſt pater. Quia igitur ab illo vno ſumus omnes propagati, & in illo vno eſt omnium noſtrum voluntariè natura deprauata, illa voluntaria naturæ deprauatio, debet omnibus nobis naturaliter imputari; vt omnium noſtrum natura, dicatur voluntariè deprauata; quia erat aliquo modo virtualiter, & ſeminaliter in ipſo Adamo; qui eam voluntariè deprauauit. Verùm quia deprauata natura, fit conſequens, vt etiam deprauetur perſona; iuxta huiuſmodi deprauationem, eſt in nobis alius ordo, ab eo qui fuit in Adamo. Prius enim fuit voluntariè in eo deprauata perſona, ex qua poſtea voluntate, fuit deprauata natura.

Quamobrem natura noſtra, quam ex Adamo ſeminaliter conſequimur, poteſt dici voluntariè deprauata, qua quidem deprauata, quælibet deprauatur perſona, ex ipſo Adamo originem trahens, naturamq. talem ſuſcipiens. Vnde, inquit dominus Aegidius, ſi quis cōquer[a]tur de Deo, quia cùm non iniquè egerit, hoc ei imputatur ad culpam; poſſet vtiq. Deus reſpondere: Ego ipſi Adæ naturam contuli, originali iuſtitia præditam; & hanc ei non contuli, vt ſingulari perſonæ, ſed volui capiti totius humani generis; quam in omnes poſteros debebat naturaliter transfundere. Idem

dico de

dico de natura, qua omnes eratis in eo; hanc itaque quia ipſe voluntariè infecit, omnes ab ipſo originaliter, vel ſeminaliter deſcendentes, accipitis naturam infectam; & quoddam contrahitis peccatum, quandamúe culpam naturalem. Et quia natura infecta, inficitur perſona; idcirco huius & illius perſona, quatenus ab ipſo Adam originem trahit, poteſt dicere cum magno Propheta: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea. Psal. 50. Peccatum namque originis eſt radix omnium iniquitatum; vt aliàs explicuimus, & fuit in Adamo perſonale, & in nobis originale. Perſonale in eo, quia illud propria voluntate commiſit. Originale in nobis, quia ab eo originem trahimus, qui vltrò & voluntariè peccauit. Vnde nõ dicimur originaliter peccare; ſed peccatum originaliter trahere cum natura; veluti ſupra etiam diximus. Et hoc ideo, quia eſt peccatum naturæ in nobis, non perſonæ. Et huiuſmodi diuerſitas fuit in cauſa vt multi fuerint decepti theologi, cæteroquin excellentiſsimi. Aliter enim accidit peccatum in ijs quæ ad naturam attinent, aliterq́ in ijs, quæ ſpectant ad perſonam. In ijs, quæ perſonam reſpiciunt, ſola propria voluntate committitur peccatum. At ſi quod eſt peccatum pertinens ad naturam, nullum ſequitur incommodum, ſi dicatur quod traducitur de vno in alterum, quemadmodum & ipſa natura. Eapropter quatenus illud peccatum priuauit Adam bono perſonali, eatenus erat peccatum perſonale, & propriam illius hominis voluntatem requiſiuit. Cæterùm prout omnem naturam priuauit iuſtitia originali, peccatum dicitur & eſt totius naturæ; & idcirco voluntatem requiſiuit primi parentis, veluti capitis, & vicem habentis totius naturæ. Vnde aduerſus Gentiles lib. 4. cap. 52. inquit D. Tho., quòd inuenitur voluntarium huiuſmodi peccatum voluntate primi parentis, quemadmodum & actio manus rationem culpæ habet ex voluntate primi mouentis, quod eſt ratio: vt ſic æſtimentur in peccato naturæ diuerſi homines, quaſi naturæ communis partes ſicut in peccato perſonali diuerſæ vnius hominis partes. Secundùm hoc igitur verum eſt dicere, ꝙ vno peccante, omnes in ipſo peccauerunt; veluti dicebat Apoſtolus; non ꝙ eſſent actu in ipſo alij homines, ſed virtute, ſicut in originali principio. Nec dicuntur in eo peccaſſe, quaſi aliquem actum exercentes, at quatenus ad ipſius pertinent naturam, quæ per peccatum corrupta eſt. Vnde optimè dictum eſt ex D. patre Auguſtino, & ex beato Thoma, ꝙ huiuſmodi defectus habet rationem culpæ in oĩbus, qui ab Adã ſeminaliter deſcendunt, rõne voluntarij peccati ipſius Adami, ex quo proceſsit, quatenus vnuſquiſq. conſideratur vt mẽbrũ totius ſpeciei humanæ, cuius quidẽ caput eſt ipſe Adam. Quapropter diui doctoris comparatio inter huiuſmodi defectum, in prolem traductum, & manus actionẽ, à quibuſdam ineptiſsimè reprobatur; cùm non animaduertunt illã tantùm tenere, & habere locum, quantùm ad hoc; ꝙ ſicut actio manus habet rationẽ culpæ, prout eſt hominis inſtrumentũ, motũ à primo principio motiuo exiſtẽte in homine, nempe à voluntate, quæ tamen non eſt in ipſa manu; ita & defectus naturæ, in hanc prolem per generationem deueniens, habet rationem culpæ, quatenus hic homo genitus, eſt pars naturæ humanæ, in quã

huiuſmodi peccatum peruenit voluntate primi parentis, voluntariè peccantis. Et ita conſtat quòd tale peccatum in hoc & illo homine dicitur voluntarium eſſe, non propria voluntate ſimpliciter, ſed aliena. Licèt poſſit aliquatenus dici propria voluntate voluntarium, quoniam cùm ſit pars multitudinis humanæ, ipſius primi hominis voluntas, poteſt quoquo pacto vniuſcuiuſque dici voluntas, quod ad ea attinet, quæ ad naturam pertinent. Sit modò hæc determinatio circa materiam de peccato originis, in qua ſecuti ſumus & imitati Sanctiſsimos & doctiſsimos patres. Quorum quidem authoritas longè præſtat dictis Lutheri, Caluini, Kimnitij & conſimilium aliorum. Si quis tamen ex noſtris, apud aliquos doctores theologos & catholicos legerit, peccatum originale non eſſe verè culpam in nobis; mox nouerit illud eſſe reiectum, & tanq̃ hæreticum reprobatum in Concilio Africano, c. 77. & in Concilio Tridentino, ſeſſio. 5. canone. 2. Nos itaque ad liberum redeamus hominis arbitrium.

Vt authoris facilius habeatur intentio, variæ de libero hominis arbitrio hæreſes recenſentur. Cap. 15.

HAVD mihi animus eſt in præſentiarum, atque in hoc libro, integram de libero hominis arbitrio diſputationem habere; tum quia latiſsima eſt, tum quia alijs retroactis temporibus, hunc articulum doctores peregregij vberrimè diſſeruerunt. Atqui ſat erit de eo ſermonem habere, quatenus & noſtro deſeruit principali inſtituto, & ad oſtendendum valet, quàm ſanctum ſit decretum Sacroſancti Concilij Tridentini, ſeſsio. 6. cap. 5. & cano. 4. deſcriptum. Quod vt clarius euadat, operæprecium me facturum ſum arbitratus, ſi antiquæ liberi arbitrij hæreſes, ex parte enarrentur.

Mathematici. Sciant igitur in ſacra pagina iuniores, quòd Mathematici quidam inſurrexerunt, qui ita liberum hominis arbitrium, ac Dei gratiam obliterarunt, vt cuncta, ſiue bona, ſiue mala, ſoli fato perpetuò aſcriberent. Horum meminit D. pater Auguſtinus, de Ciuitate Dei lib. 5. cap. 1. & 2. eosq́. inter hæreticos adſcriptos eſſe, teſtatur Prateolus, lib. 11. cap. 21. quo loci, ex Philaſtrio, Brixienſi Epiſcopo, vaniſsimos, totiusq́. erroris & ſceleris adſertores appellat.

Manichæi Poſteà ex Perſiæ regionibus, anno à Chriſto nato. 273. Aureliani Imperatoris, & Felicis, huius nominis primi Papæ temporibus, quidam Manes ortus eſt, ſiue Manis, quem in Græcia diſcipuli eius, vitantes nomen inſaniæ, quaſi doctiores, & eoipſo mendaciores, geminata (n) litera, Mannichæum, quàſi manna fundentem, pro Manichæo, ideſt, inſano, appellauerunt; diuo atteſtante Auguſtino, de hæreſibus, hæreſi. 46. Idq́. fecerunt, quò rudiores, verbi lenocinio ad ſe pertraherent. *Tom. 6.* Vir igitur iſte vita & moribus Barbarus, duodecim aſſumpſit diſcipulos, & multas prædicauit hæreſes; ab eoque Manichæorum ſecta originem traxit.

Principium & fundamentum doctrinæ iſtius maledictæ ſectæ, fuit duos Deos eſſe; alterum quidem bonum, alterum verò malum; vtrunque tamen æternum. Contendebant, inſuper, peccata non poſſe vllo pacto vitari, ſed ea ex mala mente proficiſci. Duas enim in homine dicebant eſſe mentes, ſiue animas; vnam bonam, alteram malam, easq. inter ſe habere conflictum, quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Bonam volebant eſſe à Deo, eamq. perpetuò bonum velle; & erat illa, quam nos appellamus animam rationalem. Malam verò, illam videlicet, quam nos carnis vocamus concupiſcentiam, à malo principio, ſiue à malo Deo Satana immiſſam aſtruebant, illamq. omni tempore malum eligere. Peccata igitur quæ in homine fiunt, à mala anima procedere volebant, & propterea non poſſe per liberum arbitrium impediri; ideoq. liberum arbitrium non poſſe iuuare ad ſalutem. Item peccata nolebant eſſe à libero arbitrio, ſed à Dæmone. Quinimmo nullam prorſus voluntati actionem tribuebant, nequidem adiuuante Spiritu Sancto; quaſi nihil intereſſet inter ſtatuam, & voluntatem. Nullam igitur ponebant in homine potentiam liberam ad vtrumlibet, ſed vtramque animam pari neceſsitate omnia operari. Vnde Chriſti gratiam, quæ veterem hominem in nouum conuertere poteſt, excludebant omnino; quaſi immutabiliter eſſent omnia creata; contra illud Apoſtoli, 1. Corinth. 15. Gratia eius in me vacua non fuit. Hanc hæreſim progreſſu temporis damnare elaborantes Sancti Eccleſiæ patres, omiſsis diuinæ gratiæ laudibus, liberum arbitrium in homine, multis argumentis ſtatuerunt.

Quocirca tēporibus Innocentij, huius nominis primi, Summi Eccleſiæ Romanæ Pōtificis, & Archadij Imperatoris, circa annum Domini 405. quidam Monachus, nomine Pelagius, ex magna Britannia oriundus, animaduertens quòd Sanctiſsimi patres, & Romanæ Eccleſiæ doctores, liberi arbitrij perſæpe meminiſſent, gratiæ verò laudis non item; vt magnificam aliquam in ſeculo laudem ſibi pararet, ita liberum arbitrium in homine adeſſe confirmauit, vt diuinæ gratiæ poſtremum locum relinqueret, eiusq. hoſtis eſſet, ac oppugnator acerrimus. Illud minimè perpēdens, quòd nihil diuinæ gratiæ detraxerant Sancti Eccleſiæ patres; at quando cum Manichæis concertabant, & litem habebant, illam aliquando eam ob cauſam prætermiſiſſe, quia tunc quid ageret gratia, minimè erat in controuerſia; at magis, an eſſet in homine liberum arbitrium. Aduerſus hunc virum multa ſcripſit varijs in locis, diuus pater Auguſtinus. *Pelagius.*

Qui etiam de gratia & libero arbitrio, cap. primo, quendam recenſet Valentinum, qui in quadam Congregatione, ſeu monaſterio, aliquibus præerat monachis, in Africa; inter quos orta eſt lis de gratia & libero hominis arbitrio. Quidam enim ex eis animaduertentes quantum gratiæ Dei aduerſus Pelagianos tribuerent ſancti patres, ita gratiam extollere cœperunt, vt liberum penitus tollerent arbitrium. Vnde beatus pater ſcribens, hoc eos in ſumma docet; ſic liberum arbitrium ponendum, vt nihil diuinæ gratiæ detrahatur; & quia Dei gratia, illa eſt qua vocamur *Valentinus. Tom. 7.*

ad Deum,

ad Deum, & à malis meritis noſtris liberamur, & per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam perueniamus æternam, meritò, iureq́; optimo ei primum locum tribuere debemus; ita tamen, vt libero arbitrio nihil adimamus. Et inter eoſdem monachos ortus eſt alius error, non longè ab hoc diſtans, nimirum quòd cùm ſola ſit gratia Dei, qua valemus vitare peccata, quaſi vi quadam collabimur, & delinquimus, & ideò non ſunt peccatores corripiendi, ſed Deus pro illis orandus. Quam hæreſim idem Auguſtinus refutauit, libro quem edidit de correptione & gratia.

Tom. 7.

Acceſsit poſtea tempore Caroli. 4. Germani Cæſaris, & Clementis. 6. Summi Romani Pontificis, circiter annum domini. 1352., Ioannes Vuicleffus, natione anglicus, profeſsione ſacerdos ſecularis, & artium magiſter, qui liberum hominis arbitrium prorſus adimendo, omnia ſtatuit, abſoluta euenire neceſsitate.

Ioannes Vuicleffus

Huic ſucceſſerunt Hieronymus de Praga, & Ioannes Huſs, vterque Bohemus; qui idem quod modò diximus, & alia quampluſima contra Eccleſiam Romanam, obſtinato, obfirmatoq́. animo aſtruentes, in Conſtantienſi Concilio, habito ſub Sigiſmundo Cæſare Germano; & Ioanne, huius nominis vigeſimotertio, Summo Pontifice, anno à Chriſto nato, 1414., fuerunt exuſti, 1416. Iſti enim dicebant, omnia neceſsitate fieri abſoluta, neque poſſe aliter fieri, q̃ fiunt; ideoq́. ſuperfluas & inutiles fore orationes, quæ ad Deum mittuntur. Aduerſum Ioannem Vuicleffum, & huiuſmodi eius aſſeclas, optimè ſcripſit Thomas Vvaldenſis, anglicus, Carmelitici inſtituti doctor egregius.

Hieronymus de Praga.

Demum poſt multas aliorum à catholica, atque Romana Eccleſia diſceſsiones, Martinus extitit Lutherus, natione Germanus, patria Iſlebienſis, Saxo; qui poſt iuris ſtudium, ſub inſtituto fratrum Eremitarum diui Auguſtini viuere decreuit. Cæterùm ab eodem ſuo patre Auguſtino degenerans, non Chriſti amore, (veluti in epiſtola ad Argentinenſes, claris verbis profitetur ipſe) ſed Papæ odio inflammatus, Maximiliani Cæſaris, Germani Imperatoris, & Leonis decimi huius nominis, ſummi Romani Pontificis temporibus, circa annum Domini. 1517., ſummus hæreſiarca euaſit. Vnde tot ſunt peruerſa peruerſi Lutheri dogmata; inquit Prateolus; vt vix ſit res vlla ad fidem, aut probos mores ſpectans, de qua impiũ aliquid non docuerit. Quod vt magis & facilius præſtare poſſet, deſpecto religionis ſanctiſsimo voto, mox inter eum & alios, cuiuſcunque ſtatus & conditionis, magna eſt inſtituta amicitia. Ocioſi enim ſunt eum beneuolentia complexi, quoniam dicebat, in omni opere bono iuſtum peccare, & opus quantumuis bonum, eſſe veniale peccatum. Ex quibus inferebat, opera noſtra bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem. Omnibus neceſsitudinis cauſis maximè his coniunctus erat, qui rei familiaris amplificandæ cupiditate vehementer ardebant, quia diem feſtum minimè ſanctificandum aſſerebat. Homicidij reis, Graſſatoribus, Peculatoribus, & cuiuſque generis furibus, Raptoribus, atque Concubinarijs optimè fauebat; ſacramentalem adimendo confeſsionem. In obſtinatos ſtudium

Lutherus.

conferebat,

conferebat,quoniam dicebat,Excommunicationes eſſe duntaxat pœnas externas,eaſq́.plus diligendas,q̃.timendas. In ſuam ipſius ſententiã, dominos traxit temporales,quando Eccleſias,monaſteria, necnon,& res Eccleſiaſticas,in eorum ditionem eſſe uolebat; illiſq́. perſuadebat,vt bonã Eccleſiaſtica diriperent. Quod in multis Germaniæ ſuperioris,& Galliæ oppidis factum eſſe per ſuos aſſectatores, nemo non nouit. Eum impensè diligebant auari, quia legata & vota omnino tollebat. Heluones,Lurcones,atque Guloſos ſuos fecit,quoniam dicebat ieiunium nullius eſſe meriti apud Deum. Sua peſtilentiſſima & Satanica doctrina,omnes inter concionandum ad ſuam ſcholam euocare contendebat; aſſerens ſcientias omnes, quas vocant ſpeculatiuas, errores eſſe dicendas. Peruerſos ad ſe trahebat religioſos,liberam tribuens eis poteſtatem exeundi è monaſterijs, & vxoris ducendæ, ſi velint. In hominum carnalium animum inducebat, nullum eſſe liberum arbitrium, vt eos magis ad libertatem traheret carnalem. Vnde ait: Liberumq; arbitrium poſt peccatum, res eſt de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

Hanc eandem ſententiam & hæreſim inſecutus eſt Ioannes Caluinus, natione Picardus, patria Nouidunenſis, huius noſtri ſeculi ſummus hæreſiarcha; qui emerſit Caroli quinti Imperatoris Germani, & Pauli tertij huius nominis, Summi Romani Pontificis, temporibus, circa annum Domini, 1534. Itaque Dei gratiam cum Valentini monachis extollunt, vt liberum arbitrium, ad bonum præſertim, omni tempore hominibus adimant, maledicti iſti viri; quos, omnes Germaniæ huius noſtræ ætatis Proteſtantes pertinaciter imitantur; eamq́. ob cauſam, Auguſtiniani videri, & haberi volunt. Quòd igitur poſt peccatum primi parentis, adhuc in homine inſit propriè & verè liberum arbitrium, aduerſum hanc hæreſim demonſtrare intendimus; eorum tamen qui eam ſequuntur, rationibus præmiſsis, & fundamentis. Caluinus.

Sacroſancta Romana Eccleſia de libero hominis arbitrio decretum, necnon Martini Lutheri, eiuſq́. diſcipulorum, aduerſus eum rationes & fundamenta enarrantur.

Cap. 16.

QVIA in ſuperioribus polliciti ſumus nos oſtenſuros, q̃. pium & ſanctum fuerit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, de libero hominis arbitrio decretum; vt omnia exactiùs tyrones percipere queant, in fronte iſtius capitis, illud adſcribendum duximus. Seſsione igitur ſexta, capite quinto, ita ſtatuit, atque decreuit Sacroſancta Tridentina Synodus: Declarat, præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adultis, à Dei per Chriſtum IESVM, præueniente gratia ſumendum eſſe; hoc eſt,

ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur. Ita vt tangẽte Deo cor hominis, per Spiritusſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam abiicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei, mouere ſe ad iuſtitiam coram
Zachar. 1. illo libera ſua voluntate poſsit. Vnde in ſacris literis cùm dicitur: Con-
Ioel 2. uertemini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur;
Thren. 5. cùm reſpondemus: Conuerte nos, Domine, ad te, & couertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur.

Et ibidem, canone quarto ita legitur: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quò ad obtinendam iuſtificationis gratiam, ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereq. paſsiuè ſe habere; anathema ſit.

Poſthabito nihilominus IESV Chriſti Seruatoris noſtri bonore & cultu, à virtute maiorum ſuorum deflexit Martinus Lutherus, ita vt impudenter & ore duriſsimo, aduerſus catholicam veritatem, in hæc proruperit verba: Liberum arbitrium poſt peccatum, res eſt de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Infelix liberum arbitrium, iuſtus in bono opere peccat mortaliter; vt videmus, & ipſum iactatur ante iuſtitiam aliquid eſſe & poſſe. Eſt autem articulus nixus primò verbo Auguſtini
Tom. 3. de ſpiritu & litera, cap. 3.: Liberum arbitrium ſine gratia, non valet niſi ad peccandum. Rogo, quæ eſt iſta libertas, quæ non niſi in alteram partem poteſt, eamq. peiorem? Eſt hoc eſſe liberum, non poſſe niſi peccare? Sed Auguſtino nõ credam; Scripturas audiamus. Chriſtus dicit Ioan. 15.: Sine me nihil poteſtis facere. Quid eſt hoc, nihil, quod ſine Chriſto facit liberum arbitrium? Preparat ſe, inquiunt, ad gratiam, per opera moraliter bona. Sed ea Chriſtus hic facit nihil; Ergo per nihil ſe præparat. Mira præparatio, quæ per nihil fit.

Verùm quòd illud nihil ſit, ipſe frequenter exponit, dicens: Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligunt eum, & in ignem mittunt, & ardet.

Chriſtum ergo audiamus, qui palmitis excíſi ponit quinque perditionis gradus; quibus oſtendit eum, ſe non modò non poſſe ad bonum parare, ſed neceſſariò peiorem fieri.

Primus eſt, quòd foras mittitur; ergo non intromittitur; datur in poteſtatem Satanæ, qui non permittit eum conari ad bonum. Quid enim aliud, foras mittere, poteſt ſignificare?

Secundò, areſcit; hoc eſt, quotidie peior fit, ſibi relictus. Atque hæc ſunt opera duo liberi arbitrij: ſcilicet peccare, & perſeuerare, augeſcereq. in peccatis, foras mitti, & areſcere. Si enim aliud poteſt liberum arbitrium, Chriſtus certè mentitur.

Tres

Tres ſequentes,pœnæ ſunt;colligunt,ſcilicet ad iudicium,vt conuincatur cum alijs;deinde data ſententia,in ignem,mittunt æternum.Vbi tādem non niſi ardet; id eſt,poenam luet æternam.

Nihil ergo poſſe liberum arbitrium,non eſt;vt illi fingunt;non meritorium operari;ſed eſt foras mitti,& areſcere.Palmes excíſus non ſe parat ad vitem,neque enim poteſt; ſed longiùs fit à vite, & magis ac magis perit : ita & liberum arbitrium,ſeu impius homo.

Gene.6.&.8.:Senſus & cuncta cogitatio cordis humani,ad malum pro na ſunt omni tempore. Obſecro,qui cunctam cogitationem cordis malam facit,idq́. omni tempore; quam relinquit bonam,quæ præparet ad gratiam? An malum diſponit ad bonum?

Nec eſt quòd hanc authoritatem eludat quiſquam,quaſi cogitationē ſuam malam poſsit homo cohibere aliquando.Quæ enim cogitatio hoc facit, aut patitur, vtraque bona eſt; ſed inter eas quæ cunctæ dicuntur, non numerabitur.Si vna bona in eo eſſe poteſt,mentitur Moſes,qui cunctas malas eſſe affirmat.

Inſuper textum hebræum ſic referre licet. Quoniam quicquid cupit, & cogitat cor hominis, ſolummodo malum eſt, omni die, additur enim particula excluſiua, ad malum, quam noſtra tranſlatio non reddidit. Nec verbum, cupit, reddidit; nec plenè verbum, cogitat, ſeu cogitationem vertit. Vult enim Moſes, non modò ocioſas & ſpontaneas, ſed etiam ingenioſas, & eas, quibus homo de induſtria cogitat, aliquid facere; atque has etiam non niſi malas dicit; vt nihil faciant Pelagiani iſti,qui libero arbitrio tribuunt, ſi ſtudioſè laboret, ad bonum aliquid valere.

Iterum,Gene.6.: Non permanebit ſpiritus meus in homine,quia caro eſt. Si homo caro eſt, quid poteſt in bonum? An ignoramus opera carnis propria, Gala.5., quæ ſunt, fornicatio, immunditia, laſciuia, iræ, inuidiæ, homicidia, &c.? Hæc ergo ſunt, quæ liberum arbitrium facit, dum facit quod in ſe eſt. Hæc autem omnia ſunt mortalia. Nam Roma.8.: Prudentia carnis mors eſt, & inimica Deo. Quomodo mors ad vitam, quomodo inimicitia ad gratiam ſe diſponet? Si enim ſpiritus in hominibus non manet, mortui ſunt coram Deo. Mortuus autem, non vitæ, ſed mortis opera neceſſariò faciet. Opus autem mortis, ad vitam non diſponit. Figmenta ergo ſunt omnia, quæ de præparatione liberi arbitrij ad gratiam, tot libris tractata ſunt.

Eſaias etiā dicit.40.cap.: Suſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Quid hic dicent? Gratiam dicit à Domino non dari, niſi pro peccatis, ſcilicet pro malis. Atque id quod dicit, omnibus, id ſignificat, quòd nihil niſi peccata fecerit ante gratiam; ſeu omnia opera eius, peccata fuerint. Si autem de manu Domini contingit ſuſcipere gratiam, pro operibus congruis, quæ peccata non ſint, falſum hic Eſaias dixit, & gratia Dei vileſcit; vt quam penitus indignis dedit; ſicut Pelagiani docuerunt; à quorum ſenſu, niſi ſolis verbis diſtamus. Siquidem & nos meriti gratiam; licèt non de condigno; prædicamus; quod & ipſi

concesſiſ-

conceſsiſſent.Neque enim gratiam Dei tam vilem habuiſſent,vt eam digno merito donari dicerent.

Idem Eſaias ibidem: Omnis caro foenum,& omnis gloria eius quaſi flos foeni.Exiccatum eſt foenum,& flos cecidit,quia ſpiritus Domini ſufflauit in illud; verbum autem Domini manet in æternum. Da foenum & florem eius.Nónne caro homo,ſeu liberum arbitrium,& quicquid eſt hominis? Flos eius & gloria,nónne eſt virtus,ſapientia,iuſtitia,liberum arbitrium vnde poſsit gloriari,aliquid eſſe,& poſſe? Qua ergo ratione fit, vt flante ſpiritu exiccetur,& cadat,& manente verbo pereat? Nónne ſpiritus eſt gratia,qua tu dixiſti liberum arbitrium iuuari,& eius præparationem conſummari? Cur ergo hîc exiccatum,& cecidiſſe dicit quicquid eſt etiam optimum carnis? Nondum vides ſpiritum,& liberum arbitriū eſſe contraria? Siquidem illo flante,hoc cadit,& non manet cum verbo. Non autem caderet,& periret,ſi ad flatum ſpiritus & verbi,aptum & præparatum eſſet.

Hieremias quoque.10.cap.ſic dicit: Scio,Domine,quoniam non eſt hominis via eius nec viri eſt,vt dirigat greſſus ſuos. Quid potuit apertius dici? Si via ſua,& greſſus ſui non ſunt in poteſtate hominis; quomodo via Dei,& greſſus Dei erunt in poteſtate eius? Via enim hominis eſt ea,quam ipſi vocant naturalem virtutem faciendi quod in ſe eſt. Ecce hæc non eſt in arbitrio hominis,ſeu liberi arbitrij. Quid ergo liberum arbitrium eſt,niſi res de ſolo titulo? Quomodo poteſt ſeſe ad bonum præparare,cùm nec in poteſtate ſua ſit,ſuas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur; vt Prouerbiorum cap.16. dicitur: Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; etiam impium ad diem malum.

Multa alia dicit Lutherus,quibus tanta Deum inſectatur blaſphemia, vt illum faciat omnium flagitiorum authorem. Demum concludit,liberū arbitrium potius titulum eſſe ſine re,quam rem de ſolo titulo.Item conſtantiſsimè,ſeu pertinaciter aſſerit,omnia de neceſsitate euenire abſoluta,iuxta Vuicleffi articulum,Conſtantiæ damnatum.Verùm quia in ſuperioribus,latè ſatis oſtendimus oppoſitum,nempe non omnia neceſſariò euenire;Et huius peſtilentiſsimi viri maledicti diſcipuli,poſtquam ſacris euidentiſsimis teſtimonijs, atque ſanctorum Patrum doctiſsimis monumentis deuincti ſunt;quòd habeamus liberum arbitrium in his quæ ſubiecta ſunt ſenſui,necnon & rationi naturali;vt plantare vineas,conſtruere domos,& id genus alia,cùm catholica veritate ſenſerunt;in operibus attamen gratiæ,illud omnino abnegant; quia,inquiunt,ſolus Deus totum facit,nobis merè paſsiuè recipientibus; idcirco,iuxta ea quæ polliciti ſumus,ſcopus erit noſter: Vtrum liberum arbitrium,gratia aſsiſtente diuina,ad bonum meritorium remiſsionis peccatorum,vitæq́. æternæ,habeamus. Sed vt res clarior euadat,quænam fuerit in hoc ſententia Caluini,videamus oportet.

De libero hominis arbitrio, ſententia enarratur Ioannis Caluini. Cap. 17.

SOLENT hæretici proteſtantes, cùm unam aliquam quæſtionem in manibus habent, externas quærere, ut inde ad extremum, omnes inexplicatæ, ac indiſſolutæ maneant. Nos itaque cum eis agendo, ordine ſeruato doctrinæ, omnia quæ principali noſtro deſeruiunt inſtituto, funditus aperiemus. Præſertim quia Caluinus in ſua Inſtitutione, pagina mihi .24., in ſuoq. Interim, pagina mihi .79., in doctores ſcholaſticos impudenter animaduertit, inquiens: Quis non excandeſcat, cùm tam arroganter de libero arbitrio ſcholaſtici garriant, tantulamq. rem adeo ſuperbo titulo conentur inſignire? Aut enim ſeruus peccati adhuc homo eſt, & fruſtra de libero arbitrio ſe iactat; aut à gratia liberatus, bonum operatur; & in vanum ſe iactat, quaſi de opere proprio. Quod non mirum, vt pro inueterata ſua conſuetudine, id perperàm homini aſcribant, quod ſumma cum humilitate, ſoli Deo tribuere debent. Vt igitur quinam eorum arrogantes ſint, nempe doctores ſcholaſtici, aut Caluinus, & eius aſſeclæ, magis ac magis appareat; futurum eſt, vt eius præmiſsis fundamentis, & concluſionibus; deinde ratiocinia, quibus innixus huiuſmodi ſuas diſſeminabat hæreſes, recenſeamus; omnibusq. reiectis, nullo penitus negotio pij lectores agnoſcant, qualis, quantaq. fuerit iſtius viri diabolica verſutia.

Primò itaque loco, profitetur ſe, Auguſtinum ſanctum, in materia de libero arbitrio, patronum habere, atque præceptorem. .1.

Secundò dicit, liberi arbitrij quæſtionem commodè intelligi nõ poſſe, niſi rei huiuſce veritatem hactenus incognitam, rurſum Spiritus reuelet. Vnde magis inſpirationibus, q̃ ſyllogiſmis, liberum arbitrium dignoſci poſſe, pro comperto habet. .2.

Tertiò, in Epiſtola D. Pauli ad Romanos, cap. 7., in verbo, Venundatus, inquit: Non minùs naturà, peccati ſeruum hominem eſſe aio, quàm empta mancipia, quibus heri, non ſecus ac bobus & aſinis pro libidine vtuntur. Quare equo & aſino ipſum hominem comparauit. .3.

Ob id, quartò, non vult tamen Deum hominem cogere, cùm in eo aliquid operatur boni; atqui perpetuò ab hominis voluntate coactionem excludit; veluti ipſe docet aduerſus Albertum Pighiũ, pagina mihi .66., in Inſtitutione cap. 2., & in prima ad Corinthios epiſtola, cap. 7. Vnde eã coactionem eſſe ait, quæ non ſponte ſua, nec interiore intellectionis motu, huc vel illuc inclinatur; ſed externo motu violenter fertur. Spontaneã autem voluntatem illam eſſe ait, quæ vltrò ſe flectit, quocunque ducitur, non autem rapitur, vel trahitur ultrò. .4.

Quinto loco, in Inſtitutione, cap. 2., & in Antidoto, ſeſsione .6., ait: Nos voluntatem in homine eſſe minimè negamus; ſed eam, liberam habere electionem, hoc inficiamur. Meminerimus ergò oportet, aliud eſſe voluntatem in homine, aliud liberam, boni ac mali electionem adeſſe. Sublata .5.

enim poſt lapſum primi hominis eligendi libertate, ſola voluntas relicta eſt; quæ ſub peccati tyrannide captiuata vſqueadeò tenetur, vt non niſi ad malum feratur.

.6. Vnde ſextò, in ſuo Antidoto, pagina mihi .166. & .167.; necnon & aduerſum Pighium, pagina mihi .88., & .89., dicit, quòd ſic per peccatum originale debilitati ſumus, vt voluntatis noſtræ vitium, non infirmitas, ſed prauitas ſit.

.7. Septimò, in ſua Inſtitutione, pagina mihi .36., & .37., docet, quòd deleta prima hominis voluntate quæ mala erat, bona à Deo ſubmittatur oportet; ita vt aboleatur quod ex nobis eſt; & quicquid ſubijcitur, à Deo fit. Et ita nouam voluntatem, deleta prima mala, in homine creari contendit: id quod aduerſus Pighium, pagina mihi .203., in hunc modum exponit: Voluntas ipſa, eſt ad volendum facultas; aut, ſi ita placet, ſubſtantia; malè, & benè velle, qualitates, ſeu habitus, qui in potentiam tranſeunt. Noui igitur habitus creantur, atque mutantur. Vnde non ſic animo concipio, inquit, fieri nouum figmentum, aut creaturam nouam, vt abolita ſubſtantia priore, noua ſuccedat. Voluntatem enim nominatim commemoro, ſicut eſt homini ab initio ingenita, ſemper manere. In habitu igitur, non in ſubſtantia eſſe mutationem aſſero.


.8. Addit, inſuper, octauo loco, in Pighium, pagina mihi .138. & .139., quomodo ſtante in homine neceſsitate, peccatum ei imputari poſsit, inquiens: Neceſsitati ſubiacere homines aio; ſed ei, quam primus homo propria culpa ſibi contraxit. Cùm ergo, inquit, neceſsitas peccati ſit poena vnde oriuntur peccata, meritò culpari, & eorum culpa meritò ea ratione poterit hominibus imputari, quia voluntarium eſt principium peccati.

Tom. 7. Sic enim de perfectione iuſtitiæ, ratiocinatione 15., Auguſtino placuit, vt dicamus: Si vitari poteſt peccatum, præſens voluntas hoc facit; ſi non poteſt, præterita voluntas hoc fecit.

.9. Quatuor poſtremò loco inducit, re ipſa diuerſa; quibus innixus, multas ſtruit chimæras, pro ſuo firmando conſilio. Sunt enim hæc: Spontè velle, liberè velle, coactè velle, neceſſariò velle. Vnde vult, quòd cum neceſſario concurrat ſpontanea voluntas; quæ propterea, neque coacta dicitur, quia ſponte accedit; neque libera, quia neceſsitate agit. In hoc Grammaticos inſequutus, qui dum etymologiam huius vocabuli, libertas, inquirunt, placet vt à verbo libet, & libero deſcendat. Quaſi per verbum, libet, coactioni opponatur; & per verbum, libero, ipſi ſeruituti. Quocirca, cùm non alibi ſtatuat peccati neceſsitatem, quàm in vitio voluntatis, quòd ſit ſpontanea ſequitur neceſſariò; inquit ipſe contra Pighium, pagina mihi .66. Vnde ibidem, pagina mihi .17., ait illos duntaxat naturæ affectus remanſiſſe, qui in hominem naturaliter cadunt. Et propterea electio quæ ſecundum naturam eſt, peccato Adami perdi non potuit. Et Inſtitutione cap. 2., liberum arbitrium in naturalibus, atque moralibus, ipſi homini, tametſi Deo viuat, tribuit, & aſcribit. Id quod voluit contra Lutherum, propter D. Auguſtini authoritatem,

Hypognoſticon lib. 3. qui ait: Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere; ſed tantùm in operibus vitæ præſentis, tam bonis, q̃ etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur; id eſt, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere induméta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diuerſarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitam; quæ omnia non ſine gubernaculo diuino ſubſiſtunt; immo ex ipſo & per ipſum ſunt, vel eſſe coeperunt. Tom. 7.

Vt igitur ad decipiendam plebem, argutics quaſdam habeat apparentes, vult iſte vir quod liberè velle, & neceſſariò velle, ſint contraria; Item coactè velle, & ſponte velle. Deinde vult, quòd ſponte velle, & neceſſariò velle, ſtent ſimul. Non autem liberè velle, & ſponte velle. Nequidem coactè velle, & neceſſariò velle: quemadmodum facilè patebit in ſubaſsignata figura; quam in iuniorum gratiam deſcribi voluimus.



Cæterùm ut cum catholicis optimè ſentire uideatur, contra Pighium, pagina mihi. 115., 116., 145., & . 194. angue his uerbis ſub herba retrudit; Fatemur, inquit, vtrinque laborandũ eſſe, atque certandum; neque nos inficiamur eiuſmodi eſſe certamen, quod & ſummam habeat difficulta-

tem;& maximos conatus;totumq́ hominem ſtudium requirat. Hoc tantùm quæritur, propriáne virtute militemus Deo, an ille ingenium, animumq́ manus, vires, arma, è coelo ſubminiſtret. Non quidem ſic loquor, quia nihil agamus ipſi; aut quia ipſius impetu, nullo voluntatis noſtræ motu ad opus feramur: ſed quia agimus acti ab ipſo; volumus, eo cor noſtrum dirigente; conamur, ipſo excitante; conando efficimus, ipſo vires dante; vt nos animata ſimus, & viua inſtrumenta, ipſe verò dux, & perfector operis; & denique mentem hominis fatemur videre, ſed illuminatam. Iudicium diſcernere, & eligere, ſed ſpiritus directione gubernatum. Cor eſſe voluntarium, ſed manu Dei informatum. Hominē ipſum & conari & agere, & ad Dei obſequium applicare ſuas facultates; ſed pro gratiæ menſura, quam accepit.

Ecce, pie lector, quàm verſutus ſit iſte vir; omnia enim in his ſuis dictis ſecundùm rectum ſenſum confiteri videtur; at ſi ab eo quæratur, quonā modo Dei & hominis cooperatiō procedat, mox apparebit fallacia; quoniam alibi pleno ore prædicat, ꝙ iſthæc, homo abſque neceſsitate minimè agit; quæ quidem neceſsitas, liberum penitus tollit arbitrium. Vnde illo verborū inuolucro, quod ſanctum in ſuperficie videtur, tegit quod diximus venenum. Quandoquidem contra Pighium, pagina mihi. 66., ait: Liberam voluntatem eſſe, ea ex ratione nego, quia propter ingenitam hominis prauitatem, ad malum neceſſariò fertur. Vnde colligerè licebit, quātum ſit neceſsitatis & coactionis diſcrimen. Neq. enim hominem dicimus inuitum trahi ad peccandum; ſed quia uitioſa ſit eius uoluntas, ſub peccati iugo teneri captiuam; ideoq. neceſſariò malè velle. Vbi enim ſeruitus, ibi neceſsitas. Ita Caluinus. Ex quibus facilè colligitur quod nos diximus. Quoniam id modò aperit, quod dolo in illo verborum inuolucro ſubticuit. Sed & ſuum fundamentum corroborare nititur, aduerſus Pighium, pagina mihi. 141., ex diuo patre Auguſtino, de Ciuitate Dei lib. 5.

Tom. 5. cap. 10., inquiens: Deum certè neceſſariò bonum eſſe, vno conſenſu oēs fatemur; & nihilo tamen minorem ex bonitate laudem conſequitur. Rurſum, diabolum neceſſariò malum eſſe dicimus; & nihilo tamen minus vitioſam eſſe eius malitiam aſſeueramus. Non quidem id eſt noſtrum commentum, ſed ante nos, ſic Auguſtinus, ſic & Bernardus locuti ſunt. Quare, inqt, voluntas ſtat cum neceſſario, & libertas excluditur. Verùm iam tempus expoſtulat, vt eius & inſequentium ratiocinia, quibus liberum homini arbitrium adimere contendunt, ad formam redigamus.

Rationes exponuntur Caluini & inſequentium, aduerſus liberum hominis arbitrium.

Cap. 18.

.1. PRIMA ratio cui innititur Caluinus ad tollendum liberū hominis arbitrium, initium habet ex authoritate Ezechielis, cap. 11. & 36.; quo loci dicit Dominus Deus; Dabo nobis cor carneum, & auferā lapideum.

lapideum. Mox Caluinus: Audi, auferam lapideum,& dic malam vo-
luntatem obliterari. Audi,dabo carneum,& dic nouam voluntatem bo-
nam creari. Quandoquidem cordis vox,pro voluntate & cogitationibus
vſurpatur; ita quidem,vt tunc cor rectum habeamus,quando omnia quæ
vult Deus, ipſe etiam homo vult; dicebat Auguſtinus in pſalmum cen-
teſimum.

Secundo loco arguit in hunc modum: Aliud eſt dona ſua ipſum Deũ 2.
afferre; aliud verò corda formare, flectere, dirigere, inclinare vt veli-
mus. Auguſtinus autem,libro de correptione & gratia,cap. 11., ſub finẽ, Tom. 7.
inquit: Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo
& perſeueranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam
velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo; vnum enim ho-
rum in illo fuit, alterum non fuit. Ecce quòd Auguſtinus apertè nobis
prædicauit,non talem eſſe gratiam Dei,vt cum Adamo bonum velle poſ
ſimus; ſed longè maiorem, efficientem vt velimus.

Arguit,inſuper,tertio loco tali pacto: Apud Ieremiam Prophetam cap. 3.
18. ita legitur: Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea,
domus Iſrael. Homo igitur vt materia tantùm ſeſe habet,ratione diui-
næ gratiæ.

Id quod etiam confirmatur D. Apoſtoli authoritate, ad Ephe. cap. 2.,
qui ait: Ipſius enim ſumus factura,creati in Christo IESV in operibus
bonis,quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus. Vnde Paulus; inquit
Caluinus; duo ſimul dicit. Primum,ipſius facturam nos eſſe in Chriſto
IESV. Deinde verò ſecundùm ſubiungit, Creati in operibus bonis.
Quid igitur aliud eſt creari, quàm nil ex ſe hominem ad benè volen-
dum habere? Immo potius, quia ſic creatus eſt, propterea bonum ope-
ratur. Eant ergo ſcholaſtici, qui voluntatem ad bonum, quæ ex homine
ſit, homini attribuunt. Hanc enim ob cauſam, libro. 10. Confeſſionum,
cap. 31., & alibi dixit Auguſtinus: Domine, da quod iubes, & iube
quod vis.

Aduerſus Pighium, pagina mihi. 224., arguit præterea ad hunc 4.
modum: Ego ſum vitis vera, vos palmites, IESVS inquit: Sicut
palmes non poteſt facere à ſeipſo fructum, niſi manſerit in vite;
ita neque vos,niſi in me manſeritis; quia ſine me nihil poteſtis fa- 5.
cere. Sola igitur diuina gratia omnia bona in nobis operatur.

Hæc ſunt argumenta quatuor Ioannis Caluini, quibus diſcipulis ſuis
idiotis, quò liberum arbitrium negarent, crebris concionibus perſuade-
re ſolebat. Sed & ijs addit argumenta Lutheri; quæ in ſuperioribus enar-
rauimus,vt quemadmodum aduerſus Sacroſanctam Romanam Eccleſiam,
eiuſdem Lutheri diſcipuli non deſinunt eadem crebrius repetere argu-
menta; ita & noſcant eandem Sanctam Romanam Eccleſiam, non unicã
tantùm, atqui plures ad ea refellenda reſponſiones habere. Vnde ſi qua
vtilia ijs quæ in Lutherum à doctiſsimis eius concertatoribus dicta fue-
re, noſtro labore addi poterunt, pij lectores, pia mente audire, minimè
dedignentur.

1\. Interim proſequar, aliorum huiuſce maledictæ ſectæ argumenta recenſendo. Priori ſiquidem ad Corinthios epiſtola, cap. 12., inquit Apoſtolus Paulus: Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Hanc igitur D. Apoſtoli Pauli doctrinam inſequentes, liberum hominis arbitrium, inquiunt, nos tutò negare contendimus. Si enim Deus, omnia in omnibus hominibus operatur, vbi eſt eorum libertas? Pugnant enim hæc adinuicem; nempe Deum omnia in omnibus operari, & quòd ipſi ſua cooperentur libertate propria.

2\. Quando; inſuper; in oratione dominica dicimus orando: Fiat voluntas tua ſicut in coelo & in terra; omnem voluntatem à nobis excluſam eſſe, palàm facimus: Nullum proinde ſequitur in homine liberum arbitrium.

Tom. 7. Id quod D. patris Auguſtini authoritate confirmatur, quando cap. 8. de correptione & gratia inquit: Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratià potius libertatem. Sola eſt igitur diuina gratia, quæ nos diſcernit. Vnde ad Corinthios epiſtola 2., cap. 3. inquit Apoſtolus: Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum; non quòd ſufficientes ſimus, cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

3\. Addunt poſtea aliam D. Apoſtoli Pauli authoritatem, ad Galatas 2., dicentes: Pauli certè verba hæc ſunt: Chriſto crucifixus ſum cruci. Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus. Quibus fit, vt ſic cùm operor, vel oro, me dicere oporteat; operor non ego, operatur in me Chriſtus; oro iam non ego, orat in me Chriſtus.

4\. Adhuc, Scholaſtici dicunt, liberum arbitrium in ſola potentia conſentiendi conſtare. Diuus tamen Apoſtolus ad Roma. 7. ait: Non quod volo bonum, illud operor. Cùm igitur homo à Deo motus, id actu non conſummat, quod mente vult, liber haudquaquam eſt.

5\. Amplius, Ezechielis cap. 7. ſcriptum eſt, omnem hominum cogitationem eſſe malam omni tempore. Liberum igitur hominis arbitrium non fertur niſi in malum. Quomodo itaque liberum?

6\. Item, Ioannis tertio capite legitur: Quod natum eſt ex carne, caro eſt: Liberum igitur non habemus arbitrium.

7\. Ad Romanos, inſuper, cap. 8. inquit Apoſtolus: Prudentia carnis mors eſt; quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta: Non igitur liberum habemus arbitrium.

8\. Rurſum, ad Philippenſes cap. 2., idem ait Apoſtolus: Deus operatur in nobis & velle, & perficere. Non eſt igitur in nobis liberum voluntatis arbitrium.

9\. Sed & Ioannis 6. dicit Dominus: Nemo poteſt ad me venire, niſi pater meus traxerit eum. Et Lucæ cap. 14.: Compelle eos intrare. Vnde concluditur non eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium.

10\. Pſalmo etiam quinquageſimo inquit Propheta: Cor mundum crea in me Deus; & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Item pſalmo 80. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Homo igitur non habet liberæ voluntatis

luntatis arbitrium. Sed omnia, quæ in illius conuerſione, cordiſq. immutatione geruntur, ſic à Deo fiunt, vt ab homine nihil fiat.

Poſtremò, concludendò placuit erratum inducere Philippi Melanctho nis, qui fuit princeps Lutheri diſcipulus. Is enim cùm vellet eſſe corrector, & moderator doctrinæ magiſtri ſui, qui liberæ voluntatis prorſus tollebat arbitrium, in viſitatione Saxonica, his verbis ſcripſit: Voluntas humana vis eſt libera, vt facere poſsit iuſtitiam carnis, ſeu iuſtitiam ciuilẽ, vbi lege, & vi cogitur, vt non furari, non occidere. Quia Paulus docet eſſe quandam iuſtitiæ partem, quàm caro coacta ſuis viribus faciat; Roma. cap. 2. Gentes natura faciunt, quæ legis ſunt. Quid autem faciunt, niſi ciuilem iuſtitiam? Exigit autem Deus iuſtitiam hanc, prima ad Timotheum cap. primo, Lex eſt iniuſtis poſita.

Sunt hæc ratiocinia, & fundamenta iſtorum hæreticorum, quæ ex varijs, diuerſiſq. eorum concertatoribus, non paruo labore excerpere potui. Futurum eſt igitur, vt videamus quid de ſacri Concilij Tridentini decreto, dicendum veniat; quò huiuſmodi maledicta hæreſis ſit à nobis nuper reiecta, & funditus euerſa.

Lutherana ſimul & Caluiniana hæreſis, contra liberum hominis arbitrium, pro defenſione fidei catholicæ, & Concilij Tridentini ſanctiſſimi decreti, diruitur.

Cap. 10.

OMNIVM hæreticorum illa eſt vna conſuetudo; rectè dicebat peritiſsimus, & in ſacra pagina doctiſsimus, Ioannes Driedo; ſemper venerandam contemnere ſanctorum patrum antiquitatem, veterem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ traditionem reijcere; multa coaceruare ſacrorum eloquiorum teſtimonia, & ex illis, ſingulares ſibi quaſdam colligere ſententias, aduerſum communem, & à tota chriſtiana ſchola receptam doctrinam; prætermiſsis ac tacitis alijs ſcripturarum locis, palàm demonſtrantibus ſententias, falſis ſuis ipſorũ interpretationibus contrarias. Quò igitur pij & catholici lectores, eorum verſutias, necnon & impijſsimas argutias noſcere, ſimul atque diluere queant, illud eis notandum propono, quòd videlicet quemadmodum in Deo, ſacrarum ſcripturarum authore, nulla inuenitur contradictio, nullumq. mendaciũ; ita ſcriptura ſacra eſt, tota veriſsima, ſibiq. omni ex parte conſentit, nec vnq̃ ſecũ ipſa pugnat; quare ei toti credendum eſt, nec eius partem aliquam, ſed totam omnino amplecti debemus. Nobiſq. ſummoperè cauendum eſt, ne, inter eam explicandam, aliqua è noſtra explicatione, alterius loci oriatur deſtructio, aut in ea aliqua poſsit inferri contradictio.

Noto, inſuper, quòd mos eſt hæreticorum, atque inſtitutum, quæ in ſcriptura & ſanctis patribus, ſcripturas ſanctas imitãtibus, coniuncta ſunt,

facilè

facilè diſiungere. Id quod præcipuè faciunt in materia de iuſtificatione, atque de libero hominis arbitrio. Ibi, quod de fide non ſola ſcriptum eſt, de ſola fide interpretantur. Híc, verò quod de gratia non ſola intelligendum venit, de ſola diuina gratia exponendum autumant, & prædicant. Ex qua quidem impijſsima intelligentia, multoties in ſacra pagina, manifeſtiſsima ſequitur contradictio; ita vt alterius loci, ſit alius deſtructio totalis; quemadmodum in diſſolutione argumentorum palàm fiet. In mandatis igitur Dei faciendis, ſolet diuina, ſacraq́. ſcriptura, non ſeparare liberi arbitrij poteſtatem à gratia Dei, à qua excitari, & adiuuari debet, vt rectè velit, & vt bonum perficiat. Id quod poteſt cerni in eo quod Apoſtolus Paulus ad Roma. cap. 6. innuere intendit, cùm ait: An neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis; ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis. Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ; ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem. In nobis nanque dicit, peccati & mortis electionem poſitam eſſe; ſimiliter atque obedientiæ ac vitæ, quæ eſt ex fide, per quam viuit iuſtus. Non dicit tamē poſitam ſine Dei gratia; qua ſine, vt viuamus, mandatis Dei ad iuſtitiam obedire minimè poſſumus. Propterea dicit: Gratias ago Deo, quia licèt prius fuiſſetis ſerui peccati, iam tamen non eſtis. Inde gratias refero, non vobis, non libero arbitrio veſtro, ſed Deo; per quem factum eſt, vt peccati ſeruitutem euaderetis. Gratias; inquit; Deo, quia ſerui peccati fuiſtis; ſed ipſo liberante, & adiuuante, iam non eſtis; quoniam obediſtis Deo, non ex timore legis, ſed ex corde, bonæque cordis voluntate; tendentes in eam formam & regulam euangelicæ doctrinæ, in qua non per vos acceſsiſtis, ſed à gratia Dei traditi eſtis. Et à peccati ſeruitute liberati, facti eſtis conſentiendo & operando, ſerui iuſtitiæ; quod eſt ſumma libertas. Propterea vnuſquiſque veſtrum virtutibus ſeruiat, ſicuti vitijs ſeruiebat. Ecce, pie lector, quòd gratiam non ſegregat à libera voluntatis poteſtate Apoſtolus Paulus, atqui elegantiſsimè copulat vtranque; veluti etiam latiùs infra commonſtrabimus.

Cæterùm cur ſacra Scriptura, totam poteſtatem electionis noſtræ Deo aliquando, & totam homini quandoque tribuere videtur? Notant in ſacris eloquijs eruditiſsimi viri, diuinam ſcripturam illud facere, cùm Deū introducit moderatorem; hoc verò, cùm eundem vindicem & punitorem deſcribit. Deus enim non more humano omnia moderatur; ſed benè more humano caſtigat & punit. Vnde cùm hoc per diuinam ſcripturam probatur, Deum nempe more humano caſtigare; tunc quod noſtræ libertatis eſt ſic ipſa introducit, quaſi ſufficientes ſimus ad cognoſcendum, & volendum, & eligendum, & fugiendum. Cùm verò illud prius & præſtantius declaratur, omnia ſcilicet Deum regere non humano more; tunc omnes vires & cauſas Deo aſsignat; eadem ſacra ſcriptura; veluti ex eo

præcipuè conſtat,quod legitur Numeri, cap.16. ſub his verbis: Mane notum faciet Dominus qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi; & quos elegerit,appropinquabunt ei. Hoc autem ſeruat ſanctus, diuinæ ſcripturæ author, Spiritus,vt innuat hæc dicta fuiſſe ijs,qui magna nondum myſteria de principatu, atque Dei poteſtate, & de nimia creaturæ infirmitate didicerunt. Si enim illud prius enarrando aliquid homini tribuiſſet,tunc fortè ſuperbus & elatus,id à ſe,non à Deo habere,fuiſſet arbitratus; quemadmodum legitur in pſalmo.11. Qui dixerunt,linguam noſtram magnificabimus; labia noſtra à nobis ſunt; quis noſter dominus eſt? Diuus autem Apoſtolus,qui nos vtrunque ſcire optimè nouit,nempè & Dei poteſtatem,& miſeriam noſtram;qua natura humana nihil boni ex ſe poteſt,ſed omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, inquit: Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis,quaſi ex nobis,ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Iaco.1.* *2.Cori.3.*

Illud quoque addo, & repeto,quod in ſuperioribus dixi,huius nempe ſectionis cap.3. quòd ſcilicet nobis triplex eſt propoſita libertas; à peccato, à miſeria, à neceſsitate; hanc vltimo loco poſitam contulit nobis in conditione natura, in primam reſtauramur à gratia, media nobis reſeruatur in patria; inquit de gratia & libero arbitrio, D. Bernardus. Dicatur ergo prima,libertas naturæ,inquit; ſecunda gratiæ; tertia vitæ,vel gloriæ. Primò nempe in liberam voluntatem,ac uoluntariam libertatem conditi ſumus, nobilis Deo creatura. Secundò reformamur in innocentiam,noua in Chriſto creatura. Tertiò ſublimamur in gloriam,perfecta in ſpiritu creatura.

Prima igitur libertas habet multum honoris,ſecunda plurimum etiam virtutis,nouiſsima cumulum iucunditatis. Ex prima quippe præſtamus cæteris animantibus. In ſecunda carnem,per tertiam mortem ſubijcimus. De ſecunda,atque de tertia dicebat Chriſtus Iudæis: Si uos filius liberauerit,uerè liberi eritis. Liberum enim arbitrium,liberatore indigere ſignificabat; ſed planè qui illud liberaret non à neceſsitate, quam uoluntatis eſſe penitus non nouerat; ſed à peccato,in quod tam liberè quàm voluntariè corruerat; ſimulq; à poena peccati, quam incautum incurrerat, inuitumq; ferebat. Quo vtroque malo,liberari omnino non poterat,niſi per illum,qui ſolus hominum factus eſt inter mortuos liber; liber uidelicet à peccato, inter peccatores. Solus nanque inter filios Adam,libertatem ſibi uendicat à peccato,qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Porrò & à miſeria,quæ eſt poena peccati,habuit nihilominus libertatem; ſed potentia non actu. Nemo quippe tollebat animã eius ab eo; ſed ipſe ponebat eam. Denique, teſte Propheta, oblatus eſt quia ipſe uoluit: ſicut & cùm uoluit, natus ex muliere, factus ſub lege: vt eos qui ſub lege erant redimeret. Fuit itaque & ipſe ſub lege miſeriæ; ſed fuit,quia uoluit; vt liber inter miſeros & peccatores, vtrunque iugum fraternis à ceruicibus excuteret. Habuit itaque totas tres libertates: primam ex humana ſimul & diuina natura, reliquas ex diuina potentia. *Ioan.8.* *Pſal.87.* *1.Pet.2.* *Ioan.10.* *Iſa.53.* *Gala.4.*

tentiá. Item & primus homo duas etiam poſteriores habuit cum prima, ante lapſum; veluti etiã diximus ſupra, in memorato loco. Sed iſtis propter peccatum amiſsis, illam, quæ eſt naturalis retinuit. Vnde iſta, quæ dicitur & eſt libertas à neceſsitate, æquè & indifferenter; inquit D. Bernardus; Deo, vniuerſæque, tam male, q̃ bonæ, rationali conuenit creaturæ. Nec peccato, nec miſeria amittitur, vel minuitur; nec maior in iuſto eſt, q̃ in peccatore; nec plenior in angelo, q̃ in homine. Manet ergo libertas voluntatis; inquit; vbi etiam fit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, q̃ & in bonis; ſed in bonis ordinatior. Tam integra quoque pro ſuo modo in creatura, q̃ in creatore; ſed in illo potentior.

Ex hac ergo tantùm libertate, qua liberum eſt voluntati; ſeipſam iudicare, vel bonam, ſi bono; vel malam, ſi malo conſenſerit; quippe quæ in neutro niſi certè uolendo conſentire ſe ſentit, liberum arbitrium credimus nominari. Nam ex illa, quæ dicitur à peccato, congruentius forſitan liberum conſilium, & item ex illa quæ dicta eſt à miſeria, liberum potius complacitum poſſet dici, q̃ liberum arbitrium. Arbitrium quippe iudicium eſt. Sicut uerò iudicij eſt diſcernere quod liceat, vel quod non liceat; ſic profectò conſilij probare quod expediat, vel non expediat; ſic complaciti quoque experiri quod libeat, vel non libeat. Notent hæc ex D. Bernardo, pij lectores; quoniam de prima ſolummodo libertate, res eſt inter catholicos & hæreticos. Et iuxta hunc ſenſum, noſtrum erit & fundamenta reijcere, & argumenta Caluini, necnon & aliorum.

Contra primum Caluini fundamentum. Primo itaque edixit Caluinus, ſe in hac de libero hominis arbitrio materia, ducem habere Auguſtinum, & præceptorem. Nos autem oſtendemus totum oppoſitum; nimirum diuum patrem Auguſtinum, eidem Caluino, in omnibus aduerſari. *Tom. 7.* Siquidem de gratia & libero arbitrio, cap. 2., ait: Reuelauit autem nobis Deus per ſcripturas ſuas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autẽ reuelauerit commemoro uos, non humano eloquio, ſed diuino. Primum quia ipſa diuina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum uoluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promiſſa præmia perueniret. Ideo enim data ſunt, vt homo excuſationem de ignorantia non haberet, ſicut Dominus dicit in *Ioan. 15.* Euangelio de Iudæis: Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.

Ecclesiaſti ci cap. 15. Et liber Eccleſiaſticus dicit: Ne dixeris quia propter Deum receſsi, quæ enim odit ne facias. Ne dixeris quia ipſe me induxit; non enim opus habet uiro peccatore; omne execramentum odit Dominus, & non eſt amabile timentibus eum. Ipſe ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Si uolueris, conſeruabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam, ad quodcunque uolueris extendere manum tuam. In conſpectu uita & mors, & quodcunque placuerit dabitur ei. Ecce apertiſsimè uidemus expreſſum liberum humanæ uoluntatis arbitrium. Quid clarius Caluine?

Nec dicas oportet, Sanctiſsimum Patrem loqui ante lapſum primi hominis. Tum quia hæc ſcripſit ad Valentinum, inter cuius monachos,

orta erat his, an in homine post lapsum esset liberum arbitrium; quia eorum quidam erant adeò gratiam extollentes, vt negarent hominis liberum arbitrium, veluti annotauimus supra: Tum quia, per verba subsequentia perit omnino huiusmodi responsio. Inquit enim: Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri iubet Deus? Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo psalmus dicit, quod in lege Domini fuit voluntas eius; nonne satis indicat, *Psal. 1.* voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Nec secernit Augustinus gratiam diuinam à libero arbitrio, iuxta illud quod notatum reliquimus supra. Quoniam in memorato loco, cap. 4. ait: Sed metuendum est, ne ista omnia diuina testimonia, & quæcunque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrij sic intelligantur, vt ad uitam piam & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur; vt audeat miser homo, quando bene uiuit, & benè operatur, uel potius benè uiuere, & benè operari sibi uidetur, in seipso, non in Domino gloriari, & spem rectè uiuendi in seipso ponere. Talis est hæresis Pelagiana, non antiqua, sed ante non multum tempus exorta. Nos ergo ad benè operandum, spem non habeamus in homine, firmantes in carnem brachij nostri; nec à Domino discedat cor nostrum, sed ei dicat: Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. *Psal. 26.*

Et contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. cap. 2. ait: Quis autem *Tom. 7.* nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium, de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod, natura humana, diuina indiget gratia, dicente Domino: Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis: utique liberi, ad benè, iusteq. uiuendum. *Ioan. 8.* Nam liberum arbitrium usque adeò in peccatore non perijt, ut per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet, quod eis libet. Vnde & Apostolus, Cùm essetis, *Roma. 6.* inquit, serui peccati, liberi fuistis iustitiæ. Ecce ostenduntur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate seruire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio uoluntatis; liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia Saluatoris.

Item eodem in loco, lib. 3. cap. 9. sub finem, ait: Item quòd arbitrium sui in malum liberum dicimus, ad agendum bonum, gratia Dei esse liberandum: contra Pelagianos est. Quòd autem dicimus ab illo exortum, quod antea non erat malum; contra Manichæos est.

Et primo libro retractationum, cap. 9. inquit: Cùm enim omnia bona *Tom. 1.* dicerentur ex Deo, idest, & magna, & media, & minima, in medijs quidem bonis inuenitur liberum uoluntatis arbitrium: quia & malè illo uti possumus, sed tamen tale est, quòd sine illo rectè uiuere naleamus.

Amplius, ibidem cap. 26. ait: Vtrum & peccatum & rectè factum in libero sit uoluntatis arbitrio: Quod ita esse omnino uerissimum est. Sed ut ad rectè faciendum liberum sit, Dei gratia liberatur.

Tom. 1. De libero quoque arbitrio lib. 3. cap. 18. Euodium in hunc modum alloquitur: Sic liberam voluntatem, ſine qua nemo poteſt rectè viuere, oportet & bonum eſſe, & diuinitus datum, & potius eos damnandos, qui hoc bono malè vtuntur, quàm eũ qui dederit, dare non debuiſſe, fatearis.

Tom. 2. Ad Hilarium rurſus, Epiſtola 89. inquit: Illud verò quod dicunt ſufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiam ſi Dei gratia, & Spiritus ſancti dono, ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus deteſtandum. Qui enim hoc aſſerunt, à gratia Dei penitus alieni ſunt, qui ignorantes Roma. 10. Dei iuſtitiam, ſicut de Iudæis dicit Apoſtolus, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: plenitudo quippe legis non eſt niſi Roma. 13. charitas. Et vtique Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per nosipſos, nec viribus propriæ voluntatis, ſed per Spiritum ſanctum, qui Roma. 5. datus eſt nobis. Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, ſi diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter, petendo, & faciendo. Deſertum verò diuino adiutorio, qualibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit iuſtitiæ ſolicitudinem; ſed inflationem impiæ ſuperbiæ, & exitioſum tumorem.

Clariſſima ſunt hæc; quibus Auguſtinus corde & ore fatetur, necnon & profitetur liberum hominis arbitrium, nec vnquam illud ad benè operandũ ſeparat à gratia diuina. Vnde ſi qua fuerint eius dicta, quæ oppoſitum docere videantur, veluti Caluino placuit, & eius aſſeclis; rectè erunt interpretanda, & ad ſenſum ſanctiſsimi viri intelligenda. Interim non mirentur lectores, ſi tot eius pro vnica ratione authoritates coaceruauerim; quoniam id feci, vt ipſi Caluino obuiam irem; qui ad oppoſitum catholicæ ſententiæ oſtendendum, ferè infinitas eiuſdem Auguſtini authoritates induxit. At vt breuibus agamus, hæc in ſuum primum præſuppoſitum dicta ſint ſatis. Adeò enim perſpicua ſunt & clara, vt nulla indigeant expoſitione.

Contra ſecundum fundamentum. Erat ſecundum Caluini ſuppoſitum, quòd liberi arbitrij non poteſt commodè intelligi quæſtio, niſi rei huiuſce veritatem, hactenus incognitam, ſpiritus reuelet. Vnde inſpirationibus magis quàm ſyllogiſmis, liberum arbitrium dignoſci poteſt.

Sed quòd ſit falſum & hæreticum, ex eo facilè conſtat, quoniam hoc noſtro, non autem aduentus Chriſti ſeculo, primitias Spiritus habuiſſemus. Id quod Apoſtolo Paulo aduerſatur, qui ad Roma. cap. 8. inquit: Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes; & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionẽ corporis noſtri. Hæc D. Pauli verba non accipiuntur pro quibuſuis Chriſtianis; veluti nonnullis olim placuit, vt primitias Spiritus interpretemur initia, ſiue primordia. Atqui pertinent ad ſolos Apoſtolos; quemadmodum primò ex eorum contextura poteſt facilè conuinci. Dicit enim, primitias ſpiritus habentes; id eſt, qui habemus potiora, & excellentiora dona Spiritus. Primitiæ enim Spiritus non ſunt quorumuis; veluti ex ſimi-

libus locis ſatis conſtat;& præcipuè.2.ad Theſſalonicenſes,cap.2.,cum ait: Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo,q elegerit nos Deus primitias in ſalutem,in ſanctificatione Spiritus,& in fide veritatis,in quam & vocauit vos per Euangelium noſ- .1.
trum,in acquiſitionem gloriæ domini noſtri IESV Chriſti.Modò nemini dubium quin loquatur de ſolis Apoſtolis.Ducit eódem & illa repetitio: Sed & nos ipſi.Item illa emphaſis: Intra nos. Vbi græcè eſt,in nobis ipſis,ſiue,intra nos ipſos. .2.

Fauet huic interpretationi D.Anſelmus,qui ait:Videtur etiam ſpecialiter deſignare apoſtolicam dignitatem, in eo quod ait: Et nos ipſi primitias ſpiritus habentes; ideſt,qui primi Spiritum Sanctum accepimus,& digniora eius dona habemus.Non ſolùm,inquit,omnis creatura, ideſt, omnis Eccleſia creata in operibus bonis, quæ ſubdita eſt nobis; ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes; ideſt,nos Apoſtoli,qui ad hoc electi ſumus, vt primitias ſpiritus acciperemus, & per hoc maiores ſumus,quia eius primitias habemus,uel quia primò uenit in nos, uel quia dignius & euidentius dona ſua declarat in nobis pet genera linguarum; per ſanationem infirmorum,per reſurrectionem mortuorum,& per ſimilia opera; adhuc gemimus,miſerias habentes ut alij; gemimus intra nos, quia in nobis eſt unde gemamus. Hactenus beatus Anſelmus. Origenes quoque hanc eandem approbat interpretationem, D. Tho., & alij. Quo fit,vt primitias ſpiritus habuerint Sancti Apoſtoli,& non Caluinus; cuius quidem doctrina ſuper liberi arbitrij quæſtione,eſt omnino contemnenda,cùm in multis, ex diametro ſibiipſi aduerſetur. Dei autem ſpiritus,& verax eſt,& in omnibus ſibi conſtans; veluti ſupra annotauimus.

Etenim in ſua Inſtitutione,pagina mihi præcipuè.36.,&.37.,dicit,ſic cor lapideum tolli, nouum verò carneum, in aduentu ſpecialis gratiæ creari;vt deleta voluntate mala,atque penitus immutata,noua voluntas, quæ ſolius Dei opus ſit, in anima creetur. Sed contra Pighium, pagina mihi.92.,100.,&.103.,voluntatem primam ſanari,reparari,ſeu præparari contendit. *Prima contradictio*

Item, in ſua Inſtitutione, pagina mihi.53., & Antidoto, pagina .2.
mihi.172., Auguſtinum ſequitur ſanctum, qui pluribus in locis ait, homines inuitos, Dei gratia non cogi. Et contra Pighium, pagina mihi .105., ita hoc defendit,vt ſubiungat,neminem inuitum credere. Et tamen in ſua Inſtitutione, pagina mihi.53., illud negat, inquiens eſſe nonnullum in voluntate hominis,Dei gratiæ locum,non quæ illam purget, ſed quæ intus cohibeat; coactionem rurſus proponens, quam vbiq. negauerat.

In ſuo quoque interim,pagina mihi.79.,Deum fatetur,in homine tanquam .3.
in trunco minimè agere. In Inſtitutione autem, pagina mihi .29., ſic ait: Quid plus exprimeret,ſi nos vocaret ſtipites, in operibus Dei conſiderandis?

Adhuc,in Epiſtola Pauli ad Roma.cap.7.hoīem aſino comparauit.At .4.
contra Pighium,pagina mihi.227.,inferiorē aſino illū facit,cùm inquit:

Non diſplicet ex Chriſoſtomo, Homi. 34. ſuper Ioannem, quòd ſponta-
neos dicat homines ad ſequendum eſſe, qui trahuntur; ſed quia proprio
motu ſequi debere ait.

.5. Aſſeuerat deinde in ſuo Antidoto, ſeſsione. 6., nil homine agente, gra-
tiam in animam intromitti. Et tamen in Inſtitutione, cap. 2., pagina mihi
.59., dicit, liberum nolle ea ratione ipſi homini adiacere, quia bonum
nolle poteſt.

.6. Dicit ulterius, in ſua Inſtitutione, cap. 2., pagina mihi .22., & .24.,
necnon contra Pighium, pagina .83., ſe in materia de libero arbitrio,
vnicum ſemper excipere Auguſtinum; vtpotè qui vbique de libero ar-
bitrio optimè ſenſerit. At contra Pighium item, pagina mihi .93., ait;
Auguſtinum aſſerui prorſus in hac quæſtione eſſe noſtrum; quòd autem
congruenter in libris omnibus ſecum loquatur, mihi nunquam in mentem ve-
nit aſſerere. Nihilominus tamen, adhuc contra Pighium lib. 3. pagina mihi
.86., ita loquitur: Ego verò, vt minimè detrecto litem ex alijs poſteriori-
bus libris, ſi opus ſit, dirimi; ita ſic pugnandi cupiditate incaluiſſe Augu-
ſtinum in alijs nego, quin liquidam & diſtinctam veri expoſitionem ſem-
per retinuerit. In libro quoque de prædeſtinatione, pagina mihi .33. &
.34., ne in vna quidem ſyllaba, ab Auguſtino, in ipſa etiam prædeſtina-
tione, ſe differre, palàm prædicat.

Item, contra Pighium, pagina mihi .66., negat Deum hominem coge-
.7. re. In ſua autem Inſtitutione, pagina mihi 46. ait: Velit nolit homo, à mo-
tione Dei potius, quàm ab electionis noſtræ libertate, pendet.

Amplius, contra Pighium in proximè citato loco, eam dicit ſponta-
.8. neam voluntatem, quæ vltrò ſe flectit quocunque ducitur; non autem ra-
pitur, vel trahitur vltrò. At librò. 3. contra eundem Pighium, pagina mihi
.105., dum cum Auguſtino, verba illa Domini interpretatur, Nemò ve-
nit ad me, niſi pater traxerit eum; mordicùs ponderat, quòd non duxe-
rit, ſed traxerit.

.9. Adhuc, Lutherus, Caluinus, & omnes Proteſtantes dicunt, libe-
rum arbitrium ad nullam aliam rem, præterquam ad malum valere. At
contra Pighium, pagina mihi .97. & .98., ſpontaneum cum neceſ-
ſario coniungendo, negat Caluinus, nos poſſe libero cum arbitrio
peccare.

.10. Vult, inſuper, Caluinus in quæſtione de libero hominis arbitrio, pec-
catum originis manere etiam poſt baptiſmum, & cum Luthero aſſerit car-
nis concupiſcentiam, illud eſſe peccatum; ad quod quidem comproban-
dum, aſſumebat illorum vterque, cap. 7. D. Apoſtoli Pauli ad Romanos; in
quo illum volunt, in ſua ipſius perſona perpetuò ſermonem habere. At il-
lud caput exponens Caluinus, quando Apoſtolus dicit: Scimus enim quo-
niam lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum; dicitque pro illo loquitur, qui
ſub lege Moſaica viuit; non in propria perſona. Ecce quot manifeſtiſsimæ
in dictis Caluini contradictiones. Habueritne igitur diuinis inſpirationi-
bus, liberi arbitrij veritatem, iudicio præditis relinquatur deducendum.

Ita quidem beatus Petrus Apoſtolus, apud D. Clementem Romanum,

recognitionum libro .3., & epiſtola prima; ita beatus ipſe Clemens, epiſtola .3.; ita Tertullianus & alij ſanctiſsimi Eccleſiæ doctores; velut infra patebit. Pereat igitur Caluinus, cum ſecundo eius fundamento, & præſuppoſito.

Necnon & cum tertio; in quo hominem equo & aſino comparauit; vt non minus ſit homo ſeruus peccati, q̃ aſinus ſui heri; quo pro ſua vtitur libidine. At hoc hæreticum eſſe declarat diuus pater Auguſtinus, in epiſtola ad Hilarium, quæ eſt numero .89., in ſecunda quæſtione, dicens: Lex enim ſine gratia facit abundare delictum, & litera ſine ſpiritu occidit. Iubet ideo, vt facere iuſſa conati, & in noſtra infirmitate ſub lege fatigati, adiutorium gratiæ poſcere nouerimus; & ſi quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuuat, non ſimus ingrati, hoc & iſte fecit. Id enim eum ſapientia docuit, cuius eſſet hoc donum. Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur; ſed ideo iuuatur, quia non tollitur. Qui .n. Deo dicit, adiutor meus eſto, confitetur ſe velle implere quod iuſsit; ſed ab eo qui iuſsit, adiutorium poſcere, vt poſsit. Hæc ille. Qui vult liberum hominis arbitrium iuuari per diuinam gratiam; & ideo iuuari, quia eſt. Quòd ſi eſt, quì fieri poteſt, vt homo aſino comparetur, ſub heri poteſtate conſtituto? Sic enim non poſſet operari niſi uoluntarium. *Contra tertium fundamentū.* *Tom. 2.*

Sed ad Ianuarium, epiſtola .119., cap. 6. ait: Vnde & illius ciuitatis muri, quæ Hiericho appellatur, quia in Hebræo eloquio luna interpretari dicitur, ſeptimo circuitu teſtamenti arcæ corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annunciatio regni coelorum, q̃ circuitio arcæ ſignificauit, niſi vt omnia munimenta mortalis vitæ, ideſt, omnis ſpes huius ſeculi, quæ reſiſtit ſpei futuri ſeculi, in dono ſeptenario Spiritusſancti, per liberum arbitrium deſtruatur? Ob hoc en.m circumeunte arcā, non impulſu uiolento, illi muri ceciderunt, ſed ſponte. Ecce tuum quem dicis Auguſtinum; Caluine; qui docet arcæ teſtamenti circuitionem, nobis ſignificaſſe, ut omnia munimenta mortalis uitæ, in ſeptenario dono Spiritusſancti, per liberum arbitrium deſtruamus. Vt quid ergo audes tu, hominem aſino comparare? Sed ad hæc faciunt ea quoque, in primum tuum fundamentum & præſuppoſitum, à nobis ex eodem Auguſtino ad Hilarium annotata. Sed accedat Apoſtolus Paulus, qui priori ad Corinthios epiſtola, cap. 15., ait: Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me uacua nõ fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Quæ quidem uerba põderans beatus Anſelmus, inquit: Notandum q̃ ſuperna pietas prius agit aliquid in nobis ſine nobis, ut ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiſcum. Quod tamen per immenſam gratiam, in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac ſi ſolis proceſsiſſet ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas, ut innocentes faciat, præuenit, aptè nunc Apoſtolus ait: Gratia Dei ſum id quod ſum. Et quia eadem gratia, noſtrum liberum arbitrium ſequitur, adiungit: Et gratia eius in me uacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui. Qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait: Non autem ego. Et tamen quia ſe eſſe aliquid *Tom. 2.*

cum gratia inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret, mecum, ſi cum præueniente gratia, ſubſequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo ſe ſine gratia nihil eſſe oſtendat, ait: Non ego. Vt verò ſe cum gratia operatum eſſe per liberum arbitrium demonſtraret, adiungit: Sed gratia Dei mecum. Bona itaque noſtra, & Dei ſunt, & noſtra. Quia ipſe nos præuenit vt velimus, aſpirando; qui adiuuando ſubſequitur, ne inaniter velimus, ſed poſsimus implere quod volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate ſubſequente, hoc quod Dei donum eſt, fit meritum noſtrum. Hæc ille.

Ex quo patet, quòd D. Apoſtolus laborauit, non ſolus, ſed Dei gratia in eo, & ſimul cum eo, tanq̃ cum inſtrumento libero, per gratiam eius laborante. Eſt enim voluntas inſtrumentum liberum; authore diuo Methodio martyre; ex quo fit neceſſariò conſequens, vt ſecundùm conditionem inſtrumenti, non ſolùm per alterius motionem, ideſt, gratiæ Dei, bonum operetur; ſed per virtutem propriam cooperantem. Sicut enim inſtrumentum neceſsitate ſeruiens, per motionem eius qui eo vtitur, ſecundùm propriam uirtutem operatur; ſic uoluntas inſtrumentum liberum gratiæ Dei, bonum operans per eius motionem, ſecundùm quoque uirtutem propriam, illud operatur. Vnde D. martyr Methodius, ex interprete, in hũc modum effatur: Si factus eſſet homo tanq̃ unum ex elementis, aut unum ex eorum numero, quæ ſimiliter neceſsitate ſeruiunt Deo, non iam mercedem libera uoluntate dignam reciperet; ſed potius tanq̃ inſtrumentum opificis eſſet; de cuius non rectè factis, iniuſta & temeraria eſſet querela. Eorum enim author eſſet is, qui inſtrumento utitur. Immo neque quod melius eſt, homo cognoſceret, niſi authorem eius cognouiſſet, ſed illud tantùm, quod naturæ ſuæ inſitum eſt. Quamobrem cùm Deus hominem honorare, & ſcire eum meliora uellet; dedit ei poteſtatem, qua poſſet facere quæ uellet, & poteſtatem eius ad meliora hortatur; non q̃ rurſus auferat poteſtatem liberam, quam dedit; ſed quod uelit quod melius eſt, ei declarare: Habet enim poteſtatem, & mandatum accipit; ſed ut uelit poteſtatem ad meliora conuertere, hoc Deus admonet. Vt enim cùm puerum, poteſtatem alioqui habentem, pater ad perdiſcendas diſciplinas, & magis earum ſtudio adhæreſcendum hortatur, declarans ei hoc eſſe melius, non priuat puerum poteſtate quam habet, ſi non uelit ſponte ſua diſcere; ſic cùm Deus hominem hortatur, ut mandatis pareat, non uidetur mihi priuare eum poteſtate uoluntatis, qua poſsit etiam non obedire mandatis. Quamobrem non vult dare præceptum, vt poteſtatem quam dedit auferat; ſed ut melius aliquid donet tanq̃ digno, qui maiora adipiſcatur, quia paruit Deo, cùm alioqui poteſtatem non parendi haberet. Hæc in ſuo libro de libero arbitrio, diuus Methodius martyr.

Quemadmodum igitur Dei præceptũ, & manifeſtatio boni, quam Deus ipſe facit, non tollit humanæ uoluntatis libertatem; idem de gratia, bonæ uoluntatis, ac boni operis adiutrice, dicendum uenit. Homo enim, quemadmodum niſi quod melius eſt cognoſceret, non poſſet benè operari; melius autem non cognoſceret, niſi Deũ authorem eius cognoſceret; ita

poſtq̃

poſtq̃ utrunque, Deo adiutore, cognouit, non poteſt, niſi eodem incipiente, & adiuuante, operari. Quare ſicut illud non tollit libertatem; vt in illo exemplo patris puero præcipientis, & eum hortantis, clariſsimè cernitur; ſic gratia adiutrix, ſine qua non poteſt voluntas hominis benè velle, & operari, non tollit liberam poteſtatem voluntatis. Quæ quidem, licèt ſit cauſa boni operis; non tamen ſola & ſimpliciter, at quodam modo cō cauſa; quam nos adiuuantem, ſeu cooperantem vocare ſolemus. At non eo modo, quo nauis à duobus, quaſi per partes trahitur; ſed in ſolidum; eo ſcilicet modo, quo aer cum ſole ceram molliente cooperatur, dum lumen & calorem accipit à ſole.

Hæc omnia confirmat diuus pater Auguſtinus, qui de gratia & libero *Tom.7.* arbitrio, cap.5., ait, quòd aſſeuerare & oſtendere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; hoc eſt gratiam non eſſe gratiam. Quibus enim, inquit, ſecundùm meritum redditur, non imputatur merces ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, ſicut apertiſsimè dicit Apoſtolus. Meritum *Rom.4.* enim fuit quidem in Apoſtolo Paulo, ſed malum, quando perſequebatur Eccleſiam. Vnde dicit: Non ſum idoneus vocari Apoſtolus, quia perſecu- *1.Cor.15* tus ſum Eccleſiam Dei. Cùm ergo haberet hoc meritum malum, redditum eſt ei bonum pro malo, in eo quòd ſecutus adiunxit: Sed gratia Dei ſum quod ſum. Atque vt oſtenderet & liberum arbitrium, mox addidit: Et gratia eius in me uacua non fuit, ſed plus oĩbus illis laboraui. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in alijs, quibus dicit: Rogamus *1.Cor.6* ne in uacuum gratia Dei ſuſcipiatis. Vt quid enim eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt, vt propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putaretur boni aliquid poſſe, continuò cùm dixiſſet, Gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboraui; ſubiunxit, atque ait: Non ego autem, ſed gratia Dei mecum; ideſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Ita Auguſtinus. Cui optimè fauet ſimilitudo Domini noſtri, Lucæ.13., cùm ait: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua; & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam; vt quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, & ſi quidem fecerit fructum, ſin autem, in futurum ſuccides eam.

Dicat modò Caluinus, an ficulnea iſta, ex ſe ficum producat, ſine ſole; aut ſol duntaxat in ea; aut ambo ſimul. Non primum certè; dicet ipſe, negans liberum arbitrium. Si dabit ſecundum, aduerſatur Euangelio; in quo vineæ cultor, apoſiopeſi vſus, dicit: Et ſi quidem fecerit fructum; alijs ſupplendum relinquens, non excidetur; ſin autem, in futurum ſuccides eam. Vnde ſi arbor non concurrat ad fici productionem, ineptè loquitur Euangeliſta; & iniuſta, atque temeraria videtur eſſe vineæ Domini querela; quod abſit. Vt igitur detur tertium, fit neceſſariò conſequens. Quòd nempe arbor ex ſe ficum producat; tametſi non

abſque ſole, illam producere poſsit. Vnde nullo penitus negotio haurire poſſumus, ex nobis voluntatem eſſe, virtutem verò Dei, cùm opus quoddam meritorium in ſolidum cum gratia cooperamur, non autem
Tom.3. quòd acti agamus. Hinc fit vt beatus pater Auguſtinus, de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 21., dicat: Initium ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus; vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt; vt adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris; vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ eſt, & cœleſtis pariter adiutorij; vt labamur, poteſtatis noſtræ eſt, & ignauiæ. Non
Matt.7. tamen ad obtinendum ſine illo, qui quærentes facit inuenire, qui pulſantibus aperit, qui petentibus donat. Sicut ergo initium ſalutis noſtræ, Deo miſerante & inſpirante habere nos credimus; ita arbitrium naturæ noſtræ ſequax eſſe diuinæ inſpirationis, liberè confitemur. Hæc ille. At quomodo liberum noſtrum arbitrium erit ſequax diuinæ inſpirationis, ſi vſqueadeò eſt ſeruus peccati, vt in aliam non poſsit legem? Mancipium enim & ſeruus capiiuus, in aliam non poteſt legem ire, niſi domini ſui. Liberum autem noſtrum arbitrium, & in lege peccati, & in lege Dei ambulare poteſt; licèt in hac non niſi adiutum; non igitur homo eſt ſeruus peccati, ſicuti empta mancipia. Sic enim non haberet niſi uoluntarium; & ultroneum opus, non autem liberum. Cuius tamen oppoſitum oſtendimus. Et ita cum Auguſtino in memorato loco, cap. 32., aduerſus huiuſmodi tertium Caluini præſuppoſitum, ſub his verbis omnia claudimus: Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumq́. virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitemur authorem. Et non dubitamus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri; per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium; ſed liberatur, vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum.

Vide modò, Chriſtiane lector, quî fieri poteſt, vt concurrente libero voluntatis arbitrio ad opus meritorium, mediante gratia diuina, peccati mancipium eſſe poſsit. Sic enim non niſi voluntatem, & nullatenus libertatem haberet homo. Et ſi quid boni animo conciperet, Dei ipſius propria eſſet actio; veluti ad unguem in ſua Inſtitutione, cap. 2., & in Antidoto, ſeſsione 6., dicebat ipſe Caluinus, ſub his verbis: Non enim hoc quæritur, agátne voluntas, quod extra dubium eſt; ſed agátne à ſeipſa, an pro modo diuinæ actionis; aut craſsiore, ſi placet, loquendi modo, diſtinctáne ac ſeparata ſit actio voluntatis, ab operatione Dei; an illi (quod aiunt) ſubordinetur. Qui enim neſcit per voluntatem fieri, & velit homo? Sed Paulus cùm dicit Deum eſſe, qui operatur in nobis velle & perficere pro ſuo beneplacito; illic voluntatem aſſerit, Dei ſpiritu gubernari, vt ad bonum inclinet, & aſpiret, ideoq́. propriam eſſe eius actionem, ſi quid boni animo concipimus. Ita Caluinus. Qui, vt liquidò conſtat, cum Saxonibus vult, vt nos velimus: nō tamen Voluntate quæ ex nobis, at ex Deo ſit. Sed iam nos probauimus, virtutem eſſe Dei, opus autem in ſolidum

vtriuſque Dei nempe,& hominis. Eſt enim voluntas inſtrumentum liberum diuinæ gratiæ, vt dictum eſt. Vnde ipſius Dei virtutem adeſſe, omnes fatemur; quæ etſi hominem mouet, motum tamen ſuum proprium homini minimè aufert. Aliter enim dolabra à fabro, abſque ſenſu; aliter vero aſinus à ſeſſore, cui ſuo modo volens, abſque ratione ſeruit; aliter homo, qui ratione vult, à Deo mouetur; qui omnia ſecundùm proprium motum mouet; & cùm ita mouet, vt eius voluntas, quæ perpetuò iuſta eſt, omnino fiat, homo ſuapte voluntate libera illud vult, quod Deus ab eo requirit. En Caluine, tune ille es, qui libro de prædeſtinatione, & tuum Auguſtinum eſſe, & te, ne in vna quidem ſyllaba ab eo diſſensiſſe, ſcribis, & prædicas? Cæterùm audi eum de ſpiritu & litera, cap. 30. ita loquentem: Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? Abſit. Sed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur. Hæc ille. Tu autem vbique locorum illud prædicas à gratia neceſsitari. Nedum igitur falſum, verum etiam hæreticum, redditur tuum tertium præſuppoſitum. Tom. 3.

Quartum quoque eiuſdem eſt farinæ. Quod vt clarius reddatur, non erit præter rem ea recenſere, quæ aduerſus Pighium, pagina mihi 66. inquit Caluinus; ait enim. Serua voluntas in peccato illa eſt, quæ propter corruptionem, ſub malarum cupiditatum imperio captiuata tenetur; vt nil aliud quàm malum eligere poſsit, etiam ſi ſponte & libenter, non externo motu impulſa, faciat. Vnde liberam voluntatem eſſe, ea ex ratione nego, quia propter ingenitam hominis prauitatem, ad malum neceſſariò fertur. Hinc colligere licebit, quantum ſit neceſsitatis & coactionis diſcrimen. Neque enim hominem dicimus inuitum trahi ad peccandum; ſed quia vitioſa ſit eius voluntas, ſub peccati iugo teneri captiuam; ideóque neceſſariò male velle. Vbi enim ſeruitus, ibi neceſsitas. Et ita non alibi ſtatuimus peccati neceſsitatem, quàm in vitio voluntatis; vnde ſpontaneam eſſe ſequitur. Hactenus Caluinus. Contra 4. præſuppoſitum.

Qui tamen in ſua inſtitutione, pagina mihi 46., tenet, velit nolit homo, ipſius voluntatem moueri. Quòd ſi mouetur, quomodo non cogitur? Et ſi cogitur, quomodo eſt ſpontanea? Iam enim ipſe dixit, quòd ſponte velle, ſecum minus compatitur coactè velle. Sibi igitur in primis minimè conſtat. Sed vlterius exponit, quem in modum neceſſarium vſurpet: non quidem vt dicit coactionem, quoniam hanc excludit omnino. Neque pro neceſſario ad finem, quemadmodum per neceſſaria, intelligimus cibum ad veſcendũ, equum ad iter faciendũ, & nauim ad nauigandum. Atqui vt ideo neceſſarium dicatur, quia natura ad malum, & gratia ipſa ad bonum ſimpliciter vnum, vt agamus impellit. Quo fit, vt quemadmodum natura, cùm ſit determinata ad vnum, dicitur agere neceſſariò; & tamen naturaliter; ita pari paſſu, voluntas noſtra, propter ingenitam hominis prauitatem, ex peccato primi parentis, eſt determinata ad vnum, nimirum ad peccatum; quoniam electionem amiſit: & idcirco agit neceſſariò, licet ſponte, voluntariè, & libenter agat. Gratia poſtmodum adueniente diuina, creatur noua voluntas, inquit, id eſt, noui habitus in voluntate, à

quibus ducitur ad bonum, ita determinatè, quòd neceſſariò; proprio tamen ſeruato nomine; vt ſcilicet dicatur etiam ſponte, & libenter operari. Verùm quia electionem amiſit, non dicitur noſtra, ſed Dei voluntas; & merita dicuntur noſtra, non quia ſint noſtra; ſed ex mera, necnon & ſimplici Dei liberalitate.

Vnde quia varij fuerunt hæretici, qui hominem libera voluntate ſpoliarunt, nihilúe in eius poteſtate reliquerunt, varias quoque huius rei cauſas demonſtrare conati ſunt. Alij enim id referunt ad certitudinem diuinæ ſcientiæ; alij verò in diuinæ prouidentiæ, & prædeſtinationis ineuitabile decretum; nec deſunt qui hoc referant ad efficaciam diuinæ motionis, cui nemo reſiſtere valet. Ac demum ſunt & alij, qui ad peccatum primi parentis hoc referunt, dicentes, mentem humanam & rationem, ob primi parentis lapſum, tantis tenebris oppreſſam, vt nihil cernere queat; voluntatem ita cupiditatibus, & reliquis irrationalibus affectibus, ac eorum auctori diabolo ſubiectam eſſe, atque ſeruam, vt in ſua poteſtate nūq̃ ſit homo. Sed potiſsimè ſtatuunt hominem à Deo neceſſariò moueri, & agitari, ita vt nullam portionem, neque ad hunc, neque ad illum motum, ipſe conferat homo; atqui ſe habeat veluti inanimis quædam rota, quæ ab aqua circumagitur.

Huius igitur vltimæ claſsis fuit Caluinus; qui quidem animaduertens q̃ ſi homo compararetur inanimi rotæ, quæ ab aqua circumagitur, quamplurimæ pereunt ſacræ ſcripturæ, & diui patris Auguſtini authoritates; quibus perquamclariſsimè conſtat, hominem quamplurima ſponte ſua, & voluntariè operari, dicente præcipuè ſanctiſsimo Propheta: Voluntariè ſacrificabo tibi; idcirco faſſus eſt hominem ad opus conferre quidē; ſed non aliter q̃ iumentum quoddam, quod ad ſeſſoris arbitrium impellitur. Eapropter ſtatuit hominem habere voluntatem quidem in opere, at non libertatem; quoniam, inquit, propter peccatum, electionem amiſit. Vnde opus humanum eſt voluntarium, vltroneum, atque ſpontaneum; nō autem liberum. Quandoquidem voluntarium & liberum differunt. Et quia voluntarium & ſpontaneum ſtat aliquando cum neceſſario, propterea cōcludit, quòd opus humanum licèt ſit voluntarium & ſpontaneum; ob id tamen non ſit, quin ſit neceſſarium. Et ideo, inquit, ſponte velle, ſtat cum neceſſario velle; non autem cum liberè velle. Inſuper, quoniam aliquid cogere, eſt contra ſuam ipſius inclinationem mouere; & inclinatio voluntatis eadem eſt, quæ ſuus ipſius actus; quomodocunque, & vndecunque habeat velle, aut nolle, eſt ſua inclinatio; vnde cogere voluntatem, repugnantiam inuoluit; quoniam tunc non eſſet voluntas, authore D. Tho. prima ſecundæ q. 6. ar. 4. Neceſsitari tamen voluntatem à Deo, qui author eſt naturæ, nihil vetat; ſed tunc auferret illi libertatem in tali actione, mouendo illam ceu brutam pecudem. Quod tamen nunq̃ facit lege communi. Hoc itaque attendens verſutus Caluinus, Deum voluit non cogere, ſed neceſsitare voluntatem, ei propter peccatum primi parentis, libertatem auferendo. Et idcirco in eam relinquendo ſponte & neceſſario velle, coactionem excludit, & libertatem negat, præſertim in operibus meritorijs.

meritorijs. In naturalibus enim atque moralibus, illam admittebat; veluti in ſuperioribus diximus. Hæc eſt ſententia & hæreſis Caluini; ex varijs locis à me non paruo labore extracta. Et licèt ex dictis fuerit ſatis reiecta, nihilotamenſecins vt iuniores theologi faciliùs omnia percipere queant, ſingulatim ea declarare, minimè grauabor. Ita igitur veniunt ordinanda, quæ pro maiori intelligentia eorum quæ dicta ſunt, ſuſcepimus exponenda: Violentum, Spontaneum, Voluntarium, Liberum, Neceſſarium.

Quid violentum.

Violentum illud eſt, cuius principium eſt foris; in quod nihil is qui agit, aut patitur confert. Doctrina eſt Ariſtotelis, .3. lib. de moribus, cap. primo. Vnde ad hoc vt aliquid ſit violentum, tria præcipuè requiruntur, vnum, quòd principium mouens non ſit internum rei quæ violenter mouetur, ſed ſit omnino ab extra. Deinde quòd tale principium valeat per ſe mouere. Tertiò, quòd violenter motum, non conferat aliquid adiumēti mouenti ab extra. Et cùm rei motæ ab extrinſeco, aliqua iſtarum deficit conditionum, non propriè talis res appellatur violenta. Eſtq́. violentia in inanimatis, paritérq́. animatis. At in illis eſt, cùm præter naturam vel mouentur, vel ſtant. In iſtis autem, nulla eſt præter naturam ipſorum motio, aut ſtatio, ſed inuita & coacta; quippe animali in ingreſſu, qui ei præter naturam minimè eſt, violentia quoque inferri poteſt. Multa híc eſſent addenda pro complemento huius doctrinæ, at hæc ſufficiunt pro notitia dictorum & dicendorum. Quibus ſubſcribit Gregorius Nyſſenus, ſuæ philoſophiæ lib.5. cap. primo, inquiens: Illud violentum dicitur, cuius principium exterius eſt, nihil conferente ſecundùm proprium motum, eo qui uim paſſus eſt; principium autem dicitur híc effectiua cauſa. Hæc ille.

Quid ſpontaneum.

Spontaneum verò, eodem in loco ab Ariſtotele ſic definitur: Spontaneum illud eſt, cuius principium eſt in eo qui agit, particularia cognoſcente, in quibus actio conſiſtit. Hoc; inquit philoſophus; competit nedum hominibus, vſum rationis habentibus, at etiam pueris, & brutis animalibus. Nam videmus pueros ſua ſponte agere nonnulla, & bruta etiam ſponte ſua accedere ad paſcua, & ſimilia. Duplex nanque eſt appetitus, in propoſito, rationis nimirum atque ſenſus. Appetitus rationis, hoc eſt, voluntas, quæ ſemper rationem præſupponit, eſt in pueris in potentia; quia nondum ea operantur. Appetitus ſenſitiuus eſt in eis actu; at in brutis nullatenus eſt appetitus rationis; ſed vnus tantùm, quo animalia dicuntur agere ſponte. Quare ſpontaneum eſt principium in eis. Diuus Gregorius Nyſſenus in memorato loco, cap. 3., ſpontaneum ſub voluntario claudit, illudq́. eodem modo definiens ait: Voluntarium eſt, cuius principium exiſtit in ipſo, ſciente ſingularia, in quibus eſt actio. Et hoc aſſerit in pueris atque brutis reperiri; quoniam ſponte aliquid agunt. Ea ſiquidem videmus, non vi, ſed voluntariè ad eſcam venire; quoniam ipſa per ſe feruntur, neque ignorant. Quippe eſcam non ignorant, qua contemplata, voluptate afficiuntur, & vt ad rem notam mouentur; & priuata hac, triſtantur. Hoc eodem tramite procedit D.Tho. prima ſecundæ,

.q.6. Atuerò voluntarium imperfectè accipiunt ſanctiſsimi & doctiſsimi viri, necnon & ſecundùm eius imperfectam rationem; quemadmodum apertiſsimè conſtat ex D.Tho.in memorato loco, ar.2., in ſolutionibus argumentorum. At ſi de voluntario perfectè ſumpto ſermonem habeamus, ſolis ratione præditis id competere, mox pro cõperto habebimus. Nam ad plura ſe extendit ſpontaneum, q̃ voluntarium; quoniam illud non ſolùm competit animalibus rationalibus, ſed etiam brutis; hoc autem, rationalibus tantùm. Vnde Ariſtoteles alio & alio vocabulo nominat vtrunque. Cùm enim de ſpontaneo loquitur, dicit Græcè ἑκούσιον, cùm de voluntario, βουλητόν.

Quid voluntarium

Hanc ob cauſam, ſi voluntarium ſecundùm ſuam perfectam rationem accipere velimus, in hunc modum poteſt definiri: Voluntarium eſt, cuius principium eſt in eo qui agit, addita ſcientia, & perfecta cognitione finis operis ſui. Vel ſic; Voluntarium eſt operatio appetitus intellectiui, cũ perfecta cognitione finis. Ex eo quòd eſt operatio appetitus intellectiui, cum perfecta cognitione finis, differt à ſpontaneo ſimpliciter accepto; quoniam eſt operatio appetitus ſenſitiui, vel intellectiui, cum cognitione perfecta, vel imperfecta ipſius finis. Vnde ſequitur, quòd violentia & rei ignorantia, voluntarium tollunt, atque ſpontaneum.

Quid liberum.

Quid modò ſit liberum videamus: theologi ergo noſtri & philoſophi, ita eum definiri volunt: Liberum eſt operatio, in poteſtate operantis conſtituta, ſic vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poſsit operari, & non operari. Ex qua quidem definitione, optimè conſtat quanta ſit differentia inter voluntarium & liberum. Propterea rectè Alexander, quando libro de fato cap.9., dixit, idem non eſſe voluntarium, & quod in nobis eſt. Voluntarium enim, inquit, eſt, quod ex non coacto aſſenſu fit; quod verò in nobis id eſt, quod cum aſſenſu rationali, & iudiciario fit. Vnde ſi quid in nobis, illud & voluntarium; non tamen quicquid voluntarium, illud in nobis. Voluntariè enim & animalia bruta quæcunque per aſſenſum, & impulſum, qui in ipſis eſt faciunt. Idem Ariſtoteles.3.libro de moribus cap.2.; & re vera ita eſt. Nam Deus voluntariè ſe diligit; at non liberè, ſed neceſſariò. Non igitur ſequitur: Hoc eſt voluntarium; ergo eſt liberum. At benè contra recurrit oratio: Hoc eſt liberum; ergo voluntarium. Licèt quandoque in operationibus humanis, liberum concedamus, voluntarium adimendo. Vtpotè ſi duo ſint homines in extrema neceſsitate conſtituti, & non poſsit quis vtrique ſubuenire, at uni tantummodo, neceſſum eſt itaque alterum mori. Tunc mors illius hominis, eſt ei libera, qui indigentem non ſubleuauit; quandoquidem in eius fuit libertate, hominem illum eripere ab interitu; aſt non fuit ei voluntaria; & ob id nõ imputatur ei ad culpam. Siquidem omiſsio non poteſt eſſe voluntaria, niſi tres adſint conditiones; nimirum obligatio, poſsibilitas, & omiſsio; veluti docet D.Tho. prima ſecundæ.q.6.ar.3. In caſu autem præexpoſito, vel non tenebatur, vel non potuit, qui ſubſidio non fuit indigenti; eapropter mors ſubſecuta, non fuit ei voluntaria.

Ex dictis itaque colligi poteſt, quòd ſpontaneum eſt communius voluntario,

luntario, & voluntarium eſt latius libero; ita vt ſint veluti genera & ſpecies. Vnde licèt corpus animatum poſſit eſſe, nullo exiſtente animali; & animal, non exiſtente homine. At contra non recurrit oratio. Homo nanque non poteſt eſſe, quin ſit animal; nec animal, quin ſit corpus animatum. Ita pari ratione, ſpontaneum poteſt eſſe, nullo exiſtente perfectè voluntario; & voluntarium, non exiſtente libero. At liberum non ſine voluntario, nec voluntarium ſine ſpontaneo. In quocunque enim eſt liberum arbitrium, in eo eſt voluntas, & voluntarium; voluntarium, inquam, actu, vel aptitudine. Et vbi eſt voluntarium, ibi eſt ſpontaneum. Propterea dicebat Euſtratius in 3. de moribus, cap. 2. quòd ſpontaneum & voluntarium, eſt genus electionis. Si enim, inquit, eſt electio, prorſus etiam ſpontaneum; Si verò eſt ſpontaneum, non continuò electio quoque erit ſubſtituenda. Et D. Gregorius Nyſſenus in prætitato loco, cap. 4. ait: Omne quod eſt ſecundum electionem, voluntarium eſt; ſed non conuertitur; quoniam in pluribus inuenitur voluntarium. Etenim pueri & irrationalia, voluntaria quidem agunt, non tamen eligentia. Quid modò nugatur Caluinus, quod liberè velle non ſtat cum ſponte velle, ſed ſunt duo omnino diuerſa? Homo & animal ſuntné omnino diuerſa? Quid inſuper nugatoriè dicit, ſpontaneam illam eſſe voluntatem, quæ vltro ſe flectit quocunque ducitur? Quis eum docuit, ſpontaneum habere principium extraneum? Eſt quidem repugnantia manifeſtiſſima, quòd ſit aliquid ſpontaneum, & ducatur, ſiue moueatur ab alio. Tantum ſiquidem abeſt vt hoc ſit ſpontaneum, quòd potius flectitur ad violentum. Abeat igitur in malam peſtem, malumq. cruciatum, hæreticus iſte, omnis eruditionis omnino expers: noſq; progrediamur ad alia.

Erat quintum præſuppoſitum, quòd voluntatem in homine ſtatuit, illam tamen habere liberam electionem inficiamur omnino. Vnde ſublata poſt lapſum primi hominis eligendi libertate, ſola voluntas relicta eſt; quæ ſub peccati tyranide captiuata vſqueadeò tenetur, vt non niſi ad malum feratur. Hoc præſuppoſitum pugnat cum quarto, quinimmo & ipſum quartum contradictionem inuoluit. Quod quidem vt clarius euadat, noto, voluntatem noſtram poſſe multis modis conſiderari; atqui quod ad propoſitũ attinet, bifariã illam conſiderabimus; nimirũ quatenus natura quædã eſt, & vt voluntas; hoc eſt, prout eſt liberũ arbitriũ, ſeu vt cauſa ẽ libera, quæ liberè operatur. In primo ſenſu cauſat naturaliter, & determinatur ad vnũ; in ſecũdo verò ſenſu, operatur liberè. Propterea Ariſt. in 2. libro auſcultatorio, & in 9. Sapientiæ, quando diſtinguit naturam contra voluntatem, non eſt intentio, rem contra rem diſtinguere; at eſt ſolummodo diſtinctio in ratione cauſandi. Quandoquidem voluntas quatenus res eſt, ſuam habet naturam, & ſecundum eam cauſat & operatur per modum naturæ, & ſecundum quòd eſt determinata ad vnum. Quatenus verò eſt potentia libera, eatenus cauſat quia vult, & quia eſt indifferens ad vtrumlibet. Vnde eſt vna & eadem res, duas habens rationes diuerſas, in genere cauſandi. Quemadmodum & intellectus, vnus & idem exiſtens, duos habet modos operandi. Etenim concluſionibus aſſentitur per di-

Cótra quĩtũ præſuppoſitum.

ſcurſum, principijs verò ſine diſcurſu, rationis naturalis lumine mediante. Voluntas igitur vt eſt res quædam, cauſat naturaliter, & determinatur ad vnum; vt verò liberum eſt arbitrium, operatur liberè.

Quid neceſſarium in propoſito noſtro

Item voluntas, iuxta primam conſiderationem, operatur neceſſariò; & idcirco ſi ei proponatur aliquod bonum vniuerſale, & ſecundùm omnem conſiderationem, tunc bonum illud neceſſariò appetit. Et hoc eſt quod dicitur, quòd quantum ad ſpecificationem actus, quæ eſt ex obiecto, ab aliquo obiecto mouetur neceſſariò. Penès verò ſecundam conſiderationem, liberè operatur. Et quoniam diximus ſupra, quòd voluntarium eſt operatio à principio intrinſeco cum cognitione finis; hæc definitio non excludit omnino principium extrinſecum; quandoquidem appetibile ē veluti principiū extrarium, & ab eo progreditur actio voluntaria; procedit etiam à Deo; qui dicitur principium extrinſecum, quatenus non eſt de eſſentia creaturæ, nec aliqua eius potentia. Atqui progreditur ab vtroque; tanq̃ à principio primo; primo, inquam, vel in genere; ſicut appetibile, vel ſimpliciter, ſicuti Deus; cùm non ſit de ratione voluntarij quòd principium intrinſecum ſit principium primum. Licèt ergo ſit de ratione voluntarij, quòd eius principium ſit intra; ob id ei non repugnat, quòd principium intrinſecum ab aliquo exteriori moueatur principio. At illud extrinſecum eſt principium primum in genere, non ſemper primum ſimpliciter; quemadmodum in genere alterabilium, primum alterans eſt corpus coeleſte, quod tamen non eſt primum mouens ſimpliciter, at mouetur motu locali à ſuperiori mouente. Sic igitur principium intrinſecum actus voluntarij, quod quidem eſt vis cognoſcitiua & appetitiua, eſt primum principium in genere appetitiui motus, quamuis moueatur ab aliquo exteriori; ſecundùm alias ſpecies motus. Ita etiam Deus mouet hominem ad agendum, nedum veluti ſenſui appetibile proponens, aut ſicut immutans corpus; verùm etiam ſicut mouens ipſam voluntatem, quia omnis motus, tam voluntatis, q̃ naturæ, ab eo progreditur, tanq̃ à primo mouente. Et ſicut non eſt contra rationem naturæ, quod eius motus ſit à Deo, tanq̃ à primo mouente, quatenus natura eſt quoddam inſtrumentum Dei mouentis; ita non eſt contra rationem actus voluntarij, quòd ſit à Deo, quatenus voluntas à Deo mouetur. Eſt tamen communiter de ratione naturalis & voluntarij motus, quòd ſint à principio intrinſeco. Doctrina eſt D. Tho., prima ſecundæ. q. 6. ar. 1. ad primum & tertium argumentum. Quòd igitur violentum ſit à principio extrario immediato, & ſpontaneum, paritérq. voluntarium, à principio intrinſeco item immediato, liquidò conſtat; & eſt doctrina à philoſophis & theologis communiter recepta; vnde non niſi à proteruientibus negari poteſt.

Caluinus igitur, in quarto ſuo præſuppoſito, ſtatuit Deum, hominem non cogere, cùm in eo aliquid boni operatur. In quinto verò addit, q̃ ſublata poſt lapſum primi hominis eligendi libertate, ſola voluntas relicta eſt, quæ ſub peccati tyrannide captiuata vſqueadeò tenetur, vt nō niſi ad malum feratur. Non tamē cogitur, quia ſponte & voluntariè operatur, ex

ratur,ex quarto præſuppoſito. Et operatur neceſſariò,quia ſola remanet natura,ſemota libertate, ex quinto præſuppoſito.

Modò ſic: Quando in homine aliquid boni operatur Deus,eiuſdem hominis mouetur uoluntas; quæ quidem, ad illud opus nihil confert, cùm Dei ſit uoluntas, non noſtra; ex eius inſtitutione, pagina mihi 24., & in ſuo Interim, pagina mihi 79. Ille ergo motus voluntatis eſt à principio extrinſeco, per ſe mouente; ipſaq; res mota non confert ad opus. Quare motus ille erit ſimpliciter uiolentus. In quinto autem præſuppoſito,cùm dicatur quòd poſt lapſum primi hominis, ſola eſt relicta voluntas,& ſublata libertas,ex quo non fertur niſi ad malum; in quarto uerò, dicatur q̧ Deus hominem non cogit, cùm in eo aliquid boni operatur; ſequitur ex his repugnantia manifeſta. Rurſus, in hoc opere meritorio, aut mouetur uoluntas ſecundùm ſuam inclinationem aut contra. Non primum ſecundùm Caluinum. Ergo ſecundum. Quo dato, quomodo non erit ibi violentia & coactio? Quòd ſi eſt ibi coactio,qùi fieri poteſt,vt ſit opus illud ſpontaneum,atque voluntariũ? Contradictio ergo in quarto præſuppoſito.

Idem arguo de malo. Dicit enim quintum præſuppoſitum,quòd ex peccato primi parentis, voluntas non fertur niſi in malum. Aut igitur fertur in illud, naturali quadam inclinatione, aut non. Si detur primum, deſtruit naturam uoluntatis, quæ naturaliter fertur in bonum. Hoc autem non eſt dicendum; quoniam peccatum, nec dæmonem, nec hominem priuauit dotibus naturalibus; velut in ſuperioribus notatum reliquimus. Si admittatur ſecundum, quomodo non eſt ibi coactio?

Diceret fortè Caluinus, quòd non poteſt cogi uoluntas in ſuis actibus elicitis. At hoc nobis fauet. Quoniam ſi non poteſt cogi,vult ergo operari, cùm operatur homo. Si vult, vel actu proprio, vel alieno. Si proprio, confert ergo ad opus; & ita operatur homo voluntate, quæ eſt ſua, & non Dei propria, vt ipſe dicit. Si alieno, eſt igitur ibi coactio. Hæc autem non datur. Voluntas igitur aut confert ad opus ea ratione qua eſt natura, aut qua eſt libera. Si primum, non igitur neceſſariò fertur in malum. Si ſecundum, perit doctrina Caluini; qua docet, voluntatem noſtram ex peccato primi hominis amiſiſſe electionem.

Ad hæc: Ab vnaquaque forma profluit unica proprietas, veluti radius à Sole, qua ſine minimè conſiſtere poteſt. Voluntas autem, ſuam habet naturam & formam. Quare etiam unicam proprietatem, ſine qua conſiſtere non ualet. Hæc autem eſt electio. Qua quidem ſublata, quòd etiam tollatur ipſa uoluntas, fit neceſſariò conſequens. Rationalitas enim non poteſt eſſe abſque riſibilitate, nequidem homo abſque rationalitate. Ablata igitur riſibilitate, aufertur rationalitas; & hac ſublata, tollitur neceſſariò homo. Nedum igitur quintum & quartum Caluini præſuppoſitum adinuicem pugnant, verùm etiam vtrunque eſt hæreticum, & falſum. Falſum; inquam; & ſecundùm veram

philoſophiam, & ſecundùm ſanctiſsimam theologiam.

Et ne dicat, vt ſui moris eſt, hæc ſophiſmata eſſe, audiat pro nunc diuum patrem Auguſtinum, de libero arbitrio lib. 3. cap. 3. ita loquentem: Nihil tam in noſtra poteſtate, q̃ ipſa voluntas eſt. Et infra: Nec aliud quicquam eſt in poteſtate, niſi quod uolentibus adeſt. Voluntas igitur noſtra, nec volunras eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Quid clarius?

Tom. 1.

In ſexto præſuppoſito uoluit Caluinus, ita nos per peccatum originale debilitatos eſſe, vt uoluntatis noſtræ uitium, non infirmitas, ſed prauitas ſit. Verùm quia huiuſmodi præſuppoſitum pendet ab alijs quæ prænarrauimus, idcirco iiſdem rationibus reprobatur, quibus illa reprobauimus. Hoc tamen addendo ad maiorem ipſius rei exagerationem, quòd per prauitatem in uoluntate, intelligebat Caluinus omnimodam electionis & libertatis priuationem. At ſi res ita ſe habet, ad quid tot inter homines conſultationes? Libro ſiquidem de moribus. 3. cap. 3. dicebat Ariſtoteles: Conſultamus autem de ijs rebus agendis, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Noq; de æternis, vt de mundo; vel de diametri, lateriſq; incommenſurabilitate. Neque de ijs, quæ fiunt ſemper eodem modo; ſiue neceſsitate, ſiue naturâ, ſiue propter aliquam aliam cauſam; vt de ſolſtitijs, atque ortu. Neque de ijs, quæ aliàs aliter ſeſe habent; vt de ſiccitatibus, imbribuſue. Nec item de ijs quæ eueniunt à fortuna; vt de theſauri inuentione. Sed neque de humanis omnibus rebus. Nam quonam pacto reſpublica Scytharum optimè gubernaretur, nemo Lacedæmoniorum conſultat. Nihil enim horum per noſipſos fieri poteſt. Non vult Caluinus audire Ariſtotelem dicentem, audiat Auguſtinum, quem dicit eſſe ſuum, de eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 50. qui ita loquitur: Hoc etiam ſecundùm fidem catholicam credimus, q; poſt acceptam baptiſmi gratiam, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſunt & debeât, ſi fideliter laborare uoluerint, adimplere. Ex his quidem uerbis, habemus hominem poſt baptiſmum poſſe adimplere quæ ad animæ ſalutem pertinent, Chriſto cooperante, & auxiliante. Quomodo autem Chriſto cooperante & auxiliante, ſi voluntas noſtra ad opus minimè confert? Eſt ergo infirma, non praua; ex conſequenti libera.

Cõtra ſextum præ ſuppoſitũ.

Tom. 3.

Hanc ob cauſam, idem Auguſtinus de gratia & libero arbitrio, cap. 15. ait: Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Falſum igitur & hæreticum eſt etiam ſextum Caluini præſuppoſitum. Id quod latiùs & apertiùs manifeſtabitur, ſi animaduertamus, q; ſi voluntatis noſtræ uitium, non infirmitas, ſed prauitas fuiſſet, non erat opus medico Chriſto. Quid enim mederi ueniſſet? Nihiloſecius orabat Dauid, inquiens: Sana me, Domine, qm̃ infirmus ſum. Et de Chriſto dicebat: Qui ſanat oẽs infirmitates tuas. Vnde apud Iſaiam prophetam, cap. 61. promittitur Meſsias, mittendus in miſerorum ſolamen, his verbis: Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit me. Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, &

Tom. 7.

Pſal. 6.

Pſal. 102.

clauſis

clauſis apertionem. Propterea ipſe Dominus in Euangelio, ſcribis & phariſæis murmurantibus, quòd cum publicanis & peccatoribus manducaret, reſpondit: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent. *Luc 5.* Non ueni uocare iuſtos ſed peccatores ad poenitentiam? Vbi Diuus *Matt.9.* pater Ambroſius ait: Nouum medicamentum nouus magiſter aduexit. *Mar.2.* *Tom.5.* Hoc de terra non pullulauit. Imprudens eſt enim omnis creatura huius confectionis. Venite omnes qui incurriſtis peccatorum uarias paſſiones, vtimini peregrino medicamento, quo venenum ſerpentis excluditur; quod non ſolùm paſſionum abſtulit cicatricem, ſed etiam cauſam diri vulneris amputauit. Ad quid medicamentum; Caluine; niſi adſit infirmitas? In pſalmo itaque. 146., illum verſiculum; Qui ſanat contritos corde, *Tom. 8.* & alligat contritiones eorum; explanans beatus pater Auguſtinus, ait, nō de inſtituendis, ſed de ſanandis naturis agi. Quare naturam humanam prauam propter peccatum aſſerere, falſum & hæreticum eſt. Vnde Auguſtinus de natura & gratia, cap. 3. inquit: Natura quippe hominis primitus incul *Tom. 7.* pata, & ſine ullo uitio creata eſt; natura uero iſta hominis, qua unuſquiſque ex Adam naſcitur, iam medico indiget, quia ſana non eſt.

Cæterùm Caluinus contra Pighium, pagina mihi. 103., ex diuo Au- *Ratio Caluini.* guſtino Hypognoſticon, lib. 3. col. 5., arguit in hunc modum: Præuenitur autem medicina, ideſt, Chriſti gratia, vt ſanetur, & reparetur in eodem uitiata, atque præparetur uoluntas; inquit Auguſtinus, loco citato. *Tom. 7.* Eſt igitur uitiata ipſa uoluntas.

At uitioſè & peruerſè Auguſtinum inducit. Intentio enim Auguſtini *Solutio.* illa eſt, vt oſtendat uoluntatem humanam peruerſam eſſe, atque uitiatam, quia totus homo eſt peruerſus, & infirmus. Non autem quòd uoluntas in ſe uitiata ſit, & de nouo mala uoluntas creata; veluti arbitrabatur ipſe Caluinus; ſtatuens quòd deſiſtente iuſtitia originali, fuit in homine creata noua quædam, & mala voluntas. Vnde eodem in loco, col. 3., ait Auguſtinus: Malum itaque uelle, non ex naturæ ſuæ conditione bona habuit, tanquam ex congenito malo; vt Manichæus credit; ſed ex accidenti deſiderio prauo concepit.

Vrget nihiloſecius Caluinus tali pacto: Auguſtinus de nuptijs & con- *Caluini ratio.* cupiſcentia, lib. 2. cap. 9., inquit: De uitio hic agitur, quo eſt deprauata natura bona; cuius uitij author eſt diabolus; non de naturæ ipſius boni- *Tom. 7.* tate; cuius author eſt Deus, qui neque ab ipſa uitiata, deprauataque natura, ſuam abſtulit bonitatem. Nedum igitur fuit ex peccato primi parentis vitiata, at etiam deprauata natura.

Veruntamen ſeipſum alibi optimè declarat Auguſtinus; nimirum *Solutio.* de Gratia Chriſti, cap. 19., inquiens: Malam uerò arborem homo fa- *Tom. 7.* cit, quando ſeipſum malum facit, quando à bono incommutabili deficit, ab eo quippe defectus, eſt origo uoluntatis malæ. Qui defectus, non aliam naturam malam initiat; ſed eam, quæ bona eſt condita, vitiat. Sanato autem vitio, nullum malum remanet; quia vitium naturæ quidem inerat; ſed vitium natura non erat. Ita pari paſſu, cùm dicit naturam vitiatam, & deprauatam eſſe; minimè intelligit naturam ipſam prauam eſ-

ſe; at vitium & prauitatem illi ineſſe.

Contra ſe primi præſuppoſitũ. Septimò præſupponebat idem Caluinus, quòd deleta prima hominis voluntate, quæ mala erat, bona à Deo immittatur; ita vt aboleatur quod ex nobis eſt, & quicquid ſubijcitur, à Deo fit. Voluntas autem ipſa eſt, inquit, ad uolendum facultas, aut ſubſtantia; malè autem & benè velle, qualitates, ſeu habitus, qui in potentiam tranſeunt. Vnde noui habitus creantur, atque mutantur. Ita ut mutatio ſit in habitu, non in ſubſtantia.

Cæterùm aberrat primò, dũ putat voluntatem qua volumus, ex nobis non eſſe, ſed oĩno extrinſecus aduenire; cuius tamen oppoſitũ oſtendimus ſupra. Decipitur ſecundò, quoniã arbitratur, nouã uoluntatẽ, deleta prima mala, creari. Ita tamẽ vt mutatio ſit in habitu, non in ſubſtantia. Aberrat, inquam, & decipitur, quoniam ut accidens ad ſubſtantiam, habitus tali pacto ſeſe habent; & excipere poſſumus, vt quiſquis vult, ſuapte uoluntate eligat, promiſcuè habitus mutando; eo ꝙ ipſa ſubſtantia intuenda eſt, quæ per diuerſos habitus non mutatur. Euaneſcit tertiò, quandoquidem ſibi minimè conſtat. Nam ex una parte dicit, voluntatem eſſe facultatem ad uolendum, aut ſubſtantiam; ita ut uolendi facultatem, & ſubſtantiam, pro eodem capiat; veluti contra Pighium fatetur, pagina mihi 103. Ex alia uerò parte dicit, quòd mutatio eſt in habitu, & non in ſubſtantia uoluntatis. Ac demum concludit, quòd huiuſmodi habitus tranſeunt in ipſam uolendi potentiam; ceu in proximè citato loco peroptimè conſtat. Modò ſic: Volendi facultas, & ſubſtantia uoluntatis, idem ſunt; ad ipſius Caluini dogmata. Et quando mutantur habitus, in potentiam tranſeunt. Quare mutatur ipſa potentia. Quòd ſi mutatur potentia, mutatur etiam ſubſtantia; quoniam ſunt idem. At ipſe dicit, ꝙ mutatio eſt in habitu, non in ſubſtantia. Vnde non ſibi conſtat.

Cæterùm quò uerſutia, ſimul atque ignorantia huius hæretici magis appareat, videamus, amabò, nunquid in hac ipſa re ſuam ipſius intelligat ſententiam. Illud ſiquidem perſpicuum eſt, & clarum, ꝙ uoluntas noſtra, non ſolùm dicitur potentia uolitiua, ſed etiam operatio; veluti ex his, quæ in 3. libro de moribus, cap. 4., docet Ariſtoteles, optimè conſtat. Aut igitur loquitur Caluinus de actu, aut de potentia; cùm dicit nouam uoluntatem creari in nobis quando conuertimur ad iuſtitiam. Si de potentia ſermonem habet, vt etiam de ratione idem ſentiat, ſit neceſſariò conſequens; quandoquidem æquè ſine ratione, vt ſine voluntate, nihil poteſt benè fieri. Cùm itaque dicit Caluinus, nouam uoluntatem, & ex conſequenti nouam rationem, in nobis creari quando conuertimur ad iuſtitiam; aut ſermo eſt de ipſius animæ natura, & eſſentia, aut de uirtutibus eius, atque potentijs. Si detur primum, cùm anima ſit forma dans eſſe ipſi homini, omni dubio procul, ſi noua creatur anima, deleta prima, nouus etiam creabitur homo; quo nihil abſurdius. Si demum admittatur ſecundum, cùm ab ipſa anima ſint ſcaturientes virtutes illæ, & neceſſariam adinuicem connexionem habeant, atque dependentiam, ita vt

ſine ſe mutuo eſſe non poſsint; veluti vis calorifica ex *ipſa ignis ſub*ſtantia,& vis illuſtratoria ab ipſo Sole ita procedit, ꝙ vnum ſine alio minimè conſiſtere poteſt; inde ſequitur, ꝙ ſi à nobis auferatur & voluntas & ratio,& in locum earundem ſubſtituantur aliæ, auferetur etiam ipſa rationalis animæ ſubſtantia, ex cuius natura profluunt, atque in eius locum, noua, aliaq́. ſubſtituetur anima. Quod ſi fiat, nouus quoque creabitur homo; & ita redit primum abſurdum.

Si autem de actu voluntatis ſe loqui dixerit, prorſus indubitabile in quæſtionem vocat; quoniam malas voluntates noſtras, hoc eſt, ipſa peccata noſtra, prorſus abolere oportet, vt conuertamur ad iuſtitiam. Vnde ridiculè omnino nugatur, & in vanum verba profundit vir iſte. Qui quidem, prius de voluntate prout eſt potentia ſermonem habuit, q̃ Albertus Pighius animaduerteret in eum; quoniam nomine cordis, voluntatem ipſam exponebat. Conſtat autem, quòd ex vſu ſcripturarum, per cor, vel animus intelligitur, vel ipſa uoluntas; & horum utrunque rationem includit. Viſis autem urgentibus Pighij rationibus, ſeipſum declarando, ſuam ipſius doctrinam magis perturbauit, dicens quòd eiuſmodi mutatio eſt in actibus, non in ipſius ſubſtantia uoluntatis; quod eſt ridiculum; quoniam, ut diximus, qualitatem mutari, & uitium tolli animi noſtri, cùm ex peccatis ad Deum conuertimur, eſt omnino indubitatum.

Vnde beatus pater Ambroſius, de uocatione omnium gentium lib. *Tom. 2.*
primo, cap. 3., hanc proponit quæſtionem, inquiens: Vtrum cùm bonæ uoluntatis eſſe homo incipit, eadem, quæ in ipſo erat corrigatur uoluntas, an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. Ad quæſtionem autem reſpondens, ait: Cùm igitur homo ad pietatem redit, non fit nouum figmentum, nouaq́. creatura, non alia in eo creatur ſubſtantia, ſed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo aufertur, niſi vitium, quod natura non habuit. Fuit enim in Adam natura ſine uitio, qui per uoluntatis inobedientiam, mala multa contraxit, & in poſteros magis magiſq́. multiplicanda transfudit. Quæ ut uincātur, atque in nihilum deducantur, non efficit niſi gratia Saluatoris, qui opus ſuum opere ſuo reparat. Sicut enim dicit Ioannes Apoſtolus: In hoc apparuit filius Dei, ut ſoluat opera diaboli. Et ſicut rum- *1. Ioan. 3.*
pit uincula captiui, ſic ueſtit nuditatem ſpoliati, ſic ſanat vulnera ſauciati, ut quod in ipſo agit, etiam per ipſum geratur. Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere; quod ne tunc quidē perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum eſt, non ablatum. Quod ergo non interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem, vulnus ſanatur, non natura remouetur. Ita diuus Ambroſius, quibuſdam interiectis.

Non igitur mutatur homo ſecundùm ſubſtantiam, cùm ad pietatem redit, ſed ex infirmo & ſaucio fit ſanus, in ipſoqúe reparatur, quæ fuerat labefactata natura; aufertur vitium à natura, quod naturæ non eſt, atqui alienum ab ea. Vincula dirumpuntur captiui, nuditas

veſtitur ſpoliati,vulnus ſanatur,non remouetur natura.Et hæc omnia,per
gratiam fiunt Seruatoris noſtri IESV; ſic tamen,vt quæ in homine agit,
etiam per hominem gerantur.Vnde ſub ipſo actu ſpiritus,liberi noſtri ar-
bitrij partes vtrique manent. Quocirca nec terminos nouit, nec ſeipſum
intelligit iſte Caluinus.Nos itaque dicamus,actus ipſius voluntatis elici-
tos,bonam illam,vel malam facere.Sed ex mala vertitur in bonam,in ſpi-
rationibus ſanctis,necnon & charitatis,in cordibus noſtris per Spiritum
ſanctum infuſione.Vnde potentia hominis debilitata,in qua liberum con
ſiſtit arbitrium,in aduentu charitatis ſanatur,roboratur,ac præparatur;
vt homo gratia aſsiſtente,non ſolùm velle poſsit,verùm etiam,vt prop-
Tom. 7. ter hanc gratiam velit. Propterea de peccatorum meritis & remiſsione
lib.2.cap.18., dicebat Auguſtinus: Et hinc ſcriptum eſt: Paratur vo-
Pſal. 36. luntas à Domino. Et in pſalmis: A domino greſſus hominis dirigen-
Philip. 2. tur, & viam eius volet.Et quod Apoſtolus ait: Deus eſt enim qui ope-
ratur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quòd à
Deo nos auertimus,noſtrum eſt,& hæc eſt voluntas mala; quòd verò ad
Deum nos conuertimus,niſi ipſo excitante,atque adiuuante non poſſu-
mus,& hæc eſt voluntas bona. Hæc ille.

Tom. 7. Qui de gratia & libero arbitrio,cùm dicat cap.15.: ſemper eſt autem
in nobis voluntas libera,ſed non ſemper eſt bona; mox infert Caluinus:
Ergo modò mala,modò verò bona. Non igitur voluntatis ſubſtantiam,
inquit,abſque bona,vel mala qualitate,conſiderare valemus.Cùm in me
dio,tanq̃ aliquod indifferens,nullatenus manere poſsit; diuo atteſtante
Auguſtino,de peccatorum meritis,loco proximè citato,qui ait: Volun-
tas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere,ut nec bona,nec ma
la ſit.Aut enim iuſtitiam diligimus,& bona eſt;& ſi magis diligimus,ma-
gis bona;ſi minus,minus bona eſt;aut ſi omnino non diligimus,non bo-
na eſt.Qui igitur fieri poteſt,inquit Caluinus, quòd non mutetur homo
ſecundùm ſubſtantiam,cùm ad pietatem redit? Secus enim eſſet uolun-
tas media,nec bona nec mala,antequam eiuſmodi eliceret actus.At non
uidit patrem Auguſtinum uerba facere de uoluntate agente, non de ea
quatenus eſt ſimplex uolendi potentia. Mirum itaque ait,quòd uoluntas
agendo poſsit in medio conſiſtere;& propterea ſubdidit,inquiens: Aut
enim iuſtitiam diligimus,& bona eſt, &c. Quòd autem ſecundo modo
accepta poſsit in medio manere,ueluti aliquod indifferens,fatetur ipſe
Tom. 1. de libero arbitrio lib.primo,cap.12.,dicens: Me non ſolùm uoluntatem,
ſed etiam bonam uoluntatem,iam habere confiteor. Et de gratia Chriſ-
Tom. 7. ti,cap.24.,ait: Quis autem non uideat multò maius eſſe,indignationem
à contrario in lenitatem conuertere,atque transferre, q̃ cor neutra affec-
tione præoccupatum,ſed inter utrunque medium, in aliquid declinare?
Tom. 1. Et retractationum libro primo,cap.9.,ita loquitur: Virtutes quibus rec-
tè uiuitur,magna bona ſunt.Species autem quorumlibet corporum,ſine
quibus rectè uiui poteſt, minima bona ſunt. Potentiæ uerò animæ, ſine
quibus rectè uiui non poteſt,media bona ſunt.Virtutibus uerò nemo ma
lè utitur.Cæteris autem bonis,ideſt,medijs & minimis,non ſolùm benè,

ſed etiam malè quiſque uti poteſt. Hæc ille.

Ex quibus optimè conſtat,uoluntatem noſtram,nec bonam nec malam eſſe,anteq; actu bonum,uel malum uelit.Quod utique patet in adulto nihil cogitante,(ita eum liceat effingere) & in infante qui ratione, huc uel illuc uoluntatem minimè flectere poteſt; uoluntatis tamen ſubſtantiam retinet uterque illorum. Quam quidem ſubſtantiam,ſiue naturam,in ſe conſideratam,bonam uel malam eſſe,conſtantiſsimè negamus. Vnde licèt quòd affectio quædam malæ qualitatis in toto homine infirmo adſit;non tamen ſubſtantialiter,ſicut aliquod corpus uel ſpiritus manet;ſed languoris inſtar; inquit Auguſtinus,de nuptijs & concupiſcentia, lib. primo, cap.25. Septimum igitur Caluini præſuppoſitum, nedum aduerſatur catholicæ fidei, verùm etiam omni bonæ philoſophiæ, & rationi.

Contra octaui præſuppoſitũ.

Vis autem octaui præſuppoſiti,illa erat;quòd peccatum originale voluntarium, fecit ut neceſſarium actuale peccatum,excuſationem non habeat.Idq. deducebat ex Auguſtini authoritate,dicentis: Si vitari poteſt peccatum, præſens voluntas hoc facit, ſi non poteſt, præterita voluntas hoc fecit. At re uera decipiebatur vir iſte, quia uolebat decipi. Notauit enim verba Auguſtini præcedentia,at non ſubſequentia,quæ ita ſe habent: Et tamen vitari poteſt,(ſubaudi,peccatum) non quando voluntas ſuperba laudatur,ſed quando humilis adiuuatur. Ita igitur loquitur Auguſtinus,vt ex hoc perfectè noſcamus,quòd perdita gratia originalis iuſtitiæ,qua poteramus vitare peccatum, præterita voluntas hoc fecit, vt peccata omnia vitare nequeamus. Adueniente autem diuina gratia,efficere poteſt,vt omnia peccata,præſenti voluntate,ipſa adiuuante,præcauere valeamus. Vnde ꝙ omnia peccata vitare nequeamus, magis ex ipſius gratiæ abſentia prouenit, q̃ ꝙ homo diſſenſum ad oīa vitandum non habeat. Siquidem experientia ipſa docet,hominem ſub ira conſtitutum, qui non poteſt omnia vitare, aliquod particulare peccatum excludere. Vnde dicunt peritiores noſtri theologi,quòd homo in peccato mortali,qui non eſt ſanatus per gratiam,poteſt cauere ſingula peccata mortalia per aliquod tempus, atqui diu perſiſtere non poteſt, quin labatur in aliud;quandoquidem,peccatum,quod mox per poenitentiam non deletur,ſuo pondere ad aliud trahit;dicebat diuus pater Gregorius. Ex his itaque,conſentiendi & diſſentiendi liberum oſtenditur arbitrium,quo voluntariè committitur peccatum.

Vrget tamen adhuc ipſe Caluinus,quoniam ex D. Apoſtolo ad Ephe. 2., & ad Coloſſen. 2., habetur quòd mortui ſumus delictis. At hoc non obſtat. Propterea quòd omnes eramus mortui delictis,niſi Chriſtus nos viuificaſſet; vt ibidem docet Apoſtolus. Vnde viuit homo,vt conſenſum & diſſenſum habeat; vt uerò iuſtè id agat, gratia duce habet.

Cùm igitur ait Caluinus in hoc ſuo octauo præſuppoſito, quòd primus homo ſua propria culpa, ſibi & alijs contraxit peccandi neceſsitatem; id iam ſupra fuit exploſum, & infra magis confutabitur; cùm verò ex diuo Auguſtino illud probare contendit, iam patet quid dicendum.

Vnde &

Vnde & hoc ſuum præſuppoſitum eſt hæreticum.

Cõtra nonũ præſuppoſitum.

Nonum quoque & vltimum currit cum alijs. Nam quòd ſponte velle ſtet cum neceſſariò velle, admitto. Quoniam mouetur animal ad cibum capiendum ſponte; ſimul atque neceſſariò; veluti ex dictis iam ſatis conſtat. Quòd item ſponte velle & coactè velle, ſe inuicem deſtruant, iterum admitto; vt patet etiam ex dictis. Item cùm dicit Caluinus, quòd liberè uelle non ſtat cum neceſſariò uelle; id minus inficior. Quod ut iuuenes intelligant, triplicem noto neceſsitatem, & duplicem libertatem. Prima neceſsitas dicitur coactionis, ſecunda ex interiori procedens inclinatione, tertia ex fine. Item prima libertas dicitur illa, quæ opponitur neceſsitati coactionis. Secunda verò illa eſt, quæ opponitur neceſsitati naturalis inclinationis. Prima libertas conuenit ſpontaneo, voluntario, & naturali agenti; cum quo pugnat prima neceſsitas; quoniam violentiam dicit, & coactionem. Quod enim neceſsitate coactionis agit, inuitè agit, & contra uoluntatem. Secunda uerò & tertia neceſsitas, hanc non tollunt libertatem. Quandoquidem prima illam potius auget, q̃ alicui adimat. Voluntatem enim facit intensè & ſtrenuè tendere in actum uirtutis. Idẽ eſt de neceſsitate finis. Quoniam ſi quis aliquid operatur tanq̃ neceſſarium ad finem, ex hoc ipſo laudabile eſt; & tantò laudabilius, quantò finis fuerit melior. Libertas igitur coactiònis ſtat cũ neceſsitate naturalis inclinationis, & finis. Atqui de hac libertate nõ loquitur Caluinus, quando dicit, ꝙ liberè uelle pugnat cũ neceſſariò uelle. Quoniam non eſt de rõne libertatis, quatenus opponitur neceſsitati coactionis, ꝙ in diuerſa poſsit: at ꝙ uoluntatis inclinatione quis operetur; id quod etiam aliquid agenti ex naturali inclinatione optimè conuenire poteſt.

Secunda uerò libertas, in diuerſa utique poteſt; quia non habet determinationem ad unum. Et quia neceſsitas naturalis inclinationis determinatur ad unum; & ad hunc ſenſum, neceſſarium capiebat ipſe Caluinus; quemadmodum in ſuperioribus oſtendimus; hinc fit, ꝙ dicit liberè velle pugnare cum neceſſariò uelle; quod nos admittimus. Quoniam liberum arbitrium in diuerſa poteſt; homo autem, reſpectu eius boni ad quod ex interiori inclinatur neceſsitate, in diuerſa non poteſt. Vt patet in beatis, qui ſemper actu diligunt Deum, & non poſſunt non actu ipſum diligere, dilectione charitatis.

Admittimus quoque neceſsitatem coactionis pugnare cum neceſsitate naturalis inclinationis; quod idem ſonat, ꝙ coactè uelle & neceſſariò uelle non ſtare ſimul. Quoniam qui coactè agit, contra uoluntatem, naturalemq́. inclinationem agit. Quòd item liberè uelle & coactè uelle non ſtent ſimul, libenti animo admittimus. Duo enim pugnantia claudit, ꝙ quis liberè & coactè aliquid agat, & uelit. Quoniam primum electionem dicit, ſecundum autem uiolentiam exprimit. Quòd autem liberè uelle & ſponte uelle non conueniant ſimul, hoc eſt quod omnino negamus. Eiuſq́. rationem iam ſatis oſtendimus ſupra, in definitione liberi; tum ex philoſophorum, tum ex theologorum ſchola. Quatuor igitur iſta, ſi in ſe & abſolutè conſiderentur, ſunt inter ſe diuerſa; quoniam ſpontaneum

& voluntarium imperfectum,quæ idem ſunt; vt diximus;diſtinguuntur à libero . Itemq. voluntarium perfectum diſtinguitur à libero,& à ſpontaneo.Ita ut ſpontaneum ſit communius uoluntario,& uoluntarium ſit latius libero,& ſe habeant ueluti genera & ſpecies;quemadmodum etiam in ſuperioribus demonſtrauimus. Neceſſarium quoque à neceſsitate deſumptum naturalis inclinationis,ſeiungitur à ſpontaneo; quandoquidem lapis fertur neceſſeriò deorſum, ſed non ſponte; quoniam caret cognitione finis. Seiungitur etiam à libero,quoniam determinatur ad unum, liberum verò poteſt in diuerſa; veluti diximus . Diſtinguitur etiam à coactione ; quia violentia & coactio eſt contra naturalem inclinationem; vt patet, tum ex ſe, tum ex dictis. Quòd autem liberum diſtinguatur à coacto ; nemini dubium; ſed etiam patet ex his, quæ in ſuperioribus habuimus.

Si uerò conſiderentur prout in homine reperiuntur,nihil eſt liberum, quin ſit ſpontaneum,atque uoluntarium; dicente Euſtratio in.3.de moribus, cap.2.,quòd ſi eſt electio, prorſus eſt ſpontaneum. Et D.Gregorius Nyſſenus dicebat, ꝙ omne quod eſt ſecundùm electionem, voluntarium eſt;vt ſupra citauimus. Quocirca idem actus in homine poteſt eſſe ſpontaneus,voluntarius,& liber. Vtpotè quando eligit medium aliquod,ad ipſam quam naturaliter appetit,beatitudinem conſequendam. Ineptiſsimè igitur negauit Caluinus,liberè velle ſtare cùm ſponte velle.

Eapropter ad eum quem diximus ſenſum loquens beatus pater Auguſtinus, lib.3. de libero arbitrio, cap.3., dicebat, non eſſe uoluntarium *Tom.1.* id quod neceſſarium eſt. Si enim, inquit, neceſſe eſt ut uelit,unde uolet, cùm uoluntas non erit? Et ibidem cap.10.,ait; Cùm enim duæ ſint origines peccatorum, vna ſpontanea cogitatione, altera perſuaſione alterius,quo pertinere arbitror quod Propheta dicit:Ab occultis meis mun *Pſal.18.* da me domine,& ab alienis parce ſeruo tuo. Vtrunque uoluntarium eſt quidem.Nam ſicut propria cogitatione non peccat inuitus,ita dum conſentit malè ſuadenti,non utique niſi uoluntate conſentit. Ecce quòd in peccatore confundit Auguſtinus voluntarium & ſpontaneum cum libero. Vbi enim eſt conſenſus, ibi libertas. Et ubi neceſsitas, ibi non eſt peccatum .

Cæterùm reſpondet Caluinus, contra Pighium, lib.4., pagina mihi *Reſponſio* 133.& .138., ꝙ ſi ſeruitus & neceſsitas hæc,quæ nos impeditos tenet, *Caluini.* ac virtutem auferret,naturæ foret,non proprij vitij,nobis peccata minimè imputari poſſent. Sed quia proprio uitio facta eſt, quid impedit quo minus neceſſarium peccatum propriæ culpæ noſtræ imputetur ? Hoc enim reſponſo, inquit , omnium ueſtrorum theologorum obiectiones ſoluuntur.

Atqui princeps theologorum noſtrorum in oppoſitum clamat Augu- *Impugna.* ſtinus,de uera religione,cap.14.,inquiens:Defectus autem iſte qui pec- *Tom.1.* catum uocatur,ſi tanꝗ febris inuitum occuparet, rectè iniuſta poena uideretur,quæ peccantem conſequitur,& quæ damnatio nuncupatur.Nunc uerò vſqueadeò peccatum voluntarium eſt malum , vt nullo modo ſit

peccatum

peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem manifeſtum eſt, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. Non autem rectè negat peccaſſe animam, qui & poenitendo eam corrigi fatetur, & ueniam poenitendi dari, & perſeuerantem in peccatis iuſta lege Dei damnari. Poſtremò, ſi non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus. Quibus ſublatis, chriſtiana lex, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum, video habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſsitate ſeruirent. Hactenus Diuus Auguſtinus. Qui voluntarium cum libero confundit, & apertè docet, hominem liberè, non neceſsitate peccare.

Et de perfectione iuſtitiæ, ratiocinatione .3., inquit: Naturale non eſt peccatum, ſed naturæ præſertim uitiatæ; vnde facti ſumus naturâ filij iræ; parumq́. eſſe ad non peccandum uoluntatis arbitrium, niſi adiuta ſanetur gratiâ Dei, per IESVM Chriſtum dominum noſtrum. Ex his perquamclariſsimè conſtat, ex vitio naturæ humanæ, non neceſsitari hominem ad peccandum, ſed eo non obſtante, adhuc eſſe liberi arbitrij; quod tamen ad uitandum omnia peccata indiget gratia diuina. Et ita reſponſio Caluini eſt voluntaria, & ſine ratione.

Eius quoque rationes, quibus nititur oſtendere ex eodem patre Auguſtino, voluntatem ſtare cum neceſſario, ob id non concludunt, quod ipſe intendit; nimirum quod libertas omnino excludatur. Siquidem non inficiamur nos, quin uoluntas cū neceſſario multis modis concurrere poſſit. At quod huiuſmodi voluntarium, ei qui vult, in eo quod vult, liberum
Tom. 5. adimat arbitrium. Vnde libro quinto de Ciuitate Dei, cap. 10., inquit beatus pater Auguſtinus. Neque enim & vitam Dei, & præſcientiam Dei ſub neceſsitate ponimus, ſi dicamus, neceſſe eſt Deum ſemper uiuere, & cuncta præſcire; ſicut nec poteſtas eius minuitur, cùm dicitur, mori falliq́. non poſſe. Sicut etiam cùm dicimus, neceſſe eſt eſſe, vt cùm volumus, libero velimus arbitrio; & verum proculdubio dicimus; & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſsitati ſubijcimus, quæ adimit libertatem. Ita Auguſtinus, nonnullis interiectis. Sed & voluntas ipſa, naturali inclinatione appetit beatitudinem, ita ut non poſsit in oppoſitum, ſaltem quod attinet ad ſpecificationem actus. Hoc tamen uoluntarium, non adimit ei libertatem; vt oſtendimus ſupra. Quare ipſius Caluini fundamenta & rationes prorſus deleuimus, & funditus euertimus. Proinde ad alia pergamus oportet.

Quod

Quòd iterum poſt lapſum naturæ humanæ detur liberum voluntatis arbitrium, immediatè atq; ſimpliciter oſtenditur. Cap. 20.

NON ſatis habuit Caluinus, liberum tollere noſtræ voluntatis arbitrium, quòd vſqueadeò confidenti etiam animo fuit, vt auderet dicere, veteres omnes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ doctores, excepto uno Auguſtino, ſic in hac re aut uariare, aut uacillare, aut perplexè loqui, vt certi nihil, ex eorum ſcriptis referre liceat. Nos itaque, diuino fauente numine, oppoſitum demonſtrare conabimur; ijs tamen præmiſſis, quæ ſacra concernunt eloquia; quibus innititur fides noſtra catholica. Quoniam nihil contra Dei gloriam, nihil quod aut ſcripturis ſacris, aut rationi repugnet, docuit unq̃. Siquidem cum Manichæis, Stoicis, Priſcillianiſtis, Huſsitis, Vuicleffitis, Lutheranis, Caluiniſtis, cæteriſq; peſtibus, liberum minimè negamus hominis arbitrium; nequidem cum Pelagianis tantas illius vires, tantamq; potentiam & magnitudinem prædicamus, vt Dei gratiam homini ad benè agendum neceſſariam denegemus; ſed medium curſum tenentes, ita liberum hominis defendimus arbitrium, vt illud ob primi parentis primarium lapſum, adeò imbecillũ, ac debilitatum eſſe dicamus, vt ad voluptates ſuas coercendas, Deiq; ipſius benedicti mandata ſeruanda, illius ope ſemper indigeat; veluti ad huius tractatus initium, ex magno propheta Iſaia deduximus ſatis; necnon & inferius ex ſanctiſsimo decreto Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi optimè nouimus. De libero igitur hominis arbitrio, ſit hæc noſtra fides; nuda prius ſcriptura; & hac quidem ſacra; deinde cum Auguſtino, cæteriſq; Eccleſiæ Romanæ magiſtris, defendenda; non prætermiſſa ratione, ſi opus fuerit.

Primo itaque loco ſeſe offert Eccleſiaſtes cap. 7., quando Salomon ita loquitur: Solummodo hoc inueni, q; fecerit Deus hominem rectum; & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus. Ex hac modò authoritate infero, quòd ſi rectus, ergo rectè, & cum rationis, atque voluntatis libertate, creatus eſt homo. Id quod optimè conſonat ijs, quæ habentur Eccleſiaſtici cap. 15., vbi ſic legitur: Deus ab initio conſtituit hominem; & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua. Si uolueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem; ad quod uolueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Vnde beatus Hieronymus ad Demetriadem ait: Primum itaque debes naturæ humanæ bonum de eius authore metiri; Deo ſcilicet, qui cùm uniuerſa mundi, & quæ intra mundum ſunt, opera bona, & ualde bona feciſſe referatur; quantò putas præſtantiorem ipſum hominem fecit; propter quem omnia etiam intelligitur illa condidiſſe, quem dum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam facere diſpoſuit, antequam faciat, Tom. 9.

qualem ſit facturus oſtendit? Deinde cùm ſubiecit ei uniuerſa animalia, eumq́. etiam conſtituit eorum dominum, quæ vel mole corporis, vel virium magnitudine, vel armis dentium, multò ualentiora homine fecerit, ſatis declarat quantò pulchriùs ſit homo ipſe conditus; quem uel ex hoc uoluit naturæ ſuæ intelligere dignitatem, dum fortia ſibi ſubiecta miratur animalia. Neque enim nudum illum, ac ſine præſidio reliquit, nec diuerſis periculis uelut expoſuit infirmum; ſed quem inermem extrinſecus fecerat, melius intus armauit; ratione ſcilicet atque prudentia; vt per intellectum, vigoremq́. mentis, quo cæteris præſtabat animalibus, factorem omnium ſolus agnoſceret, & inde ſeruiret Deo, vnde alijs dominabatur. Quem tamen iuſtitiæ executorem, Dominus voluntarium eſſe uoluit, nō coactum. Et ideo reliquit eum in manu conſilij ſui, poſuitq́. ante eum vitam & mortem, bonum & malum, & quod placuerit ei dabitur illi. Sic beatus ille pater. Fuit ergo rectus, & cum rationis, atque uoluntatis liber tate creatus homo.

Reſponſio Caluini. Atqui diſcipuli reſpondent Caluini, quòd temporis illius meminit ſcriptura, antequam Adamus peccaſſet. Vnde fatentur liberum arbitrium habuiſſe Adamum; at peccando, ſe perdidit & illud, deſeruit Deum, & deſertus eſt; inquit Auguſtinus, de correptione & gratia, cap. 11. Tom. 7.

Impugna. Sed ſi res ita ſe habet, cur Moſes, Deutero. cap. 30., populum Iſraeliticum in hunc modum alloquitur? Cùm ergo uenerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio, ſiue maledictio, quam propoſui in conſpectu tuo, & ductus poenitudine cordis tui in uniuerſis gentibus, in quas diſperſerit te Dominus Deus tuus, & reuerſus fueris ad eum, & obedieris eius imperijs, ſicut ego hodie præcipio tibi, cum filijs tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua, reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua, ac miſerebitur tui, & rurſum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante diſperſit. &c. Modò autem illud perſpicuum eſt & clarum, ꝙ in illo cap. 30. ponitur maledictionum mitigatio, de quibus ſermonem habuerat Moſes in ſuperioribus. Nam à cap. 27. illius libri Deuteronomij excitatur populus ad reuerentiam & obſeruantiam legis, per benedictiones obſeruantibus conferendas, & maledictiones tranſgreſſoribus inferendas. Eſt igitur in cap. 27. benedictionum & maledictionum inſtitutio. In cap. 28., earum imprecatio. In 29., earum ſuſceptio. In 30. autem, earum mitigatio. Quæ quidem primò poenitentibus promittitur; ſecundò in peccato perſeuerantibus denegatur. Primum tetigimus; ſecundum explicat Moſes, cùm dicit: Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus, adoraueris Deos alienos, & ſeruieris eis; prædico tibi hodie quòd pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam Iordane tranſmiſſo, ingredieris poſsidendam. Teſtes inuoco hodie coelum & terram, quòd propoſuerim uobis uitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo uitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas, (ipſe eſt enim uita tua, & longitudo dierum tuorum) vt habites in terra, pro qua iurauit Dominus patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob,

Iacob, vt daret eam illis.

Iſtæ autem maledictiones, ſimul atque benedictiones habētur expreſsè in .27. cap. Deureronomij, tum ſpeciatim, tum generatim; vt conſtat: Er licèt ibi nulla ponatur benedictio expreſsè; intelliguntur tamen benedictiones per maledictiones oppoſitas; veluti optimè notauit Rabbi Samuel, & poſt eum Nicolaus Lyranus. Vnde ſub finem illius.27. capitis, ponitur maledictio, & benedictio ei oppoſita, reſpectu obſeruantiæ & tranſgreſsionis totius legis generaliter; ita q̃ pronunciabāt Leuitæ dicentes: Benedictus qui permanet in ſermonibus legis huius. Et reſponſo à populo, Amen; pronunciabanr maledictionem oppoſitam, dicētes: Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius; nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus, Amen.

His itaque in hunc modum conſtitutis, liquidò conſtat, quòd Deus ipſe glorioſus benedixit obſeruantibus legem; eiuſq́. tranſgreſſoribus, maledictionem inferebat; idq́. poſt primum Adami peccatum. Si autem per peccatum ipſius primi parentis, fuit in nobis deletum liberum arbitrium in bonum, ita ut uoluntas noſtra non feratur niſi in malum; vt dicunt iſti; fit conſequens, vt Iudæi legem perfringerent inuiti, & fato neſcio quo, ac neceſsitate compulſi. Quo igitur iure, immò qua iniuria, trāſgreſsiones illæ, Iudeorumq́. mala opera uindicabantur à Deo? Quæ enim iuſtitia, quæ bonitas in Deo eſt, ſi præceptorum ſuorum tranſgreſſores poenis afficit ſempiternis, ſi ea ſeruare ſit omnino impoſsibile? Neceſsitas enim nos à peccato excuſat; ex .D. patre Auguſtino, de perfectione *Tom. 7.* iuſtitiæ, ratiocinatione .5. & .15.

Cæterùm diceret Caluinus, quòd iſta neceſsitas ſi naturæ eſſet, non pro *Reſponſio* prij uitij, nobis peccata minimè imputari poſſent. Sed quia proprio ui- *Caluini.* tio facta eſt, nihil obſtat quo minus neceſſarium peccatum propriæ culpæ noſtræ imputetur. Ita dicebat ipſe aduerſus Pighium lib.4., pagina mihi .133., & .138., veluti annotauimus ſupra.

At nugæ ſunt iſtæ, Caluine, quoniam ſi peccatum iuſtè à Deo nobis *Impugna.* imputatur, necnon & rectè uindicatur, ob lapſum primi parentis, qui fuit voluntarius; licèt in eum neceſſariò & ineuitabiliter noſtra feratur uoluntas; benedictiones quas Deus ipſe, legis obſeruatoribus contulit, vnde originem trahunt? Vnde proueniunt? Si enim ſola Dei gratia id operatur, nulla accedente noſtra uoluntate, vnde meritum noſtrum? Et ſi nullum eſt meritum, cur adeſt præmium? Fateamur ergo oportet, voluntatem noſtram ad opus meritorium liberè conferre, & per conſequens benedictionem à Deo ſuſcipere.

Aſt diceret Caluinus, huiuſmodi benedictionem prouenire & eſſe, ex *Reſponſio* mera Dei liberalitate: Vnde merita dicuntur noſtra, non quia ſint no- *Caluini.* ſtra, ſed quoniam Deus, illa pro ſua benignitate nobis elargitur.

Verùm hoc non obſtat. Proptereaquòd tot incaſſum eſſent diuinæ hor *Impugna.* tationes ad bonum. Si .n. Deus pro ſua benignitate, nullo accedente actu liberi arbitrij, nobis bonū elargitur; ad quid hortatur nos Deus, & Moſes, vt diuinæ legis præcepta, & mandata ſeruemus? Ineptiſsima certè eſſet

hortatio iſta. Perinde ac ſi ſeruum paralyticum, omniumq́. membrorum officio deſtitutum quis haberet, eumq́. hortaretur, ſeu ei præciperet, vt eius literas Ferrariam uſque adeò celeriter deferret, ꝙ ſi intra horam rediret, illum prorſus ditare uellet. Nónne ridicula eſſet hortatio, & præceptio iſta? omni dubio procul.

Sed quod utrunque reſponſum funditus euertit, illud eſt Moſis, quod ſupra citauimus dictum; ex quo perquamclariſsimè conſtat, maledictionẽ nobis euenire, necnon & peccatum imputari, ob malũ vſum liberi noſtri arbitrij; è regione uerò, benedictio à Domino Deo nobis infunditur, ex bono vſu eiuſdem liberi arbitrij, diuino tamen fauẽte auxilio. Et ita in ſtatu naturæ noſtræ lapſæ, manet adhuc liberum voluntatis arbitrium. Inquit igitur Moſes: Teſtes inuoco hodie coelum & terram, ꝙ propoſuerim uobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum. Ecce, Caluine, ꝙ Moſes iiſdem utitur uerbis poſt lapſum, quibus ante lapſum utebatur Eccleſiaſticus. Si igitur ex illis colligitur liberum arbitrium in homine ante lapſum, cur nõ ex iſtis poſt lapſum? Si enim per primum Adæ peccatum electionem amiſimus, cur Moſes populo hebræo propoſuit benedictionem & maledictionem? Et cur dixit; Elige vitam ut uiuas.

Eſtné electio iſta naturalis, vel potius ſimpliciter moralis? Audi Caluine, audi & ſile; Elige ergo uitam, inquit Moſes, vt & tu viuas, & ſemen tuũ. & diligas Dominum Deum tuũ, atque obedias voci eius, & illi adhæreas. Quorſum hæc? Habet igitur poſt lapſum homo electionem ad bonum meritorium, ex conſequenti liberum voluntatis arbitrium. Nequidem D. pater Auguſtinus docet oppoſitum, in illa quam induxerunt authoritate; cùm ſeipſum optimè declaret, inquiens: Nec ipſum ergo Deus eſſe uoluit ſine ſua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono; quod adiutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit, & deſertus eſt. Ita Auguſtinus. Ex quo nullo penitus negotio conſtat, quo modo fuerit homo deſertus; non quidem reſpectu dotis naturalis, prout eſt electio, atque libertas. Sed reſpectu doni gratuiti, vtpotè iuſtitiæ originalis. Propterea dicit Auguſtinus, ꝙ liberum noſtrum arbitrium parum eſt ad bonum, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono. Quòd ſi fuiſſet per peccatum deletum, nullo eſſet opus adiutorio; quod enim non eſt, iuuari non poteſt.

Deinde addit Auguſtinus, quòd homo per liberum ſuum arbitrium deſeruit illud adiutorium, nempe originalem iuſtitiam, & diuinam gratiam; & quia illud deſeruit, ab eo deſertus eſt; vt optimè conſtat, & rei experientia docet. Quid modò habet Caluinus? Homo per peccatum amiſit iuſtitiam originalem, & diuinam gratiam; Ergo & liberum arbitrium? Non valet illatio. Amiſit quidem libertatem à peccato, ſiue libertatem gratiæ, quæ reſtituta eſt per Chriſtum, at libertatem non amiſit naturæ, de qua eſt modò ſermo. Primò nempe in liberam uoluntatem, ac uoluntariam libertatem conditi ſumus, no-

bilis Deo creatura; inquit diuus Bernardus . Et libertas à neceſsitate,ſubdit,æquè & indifferenter Deo,vniuerſæq́.,tam malæ,q̃ bonæ,rationali conuenit creaturæ. Nec peccato nec miſeria amittitur,vel minuitur; nec maior in iuſto eſt, quàm in peccatore; nec plenior in angelo, q̃ in homine; quantum in ſe eſt. Velle ſiquidem ineſt nobis ex libero arbitrio,non etiam poſſe quod uolumus;vt ad Galatas cap.5.dicebat Apoſtolus:Vt non quæcunque vultis,illa faciatis. Porrò ipſum ut eſſet uelle, creans gratia fecit; Vt proficiat,ſaluans gratia facit.Vt deficiat,ipſum ſe deijcit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beneuolos. Ex ipſo nobis eſt uelle; ex ipſa bonum uelle. Ita diuus Bernardus. Qui cum beato patre Auguſtino optimè docet,hominem per peccatum,non libertatem,ſed adiutorium illud amiſiſſe. Quibus ad Demetriadem ſcitè diuus pater Hieronymus in hunc modum ſubſcribit:Vnde etiam in Deuteronomio legimus Vitam & mortem dedi ante faciem tuam,benedictionem & maledictionem; elige tibi uitam vt uiuas.Volens nanque Deus rationabilem creaturam uoluntarij boni munere,& liberi arbitrij poteſtate donare,vtriuſque partis poſsibilitatem homini inſerendo, proprium eius fecit eſſe quod uelit, ut boni ac mali capax,naturaliter utrunque poſſet,& ad alterutrum uoluntatem deflectere. Neque enim aliter ſpontaneum habere poterat bonum,niſi æquè etiam malum habere potuiſſet. Vtrunque nos poſſe uoluit optimus Creator,ſed unum facere,bonum ſcilicet,quod & imperauit; maliq́. facultatem ad hoc tantùm dedit,vt uoluntatem eius ex noſtra uoluntate faceremus.Hactenus Hieronymus.Qui liberum in homine arbitrium ante lapſum,his verbis optimè ſtatuit.

In quibus quidem verbis, illud obſeruo, ꝙ Deus hominem creauit liberum,vt bonũ & malum naturaliter poſſet,& ad alterutrum uoluntatẽ deflectere. Quòd ſi huiuſmodi libertas eſt nobis naturalis,qui fieri poteſt vt per peccatũ deleatur? Nec etiã diabolus,naturalia per peccatũ amiſit.Prudentiſsimè igitur,& poſt lapſum,idẽ Hieronymus,liberũ in homine arbitriũ,per uerba de præſenti in hũc modũ fatetur ibidẽ:Quod cùm ita ſit,hoc quoq́.ipſum ꝙ etiã mala facere poſſumus,bonũ eſt.Bonũ,inquã,quia boni partẽ meliorẽ facit.Facit.n.ipſam uoluntariam ſui iuris,non neceſsitate deuinctam,ſed iudicio liberam.Licet quippe nobis eligere,refutare,probare,reſpuere.Hæc ille.Qui ſuper Hiere.cap.26.ait: In noſtra ergo poſitũ *Tom. 4.* eſt poteſtate,vel facere quid,vel non facere;ita duntaxat,vt quicquid boni operis uolumus,appetimus,explemus,ad Dei gratiam referamus; qui iuxta Apoſtolũ dedit nobis uelle & perficere. Ecce,Caluine,quòd ſanctiſ *Philip. 2.* ſimi,pariterq́.doctiſsimi viri iſti non uacillant,non perplexè loquuntur; atqui uno ore fatentur,hominem per peccatum,adiutorium illud diuinum,non libertatem amiſiſſe. Verùm latiùs de hoc inferius. Hæc tamen dixiſſe uolui, vt quem dicis eſſe tuum,intelligeres Auguſtinum.

Rurſus ad maiorem huius rei exagerationem noto, ꝙ Moſes in illo .30.cap. Deuteronomij introducit poenitentiæ ſermonem, & inquit: Si mandata diuina tranſgreſſus,in maledictiones incideris, & in captiuitatem redactus , ſubieris iugum ſeruitutis , ac poſtea reſipiſcens;

ſeruitutis cauſas inquirens, legiſlatorem tibi propitium reddideris; ille miſericordia motus, reducet te, & reſtituet tibi terram paternam. Modò autem ſi per peccatum amiſit homo liberum voluntatis arbitrium, quomodo poterat populus Iſraeliticus reſipiſcere, atque errata poenitendo corrigere?

.3. Amplius, contra Pighium, pagina mihi .64.65.&.66., ait Caluinus: Si coactioni opponatur libertas, liberum eſſe arbitrium, & fateor, & conſtanter aſſeuero: ac pro hæretico habeo, quis quis ſecus ſentiat. Si hoc, inquã, ſenſu uocetur, quia non cogatur, aut uiolenter trahatur, violento motu; ſed ſponte agatur ſua, nihil moror. Sed cùm aliud prorſus vulgò concipiant, dum hoc epitheton hominis voluntati attributum, vel audiunt, vel legunt; hæc cauſa eſt, cur mihi diſpliceat. Siquidem ad facultatem, vireſq. referunt, vt in poteſtate ſua, bonum vel malum habeant, & alterum eligere ſuapte uirtute queant. Hæc ille.

Modò ſic: Hæc doctrina ſi eſt vera, cur Ioſue cap. vltimo, populo ſuadebat Iſraelitico, vt ab alienorum deorum cultu liberari uelint, & ſoli Deo creatori, ac Saluatori ſeruire? Propoſuit enim illis optionẽ inquiẽs: Eligite hodie quod placet, cui ſeruire potiſsimum debeatis; vtrum Dijs quibus ſeruierunt patres ueſtri in Meſopotamia; an Dijs Amorrhæorũ, in quorum terra habitatis.

Item .2. Regum, cap. 24., legitur quòd, Sermo Domini factus eſt ad Gad prophetam, & uidentem Dauid, dicens; Vade & loquere ad Dauid: Hæc dicit Dominus. Triũ tibi datur optio; elige unũ quod uolueris ex his, vt faciam tibi. Aut ſeptem annis ueniet tibi fames in terra tua; aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur; aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem reſpondeam ei, qui me miſit, ſermonem.

Dicat modò Caluinus, ſi propter peccatum perijt in nobis libertas arbitrij, cur populo Iſraelitico, ſimul atque Dauidi optio datur, & electio? Electio enim non eſt niſi eorum quæ ſunt in noſtra poteſtate. Si nõ habemus liberum ad utrunque arbitrium, cur dixit Gad propheta ad Dauid: Nunc ergo delibera, & uide quem reſpondeam ei, qui me miſit, ſermonem? Vbi enim deliberatio, ibi diſcurſus; Vbi diſcurſus, ibi conſilium; Vbi conſilium, ibi libertas. Propterea lib. 5. ſuæ philoſophiæ, cap. 5. dicebat ſanctiſsimus Gregorius Nyſſenus: De his itaq. cõſultamus, quæ in nobis ſunt, & per nos fieri poſſunt, atq. incertũ habẽt finẽ; hoc eſt, poſſunt ita, & aliter fieri. Dicitur aũt, quod in nobis eſt, quia de rebus gerendis ſolùm conſultamus; hæc.n. ſunt ĩ nobis. Nã neq. de philoſophia, quæ tõnalis dicitur, cõſultamus, neq. de Deo, neq. de his, quæ ex neceſsitate fiũt. Secundùm te, Caluine; oĩa in nobis ex neceſsitate fiũt. Fruſtra igitur dediſſet Deus optionẽ illis populis & gẽtibus. Hoc aũt ẽ blaſphemũ. Liberũ igitur hẽmus arbitriũ.

Id quod ex eo confirmatur, quod .3. Reg. cap. 3. dixit Dominus ad Salomonem; Poſtula quod uis ut dem tibi.

.4. Ad hæc: Exodi cap. 35., ita loquebatur Moſes populo Dei: Oĩs voluntarius & prono aĩo, offerat Domino aurũ & argentũ, &c. pro tabernaculo

conficien-

conficiendo. Infra igitur dicit Spiritus ſanctus: Omnes viri & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iuſſerat Dominus per manum Moſis. Cuncti filij Iſrael voluntaria Domino dedicauerunt. Obſeruemus autem huiuſmodi loquendi modum. Cur dixit Moſes: Omnis voluntarius & prono animo, offerat Domino? Et non dixit: Offerat vnuſquiſque Domino aurum & argentum? Illud vtique fuit, vt oſtéderet ſapientiſsimus Dei ſeruus, quod coacta obſequia minimè Deo placent, ſed voluntaria, ſponte, & liberè facta. Siquidem opera bona tantò plus ipſi Deo placent; quantò ex promptiori, feruentioriq́; corde procedunt. Vnde concludit Moſes, quòd cuncti filij Iſrael uoluntaria Domino dedicauerunt. Ideſt, munera ſua à ſe ſponte, voluntariè, & liberè oblata, conſecrauerunt ad gloriam Dei, pro ædificatione tabernaculi, atinentiarumq́; eius.

Huic doctrinæ fauet D. Apoſtolus, poſteriori ad Corinthios epiſtola, cap. 9., inquiens; Qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſsitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Liquidò ſiquidem conſtat, quod eo loci ad magna largiendi ſtudia, mentes audientium accendit Apoſtolus, ne qui multa dare poteſt, pauca largiatur. Et quia de benedictionibus ſupernis metet qui nunc in benedictionibus bonæ uoluntatis ſeminat, necnon læto & largo animo dat, ſiue parum, ſiue multum ſit illud quod dat, idcirco vnuſquiſque det, inquit Apoſtolus, prout deſtinauit, & deliberauit, atque præordinauit in corde ſuo, & in conſilio ſuæ rationis & voluntatis; inquit diuus Anſelmus. Vt quicquid in corde ſuo diſpoſuit ſe daturum, det; & eo deuotionis affectu, quo propoſuit, det; ſcilicet, non ex triſtitia aut ex neceſsitate, neque inuitus aut coactus. Eleemoſyna enim plerunque fit à triſtibus, & murmurantibus, vt careant tædio interpellantis, non ut uiſcera reficiant indigentis; ſed non eſt talis datio Deo acceptabilis. Nonnulli ſunt etiam; ſubdit D. Anſelmus; qui licèt non ſint triſtes, vel coactione dolentes; tamen quando largiuntur, faciunt ex neceſsitate; ſiue quia omnes alij dant, ſiue quia multi vt largiantur, admonent; & cùm ſic honeſtate ſua non poſſunt non dare, quadam coguntur ad dandum, neceſsitate. Propterea, quiſquis dationem ſuam Deo vult eſſe gratam, non det ex triſtitia, vel ex neceſsitate; ſed ex lætitia, & ex uoluntate; quia hilarem datorem diligit Deus.

Subſcribit D. pater Hieronymus, qui ait: Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo; ideſt, voluntarius, non coactus, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus, ſecundùm ſapientiam Salomonis: Et in omni dato, hilarem fac vultum tuum. *Tom. 8.* *Eccleſiaſti ci cap 35.*

Aſſentitur D. Ambroſius, inquiẽs: Ex his enim qui inferunt, hunc eligit Deus cui retribuatur, qui deuoto corde operatur, quaſi theſaurizans ſibi apud Deum, quia qui inuitus facit propter præſentem pudorem, ne alijs inferentibus turpis inueniatur, mercedem non habet. *Tom. 5.*

Concurrit Primaſius, nota exponens. Vnuſquiſque prout deſtinauit

in corde ſuo; non quaſi coactus,ſed voluntarius.

Tom.4. Diuus quoque Ioannes Chryſoſtomus,homilia.19.in epiſtolam ad Corinthios ſecundam,ait:Auaritia in uoluntariorũ eſt;& ita qui eleemoſynam dat inuitus,auarè dat.Nam quoniam exemplum Macedonum & alia omnia ſufficiebant ad inſtituendam ordinationem,non multa de illo loquitur Apoſtolus, ſed de eo, ne inuiti dent.

Beatus Thomas & ipſe ait: Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo;quaſi non auarè. Quia vnuſquiſque det eleemoſynas, prout deſtinauit,ideſt,prædeliberauit in corde ſuo.Non ex triſtitia; veluti qui merces proijciunt in mari,ad maius malum euitandum;quoniam licet ſit aliquo modo ſponte;eſt nihilominus & aliquo modo violenter; quatenus ſcilicet coguntur timore maioris damni. Aut ex neceſsitate; quia nolo, inquit Apoſtolus,vt uos cogat ad dandum,mandatum noſtrum;ſed moueat uos ad hoc prompta uoluntas ueſtra. Vnuſquiſque igitur voluntariè det, non coactè.

Si igitur Deus vult oblationes,eleemoſynas,& munera noſtra eſſe ſponte,voluntariè, & liberè facta; qui fieri poteſt ut hæc præſtare ualeamus, niſi liberum habeamus arbitrium? Nec ſit amplius inter nos lis de verbis;quoniam illæ Chimæræ in quadrato deſcriptæ,iam fuerunt exploſæ.

Non me tamen latet,ipſum Caluinum in ſua inſtitutione,cap.2. fateri,Proteſtantes ſpreta omnium ſanctorum patrum authoritate,negare liberum hominis arbitrium. At negabuntne ſuorum grammaticorum authoritatem? Ipſi enim uolunt ut illud verbum, Deſtino, idem ſignificet quod, Delibero. Vnde Col.lib.2.ait: Solum quod excolere deſtinamus, pingueſcit. Et Cice.1.Tuſ. inquit: Propoſito fuit, ad horam morti deſtinatam. At non eſt deliberatio ſine libertate,veluti probauimus ſupra. Hæc addere uolui; quoniam iſti maledicti hæretici, perpetuò in omnibus ſolent petere calcibus.

.5. At uerò illa perpendamus,quæ Leuitici cap.22.ſcribuntur: Homo qui obtulerit uictimam pacificorum Domino, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens,tam de bobus,quàm de ouibus immaculatum offeret,vt acceptabile ſit. Et paulò poſt:Bouem & ouem,aure & cauda amputatis,voluntariè offerre potes;votum autem ex ijs ſolui non poteſt. Vide,Chriſtiane lector, quòd Deus vult munera, & oblationes ſponte,voluntariè ac liberè.

6. Adhuc. Quotieſcunque poteſt homo alicui aſſentiri uel diſſentiri,tũc fatendum eſt ipſum habere liberum arbitrium. Modò autem legant Lutherani & Caluiniſtæ,librum Numeri,cap.30.& ita inuenient: Mulier,ſi quippiam nouerit,& ſe conſtrinxerit iuramento,quæ eſt in domo patris ſui,& in ætate adhuc puellari;ſi cognouerit pater uotum quod pollicita eſt,& iuramentum quo obligauit animam ſuam,& tacuerit;voti rea erit, quicquid pollicita eſt & iurauit,opere complebit. Sin autem ſtatim ut audierit,contradixerit pater; & vota & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni,eo quòd contradixerit pater. Idem ſtatuit Dominus de muliere nupta;vt ſcilicet nouens non ſit uoti rea,niſi marito conſentiente. Cui autem datur optio, nonne uerè eſt & libera?

Legant, rurſus, Geneſeos hiſtoriam cap. 4., vbi reperient Dominum oſtendiſſe Cain, ægreferenti ſua munera non fuiſſe Deo grata, liberum arbitrium eſſe ad bonum & malum flexibile, cui uehementer irato, dixit: Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nónne ſi benè egeris recipies? Sin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit; ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Quid, quæſo, his verbis apertius unq́ dici potuit, ad exprimendam liberi arbitrij facultatem? Adeſte Lutherani, adſint & Caluiniſtæ; obiurgat Deus, ſed moderatè; Cain irâ perturbatum, quòd doluerit ſui fratris munera Deo placuiſſe, ſua uerò reiecta. Verùm ut communis animi furor deferueſceret, & ut ille agnoſceret, ſe non rectè & promptò animo ſua munere diuiſiſſe, dicit Dominus: Cur concidit facies tua? Nónne ſi benè egeris, præmium reportabis? Si verò malè & improbè, condemnaberis? Et ne in appetitum, ad malum procliuem, culpam reijceret, quòd non ea prudentia, eaq́ rationis lege, ſua munera Deo obtulerit quà debuit, dicit Dominus, ne accuſaret appetitum ſenſitiuum: Tibi appetitus ſubijcietur, eumq́ rectæ rationis freno coercebis, & moderaberis, nec tibi (niſi uelis) imperabit. Qui modò fieri poteſt, vt hæc ei à Domino dicantur, qui non eſt liber? Proptorea optimè Gloſſa interlinearis: Sed ſub te erit appetitus eius; non ſuper te, inquit; quia liberi arbitrij es.

Et D. pater Hieronymus, in quæſtionibus hebraicis in Geneſim, ait: Verùm quia liberi arbitrij es, ò Cain, moneo, vt non tibi peccatum, ſed tu peccato domineris. Tom. 3.

Venerabilis Beda, in Geneſim cap. 4., inquit: In eo verò quod dicit: Sed ſub te erit; poenitentiam committens appetitus illius, id eſt, peccati: & tu dominaberis illius. Ac ſi apertè diceret: Sub tua poteſtate eſt, ſi benè vel malè egeris. Tom. 3.

Ibidem Dionyſius Carthuſianus dicit: Sed ſub te erit appetitus eius, id eſt, peccandi affectio & paſsio, ex qua inclinaris ad opus iniquum, eſſe debet rationi ſubiecta; ita quòd potes reſiſtere, cùm liberi exiſtas arbitrij.

Nicolaus de Lyra ibidem: Sed ſub te erit appetitus eius, id eſt, inquit, tu poteris deuincere peccatum; quia nullus peccat niſi uolens.

Beatus Ambroſius de Incarnationis Dominicæ ſacramento, cap. primo, ita loquitur: Nihil inuenio quod in ſpecie munerum reprehendam, niſi quod & Cain munera ſua diſplicuiſſe cognouit, & Dominus dixit: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti. Vbi igitur eſt crimen? Vbi culpa? Non in oblatione muneris, ſed in oblationis affectu. Tom. 2.

Non igitur perplexè loquuntur, at concordiſsimi ſunt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctores. Vnde notiſsimum eſt, Cain nullam incurriſſe culpam, ſi non potuiſſet liberè delinquere.

At in ſua inſtitutione, cap. 2. reſpondet Caluinus: Aut promittit hoc Dominus, quod denunciat Cain, aut iubet. Si iubet, nullam inde probationem facultatis humanæ ſequi iam demonſtrauimus: Si promittit, vbi promiſsionis complementum? Quando peccato, cui dominari ipſum oportebat, Responſio Caluini.

oportebat, Cain ſuccubuit.

Impugna. Verùm nos dicimus, quòd neque aliquid illis verbis Dominus promittit, neque iubet; ſed quid per legem naturalem uetitum, quidúe benè operantibus promiſſum fuerat, declarat; ſubiungens in hominis poteſtate ſitum eſſe, vt ſolus malè agat; gratia uerò Dei, qui ſecum loquebatur, bonum.

8\. Sed redeamus ad ſacram, diuinamq́ ſcripturam. Prouerbiorum enim cap. primo, ita legimus: Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne adquieſcas eis. *Tom. 8.* Quoniam, inquit. D. Hieronymus, duobus modis lactant peccatores quos decipiunt; aut ad faciendum ſcelera, blandimentis alliciunt; aut facta iam fauoribus, quaſi laudabiliter acta ſuſtollunt. In utroque autem, Sapientia ſuos auditores, ne talibus acquieſcant, hortatur. Verùm ad quid eos hortatur, ſi eorum voluntas non poteſt niſi in malum? At ſequitur textus: Si dixerint: Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini. Abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra: Deglutiamus eum, ſicut infernus viuentem; & integrum, quaſi deſcendentem in lacum. Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus; implebimus domos noſtras ſpolijs. Sortem mitte nobiſcum; marſupium unum ſit omnium noſtrum. Fili mi, ne ambules cum eis; prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem. Ecce quòd adhuc ſuos auditores hortatur ſapientia, ne cum latronibus, qui innocentibus inſidias, & mortes, vel damna inferunt, ambulare ualeant; quoniam pedes eorum ad malum currunt. At quid ſibi vult huiuſmodi hortatus, niſi quod *Pſal. 33.* dicebat regius Pſaltes? Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum; inquire pacem, & perſequere eam. Si autem non poteſt mea voluntas niſi in malum, quomodo prohibebo linguam à malo, & ab eo diuertam, vt faciam bonum? Velit igitur nolit Caluinus, liberum habemus arbitrium. Non enim ſufficit *Tom. 7.* malum fugere, niſi bonum quoque feceris; inquit. D. Hieronymus in eũ *Tom. 8.* pſalmum. Et beatus Auguſtinus ibidem ſequitur: Non ſolum declina à malo; ſed, & fac bonum. Parum eſt vt non expolies veſtitum, veſti nudum. Si non expoliaueris, declinaſti à malo; ſed non facies bonum, niſi cùm peregrinum ſuſceperis in domum tuam. Ergo ſic declina à malo, vt facias bonum. Non igitur habet homo liberum arbitrium? Neminem ſanè exiſtimo tam ſtupido eſſe ingenio, & ea inſana animi ueſania corripi, vt id dicere audeat. Præſertim cùm Iſaias cap. primo ſuæ prophetiæ, ijs optimè reſpondeat, inquiens: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum ueſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere peruersè; diſcite benefacere.

9\. Ait poſtmodum Eſaias: Si nolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis; ſi nolueritis, & non audieritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos; quia os Domini locutum eſt. Et beatus Hie-*Tom. 4.*ronymus, hunc ediſſerens locum, ait; Liberũ ſeruat arbitrium; vt in utramque partem non ex præiudicio Dei, ſed ex meritis ſingulorum, vel poena, vel præmium ſit.

Eodem

Eodem in loco, cap.49. Deus pater alloquitur filium incarnatum, .10.
multaq́. ei dicit. Demum ita concludit: Seruus meus es tu Iſrael, quia in
te gloriabor. Et ego dixi: In uacuum laboraui, ſine cauſa, & uanè fortitu-
dinem meam conſumpſi. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Fili tu es ſeruus *Philip.* 2
meus; quia cùm in forma Dei eſſes, formam ſerui dignatus es aſſumere;
& uoco te Iſrael, quia natus es de ſemine Iudæorum. Propterea in te glo
riabor. Quibus dictis, filius reſpondit: Quomodo in me glorificatus es,
Pater, quia in uacuum laboraui, & magnam partem populi Iudæorum ad
te reuocare non potui? Expoſitio eſt ex beato patre Hieronymo. Qua
quidem inducta, ſubdit: Hæc autem uniuerſa dicuntur, vt liberum homi-
nis arbitrium monſtraretur. Dei enim uocare eſt, & noſtrum credere; nec
ſtatim ſi nos non credimus, impoſſibilis Deus eſt; ſed potentiam ſuam,
noſtro arbitrio derelinquit, vt iuſtè uoluntas præmium conſequatur. Quia
ergo noluerunt per me in te credere, iudicium meum apud te eſt; quòd om
nia fecerim quæ eis facere debui, dicens in Euangelio: Ego te glorifica *Ioan.* 17.
ui ſuper terram, opere completo, quod dediſti mihi ut facerem.
Hieremias quoque cap.6. ita loquitur: Hæc dicit Dominus: State ſu- .11.
per vias, & uidete, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, &
ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus ueſtris. Et dixerunt:
Non ambulabimus. Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores. Audite uocem tu-
bæ. Et dixerunt: Non audiemus. Ideo audite gentes, & cognoſce congre-
gatio, quanta ego faciam eis. Audi terra: Ecce ego adducam mala ſuper
populum iſtum; fructum cogitationum eius; quia uerba mea non audie-
runt, & legem meam proiecerunt.

Dicat modò Caluinus, ſi peccatum actuale eſt in nobis neceſſarium,
à Deo tamen imputatur propter peccatum originale, voluntarium in A-
damo; cur Dominus per Hieremiam apertè dicit, ſe malum adducere
ſuper populum, quia eius uerba non audierunt, & legem proiecerunt? Ra-
tio igitur quare imputatur, ea eſt, quia voluntariè, & liberè committitur.
Propterea dicebat beatus Theodoretus, hæc uerba enarrans: Hæc uerò *Tom.* 1.
dicit, non accuſans naturam, ſed voluntatem. Ipſe enim eſt author natu-
ræ; nec quam condidit, vnquam accuſaret; voluntatis autem illi ſunt
opifices.

Nec referat hæc Caluinus ad eſum ligni; quoniam de uerbis & co-
hortationibus, quas enarrat Propheta, necnon & de lege Moſis eſt ſer-
mo; quemadmodum ex litera facilè conſtat. Inducere enim uolebat De-
us populum Iudaicum ad audiendos Prophetas & Apoſtolos, de Chri-
ſto Meſsia loquentes, at noluerunt. Vnde idem Hieremias cap.8. inquit:
Attendi & auſcultaui: nemo quod bonum eſt loquitur. Nullus eſt qui
agat poenitentiam ſuper peccato ſuo dicens: Quid feci? Et ſupra dixe-
rat: Et eligent magis mortem q̃ uitam, omnes qui reſidui fuerint de co-
gnatione hac peſsima, in uniuerſis locis quæ derelicta ſunt, ad quæ eieci
eos, dicit Dominus exercituum. At ubi electio, niſi adſit libertas?

Addo, quòd Amos propheta ita ſcribit cap.5. Quia cognoui multa .12.
ſcelera ueſtra, & fortia peccata ueſtra, hoſtes iuſti accipientes munus, &

pauperes

pauperes deprimentes in porta. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt. Quærite bonum,& non malum, vt uiuatis;& erit Dominus Deus exercituum vobiſcum, ſicut dixiſtis. Odite malum,& dili gite bonum,& conſtituite in porta iudicium; ſi fortè miſereatur Dominus Deus exercituum reliquijs Ioſeph. Hem Caluine, quomodo ab homine, Deus hæc iubendo exigeret, ni poſſent ab ipſo homine fieri?

Reſponſio Caluini. Verùm ad hæc & ſimilia dicere ſolebat maledictus iſte vir, quòd neque uolendi, neque audiendi liberam facultatem nobis Dominus tribuit; neq. ob impotentiam ludibrio nos in citato loco habet; ſed potius impiorũ conſcientias pungit, electorum uerò allicit. Ita loquitur ipſe in ſua Inſtitutione, pagina mihi. 51., & contra Pighium.

Impugna. Verumenimuerò Ezechielis prophetia, cap. 18., in oppoſitum clamat his verbis: Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur; filius non portabit iniquitatem patris,& pater non portabit iniquitatem filij; iuſtitia iuſti ſuper eum erit,& impietas impij erit ſuper eum. Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt,& cuſtodierit omnia præcepta mea,& fecerit iudicium & iuſtitiam, vita uiuet,& non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor; in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet. Nunquid uoluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus; & non ut conuertatur à vijs ſuis,& viuat? Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid uiuet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur; in præuaricatione, qua præuaricatus eſt,& in peccato ſuo quod peccauit, in ipſis morietur. Demum paulò poſt ita concludit; Idcirco vnumquemque iuxta vias ſuas iudicabo domus Iſrael, ait Dominus Deus. Conuertimini,& agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris; & non erit uobis in ruina iniquitas. Proijcite à uobis omnes præuaricationes ueſtras, in quibus præuaricati eſtis,& facite uobis cor nouum,& ſpiritum nouum; & quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & uiuite. Videat modo Chriſtianus lector, ſi uolendi liberam facultatem, ex his tribuat nobis Dominus Deus. Et re uera den ſiſsimam exemplorum ex ueteri teſtamento ſyluam conficerem, quibus uim liberi aſſererem arbitrij, niſi docto lectori tædium adferrem. Res enim eſt adeò aperta, vt eam lactentes quoque, ſatis apertam cernere quean. Veruntamen, quò magis ueritatem hanc demonſtremus, qua pij lectores, Lutheranos laqueos uitare poſsint, nolo ſilentio inuoluere, id quod de Suſanna legitur, Danielis. 13. capite.

Dicitur enim quod, ingemuit Suſanna,& ait: Anguſtiæ ſunt mihi undique. Si enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem non egero, non effugiam manus ueſtras. Ecce conſultatio & diſcurſus; ignorabat enim quid eligeret. Demum nihiloſecius deliberat,& in hunc modum ad electionem uenit: Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus ueſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Per hanc itaque electionem, vnam partem elegit, altera reiecta, quam potuiſſet amplecti. Liberum igitur

habebat

habebat arbitrium. Hæc ex ueteri teſtamento ſufficiant teſtimonia. Modò noui teſtamenti loca, ad ſuſſulciendam catholicam aſſertionem, excutiemus.

Noui teſtamenti varijs teſtimonijs, eadem probatur aſſertio Catholica, de libero hominis arbitrio. Cap. 21.

DOMINVS noſter IESVS Chriſtus cùm audiſſet quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſsit in Galileam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthali. Exinde coepit prædicare, & dicere: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum. Hæc habentur Matthæi cap. 4. Quibus optimè conſtat, quòd Dominus Seruator noſter, illis minimè præcepiſſet, vt de admiſsis vitijs dolerent, eosq́. malè actorum poeniteret, niſi potuiſſent duce ratione, & rationali uoluntate, à ſuis delictis reſipiſcere. Eſt enim repugnantia manifeſta, quòd eorum voluntas non feratur niſi in malum, & quòd hortentur ad poenitentiam. Vnde iſta & illa quæ in ſuperioribus, ex propheta Ezechiele induximus, ritè conueniunt. .1.

Item; Matthæi cap. 10., ait Dominus: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in coelis eſt; qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in coelis eſt. Et ibidem cap. 16., Interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Et varij varia loquentes, dicit IESVS diſcipulis ſuis: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Et ob hanc ſpontaneam, voluntariam, & liberam confeſsionem, obtinuit Petrus claues Regni Coelorum; vt conſtat ibidem. Nec dicat Caluinus id factum fuiſſe ſola Dei gratia, meraq́. eius liberalitate, nullo accedente actu liberi arbitrij ex parte Petri; tum quia mox ſubdidit Dominus præmium, tum quia in actionibus noſtris exigit Deus noſtræ voluntatis conſenſum; vt patet infra eodem in loco, quando dicit: Si quis vult poſt me uenire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim uoluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum uniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis uenturus eſt in gloria Patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera eius. Videat modò pius lector, an omnia benè conſonent. Supra enim, voluntaria & libera Petri confeſsio recipit à Chriſto mercedem, & hîc iterum cuilibet illum ſequenti, mercedem promittit, & contra procedenti, ſupplicium. Vndè hoc apertiſsimè oſtendit liberum hominis arbitrium. .2.

Tom. 2. Quod quidē confirmatur authoritate diui Ioannis Chryſoſtomi, homilia .56. ſuper Matthæum, qui ait: Tu autem perpende, quomodo nullo pacto cogit oratio. Non enim dixit oportere ipſos pati, vellent nollétq́; ſed quid? Si quis, ait, poſt me uenire vult; non impello, non urgeo; ſed liberam ſingulorum uoluntatem efficiens, dico, ſi quis vult. Non enim ad afflictiones & onera, nec ad ſupplicia, & poenas ut cogere mihi opus ſit, ſed ad ineffabilia bona conuoco, quorum ea natura eſt, vt facilè per ſeipſam uos inuitare poſsit. His dictis, vehementer eos attraxit. Nam ſicut qui uim affert, plerumq́. auertit; ſic qui liberos audientes conſtituit, multò magis attrahit; potencior enim omnino eſt oratio mitis, q̃ uiolenta; ideo dicebat: Si quis vult. Magna enim ſunt, ait, quæ retribuo, ac talia, vt ultrò ac ſponte homines ad ea concurſuros dubitare nō debeas. Non enim ſi quis aurum & argentum proponeret, vim inferret; quantò igitur magis in coeleſtibus bonis inferenda non eſt? Et certè ſi rerum ipſa natura non perſuadet, & niſi ſponte curres, nec accipere quidem dignus es; nec ſi acceperis, quale, quantumq́. ſit quod acceperis cognoſces; ideo nō cogit Chriſtus, ſed hortatur, indulgens nobis. Sic beatus Chryſoſtomus.

3. Cui pro tertia ratione ſuccedit quod legitur Matthæi, cap. 19.; quando ſcilicet quidam adoleſcens dixit Chriſto: Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus Deus. Si aūt uis ad vitā ingredi, ſerua mādata. Dicit illi. Quæ? IESVS autem dixit: Non homicidium facies; Non adulterabis; Non falſum teſtimonium dices; Honora patrem tuum & matrem tuam; Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea; quid adhuc mihi deeſt? Ait illi IESVS: Si uis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & dà pauperibus, & habebis theſaurum in coelo; & ueni, & ſequere me. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis; erat enim habens multas poſſeſsiones.

Modò autem in his verbis, duo præcipuè obſeruo; alterum eſt, quòd Chriſtus dixit adoleſcenti: Si uis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et iuuenis demum reſpondet, illa omnia cuſtodiſſe à iuuentute ſua. Atqui huiuſmodi minimè contentus, quærit ulterius quid ei ſupereſt agendum. Cui reſpondit Dominus; Vende omnia quæ habes, ſi uis perfectus eſſe, & dà pauperibus, & ſequere me. At iuuenis abijt triſtis. Aliud quod obſeruo eſt, quòd ipſe iuuenis fatetur ſe illa præcepta cuſtodiſſe, atque mā data. Cùm uerò audit, quòd ſi vult perfectus eſſe, oportet uendere quæ habet, & pauperibus erogare, abit triſtis.

His itaque in hunc modum conſtitutis, animaduertamus oportet, ꝙ cùm ex una parte ſit diuinum præceptum, ex alia uerò cōſilium, idemq́. diuinum; iuuenis illud amplectitur, & hoc renuit; nihilominus utrunque bonum eſt. Cur igitur hoc? Fortaſsis quia deerat ei gratia diuina ad perficiendum conſilium? Minimè. Secus non dixiſſet Dominus; Si uis perfectus eſſe. &c. Sic enim dicendo, ei gratiam profitetur & operam.

Apocalypſis quoque cap. 3., ait: Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & coenabo

cum illo,

eum illo,& ipſe mecum. Relinquitur ergo,vt id fecerit,qnoniam Dominus,hoc & illud bonum, ſuæ reliquerat voluntati. Idcirco utrobiq. vſus eſt conditionali,inquiens: Si uis ad vitam ingredi; Si uis perfectus eſſe. Vnde beatus Hieronymus illa ediſſerens verba,dicit:In poteſtate noſtra eſt, vtrum uelimus eſſe perfecti. *Tom.6.*

Et .D.Ioannes Chryſoſtomus,homilia.64. ſuper Matthæũ,ait:Perſpicis quot brauia,quot coronas huic ſtadio proponit?Si autem ille tentaſſet, hæc ei non dicerentur; nunc verò & hæc illi manifeſtantur,& vt alliciatur, ingentem ei mercedem futuram oſtendit,& voluntati eius uniuerſa reliquit;quando ſcilicet dicit Dominus adoleſcenti:Si uis perfectus eſſe,vade & uende omnia quæ habes,& da pauperibus,& habebis theſaurum in coelis,& veni & ſequere me.Huic ſcripturæ de legis diuinæ obſeruantia, reſpondent quæ habentur apud Salomonem, Prouerbiorum cap.6.,vbi dicitur:Conſerua fili mi,præcepta patris tui,& ne dimittas legem matris tuæ.Liga eam in corde tuo iugiter,& circunda gutturi tuo.Cùm ambulaueris,gradiantur tecum;cùm dormieris,cuſtodiant te;& euigilans,loquere cui eis. Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ, increpatio diſciplinæ.Vbi .D.Hieronymus ait:In cogitatione præcepta Dei fixa retine,& loquelam tuam,hortum undique dulcedine,ne fortè lingua labaris, commonito.Cùm ambulaueris in profectu iuſtitiæ,gradiantur tecum mãdata Dei,vt te inſtruant.Cùm dormieris in morte,cuſtodiant animã tuã ne rapiat hoſtis?Cùm euigilaueris in reſurrectione,loquere cum eis,expectando præmia,quæ tibi,ſi ea ſeruaueris,promiſſa erunt.Hæc ille.Si uis igitur ad vitam ingredi,ſerua mandata.Quæ quidem omnia clamant,hominem liberi eſſe arbitrij;ita ut illis uerbis,ei ad gratiam accedenti,optionem reliquerit Chriſtus, vt gratia aſsiſtente, mandata impleat, & vitam æternam ingrediatur;vel infernum,illis neglectis. *Tom. 2.* *Tom.8.*

Caluinus autem in ſuo Antidoto,ſeſsione .6. hanc infirmare intendit rationem,illam,quam ex Chriſto Domino induximus,torquens authoritatem.Inquit enim:Væ cathecumenis,ſi tam dura conditio illis imponitur.Quid enim aliud q̃ æterna maledictio illis indicitur? Siquidem agnoſcunt cum Paulo, maledictos omnes eſſe, qui legi ſunt obnoxij. Vtinam obſeruaretis, cur iſta IESVS loquutus fuerit; quod iudicari non poteſt, niſi ex contextu,& ratione perſonæ.Interrogauerat ille,quid facere oportet,vt habeat vitam æternam? Ad quem Dominus:Serua mandata. Certè quiſquis vitam operibus vult promereri, regulam habet ſibi à lege præſcriptam:Hæc fac & viues.Sed conſiderandus eſt quis à Paulo indicatur finis,vt vires ſuas expertus homo, vel potiùs impotentiæ ſuæ conuictus, depoſita ſuperbia,nudus ad Chriſtum confugiat.Neque locum habet fidei iuſtitia, donec compertum habuerimus fruſtra nobis ex lege ſalutẽ promitti. Adeò quidem præpoſteri ſunt Tridentini pattes,vt cùm Moſis officium ſit,nos ad Chriſtum manuducere;ipſi à Chriſti gratia,ad Moſen traducant. Ita Caluinus. *Reſponſio Calu.ni.*

Qui parum hæc,ſicut & alia,ponderauit. Siquidem & nos dicimus, Væ cathecumenis,& ne dum illis,verùm etiã & alijs oĩbus,qui Dei neglecta *Impugna.*

gratia,per legem iuſtificari contendunt.Hos enim maledictos eſſe declauit ad Galathas.3.,Paulus Apoſtolus.Cuius quidẽ intentio illa non erat, vt quicunque ſeruant opera legis,ſub maledicto ſint;quia hoc eſt falſum; pro tempore legis;at ꝙ illi qui in operibus confidunt,& putant ſe iuſtificari per ea,ſine gratia Chriſti,ſub maledicto ſunt.Aliud eſt enim,inquit D.Tho.,eſſe in operibus legis,& aliud eſt ſeruare legem. Nam hoc eſt legem implere;& qui eam implet,non eſt ſub maledicto.Eſſe verò in operibus legis,eſt in eis confidere,& ſpem ponere. Et qui in eis hoc modo ſunt,ſub maledicto ſunt;ſcilicet tranſgreſsionis.Quod quidẽ non facit lex, quia concupiſcentia non uenit ex lege; ſed cognitio peccati, ad quod proni ſumus per concupiſcentiam,quæ eſt iure prohibita.Quatenus igitur lex, peccati agnotionem facit,& non præbet auxilium contra eum, dicuntur eſſe ſub maledicto,cum nequeant illud per ipſa opera legis euadere. Siquidem opera legis ſi modò conſiderentur,non ſunt amplius cerimonialia,quoniam hæc mortua,& mortifera ſunt,propter aduentũ Chriſti. De iſtis igitur non loquebatur Dominus adoleſcenti,ipſum interroganti;ſed de moralibus;veluti ore proprio expoſuit.Vt igitur vitam mereretur æternam,ad huiuſmodi iuris obſeruantiam illum reiecit; non quidem ut eam per ſe ſolus adimpleret,nec inde iuſtitiam ſimpliciter quæreret (hoc enim eſt impoſsibile) at comite gratia diuina; quemadmodum Ioannis cap.3.ipſe Dominus his verbis expoſuit:Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto,non poteſt introire in regnum Dei. Illi enim loquebatur,qui ad ipſum uenerat,modũ ſalutis quærens; quæ lauacro regenerationis erat præſtanda.Vnde ipſe IESVS non illa verba dixiſſet,niſi homo propriam voluntatem,atque liberum conſenſum haberet,quibus diuinis præceptis,gratia aſsiſtente,obediret.Ita vt hominis non ſit virtus connaturalis,ſed Dei donum;quo ſine,præcepta ſeruari nequaquam poſſunt.Homo ergo à gratia adiuuatur,ne ſine cauſa uoluntati eius iubeatur. Non igitur præpoſteri & inordinati fuerunt doctiſsimi patres, qui Sacroſanctæ Tridentinæ Synodo affuerunt; quibus maledictus Caluinus conuicia facit; atqui diuinam gratiam perpetuò ante oculos habentes, legem abſque ea impleri non poſſe,optimè ſanxerunt.

4. Quarto loco fauet huic ſanctiſsimo decreto de libero arbitrio,id qđ Matthæi,cap.23.,dicit Dominus: Hieruſalem,Hieruſalẽ,quæ occidis Prophetas,& lapidas eos qui ad te miſsi ſunt;quoties volui congregare filios tuos,quemadmodũ gallina congregat pullos ſuos ſub alas;& noluiſti? Ex hoc certè loco euidenter aſtruitur arbitrij noſtri libertas & uis; ꝙ ſcilicet in nobis ſitum eſt, & noſtra voluntate ſaluari; quamquam non ſine Dei gratia nos præuenientes quam eſſe neceſſariam,etiam locus iſte oſtendit,dum prius dicit Dominus,ſe uoluiſſe filios Hieruſalem congregare.Si enim illa noluiſſet,nec iſta uelle potuiſſet; ſed illo uolente,iſta noluit; vnde ſine præueniente Dei gratia,benè quidem uelle non poſſemus; ſed præuenientem Dei gratiam,nulla neceſsitate amplecti cogimur; ſed liberum eſt, eam vel amplecti,vel non.

Confirmatur doctrina ex D. patre Auguſtino, qui in actis cum felice,

lib.2.,

lib.2.,cap.5.,ait ꝙ is qui nolle poteſt,& uelle quoqne habet; proinde & liberum habet arbitrium. Inquit enim: Qui ſeruare legem non vult,in poteſtate eius eſt ſi uelit. Tom. 6.

Idem de gratia & libero arbitrio,cap.3.,in fine aſſerit ſub his verbis: Tom. 7. Cui tamen dicit Apoſtolus:Noli uinci à malo,ſed uince in bono malum. Roma.12 Et utique cui dicitur, noli uinci; arbitrium ſine dubio uoluntatis eius conuenitur;velle enim & nolle,propriæ uoluntatis eſt. Oblata igitur aliqua re, qui non vult, & uelle quoque poteſt. Hieruſalem autem habuit nolle reſpectu diuinæ vocationis; velle igitur etiam poterat habere. Et ita liberum habebat arbitrium.

Ad uerba tamen Euangelij reſpondet Caluinus his verbis:Veſtrum magiſtrum ſententiarum ego afferam, quem Scotus ſequitur; dum verba illa exponunt, hunc in modum intelligunt, vt nolentes congregauerit. Hanc reſponſionem vt tyrones faciliùs intelligant, explano. Reſponſio Caluini.

Diuus enim Auguſtinus in Enchiridion,cap.97.,ita ſcribit:Sed apertiùs Dominus in Euangelio compellans impiam ciuitatem, Quotiens, in quit,volui colligere filios tuos,ſicut gallina pullos ſuos,& noluiſti;tãq̃ Dei voluntas ſuperata ſit hominũ volũtate,& infirmiſsimis nolendo impediẽtibus,non potuerit facere potentiſsimus quod uolebat. Et ubi eſt illa oĩpotentia,qua in coelo & in terra, oĩa quæcunque uoluit fecit,ſi colligere filios Hieruſalẽ uoluit,&non fecit? An potius & illa quidẽ filios ſuos ab ipſo colligi noluit, ſed ea quoq. nolẽte, filios eius collegit ipſe quos voluit;quia in coelo & in terra non quædam uoluit & fecit,quædam uerò uoluit & non fecit;ſed omnia quæcunque uoluit fecit. Hæc Auguſtinus. Tom. 3. Pſal.113

Magiſter autem Sententiarum,in 1. lib.,diſtinctio.46.,cap.1.&.2.,huiuſmodi citat Auguſtini uerba;demumq́.dicit,illum in hunc modum intelligere præinducta Euangelij dicta,vt ſit ſenſus:Quotiens uolui congregare filios tuos,& noluiſti? Ideſt,quotquot congregaui,mea uoluntate ſemper efficaci,te nolente feci. Sic ſententiarum Magiſter. Qui cum beato patre Auguſtino vult, quòd quicunque de filijs Iſrael congregantur,ſola Dei uoluntate congregentur. Eapropter Scotus,in primo Theologicarum ſenten.,diſtinct.46. q. vnica, inquirit nunquid uoluntas beneplaciti Dei ſemper impleatur; & ad partem negatiuam arguit ſecundo loco,illa quã citauimus Euangelij authoritate. Ad quod quidem argumentum ita reſpondet: Ad ſecundum, Magiſter exponit, & benè, non quaſi Dominus voluerit colligere filios Hieruſalem,& non ſit factum; ſed quod uoluit,ꝙ omnes quos ipſe congregauit, ſua uoluntate congregauit. Vide expoſitionem Magiſtri & nota eam. Hæc Scotus.

Hoc eſt igitur quod dicit Caluinus ex Magiſtro ſententiarum & Scoto:ꝙ nempe Deus filios Iſrael nolentes congregauit. Et ita vult habere, ꝙ ex illa Euangelij authoritate, non poſſumus liberum arbitrium in homine conuincere. Quoniam,inquit, ſi nolentes congregantur, ibi eſt neceſsitas; quia non eſt qui efficaci poſsit reſiſtere Dei uoluntati. Vbi autẽ eſt neceſsitas, mox perit libertas.

Sunt qui dicant, doctores gloſſando,& ſimul Caluinũ impugnando, ꝙ Impugna. quorundã

Deum contradicentes uocare,ſeu nolentes congregare;ſic uenit intelligendum,vt qui ante, Dominum ad hoſtium ſtantem audire nolebant,oblatæ gratiæ, dum trahuntur,conſentiunt. Sic enim Paulus,qui prius contradicebar,viſo lumine,dixit; Domine quid me uis facere?

Act.c.9. *Impugnatio iſtorũ.* At re uera,licèt doctrina ſit in ſe bona,ad rem autem minimè. Quoniam hæc non eſt Dei efficax voluntas, de qua illi doctores loquuntur. Et, inſuper, vrgeret adhuc Caluinus, quod ſi prius nolebant,& poſtea voluerunt, non igitur congregantur nolentes. Cuius tamen oppoſitum ipſi aſſerunt.

Impugnatio contra reſponſionis Caluini Nos aũt uolumus,ex illa Euangelij authoritate,optimè conuinci libe rũ hominis arbitriũ. Qñ Dominus noſter ibi ſignificare uoluit,nõ eſſe factũ quod ipſe uolebat,renuente impia ciuitate. Id quod facilè conuincitur, ſi loca ſcripturarum adinuicẽ connectere uelimus. Obſeruemus igitur,ꝙ Chriſtus nõ ſaxa & lapides ciuitatis lamẽtabatur,ſed habitatores. Quo facto,mox ſubdit: Ecce relinquetur uobis domus veſtra deſerta. Relinquetur, inquit,vobis, ideſt, ad ueſtrã confuſionẽ, voſtrarumq́. culparũ uindictam, domus veſtra deſerta. Quod factum eſt, quando Romani deſtruxerunt Hieruſalem,& vendiderunt, ac diſperſerunt plurimos Iudæorum.

Et iterum obſeruemus, hæc optimè reſpondere ijs, quæ de Hieruſalẽ Dominus dicit apertè per Ezechielẽ,cap.24.;quo loci lamentatur Deus impiam ciuitatem,eo ꝙ non fuit factum quod uoluit. Sic enim per illum prophetam,ſuam pro Hieruſalem ſolicitudinem,& illius ob incorrectam malitiam,poſt multa perditionem proloquitur: Multo labore ſudatum ẽ, & non exiuit de ea nimia rubigo eius,neque per ignem. Immunditia tua execrabilis;quia mundare te uolui,& non es mundata à ſordibus tuis,ſed nec mondaberis prius donec quieſcere faciam indignationem meam in

Tom. 4. te. Quæ quidem enarrans diuus pater Hieronymus,ait: Poteſt hæc eadem prophetia & ad tẽpus pertinere dominicæ paſsionis;propter quam exercitu circundata eſt Hieruſalem,& interfecti filij eius:& obſidente Tito filio Veſpaſiani, ad ſalutem nullus euaſit, templumq́. ſubuerſum eſt; & poſt quinquaginta annos, ſub Hadriano, ciuitas æterno igne conſumpta eſt.

Ecce quàm benè omnia conſonent;quippe Hieruſalem toties monita & uocata, obedire uocanti pertinaciter noluit, ob id prædicit Deus dignam illis uenturam ultionem. Non igitur nolentes cõgregauit Chriſtus, at inobedientes & pertinaces magno affecit ſupplicio. Quod utique non fuiſſet, niſi libero contra Dei miſericordiſsimam veritatem, & mitiſsimã pietatem pugnaſſent arbitrio.

Nec ob id ſequitur,quin Dei efficax voluntas impleatur ſemper; quãdoquidem de illa nõ uenit intelligenda quam induximus authoritas; atqui de uoluntate Dei optatiua,quã uocant uoluntatẽ ſigni; ſiue de voluntate antecedente,non conſequente. Voluit nanque Deus ſaluare Hieruſalẽ, voluntate antecedente; quæ non ſemper impletur, quia non eſt uoluntas abſoluta; ſed uoluntas Dei conſequens impletur ſemper. Volũtas antecedẽs eſt,cùm Deus oĩa neceſſaria dat homini,vt vitã conſequatur æternã; & ita intelligẽdus eſt Paulus Apoſtolus,cùm dicit in prima ad Timotheũ,

cap.2.: Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Voluntate ſcilicet antecedente, quia Deus nemini ſuum negat auxilium. Dei autem uoluntas conſequens, ſiue efficax, quam noſtri, beneplaciti appellant, illa eſt, qua Deus abſolutè & ſimpliciter diſpoſuit quædam facere, aut quædam ſinere fieri. De hac loquitur ſcriptura, Heſter cap.13., cùm dicit: Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita; & non eſt qui poſsit tuæ reſiſtere uoluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael. De eadem loquitur regius Pſaltes, in pſalmo .113., quando ait: Omnia quæcunque voluit fecit. Atqui de hac non loquebatur Ezechiel, nequidem Chriſtus in prædictis authoritatibus. Vnde ſi non eſt ſaluata Hieruſalē, id fuit quia noluit; nec eſt alia aſsignanda ratio. Non enim compellit Deus liberùm hominis arbitrium; ſed unumquemque in ſua voluntate relinquit.

Pro quinta ratione ſeſe offert quod Dominus noſter dixit diſcipulis ſuis, Ioannis cap.14.: Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam; vt glorificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Hoc in loco, petituris omnia ſe largiturum pollicetur Seruator noſter; at hoc non omnibus, ſed illis tantùm qui eum diligunt, & ſua præcepta ſeruant. Multi enim in eius nomine petunt, & non accipiunt. Huiusq. rationem inducit Iacobus Apoſtolus in ſua catholica epiſtola, cap.4., cùm ait: Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis; vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis. Quam ſententiam ita ediſſerit venerabilis Beda. Malè autem petit, qui iuſſa Domini contemnens, à Domino beneficia ſuperna deſiderat. Malè petit & ille, qui amiſſo amore ſupernorum, infima tantùm quærit bona percipere. Et hæc non ad ſuſtentationem humanæ fragilitatis, ſed ad redundantiam liberæ uoluptatis. Hæc ille. His itaque ſtantibus, in hunc modum erigo rationem: Diligentibus ſeipſum, & præcepta ſua ſeruantibus, gratiam ſolummodo ſpiritualium bonorum pollicetur Chriſtus. Illis autem, qui non ad ſtudioſè agendum, ſed ad replendas cupiditates, carnalesq. voluptates ſuas quicq̄ à Deo petunt, aures Deus penitus obſtruxit. Modò aūt, ſi impoſsibile eſt, hominē diuina ſeruare præcepta, & per conſequens ipſum Deum diligere; quia neceſsitas ad perditos & peruerſos mores, animos humanos inflectit; inuenietur Deus iniuſtus, (abſit liuor à uerbo) qui omnibus præcepit per Prophetam, declinare à malo & facere bonum; cohibere linguam à malo, & labia, ne loquantur dolum. Et ipſe: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et ſi ex neceſsitate, cui ad praua deflectenti contra niti non poſſumus, aut reſiſtere, oritur perditio noſtra, quomodo Oſee propheta cap.13., humani mali cauſam explanans, ait: Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum? Quare autem ſit ex nobis perditio noſtra, iam dixit Dominus; quia ſcilicet, nec eum diligimus, nec eius mandata ſeruamus. Quæ tamen grauia non ſunt; inquit Ioannes, in ſua prima canonica, cap. quintò. Et Matthæi vndecimo, ait Dominus: Tollite iugum meum ſuper uos; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Iuſtus igitur & uerax cùm ſit omnino Deus ipſe benedictus; quòd homo liberum habeat arbitrium, ſit neceſſariò conſequēs.

.5.

Tom.5.

Pſal.33.

Itē ſexto loco ad idē in hunc modū procedo: Ex D. patre Auguſtino in actis cum felice, habuimus ſupra, q qui habet uelle, habet etiam nolle; & ita liberum arbitrium. Modo ſic: Qui propriè habet uelle & nolle reſpectu gratiæ diuinæ, habet liberum arbitrium ad bonum vitæ æternæ meritorium. Quandoquidem poteſt diuinæ gratiæ aſſentiri, ab eaq. diſſentiri. Quòd autem homo poſt naturæ lapſum habeat huiuſmodi uelle & nolle, id optimè demonſtrat quod dixit Dominus noſter ei, qui triginta & octo annos habebat in infirmitate ſua; Ioannis cap. quinto Hunc enim cùm uidiſſet IESVS iacentem, dixit ei: Vis ſanus fieri? Si autem non habet velle, ad quid de eo interrogare? Poſtea inuenit eum IESVS in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Ne igitur dicamus, incaſſum Dominum id præcepiſſe, quòd etiam nolle habuerit, fateamur oportet. Quare liberum habebat arbitriū ad bonum meritorium. Propterea D. Auguſtinus tractatu. 17. in Euangelium Ioannis, ait: Tria dixit Chriſtus; ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula. Sed ſurge, inquit, non operis imperium fuit, ſed operatio ſanitatis. Sano autem duo imperauit, tolle grabatum tuum, & ambula. Vnde concludit, q in his duobus Domini iuſsis, duo charitatis præcepta ſignificantur; nimirum dilectio Dei & proximi. Quoniam ſufficiebat, inquit, dicere, ſurge, aut ambula. Non enim ille cùm ſanus ſurrexiſſet, in loco remanſiſſet; ſed ad hoc ſurrexiſſet, vt abijſſet.

Tom. 9.

Confirmatur doctrina ex eo quód dixit Dominus mulieri, quæ fuerat deprebenſa in adulterio, Ioannis cap. 8. Vade, & iam amplius noli peccare. Facta ſecura de præterito, caue futura; deleui quod commiſiſti, obſerua quod præcepi, vt inuenias quod promiſi; inquit Auguſtinus. Et re vera niſi mulier habuiſſet uelle & nolle, fruſtra Chriſtus, fruſtra Auguſtinus illa dixiſſent.

7\. Quid dicendum de Pilato Chriſtum iudicante? Nónne Matthæi. 27. habemus quòd illum dimittere uolebat, quia ſciebat quòd per inuidiā tradidiſſent eum? Ioannis tamen. 19., audiens quòd Iudæi dicebant ſe regem non habere niſi Cæſarem, tradidit eis illum, vt crucifigeretur. E regione uerò Petrus; qui ter Dominum negauit, deinde egreſſus foras fleuit amarè; Matthæi. 26. Iudas quoque ibidem, abijt ad principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Nónne in eorum poteſtate, atque uoluntatis libertate, pretium reliquit? Sed ipſe uidens quòd damnatus eſſet, poenitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum; Matthæi. 27. Attende modò, pie & prudens lector, quot hic ſint uariæ mutationes, quot poenitentia cordas quædam tamen bona, quædam mala. At hoc unde, niſi ex libera hominis voluntate?

Tom. 2. Diuus ideo Ioannes Chryſoſtomus, homilia. 86. in Euangelium Matthæi, de huiuſmodi Iudæ ſera poenitentia uerba faciens, inquit: Hoc tam Iudæ, q̄ pontificum culpam exauget; illius non, quia cum poenituit, ſed quia tardè poenituit, & ſeipſum condemnauit, confeſſus à ſe factam eſſe

traditionem. Horum autem, quia cùm poſſent mutare propoſitum, perſeuerarunt pertinaces, nulla poenitendi cognitione compuncti.

Confirmatur doctrina authoritate Apoſtoli Pauli, ad Roma.2., qui ait: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impoenitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera eius. His qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam. His autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci. Et ijs optimè conſonant, quæ docet Eccleſiaſtici ſcriptura, cap.5., dicens: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adijcias peccatum ſuper peccatum. Et ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo cito proximant; & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim ueniet ira illius, & in tempore uindictæ diſperdet te.

Si modò liberum non habemus arbitrium, quid Paulus ait, quòd benignitas Dei ad poenitentiam nos adducit? Si uoluntas mea perpetuò fertur in peccatum neceſsitate, qui fieri poteſt, vt cor meum durum dicatur, & impoenitens? Si non operor ego bonum, ſed Dei eſt uoluntas propria, quomodo reddet ipſe unicuique ſecundùm opera eius? Nónne barbarè Apoſtolus loqueretur, dicens, quòd nos ſumus quærentes gloriam & honorem, necnon & incorruptionem? Etiam, cur ſi non habeo liberum arbitrium, ſcripturæ ſanctæ author Spiritusſanctus dicit mihi: Non tardes conuerti ad Dominum? Ad impoſsibile me hortatur? Abſit. Niſi igitur liberum haberemus arbitrium, ineptè certè loqueretur Spiritusſanctus.

Et taceat Caluinus; qui aduerſus Pighium, pagina mihi.190., dicit quod eo in loco Paulus loquitur de hypocritis; quibus Deus, ſpiritualem regenerationis benedictionem minimè offert; ſed tantùm electis. Hoc enim patet eſſe falſum de Paulo. Tum ex contextu, tum quia Deus non omnes uocaret ad poenitentiam; contra id quod dicit Dominus Lucæ quinto, & Matt.9.: Non ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad poenitentiam. Omnes autem peccauerunt, ad Roma.3.; &, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt; Pſal.13.; omnes igitur uocauit. Et Marci.16.: Euntes in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui uerò non crediderit, condemnabitur. Lucæ quoque.6.: Hypocrita, eijce primò trabem ab oculo tuo; & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui. Quaſi diceret: Si uerè iuſtus eſſe cupis, primùm eijce trabem ab oculo tuo. Iuſtus enim in principio accuſator eſt ſui; Prouer.18.; Non enim poteſt arbor mala fructus bonos facere. Fias igitur prius arbor bona, & deinde poteris fructus bo-

ctus bonos producere. Cur ergo non uocat hypocritas Chriſtus?

8. Atqui octauo loco, eundem audiamus Apoſtolum, in priori ad Corinthios Epiſtola, cap. 7. ita loquentem: De virginibus autem præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, tanq̃ miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Conſilium autem non eſt de neceſſarijs, at de his ſolùm, quæ poſſunt ita & aliter fieri; dicebat D. Gregorius Nyſſenus. Ob id præceptum obligat, conſilium autem ſub libertate relinquit. Vn-
Tom. 10. de beatus pater Auguſtinus in ſermonibus de tempore, ſermone. 61., ait: Aliud eſt conſilium aliud eſt præceptum. Conſilium datur ut virginitas conſeruetur, vt à vino & à carnibus abſtineatur, vt uendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum uerò datur, vt iuſtitia cuſtodiatur, vt
Matt. 19. omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, qui poteſt capere capiat. De iuſtitia uerò non dicitur, qui po-
Matt. 3. teſt facere faciat; ſed, omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Conſilium qui libenter audierit, & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, niſi poenitentia ſubuenerit, euadere poenam non poterit. Sic ille.

Cui Apoſtolus optimè reſpondet, ita concludens: Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit; Et qui non iungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. Quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege. Cui autem vult, nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.
Tom. 8. Vnde Hieronymus: Beata habens maritum, ſi cuſtodiat caſtitatem. Beatior vidua; quia minor in labore, maiorem inueniet caſtitatem. Beatiſsima virgo, quæ ſine labore ad ſummum præmium poſsit peruenire. Cùm itaque ſint hæc in noſtra poteſtate, cur non habemus liberum arbitrium?

9. Hoc nanque negare, eſt Apoſtolo Paulo obuiam ire, qui in memorato loco ait: Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, benè facit. Quæ quidem verba, D. enarrans Hieronymus, dicit: Ille firmus ſtatuit, cuius puellæ conſenſus, patris firmauerit voluntatem.

10. Sed ad Philemonem clarius; hunc in modum loquitur Apoſtolus: Sine conſilio autem tuo nihil uolui facere, vti ne uelut ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.

11. Amplius; In actis Apoſtolorum cap. 5., dixit Petrus ad Ananiam: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri Spirituiſancto; & fraudare de pretio agri? Nónne manens tibi manebat; & uenundatum in tua poteſtate erat? At quomodo in ſua poteſtate erat, ſi libero carebat arbitrio?

12. Ad hæc, Idem Petrus in ſua prima canonica, cap. 5. ait: Paſcite qui in uobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſponte, ſecundùm Deum; neque turpis lucri gratia, ſed uoluntariè; neque ut dominantes in cleris, ſed formæ facti gregi ex animo. Et re uera huiuſmodi uerba

vſqueadeò

vſqueadeò clara ſunt,& aperta,vt nullam recipiant gloſſam. Multæ aliæ eſſent ſacræ ſcripturæ authoritates, quæ huic noſtro conducerent negotio; at breuitatis gratia, volo vt his contenti ſimus,& ad alia pedem conuertamus.

Doctorum vtriuſque claſsis authoritatibus, eadem probatur aſſertio catholica de libero hominis arbitrio. Cap. 23.

SI quæ faciunt ad liberum hominis arbitrium comprobandum, ſacræ ſcripturæ authoritates omnes inducere vellemus, id eſſet munus ſuſceptum nunquam conficere, propterea quòd ubique locorũ id apertè clamat Spiritusſanctus. Verùm quia iſti noui theologi dicunt, & uolunt hoc nomen, arbitrium, in ſacris minus eloquijs reperiri; ad hoc refellendum, rationes non deſunt; at una pro omnibus ſufficiat authoritas,& hæc ex .4. regnorum libro deſumpta, cap. 12. quo loci, Dixit Ioas ad ſacerdotes: Omnem pecuniam ſanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini accipiant illam ſacerdotes iuxta ordinem ſuum,& inſtaurent ſartatecta domus, ſi quid neceſſarium uiderint inſtauratione. Vbi Nicolaus de Lyra dicit: Ordinauit Ioas, quòd à viris qui erant à viginti annis,& ſupra, qui poterant ad bella procedere, ſolueretur dimidius ſiclus argenti à quolibet;& iſtud uocatur pretium animæ. Et vltra hoc, illi qui erant potentiores,& deuotiores, offerebant ſecundùm quòd eis placebat. Et iſta uocatur pecunia ſponte data,& ex arbitrio voluntatis. Et ex iſtis debebat reparari templum.

Leuitici quoque ſcriptura, cap. 13., ſic ait: Quicunque ergo maculatus fuerit lepra,& ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, habebit ueſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidum ſe clamabit. Vnde beatus Theodoretus ait: Per affectiones corporeas indicat morbos animæ;& per ea, quæ non ſponte comittuntur, arguit ſpontanea. Si enim naturalia quodammodo uidentur eſſe impura, quantò magis ea quæ manant à voluntate? Porrò uarias lepræ ſpecies ediſſerit, quia ſunt etiam multa peccatorum diſcrimina;& ſicuti lepræ quædam eſt origo, ita & peccati. Quemadmodum itaque Sacerdos lepram diſcernit, ita peccatorum animæ iudicem ipſum eſſe oportet. Ecce quòd iſte doctor ſanctiſsimus, illud nomen (arbitrium) per iudicium exponit; ita etiam Nicolaus de Lyra. Quinimo ipſe ſcripturarum author Spiritusſanctus; qui eodem in loco ait: Quando uerò caro uiuens in eo apparuerit, tunc ſacerdotis iudicio polluetur,& inter immundos reputabitur. Et ſuperius cùm dixiſſet leproſum ducendum eſſe ad Sacerdotem, ſubdit: Qui cùm uiderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipſamq́. ſpeciem lepræ humiliorem cute,& carne reliqua, plaga lepræ eſt;& ad arbi-

trium eius ſeparabitur.Hinc itaque habere uolo,quòd per arbitrium,intelligit Spiritusſanctus,iudicium.Qui autem habet iudicium,habet etiam diſcurſum,&ita conſilium. Conſilium autem non eſt niſi de ijs quæ in nobis ſunt; vt probauimus. Quare propriè,& adamuſsim,liberum arbitrium reperitur in ſacris eloquijs .

Tom. 8. Confirmatur doctrina ex D. patre Auguſtino;qui ſuper pſalmum .98. dicit : Diſcernendo,iudicium habes;faciendo,iuſtitiam habes.Primò debes habere iudicium,& poſtea iuſtitiam.Quod iudicium?Vt primò iudices quid ſit malum,& quid ſit bonum.Et quam iuſtitiam? Declines à malo,& facias bonum.Hæc ille.Ex quibus patet,quòd iudicium non eſt ſine diſcretione. Quam ſequitur conſilium, & hoc, delectatio, ſiue complacentia;dicebat .D. Bernardus.Et hæc præſupponunt ſemper liberum arbitrium;veluti in ſuperioribus oſtendimus.Atqui .D. Bernardus de libero arbitrio in termino ad quem,tunc loquebatur.Et re uera ſi uis accipiatur vocabuli,liberum arbitrium nominat actum;at uſus obtinuit,vt ſignificet principium actus.Vnde in præcedentibus diximus,liberum arbitrium potentiam eſſe;non quidem abſolutè,at in ordine ad actum,qui dicitur electio;quæ præſupponit conſilium. Et ita liberum arbitrium ſuapte natura,ſiue(quod aiunt)eſſentialiter,eſt ipſa uoluntas,cum reſpectu, ſiue ordine ad rationem,ſiue ad iudicium electionis;quæ eſt vnus,& proprius actus liberi arbitrij. Sanctæ igitur Romanæ Eccleſiæ doctores,ſacram ſcripturam rectè interpretantes, de libero hominis arbitrio concordia coniunctiſsimi loquuntur;minimè autem perplexè & uariè,vt eis adſcribit Caluinus.

D.Clemēs Romanus. Inito igitur literario certamine inter beatum Petrum, Apoſtolorum coryphæum, ouiumq. Chriſti paſtorem, & Simonem magum, in .3. libro ſuarum recognitionum,exponit .D.Clemens Romanus,quòd Simon, .D. Petrum in hunc modum alloquebatur:De quo uis haberi certamen? dic, vt & ego definiam quod mihi uidetur,& ita quæſtio incipiat. Et Petrus reſpondit:Si quidem,vt mihi videtur,facere vis,ego ſecundùm magiſtri mei præceptum facere uolo; qui primò omnium Hebrææ genti,quam ſciebat habere cognitionem Dei; & quòd ipſe eſſet,qui fecerit mundū; præcipit, non ut eum quæreret, quem ſciebat; ſed uoluntatem eius,iuſtitiamq. perquireret;ſciens,quia in hominum arbitrio poſitum eſt,vt hoc quærentes inueniant;& faciant,atque obſeruent ea,de quibus iudicandi ſunt.Et ideo iuſsit nos quærere,non unde ſit malum,vt tu paulò ante requirebas,ſed iuſtitiam boni Dei,regnumq. eius,& omnia,inquit,hæc adicientur uobis.Et Simon: Quoniam,inquit,Hebræis iſta mandātur,velut rectè ſcientibus Deum,& opinantibus,quòd vnuſquiſque in ſuo arbitrio habeat agere ea,de quibus iudicandus eſt; mihi autem ab illis diſcrepat ſententia; vnde uis ut incipiam? Tum Petrus: Ego,inquit,ſuadeo,primò quærendum eſſe,num in poteſtate noſtra ſit ſcire,vnde iudicandi ſimus. Et Simon: Non ita,inquit,ſed de Deo;vnde & oēs qui præſtò ſunt,audire cupiunt.Et Petrus: Conſtat ergo apud te,quia eſt aliquid in arbitrij poteſtate facere? Hoc tantum ſi eſt, & requiramus, vt dicis,de Deo.

Simon ad hæc reſpondit: Nequaq̃. Et Petrus: Si ergo nihil eſt in noſtra poteſtate, ſuperfluum eſt, nos quærere aliquid de Deo; cum in poteſtate non ſit quærentibus inuenire. Vnde benè dixeram, hoc primò quærendũ eſſe, ſi eſt aliquid in arbitrij poteſtate. Tũ Simon: Non poſſum, inquit, ne hoc ipſũ quidẽ intelligere quod dicis, nĩ ſit aliquid in arbitrij poteſtate.

At Petrus videns, quòd ad partem ſe contentioſiorẽ declinaret, ſuperari metuens, vt quaſi in incertum confunderet omnia, reſpondet. Quomodo ergo ſcis, quia non eſt in hominis poteſtate ſcire aliquid; cùm hoc ipſe ſcias? Et Simon: Neſcio, inquit, ſi uel hoc ipſum ſciam; vnuſquiſque enim, ſicut ei fato decernitur, vel ſapit aliquid, vel intelligit, vel patitur. Tum Petrus: Videte, inquit, fratres, in quæ abſurda deciderit Simon, qui ante meum aduentum docebat, quòd homines in poteſtate haberẽt, & ſapere, & facere quæ uellent, nunc in anguſtum redactus neceſsitate verborum, negat eſſe in hominis poteſtate, aut ſciendi aliquid, aut agendi; & tamen audet ſe doctorem profiteri. Sed dic: Quomodo ergo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquemque pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? hoc ſi teneatur, conuulſa ſunt omnia, fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora; ſed & iudices ſeculi fruſtra legibus præſunt, & puniunt eos qui malè agunt; non enim in ſua poteſtate habuerunt, vt non peccarent. Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus poenas ſtatuunt; miſeri erunt & hi, qui ſeruant cum labore iuſtitiam; beati uerò illi, qui in delitijs poſiti, cum luxuria & ſcelere uiuentes, tyrannidem tenent. Secundùm hæc ergo, nec iuſtitia erit, nec bonitas, nec vlla virtus; & vt vis, nec Deus. Sed hæc, ô Simon, cur dixeris ſcio; volens profectò effugere quæſtiones, ne poſsis manifeſtiùs confutari; ideo ais non eſſe in poteſtate hominis, ſentire aliquid, aut inuenire. Si enim uerè hoc ita ſenſiſſes, non utique etiam ante aduentum meum, apud populum te profitereris doctorem. Ego igitur dico, ſui eſſe arbitrij hominem. Et Simon: Quid eſt ſui arbitrij? dic nobis. Petrus ad hæc: Si nihil poteſt diſci, cur & audire uis? Et Simon: Nihil habes ad hoc, quod reſponde as? Tum Petrus: Dicam, non à te compulſus, ſed ab auditoribus rogatus. Arbitrij poteſtas eſt ſenſus animæ, habens virtutem, qua poſsit, ad quos velit actus inclinari. Hæc ibi.

Item libro. 10. recognitionum, ad initium, introducit .D. Clemens præceptorem ſanctiſsimum Petrum, ita loquentem: Audite me, dilectiſsimi conſerui, Scio quid grandem habeatis affectum erga patrem ueſtrum, uereor ergo, ne ante tempus eum perurgeatis, iugum religionis ſuſcipere, nondum ad id paratum, ad quod fortè pro ueſtri gratia uideatur adquieſcere; ſed hoc non eſt firmum; quod enim propter homines fit, probabile non eſt, & citò dilabitur. Ideoq; videtur mihi, vt concedatis ei anno vno uiuere pro arbitrio, quo poteſt, iter agens nobiſcum, dum nos alios docemus, etiam ipſe ſimpliciter audire, & audiens, ſi quidem agnoſcendæ veritatis rectum propoſitum gerit, ipſe rogabit, vt ſuſcipiat religionis iugum; aut, ſi non placet ei recipere, permaneat amicus. Hæc beatus Petrus. Quibus habemus, quòd non ſunt homines ad fidem urgendi, at in ſuo

arbitrio

arbitrio relinquendi; adhibitis tamen, quæ ad eorum eruditionem ſunt neceſſaria.

Et parũ infra, idem Petrus ait: Nos nec ſilere ſemper, neq. percunctari cogimus accedentes ad nos; ſed relinquimus ipſorũ libertati, facere ut uolunt; ſcientes quòd qui curam gerit ſalutis ſuæ, ſi in parte aliqua ſentit animæ ſuæ dolorem, tacere non patitur.

Item infra, contra Aſtrologos de humano exitu iudicantes, in hunc modum D. Clemens effatur: Nos autem qui myſterij huius didicimus rationem, ſcimus & cauſam; quia libertatem habentes arbitrij, interdum cõcupiſcentijs obſiſtimus, interdum cedimus; & ideo humanorum geſtorum incertus eſt exitus; quia in libertate pendet arbitrij. Nam concupiſcentiam quidem, quam operatur maligna virtus, poteſt indicare mathematicus; ſed, an concupiſcentiæ huius actus, vel exitus impleri poſsit, nec ne, quia in arbitrij libertate eſt, ſcire ante effectum rei à nullo poteſt. Verba certè clara ſunt, & nulla egent expoſitione. Sed audiamus quæ alibi dicuntur.

Amplius, in epiſtola prima dicit: Operum ratio poteſtate & arbitrio vniuſcuiuſque permittitur, & hoc ipſorum eſt proprium. Deſiderium verò habere erga doctorem ueritatis, hoc à patre coeleſti donatum eſt. Sed ſalus in eo eſt, vt voluntatem eius cuius amorem & deſiderium, Deo largiente conceperis, facias; ne dicatur ille ſermo eius ad nos quem idem dixit: Quid autem me dicitis Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Luc. 6. In epiſtola quoque. 3. inquit: Si quis ſanè audiens ſermonem veri prophetæ, velit recipere, aut nolit, & amplecti onus eius, (ideſt, mandata vitæ) habet in ſua poteſtate. Liberi enim ſumus arbitrij. Nam ſi hoc eſſet, vt uidentes ea, iam non haberent in poteſtate aliud facere, q̃ audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non eſſet, ad aliam migrare ſententiam. Aut ſi rurſus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ uis erat, quæ unum aliquid fieri cogeret, & alteri parti nõ daret locum. Nunc autem, quia liberum eſt animo, in quam uelit partem declinare iudicium ſuum, & quam probauerit, eligere uiam, conſtat euidenter, ineſſe hoĩbus arbitrij libertatem. Hæc ſunt, quæ ex D. Petro Apoſtolo, eiuſq. diſcipulo Clemẽte, in his locis, de libero habuimus arbitrio.

D. Dionyſius Areopagita. Diui quoque Apoſtoli Pauli diſcipulus, beatus Dionyſius Areopagita, lib. de coeleſti hierarchia, cap. 9., inquirit, cur ſi angeli ſancti, ac præpotentes præſunt ſingulis gentibus; prout ipſe dixerat ſupra; quid cauſæ eſt, quòd ſolus populus Hebræorum ad diuinas, & principales illuminationes peruenit olim ſub lege? Ad quod ita reſpondet: Non oportet imputari rectiſsimè gubernantibus angelis, ſi gentes aliæ ad eorum, qui dij non ſunt, culturam deuolutæ ſint; ſed illis ipſis in primis, qui motibus proprijs à recto calle, quo ad Deum aſcendere poſſent, ſua ſponte deuiarunt. Cuius erroris adeò pernitioſi, cauſa illis fuit amor ſui, atq. ſuperbia, & (quod ſequi neceſſe erat) eorum cultura, quæ diuinum aliquid habere putauiſſent. Huius rei etiam ipſi Hebræorum populo crimen impingitur, atque ideo idipſum paſſus memoratur. Scietiam enim, inquit,

Exo. 32. *Oſee. 4.*

Dei re-

Dei repuliſti,& poſt cor tuum ambulaſti. Neque enim coactam habemus vitam,neque liberi arbitrij gratia,diuinitus indulta mortalibus,prouidentiæ diuinæ luce,& ſplendore obtunditur. Hactenus .D.Dionyſius.

Beatus quoque Irenæus aduerſus hæreſes lib.4.,cap.9.,ait: Homo uerò rationabilis,& ſecundùm hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus,& ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. *D. Irenæus.*

Et ibidem,cap.29.,ait: Si autem quidam propter inobedientes Iſraelitas & perditos, infirmum dicunt legis doctorem, inuenient in ea uocatione quæ eſt ſecundùm nos,multos quidem uocatos,paucos uerò electos;& intrinſecus lupos,foris uerò indutos pelles ouium;& id quod erat ſemper liberum,& ſuæ poteſtatis in homine,ſemper ſeruaſſe Deum,& ſuā exhortationem;vt iuſtè damnentur qui non obediunt;& qui obedierunt & credunt ei,honorentur incorruptibilitate.

Itemq. eodem in loco,cap.71.,ſic per totum loquitur: Aliud autem quod ait: Quotiens volui congregare filios tuos,& noluiſti; veterem legem libertatis hominis manifeſtauit; quia liberum eum fecit ab initio, habentem ſuam poteſtatem,ſicut & ſuam animam,ad utendum ſententia Dei uoluntariè,& non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit,ſed bona ſententia adeſt illi ſemper. Et propter hoc,conſilium quidem bonum dat omnibus. Poſuit autem in homine poteſtatem electionis,quemadmodū & in angelis. Etenim angeli rationabiles, vti hi quidem qui obediſſent, iuſtè bonum ſint poſsidentes,datum quidem à Deo,ſeruatum uerò ab ipſis. Qui autem non obedierunt,iuſtè non inueniuntur cum bonis,& meritam poenam percipi. Quoniam Deus quidem dedit benignè bonum, ipſi uerò non cuſtodierunt diligenter illud, neque pretioſum arbitrati ſunt,ſed ſupereminentiam bonitatis contempſerunt. Abijcientes igitur bonum,& quaſi reſpuentes,meritò omnes iuſtum iudicium incident Dei; quemadmodum & Apoſtolus Paulus in Epiſtola quæ eſt ad Romanos, teſtificatus eſt,dicens ita: An diuitias bonitatis eius,& patientiæ,& longanimitatis contemnis,ignorans quoniam bonitas Dei in poenitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam,& cor impoenitens theſaurizas tibimetipſi iram,in diem iræ,& reuelationis iudicij Dei. Gloria autem & honor,inquit, omni operanti bonum. Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apoſtolus teſtificatur in eadem epiſtola, & qui operantur quidem illud,& gloriam & honorem percipient,quoniam operati ſunt bonum,cùm poſsint non operari illud. Hi autem qui illud non operantur,iudicium iuſtum recipient Dei,quoniam non ſunt operati bonū, cùm poſsint operari illud.

Ad hæc,ibidem cap.72.,multis rationibus & authoritatibus probat hominem eſſe liberi arbitrij; ac demum ita concludit: Si igitur non in nobis eſſet facere hæc,aut non facere,quam cauſam habebat Apoſtolus, & multò prius ipſe dominus conſilium dare, quædam quidem facere, à quibuſdam uerò abſtinere? Sed quoniam liberæ ſententiæ ab initio eſt homo, & liberæ ſententiæ eſt Deus, cuius ad ſimilitudinem factus

eſt, ſemper conſilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea quæ eſt ad Deum obedientia. Et non tantùm in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſeruauit Dominus, dicens: Secundùm fidem tuam fiat tibi: propriam fidem hominis oſtendēs, quoniam ſuam habet ſententiam. Hæc omnia beatus Hirenæus: Qui fuit Sancti Polycarpi martyris auditor, & claruit anno à Chriſto nato, .175. referente Ioanne Trithemio.

D. Iuſtinus. Diuus item Iuſtinus philoſophus & martyr, in Apologia .2. pro Chriſtianis, ad Antonium Pium, ita ſcribit: Cæterùm ne quis noſtrâ dicta ſic accipiat, quaſi fati neceſsitatem aſſeramus, & quæ fiunt, ideo fieri, quia prædicta ſunt, explicabimus hoc quoque. Poenas ac præmia pro dignitate operum, cuique reddi uerum eſt, & compertum ex prophetarum oraculis. Alioquin ſi fato regerentur omnia, nihil omnino relictum eſſet in noſtra poteſtate. Nam ſi fatali lege alius bonus eſſet, alius malus, nec laudem ille, nec hic mereretur uituperium. Et niſi homines arbitratu ſuo poſſunt turpia fugere, honeſta ſectari, extra culpam erunt quicquid agant. Cæterùm quòd libera uoluntate uel peccent, vel officium faciant, ſic demonſtrabimus. Eundem hominem videmus occupatum contrarijs ſtudijs; quòd ſi fatale eſſet, hunc aut malum, aut probum eſſe, non eſſet capax contrariorum, nec mutaretur ſæpius. Immo nec perpetuò malos, aut perpetuò probos ad fatum referimus, ceu cauſam probitatis, aut malitiæ. Alioquin uera eſſet opinio, cuius ſupra mentionem fecimus, nihil eſſe virtutem & vitium; ſed exiſtimatione ſola, pro bono, maloúe haberi. Quæ opinio, plena impietatis, & iniquitatis conuincitur ueris rationibus. Nos immutabilem fati legem hanc cenſemus, malos poenas, bonos præmia, pro meritis recipere. Hominem enim longè alia quam arbores, aut quadrupedes, diſcernendi, eligendiq. facultate carentes, conditione creauit Deus. Alioqui nullam laudem mereri potuiſſet, ſi non ſponte virtutem prætuliſſet vitio, ſed ut virtuti natus, neque ſi malus fuiſſet, poenam merebatur; cùm non ſuapte natura talis eſſet, qua inuita, nequit eſſe alius. Didicimus autem hæc à ſancto prophetico Spiritu, quo afflatus Moſes, narrat Deum ſic locutum, recens à ſe ficto homini: Ecce ante faciem tuam bonum & malum; tu bonum eligito.

Item Eſaias alius propheta, ex perſona patris, Dominiq. omnium Dei, ſic loquitur: Lauamini, mundi eſtote, auferte malitias à ueſtris animabus. Diſcite bonum facere, pupillis, viduiſq. ſuum ius reddite, & tum agite diſceptemus, dicit Dominus.

Et in fine ſuæ monarchiæ, dicit: Hîc igitur eſt indicium virtutis, & mētis amantis intelligentiam, recurrere ad coniunctionis ſocietatem, & ſeipſum applicare intelligentiæ ad ſalutem, & deligere meliorum electionem, libero hominum arbitrio. De hoc etiam alibi verba facit. D. Iuſtinus; at hæc ſufficiant. Claruit anno Domini .150.

Tertullianus. Tom 3. Accedit Tertullianus, qui in .2. lib. aduerſus Marcionem, cap.5. in hunc modum effatur: Liberum & ſui arbitrij, & ſuæ poteſtatis inuenio

hominem

hominem à Deo inſtitutum; nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie, & corporalibus lineis, tam uarijs in genere humano, ad vniformem Deum expreſſus eſt; ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit; ideſt, animæ, ad formam Dei ſpondentis, & arbitrij ſui libertate, & poteſtate ſignatus eſt. Hunc ſtatum eius confirmauit etiam ipſa lex, tunc à Deo po- *Gen.2.* ſita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate; nec rurſus comminatio mortis tranſgreſsioni aſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Hæc ille. Ex quibus optimè conſtat, hominem ante lapſum, liberum habuiſſe arbitrium. Aſt quod etiam poſt lapſum, illud retinuerit, in ſequentibus tali pacto demonſtrat: Sic & in poſteris legibus creatoris inuenias, proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem; ſed nec aliàs totum ordinem diſciplinæ per præcepta diſpoſitum, auocante Deo, & minante, exhortanteúe, niſi & ad obſequium & ad contemptum, libero & voluntario homine. In his verbis agit Tertullianus de legibus & præceptis, quæ in Exodo, Leuitico, & Deuteronomio promulgatæ ſunt, & dudum poſt peccatum latæ; & ex illis probat liberum arbitrium dicens, eas non promulgatas iri à Deo, niſi & ad obſequium, & ad contemptum, libero & uoluntario homine.

Et in calce cap.8. inquit: Atque adeò eundem hominem, eandem ſubſtantiam animæ, eundem Adæ ſtatum, eadem arbitrij libertas & poteſtas, victorem efficit hodie de eodem diabolo, cùm ſecundùm obſequium legum eius (nempe Dei) adminiſtratur.

Et rurſum in cap.25. tractans illud Gene.3.: Adam vbi es? Quod protulit poſt peccatum Deus; Interrogabat, inquit, Deus quaſi incertus, & hinc liberi arbitrij probans hominem in cauſa aut negationis, aut confeſsionis, vt daret ei locum ſponte confitendi delictum, & hoc nomine releuandi, ſicut de Cain ſciſcitatur, Vbinam frater eius; quaſi non iam vo- *Gen.4.* ciferatum à terra ſanguinem Abelis audiſſet; ſed ut & ille haberet poteſtatem ex eadem arbitrij poteſtate, ſponte negandi delicti, & hoc nomine grauandi; atque ita nobis conderentur exempla, confitendorum potius delictorum, quàm negandorum; vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina, Ex ore tuo iuſtificaberis, & ex ore tuo damnaberis. *Matt.12.*

Itemq. libro de anima, cap.21., notat Valentinianos, qui conuertibilem *Tom.3.* negabant naturam, quia arbor bona malos non ferat fructus; & Hermogenem, qui de mala in bonam naturam demutari non poſſe contendebat; huiuſq. ſuæ doctrinæ rationem inducens Tertullianus, inquit: Hæc erit uis diuinæ gratiæ, potentior utique naturà, habens in nobis ſubiacentem ſibi liberam arbitrij poteſtatem, quod αὐτεξούσιον dicitur. Quæ cùm ſit & ipſa naturalis atque mutabilis, quoquò uertitur, natura conuertitur. Ineſſe autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, iam & Marcioni oſtendimus, & Hermogeni. Non dabit enim, inquit, arbor mala bonus fructus, ſi *Luc.6.* non inſeratur; & bona malos dabit, ſi non colatur. Et lapides, filij Abra- *Matt.3.* hæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur. Et genimina viperarum fruc-

 tum poe-

tum pœnitentiæ faciant, ſi uenena malignitatis expuerint. At hæc erit uis diuinæ gratiæ, inquit, quæ habet in nobis ſubiacentem ſibi liberam arbitrij poteſtatem. Quam ineſſe nobis naturaliter oſtendimus in .2. lib. contra Marcionem; in quo ex profeſſo de libero diſputauimus hominis arbitrio. Quod enim Græci dicunt αὐτεξούσιον & nos liberum appellamus arbitrium; aduerſus Pelagianos lib. 3., dicebat .D. pater Hieronymus. Sunt hæc quæ ex libris extraximus Tertulliani. Cuius ſcripta beatiſsimus martyr Cyprianus in tanta ueneratione habuit, vt nullum ſine eorum lectione diem præteriret. Claruit anno Domini .200.

Tom. 2.

Clemens Alexandrinus.

Eodem tempore ſcripſit Clemens, Eccleſiæ Alexandrinæ presbyter, vir deuotus, doctus, atque elegantiſsimus; qui Pædagogi lib. primo, cap. 6., ait: Quare lex fuit noſter pædagogus in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. Poſtq̃ autem uenit fides, non ſumus amplius ſub pædagogo; inquit Apoſtolus. Non auditis nos non eſſe amplius ſub illa lege, quæ erat cum timore; ſed ſub Verbo, qui eſt pædagogus liberi arbitrij?

Gala. 3.

Et ibidem inferius: Apoſtolus infantes eos dicit, qui ſunt in lege, qui non ſecus ac laruis pueri, timore perturbantur. Viros autem, qui Verbo paremus; noſtriq́; ſumus iuris, & arbitrij vocauit, qui credidimus ſpontanea electione ſeruati, ſapienter, non inſipienter, metu territi.

Amplius, eodem in loco, cap. 9., ſub finem, dicit: Multum autem atque adeò omnino differt id quod eſt ſpontaneum, liberum ac voluntarium, ab eo quod fit per neceſsitatem, quod ad religionē, & pietatem attinet.

Libro quoque .2. ſtromatum, ſic loquitur: Nos autem qui libera & abſoluta poteſtate, eligere & uitare, à Domino datum eſſe hominibus, à ſcripturis accepimus; iudicio quod transmoueri & excidere non poteſt, fidei acquieſcamus alacrem & promptum oſtendendo ſpiritum, quoniam vitam elegimus, & Deo per vocem illius credidimus, & qui Verbo credidit, nouit rem eſſe ueram. Verbum enim eſt veritas.

Item inferius; Quæ ſponte ergo & ex electione ſuſcipiuntur, puniuntur. Nam vxorem quoque Loth, quæ ſua ſponte ſolùm erat conuerſa ad mundanum uitium, reliquit inſenſilem, efficiens eam ut petram ſalis, & ſtatuens, ne ulterius progrederetur, non ſtultam & quæ nihil efficeret imaginem; ſed quæ condire & confirmare poſſet eum, qui poteſt perſpicere ſpiritaliter. Voluntarium autem eſt, vel quod eſt ex appetitione, vel quod ex inſtituto ac electione, vel quod ex cogitatione. Iam uerò hæc quodā modo inter ſe propè ſita ſunt, peccatum, infortunium, ſcelus, ſeu iniuſtè factum. Sed in noſtra quidem certè eſt poteſtate, vt ad noſtram deduci diſciplinam, & parere præceptis; qm̃ niſi uoluerimus eſſe participes, iræ & voluptati nos ipſos dedētes, peccabimus, vel potius iniuria noſtrā afficiemus animam. Peccatum autem eſt voluntaria iniuſtitia. Iniuſtitia autemē vitiū voluntariū. Eſt ergo peccatū quidem meū voluntariū. Et ideo dicit; Peccatum vobis non dominabitur. Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia; dicens ijs qui iam crediderant. Quoniam eius nos liuore ſanati ſumus. Infortunium autem eſt alterius in me actio inuoluntaria. Iniuſtitia autem inuenitur ſolùm voluntaria, ſiue ſit mea, ſiue alterius. Has autem pecca-

Eſa. 53.

1.Pet. 2

torum

torũ differentias ſignificat pſalmographus, Beatos dicens, quorum Deus deleuit iniquitates, texit autem peccata, & alia non imputauit, & dimiſit reliqua. Delet autem is, qui magis vult pœnitentiam, q̃ mortem peccatoris. Non imputantur autem, quæ non conſtant ex inſtituto, & libera electione. Hæc ille, quibuſdam interiectis.

Atqui demum inferius ait: Rurſus Dominus apertè oſtendit in noſtra eſſe poteſtate delicta & peccata, ponens modos curationis animi, morbis conuenientes: volens nos à paſtoribus corrigi, per Ezechielem accuſans, opinor eorum aliquos, quòd præcepta non ſeruauerint. *Ezech 34*

Accedit beatiſsimus martyr Cyprianus; qui ſuarum epiſtolarũ libro. 1., epiſtola. 3., inquit: Chriſtus conuerſus ad Apoſtolos ſuos, dixit: Nũquid & vos vultis ire? Seruans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimetipſi vel mortẽ appetit, vel ſalutẽ. *D. Cyprianus. Joan. 6.*

Et paulò poſt: Si autem quis ultrò, & crimine ſuo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad Eccleſiam redire noluerit, nos in die iudicij inculpatos futuros, qui conſulimus ſanitati, illos ſolos in pœnis remanſuros, qui noluerint conſilij noſtri ſalubritate ſanari. Fuit vir iſte ſanctiſsimus, Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus; & tandem paſſus eſt anno Domini, 249., menſe Octobris.

Diuus item Hilarius in 2. Pſal. ita loquitur: Deus vnicuique noſtrum libertatem vitæ ſenſusq́ permiſit, non neceſsitate in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura, bonum, malumúe eſſe lex cogeret; ſed qui nos per beneuolentiam utendæ beatitudinis ſuæ creaſſet, profectum nobis ad id meritum vitæ innocentis, honeſtæq́ conſtituit. Quid autem honoris ac præmij bonitatis neceſsitas mereretur, cùm malos nos eſſe, vis quædam nobis conſerta, non ſineret? Voluntati ergo permiſſa bonitas ẽ, vt præmium ſibi uoluntas bonitatis acquireret, eſſetq́ nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vſus ex merito, non neceſsitas indiſcreta per legem. Et quanq̃ nos ad uoluntatem bonitatis, ideſt, ad benè, honeſteq́ viuendum per ſpem promerendæ & utendæ ſuæ bonitatis illiceret, pœnam tamen deuitatæ & contemptæ bonitatis adiecit; vt cùm libertatem nobis uoluntaris ad bonitatem promerendam reliquiſſet, quia meritum neceſsitas naturæ non haberet, libertatem ipſam quotidie propoſitus, è contrario pœnæ terror argueret. Atque ita & per rationem æqui atque iuſti ad meritum præmij permiſſa libertas eſt, & per bonitatẽ Dei, vis libertatis metu conſtitutionis arctata eſt; vt benè uelle, meriti ſpes moneret; malum nolle, propoſitæ ultionis pœna ſuaderet. Itaque his quibus ex uoluntatis libertate, malitia magis placuit, vltio conſtituta, ira eſſe Dei creditur; non quia indemutabilis illa Dei & quieta natura, motu impetus turbidi incaleſcat; ſed quòd ille quem per conſtitutionem pœna maneat; pœna ſentiat ſibi authorem huius conſtitutionis iratum. Pœna enim patientis, ira creditur decernentis. Ita Hilarius, Pictauienſis Aquitaniæ Epiſcopus. Qui vitam cum morte commutauit, anno Domini. 371. *D. Hilarius.*

Magnus Baſilius huic ſubſcribit ſententiæ, atque doctrinæ, in ſermone *D. Baſilius*

mone quòd Deus non ſit author malorum, cùm ait: Vnde Diabolus, ſi nõ ex Deo mala? Quid igitur dicamus? Satis facilis quidem reſponſio. Eadem omnino ratio huius fuerit interrogationis, quam & de hominis iniquitate ſupra commemorauimus. Vnde, quæſo, iniquus homo? Ex ipſius libera uoluntate. Vnde malus Diabolus? Ex eadem penitus cauſa. Habet enim & ipſe liberam in agendo vitam, & inſitam optandi poteſtatem; aut Deum ſequi, aut ab eo remoueri. Hactenus D. Baſilius. Ex quo patet, quòd quemadmodum diabolus liberam habet voluntatem, & in agendo vitam, inſitamq. optandi poteſtatem, ita etiam homo. Dixerat nanque parum ſupra, quòd homo animam habuit uitio contaminatam, non quia fecerit Deus peccatum; ſed ex libero eius proceſsit arbitrio. Ex quo fatetur, hominem ante lapſum fuiſſe liberi arbitrij: Quòd uerò poſt lapſum illud retinuerit, ſubdidit poſtea in hunc modum: Sic item Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, ſed qui ſponte ſua, virtuteq. illi obtemperat. Arbitrium in nobis, optioq. libera laudatur meritò, aut uituperatur. Is ergo qui creatorem incuſat, vt parum prouidum, parumq. naturæ conſulentem humanæ, quòd nobis peccandi non eripuerit arbitrium; nihil aliud opinari uidetur, q̃ naturam ratione carentem, ea quæ rationis eſt particeps, eſſe potiorem; & illa quæ non mouentur, nec mente deguſtant, ijs quæ eligunt, iudicant, conferunt, omnino præſtare. Fuit vir iſte ſanctiſsimus, Cæſarienſium in Capadocia glorioſus antiſtes; & claruit anno à Chriſto nato 380.

Gregorius Nyſſenus Sequitur magni Baſilij frater, D. Gregorius, Epiſcopus Nyſſenus; qui ſuæ philoſophiæ lib. 7., agens de libero hominis arbitrio, multa pulcherrima dicit; verùm hoc ſolum tum ex 1., tum ex 2. cap. illius tractatus, pium lectorem annotare uolo. Nimirum quòd, ſi nullius eſſet actionis principium homo, ex ſuperfluo haberet unde conſulteret. Ad quid enim uteretur conſilio, nullius exiſtens actionis dominus? Optimum autem, & omnium quæ ſunt in homine pretioſiſsimum, ſuperfluum dicere; quammaximè utique erit inconueniens. Si ergo conſultat, propter actionem conſultat. Omne enim conſilium actionis gratia, & propter actionem eſt.

Et paulò poſt: Si nihil eſt in nobis, ſuperuacaneæ ſunt leges; naturaliter autem omnis gens legibus quibuſdam utitur, ſciens ſibi agendi poteſtatem eſſe, quæ per leges ſtatuta ſunt; & plurimæ gentium, Deos iactat legum latores, vt Cretes Iouem, Lacedæmones verò Apollinem. Omnibus igitur hominibus, cognitio eius quod eſt in nobis, naturaliter inſerta eſt. Hæc ex primo capite.

In 2. autem dicit: Non enim quod diuites ſimus, vel pauperes, vel ſani ſemper, aut naturaliter robuſti, vel aliorum domini, vel ſummatim bonorum quæ inſtrumentalia, ſiue fortuita cognominantur, vel eorum quæ ſecundùm prouidentiam finem accipiunt, poteſtatem habemus; ſed actionum ſecundùm uirtutem & uitium, & electionum, & motuum, & quorũ ſimiliter oppoſita agere poſſumus. In omni autem actione, electio antecedit; & non ſolùm actio, ſed & electio condemnabitur; atque hoc oſ-

Matt. 5. tendit quod in Euangelio eſt: Qui inſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam,

dum eam,

dum eam, moechatus eſt cum ea in corde ſuo. Et Iob pro delictis cordis filiorum ſuorum, Deo immolauit. Principium enim peccati, & iuſtæ operationis eſt electio. Hæc Gregorius Nyſſenus. Qui cum fratre claruit anno Domini 380.

Theodoret

Sanctiſsimus quoque adeſt Theodoretus, Cyrenſis Epiſcopus; qui in Deuteronomio, quæſtione 37., inquit: Bonorum enim author eſt Deus, malorum autē minimè. Nam quid ſit agendū oſtendit, & contraria diſſuadet; non tamen cogit animū humanū, ſed libero ſuo arbitrio dimittit. At quoniam geri contraria permittit, quæ prohibere poſſet, non tamen prohibet, ne ui & neceſsitate quadam fieri uideatur quod agitur. Quod enim à uirtute procedit, tum laudatur quando uoluntarium eſt.

Tom. 1.

Et ibidem q. 38.: Multi enim per ignauiam committunt in legem diuinam; plures etiam per contumaciam & ſuperbiam aſpernantur mandata. Huiuſmodi hominem ſubiecit, velut aduerſariam viam eligentem, & erroneam rectæ viæ præferentem; cui quidem, extremum comminatur interitum; vt omnibus tum uidentibus, tum audientibus, ſit impietatis exemplum.

Tom. 2.

Item de prouidentia, ſermone 7., ſub finem, ait: Sed & Deum illum ſummum propter immenſam hominum malitiam & improbitatem, habenas ſæpius laxare inuenimus, & ut humanum genus pro ſuo feratur arbitrio, permittere. Fuit vir iſte natione Antiochenus. Cuius mater, cùm optata prole diu caruiſſet, & propter naturæ infoecunditatem, omnem ſpem hæredis abieciſſet, amplasq. facultates alendis monachis, qui frequentiſsimi, & ſanctiſsimi in Syria tunc erant, ob diuinum amorem conuertiſſet; eorum precibus, à Deo ut filium ſuſciperet obtinuit; ea conditione, vt illum eius obſequio perpetuò manciparet. Claruit ſub Leone, huius nominis primo, pontifice maximo; anno Domini 440. plus minus. Id quod ſatis conſtat ex eius epiſtolis ad ipſum Leonem, & ex eius ſcriptis in Deuterono. q. 38., necnon & ex eius vita, ex hiſtoria Eccleſiaſtica Nicephori, Calliſti, & ipſius Theodoreti collecta. Hæc pauca in eius vita conſcripta dixiſſe uolui, vt notent obiter iuuenes noſtri, religionis Carmelitanæ antiquitatem. Siquidem tempore natalis huius viri, & ante, frequentiſsimi, & ſanctiſsimi in Syria degebant Monachi; at quinam erant iſti, niſi Carmelitæ? Sed ad rem noſtram.

Ioannes Chryſoſtomus.

Tom. 2.

Beatiſsimus Ioannes Chryſoſtomus, homilia 60. ſuper Matthæum, multa de hac materia notat; verùm hæc ſufficiant, inde extracta. Dicit enim textus Matthæi: Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe enim eſt ut ueniant ſcandala, veruntamen uæ homini illi per quem ſcandalum uenit. Ad huiuſmodi verba dicit Chryſoſtomus: Cùm autem neceſsitatem ſic dicat, non quia uoluntas libertatem, poteſtatemq. liberi arbitrij tollat, nec quia neceſsitati rerum, humanam ſubijciat vitam hoc dicit, ſed quod omnino venturum eſt prænunciat.

Et infra: Cùm accuſas, tunc oſtendis profectò non à natura, ſed à voluntate, mali quippiam proceſsiſſe. Nam ſi quæ minimè culpamus, ea naturæ delicta eſſe, aut ſaltem non uoluntatis teſtamur, patet ea ſolum culpari, quæ

pari; quæ voluntati committuntur.

Adhuc inferius: Rapuiſti aliquando alienum, deinde poenitentia flexus, non modò reſtituiſti, verùm etiam de tuis egeno contuliſti. Vnde igitur hæc tanta mutatio? Nónne à voluntate, atque conſilio tuo? Nemo profectò iudicabit. Obijt vir iſte ſanctiſsimus, anno Domini 411.

D. Cyrillus. Rurſum, D. pater Cyrillus, montis Carmeli decus & cultor inſignis, deinde Epiſcopus Alexandrinus, lib. 5. ſuper Ioannem, cap. 5., dicit: Atqui omnia à Deo condita, bona eſſe perſpicuum eſt; non igitur coeli authores ſunt, vt fiat homo deterior, aut illorum influxu perpellatur ad facinus. Quod ſi quis pertinacius aſſeuerare contendat, protinus tollit humanæ uoluntatis libertatem, qua ſola cæteris animantibus præſtamus. Sublata autem libertate hominis, tota illi ſuſtollitur dignitas ſuæ conditionis; & ipſe qui inter creaturas corporales primatum tenet, anima rationali mirificè dotatus, indigna ſeruitute coelo ſubijcietur; corpori quidem inanimo, & uitæ experti. Sed quis hanc modeſtè natura feret in deteriora mutatam ſortem? Exurgant homines, & generoſo animo, natiuam ſuam nobilitatem tutentur; non patiantur, oro, ſe in tantum indignitatis gradum deprimi.

Item contra Iulianũ lib. 8. dicit: Omnis quæ in coelis rationalis & mentalis creatura, liberum habet motum, ad faciendum quæcunque uoluerit, & propenſio in vnoquoque à neceſsitate libera eſt. Licebat enim ſic, & non aliter, bonos celebres fieri, & honores aſſequi, iuſteq́ condemnari improbos. Itaque ut & nos quoque ad quoduis bonum ſponte incederemus, conſilio, non coactè, viuere ſuper terram hominem permiſit Deus. Et ita fuit ab initio. Arripuit enim ſuæ uoluntatis habenas, & ſuorum iuſſuum momento in utraque fertur; in bonum, inquam, & in malum. Claruit vir iſte ſanctiſsimus, anno Domini 432.

D. Gregorius Nazianzenus. Gregorius item, ex monachò Epiſcopus Nazianzenus, in ſuo Apologetico, ita loquitur: Quod etiam ipſum ſingularis & eximiæ Dei bonitatis argumentum eſt, nimirum facere, vt noſtra quoque aliqua ex parte ſit virtus, nec natura tantum nobis inſeratur, ſed voluntate etiam, animiq́ propoſito excolatur, arbitrijq́ libertate, parem in utranque partem motum habente.

Et in oratione de Chriſti natiuitate, itemq́ in oratione 2. in paſcha, dicit: Homo arbitrij libertate donatum, vt bonum non minus illius eſſet qui elegiſſet, quàm eius qui ſemina præbuiſſet, in paradiſo collocat. Hæc ille. Qui res in ſpe poſitas, non Dei tantùm beneficio, vult conſequi mortales, ſed etiam pro virtutis præmio accipere. Claruit anno Domini 390.

D. Ioannes Damaſcenus. Ioannes monachus, & præsbyter Damaſcenus, orthodoxæ fidei lib. 2., cap. 27., oſtendit arbitrio liberum commeare, recurrereq́ cum rationali; & mutua, reciprocaq́ prædicatione conuerſim; & omnino inter ſe connecti; vt omne rationale ſit libera poteſtate præditum; & retro agatur, quicquid arbitrio liberum eſt, & libera poteſtate præditum, illud itidem ſit rationale. Ait enim: Dicimus igitur, ilico cum rationali commeare ac

recurre-

recurrere ſeipſo potens,& arbitrio liberum. Et paulò poſt: Et rationalis, eiusq́. quod rationis eſt particeps, vis quædam contemplatiua,& quædam actiua eſt. Vis contemplatiua eſt, quæ conſiderat quo pacto ſe habent ētia; actiua uerò, quæ & conſultariua, quæ definit ac determinat agendis rationem rectam. Omnis igitur qui conſultat, aut electione agendorum in ſeipſo, ſuaq́. poteſtate exiſtente, conſultat; vt quod iudicio prælatum fuerit, eligat,& cùm elegerit, agat. Si autem hoc ex neceſsitate adeſt rationali, quod ex ſeipſo & liberè poteſt, non erit rationale; aut ſi certè erit, quod rationale eſt, dominans erit ſuarum actionum,& arbitrio liberum. Vnde & rationis expertia, non ſunt libera arbitrij poteſtate donata; nam ducuntur magis à natura, q̃ ducant. Quapropter non contradicũt, reſiſtuntúe naturali appetitui, ſed ſimul atque quippiam appetierint, impetu feruntur ad proſecutionem. Verùm homo, rationalis cùm ſit, ducit magis naturam, q̃ ducatur; quapropter appetens, vbi quippiam uelit, poteſtatem habet refrenare appetitum, aut ipſum ſequi. Ita .D. Ioannes Damaſcenus. Qui claruit anno Domini .390,

Sanctus pater Athanaſius, in oratione contra Idola, circa principium, in hunc modum liberum ſtatuit hominis arbitrium: Nam cùm mobilis, agilisq́. naturæ ſit, (nempe mens hominis) & ſi ſeſe à bono auertit, à motu tamen non conquieſcit; mouetur igitur, ſed iam non ſecundum ueritatem, neque Deum ſpectat, ſed res nihili, easq́. veras ac ſolidas arbitrata eſſentias, vires ſuas occupat, ijsq́. ad eas quas commenta eſt uoluptates abutitur, ideo quòd libera ſit, & ſui arbitrij. Poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque auerſari. Cæterùm ubi bonum auerſata eſt, omnia contraria imaginatur & cogitat, quippe quæ à motu conquieſcere nequeat cùm natura; vt dixi, perquàm mobilis ſit. Quæ cùm liberum ſui ius, arbitriumq́. intuetur, & ſentit ſe in utranque partem corporeis membris uti poſſe, tum ad ea quæ ſunt, tum ad ea, quæ non ſunt. Ea autem quæ ſunt, appello bona; quæ non ſunt, mala. *D. Athanaſius.*

Item contra Arianos ſermone.4., inquit: Cæterùm, nos quidem ij ſumus, nec ullo unq̃ tempore ratione generis immutamur; mores, contrà hominum inconſtantes ſunt; poſſunt tamen ad immutabilem naturam reſpicientes, mala defugere, & ad bona ſeipſos reformare. Floruit .D. pater Athanaſius, tempore Valentiniani, & Valentis Imperatorum; obijtq́. anno à Chriſto nato .379.

Euſebius, inſuper, de preparatione euangelica lib.6.cap.5., ita ſcriptũ reliquit: Non enim Dij aut boni, ſi pernicioſi aut nequam dæmones ſunt, qui libertatem noſtram deſtruxerunt, & ſtellis non exteriora ſolùm, verùm etiam uoluntates noſtras cogi nobis perſuaſerunt. Quod ſi eſſet, iaceret omnis philoſophia, iaceret pietas, nulla eſſet laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi eſſent improbi, nec admirandi ſtudioſi, ſi non libera uoluntate, & noſtra ſponte ſuſceptis laboribus, ſed neceſsitate fatorum hæc fierent. Ita uniuerſam hominum uitam, hæc euertit opinio. Nam ſi euentura omnino ſunt proſpera, vel aduerſa, vnicuique hominũ, eſtq́. neceſſe hæc me agere, & te illa, quid oportet cura, laboreq́. confici? *Euſebius.*

Non

Non erit opus aut peccantes caſtigare,ſiquidem coacti fecerunt,aut honores probis viris retribuere, quæ vtraque profectò videmus magnam uim,alterum ad improbitatem reprehendendam,alterum ad probitatem amplexandam retinere . Pietas enim in Deum nónne funditus euertitur,ſic nec ipſe Deus nobis,nec piæ orationes,& cultus eius,neceſsitate vinctis hominibus,poteſt prodeſſe?Quomodo autem cùm ſentiamus noſtra nos appetitione moueri, non omnino amentiſsimum erit ab exteriore quadam ui,quaſi animi expertes moueri,nos credere? Sic enim libera uoluntate alia fugimus,alia ſequimur; vt quemadmodum dolere, gaudere,videre,audire,non ratiocinando,ſed re ipſa comprehendimus; ita à noſtro ipſorum conſilio,aut fugiendum,aut ſequendum,moueri nos profectò ſentimus;quas ob res,rationalis naturæ libertas iure negari non poteſt.Hactenus Euſebius,paucis interiectis.Claruit vir iſte ſub Conſtantino Imperatore magno,cui propter eximiam doctrinam & vitæ ſanctitatem amiciſsimus fuit,anno Domini.320.

D. Epiphanius. Non paruæ authoritatis vir,ſanctiſsimus accedit Epiphanius,qui lib. primo tomi primi cõtra hæreſes,cap.16.; vbi tradit doctrinam de fato reiiciendo; illud citat, ꝙ per Eſaiam prophetam ex perſona Domini dictum eſt: Si uolueritis,& audieritis me,bona terræ comedetis. Si uerò nolueritis,neque me audieritis,gladius deuorabit,& conſumet vos.Nam os Domini hæc locutum eſt.Quare;inquit Epiphanius;omnibus manifeſtum eſt,clarumq́.,ac minimè ambiguum,quòd liberum arbitrium exhibuit nobis Deus,per ſeipſum locutus,ſi uolueritis,& nolueritis.Quare circa hominem eſt bona operari,aut malas res appetere. Id quod poſtea oſtendit alijs ſcripturæ authoritatibus.

Et eiuſdem tomi lib.2., capite,ſiue hæreſi.64.loquens de angelis,ait: Spontaneam etiam ipſis habere ad utraque uoluntatem Deus conſtituit, velut etiam in hominibus; vt aut obedientes uerbo eſſent cum ipſo,& acciperent beatitudinem,eaq́.fruerentur;aut non obedientes iudicarentur. Fuit Epiphanius tantæ ſanctitatis, vt ſpiritu prophetiæ meruerit illuſtrari,multorumq́.patrator miraculorum fieri,necnon & beato Hieronymo extitit amiciſsimus,pluresq́.ad eum ſcripſit Epiſtolas.Claruit anno humanæ ſalutis .390.

Origenes. Hanc doctrinam omni ex parte catholicam confirmat Origenes homilia.12.in Leuiticum,huiuſmodi verbis: Nam ſecundùm corpus creſcere.& magnum fieri,non eſt in nobis. Corpus enim ex genitali origine, quantitatis materiam ſumit,vt uel magnum, vel exiguum fiat . Anima uerò in nobis habet cauſas, & arbitrij libertatem, vt uel magna, vel parua ſit.

Item in proemio Peri archon dicit: Eſt & illud definitum in Eccleſiaſtica prædicatione,omnem animam eſſe rationabilem,liberi arbitrij & voluntatis; eſſe quoque ei certamen aduerſus diabolum & angelos eius, contrariasq́.virtutes,ex eo quòd illi peccatis eam onerare contendant; nos uerò ſi rectè,conſulteq́.viuamus,ab huiuſmodi nos exuere conemur. Vnde & conſequens eſt intelligere , non nos neceſsitati eſſe ſubiectos,

vt omni

vt omni modo, etiam ſi nolimus, vel mala, vel bona agere cogamur. Si enim noſtri arbitrij ſumus, inſtigare forraſſe poſſunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad ſalutem; non tamen neceſsitate cogimur, vel agere recte, vel malè; quod fieri arbitrantur, qui ſtellarum curſum & motus, cauſam dicunt humanorum eſſe geſtorum; non eorum eſſe, quæ extra arbitrij accidunt libertatem, ſed eorum quæ in noſtra ſunt poſita poteſtate. Vir iſte doctiſsimus, fuit natione Alexandrinus, Leonidis martyris filius, & Clementis Alexandrini diſcipulus. Floruit anno Chriſti. 261.

Optimè fauet huic doctrinæ Ioannes Caſsianus, libro de collationibus patrum, collatione .3., cap. 12., inquiens: Certos tamen nos eſſe conuenit, quòd omnem virtutem indefeſsis conatibus exercentes, nequaq̃ diligentia uel ſtudio noſtro, perfectionem poſsimus atringere; nec ſufficiat humana ſedulitas laborum merito, ad tam ſublimia beatitudinis præmia peruenire, niſi ea Domino nobis cooperante, & cor noſtrum ad id quod expedit dirigente fuerimus indepti; ideoq́. debemus cum Dauid orantes, momentis ſingulis dicere: Perfice greſſus meos in ſemitis tuis; vt nõ moueantur ueſtigia mea; &, ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos; vt noſtrũ arbitrium, quod procliuius vel ignoratione boni, vel oblectatione, paſsione fertur ad vitia; ille inuiſibilis rector mentis humanæ, ad uirtutum potius ſtudia contorquere dignetur. Quod uno verſiculo per Prophetam manifeſtiſsimè legimus decantari: Impulſus uerſatus ſum ut caderem, in quo liberi arbitrij infirmitas deſignatur; & Dominus ſuſcepit me; rurſum adiutorium Domini iunctum eidem ſemper oſtenditur, quo ne penitus libero collabamur arbitrio, cùm ritubaſſe nos uiderit, porrectione quodammodo manuum ſuarum ſuſtentat, atque con firmat. Hæc ibi & alia, de libero hominis arbitrio, Ioannes Caſsianus.

Ioannes Caſſianus.

Et collatione .7., cap. 8., dicit: Cæterùm nullus hominum poſſet omnino uitare peccatum, quodcunque illi in cordibus noſtris (aduerſarij nempe) ingerere uoluiſſent, ſi eis quemadmodum ad ſuggerendum, ita ad cõpellendum facultas uiolenta ſuppeteret. Quamobrem, ſicut in illis eſt inſtigationis copia, ita & in nobis uirtus reſpuendi, ſiue acquieſcendi libertas eſt attributa. Fuit vir iſte natione Scyta, diui Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus, & ab eo diaconus ordinatus; Floruit anno ſalutis noſtræ, 435.

Et licèt ſatis de hac ipſa re ex D. patre Hieronymo dixerimus in præcedentibus, ad maiorem tamen hæreticorum confuſionem, reiq́. ipſius ampliorem exagerationem, placet & hæc addere, quæ in Eccleſiaſten cap. primo ipſe docet. Ait ergo: Dicitur autem quòd agat vnuſquiſque quod velit, & ſibi rectum eſſe uideatur, atque in diuerſa libero hominis ferantur arbitrio; & vana ſint vniuerſa ſub Sole; dum inuicem nobis in bonorum & malorum finibus diſplicemus.

D. Hieronymus. *Tom. 5.*

Et ibidem cap. 7., ad ea quæ dicit Eccleſiaſtes: Solummodo hoc inueni, q̃ fecerit Deus hominem rectum; & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus; ait. D. pater; Et ne uideretur communem hominum damnare naturam, & Deum authorem mali facere, dum talium conditor eſt, qui malum uitare non poſſunt, argutè præcauit & ait: bonos nos à Deo

creatos:

creatos: ſed quia libero ſumus arbitrio derelicti, vitio noſtro ad peiora labi dum maiora quærimus, & vltra vires noſtras uaria cogitamus.

Tom. 6. Item ſuper Euangelium Matthæi, cap. 11., in calce, ait: Euangelium ea præcipit quæ poſſumus; ne ſcilicet concupiſcamus; hoc in arbitrio noſtro eſt. Lex cum uoluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium facias. Finge in perſecutione aliquam virginem proſtitutam. Hæc apud Euangelium, quia uoluntate non peccat, virgo ſuſcipitur; in lege quaſi corrupta repudiatur. Multa alia dicit de libero hominis arbitrio beatiſſimus pater Hieronymus, quæ omittantur breuitatis ergo. Obijt ſub Honorio & Theodoſio principibus, anno Chriſtianæ ſalutis 422.

D. Auguſtinus. Multa quoque ex diuo patre Auguſtino in ſuperioribus diximus, quæ huic noſtro inſtituto ſatis conducere arbitramur, quia tamen Caluinus hunc dicit eſſe ſuum, rem ipſam rurſus aggrediamur oportet. In libro itaque 2. de libero arbitrio, cap. primo, ſic loquitur Auguſtinus: Si enim homo aliquod bonum eſt, & non poſſet niſi cùm uellet rectè facere, debuit habere liberam voluntatem, ſine qua rectè facere non poſſet. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dediſſe credendum eſt. Satis ergo cauſæ eſt, cur dari debuerit, quoniam ſine illa homo rectè non poteſt uiuere. Ad hoc autem datam vel hinc intelligi poteſt, quia ſi quis ex vſus fuerit ad peccandum, diuinitus in eam uindicatur. Quod iniuſtè fieret, ſi non ſolùm ut rectè uiueretur, ſed etiam ut peccaretur, libera eſſet uoluntas data. Quomodo enim iuſtè uindicaretur in eum, qui ad hanc rem uſus eſſet uoluntate, ad quam rem data eſt? Nunc uerò Deus cùm peccantem punit, quid uidetur tibi aliud dicere, niſi, cur nō ad eam rem uſus es libera uoluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc eſt, ad rectè faciendum? Deinde, illud bonum, quo commendatur ipſa iuſtitia, in damnandis peccatis, rectéque factis honorandis, quomodo eſſet, ſi homo careret libero uoluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum eſſet, aut rectè factum, quod non fieret uoluntate. At per hoc & poena iniuſta eſſet, & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam. Debuit autem & in ſupplicio & in præmio eſſe iuſtitia, quoniam hoc unum eſt bonorum, quæ ſunt ex Deo. Debuit igitur Deus dare homini liberam uoluntatem.

Et libro 3. de libero arbitrio, cap. 3., inquit: Quod ſi fieri non poteſt, vt dum uolumus non uelimus, adeſt utique uoluntas uolentibus. Nec aliud quicquam eſt in poteſtate, niſi quod uolentibus adeſt. Voluntas igitur noſtra, nec uoluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis.

Tom. 6. Adhuc, contra Fortunatum manichæum, diſputatione 2., ita notatum reliquit: Liberum arbitrium ſi non dediſſet Deus, iudicium puniēdi nullum iuſtum eſſe poſſet, nec meritum rectè faciendi, nec præceptum diuinum, vt ageretur poenitentia de peccatis; nec ipſa indulgentia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum donauit. Quia qui non uoluntate peccant, non peccant. Hoc arbitror omnibus apertum eſſe, atque perſpicuum.

Tom. 7. Amplius, de prædeſtinatione & gratia, cap. 15., de Pharaone, & Nabu-

chodonoſor

chodonoſor verba faciens, in hunc modum effatur: Hic mihi rationem reddat, qui diuinum conſilium nimium altum ſapienti corde dijudicat, cur medicamentum unius medici confectum, alij ad interitum, alij ualuerit ad ſalutem; niſi quia Chriſti bonus odor, alijs eſt odor vitæ in vitam, alijs eſt odor mortis in mortem? Quantùm ad naturam, ambo homines erant; quantùm ad dignitatem, ambo reges; quantùm ad cauſam, ambo captiuum populum Dei poſsidentes; quantùm ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quòd unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei miſericordiſsimam veritatem pugnauit arbitrio?

Item de gratia & libero arbitrio, cap.2., ait: Reuelauit autem nobis *Tom. 7.* per ſcripturas ſuas ſanctas, (Deus nempe) eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium. Quommodo autem reuelauerit commemoro vos, nõ humano eloquio, ſed diuino. Primùm quia ipſa diuina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum uoluntatis arbitrium, quo ea faciẽs, ad promiſſa præmia perueniret. Hoc ibidem confirmat quamplurimis ſcripturæ authoritatibus.

Hypognoſticon quoque lib.3., ait: Vitiato ergo libero arbitrio, totus *Tom. 7.* homo eſt uitiatus, per quod abſque adiutorio gratiæ, quod Deo placeat nec ualet incipere, nec perficere ſufficit. Videat modò Caluinus, ſi non concurrit ad opus meritorium liberum hominis arbitrium, cur dicit Auguſtinus, quòd per illud ſine gratiæ adiutorio, quod Deo placeat, nec valet homo incipere, nec perficere ſufficit? Sunt loca ferè infinita Auguſtini, ad hoc idem comprobandum; verùm hæc dicta ſint ſatis. Scribit Iacobus Vorago, Epiſcopus Ianuenſis, ꝙ numerus librorum, tractatuum, ſermonum & epiſtolarum diui patris Auguſtini, vltra mille triginta aſcendit. Moritur ſanctiſsimus pater in ciuitate Hipponenſi, anno à Chriſto nato .430., ætatis ſuæ.76., ſacerdotij uerò.40.

Excidit omnibus .D. pater Ambroſius; qui de vocatione gentium li- *D. Ambroſius. Tom. 2.* bro primo, cap.3., dicit: Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere; quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo uoluntate ſe dedit, à quo iudicium uoluntatis deprauatum eſt, nõ ablatum. Quod ergo non interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem. Hoc etiam induximus ſupra.

Id quod ipſe confirmat epiſtolarum lib.10., epiſtola .84., ad ſacram *Tom. 3.* virginem Demetriadem, ſub his verbis: An fortè uerendũ eſt ne liberum tollere uideamur arbitrium, cùm omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaq̃ eſſe conſequens ueritatis oſtenditur. Operante enim ſpiritu Dei, iuuatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus ſuis; ſed per opem miſerantis medici curata reualeſcat, & gaudeat ſe non interrogantem edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam.

Idem de ſancto Iacob & vita beata, cap.2., ſub finem ait: Et quòd nulli *Tom. 4.*

noſtrã adſcribere debeamus culpam, niſi noſtræ uoluntati, quã uel pecca to, vel iuſtitiæ ſeruimus. Et cap. 3., idem repetens dicit: Non eſt q̃ cuiquã noſtram adſcribamus culpam, niſi noſtræ uoluntati. Nemo tenetur ad cul pam, niſi uoluntate propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus, voluntaria tantùm commiſſa ſequitur delictorum inuidia, quod in alios deriuemus. Voluntarium ſibi militem legit Chriſtus, voluntarium ſeruum ſibi diabolus auctionatur. Vir iſte ſanctiſsimus, fuit natione Romanus, Epiſcopus Mediolanenſis, vt notum eſt; cuius linguæ in fide Chriſti loquenti, nulla potuit unq̃ authoritas humana ſilentium indicere. Claruit ſub Theodoſio Imperatore, anno Chriſti .380.

D. Gregorius. Tom. 1. Beatiſsimus quoque pater Gregorius, lib. 13. in Iob, cap. 6., verſus finem, ſic loquitur: Sicut enim loqui aliquando unius eſt, colloqui uerò duorum, vel fortaſſe multorum; ſic antiquus hoſtis, quia nos ad culpam ſine noſtra uoluntate non rapit, nequaq̃ lumbos noſtros vulnerare, ſed conuulnerare dicitur; quia hoc quod nobis ille malè ſuggerit, nos ſequentes ex uoluntate propria implemus, & quaſi cum ipſo nos pariter vulneramus; quia ad perpetrandum malum ex libero ſimul arbitrio ducimur.

Et ibidem, lib. 16., cap. 10., ait: Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis, vt ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiſcum; quod tamen per impenſam gratiam; in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac ſi ſolis proceſsiſſet ex no bis. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus

1. Cor. 15 ait: Gratia autem Dei ſum id quod ſum. Et quia eandem gratiã, noſtrum liberum arbitrium ſequitur, adiungit: Et gratia eius in me uacua non fuit, ſed abondantiùs illis omnibus laboraui. Qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait: Non autem ego. Et tamen quia ſe eſſe aliquid cum gratia in uenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret mecum, ſi cum præueniente gratia, ſubſequens liberũ arbitrium non haberet. Vt ergo ſe ſine gratia nil eſſe oſtenderet, ait: Non ego. Vt uerò ſe cum gratia operatum eſſe per liberũ arbitriũ demonſtraret, adiunxit: Sed gratia Dei mecũ.

Ibidem quoque, lib. 24., cap. 6. in calce, ſequitur: Quia præueniente diuina gratia, in operatione bona noſtrum liberum arbitrium ſequimur, noſmetipſi nos liberare dicimur, qui liberanti nos Domino conſentimus. Vnde Paulus cùm diceret: Abundantiùs illis omnibus laboraui; ne labores ſuos ſibi tribuiſſe uideretur, illicò adiunxit: Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Quia enim præuenientem Dei gratiam, etiam ipſe per liberum arbitrium fuerat ſubſecutus, aptè ſubiungit: Mecum; vt & diuino muneri non eſſet ingratus, & tamen à merito liberi arbitrij non remaneret extraneus. Multa quidem alia dicit vir iſte ſanctiſsimus, varijs in locis de hac ipſa re; cæterùm ſat ſit hæc induxiſſe. Ei diuinas ſcripturas explananti, Spiritus ſanctus aliquoties uiſibili ſpecie apparuit, eiq́. arcana myſteriorum earundem inuiſibili magiſterio reſerauit. Moritur anno Domini .605.

Venerabilis Beda. Beda venerabilis, in Euangelium Marci, cap. 12., ad illa verba: Quia

reuerebuntur filium meum; dicit: Quod ait, quia reuerebuntur filium meum, non de ignorantia uenit. Quid enim neſciat pater familias, qui hoc loco Deus pater intelligitur? Sed ſemper ambigere dicitur Deus, vt libera uoluntas hominis reſeruetur. *Tom. 5.*

Item in libro variarum quæſtionum, quæſtione. 13., ita ſcripſit: Deus hominem fecit perfectum, & talem ſcilicet, ꝙ poſſet & uelle bonum, & nō uelle. Et hoc eſt liberum arbitrium, uelle ſcilicet & nolle, & abſolutū. Hoc eſt uelle ſuum hominis per naturam, ſicut dicitur in ſapientia; noſtrū eſt uelle, Dei autem perficere; noſtrum ſcilicet per naturam. Et Apoſtolus: Velle quidem adiacet mihi per naturam. Sed hoc uelle, & hoc bonum deprauauit homo peccando, & quaſi extinxit, non tamen omnino; quia ſemper remanſit in eo aliqua ſcintilla boni. Et quando Apoſtolus dixit: Deus operatur uelle; ſic non intelligimus, quòd modò primum ponat in eo uelle; ſed uoluntatem quæ in eo eſt per naturam deprauatam, & quaſi extinctam, ſuſcitet, & reuiuiſcere faciat. Sic facimus conuenire iſta duo, quod ſcriptura dicit, noſtrum eſt uelle; & quod Apoſtolus: Deus operatur uelle, cum libero arbitrio. *Tom. 8.*

Ad hæc, in poſteriorem ad Corinthios Epiſtolam, cap. 13., ad illa uerba: Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis; inquit: Poterat dicere: Monemus vos ne quid faciatis mali; docemus ne quid faciatis mali; iubemus vobis; præcpiimus vobis. Quod quidem ſi diceret, certum diceret; quia & voluntas noſtra agit aliquid. Non enim uoluntas noſtra nihil agit, ſed ſola non ſufficit. Maluit tamen dicere Oramus, vt ipſam gratiam commendaret, vt intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non ſola ſua uoluntate ſe uitare malum; ſed adiutorio Dei implere quod iuſſum eſt. Ergo, fratres, quando præcipitur, agnoſcite uoluntatis arbitrium; quando oratur quod præcipitur, agnoſcite gratiæ beneficium. Vtrūque enim in ſcripturis habetis. Aliubi multa alia & ipſe dicit in propoſito, at de his hactenus. Claruit vir iſte in Anglia, & fuit Monachus & presbyter monaſterij Sanctorum Petri & Pauli, ordinis ſancti Benedicti. Et eius opera tantæ authoritatis erant, vt ordinatione præſulum Angliæ, in Eccleſijs, adhuc eo uiuente, publicè legerentur. Obijt ſub Leone Imperatore, anno Chriſtianæ ſalutis. 732. *Tom. 6.*

Aſtipulatur. D. Proſper huic catholicæ doctrinæ; qui in epiſtola de Libero arbitrio, ad Rufinum, ait: Gratia igitur Dei quoſcunq. iuſtificat, non ex bonis meliores, ſed ex malis bonos facit; poſtea per profectum, ex bonis factura meliores; non adempto libero arbitrio, ſed liberato. *D. Proſper.*

Et infra in. 2. parte eiuſdem epiſtolæ, dicit: Cùm tamen conſtat regnum coelorum omnes ingreſſuros bonos, hoc eis donante Dei gratia; & nullos ingreſſuros malos, hoc ipſorum merente nequitia. Nimium verò ineptè, nimiumq. inconſideratè ab aduerſantibus dicitur, ꝙ per hanc Dei gratiam, libero nihil relinquatur arbitrio.

Adhuc, in reſponſione. 6. ad capitula Gallorum, inquit: Liberum arbitriū nihil eſſe, vel non eſſe, perperā dicitur. Et paulò poſt: Iuſtificatus itaq. homo, id eſt, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit

donum, quo medio adquirat & meritum; vt quod in illo inchoatum eſt per gratiam Chriſti, etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrij; nunq̃ remoto adiutorio Dei, ſine quo nec proficere, nec permanere in bono quiſquam poteſt. Hic vir fuit natione Aquitanicus, Epiſcopus Regienſis, & beati Leonis papæ magni notarius; in cuius perſona, multas dictauit epiſtolas. Floruit anno ſalutis noſtræ .460.

D. Anſelmus. Tom. 3.

Adeſt quoque beatus pater Anſelmus, qui de libero arbitrio cap.3., interrogante diſcipulo, quomodo poſtq̃ ſe fecerunt ſeruos peccati Angelus & Homo, liberũ arbitrium ſeruare potuerunt; ita reſpondet: Licèt peccato ſe ſubdidiſſent, libertatem arbitrij tamen naturalem, in ſe interimere nequiuerunt; ſed facere potuerunt, vt iam non ſine alia gratia, q̃ erat illa quam prius habuerunt, illa libertate uti non ualeant.

Item cap.5. quærit diſcipulus, quomodo eſt humanæ uoluntatis arbitrium hac poteſtate liberum, cùm ſæpè rectam habens homo uoluntatem, ipſam rectitudinem inuitus, cogente tentatione deſerat? Cui reſpondet magiſter: Nemo illam deſerit, niſi uolendo. Si ergo inuitus dicitur uolens, nemo deſerit illam inuitus; ligari enim homo poteſt, & inuitus; quia nolens poteſt torqueri inuitus, quia nolens poteſt occidi; velle autem non poteſt inuitus, quia non poteſt uelle nolens uelle. Nam omnis uolens, ipſum ſuum uelle vult.

Ac demum cap.9. ita concludit: Cernis itaque nihil liberius recta uoluntate, cui nulla uis aliena poteſt ſuam auferre rectitudinem. Claruit vir iſte ſanctiſsimus in Anglia, archiepiſcopus Cantaurienſis, ſub Henrico Imperatore tertio, anno Domini .1080.

D. Bernardus.

Præter ea quæ in ſuperioribus ex .D. Bernardo habuimus, placet ut hæc etiam audiamus: Manet ergo etiam poſt peccatum liberum arbitrium; & ſi miſerum, tamen integrum. Et quòd ſe per ſe homo non ſufficit excutere à peccato, ſiue à miſeria; non liberi arbitrij ſignat deſtructionem; ſed duarum reliquarum libertatum priuationem. Neque enim ad liberum arbitrium (quantùm in ſe eſt) pertinet, aut aliquando pertinuit poſſe, vel ſapere; ſed tantùm uelle; nec potentem facit creaturam, nec ſapientem; ſed tantùm uolentem. Non ergo ſi potens, aut ſapiens, ſed tantùm ſi uolens eſſe deſierit: liberum arbitrium amiſiſſe putanda erit. Vbi enim non eſt uoluntas, nec libertas. Non dico ſi uelle bonum, ſed ſi velle omnino creatura deſierit; fatendum ſine contradictione; vbi non iam ex uoluntate bonitas, ſed ipſa ex toto uoluntas perijt, etiam liberum deperire arbitrium. Quòd ſi uelle bonum tantùm perit, ſignum eſt quòd ei deſit liberum, non arbitrium, ſed conſilium. Si autem non quidem velle, ſed ad id quod iam vult bonum ei poſſe defuerit, nouerit ſibi deeſſe liberùm complacitum; non liberum periſſe arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita ubique ſequitur uoluntatem, vt niſi illa penitus eſſe deſinat, iſto non careat; voluntas uerò ſicut in bono, ita etiam in malo æquè perdurat; æquè profectò & liberum arbitrium, tam in malo, q̃ in bono, integrum perſeuerat. Fuit .D. Bernardus natione Burgundus, primus Abbas Clarauallenſis, nobilis, & multis miraculis clarus; vt notum eſt.

Floruit ſub Conrado Imperatore.3., anno Chriſtianæ ſalutis .1140.

Occurrit etiam Hugo de ſancto Victore, qui tractatu.3.de creatione, & ſtatu humanæ naturæ, cap.8., ita notauit: Cùm itaque habeamus cum pecoribus communem ſenſum & appetitum, liberum arbitrium nos ab eis diſcernit, penès quod omne meritum conſiſtit. Cùm enim nulla ui, nulla neceſsitate cogatur, non immeritò beatitudinem, ſeu miſeriam promeretur. Senſus & appetitus, nec beatum, nec miſerum faciunt; alioquin bruta animalia, beatitudinis vel miſeriæ poſſent fieri participantia. Ingenium quoque, & memoria, & cætera ſimilia, nec iuſtum, nec iniuſtū conſtituunt. Siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria imputatur. Sola itaque uoluntas, quæ ſemper libera eſt, & nunq̃ cogi poteſt, meritò apud Deum iudicatur. Ea ſemper à neceſsitate libera eſt. Vbi enim neceſsitas, ibi non eſt libertas; vbi non eſt libertas, nec uoluntas; & ideo nec meritum.

Hugo de ſancto Victore. Tom. 3.

Et cap.9. ſubdit: Ex prædictis conſtat in quo per peccatum ſit diminutum liberum arbitrium; quia tunc nulla difficultas ad rectè uolendum, nullum impedimentum de lege membrorum ad bonum perficiendum; ſed modò anteq̃ per gratiam liberatum ſit à peccato, nec uelle, nec perficere bonum poteſt. Sicut diceremus de aliquo compedito; non poteſt hic ambulare; id eſt, in poteſtate ſua non habet; & tamen concederemus, poſsibile eſt hunc ambulare; quia poteſt euenire, vt ſoluatur & ambulet. Hunc noſtrum defectum Apoſtolus commemorat, inquiens: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Niſi enim liberetur per gratiam intus operantem, & excitantem cor, non poteſt ipſum arbitrium erigi ad bonum. Vnde: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et poſtquam liberatus fuerit, niſi iuuetur per gratiam cooperantem, non poteſt perficere bonum. Et ita indiget modò operante gratia, per quam liberetur, & cooperante, per quam ad promerendum iuuetur; cùm ante peccatum (ſicut ſupra diximus) ſola gratia cooperante indigeret. Prius enim quàm caderet, non indigebat liberatore, ſed coöperatore.

Roma.7.

Ioan. 8.

Et inferius: Præterea, inquit, ſciendum eſt, quòd non ideo dicitur liberum arbitrium, quòd æqualiter ſe habeat ad utrunque; ſcilicet ad bonum & ad malum; cùm per ſe poſsit quis cadere, ſed per ſe non poteſt reſurgere, niſi iuuetur à gratia Chriſti. Per ſe enim ſufficit ad malum liberum arbitrium, ſed non ſufficit ad bonum per ſe. Ita ſcripſit Hugo de ſancto Victore, qui doctor celeberrimus ſuo tempore eſt habitus; fuit natione Saxo, ordinis canonicorum regularium, & floruit anno Domini .1130.

Accedit ultimo loco Iſychius, qui in primo libro ſuper Leuiticum, ad primum caput, ita loquitur: Admirabilis eſt legalium uerborum ſubtilitas; non ſolùm quia differentias conuerſationum deſcribit, ſed etiam quemadmodum quaſdam conuerſationes ſecundùm legem, quaſdam uerò ſuper legem ſignificet. Secundùm legem enim ſunt boum & ouium, licèt ſpontaneæ dicantur. Secundùm legem quare? Quia & ſi offerre munus in poteſtatem offerentis dedit, nimis rectè liberi quippe arbitrij, Deus

Iſychius.

hominem conſtituit; tamen quale offeratur, non iam uoluntatis eſt, ne forte mala offerantur; neceſſe eſt ergo, aut bouem offerri; aut ouem; id-eſt, aut operari iuſtitiam, aut à malis abſtinere.

Et lib. 2., ſuper cap. 7. eiuſdem Leuitici, exponens illa uerba: Panes quoque fermentatos cum hoſtia gratiarum. &c., ait: Per hæc oſtendentes, quia quantumcunque homo egerit & uixerit, cucurrerit & comprehenderit, ſiue aſſequutus fuerit, ſine adiutorio Domini ſalutem adipiſci, ſiue aſſequi non poteſt. Propter quod & Paulus dicebat: Non uolentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; ad Roma. cap. 9. Vnde ad opus meritorium, gratiam nec ipſe à libero ſecernit arbitrio. Fuit vir iſte presbyter Hieroſolymorum, diui Gregorij Nazianzeni diſcipulus; floruit, imperantibus Arcadio & Honorio, anno Chriſti. 400.

Videant modò iſti noui theologi, an Sanctæ Romanæ Eccleſiæ doctores & magiſtri, de libero hominis arbitrio perplexè, confusè, atque permiſtè loquantur; veluti perperam eis impingebat teterrimus Caluinus. Atuerò tantum abeſt ut ſint inter ſe diſcordes, & uacillantes, vt potius in eandem ſententiam, prorſus determinatè conueniant. Videant, quæſo, quantis prouincijs, ætatibus, ſpatijs, locis & nationibus ſint inter ſe diuiſi, ſanctiſsimi iſti patres; in eandem tamen de arbitrij libertate, cæteriſq. ad animarum ſalutem attinentibus, fidem atque ſententiam conſpirant. Quos demum ſunt imitati ſecundi ordinis doctores; nempe beatus Thomas, Alexander de Ales, Ioannes Scotus, Aegidius Romanus, Ioannes de Baccone, Henricus de Gandauo, Gregorius Ariminenſis, & alij quamplurimi; qui hanc doctrinam unò ore & corde profitentur.

At quid de hæreticorum miniſtris dicemus, atque prædicantibus? Nónne iſti eodem tempore uiuentes, iiſdem prouincijs, atque iiſdem ferè parietibus clauſi, inter ſe diſsidentes ſunt, & diſcrepantes? Maximè, maximè, & iterum maximè. Negat Pelagius diuinam gratiam; negat Lutherus liberum arbitrium, & omnia vult ineuitabili euenire neceſsitate. Ipſum corrigit Melancthon, qui liberum fatetur hominis arbitrium in his quæ carnis concernunt iuſtitiam. Eundem corrigit Caluinus, qui vult liberum arbitrium in naturalibus, atque moralibus; & ita inter eos maxima confuſio. Quoniã altiùs rimari ſtudentes diuina myſteria quàm oportet, incidunt in blaſphemias. Qui enim vult igne calefieri, ſi interius mittat manum, pro eo quod potuit calefieri, comburitur. Sic & qui profundiùs, vel altiùs de Deo diſputare præſumit, pro eo quo glorioſius quid vult oſtendere, in blaſphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem diuinorum dogmatum non poſsit.

Nos autem ſanctorum patrum authoritatibus innixi, huiuſmodi grammaticos, & pædagogos infelices, liberum arbitrium impugnantes, rationibus quoque urgere intendimus.

Eadem

Eadem de libero hominis arbitrio aſſertio catholica, rationibus comprobatur. Cap. 23.

TAMETSI ex Sanctiſsimorum patrum authoritate, ſanctimonia, & antiquitate, necnon & unanimi aſſenſu, ſatis catholica ſententia de libero voluntatis arbitrio dignoſcitur & conſtat; nihilotameſecius rationibus adhuc agere uolumus, tũ ob maiorem ipſius rei exagerationem, tum ob maiorem etiam Proteſtantium confuſionem. Quibus tamen illud ſufficere deberet, quod ait Auguſtinus, Hypognoſticõ lib. 3.; nimirum; ipſum igitur liberum arbitrium hominibus eſſe, certa fide credimus, & prædicamus indubitanter. Et inferius: Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negauerit, catholicus non eſt. Hoc, inquam, eis ſat eſſe deberet, quoniam beatum Auguſtinum ſecum facere gloriantur. Sat etiam eſſet, quòd à tempore Apoſtolorum uſque in hodiernum diẽ, hæc ſancta perdurauit ueritas; at nihilominus progrediamur ulterius. *Tom. 7.*

Libro igitur. 3. Periarchon, cap. primo; hanc intendit Origenes habere rationem: Omnium quæ mouentur, alia in ſemetipſis cauſas motuum gerunt, alia extrinſecus accipiunt. Iſta ſunt ligna, lapides, & his ſimilia. Illa uerò, animalia & plantæ, necnon & alia quæ per animam conſtant. Hæc autem omnia ſuis motibus naturalibus, in ſuum feruntur naturalem finem. Homo igitur cùm præter huiuſmodi naturales motus, vim habeat rationis & uoluntatis, quæ indeterminata eſt, & libera; mouebitur liberè in eum, quem ſibi præſtituit finem. Et cùm hominem conuerti in Deum, ſit moueri in ſuum finem; conſequens eſt, vt quemadmodum res naturales ad ſuos cuiuſque fines, ſecundùm ſuam naturam Deus naturaliter mouet; ita hominem, iuxta ſuam, moueat liberè. *1. Ratio.*

Amplius: Si non eſt liberum arbitrium, quid proſunt exhortationes? Stultum eſt enim eum exhortari, qui non habet in ſua poteſtate aliquid operari. Omnia igitur Dei uerba, quibus benè agere monemur, aut etiam iubemur, vana ſunt & ocioſa. Nónne; dicant Proteſtantes; vtique ſtultum eſſet hominem hortari ad uolandum, aſinoq́. præcipere ut fidibus, aut more caneret fidicenis? Etenim ad impoſsibile nemo tenetur. *2. Ratio*

Quapropter peior eſſet hominis conditio, q̃ cuiuslibet beſtiæ, immo q̃ lapidis, & cuiuslibet ſtipitis. His enim rebus, nemo imputat peccatũ, aut uituperium aliquod, eò ꝙ neceſſariò, & à natura faciunt quicquid faciunt. Homini autem, qui ad aures Proteſtantinm, cùm peccat, neceſſariò peccat, rependitur pro peccato ſuo non ſolùm uituperium, & poena temporalis, ſed æterna damnatio; ſi peccatum non fuerit illi dimiſſum. Nec dicant, id ei contingere ob culpam primi peccati, quod commiſit primus parens; quoniam hoc in ſuperioribus iam fuit ſatis reprobatum. *3.*

Ad hæc; Stante hac Proteſtantium peſtilentiſsima doctrina, quòd in Deo ſit non modica ſæuitia; neceſſariò conſequitur. Quandoquidem non eſt in toto uniuerſo tã ſæuus & crudelis homo, qui ſeruo ſuo id præcipiat, in quod nullatenus poteſt. Atqui Deus ſub poena interminatæ maledictionis, *4.*

dictionis, & mortis æternæ, mandat ſua obſeruari præcepta. Qui igitur fieri poteſt, vt non remotum à culpa damnet, atque reum faciat? Erit ergo crudelis. Sed abſit ut tantam Deo inuramus feritatem, atque ignominiam. Erit igitur homo liberi arbitrij, vt ad diuinorum præceptorum opus ſe accingere poſſit, aut ea negligere; ſimulq́. erit ei in poteſtate ea complere, diuino fauente numine.

.5. Item: Dicunt viri docti, & benè, quòd conſilium eſt eorum quæ in nobis ſunt. Si igitur adimamus homini liberum arbitrium, ad quid ei datur conſilium? Ea enim quæ conſulimus, nec præſtare, nec quidem audire poteſt.

.6. At nunquid Proteſtantium doctrina de libero hominis arbitrio, duo claudit inter ſe pugnantia? Audiant: Ex una parte liberum tollunt arbitrium. Ex altera uerò, hominem uolunt eſſe capacem diuinæ gratiæ, & ſempiternæ gloriæ. Hæc autem adinuicem pugnant. Quoniam tota ratio quare homo ſit eorum capax, eſt ſola libertas; diuo atteſtante Bernardo, de gratia & libero arbitrio, ad initium; qui ait: Tolle liberum arbitrium non erit quod ſaluetur. Tolle gratiam, non erit unde ſaluetur. Opus hoc ſine duobus effici non poteſt; vno à quo fit, altero cui, vel in quo fit. Deus author eſt ſalutis, liberum arbitrium tantum capax, nec dare illam niſi Deus, nec capere ualet niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, q̄ abſque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti ſalutem, cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit; hoc eſt, dum ſaluatur. Conſentire enim ſaluari eſt. Proinde pecoris ſpiritus ſalutem huiuſcemodi capere minimè poteſt, eò quòd illi uoluntarius conſenſus deſit, quo ſaluatori Deo placidè obtemperet; ſiue iubenti acquieſcendo, ſiue pollicenti credendo, ſiue reddenti gratias agendo.

Confirmatur doctrina ex D. patre Auguſtino; qui epiſtola ad Valentinum, quæ eſt numero, 46., ſub finem, ait: Eo ipſo quippe, quo præceptum & imperatum eſt ut intelligamus atque ſapiamus, obedientiam noſtram requirit, quæ nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio. Modò autem in ſcripturis, multa nobis præcipiuntur. Obedientiam igitur requirunt. At vbi non eſt libertas, nec obedientia. Præcipiendo igitur Spiritusſanctus in diuina ſcriptura, declarat hominem eſſe liberi arbitrij.

Tom. 2.

.7. Quod ſi non admittatur, valeat Cæſar cum ſuis legibus, pereant magiſtratus, abrogentur iura, exibilentur Reges, exterminentur iudices, nemo ſit dominus, nemo ſeruus, nulla Reipublicæ facies, & more pecudum homines uiuant. Quippe ſi huic Proteſtantium ſit locus hæreſi, vt improbis nulla cuiuſcunque criminis iuſta defenſio tollatur & deſit, ſit neceſſariò conſequens. Quinimmo ne improbus quidem dicendus eſt quiſq̄. Si enim nullus ex propoſito & liberè peccat, nullus improbus iure dici poteſt. Quòd ſi res ita ſe habet, cur in latrones, pyratas, prædones, ſicarios, cæteroſq́. huiuſmodi flagitioſos animaduertunt iura? Id enim ſine humana iniuria haud fieri poteſt.

.8. Et quod peius eſt, Deum hunc ſuum, immaniſſimum conſtituunt Proteſtantes

teſtantes cum ſuo Caluino. Id quod in hunc modum demonſtrari poteſt: In ſua Inſtitutione, pagina mihi .53., inq. ſuo Antidoto, ſeſsione .6., ait Caluinus: Quanquam certo modo ipſa uoluntas noſtra dicitur, à nobis tamen originem non habet; ſed Spiritus illam operatur in nobis. Ad illum ſanè modum, ſecundùm quem, panem quotidianum noſtrum uocamus, dum ut detur oramus. Modò ſic: Si neque uelle quicq̃, nequidem facere poſſum, profectò uoluntatem meam ipſe non moueo. Peccatum autem cùm abſque uoluntate ne cogitari quidem poſsit; qui id agit ut uelim, quòd etiam agat ut peccem, ſequitur neceſſariò. Deus autem, iuxta Caluini dogma; ſolus totam noſtram mouet, atque gubernat uoluntatem; is itaque ſolus peccat in nobis. Si autem ille in nobis peccat, cur nos dicit peccatores? Si comedit ille vuam acerbam, quare dentes noſtri obſtupeſcunt? Qua, iterum, iniuria in alijs punit & uindicat ſcelera, quæ ipſe commiſit? Cur huiuſmodi peccatorum grauem ſarcinam, non potius brutis animantibus, quàm hominibus imponit, cum hi, iuxta Caluini placitum, libero uoluntatis arbitrio carentes, non amplius q̃ illa uelle, aut nolle poſsint? Adeſte Proteſtantes: An neſcitis proprium eſſe iuſtitiæ, ſuum unicuique reddere, nec alium ob alterius peccatum, pœnæ, ſupplicioq. ſubijcere? Nunquid audiſtis Ezechielem ita loquentem? Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij. Cur igitur *Ezech.18* Deus in miſeros homines ſæuit, qui nullum habent liberum uoluntatis arbitrium? Nulla igitur in hoc ueſtro Deo iuſtitiæ pars, nulla æquitatis, nulla miſericordiæ ratio, ſed tam crudelis immanitas, vt is omnes Phalarides, omnes Nerones, cunctaq. alia tyrannorum monſtra atque portenta, incredibili ſæuitia ſuperare uideatur.

Arguitur deinde, ex Proteſtantium doctrina, illud ſequi inter omnia .9. abſurda abſurdiſsimum; quòd ſcilicet homo, nec laudem nec uituperationem, minusq; præmium mereatur. Prima ſiquidem ad Corinthios Epiſtola, cap. 9., dicit Apoſtolus: Væ mihi ſi non euangelizauero. Si enim uolens hæc ago, mercedem habeo; ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Quæ eſt ergo merces mea? Iuſtificatio autem hominis, idem eſt quod conuerſio eius in Deum, quæ optima eſt, & omni laude digniſsima. At ſi non eſt ſpontanea & libera, quomodo laudabilis? Nam quod eſt præter uoluntatem, nec eſt laude, nec uituperio dignum. Eſt igitur libera conuerſio hominis in Deum. Et inde laudabilis, & præmium habet.

Sed quid de beatiſsima Virgine, Seruatoris noſtri matre? Quando .10. enim Angelus nunciauit ei Verbi incarnationem, quid ab ea quærebat *Luc.1.* niſi proprium aſſenſum? Siquidem audita ſalutatione, mox non reſpondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. At magno interuallo ſubſtitit, inquiens: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Ita ut cogeretur Angelus modum ei oſtendere, quo virginitate retenta, Dei mater fieret. Quod utiquè non fuiſſet, ſi Maria Virgo ea voluntate uolens, quæ ex ipſa non erat, ſed ex Deo, Angelo reſpondiſſet. Et ſi non habuiſſet aſſenſum, quid opus erat nuncio & ſalutatione? Habebat

bebat igitur & aſſenſum, & liberum voluntatis arbitrium.

11. Addo, quòd nec uirtuti nec uitio in homine locus eſſe poteſt, niſi liberi ſit arbitrij. Quæ nanque illa eſſet virtus, aut cuius naturæ, quæ inuoluntaria, & ex neceſsitate orta diceretur? Cuius, item, malitiæ illud uitium, quod eſt neceſsitate partum, atque conceptum? Vnde Clemens Alexandrinus in .7. lib. Stromatum, ait: Oportet ergo diſcere eſſe fidelem, & ſibi & proximo, & parere præceptis. Hic eſt enim Dei ſeruus, qui ſua ſponte ſe ſubijcit præceptis. Qui autem non iam propter præcepta, ſed propter ipſam cognitionem eſt mundus corde, is eſt Dei amicus. Neque enim naſcimur naturà uirtute præditi, neque ea natis, vt aliquæ aliæ partes corporis, accedit poſtea naturaliter. Nam ſic non eſſet uoluntarium, nec laudabile.

12. Poſtremò concludo cum .D. patre Auguſtino, de verbis Apoſtoli, ſermo. 15., qui ait: Qui fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te. Habemus ergo aſſenſum; & ita liberum uoluntatis arbitrium. *Rom. 10.*

Solutio Caluini. At reſpondet Caluinus, quòd interrogandi comma, in Vaticana bibliotheca ſcriptum legitur.

Impugna. Cæterùm non creditur. Atqui dato ſed non conceſſo, quòd res ita ſe habeat, corrupta eſt litera; nec uni codici magis, q̃ decem millibus ſtandum eſſet: præſertim cùm facilè fuiſſet Auguſtino loqui abſolutè in hunc modum: Qui fecit te ſine te, iuſtificabit te ſine te.

Aſt uideamus uerborum Auguſtini contexturam; & tunc etiam pueri iudicare poterunt an ſit ibi interrogandi comma. Dicit enim Apoſtolus ad Philippen. 3.: Non enim ſumus circuncifio, qui ſpiritu Dei ſeruimus. Sed .D. Auguſtinus legit; qui ſpiritui Dei ſeruimus. Et ſuper his verbis multa dicit. Subditq́. poſtea alia .D. Apoſtoli uerba; quæ ibidem inferius, ad uerbum ſic iacent in textu: Et inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide; ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius. Quæ quidẽ uerba ponderans diuus pater, ſic loquitur: Aliquid magnũ eſt, agnoſcere uirtutem reſurrectionis Chriſti. Hoc putatis eſſe magnum, quia carnem ſuam reſuſcitauit? Ipſam dixit virtutem reſurrectionis eius? Nónne erit etiam noſtra in fine ſeculi reſurrectio? Nónne & noſtrum corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem? Nónne quomodo ipſe reſurrexit à mortuis, & iam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, ſic & nos mirabiliùs, vt ita dicam? Nã illius caro non uidit corruptionem, noſtra de cinere reparatur. Magnum eſt quidem, quia præceſsit in exemplo, & dedit nobis quid ſperaremus, ſed non hoc eſt ſolum, ille qui de iuſtitia loquebatur non ſua, ſed illa quæ ex Deo eſt, & ibi nominauit uirtutem reſurrectionis Chriſti. Agnoſce ibi iuſtificationem tuam. Ex illius enim reſurrectione iuſtificamur, tanq̃ à petra circuncidamur, propterea inde coepit, Non ſumus circuncifio. Vnde circuncifio? A petra. Qua petra? Chriſto. Quomodo? Octauo die. Quomodo reſurrexit Dominus? Dominico die. Hanc ergo, fratres mei, iuſtificationem, & habeamus inquantum habemus, & augeamus

inquan-

inquantum minores ſumus,& perficiamus cùm illuc uenerimus, vbi dicetur: Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors aculeus tuus? Sed totum 1.Corin. ex Deo;non tamen quaſi dormientes,(notet Caluinus)non quaſi ut non conemur,non quaſi ut non uelimus.Sine uoluntate tua,non erit in te iuſtitia Dei. Voluntas quidẽ non eſt niſi tua,iuſtitia non eſt niſi Dei.Eſſe poteſt iuſtitia Dei ſine uoluntate tua; ſed in te eſſe non poteſt,niſi per voluntatem tuam.Et paucis interiectis: Melius eſt enim iuſtum eſſe,q̃ te hominem eſſe.Si hominem te fecit Deus,& iuſtum tu te facis,melius aliquid facis,q̃ fecit Deus; ſed ſine te fecit te Deus. Non enim adhibuiſti aliquem conſenſum,vt te faceret Deus.Quomodo conſentiebas qui non eras?Qui ergo fecit te ſine te,non te iuſtificat ſine te.Ergo fecit neſciẽtem,iuſtificat uolentem.Ita Auguſtinus.Cuius quidem uerba,ſi commate interrogandi legantur, nónne proceſſus atque concluſio adinuicem pugnant?Res profectò etiam pueris;vt diximus;ſuperq́.ſatis conſtat. Pereat igitur Caluinus,cum illa ſua Vaticana bibliotheca.Nosq́.doctrinam confirmemus,ex alijs.D.Auguſtini locis.

In primo nanque retractationum lib.,cap.22.,ait:Niſi quiſque volun- Tom.1. tatem mutauerit, bonum operari non poteſt,quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum,alio loco Dominus docet,vbi ait: Aut facite arborem bonam,& fructum eius bonum; aut facite arborem malam,& fructum eius malum.Quod non eſt contra gratiam Dei,quam prædicamus.In poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius uoluntatem;ſed ea poteſtas nulla eſt,niſi à Deo detur,de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.Cùm enim hoc ſit in poteſtate,quod cùm uolumus facimus,nihil tam in poteſtate,q̃ ipſa uoluntas eſt; ſed præparatur uoluntas à Do- Ioan.1. mino.Et in.3.libro Hypognoſticon,dicit:In omni itaque opere ſancto, Tom.7. prior eſt uoluntas Dei,poſterior liberi arbitrij; ideſt,operatur Deus,cooperatur homo. Hæc Auguſtinus. Quæ cùm ita ſe habeant,quì fieri poteſt, vt prætinducta uerba commate legantur interrogandi, vt inſinuet, Deum hominem iuſtificare ſine eius aſſenſu? Hæc enim quæ poſteriùs induximus,cum ſuperiori proceſſu,clamant prorſus oppoſitum. Huiuſmodi rationes cum Auguſtino terminare uolui, quia eum in hac materia uolunt Proteſtantes eſſe ſuum. At quò ſit eis magis incluſa uia addicendum, futurum eſt ut nonnullas inducamus emergentes difficultates,& ſoluamus.

Aduerſus eā quæ dicta ſunt, quædam inſurgunt difficultates. Cap. 24.

SVNT qui aduerſus ea quæ in præcedentibus determinata fuere,dubitandi occaſionem ſumere poſsint,ex ijs quæ docuit magnus ille pater Auguſtinus,qui in Enchiridion,cap.30.,in hunc loquitur mo- Tom.3. dum Verùm hæc pars generis humani,cui liberationem Deus,regnumq́. promiſit æternum,nunquid meritis operum ſuorum reparari poteſt? Abſit. Quid enim boni operari poteſt perditus,niſi quantum fuerit à per-

ditione

ditione liberatus? Nunquid liberò uoluntatis arbitrio? Et hoc abſit. Nam libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, vtique viuendo ſe occidit; ſed ſe occidendo non uiuit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare cùm occiderit. Ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Petri certè Apoſtoli eſt iſta ſententia. Quæ cùm uera ſit, qualis, quæſo, poteſt ſerui addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſeruit, qui ſui domini uoluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſeruus eſt. Hactenus Auguſtinus. Qui exponere uidetur, hominem per peccatum amiſiſſe liberum uoluntatis arbitrium. Et ob id quoque aſſerit eundem hominem ſeruum eſſe peccati. Vbi autem ſeruitus, inquit Caluinus, ibi neceſsitas. Quare uidetur quòd homo non habeat liberum arbitrium. Et ſi habet, non niſi ad malum.

12. Tom. 6. Item contra Fortunatum manichæum diſputatione ſecunda, ſic ait: Liberum uoluntatis arbitrium in illo homine fuiſſe dico, qui primus formatus eſt. Ille ſic factus eſt, vt nihil omnino uoluntati eius reſiſteret, ſi uellet Dei præcepta ſaluare. Poſtq̃ autem libera ipſe uoluntate peccauit, nos in neceſsitatem præcipitati ſumus, qui ab eius ſtirpe deſcendimus. Hæc ille. Si igitur poſt lapſum primi parentis, in neceſsitatē ſumus præcipitati, vbi libertas arbitrij?

13. Tom. 7. In Hypognoſticon quoque, lib. 3., ſub his verbis ſequentibus, idem cō firmare uidetur, quum dicit: Sed cur dicatur liberum arbitrium, eſt paululum differendum. Arbitrium ab arbitrando rationali conſideratione, vel diſcernendo quid eligat, quidúe recuſet, puto quòd nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quòd in ſua poſitum ſit poteſtate, habens agendi quod uelit poſsibilitatem, quod eſt uitalis & rationalis animæ motus. Sed huiuſmodi, vt ante iam dixi; fuit in homine protoplaſto, cùm ante peccatum maneret illæſus. Non enim per aliud contraxit offenſam, niſi per id quo potuit ne delinqueret reſiſtere ſuadenti. Per velle ergo malum, rectè perdidit poſſe bonum, qui per poſſe bonum, potuit uincere uelle malum. Quem iuſtè Deus, iam delicto captiuum, voluntati deprauatæ dimiſit, vt hæc eidem eſſet poena in non faciendo quod velit, qui ſemper, ſi Deo fuiſſet obediens, ſufficere potuiſſet ad omne bonum quod uoluiſſet. Ita Auguſtinus. Qui uidetur illud aſſeuerare, quod dicebat Caluinus; nimirum quòd per peccatum contraxit primus parens ſibi peccandi neceſsitatem, & quòd item ex eo, imputatur ei peccatum actuale, licèt careat libero uoluntatis arbitrio; quoniam illum uoluntati deprauatæ dimiſit, vt ei eſſet poena in non faciendo quod uelit. Ac demum dicit, quòd primi hominis uoluntas fuit deprauata; quod ad unguem uolebat Caluinus.

14. Tom. 7. Libro item de perfectione iuſtitiæ, ratiocinatione .9., inquit: Per arbitrij libertatem factum eſt ut eſſet homo cum peccato; ſed iam poenalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate fecit neceſsitatem. Vnde ad Deum fides clamat: De neceſsitatibus meis educ me.

Et in

Et in epiſtola ad Vitalem pelagianũ,quæ eſt numero.107.;ita loquitur: Liberum arbitriũ ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus; & lex Dei atque doctrina, quamuis ſancta & iuſta & bona,tamen occidit, ſi non uiuificet ſpiritus; per quem fit, non ut audiendo, ſed ut obediendo,neque ut lectione,ſed ut dilectione teneatur. .5. Tom. 2.

Id quod etiam confirmat libro .50.homiliarum,homilia .14.; quo loci ſermonem habens cum D.Apoſtolo,ſic ait uerſus finem: Da ueniam,Apoſtole,propria tua non inueni niſi mala.Da ueniam,Apoſtole, Dicimus, quia tu docuiſti, Audio confitentem,non inuenio ingratum. Prorſus tua à te tibi parata,non nouimus niſi mala. Cùm ergo Deus coronat merita tua,nihil coronat niſi dona ſua.Hanc fidem & ueram pietatem,ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis operibus, quiſquis ſic accipiat vt nouerit dantem,aut quiſquis datori non ſit ingratus,medico non ſuperbiat,vel inſanus adhuc,vel non à ſe ſanus. Hæc ille. Ex quibus illud videtur ſequi quod uolebat Caluinus; nempe merita noſtra dici noſtra, non quia tamen ſint propriè noſtra,ſed quia ex mera proueniunt diuina liberalitate. .6. Tom. 10. e1.

Amplius: Ad Roma. cap.6., inquit Apoſtolus: Sicut enim exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immunditiæ,& iniquitati,ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſerui eſſetis peccati,liberi fuiſtis iuſtitiæ.Quoniam cui exhibetis uos ſeruos ad obediendum,ſerui eſtis eius cui obeditis.Homo igitur,inquit Caluinus,qui ſe ſeruum ad obediendum Satanæ, in ipſo originali peccato exhibuit, ſeruus perpetuò erit Satanæ,cui obediuit; ac proinde neceſſariò ſemper peccat. .7. 1.

Et confirmatur; quoniam nullam libertatem in committendo peccato,hominem habere inquit Anſelmus.

Quò etiam,quas in multis præcedentibus locis,ſimul atque in proximè terminato capite induximus rationes, infirmare conetur, multa dicit Caluinus. Et ad captandam ſuorum beneuolentiam, præmittit Auguſtinum ſecum facere in hac materia;,& ſi aliquid pro nobis dicere uideatur, illud iocosè, eius uocis uſum eludendo profectò dicit; vtpotè liberum dicit eſſe arbitrium, ſed non liberatum; liberum iuſtitiæ, ſeruum peccati, & his ſimilia. Deinde dicit, eos qui falſa libertatis humani arbitrij opinione ipſum Euangelium præcipitare conantur, ſuas ex aduerſo quaſdam rationes obtendere, ad oppugnandam eiuſdem ſacroſancti Euangelij ſententiam. Congerunt, inquit, primò abſurda nonnulla, quibus eam in odium trahant, tanq̃ à ſenſu quoque communi abhorrentem. Poſtea ſcripturæ teſtimonijs cum ea congrediuntur. Vnde aiunt: Si peccatum neceſſitatis eſt, iam definit eſſe peccatum. Si uoluntarium eſt, ergo uitari poteſt. Modò ſic: Hæc Pelagij arma erant ad impetendum Auguſtinum. Illis igitur utentes, magis pelagiani erunt, quàm Chriſtiani. .8. e1.

Rurſus cùm dicitur, peccatum minus debere imputari, quòd neceſſarium eſt; aſſumitur probandum, ſine probatione. Ex prima igitur parte .9.

deficit ratiocinatio. Si quis enim, inquit, diſceptare cum Deo uelit, & hoc prætextu iudicium ſubterſugere, quoniam aliter non potuerit, habet paratam reſponſionem: Perditio tua ex te, Iſrael, in me tantummodo auxilium tuum. Vnde enim iſta quam cauſatur, impotentia, quàm ex naturæ uitioſitate? Vnde porrò uitioſitas, niſi quòd homo defecit à ſuo opifice? Huius defectionis ſi merito rei tenentur homines uniuerſi, nec ſe neceſsitate excuſatos putent, in qua ipſa, luculentiſsimam habent damnationis ſuæ cauſam.

Vitioſa item eſt, ait, eiuſdem ratiocinationis ſecunda pars, quæ ita colligitur: Peccatum ſi uoluntarium eſt, uitari ergo poteſt. Quandoquidem à uoluntario deductionem habet ad liberum. Docent enim Dialectici, quòd à ſuperiori ad ſuum inferius, non ualet illatio affirmatiua. Dato enim, ſimul atque conceſſo quòd ſit animal; ob id non ſequitur hominem eſſe.

.10. Nonam quoque rationem pro ueritate erectam redarguit Caluinus; quoniam illa, inquit, eſt ratio Pelagij. Nam dicit ratio noſtra, quòd niſi ex libera arbitrij electione, tum uirtutes tum uitia procedant, non eſt conſentaneum ut homini uel poena infligatur, vel præmium rependatur. Pelagiani autem in hunc modum argutabantur: Si gratia Dei in nobis agit, illa ergo, & non nos, qui laboramus, coronabitur. Argumentum igitur, præter hoc quòd eſt Ariſtotelicum, fuit etiam Pelagianis ualde familiare. Nos autem, diceret Caluinus, damus Ariſtoteli liberum uoluntatis arbitrium in naturalibus atque moralibus. Pelagianis autem illud negamus in hominis iuſtificatione. Cùm itaque ratio noſtra illud in hunc modum admittat; quòd ſit pelagiana relinquitur neceſſariò.

.11. Quòd item poena meritò infligatur homini non libero, probat Caluinus tali pacto: A quo peccati culpa emanat, iure ei poena irrogatur. Quòd autem ab homine culpa emanet, ſatis conſtat ex ipſa uitioſitate naturæ.

.12. Addit inſuper, fideles coronari & ſi nullum ſit eorum liberum arbitriũ; quoniam ad Roma. cap. 8., inquit Apoſtolus: Quos elegit, eos uocauit; quos uocauit, eos iuſtificauit. Quos iuſtificauit, eos & glorificauit. Cur ergo, inquit Caluinus, teſte Apoſtolo, coronantur fideles? Quia Domini miſericordia, non ſua induſtria, ſunt electi, & uocati, & iuſtificati. Id quod toties inculcatur ab Auguſtino, Non merita ſcilicet noſtra, ſed ſua dona coronare Deum. Faceſſat ergo, inquit, inanis ille timor, nulla fore amplius merita, ſi liberum non ſtabit arbitrium; ſtultiſsimum eſt enim ab eo abſterreri, quo nos ſcriptura uocat. Si omnia accepiſti, ait Paulus, quid gloriaris quaſi non acceperis? Vides, inquit, ob idipſum libero arbitrio adimere illum omnia, ne quem meritis locum relinquat.

.13. Secundam quoque rationem catholicam, quæ ex admonitionibus, exhortationibus, præceptis, necnon & obiurgationibus ducitur, calumniari nititur Caluinus his verbis: Similia olim cùm obiectarentur Auguſtino, libellum de correptione & gratia ſcribere coactus fuit. Vbi & ſi copioſè illa diluit, ad hanc tamen ſummam aduerſarios reuocat. O homo, in præceptione cognoſce quid debeas agere. In correptione cognoſce tuo te uitio nõ habere. In oratione cognoſce unde accipias quod vis habere.

habere. Si igitur ſuo proprio uitio non habet homo unde obediat præcipienti, ſed orat ut Deus in eo operetur quod iubet; quomodo liberi eſt arbitrij?

Adhuc, Chriſtus, inquit Caluinus, teſtatur, nos ſine ſe nihil poſſe. Ob id tamen non ceſſat reprehendere & caſtigare eos, qui extra ſeipſum male agunt. Item ob id non deſinit exhortari, vt quiſque bonis operibus incumbat. Paulus etiam ſæuerè admodum in Corinthios inuehitur, ob charitatis neglectum. Iiſdem tamen demum charitatem à Deo flagitat. Teſtatur non eſſe uolentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Non deſinit tamen poſtea & admonere, & adhortari, & corripere. Si igitur ratio habet locum, cur, inquit, non Dominum interpellant, ne ita ludat operam, ab hominibus ea exigendo, quæ ſolus ipſe dare poteſt? Ea caſtigando, quæ gratiæ eius defectu admittuntur? Paulū cur non admonent ut parcat ijs, quorū in manu non eſt, velle, aut currere, ſine præeunte Dei miſericordia, quæ nunc ipſos deſtituit? Non igitur uanæ ſunt obiurgationes, exhortationes, nequidē admonitiones & correctiones, & ſi homo libero careat voluntatis arbitrio. Bifariam enim, inquit, Deus in electis ſuis operatur; intus nempe per ſpiritum, extra per uerbum. Spiritu, mētes illuminando, corda in iuſtitiæ amorem, cultumq́; formando, nouam eos creaturam facit. Verbo, ad eandem renouationem expetendam, quærendam, aſſequendam, excitat. Ecce ergo quòd non ſunt fruſtra exhortationes, & monitiones. .14.

Præmiſſa obiectiones diluuntur. Cap. 15.

IN ſuperioribus, triplicem ex D. Bernardo annotauimus libertatem; nimirum à neceſsitate, à peccato, à miſeria. Diximus etiam q̃ liberum noſtrum arbitrium, & ante & poſt peccatum eſt æqualiter liberū. Quoniam ſicuti eo tempore cogi non poterat, ita nec modò; & ita hæc libertas eſt æqualiter in omnibus, non minor in malis, quàm in bonis, tamq́; plena poſt peccatum, quàm ante. Libertas à peccato, illa eſt de qua dicit Apoſtolus .2. ad Corin., cap. 3.: Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Et ad Roma. 6.: Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ; nunc autem liberati à peccato, ſerui autē facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem. Hanc, inſuper, diximus libertatem eos duntaxat habere, qui per gratiam reparantur; non q̃ penitus ſint ſine peccato, ſed quia non dominatur eis peccatum; & hæc propriè libertas nuncupatur. Vnde libertas à neceſsitate, ſiue uoluntas libera à neceſsitate, licèt in bonis æqualiter ſit & in malis; libera tamen à peccato, non niſi in iuſtis & bonis reperitur. Libertas verò à miſeria habetur ſolūmodo in patria; & de hac loquebatur Apoſtolus ad Roma. 8. dicens: Et ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. De ſecunda quoque dicitur Ioan. 8.: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

Diximus rurſum ex Ariſtotele, primo Politicorū libro, q̃ duplex eſt dominiū; deſpoticū videlicet, atque regale. Primum illud eſt, quo ſeruis dominamur. Secūdum uerò nuncupatur illud, quo principes liberis hoībus

 imperant.

imperant. Quando igitur iuſtitia uel peccatum nobis dominatur, illud eſt dominium regale, non deſpoticum; vt perperam arbitrabatur Caluinus. Eapropter non eſt actus aliquis in nobis iuſtitiæ, vel peccati, in quo
41. liberum arbitrium cum libertate non operetur. Tunc enim duæ concurrunt libertates; hoc eſt, vt homo à iuſtitia liber ſit, cùm liberè ſeruit peccato; quod committere cum libertate non poſſet, niſi liber eſſet à iuſtitia. Itidem & cùm iuſtitiæ ſeruit, duæ adſunt libertates; altera qua liberum arbitrium à gratia liberatum eſt; altera uerò dum ſuapte uoluntate quis iuſtitiæ ſeruiendo, his, quæ gratia cum eo operatur, conſentit, & cum eadem gratia cooperatur. Idcirco ſeruus iuſtitiæ, non abſque libertate ſeruit Deo regi ſuo. Itidem & ille qui ſeruit peccato. Caluinus autem, anteq̃ homo à gratia liberetur, ita eum ſeruum facit, vt aſino, vel empto ſeruo comparetur.

Hanc ob cauſam, quando Apoſtolus dicit: Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ; de Dominio loquitur regali; liberum dicens non ſubditum, aut non obtemperans, Seruum contrà, ſubiectum, & obtemperans; & utroque uelut reſpectiuo utitur, inquit Albertus Pighius, vt obſequentes carnis deſiderijs, & peccatis ſubditos, dicit liberos iuſtitiæ; hoc eſt, nõ ſubiectos iuſtitiæ, ſeruos autem peccati. Contrà uerò, eos qui iuſtitiæ, nõ carni, aut diabolo obtemperant, dicit ſeruos iuſtitiæ, liberos autem peccati. Taceat igitur Caluinus, qui lib. 3. contra Pighium, folio mihi. 104. ipſum calumniatur, inquiens, q̃ ei placuit idcirco hominem à iuſtitia liberum eſſe, quia emancipatus à peccati imperio ſit. Si enim dixiſſet, illum liberum & alienum à iuſtitia, qui eſt imperio peccati emancipatus, melius fortè dixiſſet, licèt non rectè; quoniam iſte modus loquendi reſpicit dominium deſpoticum, non regale. His itaque prænotatis, reliquum eſt ut obiectionibus in oppoſitum, contendamus facere ſatis.

Ad primã rationem. 1 Ad primam igitur reſpondet Hugo de ſancto Victore, quòd quando Auguſtinus dicit, quòd homo malè utens libero arbitrio, ſe perdidit & ipſum; loquitur de ſecunda, non de prima libertate. Et re uera ita eſt; veluti ex uerbis eiuſdem Auguſtini facilè conuincitur. Inquit enim: Quid boni operari poteſt perditus, niſi quantum fuerit à perditione liberatus? Si ergo perditus non poteſt rectè operari, niſi à perditione liberatus; ſequitur per locum ab oppoſitis, & à contrario ſenſu, q̃ eo liberato, mox operabitur. At dicitur Ioannis. 8. Si filius uos liberauerit, verè liberi eritis. Meritoriè igitur poteſt homo, diuina fauente Clementia, operari. Et ita per peccatum amiſit libertatem à peccato, non à neceſsitate. Id quod etiam conſtat ex illis uerbis Auguſtini, cùm dicit: Qualis poteſt ſerui addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter .n. ſeruit, qui ſui domini uoluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandũ liber eſt, qui peccati ſeruus eſt. At quomodo liber? Non ſecunda; ergo prima libertate. Ideo ſequitur Auguſtinus: Vnde ad iuſtè faciendum liber nõ erit, niſi à peccato liberatus, eſſe iuſtitiæ cœperit ſeruus. Ipſa eſt vera libertas; propter recti facti lætitiã; ſimul & pia ſeruitus, propter præcepti obedientiã. Sed iſta libertas ad benefaciendũ vnde erit addicto, & vẽdito;

niſi redimat ille,cuius illa uox eſt:Si filius uos liberauerit,verè liberi eritis? Quod anteq̃ fieri in homine incipiat,quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere,qui nondum liber eſt ad operandum bene:niſi ſe uana ſuperbia inflatus extollat,quam cohibet Apoſtolus dicẽs; Gratia ſalui facti eſtis per fidẽ? Hæc Auguſtinus.In quibus primò obſeruo,ꝙ ſerui addicti nulla eſt libertas,niſi quando eũ peccare delectat.Cuius quidem delectationis ea eſt ratio,quia ſui domini uoluntatem libenter facit.Propterea,inquit,qui ſeruus eſt peccati,eſt ad peccandum liber. Quòd ſi liber eſt,quomodo neceſſariò peccat? *Ephe. 2.*

Obſeruo ſecundò,ꝙ,ad iuſtè faciendum liber non erit,niſi à peccato liberatus,eſſe iuſtitiæ coeperit ſeruus. Modò quis non uidet,ꝙ factus homo ſeruus iuſtitiæ,mox liber eſt ad iuſtè faciendum? Obſeruo tertiò,ꝙ huiuſmodi libertatem nunq̃ habuit homo,niſi per Chriſtum.Cuius quidem liberatio,non primam,at ſecundam reſpicit libertatem.Hanc igitur amiſit homo,per peccatum,non primam;& de illa loquitur Auguſtinus. Id quod etiam manifeſtiſsimum redditur,ex ultimis eius uerbis. Nam ſi ante Chriſti liberationem,non poteſt quiſq̃ de libero arbitrio in bono gloriari opere; ꝙ poſt eius liberationem aliquo pacto gloriari poſsit; (adſit reuerentia uerbo) fit neceſſariò conſequens.

Ad ſecundam rationem dicimus,rem ita ſe habere,ſicuti dixit pater ſanctus Auguſtinus;verùm per neceſsitatem intelligit ipſe impotentiam liberi noſtri arbitrij ad benè,iuſteq́ operandum,ſine ope diuinæ gratiæ; vt idem ſonet eo loci neceſsitas,quod egeſtas,inopia,calamitas,& miſeria. Et quòd ita ſit,ex eo patet quod habet inferius,quando inquit: Quandiu ergo portamus imaginem hominis terreni, ideſt, quandiu ſecundùm carnem uiuimus, qui uetus etiam homo nominatur,habemus neceſsitatem conſuetudinis noſtræ,vt non quod uolumus faciamus.Cùm autem gratia Dei amorem nobis diuinum inſpirauerit,& nos ſuæ uoluntati ſubditos fecerit, quibus dictum eſt: Vos in libertatem uocati eſtis, & gratia Dei liberauit me à lege peccati & mortis; lex autem peccati eſt,vt quicunque peccauerit, moriatur; ab iſta lege liberamur,cùm iuſti eſſe coeperimus.Ecce quòd loquitur de neceſsitate,quæ opponitur ſecundæ libertati,non primæ. Et huiuſmodi neceſsitas eſt conditionata, non abſoluta;habetq́ rationem miſeriæ,ſiue indigentiæ; quoniam ab ea non liberatur homo,niſi ope diuinæ gratiæ.Et ſi alio ſenſu loquitur Auguſtinus,non ſibi conſtat, quod abſit. In eadem ſiquidem diſputatione, ait: Liberum arbitrium ſi non dediſſet Deus,iudicium puniendi nullum iuſtum eſſe poſſet,nec meritum rectè faciendi,nec præceptum diuinum, vt ageretur poenitentia de peccatis;nec ipſa indulgentia peccatorũ,quã nobis Deus per dominum noſtrum IESVM Chriſtum donauit.Quia qui non uoluntate peccant,non peccant.Hoc arbitror omnibus apertũ eſſe, atque perſpicuum. Et parum infra: Ego dico peccatum non eſſe,ſi non propria uoluntate peccetur;hinc eſſe & præmium,quia propria uoluntate recta facimus.Aut ſi poenam meretur qui peccat inuitus,debet & præmiũ mereri,qui benè facit inuitus.Quis autem dubitet non deferri præmium, *Ad. 2.* *Gala. 5.*

niſi & qui bona uoluntate aliquid fecerit? Ex quo intelligimus & pœ-
nam inferni ei, qui uoluntate mala aliquid fecerit.
Amplius; quia Fortunatus erat manichæus, liberum negabat uolunta-
tis arbitrium, duas illas in homine animas aſſeuerans, de quibus ſupra
mentionẽ fecimus; quas volebat à Domino IESV Matt. 7. & 15. ſigni-
ficari; cùm ait: Non poteſt arbor bona, malos fructus facere; neque arbor
mala, bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum
excidetur, & in ignem mittetur. Et, omnis plantatio quam non plantauit
pater meus coeleſtis, eradicabitur. Diuus autem Auguſtinus, in hunc mo-
dum reſpondet: Illæ duæ arbores, bona arbor, & mala arbor, quas enu-
meraſti, veriſsimè dictum eſt à Domino, quòd fructus ſuos habeant; id-
eſt, neque bonam poſſe dare malos fructus, neque malam bonos, quandiu
mala eſt. Accipiamus duos homines, bonum hominem, & malum homi-
nem; quandiu bonus eſt, malos fructus dare non poteſt. Quandiu malus
eſt, fructus bonos dare non poteſt. Sed ut intelligas iſtas duas arbores
ſic eſſe à Domino poſitas, vt ibi ſignificaretur liberum arbitrium, non na-
Matt. 12. turas eſſe iſtas arbores, ſed uoluntates noſtras, ipſe ait in Euangelio: Aut
facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Quis eſt qui poſsit
facere naturam? Si ergo imperatum eſt nobis, vt faciamus arborem aut
bonam, aut malam; noſtrum eſt eligere quod uelimus. Hæc ille. Modò ſic:
Si noſtrum eſt eligere quod uolumus; bonam ſcilicet aut malam arborẽ
facere; quomodo periit electio ĩ primi parentis crimine? Et ſi diuus iſte
pater illam admittit, quomodo negat liberum arbitrium? Et ſi non negat
liberum arbitrium, cur dicit, quòd poſtq̃ Adam libera uoluntate pecca-
uit, nos in neceſsitatem præcipitati ſumus, qui ab eius ſtirpe deſcendi-
mus? De neceſsitate igitur loquitur conditionata, non abſoluta; quæ idẽ
ſonat quod egeſtas, & indigentia, uelut ſi quis coniiceretur in uincula,
diceretur in neceſsitate cõſtitutus, qui ſine ope alterius, minimè deambu-
lare poteſt. Ita etiam homo, carnis prudentia, & peccandi conſuetudine,
ſeu vinculis peccati alligatus, dicitur & eſt in neceſsitate conſtitutus, non
illa ſcilicet ui quæ cogit; ſed illa qua dicitur aliquis indigere ope & au-
xilio alterius. Quoniam homo ſine gratia diuina, nec diu peccatum ui-
tare, nec ab eo reſurgere poteſt. Vnde ceſſat ratio ſecunda.
Ad 3. Ad tertiam dicimus, quòd rectè dicit Auguſtinus, hominem peccato
originis perdidiſſe libertatem arbitrij, non ad uelle, ſed ad poſſe, aut per
ficere. Qui enim perdidit illud poſsibilitatis bonum, liberum ob id non
perdidit arbitrium, aut nomen, aut rationem liberi arbitrij. Vnde Augu-
ſtinus non dicit: Per uelle malum perdidit uelle bonum, ſed poſſe bonũ.
Aliud eſt enim libertas arbitrij, hoc eſt, potentiam conſentiendi, atque
diſſentiendi habere; aliud libertas in iuſtitia uiuendi, atque iuſtitia ope-
randi. Rectè proinde cenſemus nos & aſſerimus, hominem libertatem ar-
bitrij omni tempore habuiſſe; libertatem, inquam, conſentiendi, vel non
conſentiendi; tametſi abſque gratia libertatem iuſtè cogitandi, volendi
atque operandi non habeat. Et quod dicit Auguſtinus, Deum hominem
dimiſiſſe captiuum uoluntati deprauatæ; id non ſonat uoluntatem noſtrã
fuiſſe

fuiſſe corruptam,ita ut electionem amiſerit; ſed uitiatam & infirmam; vt amplius non poſsit ſine Dei auxilio nec uelle bonum, nec illud perficere. Et quia hæc uitiata & infirma uoluntas fuit homini in poena, ne faceret quod uellet; ob id non infert diuus pater, illam ſibi neceſsitatem hominem contraxiſſe, quam finxit Caluinus. Hunc cenſuerim germanum fuiſſe Auguſtini ſenſum. Qui propterea inferius ait: Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negauerit, catholicus non eſt. Et paulò poſt: In omni itaque opere ſancto, prior eſt uoluntas Dei, poſterior liberi arbitrij; ideſt, operatur Deus, cooperatur homo.

Ad quartam iam patet per ea quæ diximus ad ſecundam; quæ quidem, cum ijs quæ in diſſolutione tertiæ rationis diximus, optimè conueniunt. Sumitur enim ibi neceſsitas pro indigentia, & egeſtate. Indigentia, inquam, diuini auxilij, ad benè, iuſteq́ue uiuendum. Habemus enim potentiam nobis naturalem aſſentiendi, atque diſſentiendi; poſſe autem & perficere minimè. Vnde ſicuti ante peccatum, poteſtatem habebat homo faciendi quicquid uolebat; ita poſt peccatum, huiuſmodi amiſit facultatem, & poſsibilitatem, vt non poſsit facere quod vult. Et hanc impoſsibilitatem appellat Auguſtinus neceſsitatem; quæ demum idem ſonat quod indigentia, & inopia; veluti cùm quis dicitur inops ab amicis, inops ab auxilio. Vnde ad rationem optimè reſpondet ipſemet Auguſtinus, cùm dicit quod fides clamat: De neceſsitatibus meis educ me. Dauidica oratio erat illa, qua dicebat: Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt; de neceſsitatibus meis erue me; ſiue educ me, vt legit Auguſtinus. Quam quidem orationem attendens Remigius, ait: Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, & ſupra modum creuerunt; quia tribulant proſpera, tribulant aduerſa, tribulant diuerſæ ſuggeſtiones animi, ſeu corporis. Quot & quantæ ſunt infirmitates, & paſsibilitates carnis, in fame & ſiti, in frigore, ſtatione, ſeſsione, & alijs multis? quibus ne labamur, quotidie fulciri indigemus. In his omnibus cor tribulatur, ne impediant & deuorent. Et ideo erue me; ideſt, libera de neceſsitatibus meis; ideſt, da ut mortale hoc induat immortalitatem, & corruptio incorruptelã. Neceſsitates uocat indigentias, & paſsibilitates, quas neceſſariò patitur, dum in hoc corruptibili corpore quaſi carcere manet; cui propoſita fuit ſufficientia & indigentia, mortalitas & immortalitas; declinans ab immortalitate & ſufficientia, neceſſariò incidit in earum contraria. Hactenus Remigius. Ex quo patet, quòd huiuſmodi neceſsitas non eſt abſoluta, ſed conditionata; quæ non primam, at ſecundam & tertiam reſpicit libertatem. Conſimilem neceſsitatem explicare, nec non & oſtendere uoluit Dantes, quando in poemate de Purgatorio, cap. 13. dixit:

Ad.4.

Pſal 24.

1. Cori. 15

E poi che fummo vn poco più auanti,
Vdi gridar, Maria ora per noi,
Gridar, Michele, Pietro, e tutti i ſanti.

Non

Non credo che per terra vada anchoi
Huomo ſi duro; che non foſſe punto,
Per compaßion di quel, ch'i vidi poi.
Che quando fù ſi preſſo di lor gionto,
Che gli atti loro à me veniuan certi,
Per gli occhi fui di graue dolor munto.
Di vil cilicio tutti eran coperti,
Et l'vn ſoſferia l'altro con la ſpalla,
Et tutti da la ripa eran ſofferti.
Così li ciechi à cui la robba falla,
Stanno à perdoni à chieder lor biſogna;
Et l'vno'l capo ſopra l'altro aualla.
Perche'n altrui pietà toſto ſi pogna,
Non pur per lo ſonar delle parole,
Ma per la viſta, che non meno agogna.

Neceſsitas igitur, illis in locis, quos ex diuo patre Auguſtino citauimus, idem ſignificat quod indigentia, inopia, egeſtas, & miſeria. Quæ quidem non primam reſpicit libertatem, veluti diximus. Et ita etiam quarta ratio redditur nulla.

Ad 5. Quinta quoque parui eſt momenti: Quoniam non dicit Auguſtinus, quòd primi peccati granditate liberum arbitrium perdidimus abſolutè; ſed ad diligendum Deum, quod quidem, opus reſpicit charitatis. Vnde ex illis uerbis vult habere ipſe diuus pater, quòd liberum arbitrium perdidimus, quod ad poſſe attinet, non quod ad uelle; quemadmodum iam diximus.

Ad 6. Ad ſextam dicimus, quòd quotieſcunque diuus pater Auguſtinus dicit: Non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua; loquitur in odium Pelagij, & inſequentium, qui uolebant hominem ex merito proprij liberi arbitrij, vitam æternam habere, Dei prorſus ſecluſa gratia. Vnde ſenſus eius eſt, quod ſi merita noſtra conſiderentur quatenus ex mero noſtro procedunt libero uoluntatis arbitrio, eatenus mala ſunt, & nullam merentur coronam. Si uerò ea ratione conſiderentur, qua ex eodem procedunt libero arbitrio, Dei gratia firmato & corroborato, tunc dicuntur, & ſunt bona, & quatenus talia, à Deo coronantur. Si igitur propria & præcipua ratio quare Deus coronat merita noſtra, ea eſt quia bona ſunt; & ſola diuina gratia eſt illa qua bona ſunt; cur rectè nõ dicitur, quòd Deus coronando merita noſtra, non coronat tanquam merita noſtra, ſed tanquam dona ſua? Ita enim loquitur Auguſtinus, ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis operibus, ſicuti Pelagiani; ea ſcilicet aſcribendo mero uoluntatis arbitrio. Vnde philoſophus & ſcholaſticus theologus optimè diceret, beatum Auguſtinum loqui reduplicatiuè, vt ratio formalis qua merita noſtra à Deo coronantur ſit bonitas, quæ à

ſola

ſola prouenit gratia diuina. Dicuntur tamen, & ſunt merita noſtra, propter aſſenſum liberæ uoluntatis, & concurſum operationis. Aſſentitur enim homo per liberum uoluntatis arbitrium gratiæ diuinæ, ipſiq; liberè cooperatur. Quo fit, vt dicantur merita noſtra, non ex illa ſimplici, meraq; Dei liberalitate, quam finxit Caluinus; vt ſcilicet ita dicantur, quia Deo placuit; non quia aliquid conferat liberum arbitrium; ſed quia re ipſa adeſt conſenſus uoluntatis, & operis concurſus. Eſt nihilominus ibi mera Dei liberalitas, ſi eius gratiam reſpiciamus; ſecus non eſſet gratia; & ex hac ſola prouenit ut bona ſint; veluti diximus.

Quòd autem ſit hæc illius ſanctiſsimi patris intentio, facile eſt uidere. Siquidem Apoſtolum alloquens ait: Prorſus tua à te tibi parata non nouimus niſi mala. Hæc ſunt merita liberi arbitrij in ſe conſiderati. Sequitur: Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat niſi dona ſua. Sunt hæc merita cum additione gratiæ. Modò autem, ſi Deus coronat dona ſua, quomodo coronat merita noſtra? Si enim ſunt dona Dei, quomodo merita noſtra? Et ſi merita noſtra, quomodo dona Dei? Denominatione extrinſeca tantùm, vt dicebat Caluinus? Minimè, minimè, & iterum minimè. Sunt quidem dona Dei, ſed & ſimul merita noſtra. Dona Dei, ratione gr[illegible]iæ; merita noſtra, ratione liberi aſſenſus & cooperationis. Sed cur [illegible] Auguſtinus, quòd nihil coronat Deus, niſi dona ſua? Nam per uerbum (nihil) meritum noſtrum excludere uidetur. At re uera non excludit; verùm ita loquitur, inquit ipſe, ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis operibus, ſicuti Pelagius. Nihil enim coronat Deus in meritis noſtris, niſi quod eſt bonum. Hoc autem eſt gratia & Dei donum; vt dictum eſt. Vnde ſi noſtrum uelle eſt bonum, ſi conſenſus eſt bonus, ſi operatio eſt bona, non niſi per gratiam. Fiunt tamen noſtra huiuſmodi dona, & merita, per liberum noſtrum aſſenſum, atque liberam operationem. Quocirca Auguſtinus, in illa 14. homilia quam citat argumentum, de ſanctis martyribus ſermonem habens, ad initium ait: Paratam ergo habent martyres uoluntatem in martyrio, ſed præparatur uoluntas à Domino. Illis autem in malis duris atque aſperis futuris commemorans, adiecit: In ueſtra patientia poſsidebitis animas ueſtras. In ueſtra patien- Luc. 21.
tia, inquit. Non enim eſſet patientia tua, ſi non ibi eſſet & voluntas tua. In ueſtra patientia; ſed unde ueſtra? Noſtrum eſt quod à nobis habetur, noſtrum eſt & quod nobis donatur. Quomodo enim aliquid donas, niſi ut eius ſit cui donas? Aperta eſt enim illa confeſsio. Nonne Deo ſubijcietur anima mea, ab ipſo enim eſt patientia mea? Dicit nobis ipſe, In ueſtra patientia; Dicamus illi & nos: Patientia mea ab ipſo eſt. Tuum fe- Pſal. 61.
cit donando, noli ingratus eſſe, tibi aſsignando. Nónne in oratione dominica dicimus & noſtrum eſt, quod à Deo eſt? Quotidie dicimus: Panem noſtrum quotidianum. Iam dixiſti, noſtrum; & dicis, da nobis. Ecce noſtrum, ecce da nobis. Illo dante fit noſtrum; ſi illo dante fit noſtrum, nobis ſuperbientibus fit alienum. Dicis noſtrum, & dicis, da nobis. Quid ergo tibi aſsignas, quod non tibi ipſe dediſti? Quid enim habes quod 1. Cor. 4.
non accepiſti? Dicis noſtrum, & da nobis. Agnoſce largitorem, confitere

te accipere, vt libenter ille dignetur dare. Hæc ille. Diſcat modò Caluinus, quo modo ſit patientia noſtra, & panis. Noſtra profectò patientia, quoniam Deo dante, atque donante, libera uoluntate ſuſcipimus. Noſter & panis, quia eodem donante, liberè accipimus. Et ita gratia à Deo, opus ab utroque.

Vnde Apoſtolus. 2. ad Timo. 4. dicebat: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex. Et Auguſtinus ſubdit in memorato loco: Bonum certamen certaui, opus eſt. Curſum conſummaui, opus eſt. Fidem ſeruaui, opus eſt. Supereſt mihi corona iuſtitiæ, merces eſt; ſed in mercede tu nihil agis, in opere non ſolus agis. Corona tibi eſt ab ipſo, opus autem abs te; ſed non niſi ipſo adiuuante.

Tom. 7. Itemq́; de gratia & libero arbitrio, cap. 6. ait: Sed cùm dicunt Pelagiani hanc eſſe ſolam, non ſecundùm merita noſtra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam uerò quæ datur in finem, id eſt, æternam vitam, meritis noſtris præcedentibus reddi; reſpondendum eſt eis, Si enim merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia; quoniam uerò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſsimè reſpondet Apoſtolus:

1. Corin. 4. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Prorſus talia cogitanti, veriſsimè dicitur; Dona ſua coronat Deus, non merita tua; ſi tibi à teipſo, non ab illo ſunt merita tua. Hæc enim ſi talia ſunt, mala ſunt; quæ mala ſunt, non coronat Deus; ſi autem

Iacob. 1. bona ſunt, Dei dona ſunt; quia ſicut dicit Apoſtolus Iacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.

Et ibidem cap. 7. ita concludit: Si ergo Dei dona ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanq̃ merita tua, ſed tanq̃ dona ſua. Hæc Auguſtinus. Qui re uera loquitur reduplicatiuè; quoniam illa dictio (tanq̃) eſt reduplicationis nota, de qua ſatis diximus in 3. libro. Et eſt perinde ac ſi dixiſſet: Quia bona merita tua non habent quòd ſint bona niſi à Deo, & ab eo non coronantur niſi ſub ea formali ratione qua bona ſunt; illud profectò ſequitur, quòd ea coronando, coronat dona ſua.

Propterea ſequitur Auguſtinus, merita diui Apoſtoli Pauli conſiderando, qui ait: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Dicit autem Auguſtinus: Quid autem prodeſt bonum certamen, niſi ſe-

1. Cori. 15 quatur victoria? Et quis dat victoriam, niſi ille de quo dicit ipſe: Gratias Deo, qui dat nobis uictoriam per dominum noſtrum IESVM Chriſtũ?

Roma. 9. Deinde dixit: Curſum conſummaui. Sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit: Igitur non uolentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Poſtre-

1. Timo. 1 mò dixit: Fidem ſeruaui. Sed ille hoc dixit, qui alibi ait: Miſericordiã conſecutus ſum, vt fidelis eſſem. Non enim dixit, miſericordiam conſecutus ſum, quia fidelis eram; ſed, vt fidelis eſſem; hinc oſtendens etiam ipſam fidem haberi niſi Deo miſerante non poſſe, & eſſe donum Dei. Quod

apertiſsi-

apertiſsimè docet, dicens: Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex uobis, ſed Dei donū eſt. Hæc ſunt verba Auguſtini. Quibus pius & chriſtianus lector, noſtrum reſponſum eius attingere mentem, optimè nouerit. Et ſi multa diximus, in cauſa fuit hæreticorum importunitas & pertinacia. *Ephe. 2.*

Ad ſeptimam dicerent iuuenes noſtri, illam interimendo conſequutionem. Non enim ſequitur: Homo ſe ſeruum ad obediendum Satanæ, in ipſo originali peccato exhibuit: Seruus igitur perpetuò erit Satanæ cui obediuit. Quandoquidem Ioan. 8. dicit dominus: Verè liberi eritis, cùm vos filius liberauerit. Sumus ergo liberi à dominio Satanæ ratione peccati originalis; quod quidem eſt in baptiſmo ſimpliciter remiſſum & abolitum; quemadmodum ex ijs quæ in ſuperioribus diximus ſatis conſtat. Sumus etiam liberi à dominio peccati actualis; quoniam cùm ſimus ſub gratia, minimè ſerui actualis peccati erimus, anteq̄ nouum committamus peccatum. Non igitur ſeruus peccati perpetuò eſt homo, quia ſemel peccatum originale commiſit. Nec verba diui Apoſtoli percepit Caluinus. Nam eo in loco confert Apoſtolus Paulus Romanorum ſtatū ante baptiſmum, cum eo poſt baptiſmum, & eorum conuerſionem, dicens: Sicut exhibuiſtis & ante ueſtram conuerſionem præparauiſtis membra ueſtra ſeruire operando immunditiæ, & libidini, quæ carnem maculat, & iniquitati, ſiue iniquæ actioni, ducenti ad iniquitatem aliam maiorem, vt per incrementum malorum proficeretis ſemper in peius; ita nunc poſt conuerſionem cùm ſitis liberati, exhibete & præparate membra ueſtra, quæ ſunt ueſtri iuris, ſeruire operando iuſtitiæ, ducenti in ſanctificationem, & in boni conſummationem. Quoniam, ſicuti diximus, cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. Vnde licèt ante ueſtram conuerſionem, ſerui eſſetis peccati; Deo tamen ipſo liberante, & adiuuante, iam nō eſtis; ideo gratias ei habeatis, quoniam ei obediſtis ex bona cordis voluntate, tendentes in eam formam & regulam Euangelicæ doctrinæ, in qua à Deo gratia traditi eſtis. Et ita liberati à peccato per Spiritum ſanctum, quem accepiſtis in baptiſmo; quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas; facti eſtis ſerui iuſtitiæ; quod quidem eſt ſumma libertas. Vnde peccatum uobis non dominabitur; quoniam non ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. Sub lege enim poſitis, non ſub gratia, dominatur peccatum & concupiſcentia carnis delectatione iniquitatis; quæ in carne eſt, præualet; quoniā ab ea non per legē, ſed per gratiā liberatur homo. Hæc voluit D. Apoſtolus Paulus in illis verbis, quæ pro ſe induxit Caluinus; veluti, cuilibet in ſacris eius dictis etiam mediocriter erudito, ſatis conſtare poteſt. Cùm igitur per baptiſmum ſit totaliter remiſſum originale peccatum, quòd ratione ipſius non ſit amplius homo ſeruus Satanæ, ſit neceſſariò conſequens: Cumq; actuale peccatum nobis non dominetur amplius per IESVM Chriſtum dominum noſtrum; qui fieri poteſt, vt ratione illius ſimus adhuc ſerui Satanæ; ex conſequenti neceſſariò peccemus? Falſum eſt igitur & hæreticum, quòd homo renatus, ſeruus ſit illius peccati,

peccati,quod nunc patrandum eſt;ita ut tanq̃ peccati ſeruus,neceſſariò ad peccandum,non autem cum libertate accedat. Nec eius oppoſitum, ex Paulo unq̃ Caluinus conuincere potuit.

Minusq́.ex diuo Anſelmo,prout patet in ratiocinij confirmatione.Quoniam poſſe peccare,non pertinere ad libertatem uoluntatis homini datæ, magis aũt conditionem uoluntatis deficientis eſſe,rectè uoluit Anſelmus; veluti in ſuperioribus diximus ſatis.Verùm ut magis ipſius Caluini confundatur uerſutia,hanc etiam cauſam addere,minimè grauabimur. Siquidẽ ſi potentia peccandi eſt libertas,vel pars libertatis;aut illã habuit Adamus in ſui creatione à Deo patre,aut in ſua redemptione à Deo filio. Nõ primum;quandoquidem Deus peccatum non nouit,ait Paulus .2.ad Corinthios epiſtola,cap.5. Nec eſt iniquitas in eo;dicebat magnus Propheta in pſalmo.91. Minusq́.illam peccandi libertatem obtinuit homo à Chriſto redemptore;quoniam uerè illum à peccato liberauit; Ioannis.8.ipſo dicente:Si filius uos liberauerit,verè liberi eritis. Satan igitur prima cauſa fuit,& Adamus illud intromiſit in mundum;vt fuſiùs ſupra declarauimus. Vnde & ipſe Caluinus contra Pighium lib.3.,pagina mihi.87.,confitetur originem peccati ex uoluntario hominis lapſu,non autem Dei creatione, in primo homine extitiſſe. Itaque nec libertatem,nec libertatis partem,ipſam peccandi potentiam eſſe,rectè definiuit Anſelmus.

Tom. 9. Quòd item non peccet homo neceſſariò,manifeſtè docet Auguſtinus ſuper Ioannem,tractatu.53.;ex quo facilè conſtare poterit,illum quem diximus,Paulum habere ſenſum. Cùm enim Ioannes dixiſſet,ipſos obcæcatos Iudæos credere non potuiſſe,rationem horum uerborum Auguſtinus inquirit; vbi poſtq̃ ea quæ occurrerant narraſſet,his uerbis diſputationem concludit:Si quis autem iſtam quæſtionem liquidiùs & melius nouit ſe poſſe,& confidit exponere;abſit ut non ſim paratior diſcere,q̃ docere; tantum ne audeat quiſq̃ liberum arbitrium ſic defendere,vt nobis orationem qua dicimus: Ne nos inferas in tentationem,conetur auferre,rurſus ne quiſq̃ neget uoluntatis arbitrium,& audeat excuſare peccatum. Ita Auguſtinus: Qui palàm profitetur,vt obcæcatio,obduratio,& cætera ibidem contenta,propter quæ Iudæi credere non poterant,liberum non tollant arbitrium. Hoc autem plus eſt ipſo neceſſario,à Caluino excogitato. Aut igitur nulla neceſsitas in peccando adeſt;aut cum illo neceſſario, liberum concurrit arbitrium.

Contra Pighium tamẽ,pagina mihi.115.,136.vſque ad.138.,multa dicit ipſe Caluinus,ſub magno uerborum circuitu,veritatẽ occultans. Inquit enim,q̃ in illis uerbis caueri vult Auguſtinus,ne impio detur aliquis prætextus ad excuſandum peccata. Quiſnam autẽ fuerit iſte prætextus nunq̃ declarat;niſi q̃ eſt imbecillitatem naturæ inducere,vt culpa imputetur ei. At quænam fuerit illa naturæ imbecillitas,nondum expoſuit;ne fortè cogeretur dicere,illam eſſe liberi noſtri arbitrij debilitatem.

Ad .8. Ad octauam rationem dico primò Caluinum mentiri,cùm in ſua Inſtitutione,pagina mihi.24.,& contra Pighium,pagina mihi.85.,Auguſtinum dicit iocoſis uerbis uſum fuiſſe, cùm liberum & liberatum arbitrium diſtinxit.

diſtinxit. Id enim fecit, & rectè, Auguſtinus de correptione & gratia, cap.13., & alibi; vt oſtenderet aliud eſſe, hominem libertatem arbitrij habere, hoc eſt, potentiam conſentiendi, vel diſſentiendi; quod naturæ liberum dicitur arbitrium. Aliud uerò, libertatem meritoriè operandi iuſtitiam; quod liberatum liberum dicitur arbitrium; Liberatum dico ad iuſtè uiuendum; quod à ſola gratia initiatur, & ea coadiuuante conſummatur. Vnde per liberum arbitrium, potentiam conſentiendi, vel non conſentiendi, intelligebat Auguſtinus. Per liberatum uerò arbitrium, ipſam quoque intelligebat libertatem operandi iuſtitiam. Quæ quidem libertas eſſe non poteſt, antequam ab illo idem homo liberatus ſit, qui uerè nos liberos facit. Tom. 7. Ioan. 8.

Sed miſsis eius ineptiſsimis verbis, iam ad rationem perueniamus. Cùm itaque ait, rationem illam fuiſſe Pelagij contra Auguſtinum, hoc ei mendaciſsimè attribuit. Quandoquidem Auguſtini potius fuit, ad euertendam Manichæorum impietatem. Id quod manifeſtum redditur, ex eius lib.3. de libero arbitrio, cap.18., & libro retractationum primo, cap.9., vbi ait: Quis, inquam, peccat in eo quod nullo modo uitari poteſt? Tom 1. Tom. 1.

Peccatur autem; caueri igitur poteſt. Quo teſtimonio meo, quodam in libro ſuo Pelagius vſus eſt. In his itaque huiuſmodi uerbis meis quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam. Sed fruſtra hoc putant. Voluntas quippe eſt, qua & peccatur, & rectè uiuitur, quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipſa, niſi Dei gratia liberetur à ſeruitute qua facta eſt ſerua peccati, & ut uitia ſuperet adiuuetur, rectè, pieqúe viui à mortalibus non poteſt. Sed libro.3. de libero arbitrio, cap.18., inquit; Quæcunque iſta cauſa eſt uoluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, vt caueri omnino non poſsit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt? Peccatur autem. Caueri igitur poteſt. Idem docet Auguſtinus per eadem uerba, de natura & gratia, cap.67.; quibus hæc demùm addit; Agnoſco, inquit, verba mea ſunt: ſed etiam ipſe dignetur agnoſcere ſuperius quæ dicta ſunt. De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur, non de impoſsibilitate iuſtitiæ. Poteſt ergo ei cauſæ, quæcunque illa eſt, reſiſti, poteſt planè. Nam in hoc adiutorium poſtulamus, dicentes: Ne nos inferas in tentationem. Quod adiutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus. Poteſt peccatum caueri, ſed opitulante illo, qui non poteſt falli. Videat modo verſutus Caluinus, an hæc ſint arma Pelagij ad impetendum Auguſtinum; vel potius Auguſtini ad impetendum Manichæum. Verùm quia Pelagius eis utebatur contra diuinam gratiam, ſubdidit Auguſtinus, quod poteſt peccatum caueri, ſed opitulante illo, qui non poteſt falli. Et ita contra Manichæum habet ꝙ peccatum caueri poteſt; ex conſequenti habet homo liberum arbitrium. Contra uerò Pelagium habet, ꝙ licèt per liberũ arbitriũ Tom. 7. Matt. 6.

poſsit

poſsit homo uitare peccatum, & iuſtificari; uerùm non niſi adiuuante gratia diuina. Caluinus autem quia uafer & ueteratorius erat, dixit rationem illam fuiſſe Pelagij contra Auguſtinum; vt inde haberet, Auguſtinum negare liberum arbitrium. Quaſi diceret: illa ratione contendebat Pelagius probare hominem eſſe liberi arbitrij; idque aduerſus beatum Auguſtinum. Beatus igitur Auguſtinus, liberum negabat arbitrium. Vnde qui ea utuntur ratione, Pelagiani ſunt, non Auguſtiniani. Hoc men dacisſimè intendebat uerſutus Caluinus. Atuerò nos totum oſtendimus oppoſitum.

Ad 9. Nona quoque ratio Caluini nihil eſt. Militat enim aduerſus tertiam noſtram rationem; quam dicit aſſumere probandum, ſine probatione. At hoc falſiſsimum eſt; quoniam aſſumit, peccatum non poſſe imputari, ſi committitur neceſſariò. Idq. probat à ſimili; quia peior eſſet hominis conditio, q̃ cuiuslibet beſtiæ, immo q̃ lapidis & ſtipitis. Propterea quòd huiuſmodi rebus nihil imputatur, quia naturà & neceſſariò faciunt, quicquid faciunt. Ita pari paſſu, ſi homo neceſſariò peccat, non debet ei peccatum imputari. Secus eſſet peioris conditionis, q̃ beſtiæ, lapides, & ſtipites. Hæc eſt uis tertiæ noſtræ rationis. Cui addidimus reſponſionis Caluini reiectionem ex dictis. Non igitur deficit ex prima parte ratio ſanctorum patrum, quæ eſt eiuſdem uirtutis cum noſtra quam diximus.

Vaniſsimum eſt etiam quod deinceps inducit Caluinus contra Pighium, pagina mihi. 138. nimirum quando ex illa Oſeæ, cap. 13. authoritate colligere intendit propter peccatum originale, homini actuale peccatum imputari, licèt neceſſariò peccet. Inquit enim authoritas illa & ſententia, qua dixit Propheta: Perditio tua, Iſrael, ex te eſt; cùm ſit uniuerſalis, hoc proculdubio ſignificat, deſtitui omni excuſatione hominem, ſi ſibi cauſa exitij propter primum peccatum fuiſſe deprehendatur. Vnde, inquit, illa perditio niſi ex impotentia? Vnde impotentia, niſi ex naturæ uitioſitate? Vnde porrò uitioſitas, niſi q; homo defecit à ſuo opifice? Ac propter hoc uoluntarium peccatum primum, neceſſariò peccatores nos fecit, ita vt conſiderato principio, rectè Dominus dicat: Ex te perditio tua, Iſrael. Vaniſsima, inquam, eſt huiuſmodi doctrina; tum quia falſiſsimum & hæreticum eſt, peccatum actuale, homini propter originale imputari; quoniã originale peccatum eſt totum & totaliter in baptiſmo remiſſum; veluti oſtendimus ſupra. Tum quia licèt primum peccatum effecerit, vt ex homine perditio uniuerſalis proceſſerit; non tamen de illo peccato illa Oſeæ agit litera; ſed potius illorũ perditionem, propter idololatriæ peccatum proceſsiſſe ait; quod ſæpe Iſrael commiſerat. Quapropter dicit: Ex te perditio tua, Iſrael; & non propter peccatum originale, in fide parentum, & circunciſione, credentibus in futurum Meſsiam remiſſum.

Perditio tua, Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Ac ſi diceret: Tu ipſe perditionis tuæ cauſa es, tu tibi perditionem theſaurizaſti, recedendo à me, qui ſolus tibi poteram & conſueueram auxiliari, & nuſq; tibi auxilium eſt, niſi apud me, ſi poenitentiam egeris. Clara certè

libera eſt, legi poterit, vt magis appareat inſania Caluini. Non igitur illa perditio ex impotentia, ſed ex malitia, & idololatria. Et ita prima rationis pars minimè deficit. Impotentia enim, hoc eſt, vitandi peccata impoſsibilitas, & peccandi neceſsitas, non ſtat cum ratione peccati. Ob id ſanctiſsimus pater Auguſtinus, de uera religione, cap. 14. dicebat: Quod Tom. 1. autem homini à peruerſo angelo perſuaſum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate conſenſit. Nam ſi neceſsitate id feciſſet, nullo peccati crimine teneretur.

Quod inſuper ait, ſecundam illius rationis partem uitioſam eſſe, quia à uoluntario deductionem habet ad liberum, cùm tamen uoluntariè pleraq; fiant, quæ liberæ non ſubiacent electioni; id omnino inficior, ſi loquamur non de beatitudine, & ultimo noſtro fine; at ſi de medijs; vt hæc & ea quæ in ſuperioribus habuimus optimè conſonent. Nam à voluntario imperfecto ad liberum, non utique currit illatio. Verùm à uoluntario perfecto ad liberum, optima ſequitur deductio, in his quæ diximus. Eapropter diuus Auguſtinus in memorato loco, peccatum ideo conuincit liberè committi, quia uoluntate committitur. Poſtremò, inquit, ſi non uoluntate malè facimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus. Quibus ſublatis, Chriſtiana lex, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum, video habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicault, ſi ei ſeruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſsitate ſeruirent. Ecce quòd Auguſtinus, à voluntario ad liberum deductionem habet. Arguit enim ſic: Animæ uoluntate peccant. Liberum igitur habent uoluntatis arbitrium. Item neceſsitate ſeruire, à voluntate ſeruire diſtinguit. Quod quidem ineptiſsimum eſſet, niſi uoluntarium & liberum conuenirent, & idem eſſent.

Ad decimam, liberè negamus illam eſſe Pelagianam: immo nihil com- Ad 10. mune habet cum illa Pelagianorum. Quoniam nos affirmamus nullum locum eſſe diuino de nobis iudicio, niſi ex liberi arbitrij electione proceſſerint ſeu bona, ſeu mala quæ geſsimus; nec eſſe conſentaneum, vt pro his quæ quis neceſſariò, & ineuitabiliter aut facit, aut patitur, laude aut uituperio dignus ſit, afficiaturque aut pœna, aut præmio. Pelagiani autem ita argutabantur: Si gratia Dei in nobis agit; illa, non nos, uenit coronanda. Quod argumentum ita refellimus. Quia etiam nos agere, una cum gratia, & per gratiam aſſerimus, immo nos eſſe, qui piè, iuſtè, & ſanctè uiuere per gratiam dicimur; non eſt ipſa gratia, quæ iuſtè, piè, ſanctéque uiuit, at homo per gratiam, atque gratiæ adiutorio. Homo proinde eſt, qui meritò coronatur, & non gratia. De reliquo, inquit ille, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Et rurſus: Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Quia igitur non intelligebant Pelagiani coniugationem gratiæ & liberi arbitrij, nequidem quo modo vtriuſque ſimul poſsit eſſe bona, iuſtaq; operatio, ita, vt audiuimus, argu-

rabantur. Proptereà qui hanc eorum ratiocinationem, à noſtra non diuerſiſsimam intelligit, nihil intelligit. His addebat Albertus Pighius. Quo cum illud etiam dico, argumentum hoc noſtrum, nedum Ariſtotelicum, verùm etiam totius eſſe humani generis. Cuius ea vox eſt, ab his, quæ aut naturâ, aut caſu ineuitabili nobis adſunt, neminem meritò aut laudari, aut uituperari oportere. Si igitur dat Ariſtoteli Caluinus liberum voluntatis arbitrium in naturalibus, atque moralibus, det etiam catholicis Chriſtianis in operibus meritorijs oportere.

Ad.11. Ad vndecimam negamus, culpam prouenire ab illa uitioſitate naturæ, quàm ſibi finxit Caluinus. Iam enim dictum eſt, peccatum actuale homini, ratione peccati originis, minimè imputari. Quibus addidimus, quòd ſecum pugnant neceſsitatis & peccati ratio. Quoniam ibi ratio culpæ nòn inuenitur, vbi aut natura dominatur, aut neceſsitas; dicebat Auguſtinus.

Ad.12. Ad duodecimã negamus, hoĩes Chriſti fideles, abſque ſuo libero uoluntatis arbitrio à Deo coronari. Cùm probat Caluinus authoritate diui Apoſtoli, eius meminiſſe oportet, quod aliàs diximus, nimirum quòd ſcriptura ſacra eſt tota uetiſsima, ſibiq; omni ex parte conſentit, nec unq̃ ſecum ipſa pugnat. Vnde nobis ſummoperè cauendum eſt, ne inter eam explicandam, aliqua è noſtra explicatione, alterius loci oriatur deſtructio, aut in ea aliqua poſsit inferri contradictio. Modò autem ſtante doctrina Caluini, ſequitur repugnantia in ſacra pagina, & eius alterius loci deſtructio. Quandoquidem dicit ipſe ex diuo Apoſtolo Paulo, quòd fideles coronantur, quia Domini miſericordia, non ſua induſtria ſunt electi, & uocati, & iuſtificati. Apoſtolus autem dicit, quòd non coronabitur niſi qui legitimè certauerit; propter quod & ipſe gloriatur repoſitam ſibi coronam iuſtitiæ, quàm illi prò laboribus ſuis iam reddidit iuſtus iudex. Eſt igitur manifeſtiſsima repugnantia inter ea quæ ex Apoſtolo inducit Caluinus, & ea quæ adducimus nos. Vnde oportet, quòd ſua & noſtra conueniant, ne tantum ſequatur incommodum, ex conſequenti falſum & hæreticum redditur omnino dictum Caluini. Ait ergo Apoſtolus: Quos autem prædeſtinauit, hos & uocauit; & quos uocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. At non dicit, ſine eorum induſtria, & concurſu; cùm Deus non iuſtificet quenq; ſine ſeipſo; modò ſit ſui compos; verùm potius oppoſitum; quia, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, eodem atteſtante Apoſtolo; ita ut electio ex priori præſcientia rationem ſumat. Vnde beatus Ambroſius inquit: Iſtos quos præſcijt futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda. Non igitur dicit Apoſtolus, glorificandos, aut coronandos electos & uocatos, qui electi & vocati ſunt, tametſi ſoli illi coronabuntur in gloria; ſed quia præſcijt eos ſibi fore deuotos. At quomodo, niſi quia legitimè ſunt certaturi? Eſt igitur corona, non diuinæ electionis & uocationis, quæ noſtri non eſt arbitrij, neq; nobis imputari poteſt; ſed legitimi

Rom.8.

Rom.5.

certaminis,& fidelium laborum noſtrorum præmium. De eo quòd ait ex Auguſtino, iam ſatis diximus ſupra. Faceſſat igitur potius Caluini & Proteſtantium omnium impietas, & peruerſa ſcripturarum interpretatio atque corruptio, ſimul & in eis interpretandis impudens temeritas. Omnia quidem à Deo accepimus; ob id nihil Apoſtolus Paulus, libero noſtro derogat arbitrio; at monet, ne in illis quaſi noſtris, & ex nobis omnino, gloriemur; ſed de eis perpetuò, ſummo Creatori noſtro gratias agamus; ne fortè; quod abſit; in errorem incideremus ipſius Pelagij.

Faceſſat quod item ait in ſua tertiadecima ratione; quòd nempe ijs *Ad.12.* ſimilia, quæ nos in ſecunda ratione catholica induximus, olim cùm obiectarentur Auguſtino, libellum de correptione & gratia ſcribere coactus fuit. Superquèſatis mentitur Caluinus. Tum quia Manichæo hæc ipſa obiecit Auguſtinus; affirmans libertate arbitrij ſublata, neminem aut monendum, aut obiurgandum omnino; veluti in diſſolutione noni ipſius Caluini ratiocinij diximus ſatis. Tum quia Auguſtinus, quid eum prouocauerit libellum illum ſcribere de correptione & gratia, eodem ipſo libello non tacuit. Id enim fecit, quoniam malè ſentientes quidam de diuina gratia, correptionem affirmabant inutilem, dicentes: Præcipiant tantummodò nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt, & vt faciamus orent pro nobis; non autem nos corripiant & arguant ſi non fecerimus. Præcipe mihi quid faciam; & ſi fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi ut facerem dedit. Si autem non fecero, non ego corripiendus ſum; ſed ille orandus eſt, vt det quod non dedit; ideſt, ipſam qua præcepta eius fiant, fidelem Dei & proximi charitatem. Ora ergo pro me, vt hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona uoluntate, quæ præcepit faciam. Rectè autem corriperer, ſi eam mea culpa non haberem; hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare, vel ſumere ipſe, nec facerem; vel ſi dante illo, accipere noluiſſem. Hoc itaque dicunt qui in ſuis malignis operibus ab huius gratiæ prædicatoribus corripi nolunt. Et hanc ob cauſam, illum ſcripſit Auguſtinus libellum. Mentitur ergo Caluinus in primo dicto. Mentitur quoque in ſecundo, quando vult beatum Auguſtinum in illis ab eo citatis verbis, liberum tollere voluntatis arbitrium. Proptereaquòd in eiuſdem libelli cap. primo, liberum noſtrum arbitrium docet Auguſtinus; ita tamen, vt intelligat ſine illo, nihil ſe poſſe facere, cui meritò dicit: Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. *Pſal.26.* In illis poſtea verbis ipſum negabit? Abſit. Audiat ergo Caluinus, qui uideri vult noſtræ religionis optimus & excellens doctor. In eiuſdem libelli cap. 3. dicit Auguſtinus, quòd omnia à nobis pro peccatoris correptione merita facienda ſunt; quoniam & doctores eccleſiarum Apoſtoli, omnia faciebant. Siquidem & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant ſi non fierent, & orabant ut fierent. Præcipit Apoſtolus dicens; Omnia ueſtra in charitate fiant. *1.Cor.16* Corripit dicens; Iam quidem omnino delictum eſt in uo- *1.Cor.6.*

bis, quia iudicia habetis uobiſcum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Sed uos iniquitatem facitis & fraudatis; & hoc fratribus. An neſcitis quia iniuſti regnum
1.Theſſ.3 Dei non poſsidebunt? Audiamus & orantem: Vos autem, inquit, Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate in inuicem, & in omnes. Præcipit, vt habeatur charitas; corripit, quia non habetur charitas; orat, at abundet charitas. Ita Auguſtinus. Nos autem rationem uideamus, cur ſic præciperet, corriperet, & oraret Apoſtolus. Certè, eoipſo quòd præcipit, obedientiam noſtram requirit; quæ ſine libero arbitrio nulla eſſe poteſt; veluti ſupra ex eodem Auguſtino ſatis oſtendimus. Eoipſo quòd corripit, negligentiam noſtram accuſat; qui non conati ſumus pro viribus, nec præſtitimus quod potuimus, vt charitatem haberemus. Eoipſo quòd orat, diuinæ nobis gratiæ neceſſarium adiutorium indicat. Quocirca, peccatorem his verbis rectè conuenit Auguſtinus: O homo, in præceptione cognoſce quid debeas agere. Ecce requiſitam obedientiam. In correptione, cognoſce tuo te uitio non habere. Ecce accuſatam negligentiam; quoniam ſi non habet charitatem peccator, id ſuo vitio fuit, atque defectu. In oratione, cognoſce unde accipias quod uis habere. Ecce diuinæ gratiæ neceſſarium adiutorium. Non igitur orat homo, vt Deus operetur in eo quod iubet, vt volebat Caluinus. At potius rogat, vt ei auxilium præſtet ad operandum, nempe diuinam gratiam. Videant modò qui piè legunt, an fuerit mendaciſsimus iſte Caluinus.

Act.14. Non ergo credant catholici lectores, ipſum uerum dicere, cùm in quartadecima ratione, communem ſuam cum Chriſto & Paulo cauſam facit. Chriſtus .n. ueriſsimè dicit, ſine ſe, nihil nos facere poſſe. Ob id tamē nō negat, nos cum eius adiutorio aliquid poſſe operari. Adiutor ſiquidem noſter eſt; & propterea eius adiutorio, vt iuſtitiæ fructum faciamus, nobis opus eſt. Et ſi reprehendit & caſtigat, illud meritò, ob noſtram inobedientiam facit, & negligentiam; veluti ſuperius ex ipſa obſtinata Hieruſalem deduximus ſatis. Nec luſit operam, exigendo ab hominibus, quæ ſolus ipſe dare poterat; quoniam vult ipſe & cupit nobis facere benè; ſuā nobis gratiam offert & exhibet; pulſat, vt illi cordis noſtri oſtium aperiamus. Quod ſi quis recuſat & negligit, nónne eſt correptione, poena, & ſupplicio dignus? Vtique. Quid poſtea nugatur de Paulo? Nónne ille, gratiam Dei ita nobis neceſſariam aſſerit, vt ſuas etiam partes in opere bono, libero non adimat arbitrio? Non enim negat nos uelle, nos currere, vt brauium ſupernæ uocationis, & coronam gloriæ aſſequamur. Se-
1.Corin.9. cus ad eum curſum, nos ſuo exemplo minus prouocaret, inquiens: Sic currite, vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aerem uerberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Vt ijs tamen operationibus, coronam illam gloriæ aſſequamur, quam Deus ipſe benedictus uictoribus præparauit, & ueluti præmium laborum

ſuorum

ſuorum propoſuit, Dei eſt gratiæ & miſericordiæ. Non ſolùm, inquit Pighius, quòd etiam per illam, victores euaſimus; ſed quòd illam ipſam noſtram uictoriam, tali corona & præmio, ex ſua benignitate ac liberalitate, cùm nihil deberet, remunerare dignatus eſt. Cur autẽ Paulus Corinthios redarguat, & pro eis oret, diximus ſupra.

Qoid poſtea nugatoriè agit bellua iſta marina, dum ait bifariam Deũ in electis ſuis operari? Nónne animaduertit, hæc cum ſuæ doctrinæ fundamentis, apertiſsimè pugnare? Adeſte, Proteſtantes, & hunc ueſtrum nouum audite Euangeliſtam, adhuc ſibi contradicentem. Siquidem ex una parte, pro fundamento ſuæ doctrinæ in hac materia de libero hominis arbitrio, illud ſibi aſſumit, quòd ante renouationem, & ad renouationem vſque, manet creaturæ uetuſtas, eiuſdemq́; ſeruitus ſub Satana. Affirmat & hoc, ſub uetuſtate creaturæ, atque ea manente, nec appetere quidem, nedum quærere eam nos poſſe. Ex alia uerò parte, dicit quòd Deus in electis ſuis uerbo ita operatur, vt eos ad eandem renouationem expetendam, quærendam, & aſſequendam excitet.

Modò percunctor, quomodo, & quos, verbum ad eandem renouationem expetendam, quærendam, & aſſequendam excitet. Aut enim renouatos, aut nondum renouatos excitat. Si dicat primum; fruſtra illud expeterent, & aſſequi quærerent, quod ſunt iam aſſequuti. Si autem ſecundum admittat, mox eſt in contradictione. Quoniam nondum renouati, eam ipſam renouationem nec deſiderare quidem poſſunt, nedum quærere; inquit ipſe Caluinus. Fruſtra igitur eſſent monitiones, adhortationes, correptiones, & præcepta, niſi homo liberi eſſet arbitrij; & ita mille pedibus currit ſecunda, pro catholica ueritate inducta ratio. Datur igitur liberum voluntatis arbitrium. Quod quidem ut magis ac magis appareat, reliquum eſt, vt rationibus Lutheri & Caluini contendamus diſtinctè facere ſatis. Sed ualeant interim Magdemburgenſes, qui Patres de libero arbitrio contraria ſcripſiſſe; & Galaſius in Irenæum, qui catholicorum patrum conformem ſententiam Pelagianiſmi accuſare non ueretur.

Quæ in .16. capite, aduerſus Concilij Tridentini decretum, recenſuimus Lutheri rationes diſſoluuntur. Cap. 26.

CVM certum ſit hæreticum neminem, niſi reſipiſcat, ad æternam vitam peruenire; mirùm profectò eſt, quomodo huius noſtræ miſeræ ætatis ſectarij, à ſanctiſsimorum patrum doctrina tantopere abhorreant; cùm eos & ipſi ſanctos, & gloria coeleſti donatos agnoſcant. Summæ igitur ſtultitiæ eſt, eorum doctrina damnata, & omnino reiecta, nouam commentari. Stultiſsimus itaque, necnon & mendaciſsimus Lutherus; qui à uirtute maiorum ſuorum deflectens, pudorem dimiſit, & ignominioſè de libero hominis arbitrio ita primò locutus eſt: Liberum arbitrium poſt peccatum, res eſt de ſolo titulo. Animaduertant qui piè

legunt, q̃ bellum ingreſſum habuerit vir iſte. In primis nanque verbis, manifeſtiſsimè ſibi contradicit. Quoniam dicit, liberum arbitrium rem eſſe de ſolo titulo. Idem eſt enim dicere, rem eſſe de ſolo titulo, & rem eſſe de ſolo nomine. Nomen autem non eſt res, atqui rem ipſam ſignificat. Si igitur liberum arbitrium res eſt de ſolo nomine, eſt res & non res. Hæc autem ſecum pugnant. Quare primum eius dictum, veluti pugnantia claudens inficiamur omnino.

Quod quidem animaduertens peſtilentiſsimus hæreticus, inferius hæc addidit uerba: Malè dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam ſit res de ſolo titulo; ſed ſimpliciter debui dicere, Liberum arbitrium eſt figmẽtum in rebus, ſeu titulus ſine re.

Verùm & hoc falſiſsimum & hæreticum eſſe, iam in præcedentibus fecimus manifeſtiſsimum. Idcirco & illud imus inficias. Cumq́. ſubdit, quòd dum liberum arbitrium facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter; huius dicti refutatio ad ſequentia pertinet, quando de diſpoſitione ad gratiam ſermonem habebimus. Interim aliam audiamus in eius verbis contradictionem.

Ait enim: Infelix liberum arbitrium; iuſtus in bono opere peccat mortaliter, vt uidemus; & ipſum iactatur ante iuſtitiam aliquid eſſe & poſſe: Verumenimuerò quomodo non ſit in his uerbis manifeſtiſsima repugnãtia, non eſt mihi facile uidere. Si enim iuſtus in opus meritoriè bonum exiens, peccato & culpa ſe obſtringit mortali; quòd gratia diuina & lethale crimen ſimul conueniant, ſit neceſſariò conſequens. Nam vir iuſtus non niſi diuina prius vocatione excitatus, velutiq́. gratificantis gratiæ organum, in bonum, vel meritorium opus exire ualet. Si autem huiuſmodi opus, mortale crimen exiſteret; diuinæ tunc uocationis: gratiæq́; cœleſtis effectus, & per ſe quidem intentus, peccatum foret. Vnde & Deus ipſe, quoniam elargitæ gratiæ ſuæ ſemper fructus exquirit, primò & per ſe peccatum uellet; noſq́. iuſtificante gratia, magis, magiſq́. rebelles in dies Deo redderemur; quod & abſonum, & repugnans, quinimmo & impoſsibile omnino cenſetur. Quandoquidem diuina gratia, peccatoris aufert ignorantiam, offenſam tollit, & auerſum conuertit; peccatum verò, horum omnium oppoſitum inducit; qui igitur fieri poteſt, vt à diuina gratia peccatum originem trahat?

Dicit nihiloſecius Martinus, iuſtum ideo in bono opere peccare, quoniam à boni operis perfectione deficit. Quòd ſi ita eſt, tunc etiam cœli mentes, cœlumq́. ipſum, ac totam denique à Deo conditam naturam, cùm à ſupremo ente, infinito perfectionis tramite diſtet, peccata eſſe, illum dicere oportebit. Falſiſsimum igitur & hæreticum eſt, quin pugnantia includens, iuſtum in opere bono peccare mortaliter. Et idcirco illud negamus omnino.

Sed quid? Valet fortaſsis ad illud comprobandum uox Eſaiæ, cap. 64., cùm ait: Facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ? Abſit. Loquitur nanque Propheta de operibus liberi noſtri arbitrij nudè, & ſine Dei gratia accepti. Perſæpè nanque

contingit

contingit peccatores, non adhuc peccandi inceptione reiecta, iuſtorum inſtar orare, ieiunare, eleemoſynas pauperibus tribuere, & his cæteraque ſimilia; quæ omnium iuſtitiæ, falſò appellari conſueuerunt, cùm tamen uera iuſtorum opera minimè exiſtant, ſed ſpecie tantùm, atque apparentes iuſtitiæ ſimulacra ſunt. Sic dicitur ad Euangelicam legem.

Nihilominus ad intellectum Prophetæ propiùs accedentes, placeat ut D. Hieronymum ſuper eum locum conſcribentem audiamus: Conſiderandum hic, quòd iuſtitia quæ in lege eſt, ad comparationem Euangelicæ ueritatis, immunditia nominetur. Et confirmat iſtud uarijs ſcripturarum teſtimonijs, & deinde concludit: Si quis igitur poſt Euangelium Chriſti, & aduentum filij Dei, pædagogæ legis obſeruat cerimonias, audiat populum confitentem, quòd omnis illa iuſtitia panno ſordidiſsimo comparetur. Ex quo diui Hieronymi commentario, duo notat magiſter Adamus: Alterum, nequaquam de chriſtianorum iuſtitia ibi ſermonem eſſe: Alterum ex perſona populi, non Eſaiæ, illa dici; ſiue (quod eodem recidit) Eſaiam illa dicere in perſona populi, non in perſona propria. Id quod etiam ſua ipſius uerba manifeſtè ſonant. Dicit enim: Ecce tu iratus es; quod ad impios pertinere, nemo eſt qui ambigere poſsit; quoniam non erat Eſaiæ iratus Dominus. Cum igitur ſequentia: Facti ſumus ut immundi, &c. in eadem perſona dicantur, minimè Eſaiam & bonos, ſi qui alij in populo illo erant, comprehendunt. Immo & illa quæ proximè ſequuntur in eodem orationis corpore; Et cecidimus quaſi folium uniuerſi; planè indicant, ab illo: Ecce tu iratus es; omnia dici in perſona grauiter peccantium: Senſus enim eſt: Inſtar foliorum de arboribus cadentium quæ uentus areſacta diſpergit, defluximus per iniquitates noſtras, & à facie tua, flatu diabolico longè diſperſi ſumus. Hæc quàm non competant in Eſaiam, inquit magiſter Adamus, nullus non uidet: Quis enim audeat dicere, quòd iniquitates Prophetæ, perinde ut uentus quidam, ſeparaſſent eum à Deo; quòd cùm ſanctiſsimus eſſet, non inuocaret nomen Domini? Hæc ergo, inquit, reſpiciunt populum Iudaicum impium. Quare nihil agit Lutherus, ex hac ſcriptura ſuadere uolens, omne opus hominis, etiam Chriſtiani, etiam iuſti, eſſe peccatum mortale.

Minuſq. iuuat quod capi. 7. dicit Eccleſiaſtes: Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Quoniam eorum uerborum ille ſenſus eſt, quòd non eſt homo in terra, qui prorſus ſit abſque peccato; non autem quòd benefaciendo offendat. Vnde beatus Hieronymus ad illa verba dicit: Quamuis aliquis iuſtus ſit, tamen dum in hac carne Tom. 5.
eſt conſtitutus, ſubiectus eſt uitijs, atque peccatis, & maiore præſidio indiget. At, ò Martine, quomodo ſequitur: Iuſtus eſt in hoc mortali corpore, ſubiectus uitijs, atque peccatis; Ergo benefaciendo peccat mortaliter? Iuſtus, iterùm, habitualem habet carnis concupiſcentiam; Ergo peccat mortaliter? Stat enim quòd habeat concupiſcentiam; illi tamen minimè præbeat aſſenſum.

Pſalmographus quoque ſic canendo dicebat: Non intres in iudicium Pſal. 142.
cum ſeruo tuo; quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Quod

Quod ideo uerum eſt, quoniam nemo dum mortali hoc corpore premi
tur, tam iuſtus eſſe poteſt, vt omni penitus peccato carere queat. Vnde
omnis noſtra virtus, vel iuſtitia, diuinæ iuſtitiæ comparata, ſordida, & nõ
pulchra uidetur; ſicut lumen candelæ reſpectu luminis ſolis, obſcuritas
eſſe uidetur. Vnde ad iſtum intellectum hunc uerſum inducit beatiſsimus
Tom. 1. pater Gregorius, libro moralium. 18., cap. 26., ſuper illo uerbo Iob, cap.
28.: Non dabitur aurum obrizum pro ea; dicens: Quid nanque per au
rum obrizum, niſi ſancti angeli deſignantur? Qui rectè & aurum uocan
tur, & obrizum. Aurum, quia fulgent claritate iuſtitiæ; obrizum, quia nul
lum habuerunt unquam contagium culpæ. Homines uerò iuſti, quandiu
in hac carne corruptibili mortaliter uiuunt, aurum quidem eſſe poſſunt,
obrizum omnino non poſſunt, quia corpus quod corrumpitur aggrauat
animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum, multa cogitantem. Nam
Sapien. 9. quamuis in hac uita, ex magnæ iuſtitiæ claritate reſplendeant, nequaquam
1. Ioan. 1. tamen ad purum, peccatorum ſordibus carent; Ioanne Apoſtolo atteſtan
te, qui dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſe
ducimus, & ueritas in nobis non eſt. Et affirmante Iacobo, qui attiuit, di
Iacob. 3. cens: In multis enim offendimus omnes. Propheta etiam deprecante,
qui ait: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in
conſpectu tuo omnis uiuens. Ita Gregorius. Sed diuus Bernardus de uer
Eſai. 6. bis Eſaiæ: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, ſermone. 5.,
ait: Non enim iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens; nec ait, Om
nis homo; ſed, omnis uiuens; fortè ut ne ipſos angelicos eum noueris
ſpiritus excepiſſe. Viuunt enim & ipſi tantò uerius, quantò propius aſtãt
ei, apud quem eſt fons vitæ. Nihilominus etiam iuſti ſunt; ſed ex eo, nõ
coram eo; munere eius, non in eius comparatione.
Matt. 5. In feſto quoque omnium ſanctorum, ſermone primo, ait: Beati enim
qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur. Sed quid po
teſt eſſe omnis iuſtitia noſtra coram Deo? Nonne, iuxta Prophetam, ve
lut pannus menſtruatæ reputabitur? Et ſi diſtrictè iudicetur, iniuſta inue
nietur omnis iuſtitia noſtra, & minus habens. Quid ergo de peccatis erit,
quando ne ipſa quidem pro ſe poterit reſpondere iuſtitia? Propterea ob
nixè cum Propheta clamantes: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo
Domine, tota humilitate ad miſericordiam recurramus, quæ ſola poteſt
ſaluare animas noſtras. Hæc ille. Non igitur adeò iuſta, perfectaq́ ſunt no
ſtra merita, vt coram tremendo iudice, abſque illius miſericordia, iuſtifi
care nos ualeant; nec tamen uelut peccata iuſtificationem noſtram præ
pediunt; ſed iudicem Deum ad noſtri ueniam flectendo, proſunt. Boni
autem operis fructus, ab homine, iuſtificante gratia iam reſtaurato, & nõ
quatenus malus eſt, vel gratia deſtitutus, efflruunt; isq; tantummodo defe
ctus, peccatum autumandus eſt, quo, Deo relicto, ad commutabile bonum
conuertimur; ſicq; Dei iudicio, animæ mortem incurrimus; quæ quidem,
ab operibus iuſtis ſunt ualde aliena.
Nequidem huic Lutheri articulo opitulatur diuus pater Gregorius,
cum lib. 9. ſuper Iob, cap. 2. ait: Sanctus autem vir, quia omne meritum

uirtutis noſtræ uitium eſſe conſpicit, ſi ab interno arbitrio diſtrictè iudicetur, ideo rectè ſubiungit: Si uoluerit contendere cum eo, non poterit ei unum reſpondere pro mille. Quoniam de iuſtitia noſtra loquitur, ſemota Dei miſericordia, aut quatenus diuinæ fuerit iuſtitiæ comparata. Primum ſenſum ex eo habemus quod dicit ſanctus vir; nempe; quia omne meritum uirtutis noſtræ uitium eſſe conſpicit; quo dicto, mox ſeipſum expoſuit, inquiens: Si ab interno arbitrio diſtrictè iudicetur. Quod tunc utique foret, cùm diuina ſecluſa gratia, vt è noſtra tantùm emanat voluntate penſaretur; quod nec certè meritum, nec uerè bonum opus nuncupandum eſſet; quemadmodum etiam diximus.

Secundum ſenſum ex eo conuincimus, quia ſunt quædam opera noſtra, quæ licèt peccato careant, tamen multò maior eſt eorum numerus, quæ uenialiter ſaltem inquinantur. Et peccata uenialia etſi nobis parui momenti putentur, in oculis tamen ipſius Dei parua non ſunt, modò ſe diſtrictum cenſorem exhibeat. Propterea loco à Martino citato dicebat diuus Gregorius: Homo Deo non compoſitus, iuſtitiam percipit; compoſitus amittit; quia quiſquis ſe authori bonorum comparat, bono ſe quod acceperat priuat. Qui enim accepta bona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat. Vnde ergo deſpectus erigitur, dignum eſt ut erectus inde deſtruatur. Hactenus Gregorius. Ex quibus, id quod diximus optimè conſtat. Non enim loquitur de aliqua noſtra peculiari uirtute, atqui de iuſtitia ipſa in ſe, quæ uirtutes noſtras omnes complectitur, ſimul atque totius uitæ noſtræ progreſſum. Vnde huius iuſtitiæ meritum, ſi ab interno arbitrio diſtrictè iudicetur, multis uitijs ſcatet; propter opera plurima, quæ uenialibus delictis minimè carent. At inde non ſequitur, vt iuſtus in opere bono peccet mortaliter.

Minusq. ex eo quod beatiſsimus habet Auguſtinus, libro confeſsionum 9., cap. 13., quando ait: Et uæ etiam laudabili uitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam. Orabat enim diuus pater pro matre ſua defuncta, quam ſupra mirificis extulerat laudibus; & eius bonos actus à peccatis ſeparat eiuſdem, & uera merita, dicit munera fuiſſe Dei. Bonos igitur ipſius actus à peccatis eximendo, pro illis gratias agit, pro ijs uerò precatur ueniam. Et ita vult habere diuus ille pater, quòd & ſi laudabilis ſit hominum uita, nemo tamen ſine crimine uiuit, ob id uæ illi, ſi remota Dei miſericordia iudicetur. Quoniam ſi cuiuſque tota exactiùs diſcuteretur uita, non poſſet Dei ſeuerum ſuſtinere iudicium. Propterea dicebat Auguſtinus de matre vita functa: Quanq̃ illa in Chriſto uiuificata, etiam nondum carne reſoluta ſic uixerit ut laudetur nomen tuum in fide, moribusq. eius; non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptiſmum regeneraſti, nullum uerbum exijſſe ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum eſt à ueritate filio tuo: Si quis dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Et uæ etiam laudabili uitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam. Quia uerò non exquiris delicta uehementer, fiducialiter ſperamus, aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quiſquis autem enumerat tibi uera merita ſua, quid tibi enumerat niſi

Tom. 1.

Matt. 5.

munera

munera tua? O ſi cognoſcant ſe omnes homines,& qui gloriantur,in Domino glorientur. Ego itaque laus mea,& uita mea, Deus cordis mei,ſepoſitis pauliſper bonis eius actibus,pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor. Sic Auguſtinus. Qui certè gratias Deo minimè ageret de bonis actibus matris ſuæ,ſi in eis mortaliter peccaſſet. Verùm procedamus ad alia.

Tom. 3. Dicebat Martinus rurſus;diuus pater Auguſtinus de ſpiritu & litera, cap. 3., ait: Liberum arbitrium ſine gratia, non ualet niſi ad peccandum. Non igitur eſt liberum, quia non poteſt niſi in unam partem. At putabat vir iſte inſipientiſsimus, nos hominis arbitrium uſqueadeò imprudenter extollere,vt nulla ſupremi opificis gratia, ſeu vocatione præuia exiſtente,ſeipſum,vel ad iuſtificantis gratiæ ſumptionem poſſe diſponere,vel eandem etiam recipere,aut operari ualeret. Cæterum totum oppoſitum docet ſancta Romana Eccleſia. Quæ tamen ob id,eius non tollit libertatem,vt diximus ſupra. Ita & Auguſtinus,in eo quem Lutherus citauit loco;vbi conatur oſtendere,ſine gratia neminem poſſe meritoriè viuere, aut opera facere,quæ digna ſint æterno præmio. Quod quidem, nullo penitus negotio conſtare poterit, ſi uerborum ipſius attendamus ſeriem. In .2. nanque capite illius libri de ſpiritu & litera,ait Auguſtinus: Sed illis acerrimè ac uehementiſsimè reſiſtendum eſt, qui putant ſine adiutorio Dei, per ſeipſam uim uoluntatis humanæ, vel iuſtitiam poſſe perficere,vel ad eam tendendo proficere. Sed cùm urgeri coeperint,quo modo id præſumant aſſerere fieri ſine ope diuina, reprimunt ſe,nec hãc vocem audent emittere,quoniam uident q̃ ſit impia,& non ferenda. Sed aiunt,ideo iſta ſine ope diuina non fieri,quia & hominem Deus creauit cum libero uoluntatis arbitrio,& dando præcepta, ipſe docet quemadmodum homini ſit uiuendum;& in eo utique adiuuat, quod docẽdo aufert ignorantiã,vt ſciat homo in operibus ſuis quid euitare,& quid appetere debeat;quo per liberum arbitrium naturaliter inſitum,viam demõſtratam ingrediens, continenter & iuſtè,& piè viuendo, ad beatam, eandemq́; æternam vitam peruenire mereatur. *In cap. 3.* Nos autem dicimus humanã voluntatem ſic diuinitus adiuuari ad faciendam iuſtitiam,vt præter quod creatus eſt homo cum libero arbitrio uoluntatis; præterq́; doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum uiuere debeat,accipiat Spiritumſanctum, quo fiat in animo eius delectatio;dilectioq́; ſummi illius,atque incommutabilis boni, quod Deus eſt, etiam nunc cùm adhuc per fidem ambulatur,nondum per ſpeciem;vt hac ſibi uelut arra data gratuiti muneris inardeſcat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius ueri luminis,vt ex illo ei benè ſit, à quo habet ut ſit. Nam neque liberum arbitrium, quicq̃ niſi ad peccandum ualet, ſi lateat ueritatis uia. Et cùm id quod agendum & quo nitendum eſt coeperit non latere,niſi etiam delectet & ametur,non agitur, non ſuſcipitur, non benè viuitur. Vt autem diligatur,charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per arbitrium liberum,quod ſurgit ex nobis;ſed per Spiritum ſanctum,qui datus eſt nobis. Hactenus Auguſtinus.

Cuius

Cuius erat ſcopus oſtendere Marcellino ſuo,non eſſe impoſsibile ſimplicem hominem,& hunc viatorem,viuere ſine peccato;ſi uoluntas ei nō deſit,ope diuina adiuuante;licèt nunq̃ talis fuerit,ſimpliciter loquendo. Et quoniam arbitrabantur nonnulli, id fieri poſſe libero hominis arbitrio & ope legis moſaicæ;ijs occurrit Auguſtinus,inquiens,hoc eſſe falsū. Quandoquidem præter liberum arbitrium,& præcepta diuina,requiritur etiam Spiritusſancti gratia,quæ nobis viam oſtendat veritatis.Quoniam non lex Moſis, at Chriſtus eſt qui iuſtificat,& viam oſtendit ueritatis; veram nempe dilectionem, & delectationem. Et liberum noſtrum arbitrium,quia ſine Chriſto non eſt liberatum à ſeruitute peccati; inde fit vt diuus pater Auguſtinus dicat,ꝙ liberum arbitrium,quicq̃ niſi ad peccandum ualet, ſi lateat ueritatis uia; hoc eſt,Spiritusſancti gratia. At cur hoc? Quia eſt homo ſine Chriſto ſeruus peccati.Verùm conſequutio ipſa Lutheri non currit,vt dicamus; Homo ſine Chriſto caret libertate à peccato.Caret igitur libertate à neceſsitate.Et iſta libertate licèt non poſſit homo viuere & meritòriè operari ſine Chriſti auxilio: ob id tamen nō ſequitur quin poſsit, diuina fauente clementia. Secus neque Sol illuminaret,neque ignis calefaceret,quia neque folium arboris cadit,ſine nutu,& voluntate Dei. Quia igitur loquebatur tunc Auguſtinus de libero noſtro arbitrio in ordine ad meritum, ideo dixit,quòd ſi lateat ueritatis uia,nihil meretur niſi malum; cùm inter duo extrema poſitum,licèt poſsit ex ſe abſolutè conſiderato quædam operari,quæ nec odioſa ſint, nec Deo grata; ſi tamen conſideretur in ordine ad meritum,non poteſt ex ſe niſi commerere.Verum igitur eſt,ꝙ ſine Chriſto non ualet liberum noſtrum arbitrium ad merendum niſi malum.Non igitur ualet ad bonū, diuina fauente gratia? Negatur illatio. Habet igitur libertatem illam, quam crebriùs naturalem diximus; at ſine gratia iuſtificante non poteſt meritoriè uiuere. Id quod etiam uoluit Dominus noſter,quando dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Si enim dixiſſet abſolutè, Nihil poteſtis facere; fortaſsis fuiſſet locus diſputationi. Atqui dicendo, Sine me, hoc eſt, abſque auxilio meo; patenter inſinuat, nos vnà cum ipſo,bona liberè poſſe peragere; ſine quo, nil æternæ vitæ meritorium explere ualemus. Modò non ualet huiuſmodi argumentum: Sine Chriſti auxilio non poſſum meritoriè uiuere. Nullam igitur habeo facultatem meritoriè uiuendi,nec libertatem. Sicuti nec etiam ualet: Vinculis conſtrictus non poteſt currere,niſi ſoluantur uincula. Nullo igitur modo poteſt. De præparatione autem ad gratiam dicemus inferiùs. Dicimus tamen interim, quòd illud nihil accipitur negatiuè,non poſitiuè. Vnde cùm homo præparat ſe ad gratiam,negamus ꝙ faciat nihil; ſed facit aliquid poſitiuum; licèt non ſit vitæ æternæ meritorium. Vnde ſcholaſtici dicerent,ꝙ eſt nihil ſecundùm quid,non ſimpliciter. Ignorantiſsimus autem Lutherus,illam irridet præparationem, perinde ac ſi fieret per ſimpliciter nihil.

Id quod etiam vlterius probare intendit hac ratione: Palmes exciſus nō ſe parat ad vitem,neque enim poteſt; ſed longiùs fit à vite,& magis ac magis perit. Homo aūt per peccatum primi parētis,eſt palmes exciſus à Deo.

Cccc Non

Non igitur poteſt ſe ad gratiam parare;immo fit ſemper longiùs ab ea: Vnde,inquit, nihil poſſe liberum arbitrium,non eſt,non meritorium operari,ſed foras mitti & areſcere.Dicente Domino:Si quis in me non manſerit,mittetur foras ſicut palmes,& areſcet,& colligunt eum,& in ignem mittunt,& ardet.

Verùm dato uno inconuenienti,multa ſequuntur.Fundamentum ſiquidem Lutheri falſum eſt & hæreticum.Hominem ſcilicet per peccatū primi parentis,eſſe à Deo exciſum,ſicut palmes naturalis à vite.Quippe naturalis palmes nullum habet liberum arbitrium,ſicuti probauimus hominem habere.Non vrget igitur ſimilitudo producta;quoniam naturalis palmes,nec ſenſum habet,nec arbitrij libertatem. At myſticus,vtrunque poſsidet.Vnde poteſt(modò uelit)ueniam precari,tundere pectus, atque cum publicano dicere: Deus propitius eſto mihi peccatori.Quem quidem publicanū, ad iuſtificationis gratiam acceſsiſſe,Chriſtus affirmat.Fundamento igitur Lutheri exiſtente falſo;reliquum eſt,vt eius quoque verborum Chriſti interpretatio,nedum ſit falſa,at etiam hæretica.Eſt enim ſenſus illius interpretationis,quòd peccator ſemel exciſus,nequeat ad reditum ſe parare, vt denuo inſeratur. Quòd ſi res ita ſe habet,cur petere,quærere, pulſare, peccatores admonuit Deus,& delictorum ueniam implorare? Cur tot parabolis ad reditum Chriſtus inuitauit peccatores? Aut cur Paulus Corinthium illum,qui fuit ob inſignem fornicationem exciſus à ſtipite Chriſto,compulit ad poenitentiam? De redituris igitur non loquitur Chriſtus;ſed de ijs,qui ſine fide,vel eiuſdem Chriſti gratia uiuere,& mori,ſua peſsima uoluntate decreuerunt. Sed quòd dum viuunt,redire non poſſint, hoc eſt quòd omnino negamus. Ex quo pereunt quinque illi perditionis gradus, quos ſibi Martinus effinxit.

Verùm ſiquidem eſt, quòd qui foras mittitur,pro tunc non intromittitur,poſtea tamen intromitti poteſt.Quocirca,ſecundum illum perditionis gradum imus prorſus inficias;ꝙ nempe ſibi relictus peccator,hoc eſt, ſola gratia gratum faciente deſtitutus,reuerti non poſsit;at quotidie peior fiat.Secus hiſtoria periret Centurionis Cornelij. Id ſi tamen de obſtinatis perpetuò dicatur peccatoribus, illud & nos diui Gregorij affirmamus; ꝙ ſcilicet peccatum quod per poenitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. At nos de talibus non loquimur;ſed de illis, qui pro uiribus redire conantur. Hi enim non fiunt quotidie peiores. Id circo negamus abſolutè, illa eſſe opera liberi arbitrij, quæ dicit Martinus. Tres alias quas inducit poenas, pro ſuo arbitratu temporis facit præſentis; cùm tamen ſint futuri temporis, & omnia ad futurum iudicij diem ſpectent. Vnde illis uerbis, per quinque particulas ſeſe ordine conſequentes,quintuplex malum,ſimilitudine à ſarmentis deſumpta,comminatur Dominus infructuoſis fidelibus,& alijs non in ſe manentibus. Quòd ſcilicet eijcientur foras,& eiecti areſcent; aridi autem facti non negligentur,ſed colligentur cum impijs,ab his quorum manus minimè effugere poterunt; collecti mittentur in ignem,miſsi in ignem, ardebunt. Vt foras mitti, ſit à bonorum conſortio ſeparari. Quo facto,

Act. 10.

areſcent impij præ timore & expectatione malorum, quæ ſunt eis ſuper uentura. Colligentur deinde in faſciculos ad comburendum. Mittentur in ignem; ac demum illic ſine fine ſunt arſuri. Conſimilia verba crebrius habentur in Euangelio, quæ magnũ iudicij diem utique reſpiciunt.

Addo, quòd tres illæ poenæ quas dicebat Lutherus, magis liberum hominis arguunt arbitrium, quàm reſecent. Si enim exciſum palmitem, ideo ad iudicium colligent, in ignemq́. tranſmittent ut ardeat, quoniam ad mortem uſque, à Chriſto manet exciſus; cùm certè non niſi à vitæ fonte fecedens, veniat reprobandus; Id quippe ea ratione continget, quoniam liberum habens ad Chriſtum reuertendi arbitriũ, ſua ſponte neglexit. Neque enim ex ſola diuinæ gratiæ carentia, quæ cuilibet ſemper præſtò eſt, aut ui aliqua compulſus, à Chriſto extitit anathema, ac perdurauit; ſed ex prauitate uoluntatis ſuæ; vnde ſit iure plectendus. Niſi itaque liberi eſſet arbitrij, hæc ſibi reprobatio minimè accidere poſſet.

Id quod etiam per uerba ſubſequentia cõfirmari poteſt; ſequitur enim Dominus noſter, inquiens: Si manſeritis in me, & verba mea in uobis mãſerint; quodcunque uolueritis petetis, & fiet uobis. In hoc glorificatus ẽ pater meus, vt fructum copioſum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Hoc loco, inquit Theofilactus, interpretatur nobis Dominus quid ſit quod dixit: Si manſeritis in me; hoc eſt, ſi mandata mea cuſtodieritis. Hoc enim ſignificat, verba mea manere in uobis. Vult enim vt ſibi per opera adhæreatur. Nam quicunque Deo placere cupiens uiuit, voluntate ſua manet in vite, cùm unitur illi per dilectionem, & ſeruationem mandatorum, adhæretq́. ſpiritu; ſicut contrà, qui à mandatorum obſeruatione abſiſtit, ſponte à Domino alienatur. Et inde perpetua ſequitur damnatio. Quare ex illis poenis magis arguitur liberum voluntatis arbitrium, quàm eius oppoſitum.

Arguebat nihilominus Lutherus alia via, hunc in modum; Geneſeos .6. & .8. capite, hic habetur textus: Senſus & cuncta cogitatio cordis humani, ad malum prona ſunt omni tempore. Nulla eſt igitur unq̃ bona hominis cogitatio, quæ præparet ad gratiam.

Atqui negamus nos primo loco, huiuſmodi propriè ibi eſſe verba. Nam .6. capite ita legitur ad uerbum: Videns autem Deus, ꝙ multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, poenituit eum, ꝙ hominem feciſſet in terra. In .8. autem cap. ſic iacet textus: Nequaq̃ ultrà maledicam terræ propter hominem; ſenſus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua; non igitur ultrà percutiam omnem animam uiuentem, ſicut feci. Martinus autem, vt ſuam ſtatueret ſententiam, vtrunque locum callidè permiſcuit in unum.

Dicimus ſecundò cũ ipſius Martini doctiſsimis cõcertatoribus, ibi nõ de oĩbus & ſingulis cogitationibus Moſen loqui, & pro illo tempore ſic fuiſſe locutum, necnon promptitudinem illam, libero cum arbitrio, aliqua cum difficultate, nos refrenare poſſe. In .8. ſiquidẽ capite, indefinitè duntaxat, & non generatim, dixit Dominus: Senſus enim & cogitatio humani

cordis, in malum prona ſunt. In 6. autem dixit quòd cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malum omni tempore: quoniam pro illo tempore loquebatur, & non de homine abſolutè.

Sed quid? Verum eſt, quòd Dei gratia excluſa, ſenſum ac uoluptatem inſequimur, cuiuſmodi illius temporis homines, de quibus loquitur Moſes, extitere. Huiuſmodi tamen ſenſus, uitiatæq́ naturæ ui, non uſqueadeò premimur, quin ex naturaliter nobis inſerto rationis lumine, aliquantulum ei reſiſtere, diuinaq́ demum adiuuante gratia, illius pugnam euincere ualeamus.

Dicimus tertiò, quòd illis uerbis potius liberum ſtatuitur hominis arbitrium, quàm ei adimatur. Nam cùm dicit, hominem ad conſentiendum malo pronum eſſe, liberum ſtatuit arbitrium. Quandoquidem qui pronus eſt ad eligendum peccatum, poteſt & nolle peccare. Vbi enim eſt uelle, ibi eſt nolle. Et ubi nolle, ibi etiam uelle eſſe, probauimus ſupra, ex D. patre Auguſtino, ſimul atque peccatum eſſe uoluntarium.

Deus, inſuper, nihil facit abſque ratione: pronunciatum ab omnibus receptum. Eſt autem factum diluuium. Aliqua igitur ratione factum. Quænam autem eſt iſta ratio, niſi peccatum? Noe uerò inuenit gratiam coram Domino. Sed cur? Quia uir iuſtus atque perfectus fuit. Homines igitur, quia poterant benefacere, & rectè ambulare coram Deo, & noluerunt, idcirco diluuio mortui ſunt. Et Noe quia peccare potuit, & noluit; ideo iuſtus & perfectus: unde ſaluus euaſit. At qui poſſunt hæc fieri ſine libero uoluntatis arbitrio?

Ineptiſsimè nanque damnarentur impij, & iuſti præmio donarentur: ueluti oſtendimus ſupra. Illa igitur uerba per Martinum inducta, liberū ſtatuunt arbitrium, & hominem declarant pronum ad peccandum, ex infectione originalis peccati, ſeu fomite.

Quod item confirmatur: quoniam ante diluuium dicit textus: Videns autem Dominus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominē feciſſet in terra. Ob id poſtea ita concludit Deus benedictus: Delebo hominē quem creaui, à facie terræ. Vnde tota huius ratio eſt, quia homines illius temporis, indeſinenter excogitabant ſtudioſè, qualiter poſſent ſua prauiſsima deſideria adimplere, atque ad libitū præuaricari, ac delectari: ita quòd ex propoſito & certa malitia, non ex ignorantia & infirmitate, ſeu paſsione ſolummodò peccauerunt. Poſt diluuium autem, dixit Dominus: Nequaquā ultrà maledicā terræ propter homines. Senſus enim & cogitatio humani cordis, in malū prona ſunt, ab adoleſcētia ſua. Sicut igitur peccatū ratio fuit quòd euenerit diluuium; ita ratio cur non amplius euenerit, eſt pronitas hominis ad malum. Huiuſmodi autem pronitas ad malum, nil aliud eſt ad Martini dogmata, niſi, carētia liberi arbitrij. Modò ſic: Ratio quare Deus nolit amplius maledicere terræ propter hoīes, ea eſt quia proni ſunt ad malū, & libero carent arbitrio. Verùm ante diluuiū proni erant etiā ad malū, & ex conſequenti, libero carebant arbitrio. Eadem igitur ratione non erāt diluuio occidēdi. Occidit aūt Deus. Iniuſtè igitur eos occidit. Hoc falſum

& hæreticum. Falſum igitur & hæreticum dogma Lutheri. Vnde mentitur ipſe,non Moſes.Quoniam non poterat iſte,omnes & ſingulas hominum cogitationes malas affirmare;cùm iam dixiſſet,Noe virum fuiſſe iuſtum,atque perfectum . Et utcunque accipiatur litera illa,ſiue more Hebræorum,ſiue Latinorum; de hominibus illius temporis duntaxat loquitur illa ſcriptura.6.cap.libri Geneſeos; quemadmodum dictum eſt,& patet in ipſo contextu. Nec malas omnes dixit & ſingulas , ratione iam inducta .

Addit Lutherus aliam authoritatem,ex eodem.6.cap.,quæ ita ſe habet; Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Opera autem carnis,mortalia ſunt.Et opus mortis ad uitã non diſponit. Quare liberũ arbitrium non poteſt ſe parare ad gratiam.Sed more magiſtri ſui diaboli,vtitur fallacia Martinus,quoniam à ſecundùm quid arguit ad ſimpliciter; ab hominibus nempe illius temporis, ad hominem ſimpliciter. Eſt enim illorum uerborum ſenſus iſte: Spiritusſanctus non permanebit de cætero in iſtis hominibus; in quibus erat quamdiu filij Dei erant; quia totaliter carnales,& turpes effecti ſunt. Modò non ualet arguere: Illi homines,totaliter carnales & turpes effecti ſunt. Ergo omnes & ſinguli,eodem modo ſe habent. Iam enim ibidem legimus,quòd Noe inuenit gratiam coram Domino,& quòd erat vir iuſtus,atque perfectus.

Cæterùm dato etiam,ꝙ de omnibus & ſingulis hominibus, ſiue de homine ſimpliciter accepto,ueniat litera illa intelligenda; adhuc non ſequitur: Homo eſt totaliter carnalis,& turpis effectus. Non igitur liberum habet arbitrium. Immo quia liberi eſt arbitrij, idcirco dicitur carnalis effectus; & inde fit caſtigatione dignus . Alioquin Deus faceret,& in eum immitteret iniuriam. Habet enim liberum arbitrium, vt oblato lumine gratiæ,conſentire,vel diſſentire poſsit; tametſi ad iuſtè uiuendum, dum caro duntaxat ante gratiam eſt , liberum liberatum arbitrium non habeat. Dicit enim Dominus Deus,quòd quandiu homines illi fuerunt filij Dei,tandiu habuerunt Spiritumſanctum. Carnales autem effecti,& filij diaboli,non amplius permanebit in eis,at obruentur aquis. Verùm cur iſta mutatio,niſi quia fit mutatio in uoluntate hnmana? Si igitur mutato voluntatis aſſenſu, qui prius fuit iuſtus, eſt modò impius; & qui prius erat Deo gratus,eſt modò non gratus; manifeſtiſsimè ſequitur, quòd ibi ſit libertas arbitrij. Secus uel ſemper homo fuiſſet filius Dei,vel ſemper caro. Quod enim eſt neceſſariò tale,ſemper eſt tale. Et quoniam circa præinducta uerba,varias fuiſſe opiniones optimè noui; idcirco in iuniorum gratiam,hunc,quem dixi,eorum eſſe germanum ſenſum,in hunc modum oſtendo.

Dicit textus. Cumq́. coepiſſent homines multiplicari ſuper terram,& filias procreaſſent; Videntes filij Dei filias hominũ quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant. Dixitq́. Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.

Obſeruemus igitur primò,ꝙ in hac ſcriptura enarratur hoĩes multiplicatos fuiſſe ſuper terrã,& filias procreaſſe. Deinde obſeruemus,ꝙ filij Dei,

filias hominum acceperunt ſibi vxores. Ac demum, quòd Deus dixit: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Appellantur igitur primò homines, & filiæ hominum. Et viri illarum mulierum appellantur filij Dei. Deusq́. vltimo loco omnes indifferenter homines appellat. Cùm aũt ſcripturæ author Spiritusſanctus, nunq̃ ſine myſterio loquatur, ſequitur neceſſariò, vt in hac ſcriptura ſit ſatebs myſterium aliquod; ita ut inter hoĩes & filios Dei, aliquod uerſetur diſcrimen. Nec ſit illud, vt per filios Dei, angelos intelligamus, veluti quidam ſtupidi & ſtolidi exiſtimarunt. Tum quia angeli ſunt incorporei, & Deus dicit, quòd ſpiritus eius non permanebit in homine quia caro eſt. Tum quia angeli, immortales cùm ſint, vitam non habent tempore definitam; & Deus dicit, quòd dies hominis erunt centum uiginti annorum. Tum quia ſoli homini, poenam & mortem comminatur Deus. Soli igitur homines vitam iniquam amplexi ſunt. Addo, quòd ſi angeli filiabus hominum permiſti eſſent, homines ab angelis eſſent iniuria affecti; quia ui horum filias corrupiſſent. Iniuriam quoque paſsi eſſent à Deo creatore, eò quòd angelos illi ſeruientes non puniret. Verùm ſtultum eſt, de angelis Dei hæc dicere. Fateamur igitur oportet, vt & homines & Dei filios eiuſdẽ eſſent naturæ atque rationis; diuerſo tamẽ reſpectu ita nuncupari.

Diuus itaque Eucherius ait, quòd per homines, eo in loco ſtirpem Cain diuina ſcriptura (licèt tacitè) voluit demonſtrare. Sed per filios Dei, intelligit beatus Theodoretus filios Enos. De quo, libro Geneſeos cap. 4. ſub finem, ita legitur: Cognouit quoque adhuc Adam vxorem ſuam, & peperit filium; vocauitq́; nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus eſt filius, quem uocauit Enos. Iſte coepit inuocare nomen Domini. Anno vitæ ſuæ. 130. Adam genuit Seth. Anno uerò vitæ ſuæ. 105. Seth genuit Enos. Iſte coepit inuocare nomen Domini. Quid hoc? inquit Chriſtianus Maſſæus. Nunquid pater eius & auus non inuocabant Dominũ? Quis vnq̃ iuſtus non inuocauit Dominũ? An nemo iuſtus anteq̃ iſte naſceretur? Cur ergo uni & ſoli tribuitur proprium, quod eſt omnium commune bonorum? Sed oportebat in Enos; iuxta diui Auguſtini placitum, de ciui-

Tom. 5. tate Dei lib. 15. cap. 18., præfigurari hominum ſocietatem piorum; quòd non uiribus terrenæ proſperitatis, ſed ſecundùm Deum uiueret, eo quòd Enos primus natus commemoretur de patre ciuium ciuitatis Dei. Non ergo tanq̃ ſimpliciter primus omnium hominum, ſed primus poſt fundatorem ciuitatis Dei. Nam Seth, in loco Abel, primus fundator, ideſt, primus generator extitit ciuium ciuitatis ſanctæ, ſicut Cain ciuitatis contrariæ.

Propter igitur hanc pietatem, inquit beatus Theodoretus, primus hic, diuinam appellationem ſortitus eſt, & à cognatis uocatus eſt Deus; vnde & qui ex eo nati ſunt, vocati ſunt filij Dei; quemadmodum & nos à cognomine Chriſti Domini noſtri, nuncupamur Chriſtiani. Vnde pſalmo. 81. dicebat Propheta: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Et, Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Et

iterum

iterum pſalmo.49.: Deus Deorum Dominus locutus eſt,& uocauit terrã. Sic & Exo.22., legislator ait: Dijs non detrahes,& principibus populi tui non maledices. Hi igitur,ait,tanq̃ pij & boni,cognominati ſunt filij Dei. Separatum enim erat genus Seth,& non permiſcebatur cum cognatione Cain,propter illatam ab omnium Deo maledictionem. Multo autem tempore poſt,videntes filias cognationis Cain ſpecioſas,permiſti ſunt illis, & contaminarunt ſuam nobilitatem, & eadem perpeſsi ſunt quæ Iſraelitæ. Qui quidem, Madianitarum filiabus permiſti,impietatis eorum participes facti ſunt, & diuinam ultionẽ pertulerunt. De his diuinus Dauid inquit: Permiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum,& ſeruie- Pſal.105 runt ſculptilibus eorum. Sic & hi qui ex Seth genus duxerunt,olim quidem,vt uirtutum ſtudioſi,vocabantur filij Dei. Verùm impurarum mulierum pulchritudine capti,confuderunt familias, alioqui diſtinctas; & pro fructu hæreditario,omnẽ nequitiam acceperunt. His itaque ſic ſe habentibus, quid mirum ſi nomen filiorum Dei amiſerint, & unà cum ſtirpe Cain,fuerit homines ſimpliciter appellati; quare dixerit Dominus Deus: Spiritusſanctus non permanebit de cætero in iſtis hominibus, in quibus erat,quamdiu filij Dei erant; quia totaliter carnales & turpes effecti ſunt. Ex quo notat beatus Theodoretus, quòd diuinus ſermo non ſimpliciter peccatum eorum damnat; ſed cura & ſtudio quæſitam iniquitatem reprehendit. Hoc enim ſignificat quod ait: Vnuſquiſque meditatur in corde ſuo ſtudioſè ad mala peragenda uniuerſos dies. Qui enim, inquit, ægrè ferunt,oblatam ſibi eſſe peccandi occaſionem,à nequitia tamen uicti per mentis ignauiam, poſtea dolent & lugent, mediocrem quandam aliquatenus habent excuſationem. Qui uerò declinant prorſus ad intemperantiam & malitiam, ſubſeruire facientes affectionibus rationem, vt etiam excogitent alias nequitiæ ideas, & hoc non ſemel, aut bis, ſed per totam vitam; qua uenia digni ſunt? quod ſupplicium illis debetur? Certè non leue, vtpotè, cùm ſeipſos exitio deuoueant. Cùm itaque ita ſe geſſerint homines illi,potius conuincitur,eos liberi fuiſſe arbitrij, q̃ huius oppoſitum; veluti perperam & ineptiſsimè deducebat Lutherus.

Qui pro alia ratione,illud addit Iſaiæ,.40. cap., qui ait: Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Ex quo mox ita arguit; Si gratia datur pro peccatis; nihil igitur ante gratiam fit,niſi peccatum. Non igitur ſuſcipitur gratia de manu domini pro operibus congruis, quæ peccata non ſint.

Cæterùm dicimus nos,Martinum nec Prophetam,nec ſeipſum intelligere. Non Prophetam,quoniam eius non eſt ſenſus,vt peccatum ſit cauſa nobis,gratiam obtinendi diuinam. Nequidem ſeipſum,quandoquidem eius ratiocinium & expoſitio contradictionem inuoluit, atque pugnantia includit. Dicit enim ſcriptura: Conſolamini conſolamini, popule meus,dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Hieruſalem,& aduocate eam, quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Vbi diuus pater noſter Cyrillus ait: Tranſit oratio ad Chriſti tempora,& gratiæ per ipſum,

clarum inducit vaticinium; his qui diuinum adminiſtrant Euangelium, præcipiens & dicens: Conſolamini conſolamini populum meum; dicit Deus. Loquimini, ſacerdotes & miniſtri nouorum & Chriſti vaticiniorum, ad cor Hieruſalem; id eſt, acceptum auditoribus ſermonem conſolationis habete. Vt conſolatio iſta ad totum pertineat terrarum orbem; dicente Zacharia, cap. 2.: Gaude & lætare filia Sion; quia ecce uenia m & habitabo in medio tui, & confugient gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt ei in populum. Totus itaque coetus ille, qui crediturus eſt in Chriſtum, ibi à propheta nomine populi ſignificatur, ſiue Iudæi ſint, ſiue Gentiles; veluti etiam capite primo, atteſtatur Oſee propheta. Et licet huiuſmodi conſolatio fuerit vniuerſalis, maximè tamen & præcipuè reſpiciebat Iſraelitas; dicente Domino Matt. 15.: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Id quod etiam habetur ibidē cap. 10. Propterea dicit Propheta: Loquimini ad cor Hieruſalem. Moleſta enim & oneroſa erat lex omnibus, & docens typos; inquit diuus pater Cyrillus; non immittens in mentem & cor, rerum neceſſariarum inſtitutionem auditoribus; ſed velut externam cognitionis ſpeciem; tanq̃ in ſola litera, idq́. vix, tradidit. At ſalutaris & Euangelica prædicatio loquitur, Spiritu ſancto, cuiuſque cogitationis profunditatem pateſaciente, & ſpirituales meditationes, ac contemplationes immittente, & ſanctorum ſermones inſigente, & ĩ penitiſsimis quaſi animi penetralibus inflammante. Idcirco proponite ipſi Hieruſalem; dicit Dominus; non triſtia, non comminationes, non poenas, ſed læta & conſolatoria; quia ego factus ſum ei propitius, & deſij iraſci. Completa & conſummata eſt malitia eius, & remiſsio peccatorum facta eſt; quia ſtatui miſeréri ei, & eius peccata auferre. Quamobrem optimè dicit Propheta, quòd nempe, ſuſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Fuit enim hactenus Hieruſalem afflicta malis, ſeruiuit ſub tyrannide diaboli; eam itaque liberauit Dominus, & non ſolùm liberauit, ſed & multis affecit beneficijs. Vnde per duplicia, rectè intelligimus & redemptionem, ſiue liberationem à diabolo, & dona, ſiue chriſmata Spiritus, quæ largitur credentibus. Idq́. pro omnibus peccatis ſuis; hoc eſt, cùm nos peccatis noſtris mereamur mala ac ſupplicia, Deus pater propter Chriſtum reddidit hæc dona, ac beneficia. Hæc uoluit Eſaias in illis verbis; ad aures diui patris Cyrilli, & aliorum grauiſsimorum virorum.

Modò videamus an huiuſmodi conſecutio teneat, veramq́. ſapiat Dialecticam: Deus nobiſcũ potius miſericorditer egit, q̃ iuſta ſeueritate, tũ redimẽdo, tũ benſaciendo. Nobis igitur gratiã ꝓ noſtris exhibuit delictis. Hoc certè fidelium aures nimis exhorreſcunt. Proptereaq; ſi bonis meritis gratiam ipſam mereri non poſſumus; qúi fieri poteſt, vt eam flagitijs adipiſci valeamus? Quocirca id optimè ſequitur quod diximus. Nimirum Lutherum, ipſius Prophetæ ſenſum minimè habuiſſe. Addebamus ſecundò, quòd nec ſeipſum intelligebat; ex quo eius doctrina contradictionem inuoluit. Nam ſi à Deo lethalibus auertimur noxijs; iuſtificante nerò gratia conuertimur; ſi pro ſceleribus gratia condonatur, dum à Deo

auertimur,

aſſerimus, eo ipſo conuincitur. Hæc autem ad inuicem pugnant; vt optimè conſtat. Lutheri igitur fundamento exiſtente falſo & hæretico; quòd reliqua falſa ſint & hæretica, fit neceſſariò conſequens. Vnde cùm ait, ex hoc q; Hieruſalem ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis; illud ſequitur, q ante gratiam, nemo quicq; boni fuerit operatus; & q; omnia opera Hieruſalem ante gratiam fuerint peccata. Hoc argumentum & conſecutio, eodem eſt peccato polluta, quo prima. Sed & falſiſſimum eſt, ante gratiam iuſtificantem, omnia opera noſtra eſſe peccata; & populi etiam Hieruſalem. Quemadmodum enim Cornelius *Acto. 10.* centurio precationibus & eleemoſynis ſe præparauit ad gratiam, ad quam fuit poſtea uocatus; cur non eſt credibile ut in tanto populo multi fuerint Cornelio ſimiles? Ipſe enim nondum accepta iuſtificante gratia, plurima fecit opera bona. At quid de Tobia, Iudith, Heſter, Zacharia & eius vxore Eliſabeth, nec non & alijs quamplurimis, ſub veteri lege degentibus dicemus? Quippe Tobias propter orationes & eleemoſynas, fuit Deo *Tob. 5.* acceptus, non propter peccata ſua. Iudith, non quia peccatrix fuerat; ve- *Iud. 13.* rùm quia ſanctè, caſtè, & piè vixerat; Deus totam Iudæam ab Holofernis maledicta liberauit tyrannide. Heſter reginam propter ſummam humi- *Heſt. 8.* litatem, aliaq. opera bona, non propter admiſſa peccata; à maximis calamitatibus Deus eripuit. Zacharias demum & Eliſabeth qui ambulabant *Luc. 1.* ſine querela, cùm eſſent ætate prouecti & ſteriles, filium Ioannem acceperunt.

Attamen urgeret fortè adhuc Martinus, exemplo Matthæi; qui cùm *Luc. 5.* nihil boni egiſſet, nullamq; ante præparationem feciſſet, vocatus fuit ad gratiam. Item Paulus Apoſtolus acceptis literis contra nomen Chriſti, *Acto. 9.* vocatus fuit.

At hoc, dicimus nos, non eſt, dare gratiam pro peccatis; vt hæc ſcilicet ſint cauſa acceptionis illius; verùm eſt piè & miſericorditer Deum agere nobiſcum. Nec ualet illatio: Vocatur Matthæus nulla præcedente præparatione, ſaltem tempore. Ergo & omnes ſimili modo uocantur. Iam enim de Cornelio & alijs exemplum induximus. An uerò ante omnē gratiam gratis datam, opera noſtra ſint mala & peccata, videbimus infra, diuina fauente Clementia.

Interim dicamus ad alia. Omnis caro fœnum, ſubdit Iſaias ibidem, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Exiccatum eſt fœnum, & flos cecidit; quia Spiritus Domini ſufflauit in illud; verbum autem Domini manet in æternum. Spiritus autem Dei eſt gratia, inquit Lutherus; & fœnum, liberum arbitrium. Modò autem ſic eo flante, cadit iſtud; nónne ſunt contraria? Non igitur adueniente gratia, poteſt eſſe liberum arbitrium præparatum.

Cæterum valde aberrat Lutherus; quoniam illis verbis, hominis fra- *Tom. 4.* gilitatem, inſtabilitatem, corruptibilitatem, atque breuitatem; non autem ipſius arbitrij impotentiam ad gratiam intendit Propheta. Valde quidem fragilis, ac corruptibilis caro; quæ mortis ſpiritu confeſtim flante, ſtatim decidit ac exiccatur. Et hanc philoſophiam de fragilitate

humanæ naturæ adducit Eſaias; vt intelligant homines quòd ſuis viribus non poſsint ad propoſitum lætiſsimum Euangelium aſpirare: vt agnoſcant quòd ex natiuitate carnali nihil habeant, quàm quòd ſint foenum; fieri tamen poſſe, vt perpetuò maneant & immortales fiant. Si videlicet Euangelium amplectantur, & illud uenerentur. Etenim ſi perpetuò omnis caro foenum, nequaquam pſalmo.83. Dauid dicere potuiſſet: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Falſum eſt igitur quòd ſemper depereat ſpecies carnis & eius pulchritudo, ad afflatum diuini Spiritus. Quocirca de ſpiritu gratiæ non poteſt accipi, cùm dicitur: Exiccatum eſt foenum, & cecidit flos, quia Spiritus Dei flauit in eo; atqui de ſpiritu furoris, & ultionis diuinæ. Ad flatum igitur gratiæ non cadit liberum arbitrium; ſed erigitur magis; dicente Paulo.2. ad Corin.cap.3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Vnde ſi ille admittatur ſenſus quem voluit Martinus, nemini dubium, quòd ille unus locus eſſet alterius deſtructio, & in dictis Spiritusſancti eſſet manifeſta contradictio.

Arguit deinde Martinus ex Hieremia propheta, cap.10., qui ait: Scio, Domine, quoniam non eſt hominis via eius; nec viri eſt, vt dirigat greſſus ſuos. Via autem hominis, inquit, ea eſt, quam uocant naturalem uirtutem faciendi quod in ſe eſt. Non igitur hæc eſt in arbitrio hominis. Qui igitur fieri poteſt, vt via & greſſus Dei ſint in eius poteſtate? Non igitur poteſt liberum arbitrium ſeſe ad bonum præparare, cùm nec in poteſtate ſua ſit ſuas vias malas facere. Quoniam, inquit, mala opera in impijs operatur Deus; vt eſt in Prouerbijs cap.16.

Cæterum plures ſenſus poteſt habere, pluresúe expoſitiones ſuſtinet huiuſmodi ſcriptura. Vt ſcilicet loquatur de via hominis in genere, aut de via Iſraelitarum, aut Babyloniorum. Et quòd loquatur de via Babyloniorum, atteſtatur beatus Theodoretus, qui ait, Prophetam illis verbis docere à quo adducatur Nabuchodonoſor, inquiens: Nunquam, Domine, irrupiſſet ille contra nos, te non uolente; & ſi irrupiſſet, nequaquam proſperè egiſſet quod decreuerat, nobis opitulante dextera tua. Scio enim quæ acciderint Sennacherib: Sed obſecramus te, ne ille exigat à nobis poenas impietatis; verùm uterudias nos paterna caſtigatione. Hunc ſenſum vult beatus Theodoretus, illius eſſe ſcripturæ, cum immediatè ſubſequenti. Ex quo, mox ita concludit: Perſpicuum eſt igitur, tam ex eis quæ dicta ſunt, quàm ex his quæ ſubijciuntur, clauſulam hanc: Noui Domine, quòd nõ ſit hominis via eius; non ſubijcere libertatem arbitrij noſtri ſeruituti naturali; neque res noſtras fatali neceſsitati ſubmittere. Verùm diſertè nos docere, quo pacto Dominus Deus totius mundi gubernacula tenet, & ſapienter gubernat; ſuppeditans bona; & corripiens iuſtè; vbi poſt diuturnam patientiam, ſæpius in nequitia perſeuerare uiderit. Hactenus Theodoretus. Cui in hunc modum ſubſcribit diuus pater Hieronymus: Quod

Tom. 4. à Babylonijs ſuſtinemus, non eſt eorum fortitudinis, ſed noſtri meriti, & indignationis tuæ. Si igitur illa intelligatur ſcriptura de via Babyloniorum, qui ut Iſraelitas affligerent uenerunt; quis dubitat neque Satanam, nec homines, eam poteſtatẽ habere, ut nos extrinſecus, niſi Deo iubente, affligant?

affligant? Exemplum enim eſt in promptu de Iob, in eius capite primo. Et pſalmo .65. dicebat Propheta : Induxiſti nos in laqueum , poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro; impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. At huiuſmodi ſenſus, liberum non tollit uoluntatis arbitrium. Quandoquidem ſi quæramus, an Domino ſuſcitante ſpiritum eorum, ipſi quoque propria uoluntate, & libero cum arbitrio uenerint; diuum audiamus Auguſtinum, qui de gratia & libero arbitrio, cap.21., ita reſpondet: Legite libros Paralipomenon, & inuenietis in ſecundo libro ſcriptum: Et ſuſcitauit Dominus ſpiritum ſuper Ioram, ſpiritum Philiſtijm & Arabum, qui finitimi erant Aethiopibus, & aſcenderunt in terram Iuda, & diſſipauerunt eam, & coeperunt omnem ſubſtantiam, quæ in domo regis inuenta eſt. Hic oſtenditur, Deum ſuſcitare hoſtes eis terris uaſtandis, quas tali poena iudicat dignas. Nunquid tamen Philiſtijm & Arabes in terram Iudæam diſſipandam, ſine ſua uoluntate uenerunt, aut ſic uenerunt ſua voluntate, vt mendaciter ſcriptum ſit, quòd Dominus ad hoc faciendū, eorum ſpiritum ſuſcitauit? Immo utrunque uerum eſt, quia & ſua uoluntate uenerunt, & tamen ſpiritum eorum Dominus ſuſcitauit. Quod etiā ſic dici poteſt, & eorum ſpiritum Dominus ſuſcitauit, & tamen ſua uoluntate uenerunt . Ita Auguſtinus . Hæc igitur uia , liberum non tollit arbitrium.

Tom. 7. 2. Para. 21.

Si uerò pro uia Iſraelitarum, hoc eſt, pro uia conuerſionis eorum ad Deum, qui propterea affligebantur, litera illa intelligatur; hanc quoque viam hominis ſolius non eſſe, quis ibit inficias? Pſalmo nanque .24. ait magnus Propheta: Vias tuas, Domine, demonſtra mihi; & ſemitas tuas edoce me. Et pſalmo .118.: Deduc me in ſemita mandatorum tuorum; quia ipſam uolui. Sint itaque Domini omnes viæ ad bonum; quid tum? Perficietur ne opus ſine libero uoluntatis arbitrio, homine in via cum Domino ambulante? Minimè quidem. Sic itaque diuinæ ſcripturæ teſtimonia coniungenda ſunt, vt cùm uno in loco dicit: Dirige ſemitas pedibus tuis; mox homo reſpondeat: Notam fac mihi viam in qua ambulem. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis; vt non moueantur ueſtigia mea. Itaq. vitam ducendo, facilè tandem dicere audeat: Ab omni via mala prohibui pedes meos. Vnde nec huiuſmodi via, liberum tollit voluntatis arbitrium; vt liquidò conſtat.

Prouer.4. Pſal.142. Pſal.16. Pſal.118.

Demum ſi ſcriptura illa de via hominis in genere intelligatur, tres cùm ſint hominis uiæ, neutra illarum liberum tollit arbitrium. Prima ſiquidē illa eſt, qua ſectatur homo carnis concupiſcentias, aduerſus commonitionem ſpiritus; & dicitur uia ad malum; ad quod Deus non dirigit; ſed permittit hominem ire in adinuentionibus ſuis. De hac autem non loquitur Hieremias; quoniam uia hæc in hominis poteſtate eſt, & libero cum arbitrio omnis homo peccat; etiam ſecundùm Proteſtantes; dicentes, hominem non habere liberum arbitrium niſi ad malum . Secunda illa eſt, qua ſequi nititur ea, quæ ſuggerit ſpiritus, carne reclamante; & hæc quanquam liberi arbitrij eſt, ſolius hominis nequaq̃ erit; quandoquidem nil poteſt abſque auxilio Dei ſpeciali; quemadmodum nec prima ſine

generali

generali (quàm vocant) influentia Dei; prout latiùs patebit infra. Adeſt tertia, quando homo meritoriè ad ſalutem operatur. Et hæc ita Dei eſt, vt nihil homo abſque Deo præueniente, & ſimul operante, operari poſsit. *Ioan. 1.* Si tamen vult & operatur, id cum libero agit arbitrio. Secus Ioannes minimè dixiſſet, dediſſe Deũ hominibus poteſtatem filios Dei fieri. Et alibi non dixiſſet: *1. Ioan. 3* Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Atqui de his inferius. Conſtat ergo ꝙ illa Hieremiæ ſcriptura, liberum non tollit hominis arbitrium. Vnde cùm dicit Martinus, ꝙ via hominis non eſt in eius poteſtate; ſi ita intelligit ꝙ ſine Deo non poſsit ſimpliciter operari, quis negat? Iam enim diximus, ꝙ nec in eius prima uia poteſt ambulare, ſine Dei generali influentia; quoniam nihil ſine ea operari poteſt. Si autem intelligit quòd non habeat homo poteſtatem aſſentiendi & diſſentiendi gratiæ diuinæ; veluti de facto intelligit; hoc tanq̃ hæreticum negamus; nec ipſe probat, vt oſtendimus. Sunt enim viæ Domini & viæ hominis in eius poteſtate, Domino præueniente, & per ſuam gratiam ſimul operante.

Item cùm ait, quòd via hominis illa eſt, quam nos uocamus uirtutem naturalem faciendi quod in ſe eſt; iam expoſuimus quænam ſint viæ hominis. At optimè negamus, quòd ſola uirtus naturalis ea ſit qua facit homo quod in ſe eſt. Speciale ſiquidem requiritur auxilium diuinum; veluti inferius patebit. Vnde Proteſtantium communis error ille eſt, vt putent ſola naturâ hominis animam ad gratiam præparari, Catholicos intelligere. *Quid ſit hominem facere quod in ſe eſt.* Hominem nanque facere quod in ſe eſt, non intelligitur ante auxilium Dei; ſed potius præueniente Deo. Tunc enim homo facit quod in ſe eſt, quando Deo inſpiranti reſpondet cooperans, vt certiſsima lege conſequatur gratiam. Vnde homo non poteſt facere quod in ſe eſt, niſi diuina gratia excitetur; dicente Domino: *Ioan. 15.* Sine me nihil poteſtis facere. Quemadmodum enim nihil naturæ ſine Deo, vt principio naturali; ita nihil gratiæ ſine eo, vt principio gratiæ facere poſſumus. Sine igitur diuino adiutorio, non poteſt facere homo quod in ſe eſt, vt iuſtificetur, & ſit ſufficienter præparatus ad gratiam. Ita enim in propoſito ſumitur facere quod in ſe eſt. Propterea D. Thomas prima ſecundæ, q. 109., ar. 6., ad. 2., ait: Nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moueatur; ſecundùm illud Ioan. 15.: Sine me nihil poteſtis facere. Et ideo cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt; dicitur, hoc eſt in poteſtate hominis, ſecundùm quòd eſt motus à Deo. Idem docet q. 112. ar. 3. Videat modò Lutherus, ſi mentem catholicorum rectè expoſuit.

Iniquiſsimum quoque illud eſt, quod de Deo aſſerit optimo maximo; nimirum quòd mala opera in impijs operatur. Quis enim inter Ethnicos illud unq̃ uoluit pronunciatum? Verùm quia dicitur in Prouerbijs quòd, omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; etiam impium ad diem malum? Minimè. Quoniam nulla fuit Domino cauſa, inquit beatus pater Hieronymus, *Tom. 7.* creaturam uiſibilem, vel inuiſibilem faciendi, niſi voluntas ſua; vt ſuam uidelicet bonitatem rationali creaturæ, quam perpetuò beatam faceret, oſtenderet: eum quoque qui bonum conditionis

propria ſponte deſeruit, id eſt, diabolum cum ſuis ſequacibus, iuſta ſeueritate damnauit. Hæc diuus Hieronymus. Quæ etiam amplexus eſt Beda, ille uenerabilis. Vnde ille eſt ſenſus, quòd omnia fecit Dominus propter gloriam ſuam, & propter ſeipſum tanq̃ ultimum omnium finem, ad quem omnia referuntur; etiam impium ad diem malum. Non quòd Deus operatus ſit diabolum, vel hominem impium; quoniam uterque ſeipſum facit impium, non Deus, qui author nõ eſt ipſius mali; ſed dicit, quòd Deus eum qui ſe impium facit, operatus eſt ad diem malum; hoc eſt, quòd illum ordinauit ad diem malum, diem ultionis; idq. propter ſeipſum, & ad oſtenſionem gloriæ ſuæ; iuſtitiæ ſcilicet ſuæ in impijs, ac bonitatis ſuæ in electis. Hunc ergo in modum, ad diem malum, hoc opus operatus eſt Deus; non quòd principalis eius intentio ad malum tenderet, ſed potius ut mala quæ libero cum arbitrio ſolus impius operatus eſt, puniret. Omnia igitur propter ſeipſum utique Dominum feciſſe fatemur; vt ſcilicet uel ſuam cunctis bonitatem tribueret, vel iuſtitiam oſtenderet; non cogendo, nec diabolum cum ſuis ſequacibus impium cauſando; ſed ſponte ſua impium iam effectum, ad diem malum, quo Dei iuſtitia amplius oſtenderetur, ſeruando.

Hinc notent, iuuenes noſtri, quòd quando dicitur: Deus vult, vel amat creaturas propter ſuam bonitatem; illa dictio (propter) non dicit cauſam volitionis, ſed cauſam uoliti, vt aiunt. Vnde non eſt ſenſus, ꝗ uolitio ſuæ bonitatis, cauſet uolitionem creaturarum. Sic enim neceſſariò uellet creaturas, quemadmodum & ſuam bonitatem. Sed ille ſenſus eſt, quòd ſi creatura amatur, eſt propter diuinam bonitatem. Vt illa dictio (propter) non cauſalitatem, ſed rationem dicat.

Reliqua modò, quæ in hac materia de libero hominis arbitrio, contra ſanctam Romanam Eccleſiam aſſerit vir iſte mentis non compos, miſſa facio; tum quia ex ijs quæ in ſuperioribus habuimus, ſuperquéſatis conſtat, eius concluſionem falſam eſſe, & omnino hæreticã; tum quia ab alijs eius doctiſsimis concertatoribus, præſertim à diſertiſsimo domino Roffenſe, diſcuſſa fuere. Futurum igitur eſt, vt rationibus Caluini & inſequentium, cap. 18. huius libri recitatis, conemur facere ſatis.

Aduerſus liberum hominis arbitrium, Caluini & inſequentium rationes euertuntur. Cap. 27.

ARGVEBAT itaque primo loco uerſutus Caluinus, authoritate Ezechielis prophetæ, in cuius ore dicebat Dominus Deus: Dabo uobis cor carneum, & auferam lapideum. Vnde concludebat hæreticus, quòd auferendo Deus cor lapideum, mala obliterabatur uoluntas. Et dando carneum, noua bona creabatur. Cor igitur tunc rectum habemus, inquit, quando omnia quæ vult Deus, ipſe etiam homo vult.

Nos autem illam negamus nouæ uoluntatis creationẽ, atque malæ obliterationẽ. Hoc enim ſupra exploſimus ſatis, & ex diuo patre Ambroſio, de vocatione gentium cap. 3. diximus, ꝗ cùm homo ad pietatẽ redit, non

ſit nouũ figmentũ, nouaq́. creatura, non alia in eo creatur ſubſtantia; ſed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo aufertur, niſi vitium, quod natura non habuit. Vnde quando eodem in loco à Caluino citato, nempe cap. 11., ait Ezechiel: Et dabo eis cor unum, & ſpiritum nouum tribuam in uiſceribus eorum, dicit beatus Theodoretus: His autem non liberi arbitrij euerſionem declarauit; ſed futurum ab ipſo auxilium, ſocietatemq́. ad efficienda bona opera. Spiritum nouum uocauit animæ ad honeſta impetum. Cùm enim ad contraria propenſi ferrentur, mutationem in melius, nouum ſpiritum appellauit. Quemadmodum enim cùm dixiſſet alterum cor, non naturæ mutationem ſignificauit, ſed mentis in melius propenſionem; ita etiam per ſpiritum nouum, hoc idem declarauit. Idq́. probat ſanctiſsimus doctor, ex iis quæ ita ſequuntur: Et auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum. Vnde nemo prudens, inquit, opinetur lapideum cor lapidis eſſe, ſed obedire renuens, atque inexorabile, quodq́. Deo nolit cedere; carneum verò, rurſus obediens, & quod facilè cedat. Quando igitur in aduentu gratiæ, Deus cor nouum, hoc eſt, voluntatem nouam, in nobis facit; minimè de nouo ipſam creat; ſed donis Spiritusſancti, voluntas noſtra ad malum prona, cùm gratia aduenit, ipſam bonitatem principio uidere incipit, deinde uerò ſanatur; quod eſt cor nouum creare. Vnde beatus pater Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 8., ait: Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde recipitur. Ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & docet ut ueniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum; ſicut Propheta prædicante promiſit.

Tom. 7.

Ezech. 11.

Sed quò clarius uerſutia appareat maledici Caluini, notet qui piè legunt, ꝙ huiuſmodi haſtis pauperrimos idiotas ad mortem ferire ſolebat, prorſus oblitus tum Rhetorum, tum Dialecticorum communiſsimæ doctrinæ; ꝙ nempe uitioſum & malum illud eſt ratiocinium, cui ſimile ab aduerſario in arguentem concludi poteſt. Illud igitur in primis animaduertendum eſt, eadem argumentandi ratione, qua hominem nihil in ſua conuerſione agere, atqui ſolum Deum, nouam creare in eo uoluntatem, & hanc quidem bonam, necnon & malam obliterare, demonſtrare conatur ipſe Caluinus; probari poſſe, Deum in noſtra conuerſione, cordiumq́. noſtrorum purgatione, nihil facere.

Sic enim argutabatur ipſe: Dicit Dominus, Dabo vobis cor carneum, & auferam lapideum. Ergo auferendo lapideum, malam obliterat uoluntatem; & dando carneum, nouam bonam creat. Qua quidem bona uolun tate creata, dicitur homo iuſtus, & habet cor rectum; ita ut ea uelit, quæ Deus vult, nullo accedente ipſius libero conſenſu. Hæc eſt in ſumma, tota vis rationis Caluini.

Cui ſimilem, ad oſtendendũ oppoſitum, hunc in modum erigendã duxi: Ezechielis prophetæ cap. 18. dicit Dominus: Cõuertimini & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris; & non erit uobis in ruina

iniquitas.

iniquitas. Proijcite à uobis omnes præuaricationes ueſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite uobis cor nouum, & ſpiritum nouum; & quare moriemini, domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; reuertimini, & uiuite. Modò ſic: Poteſt homo ad Deum ſe conuertere, & facere ſibi cor nouum, & ſpiritum nouum; ſecus fallax ſermo Prophetæ. Fit igitur conſequens, vt homo ſibi nouam creet voluntatem, & hãc quidem bonam; veterẽ malam obliterando, ſibiq́. ſpiritum nouũ, & cor rectum faciendo, nullo accedente diuino auxilio. Et ita Deus nihil agit in conuerſione peccatoris. Quod eſt contradictorium concluſionis Caluini. Et hoc cùm ſit falſum & hæreticum, ꝙ etiam falſum ſit illud Caluini & hæreticum, fit neceſſariò conſequens. Non eſt igitur ꝙ homo cor nouũ ſibi facere poſsit; ſed quia illius cõſenſu, ne contradicat, opus eſt, dũ ſupernæ inſpirationes offeruntur; poſt quas, Domino cooperante, vult ut cùm homini dixit, Dabo uobis cor carneum, ſpiritus oblationem intelligamus; cùm verò dixit, Facite vobis cor nouum; ipſum hominis conſenſum accedere oportere, etiam in uolendo, intelligamus. Sic enim Pauli verba ad Ephe. 4. veniunt exponenda, cùm ait: Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ; Induite nouum hominem. Vnde meminiſſe oportet, hominis eſſe, Dei inſpirationes excludere, quas ſi non excludit, cor carneum, ſeu nouum, minimè homine nihil agente, creatur, qui potuit & nolle.

Arguebat ſecundo loco, ex diuo patre Auguſtino; eiuſq́. rationis tota vis inde pendebat, ut uellet diuus ille pater, Deum efficere in nobis vt benè uelimus. Ita ut ſit proprium donum Dei, & totum à Deo, vt benè uelimus. In hunc enim modum ſe declarat Caluinus aduerſus Pighium, pagina mihi .199., inquiens: Sæpe me expoſuiſſe memini, velle ineſſe homini ex natura; ex naturæ uerò corruptione fieri, vt non niſi malè uelle poſsimus. Eſſe igitur proprium donum Dei, & totum à Deo, vt benè uelimus. Idq́. demonſtrare conabatur in ſuo Antidoto, ſeſsione .6., ex Auguſtino de correptione & gratia, cap. 11. Ad.2.

Verùm & nos, ex Deo eſſe ut benè uelimus, fatemur; atqui totum quod conſequitur, ita à Deo eſſe, vt ſuapte voluntate, liberoq́. cum arbitrio, homo conſentiendo ac cooperando ſimul non accedat, hoc eſt quod omnino negamus. Hac ſiquidem in re, tria ueniunt conſideranda; potentia nimirũ, velle, & operari. Horum primum duntaxat à Deo nos habere, Pelagiani confitebantur; nos autem omnia tria à Domino habere cum patre Auguſtino fatemur. At primum à ſolo Deo; reliqua uerò duo ab homine ſuapte natura, cum gratia cooperante. Quippe in conferendo potentiam, nil homo agit; in reliquis autem, Dei cooperator exiſtit. Ita etiam dicimus, ſi tria alia præſupponamus; videlicet, Legem, gratiam, & voluntatem. Certum enim eſt, ſolum Deum in prima iubere; ſecundam non abſque hominis conſenſu, animam ſanare; & tertiam cũ Dei virtute operante, ſimul cooperari. Doctrina eſt ipſius patris Auguſtini, qui de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 32., ait: Agit quippe Deus in nobis, Tom. 3. vt quod vult & velimus & agamus; nec ocioſa eſſe in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit; vt & nos cooperatores ſimus

Tom. 3. gratiæ Dei. De ſpiritu verò & litera, cap. 34., ſequitur in hunc modum: Propterea etiam uoluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero exiſtit arbitrio, quod cùm crearemur accepimus. Attendat & uideat, non ideo tantum iſtam uoluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quòd uiſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & ut credamus; ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat; ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate quid ei ueniat in mentem; ſed conſentire vel diſſentire, propriæ uoluntatis eſt. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat; neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel uocatio cui credat; profectò & ipſum uelle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos; conſentire autem uocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, Tom. 7. propriæ uoluntatis eſt. Demum de gratia Chriſti, libro primo, cap. 25., ita concludit: Non ſolùm Deus poſſe noſtrum donauit atque adiuuat, ſed etiam uelle & operari operatur in nobis. Non quia nos non uolumus, aut nos non agimus; ſed quia ſine ipſiùs adiutorio, nec uolumus aliquid boni, nec agimus. Ita Auguſtinus.

Diuum Apoſtolum Paulum inſecutus, qui ad Philippenſes cap. 2., ait: Itaque chariſsimi mei, ſicut ſemper obediſtis, non ut in præſentia mea tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum timore & tremore, veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in uobis & uelle, & perficere, pro bona uoluntate. Ex quo loco, cùm hortatur Apoſtolus Philippenſes, vt ipſi ſalutem ſuam operentur, colligitur liberum arbitrium. Quia uerò ait: Deus eſt qui operatur in uobis & uellè, & perficere; habetur, liberum arbitrium inualidum eſſe ad bonum, nec quicquam poſſe citra gratiam Dei. Vnde beatus Anſelmus ait: Quando iubet ut operentur, liberum eorum conuenit arbitrium. Sed ideo cum timore & tremore; ne ſibi tribuendo quòd benè operentur, de bonis tanquam ſuis extollantur operibus. Stat ergo quod Deus operetur in nobis uelle & perficere, & nos ſimus liberi arbitrij. Quoniam operatur in nobis, ſuggerendo & ſubminiſtrando quæ bona ſunt, vt ea cupiamus. Et hanc noſtram cupiditatem auget deinde, incenditque, vt feruentior fiat. Per internam igitur inſtinctionem mouet Deus uoluntatem noſtram ad benè uolendum, & benè operandum; noſtrumque eſt aſſentire diuinæ uocationi, & inſequi diuinum illum inſtinctum, vel ab eo diſſen-
Roma. 9. tire. Sed ad hanc bonam uoluntatem requiritur gratia Dei. Quare non eſt uolentis, ſcilicet uelle ſine auxilio Dei; nec currentis, ſcilicet
Apoca-lyp. cap. 3. currere; ſed miſerentis eſt Dei. Cuius gratia ſemper præſtò eſt cuilibet operanti bonum, & ad oſtium ſemper iſtat pulſando, vt ei aperiamus. Quocirca toto coelo, vt aiunt, totaque terra, in hoc etiam ſecundo argumẽto aberrauit Caluinus.

Ad. 3. Tertio quoque loco in hunc modũ argutabatur: Hieremiæ cap. 18. dicit

Domi-

Dominus: Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael. Homo igitur vt materia tantùm ſeſe habet, ratione diuinæ gratiæ.

Nos autem huiuſmodi conſecutionem inficiamur omnino. Quoniam illa ſimilitudo non tenet in omnibus; atqui tantùm in eo, ꝙ ſicut figulus, vas diſsipatum & infractum rurſus conficere poteſt; ita Dominus, peccatorem iuſtificare valet, ſi delictorum adſit poenitentia. Non autem tenet in hoc ſimilitudo, quòd ſicut lutum vt materia tantùm ſeſe habet reſpectu vaſis; ita peccator & homo ratione iuſtificationis, & conuerſionis ſuæ. Quoniã habet homo liberum uoluntatis arbitrium, quo poteſt aſſentire, & diſſentire, à diuina gratia; lutum autem minimè.

Et quòd ita ſit, facile eſt uidere, diligenter inſpecto contextu. Ait enim Propheta: Verbum quod factum eſt ad Hieremiam à Domino, dicens: Surge & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et deſcendi in domum figuli, & ecce, ipſe faciebat opus ſuper rotam. Et diſsipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis; conuerſusq́. fecit illud, vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius vt faceret. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Nunquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſrael? ait Dominus: Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic uos in manu mea, domus Iſrael. Hæc eſt ſimilitudo quam facit Dominus, inter vas è luto confectum, & domum Iſrael. Quòd nempe ſicuti figulus, vas iam diſsipatum in alterum mutare poteſt, illudq́ue iterum facere; ita ipſe Dominus, hominem perdere & ſanare poteſt. Perdere, inquam, ſi fecerit malum; ſanare uerò, ſi poenitentiam egerit; quod in homine, liberum notat arbitrium. Propterea ſequitur textus: Repente loquar aduerſum gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam; agam & ego poenitentiam ſuper malo quod cogitaui ut facerem ei. Et ſubitò loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam; poenitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum vt facerem ei. Hæc ibi.

Tom.4.

Quæ quidem ediſſerens beatus pater Hieronymus, ait: Si figulus; dicit Dominus ad Prophetam; hanc habet poteſtatem, vt ex eodem luto rurſum faciat quod fuerit diſsipatum; ego in vobis, qui quantum in uobis eſt periiſſe videmini, hoc facere non potero? Et vt liberum ſignificaret arbitrium, dicit ſe & mala annunciare genti, & regno illi, vel illi, & rurſum bona; nec tamen hoc euenire quod ipſe prædixerit, ſed econtrario fieri, vt & bona malis eueniant, ſi egerint poenitentiam; & bonis mala, ſi poſt repromiſsiones fuerint ad peccata conuerſi. Et hoc dicimus, non quòd ignoret Deus hoc uel illud, gentem aut regnum eſſe facturum; ſed quòd dimittat hominem voluntati ſuæ, vt vel præmia, vel poenas ſua voluntate, & ſuo merito recipiat. Nec ſtatim totum erit hominis quod euenit, ſed eius gratiæ, qui cuncta largitus eſt; ita enim libertas arbitrij reſeruanda eſt, vt

in omnibus excellat gratia largitoris;iuxta illud propheticum: Niſi Dominus ædificauerit domum; in uanum laborauerunt qui ædificant eam. Psal.126 Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem; fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Non enim uolentis,neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei. Hactenus beatus Hieronymus. Ex quo ſolutum relinquitur Caluini ratiocinium tertium.

Ad confirmationē. Cuius quidem confirmatio ex eo pendebat,quod habet Paulus Apoſtolus ad Ephe.2.; nimirum quòd Dei factura ſumus,creati in Chriſto IESV in operibus bonis,quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus. Si igitur ſumus creati; nihil habemus ad benè uolendum.

Adhuc uim facit Caluinus in illo verbo(creati); verùm ſatis refellimus ſupra ſuam illam chimæram de noua uoluntate creata. Dicimus tamen modò,Apoſtolum nolle ſic nouam voluntatem bonā creari,vt rem aliquā de nouo creatam docere uelit;at potius illud eſt ipſius intentum,vt potētia hominis debilitata, in qua liberum conſiſtit arbitrium, in aduentu gratiæ & charitatis,ſanetur,roboretur, ac præparetur; vt homo, gratia aſsiſtente,non ſolùm uelle poſsit, verùm etiam ut propter hanc gratiam uelit,& operetur. Vnde beatus Theodoretus ait,quòd Apoſtolus in illis verbis poſuit(creati) pro regeneratione. Vocauit nos,inquit,per ſuam bonitatem ineffabilē. Obediuimus;& cùm credidiſſemus,ſumus ſalutem conſecuti. Sed ante baptiſmum quidem actiuam à nobis uirtutem non exegit; poſt baptiſmum uerò,ei etiam iubet hærere,& eam tenere. Hoc enim dicit,in operibus bonis,vt in illis ambulemus.

Et diuus Anſelmus illa ediſſerens Apoſtoli uerba,dicit: Creati in Chriſto IESV in operibus bonis; non illa creatione,qua homines facti ſumus;ſed ea de qua ille dicebat,qui utique iam homo erat; Cor mundum *Psal. 50.* crea in me, Deus. Et Apoſtolus iſte,nouam creaturam alibi laudat. Facti *Gala. 6.* ergo ſumus & creati in operibus bonis, quia reſtitutione liberi arbitrij, data eſt nobis libertas benè operandi; ideſt,facti ſumus habiles ad benè operandum. Et hoc factum eſt in Chriſto IESV; ideſt, in gratia eius,nō in merito noſtro. Quæ opera bona,Deus prædeſtinando præparauit,præueniens arbitrium noſtrum. Omne nanque bonum,à gratia Dei ſumit originem. Et ita præparauit,vt in illis ambulemus;ideſt,promoueamur & proficiamus de bono ad melius. Et quia his modis nos ſaluauit,manifeſtum eſt,nos gratia eius eſſe ſaluatos. Hæc ille.

Tom. 5. Diuus quoque Ambroſius,illud uerbum(creati) pro regeneratione exponit,inquiens: Ideoq. non eſt gloriandum nobis in nobis ipſis, ſed in Deo,qui nos regenerauit natiuitate coeleſti per fidem Chriſti, ad hoc ut bonis operibus exercitati,quæ Deus nobis iam renatis decreuit promiſſa mereamur accipere.

Tom. 6. Beatus item Hieronymus ait: Creati utique,non quia ante non fuimus; ſed creati in operibus bonis. Quod Dauid quoque in pſalmo .50. deprecatur dicens: Cor mundum crea in me Deus. Et certè mundum cor *Act.13.* ante peccatum habuerat,quando de eo Dominus loquebatur: Inueni Dauid filium Ieſſe ſecundùm cor meum; ſed ut ibi creatio inſtaurationem

ſonat,

ſonat,ita & in nobis,& in Chriſto, per ſingula opera & profectus,creatura atque conditio accipi poteſt; vt quotidie in credentibus Chriſtus creatus,natus, & conditus ſit. Sic ille. Optimè igitur Apoſtolus; qui dicit,nos Dei facturam eſſe. Idem quoque Propheta,in pſalmo.118., cùm ait: Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmauerunt me. Optimè etiam Apoſtolus cùm ſubdit:Creati in Chriſto IESV in operibus bonis.Hoc eſt,regenerati, ſanati, roborati, reſtaurati, atque reſtituti per fidem & gratiam IESV Chiſti,vt habiles ſimus ad benè operandum. Quid modò ait Caluinus? Nil igitur ex ſe habet homo ad benè uolendum? O bellum argumentum. Audiat ſequentia diui Pauli verba, & totum oppoſitum uidebit colligendum. Cùm enim dixiſſet Apoſtolus: Creati in Chriſto IESV in operibus bonis; ſubdidit, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Quaſi dicat; ſic nobis ea præparauit, vt ea nosipſi nobis per liberum arbitrium impleremus. Dei enim adiutores ſumus; inquit ipſe,in priori ad Corinthios epiſtola, cap.3. Propter quod de ſemetipſo dicebat ibidem, cap.15.: Gratia eius in me uacua non fuit,ſed abundantius omnibus laboraui; non ego autem,ſed gratia Dei mecum.Vnde ne aliquis intelligeret, bona opera ſic eſſe nobis præparata à Deo, vt nihil ad illa per liberum arbitrium cooperaremur; ideo ſubdit; D.Thomas ait: vt in illis ambulemus. Eat igitur Caluinus,qui uoluntatẽ ad bonũ,quæ ex hoĩe ſit homini adimit;& perpetuò uiuant ſcholaſtici,qui uoluntatẽ ad bonũ,quæ ex homine ſit,cum ſanctis patribus homini attribuunt.Eapropter neque Auguſtinus dixit:Tu ſolus,Domine,fac in me quod iubes, & iube quod uis. Atqui uirtutem à Deo adiutore petit,vt ſimul cum eo operari poſsit;ſciẽs Deum adiutorem noſtrum eſſe,dum cooperamur. Id quod ipſe uoluit de gratia Chriſti,cap.25.,quemadmodum paulò ante notauimus. *Tom.7.*

Pro quarto loco ita arguebat Caluinus: Ego ſum uitis uera & uos palmites,IESVS inquit; Sicut palmes non poteſt facere à ſeipſo fructum,niſi manſerit in vite; ita neque nos,niſi in me manſeritis; quia ſine me nihil poteſtis facere.Sola igitur diuina gratia,omnia bona in nobis operatur. *Ad.4.*

Hui Caluine,quænam conſecutio eſt iſta? Sine Chriſti auxilio,& ſine eius gratia,nil meritorium agere, nec me ad gratiam præparare ualeo. Igitur Chriſtus omnia in me ſolus operatur? Valeret ergo etiam iſta:Sine Dei generali influxu,nec Sol lucere,nec ignis calefacere poteſt.Deus igitur ſolus omnia in eis operatur.Audi libro.7.de ciuitate Dei,cap.30., quem dicis tuum Auguſtinum,ita loquentem;Sic itaque adminiſtrat Deus omnia quæ creauit,vt etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat. Sicut igitur aliud eſt vitis,aliud palmes, aliud radix; ſic metaphorica locutio illa,pro radice Deum oſtendit,pro vitæ Chriſtum,pro palmite hominem; bellè commonſtrans,non poſſe hominem abſque gratia per Chriſtum facta,bonum aliquod operari; non autem negat, nos vnà cum Chriſtó optimè operari.Vnde ait Teophylactus:Sicut palmes manens in vite,fructum facit,eò quòd ab illa uiuendi operationem accipit; ita & vos ſi manſeritis in me per obſeruationem mandatorum, maiorem fructum afferetis. Qui autem non manet, aridus fit; hoc eſt,abijcit quod à radice *Tom.5.*

habuit,

habuit; ſi quod ſpirituale beneficium accipiebat, priuatur eo, & nudatur auxilio, & uita, quæ ab eo datur. Hæc ille. Si igitur nudatur auxilio & vita quæ à Chriſto datur; fit conſequens, vt nos vnà cum Chriſto operemur bonum, & non ſola gratia eius. Auxilium enim ab augendo dicitur, quod vires eius augeat, cui accedit. Quòd ſi gratia Dei ſola operatur in homine, quomodo Chriſtus ei auxiliatur ad benè operandum, & ut fructum afferat, vires eius ad operandum auget? Sed hæc ſufficiant pro diſſolutione rationum Caluini.

Ad primū aliorum. Reliquum eſt modò, vt inſequentium eum aliæ diſſoluantur. Arguebāt ſiquidem primo loco authoritate diui Apoſtoli, ad Corinthios prima, cap. 12., qui ait, Deum in omnibus omnia operari. Ad opus igitur nihil confert noſtra libertas.

Sapien. 8. Sed excæcauit illos malitia eorum, quoniam non animaduertunt, diui Apoſtoli Pauli ſermonem non eſſe abſolutum; vt dicat, Deum omnia operari ſimpliciter; ſed addit, in omnibus. Idq. vt innuat, alias ſecundas cauſas minimè ſuperfluas eſſe; quia in eis ita operatur Deus, tanq̃ prima omnium cauſa, vt eas proprios motus & operationes agere ſinat, dicebat ſupra beatiſsimus pater Auguſtinus. Obſeruent, inſuper, cæci iſti, q̃ Apoſtolus non dicit, Deum omnia operari in homine tantùm; ſed in omnibus. Stante igitur eorum hæretica doctrina, ſequitur neceſſariò, q̃ ſolus Deus omnia immediatè operetur. Quandoquidem ſi ex illa authoritate licet illis inferre, ſolū Deū operari iuſtitiam in homine; cur ex eadē nō licebit mihi arguere, ſolum Deū lucere in Sole, calefacere in igne, producere in terra, & ita in omnibus & ſingulis cauſis ſecundis? Quinimmo quòd ita locutus eſt Apoſtolus, ad remouendum illorum errorem, qui ſubtrahebant cauſis ſecundis proprias actiones, ex eo quòd Deus efficit omnia. Ab uno itaque Deo, qui efficit omnia in omnibus cauſis ſecundis, non tamen ſine ipſis, ſed tanq̃ proprium, & principaliſsimum omnium operationum principium, dicit Apoſtolus procedere diuerſitatem operationum, ſpectantium ad gratiam gratum facientem. Vnde uerum eſt, quòd Deus operatur omnia bona in nobis, non ſine nobis, ſed principaliter, & tanq̃ illud à quo omnia pendent. Idem etiam dicebat Eſaias, cap. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis. Dicunt quidem viri docti, q̃ ex hoc loco diſcimus non ſolùm opus & donum Dei eſſe iuſtificationē impij, ſed etiam bonum vſum gratiæ iuſtificantis eſſe donum Dei & opus. Sic autem operatur Deus opera noſtra in nobis, vt nihilominus nos ea operemur. Docent nos hoc apertiſsimè ſcripturarum & ſanctorum patrū loca, quæ ſupra citauimus. Deum igitur omnia in omnibus operari utique fatemur; ſed ſecundùm motum eorum in quibus operatur, ſuauiter omnia diſponens. *Sapien. 8.* Sic enim Deus, qui maximè liber eſt, agit, ita ut aliter aſinam Balaham, abſque rationis arbitrio loqui fecerit; aliter pueros, vſum rationis non habentes, moueat; aliter adultos, liberum arbitrium habentes. Operatur quidem in eis, voluntatem excitando & mouendo; ac liberum arbitrium cooperatur aſſentiendo, & bonum opus exequendo; ita ut opus ſit Dei & hominis in ſolidum, veluti aliàs declarauimus.

Aduerſus huiuſmodi reſponſum urget nihiloſecius Caluinus, contra Pighium,pagina mihi.227.&in Antidoto,ſeſsione.6.,inquiens: Quis in aduentu gratiæ dicere audebit, vt uoluntate quæ ex nobis ſit, velimus? Auguſtinus enim ait,idcirco hominem hoc vel illud bonum facere,quia Deus in ipſo facit;ideo uelle,quia Deus in ipſo vult;non autem quòd homo uoluntate quæ ex ipſo ſit,bonum æternum uelit. *Contra arguit Caluinus.*

Amplius; in ſua Inſtitutione,pagina mihi.53.,& in Antidoto, ſeſsione .6., ita loquitur: Quanquam certo modo ipſa uoluntas noſtra dicitur,à nobis tamen originem non habet;ſed ſpiritus illam operatur in nobis. Ad illum ſanè modum, ſecundùm quem, panem quotidianum noſtrum vocamus, dum ut detur oramus. .2.

Item De peccatorum meritis lib.2.,cap.18., Auguſtinus ait: Laborant homines, in noſtra uoluntate inuenire quid boni ſit noſtrum, quod non ſit ex Deo; & quomodo inueniri poſsit, ignoro. .3.

Et de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap.32., Tantam eſſe virtutem Dei Auguſtinus inquit,vt noſtra uelit eſſe merita,quæ ſunt ipſius dona; & pro ijs quæ largitus eſt,æterna præmia ſit donaturus.Quare ſi quis perſuadere conatus fuerit,Caluinus ait,voluntate quæ ex nobis ſit,gratia aſsiſtéte nos uelle;illud pernicioſum erit.Reſponſio autem allata cùm id apertiſsimè doceat,quod ſit falſa & pernicioſa,ſit neceſſariò conſequens. Et ita uerũ eſt ſimpliciter,Deum omnia in omnibus operari; vnde argumentum adhuc ſtat in ſuo robore. .4.

Cæterùm cum illis errans,quibus placuit,non ignem,ſed primam cauſam in igne calefacere;non aquam,ſed primam cauſam in aqua humectare; ex officina ſua addit uerbis Auguſtini Caluinus, voluntatem ex ipſo hominé non eſſe.Quoniam de correptione & gratia,cap.2.ait Auguſtinus: Intelligenda eſt enim gratia Dei per IESVM Chriſtum dominum noſtrum,qua ſola homines liberantur à malo,& ſine qua nullum prorſus, ſiue cogitando,ſiue uolendo,& amando,ſiue agendo,faciunt bonum. Non ſolùm ut monſtrante ipſa quid faciendum ſit ſciant, verùm etiam ut præſtante ipſa,faciant cum dilectione quod ſciunt.Hanc quippe inſpirationem bonæ uoluntatis,atque operis, poſcebat Apoſtolus eis,quibus dicebat: Oramus autem ad Deum,ne quid faciatis mali,non ut nos probati appareamus,ſed ut uos quod bonum eſt faciatis. Quis hoc audiat,& nõ euigilet,atque fateatur à Domino Deo nobis eſſe,vt declinemus à malo, & faciamus bonũ? Quandoquidé non ait Apoſtolus,monemus,docemus, hortamur,increpamus; ſed ait: oramus ad Deũ,ne quid faciatis mali,ſed quod bonũ eſt faciatis.Non ſe itaque fallant qui dicunt,Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur,vt declinemus à malo,& faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id uelle & operari,Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant ſi filij Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi,vt quod agendum eſt agant;& cùm egerint,illi à quo aguntur gratias agant; aguntur enim ut agant,non ut ipſi nihil agant;& ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant; vt quando id agunt ſicut agendum eſt; ideſt,cum dilectione & delectatione, iuſtitiæ ſuauitatem quam dedit Dominus, vt terra eius

Ad.1. *Tom.7.* *2.Cor.13*

daret

daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant. Hæc Auguſtinus, paucis interiectis. Vnde ueriſsimum eſt, à Deo nobis eſſe ut declinemus à malo, & faciamus bonum; à Deo nobis eſſe ut uelimus, & faciamus bonum; noſtra tamen uoluntate, ipſi bonum cooperamur. Et ita conſtantiſsimè negamus, Auguſtinum unquam ſomniaſſe, voluntatem illam, qua bonum uolumus, & operamur, non eſſe noſtram. Sed hæc optimè ex ijs quæ dicta ſunt, iam conſtare poſſunt.

Ad.2. Et quoniam res eſt inter nos de uoluntate non abſolutè, ſed quatenus bona accepta, idcirco de ea ut ſic loquendo, negamus ꝙ non habeat originem ab homine. Quandoquidem habet originem à Spiritusſancto mouente & excitante, ab homine uerò conſentiente. A Spiritusſancto operante, ab homine cooperante. Vnde beatus pater Auguſtinus, de verbis Apo-
Tom. 10. ſtoli, ſermo. 10. ait: Sanè quando te fecit Deus, quod tu faceres non habebas. Quando autem iam es, habes & tu ipſe quid facias, ad medicum curras, medicum implores, qui ubique eſt. Et ut implorares excitauit cor
Philip.2. tuum, & poſſe implorare donauit tibi. Deus eſt enim, inquit, qui operatur in uobis, & uelle & operari pro bona uoluntate, quia ut haberes bonam uoluntatem, illius uocatio præceſsit. Clama, Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Vt eſſes, vt ſentires, vt audires, vt conſentires, præuenit te miſericordia eius.

Negatur ſimiliter quòd huiuſmodi uoluntas non ſit noſtra, niſi eo modo quo dicimus in oratione dominica, panem noſtrum da nobis hodie: Venit quidem extrinſecus panis iſte; quem noſtrum ea dicimus ratione, quia miſericorditer ſe illum daturum promiſit dominus Deus; & ideo humiliter orando & petendo dicimus; Panem tua miſericordia promiſſum da, vt noſter hodie fiat. Item gratia diuina, quæ internas vires noſtras corroborat, extrinſecus uenit; atqui potentiam uoluntatis noſtræ roborando, efficit, vt quæ prius erat noſtra uoluntas; licèt debilis; ipſa aſsiſtente, benè uelit, atque operetur. Vnde non ualet: Noſtra uoluntas ſanatur, roboraturq́. à diuina gratia. Non igitur eſt noſtra.

Ad.3. Ad tertium patet reſponſio ex ijs quæ dicta fuere. Verū ſiquidem eſſe fatemur, in noſtra uoluntate nihil eſſe boni, niſi ex Deo proueniat primò; negamus tamen, ꝙ cùm homo illud recipit bonum, nihil cum Domino,
1.Cor.4. ſuapte uoluntate operetur. Quid enim habes quod non accepiſti? Apoſtolus ait. Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Hæc autem dicebāt Paulus & Auguſtinus, contra eos qui de ſe præſumebant nimis, & qui de ſuis meritis gloriabantur. Propterea de prædeſtinatione
Tom. 7. ſanctorum cap. 4., ait Auguſtinus: Nihil autem huic ſenſui tam contrariū eſt, quàm de ſuis meritis ſic quenq; gloriari, tanq; ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei. Sed in Epiſtola ad Hilarium contra Pelagianos & Manichæ-
Tom. 2. os, quæ eſt numero. 89., omnia apertè declarat, ſeipſumq́. in hunc modum
2.Cor.3. exponit: Lex enim ſine gratia facit abundare delictum, & litera ſine ſpiritu occidit. Iubet ideo, vt facere iuſſa conati, & in noſtra infirmitate ſub lege fatigati, adiutorium gratiæ poſcere nouerimus, & ſi quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuuat non ſimus ingrati. Neque enim

voluntatis

voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur; ſed ideo iuuatur, quia nō tollitur. Qui enim Deo dicit, adiutor meus eſto, confitetur ſe uelle implere quod iuſsit; ſed ab eo qui iuſsit adiutorium poſcere, vt poſsit. Hæc ille, paucis interpoſitis: Vnde illud redditur clarum quod diximus.

Verùm audi Caluine; Libro Geneſeos cap. primo, dicit ſcriptura: Fecitq́. Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti; & ſtellas. Quænam autem ſint iſta duo luminaria magna, nemini dubium, quin ſint Sol & Luna. Et hanc vnà cum ſtellis, recipere lumen à Sole, ſapientes aiunt. Ob id uidemus Lunam ſemper ex illa parte illuminari, ex qua reſpicit eam Sol. Vnde quandiu Luna eſt creſcens, cornua ſemper habet Orientem uerſus, quandoquidem Sol reſpicit eam uerſus occidentem; & idcirco uerſus occidentem illuminatur, & habet cornua uerſus Orientem. Cùm autem eſt in diminutione, fit contra. Quoniam tunc reſpicit eam Sol uerſus Orientem; & propterea uerſus Orientem illuminatur, & uerſus occidentem habet cornua. Erit igitur Sol fons luminis, à quo tanq̃ à fonte, deriuatur lumen ad alia.

His ita conſtitutis, arguto ergo in hunc modum: Luna recipit lumen à Sole; quo quidem lumine & motu, in iſtis agit inferioribus & ſublunaribus. Aut igitur illuminatio iſta erit Lunæ, aut Solis. Si detur ſecundum, non erunt igitur duo luminaria magna. Si autem admittatur primum, ecce quòd illuminatio eſt Lunæ, & recipit nihilominus lumen à Sole. Eſt igitur effectus Lunaris, & Solis & Lunæ in ſolidum. Illius, quia lumen infundit. Iſtius uerò, quia agit & operatur mediante lumine ſolari. Ita pari paſſu, Deus præuenit uoluntatem noſtram diuina gratia ſua, illamq́. roborat & ſanat; qua quidem roborata & ſanata, cooperatur ipſi diuinæ gratiæ. Et hanc ob cauſam, opus dicitur & eſt uerè noſtrum; quoniam liberè, gratiæ diuinæ aſſentimus. Ideo tamen Dei dicitur & Chriſti, quia eius largitate nobis donatur. Quando igitur diuus Apoſtolus Paulus prima ad Corin. 4., ait: Quid habes quod non recepiſti? Et diuus pater Auguſtinus inde concludit, quòd in noſtra uoluntate nihil boni reperitur niſi ex Deo; aduerſus illos uerba extendunt, qui de proprijs meritis glorian tur, perinde ac ſi ab eis, & ex eis prorſus & ſimpliciter eſſent, veluti erāt Pelagiani. Vnde ſequitur Apoſtolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Ob id non ſequitur, quin uoluntas noſtra ad opus illud meritorium con currat; quemadmodum patet in allato exemplo de Luna; licèt ipſa id non poſsit, ſine auxilio & lumine Solis.

Eapropter de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 3 2., cùm ait Auguſtinus, quòd tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, vt noſtra uelit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro ijs quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus; Ea eſt, quam diximus, ratio. Idcircò præter ea quæ prius dixit, ſubſequitur ſtatim dicens: Agit quippe in nobis ut quod vult & uelimus & agamus; nec ocioſa eſſe in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit; vt & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei. Et ſit hæc reſponſio ad quartum. *Ad 4. Tom. 5.*

Ex qua notent Proteſtantes, quòd ab opere noſtro meritorio, Deum

ipſum

ipſum benedictum non excludunt catholici noſtri theologi; (abſit) immò ſic Dei gratiam præferunt, vt palam prædicent, fruſtra hominem abſque Dei uirtute operari: Et cùm operatur, nihil adhuc agere, niſi idem Deus, hominis opus acceptet. Vnde beatus Thomas, 2. theologicarum ſenten., d. 28. q. 1., ar. 1., in hunc modum effatur: Actus meritorius habet efficaciam excedentem naturalem uirtutem, inquantum eſt efficax ad illud præmium conſequendum, quod facultatem naturæ excedit; & ideo quod opus ſit meritorium non poteſt liberum arbitrium ex ſeipſo, niſi ſubleuetur per habitum, qui etiam naturæ facultatem excedat; qui gratia dicitur. Et ideo ſecundùm fidem catholicam, in medio contrariarum hæreſum incedendum eſt; vt ſcilicet dicamus, hominem per liberum arbitrium, & bona & mala facere poſſe; non tamen in actum meritorium exire, ſine habitu gratiæ. Hæc ille.

Tom. 3. Et de concordia gratiæ & liberi arbitrij, ait diuus Anſelmus: Sicut ergo quamuis naturalis uſus non procreet prolem ſine patre, nec niſi per matrem; non tamen remouet ullus intellectus, aut patrem, aut matrem à generatione prolis; ita gratia & liberum arbitrium non diſcordant, ſed conueniunt ad iuſtificandum & ſaluandum hominem. Et paulò poſt: Sciendum, quia ſicut terra innumerabiles herbas & arbores, ſine quibus humana natura alitur, aut etiam quibus perimitur, ſine omni hominis cura profert; illa uerò quæ nobis ad uitam nutriendam maximè ſunt neceſſaria, non ſine magno labore, atque cultore, nec abſque ſeminibus; ita corda humana ſine doctrina, ſiue ſtudio, ſponte quaſi germinant cogitationes & voluntates, nihil utiles ſaluti, aut etiam noxias; illas verò ſine quibus ad ſalutem animæ non proficimus, nequaquam ſine generis ſui ſemine & laborioſa cultura concipiunt & germinant. Hactenus beatus pater Anſelmus. Cæterùm eò redeat unde digreſſa eſt oratio noſtra.

Ad. 2 principale. Secundo itaque loco arguebant ipſius Caluini aſſeclæ in hunc modū: Quando in oratione dominica dicimus: Fiat uoluntas tua ſicut in coelo & in terra; omnem uoluntatem à nobis excluſam eſſe, palàm facimus. Nullum proinde ſequitur in homine liberum arbitrium.

Quod quidem ratiocinium poſtea confirmant authoritate diui patris Auguſtini, de correptione & gratia, cap. 8.; addita diui Apoſtoli ſecunda authoritate 2. ad Corin., cap. 3.

Veruntamen potius ſequitur oppoſitum eius quod intendit ratiocinium ex illa euangelica authoritate. Diuus nanque Cyprianus ait: Dicimus uoluntas tua, non ut Deus faciat quod vult; ſed ut nos facere poſſimus quod Deus vult. Nam Deo quis obſiſtit, quò minus quod velit faciat? Ideo autem oramus vt fiat uoluntas Dei, quia ut ea fiat à nobis, opus eſt nobis gratia, & protectione Dei. Vnde beatus Anſelmus: Orat ergo iſte, inquit, quòd ſicut uoluntas Dei eſt in omnibus ciuibus coeli; ita faciat ſe, & alios terrenos tales; qui nullo modo uoluntati Dei reſiſtant. Quod in nullo perfectè completur, niſi in coeleſti vita; & tamen aliquo modo in hac uita completur in ſanctis; & ſi non per opera; quia nullus ſine macula uiuere poteſt. Et non loquitur oratio de uoluntate Dei

efficaci,

efficaci,de qua dicitur:Voluntati eius quis reſiſtet? At loquitur de voluntate miſericordiæ,inquit diuus pater Anſelmus, quæ non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert: qua omnes homines vult ſaluos fieri; quod tamen in libera uoluntate illorum poſitum eſt.Propterea huiuſmodi uoluntas,non ſemper concordat diuinæ prouidentiæ. Si enim uelit Deus per miſericordiam,de aliquo prauo quòd ſit ſaluus,& conferat ei gratiam ſuam;ille tamen per liberum arbitrium,gratiæ Dei contradicere,& ei non conſentire poteſt. Quare licèt in coelo voluntati Dei nemo reſiſtat; in terris nihilominus,ei quæ miſericordiæ dicitur,ſiue,vt alij dicunt,optatiua,ſiue ſigni,ſiue imperatiua, contradicunt multi. Quocirca oramus, vt ſit in nobis diuina virtus, gratia, & protectio, vt ipſius voluntati ſimus conformes. Hanc ergo gratiæ diuinæ neceſsitatem, hac profitemur petitione, deinde & abdicamus carnis, diaboli, ac mundi uoluntatem, vt ſit ſenſus: Da ut à nobis fiat, non quod caro concupiſcit,non quod diabolus ſuggerit,non quod mundus ſuadet; ſed quod tu uis à nobis fieri, cuius ſolius voluntas rectiſsima eſt, & ſanctiſsima. Nec ſimpliciter orare nos Dominus uoluit ut fieret uoluntas patris, doctiſsimus Ianſenius ait,ſed ſicut in coelo, & in terra; hoc eſt,vt ab omnibus fiat in terris,ſicut in coelo nemo eſt,qui diuinæ eius uoluntati reſiſtat; deinde,vt integrè fiat Dei uoluntas,ac non quædam præcepta,quædam non poſtremò,vt ex charitate alacriter & lubenter Dei uoluntas impleatur. Nec obſtat,quòd nunq̃ futurum ſit, vt ſic in terris fiat Dei uoluntas.Piorum ſiquidem eſt,etiam ea deſiderare,quæ non futura ſciunt,& tamen fieri debere ſciunt. Deinde huiuſmodi uoto precamur,vt ſi non omnis inobedientia ceſſet in mundo,patris tamen benignitate fiat,vt minor ſit inobedientia, & pauciores ſint qui eius uoluntati,per inobedientiam reſiſtant.Sic igitur intellecta petitio illa, vt eſt profectò intelligenda, magis dat,quàm tollat liberum voluntatis arbitrium.

Ita etiam dicimus de confirmatione,ex utraque authoritate deſumpta;nimirum Auguſtini primò,& Pauli ſecundò.Etenim ex illis verbis Auguſtini colligebat Caluinus in ſuo Antidoto,pagina mihi .184.,&.185., ſolam gratiam nos diſcernere.At re uera totum ſequitur oppoſitum.Quãdoquidem intentio Auguſtini eo loci,eſt defendere libertatem uoluntatis ſecundùm gratiam Dei,non contra eam.Idcirco primũ locũ,ait perpetuò tribuendũ fore gratiæ diuinæ,quia præparatur volũtas à Domino.Vnde voluntas humana non libertate conſequitur gratiam;ſed gratia potius voluntatẽ.Idcirco quando rogauit Chriſtus ne deficeret fides Petri,quid aliud,inquit,rogauit,niſi vt haberet in fide liberrimã,fortiſsimã,inuictiſsimam,perſeuerantiſsimam voluntatem? Quòd igitur à gratia,libertatem operandi meritoriam iuſtitiam habeamus;à natura uerò libertatem arbitrij,tanq̃ generale donum conſentiendi & diſſentiendi,nobis à Domino collatum,cum eodem patre Auguſtino,corde & ore profitemur. Et ita ſemper prior locus debetur gratiæ diuinæ.Sed quid tum? Non igitur poſt lapſum eſt homo liberi arbitrij? Conſequutio ineptiſsima quidẽ; idcirco

Tom. 10. neganda. Propterea quòd in ſermonibus de tempore, ſermone. 191. Auguſtinus ait: Liberum ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio; & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominē peccatum uitare non poſſe, q̃ illos qui cum Iouiniano aſſerunt, hominē non poſſe peccare. Vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos uerò dicimus, hominem ſemper & peccare & non peccare poſſe, vt nos liberi confiteamur eſſe arbitrij.

Minusq́. officit authoritas Apoſtoli Pauli; quoniam optimè dicit, ꝙ non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Vbi bellè uidemus, noſtram eſſe ſufficientiam, quæ tamē ex Deo eſt. Quod eſt adamuſsim declarare, nos eſſe, qui propria mente & voluntate, bonum meritorium, quaſi ex Deo gratiam infundente, cogitamus; ita ut uirtus ſolius Dei ſit, opus autem commune. Perpetuò nanque gratia præcedit; & ſi quæ iuſtificationes ſequuntur; vnde meritum; gratiæ illas attribuimus, quæ nos ſecum cooperari condonat. Vnde libro ſecun
Tom. 7. do contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 8., ait diuus pater Auguſtinus; Non quia, Paulus inquit Apoſtolus, idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quis enim poteſt bona cogitatione ad bonum cor præparare? Abſit ut ſic intelligant, niſi ſuperbi ſui arbitrij defenſores, & fidei catholicæ deſertores. Et in cap. 9., hunc in modum ſequitur: Auertat enim Deus hanc amentiam, vt in do
Psal 58. nis eius nos priores faciamus, poſteriorem ipſum; quoniam miſericordia
Psal. 20. eius præueniet me; & ipſe eſt cui fideliter, veraciterq́. cantatur: Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc eſt, amemus quod præcipit nobis; in qua ſi nos non præuenit Deus, non ſolùm nō perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis. Si enim ſine illo nihil poſſumus facere, profectò nec incipere, nec perficere; quia ut incipiamus., dictum eſt: Miſericordia eius præueniet me; vt perficiamus dictum eſt: Miſericordia eius ſubſequetur me. Demum in cap. 10. ita concludit: Quæ cùm ita ſint, nihil in ſcripturis ſanctis, homini à Domino uideo iuberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inueniatur uel dari ab eius bonitate, vel poſci propter adiutorium gratiæ demonſtrandum. Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, niſi hoc in illo agat indebita & gratuita miſericordia Dei. De qua ſuam cogi-
Psal. 76. tationem recolens quidam, ſicut legimus in pſalmis, Nunquid obliuiſcetur, inquit, miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Et dixi, nunc coepi, hæc mutatio dexteræ excelſi. Cùm ergo dixiſſet, nunc coepi; non ait, hæc mutatio arbitrij mei; ſed dexteræ excelſi. Sic itaque Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonæ mutationis ſuæ, vſque in finem conſummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia ſicut nemo poteſt bonum inchoare ſine Domino, ſic nemo perficere ſine Domino. Ita Auguſtinus. Ex quo optimè conſtat, quid & ipſe & Paulus Apoſtolus, in illis uoluerint ſuis authoritatibus. Propterea ad tertium accedamus argumentum.

Quod

Quod erat tale: Ad Galatas .2. inquit Apoſtolus: Viuo autem, iam non ego, viuit uerò in me Chriſtus. Cùm igitur operor, vel oro, dicam oportet: Operor non ego, operatur in me Chriſtus; oro, iam non ego, orat in me Chriſtus. Ad 5.

Cæterùm facilis ſolutio, ſi attendatur q; Apoſtolus virtutem Chriſti qua in illo viuit & operatur exprimere intendit, contra virtutem legis Moſis. Dixerat enim: Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam. Chriſto confixus ſum cruci. Quomodo per legem legi mortuus eſt? Hoc dicit Apoſtolus, Ambroſius inquit, quia per legem fidei, mortuus eſt legi Moſis. Moritur enim legi, qui liberatur ab ea; & uiuit Deo, cuius fit ſeruus emptus à Chriſto. Cuius cruci hic configitur, qui æmulus ueſtigiorũ eius, nulla mundi concupiſcentia capitur; vt Deo uiuens, mundo mortuus uideatur. Qui enim non agit quæ mundi ſunt, vel erroris, mortuus eſt mundo. Suauiſsima igitur, & conſolationis pleniſsima phraſi, pro ſuo more opponit Apoſtolus legem legi; ſicut & alibi in ſcripturis, peccatum peccato, mortem morti, captiuitatem captiuitati, altare altari, agnum agno, paſcha paſchati. Etenim Roma. 8., peccato damnauit peccatum. Ephe. 4., captiuam duxit captiuitatem. Ofee. 13., Mors ero mors tua. Sic hoc in loco dicit ſe per legem mortuum legi; quaſi dicat: Lex Moſis accuſat & damnat me; ſed habeo aliam legem, quæ eſt gratia & libertas. Hæc me mortuum reddit illi legi Moſaicæ, ita ut nihil ei debeam, nihilq́. vitæ ex ea aut accipiam, aut ſentiam. Sic mors occidit mortem. Hæc autem mors occidẽs mortem, eſt ipſa vita.

Et quia dixit ſe mortuum legi, & Chriſto concrucifixum; ideo ſequitur: Viuo autem iam non ego, viuit uerò in me Chriſtus. Quaſi dicat: Non dico hoc, quaſi non uiuam; immo uiuo, quia iſta morte & crucifixione, qua morior, viuificor. Hoc eſt, cùm per gratiam Chriſti liberor à lege, peccato, & morte, verè uiuo. Itaque illa crucifixio & mors, qua crucifigor & morior legi, peccato, & omnibus malis, eſt mihi reſurrectio & vita. Chriſtus enim crucifigit diabolum, occidit mortem, peccatũ damnat, & ligat legem. Cùm ergo per charitatem Chriſto adhæreo, mihi lex ſurda eſt, & ego illi; ligata, mortua, & crucifixa eſt, & ego illi. Ad hunc modum dicam de peccato, diabolo, & eius aſſeclis; quibus per gratiam Chriſti mortuus ſum. Et quia per fidem ſum à morte liberatus, ideo dixi, Chriſtũ in me viuere. Morte .n. digno dũ donat peccata, ipſe viuit in illo; eius præſidio ereptus eſt morti. Vnde nõ eſt in me iuſtitia quæ ex lege eſt, qua præuaricator effectus ſum; ſed iuſtitia quæ mihi ex Deo eſt, non ex me. Propterea dixi: Non iam ego; ideſt, non ex ſubſtantia & perſona mea, eſt mea vita, ſed ex Chriſto, qui in me per gratiam uiuit. Ad cuius præſentiam, lex & peccatum euaneſcunt.

Poſtq̃ igitur Chriſto confixus ſum cruci, viuo, & non viuo. Viuo enim non ſolùm vita naturæ, ſed gratiæ, non vita humana, ſed diuina, non vita carnali, mundana & conſueta, ſed ſpirituali, coeliformi, ac noua. Non uiuo ſecundùm meipſum, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationem, voluntatem, atque doctrinam. Chriſtus ergo uiuit in me, quia regnat in anima mea, & poſsidet me, necnon facit me in ſe uiuere. Viuere autem

eſt actum vitalem habere. Amor vero tranſponit & mutat amantem in amatum. Dum ergo homo in Chriſti amore ſuccenditur, creſcit & perficitur, moritur in ſemetipſo, quia non agit ſecundùm propriam voluntatem, ſecũdùm naturalem inclinationem, ſecũdùm priuatum amorem; ſed ſecundùm diuinæ charitatis inſtinctum, & Chriſti iuſsionem, atque conſilium.

Tom. 9. Vnde in Euangelium Ioannis tractatu. 22., Auguſtinus ait: Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit habere vitam in ſemetipſo. Sicut habet, ſic dedit habere. Vbi habet? In ſemetipſo. Paulus vbi habet? Non in ſemetipſo, ſed in Chriſto. Tu fidelis vbi habes? Non in temetipſo,

Gala. 2. ſed in Chriſto. Videamus ſi hoc dicit Apoſtolus; Viuo autem iam nõ ego; viuit uerò in me Chriſtus. Vita noſtra, tanq̃ noſtra, ideo de uoluntate propria noſtra, non erit niſi mala, peccatrix, iniqua; vita uerò bona, de Deo in nobis eſt, non à nobis. Hæc ille.

Quid modò habeat iſti Caluiniſtæ, contra liberum hominis arbitrium? Ex quo enim homo in Chriſti amore ſuccenditur, & moritur in ſemetipſo per conſequias, vt non agat ſecundùm propriam uoluntatem, at ſecundùm Chriſti iuſsionem; vnde ipſemet Chriſtus dicitur uiuere & regnare in anima ſua, vt ad unguem benè uelit, rectéq. operetur; licet inferre, hominem carere libero arbitrio? Minimè quidem. Cùm itaque ex illis verbis Apoſtoli infert hæreticus: Operor, iam non ego; ſed operatur in me Chriſtus. Similiter, Oro, iam non ego; ſed orat in me Chriſtus; vera eſt conſecutio ad hunc ſenſum: Operatur & orat in nobis Chriſtus; ideſt, Orantes efficit nos, & ſalubria operantes. Id quod docet Apoſtolus ad Roma. 8. cùm ait: Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Sic uetba iſta viri docti interpretantur, vt Spiritusſanctus nos faciat orare, ſicut oportet; ne dicamus Spiritum ſanctum, Patre inferiorem eſſe, qué orat. Dicitur enim Deus aliquid agete, non quia ipſe immediatè ſic agat, ſed quia facit nos ſic agere; prout legitur Exodi cap. 33.: Dominus dixit ad filios Iſrael, iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi: Geneſis quoque cap. 22., dixit Abrahæ: Nunc cognoui quia timeas Dominum; ideſt, ſcire & cognoſcere faciam. Ex his igitur optimè conſtat, virtutem qua prout oportet oramus, Dei eſſe; Orationem autem qua, eadem uirtute comite, ipſum Deum precamur, eſſe noſtram.

Roma 8. Quandoquidem Spiritusſanctus noſtram infirmitatem adiuuat, dum in no-

Philipp. 1 ſtris orationibus, ſuum Spiritum ſubminiſtrat.

Ad. 4. Ad quartum patet ex ijs quæ diximus in. 13. cap. huius libri. Quando enim Apoſtolus ait: Non quod uolo bonum illud operor; ſenſus eſt, Volo non habere concupiſcentiam, & tamen habeo; & nolo concupiſcere, ſed tamen ex carne concupiſco, non ex mente. Vnde concupiſcentia habitans in carne mea, illud operatur; non ego, quia mente non conſentio. Vide latiùs eo quem citauimus loco. Falſum eſt igitur, quòd homo à Deo motus, id actu conſummare non ualeat quod mente vult, aſsiſtente gratia diuina. Nequidem ex illa deducitur authoritate, cùm de concupiſcentia loquatur habituali, atque de fomite peccati; in cuius actus nec mouet Deus, nec ita poteſt liberum arbitrium, vt eos impediat; licèt poſsit

aſſentire,

aſſentire, & diſſentire; illud quidem per ſe, iſtud uerò diuina fauente clementia.

Negamus quinto loco, in eo cap.7. Ezechielis ſcripta eſſe illa verba, *Ad.5.* quæ in argumento citantur. Benè uerum eſt, ꝙ loquitur Propheta de hominibus impijs, ſceleſtis, obſtinatis, & peruerſis; quorum cogitationes ſi velimus peſſimas dicere, libenti animo concurram. At ob id non licet inferre, illos, reliquosq́. homines non eſſe liberi arbitrij; quinimmo potius oppoſitum. Quandoquidem beatus pater Auguſtinus libro .3. de libero *Tom.1.* arbitrio, cap.18., & primo Retractationum, cap.9., ait: Quis peccat in eo, *Tom.1.* quod uitari non poteſt? Peccatur autem; caueri ergo poteſt. Ita pari ratione: Homo malè cogitat. Poteſt igitur id agere, ne malè cogitet. Quòd ſi poteſt, habet igitur liberum uoluntatis arbitrium; ſecus non malè cogitaret; vt patet per Auguſtinum.

In ſexto quoque ratiocinio nihil eſt connexionis. Notent iuuenes no- *Ad.6.* ſtri huiuſmodi procedendi modum: Quòd natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Liberum igitur non habemus arbitrium. Siquidem inter antecedentem & conſequentem orationem, tantum eſt connexionis, quantum inter hæc duo: Plato dormit. Ergo aſinus currit. Nam Chriſti verba ſunt illa ad Nicodemum; quibus generationem carnalem & ſpiritualem ad inuicem confert, inquiens: Quod natum eſt ex carne, ideſt, à carnali parente, caro eſt; hoc eſt, res carnalis, non habens niſi eſſe carnale, ac naturale, virtute generationis carnalis; vnde talis non poteſt ſaluari. Et quod natum eſt ex ſpiritu, ideſt, ſpiritualiter regeneratum, ac poſitum in eſſe ſpirituali, vitaq́. gratiæ, ex aqua & Spirituſancto in baptiſmatis lauacro, ſpiritus eſt; ideſt, ſpirituale efficitur; ſcilicet homo inuiſibiliter intus renatus, & Deo coni- *1.Cori.6.* unctus, cum quo unus eſt ſpiritus. Ex quo patet, quòd iſta regeneratio non eſt impoſſibilis, ſed neceſſaria, & à carnali generatione diſtincta. Modò arguamus tali pacto: Regeneratio ſpiritualis quæ fit in babtiſmatis lauacro, eſt homini neceſſaria ad ſalutem; & eſt diſtincta à carnali & naturali generatione. Homo igitur non habet liberum arbitrium. O bellum ratiocinium. Sed dicamus ad aliud.

In quo rectiùs collegiſſet dicendo: Habet igitur homo liberum arbi- *Ad.7.* trium. Nam Apoſtoli intentio eo in loco, eſt oſtendere atque demonſtrare, ꝙ hi qui damnationem euadere cupiunt, non ſecundùm carnem, at ſecũdùm ſpiritum ambulare tenentur. Quod quidem probat tali pacto: Quicunque ſequuntur prudentiã carnis, ducuntur ad mortẽ. At qui ſunt ſecũdùm carnẽ, ſequuntur prudentiam carnis. Quicũque ergo ſunt ſecundùm carnẽ, ducuntur ad mortẽ. Adhuc; Quicunque ſequuntur prudentiam ſpiritus, vitam conſequuntur & pacẽ. Quicunque autem ſunt ſecundùm ſpiritum, ſequũtur prudentiam ſpiritus. Ergo quicunque ſunt ſecundùm ſpiritũ, ſequũtur vitam & pacẽ. Quòd verò illi qui ſequuntur prudentiam carnis, ducãtur ad mortẽ, probat Apoſtolus, ex eo quia ſapientia carnis inimica eſt Deo; quoniam legi Dei, nec eſt, nec poteſt eſſe ſubiecta. Inimica eſt Deo, .D. Anſelmus ait, dum nihil putat Dominum poſſe, præter quod in naturis

rerum videtur. Inimica eſt Deo, quia eius voluntati non obtemperat, ſed reſiſtit ſemper. Inimica eſt Deo, quia contra legem facit; nec eſt, nec eſſe poteſt legi Dei ſubiecta, quandiu eſt talis; quoniam tunc uitium eſt; quod cùm ineſt animæ, pro magnis bonis, temporalia bona ipſa concupiſcit. Quandiu enim appetitus talis ineſt animæ, legi Dei ſubiecta eſſe non poteſt; ideſt, non poteſt implere quæ lex iubet. Vnde non dixit Apoſtolus, homo, ſeu anima non poteſt; ſed prudentia carnis & vitium, non poteſt eſſe legi Dei ſubiectum. Quemadmodum ſi dicatur, Claudicatio rectæ deambulationi non eſt ſubiecta, neque enim poteſt. Pes poteſt, ſed claudicatio non poteſt. Tolle claudicationem, & rectam uidebis ambulationem. Sed quandiu claudicatio eſt, non poteſt. Ita etiam nix non calefacit, neque enim poteſt. Quandiu enim nix eſt, non calefacit. Sed reſolui poteſt, & feruere, vt calefaciat. Sed cùm hoc facit, iam nix non eſt. Sic igitur pari modo, quandiu appetitus carnalis ineſt animæ, non poteſt implere quæ ſunt diuinæ legis. Sed ſi ſpiritualia bona deſiderare cœperit, & temporalia contemnere, deſinet eſſe carnis prudentia, & ſpiritu non reſiſtet legi.

His modò ſtantibus, vim attendamus argumenti, quæ talis eſſe debet: Quandiu homo ſequitur prudentiam carnis, ducitur ad mortem; quia prudentia carnis mors eſt, cùm ſit Deo inimica, & eius uoluntati, necnon & legi ſemper reſiſtens; ex conſequenti non poteſt implere quæ ſunt diuinæ legis. Quandiu verò ſequitur prudentiam ſpiritus, vitam conſequitur & pacem. Non igitur homo habet liberum arbitrium. Ineptiſſima quidem illatio. At potius inferendum uenit: Homo igitur liberi eſt arbitrij. Quoniam ex eo quòd à prudentia carnis, ad prudentiam ſpiritus pertranſire poteſt, quòd liberum habeat arbitrium optimè ſequitur.

Ad 8. Ad octauam rationem iam patet, ex ijs quæ diximus ad ſecundam Caluini. Verum ſiquidem eſt, quòd Deus operatur in nobis uelle & perficere pro bona voluntate ſua. Quoniam interius per inſtinctum mouet voluntatem ab benè operandum, atque bonum velle in nobis, occulta inſpiratione operatur. Deindè nobis cooperando, boni operationem ad finem ducit. Vnde Theophylactus: Ex magna beneuolentia et gratitudine, Paulus uelle ipſum ex Deo perfici nobis ait, quemadmodum & de virtutibus idem ſentit, non ut ſuam cuiuſque arbitrij uim & libertatem auferat; ſed ſemper nos gratos eſſe uolēs, & omnia accēpta referre Deo. Non dicat igitur hæreticus, ergo meum nihil eſt; quoniam totum noſtrū eſt, Primaſius inquit, ſed gratiā Creatoris, quia bona uoluntas à Domino præparatur. Illatio igitur in argumento eſt omnino neganda. Cùm enim duæ cauſæ, aliquem effectum ſimul producunt, tametſi primæ atque principali cauſæ laus præcipua tribui ſoleat, non ex eo tamen ſequitur, ſecundam nihil omnino agere. Idquod in victoria militum, virtute ac fortitudine regis parta, facilè conſtat. Tota enim victoriæ laus, Regis, non militum, propria eſſe uidetur; cùm tamen non abſque militum opera ſit illa ſecuta. Ita Deus operatur in nobis velle & perficere, tanq̃ principaliſsima

1. Cor. 12
Ephe. 4.

-tiſsima omnium cauſa; non tamen ſine conſenſu & cooperatione noſtra. Propterea dixit Dominus ad Abraham, Gene. 22.: Quia feciſti hanc rē, & non pepērciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas coeli, & uelut arenam quæ eſt in litore maris. Et Matthæi. 26., ait Chriſtus de Magdalena; Bonum opus operata eſt in me.

Ad nonam rationem dicimus, quòd quando Chriſtus dixit: Nemo poteſt uenire ad me, niſi pater meus traxerit eum; ille tractus nullam dicit enim, nequidem neceſsitatem; at eſt tractus amoroſus, atque ſpontaneus, ex diuina charitate procedens. Deus enim mouet unumquodque ſecundùm propriam ſuam naturam. Idcirco rationalem creaturam conuertit & mouet ad Chriſtum intellectualiter, ſpontè, ac liberè. Vnde beatus pater Auguſtinus, tractatu. 26. in Euangelium Ioannis ait: Ramum uiridem oſtendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur, & quod currit trahitur, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis uinculo trahitur. Si ergo iſta quæ inter delitias & uoluptates terrenas reuelantur amantibus trahunt, quoniam uerum eſt, Trahit ſua quemque uoluptas; non trahit reuelatus Chriſtus à patre? Quid enim fortiùs deſiderat anima, q̄ veritatem? Hæc ille. Qui & ſupra dixerat: Porrò ſi poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemque uoluptas; non neceſsitas, ſed uoluptas; non obligatio, ſed delectatio; quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur ueritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna uita, quod totum Chriſtus eſt? Ita Auguſtinus. Qui tamen iſtis ſimilitudinibus non intendit plenè declarare quomodo pater trahat ad filium; at ita loquitur, vt noſcamus, huiuſmodi tractum nullam dicere uiolentiam, nec neceſsitatem, ſed ſimplicem amorem. Non enim trahit Deus pater tantùm oſtendendo & docendo quod omnes deſiderant, aut ſuadendo & perſuadendo, ſicut homo; ſed etiam efficaciter excitando mentem hominum ad credēdum in Chriſtum, & amandum eum. Eo enim diſtinguitur ab homine, qui ſermone & prædicatione trahit ad Chriſtum. Cùm igitur res ita ſe habeat, qui fieri poteſt, vt ex hoc attractu, homini adimamus libertatis arbitrium? Verùm potius ſequitur oppoſitum; veluti ex illis duobus verbis (venit) & (traxerit) optimè conſtat. Illud enim apertè oſtendit libertatem arbitrij in credendo, hoc uerò, ſignificat diuinam gratiam præcedentem omnem noſtram uoluntatem; & multò magis omne meritum. Vnde libro primo contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 19., Auguſtinus inquit: Trahitur miris modis ut uelit, ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari; non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut uolentes ex nolentibus fiant. Hæc ille. Tractus igitur iſte cùm ſit amoroſus, & non uiolentus, neque neceſsitatem, ſed potius delectationem includens, non tollit, quinimmo aſtruit liberum in homine uoluntatis arbitrium.

Ad. 9. *Tom. 9.* *Virgi. in .2. eglo.* *Tom. 7.*

Alia quoque authoritas deſumpta ex Euangelio Lucæ, cap. 14., doctrinam deſtruit Caluini; quoniam multis in locis ſuorum operum, à vo-

luntate

luntate humana tollit omnem coactionem, ſolam ei neceſsitatem imponens; veluti in ſuperioribus uidimus ſatis. Modò autem eius diſcipuli volunt ut compellatur ſimpliciter. Verùm quia ſuperq́ueſatis oſtendimus voluntatem noſtram haudquaq̃ cogi poſſe; ſat erit modò ſi dicamus, quòd coactio eo loci accipitur impropriè, pro uehementi quadam perſuadendi ratione; quæ precibus, exhortationibus, ſupplicibus verbis, & comminationibus damnationis æternæ fieri conſueuit. Vnde cùm dicit Dominus: Et compelle intrare, vt impleatur domus mea; ſenſus eſt, quaſi importunè, & per comminationes damnationis æternæ inſtiga illos, vt conuertantur. Ita Apoſtolus. 2. ad Timo., 4., ait: Prædica verbum, inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa, in omni patientia. Et Hieremiæ. 23., dicit Dominus: Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram? Illa igitur verba Domini Seruatoris non niſi de coactione impropriè accepta, veniunt exponenda; ſecus libera hominis voluntas poſſet cogi, & Deus coacta uellet obſequia; quorum utrunque eſt abſurdiſsimum.

Ad. 10. Decimo quoque loco cùm ait Propheta: Cor mundũ crea in me Deus; & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis; non quaſi nouum aliquid in *Tom. 10.* ſtitue, dicere uoluit, Auguſtinus inquit, ſed quia poenitens orabat, qui com miſerat aliquid, quod prius q̃ cõmitteret innocentior erat, oſtendit quem admodum dixerit, crea, Et ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis. Perfectum inquit, in me ſpiritum fac eſſe. Inueterata erat, atque curuata *Pſal. 56.* rectitudo ſpiritus mei. Dicit enim ex alio pſalmo: Curuauerunt animam meam. Et quando ſe homo pronum facit ad terrenas concupiſcentias, incuruatur cor quodammodo; cùm autem erigitur in ſuperna, rectum fit cor eius, vt bonus illi ſit Deus. Hæc ille. Ex quo patet, ſcripturam pro creatione, renouationem uſurpare; vt ſit ſenſus: In malitia inueteratum renoua cor meum; non autem ut ex non exiſtente, cor exiſtens faciat. Vnde in Epiſtola ad Ephe. 2., inquit Apoſtolus: Ipſius enim (ſcilicet Dei) ſumus factura creati in Chriſto IESV in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

Tom 3. Quæ quidem verba, in ſuo Enchiridion, cap. 31., ponderans Auguſtinus, ait: Tunc ergo efficimur uerè liberi, cùm Deus nos fingit, ideſt, format & creat; non ut homines, quod iam fecit, ſed ut boni homines ſimus; quod nunc gratia ſua facit; vt ſimus in Chriſto IESV noua creatura, ſecundùm quod dictum eſt: Cor mundum crea in me Deus. Neque enim cor eius quantum pertinet ad naturam cordis humani, quod iam creauerat Deus, ſed renouationem animæ demorantis in corde, Propheta poſtulat. Hactenus Auguſtinus. Vnde noſtrum habemus intentum, & unum aliud noto iuuenibus noſtris; vt ſcilicet cùm audiunt ſcripturam, cordis vocem proponere, idcirco id factũ eſſe intelligant, quia cor eſt animæ ſedes; id pro anima petens, quod tribuitur cordi. Quo notato, videant an huiuſmodi ualeat illatio: Sua pijſsima miſericordia, & benigniſsima gratia, cor hominis & animam renouat Deus benedictus. Homo igitur liberum non habet arbitrium. Re uera ab omni Dialectica abhorret.

Sed

Sed cur dicitur creatio renouatio iſta? Reſpondet .D.Thomas,in Epiſtola Pauli ad Ephe.cap.2., lectio.3., quia fit in nobis non ex operibus præcedentibus. Eſt enim,inquit, creare,aliquid ex nihilo facere. Vnde quando aliquis iuſtificatur ſine meritis præcedentibus,dici poteſt creatus,quaſi ex nihilò factus. Sed eodem quoque eſt peccato polluta, quæ ex alia deducitur authoritate,conſecutio. Si enim ex hoc quòd Deus ab homine rogatur ut ipſum conuertat, nihil in ſua conuerſione hominem operari colligere uelimus;ita pari ratione,cùm homo rogatur à Deo dicente: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos; in ipſius hominis conuerſione,Deum nihil omnino agere,concludamus oportet. Hoc autem abſurdiſsimum eſt. Quare dicamus,quòd in utraque rogatione,vtriuſque concurrit operatio. Ita ut,quemadmodum ex hoc quòd Deus ab homine rogatur ut ipſum conuertat , Deum in peccatoris conuerſione aliquid facere concludimus; ita etiam ex eo quòd homo rogatur à Deo, vt ad illum ſe conuertat,hominem in ſua conuerſione ad Deum,aliquid facere concludere neceſſe eſt. Vnde eſt animaduertendum , quòd ſi ex hoc quòd homo dicit ad Deum: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter; liberum arbitrium ipſi homini adimere uelimus;ita pari modo,ex hoc ꝙ Deus dicit ad homines: Conuertimini ad me,& ego conuertar ad uos; idem liberum arbitrium eidem homini concedamus oportet;& ita ſequitur non modica repugnantia in dictis Spiritusſancti; quod eſt blaſphemum. Quod quidem ne ſequatur,cum ſacroſancta Tridentina Synodo cõcludamus,quòd in ſacris literis,cùm dicitur: Conuertimini ad me,& ego conuertar ad uos; libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus: Conuerte nos Domine ad te,& conuertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur. Hæc ſunt quæ ad Caluinum, eiusq́. diſcipulos mihi dicenda occurrunt. Supereſt modò erratum Melanchonis è medio tollere; verùm quia præfert neſcio quid difficultatis,ob id in capite ſequenti relinquimus diſcutiendum.

Quoddam Philippi Melancthonis dictum agitatur. Cap. 28.

QVIA Martinus Lutherus in omnibus & per omnia,liberum tollebat uoluntatis arbitrium,eius diſcipulus Philippus Melancthon, in viſitatione ſaxonica, cùm uellet eſſe corrector, & moderator doctrinæ præceptoris ſui, ita ſcripſit: Voluntas humana uis eſt libera,vt facere poſsit iuſtitiam carnis, ſeu iuſtitiam ciuilem, vbi lege & ui cogitur;vt non furari,non occidere. Quia Paulus docet,eſſe quandam iuſtitiæ partem, quam caro coacta, ſuis viribus faciat; Roma.cap.2., Gentes natura faciunt quæ legis ſunt. Quid autem faciunt,niſi ciuilem iuſtitiam? Exigit autem Deus iuſtitiam hanc,prima ad Timotheum,cap.primo, Lex eſt iniuſtis poſita.

Hæc doctrina coincidit cum illa Caluini,qua aſtruit,hominem liberi eſſe arbitrij in naturalibus atque moralibus,in alijs autem minimè.

Iſta

Iſta igitur reiecta,reijcitur & illa. Attamen quia Melanchon fundamẽtũ deſumit ex diuo Paulo,idcirco operæprecium me facturum ſum arbitratus,ſi ſenſum & mentem Apoſtoli eo in loco,in gratiam gratiſsimæ iuuentutis noſtræ aperirem.Quod ut facilius præſtare ualeam,quiſnam ſit Apoſtoli ſcopus,in illo .2. cap. Epiſtolæ ad Roma.,attendamus oportet. Eſt igitur ſcopus illius ſecundi capitis,idem cum ſcopo totius epiſtolæ; nimirum ad concordiam & mutuam unitatem fideles reducere,qui Romæ degebant. Sed in eo capite,ſolam ſecundam rationem Gentilium aduerſus Iudæos,& primam Iudæorum aduerſus Gentiles, tollere & excludere intendit.Siquidem inter illos qui ex Iudæis erant ad Chriſtum conuerſi, & eos qui erant ex Romanis,Græcis,& cæteris gentibus,orta erat diſſenſio non modica,atque contentio;& ſe mutuò præferebant propter rationes multas,atque diuerſas.Quandoquidem Romani,Græci,cæteriq́.Gentiles,tribus rationibus præcipuis, Iudæis ſe præferebant. Primò ratione naturalis prudentiæ & ſapientiæ.Secundò ratione poteſtatis.Tertiò ratione diuinæ electionis. Dicebant enim Iudæis,quòd inter eos non fuerat philoſophia, nec leges humanæ; aut tanta ſapientia,ſeu ratio naturalis, quanta fuerit apud Romanos & Græcos. Ex imperio poſtea & ſeculari poteſtate,quam dederat Deus Romanis,& Gentilibus,non autem Iudæis, ſecundo loco ſe præferebant. Tertiò dicebant,quòd Deus ipſe glorioſus Iudæos reiecerat,ac reprobauerat,Gentiles uerò elegerat;quia ex Iudæis paucisſimi,ex Gentilibus uerò multitudo maxima conuertebatur ad Chriſtum.

E diuerſo autem Iudæi,Gentilibus ſe præferebant,tribus itidem rationibus in eos animaduertendo. Primo ex lege. Secundo ex circuncisione & alijs.Tertiò ex vita & moribus. Iudæi nanque legem habuerant diuinã, præcepta,mandataq́. diuina continentem; Gentiles autem non. Quare illi præferendi uidebantur iſtis. Item hoc oſtendebant ex ſignaculo circuncisionis, cærimonijs,ſacrificiejs, & cæteris contentis in lege Moſaica. Tertiò ſe præferebant Iudæi in uita & moribus, Gentiles propter idololatriam, peccatores appellantes, in eosq́. alias quamplurimas culpas conferentes.

Conatur igitur Apoſtolus in illa Epiſtola ad Romanos,huiuſmodi hîc inde tollere apparentes rationes; oſtendendo quòd nullius ſunt roboris & momenti, cùm nulla illarum faciat ad ſalutem, nec ſufficiens ſit ratio gloriandi, minusq́. vt alter alteri ſe præferat; at ſola fides Chriſti ea eſt quæ illos iuſtificat,& lex gratiæ; in qua omnes erant æquales,& unum & idem in charitate: propter quod ſe mutuò præferre minimè debebant. In hunc itaque ſcopum,ſuam dirigit Apoſtolus diſputationem; & primò diſputatiuè,ſecundò exhortatiuè & moraliter procedit. Prima pars,quæ eſt diſputatiua,protrahitur uſque ad undecimum caput incluſiuè. Secunda uero,quæ eſt hortatiua atque moralis, incipit à capite duodecimo,& perdurat uſque ad caput quintumdecimum incluſiuè,non per totum, ſed uſque ad locum ubi ſcribitur: Certus ſum autem,fratres mei,& ego ipſe de uobis.&c. Vbi incipit tertia illius epiſtolæ pars principalis; in qua

ſeipſum

ſeipſum excuſat Apoſtolus de hoc, quòd fideles exiſtentes Romæ, ſic fidenter & audacter auſus fuerit corrigere, & monere; cùm tamen nondum fuiſſet Romæ, nec eos uidiſſet; immo fuiſſent per alios ad Chriſtum conuerſi. &c. In capite autem ſextodecimo per totum, ponit aliquarum perſonarum commendationes & ſalutationes; quibus omnia concludit; & eſt quarta pars principalis eiuſdem epiſtolæ.

In prima igitur parte, de rebus arduis ſubtiliſsimè diſputat Apoſtolus; ex quibus, rationes elidit tam Gentilium, q̃ Iudæorum; id ſemper concludendo, quòd unde mutuò ſe præferant, minimè habent; atqui magis ſuum eſt in ſumma uiuere pace, & maxima unitate uerſari. Vnde benigniſsima ſalutatione præmiſſa, hunc in modum rem ipſam aggreditur: Non enim erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem; ſicut ſcriptum eſt. Iuſtus autem ex fide uiuit. Quaſi dicat: Tametſi mundus aſpernatur euangelium tanq̃ rem inanem & ſtultam, non tamen me pudet illius, & Euangelicæ prædicationis. Quoniam Euangelium ex diuina potentia, in credentium animis ſecretiùs operante, efficax eſt ad præſtandum ſalutem, iuſtitiam, & vitam æternam cuiuis credenti. Non Iudæo tantùm, ſed Iudæo ſimul & Græco, ſiue Gentili; potiſsimùm tamen Iudæo; vtpotè cui peculiariter promiſſum erat Euangelium. Iuſtitia enim Dei, non qua Deus ipſe iuſtus eſt, ſed illa qua ex impio quis fit iuſtus; quam ex lege ſibi falsò pollicebantur Iudæi, & viribus liberi arbitrij philoſophi; illa, inquam, iuſtitia ad quam ipſi non peruenerunt, quam Deus gratis donat credenti, queúe apud Deum ualet, & ualebit in extremo iudicio, illa reuelatur & patefit in Euangelio, vel per Euangelium. Quoniam quæ prius erat in lege tecta & prophetis, retegitur & palàm prædicatur, doceturq́. in Euangelio contingere ex fide in fidem; ideſt, ex fide cuiuſuis ætatis, & omnibus generationibus. Reuelatur enim ex fide patrum, in fidem filiorum; ex fide prophetarum, in fidem Euangeliſtarum; ex fide veteris legis, in fidem nouæ legis. Id quod teſtatur Abachuc propheta, cap. 2., inquiens: Iuſtùs autem ex fide uiuit. Ex ſola igitur fide & Euangelio prouenit ſalus, & iuſtitia noſtra; non autem ex naturali ratione, aut philoſophica ſapientia; immo potius ex illa malè acta, deſcendit ſuper Sapientes, Dei iracundia. Idq́ue probat Apoſtolus, oſtendendo primò quanta fuerit ipſius Dei bonitas inter Gentiles; deinde quanta fuit in eis culpa. Propter quam deſcendit ſuper eos diuina iracundia. Et huiuſmodi poena fuit proportionalis, & condigna. Primum oſtendit cùm ait: Deus enim manifeſtauit illis. Secundum quando dicit: Quia cùm cognouiſſent Deum. Tertium cùm ſequitur: Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. Quartum cùm ſubdit: Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Et ita primum caput concludendo, primam etiam Gentilium rationem relinquit excluſam. Non enim poſſunt gloriari de ſapiẽtia humana; immo magis confundi; quia uenerunt contra eam, per deordinatiſsimam, & turpiſsimam eorum vitam; veluti diligentiſsimè diſcurrit

Apoſto-

Apoſtolus, omnia eorum vitia enumerando.

Secundam autem eorundem Gentilium rationem excludit in cap.2.; in quo agit de iudicandi poteſtate, necnon de iudiciali, ac imperiali excellentia; oſtendendo quòd nec propter iſtam poterant ſe Gentiles præferre; immo potius timere, & erubeſcere. Idq́. facit à principio capitis ſecundi, vſque ad locum vbi ſcribitur: Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Ibi enim oſtendit, quòd alios iudicantes, ſeu alijs imperantes, non habent vnde glorientur, at potius unde timeant; quoniam & ipſi iuſtiſſimum Dei non effugient iudicium, cùm ſimilia, immo deteriora agant. Deinde uerò oſtendit, quòd ob id non debent non timere, quia in præſenti proſperantur, nec vident diuinam vindictam. Hæc eſt cauſa ex diuina longanimitate, & patientia. Et ideo ſubdit: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Deinde verò oſtendit, quòd diuinam non euadent, & finalem vindictam, cùm ſubdit: Secundùm autem duritiam tuam, & impoenitens cor, &c. Vnde ratio ſecunda, qua gloriabantur Gentiles, Romani, & Græci ſuper Iudæos, relinquitur excluſa.

Tertiam autem Gentilium rationem differt Apoſtolus vſque ad octauum caput eiuſdem epiſtolæ; ibi enim agere incipit de electione Deo grata, & de æterna prædeſtinatione; idq́. ab illa clauſula: Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Et ita oſtendit quòd prædeſtinatio diuina eſt gratuita, & non ex meritis. Et ideo non poſſunt gloriari Gentiles quòd ſint electi, & Iudæi reprobati.

Quorum primam rationem aduerſus Gentiles excludit Apoſtolus in 2.cap., ab illo loco; Non eſt.n. acceptio perſonarũ apud Deũ, vſque in finem. Ibi enim agit de lege ſcripta, quantum ad decalogum, in duplici tabula contentum; & dicit, quòd legem in tabulis deſcriptam habuiſſe, illamq́. non obſeruaſſe, quemadmodum Iudæi non obſeruarunt, nulla gloria fuit. Immo contra; non habuiſſe eam in tabulis, ſed in corde, & in operibus demonſtraſſe; ſicuti ex Gentilibus fecerunt multi, vtpotè Melchiſedec, Iob, Niniuitæ, Cornelius & alij; maior gloria fuit. Vnde quando Apoſtolus ait: Cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt; hæc ad gentes à fide alienas non ſunt referenda, vocula illa (naturaliter) non obſtante; quoniam in primo cap. cùm oſtenderit Apoſtolus, Gentiles uerè peccaſſe, & naturæ legem uiolaſſe, ne ſecum pugnare uideatur, fit conſequens, vt de Gentilibus ad Chriſti fidem conuerſis intelligantur, illosq́. includant, qui fuerunt Dei cultores, non idolorum ſeruitores, & naturæ legi morem gerentes, & citra legem piè uiuentes; veluti fuerunt illi, quos enumerauimus. Et cùm in eodem 2. capite dicat Apoſtolus, præputium, ideſt, Gentilem incircunciſum apprehendere fructum circunciſionis, ſi modò legis præcepta faciat; de circunciſione autem teſtetur prodeſſe ipſam ad uitam, ſi lex obſeruetur, prorſus illa accipienda uidentur de Gentibus conuerſis, veriq́. Dei cultoribus. Alioquin enim quomodo uerum erit quòd præputium, iuſtitias legis per naturæ vires præſtans, fructum circunciſionis percipiat? Ideſt, ſalutem &

vitam

vitam aſſequatur? Adhuc, cùm de circuncisione cordis, quam in fine capitis præ Iudæis, Gentibus tribuit, dicat Apoſtolus illam Deo probari; Deo autem non probetur, nec commendetur circuncisio cordis, quæ ex fide non procedit; omnino non niſi de Gentibus conuerſis, & ueri Dei cultoribus, locus ille intelligi poſſe uidetur.

Sed beatum audiamus Auguſtinum, qui de ſpiritu & litera, cap. 26., in hunc modum effatur: Videndum eſt autem quomodo dicat Apoſtolus, Cùm enim gentes quæ legẽ non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis; ne uideatur non eſſe certa diſtantia noui teſtamenti, quòd leges ſuas Dominus in cordibus populi ſui ſe ſcripturum eſſe promiſit, quandoquidem hoc gentes naturaliter habeant. Pertractanda igitur hæc queſtio, quæ non mediocris orta eſt. Soluit autem quæſtionem dicens, quòd eiuſmodi uerba, de gentilibus ad Chriſti fidem conuerſis, ueniunt intelligenda; ueluti eius uerba conſideranti nullo penitus negotio conſtare poterit. Quibuſdam enim interiectis, eo loci hæc habentur uerba formalia: In primo capite Euangelium commendans Apoſtolus, ait: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Et in ſecundo capite dicit: Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Deinde quando inquit: Cùm gentes enim quæ legem Dei non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, & cætera quæ iam ſupra commemoraui; non uidetur aliòs híc ſignificaſſe ſub nomine gentium, quàm eos quos nomine Græci ſupra ſignificabat, cùm diceret, Iudæo primùm & Græco. Porrò ſi Euangelium uirtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco; & gloria, honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco; Iſte autem Græcus nomine gentium ſignificatus eſt, naturaliter quæ legis ſunt facientium, & quæ ſcriptum habent opus legis in cordibus ſuis; profectò ad Euangelium pertinent gentes, quibus lex in cordibus ſcripta eſt. Eis quippe credentibus, virtus Dei eſt in ſalutem. Quibus autem gentibus benè operantibus, gloriam & honorem, pacemq́. promitteret, extra Euangelij gratiam conſtitutis? Sic ille. Vnde hanc habemus concluſionem, quòd Apoſtolus eo in loco quem in manibus habemus, loquitur de Gentilibus ad Chriſti fidem conuerſis. *Tom. 3.*

Qua quidem ſtante, ad ſecundam procedamus Iudæorum rationẽ, qua ſe præferebant Iudæi fideles, Gentilibus fidelibus. Hanc enim excludit à principio vſque in finem tertij capitis. Ibi enim agit de circuncisione & cæteris cærimonijs, in lege Moſaica deſcriptis & contentis. Oſtendit.n. ꝙ lex & circuncisio fuit data Iudęis ad eorũ vtilitatẽ; non tamen ex hoc Gentiles pręcellebant, pro eo ꝙ adhuc remanebant ſub peccato, magno atteſtante Propheta, qui ait: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Deinde concludit, quòd nunq̃ per legem, ſiue per legales obſeruantias, fuit iuſtitia Dei, nec per opera legalia; ſed ſemper per fidem mediatoris; quam ſi habuerunt Gentes, fuerunt ęquè ſalui, ſicut & Iudęi. Et allegat quòd non *Pſal. 13.*

tantùm fuit Deus Iudæorum, atqui etiam Gentium. Et ita ratio illa ſecunda relinquitur excluſa. In ſequentibus agit Apoſtolus de fide IESV Chriſti & ipſius efficacia, de iuſtificatione; de modo & forma iuſtificationis, vſque ad ſeptimum caput incluſiuè, vſque ad illum locum vbi ſcriptum eſt: Quid igitur dicemus? Et ibi poſtea tractat Apoſtolus de lege peccati, legi Dei omnino contraria; & hæc lex eſt ſtimulus, ac rebellio, ſiue lex membrorum; & carnalis concupiſcentia; cui nec Iudæi, nec Gentiles, nec aliquis, ſine gratia Chriſti reſiſtere ualet. Et in hoc, tertiam Iudæorum rationem excludit contra Gentiles; qui ratione vitæ, eos contemnebant, peccatores exiſtimantes. Oſtendit enim quòd homo dum in hac vita mortali uiuit, eſt uenundatus ſub peccato; ſiue Iudæus, ſiue Gentilis; & exiſtit ſub lege mortis; & carnis tyranno; cuius pondere trahitur ad peccatum, niſi per Chriſti gratiam adiuuetur; & per conſequens non habet ſe Iudæus præferre Gentili, nec contra recurrit oratio. Quibus omnibus & alijs, infert ſemper Apoſtolus, quòd Iudæi & Græci ad fidem Chriſti conuerſi, debent habere pacem, & unitatem adinuicem; qui erat ſcopus principaliter intentus.

Quo quidem expoſito, proximum eſt ut dicta ponderemus ipſius Melancthonis. Quod quidem ut clarius euadat, nouerint iuniores, duplicem in propoſito reperiri iuſtitiam; alteram operis, fidei alteram; ſiue carnis unam, ſpiritus aliam; vel unam ciuilem, aliam Chriſtianam; hæc enim idem ſonant. Iuſtitia operis, ſiue operum, eſt operis rectitudo; ſanè quod fit propter honeſtum, quandò, & ubi oportet. Idq; ſi naturaliter ſolò generali Dei auxilio fiat; non quidem eſt ſimpliciter uirtus, ſed tamen opus moraliter bonum; eo quòd ciuilem, humanamq. induat honeſtatem. Dicitur autem iuſtitia operum, tum quòd eſt ſecundùm naturam rationalis operis, tum quòd ſua natura tantùm opus iuſtificet; vt officium fortitudinis, aut temperantiæ; non autem gratam Deo exhibeat perſonã. Iuſtitia uerò fidei, eſt rectitudo quæ eſt à fide; hoc eſt, reconciliatio hominis cum Deo per fidem; ex qua deinceps promanantia opera, in Deum, vt in finem ſupernaturalem relata, placita ei ſunt, eademq. accepta ad vitam æternam. Vnde prima iuſtitia conſiſtit in operando, ſecunda uerò in credendo. Ideo prima habet laudem apud homines, ſecunda apud Deum.

Cùm itaque ait Melancthon: Voluntas humana uis eſt libera, vt facere poſsit iuſtitiam carnis, ſeu iuſtitiam ciuilem, vbi lege & ui cogitur; vt non furari, non occidere; hanc propoſitionem admittimus. At cùm rationem ſubiungit, quia in epiſtolà ad Romanos cap. 2. docet Paulus, eſſe quandam iuſtitiæ partem, quam caro coacta, ſuis viribus faciat, quia Gentes naturà faciunt quæ legis ſunt; hoc totum inficiamur omnino. Item cùm ſubdit: Quid autem faciunt, niſi ciuilem iuſtitiam? Hoc iterum negamus omnino. Faciunt enim iuſtitiam fidei, ſiue iuſtitiam ſpiritus; velut ex dictis optimè conſtat. Item cùm ait: Exigit autem Deus iuſtitiam hanc; hoc prorſus imus inficias. Exigit enim Deus in lege

ſua iuſtitiam fidei & ſpiritus; quia finis præcepti, ideſt, legis Moſaicæ, eſt charitas; Apoſtolus ait, .1. ad Timo. 1. Sed cùm probat Melanchthon, quia lex eſt iniuſtis poſita; negamus primò, locum illum ad id pertinere, quod habet Apoſtolus ad Romanos, cap. 2.; quoniam tunc ſequeretur, illas gentes fuiſſe iniuſtas; cuius oppoſitum probauimus ſupra. Dicimus ſecundò, quòd etiam iuſtis lex eſt poſita. Magnus enim Propheta in pſalmo .118., loquens in perſona iuſti dicebat: Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti. Item Baruch cap. 3. ait: Deus inuenit omnem viam diſciplinæ, dedit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi. Puer autem & dilectus Dei, eſt iuſtus. Ad Ioſue etiam cap. primo, Dominus loquitur, dicens: Cuſtodi omnem legem, quam tibi præcepit Moſes. Ioſue autem fuit iuſtus. Vnde animaduertendum eſt, quòd intentio legis ea eſt, vt homines ad debitum finem dirigat. Ideo primus actus legis eſt, homines reddere bonos, ſeu actus regulare humanos. Et ita quantùm ad hoc, omnibus data, & poſita eſt lex diuina.

Denique lex datur per modum præcepti; quo applicatur ad actus. Actus uerò ſunt triplices; boni, mali, & indifferentes. Vnde & triplex eſt actus legis, videlicet præcipere, quò ad actus bonos; prohibere, quò ad actus malos; & permittere, quò ad actus indifferentes. Sunt & alij actus legis, videlicet cogere nolentes, punire præuaricantes, terrere, ſeu poenas minari. Et quantùm ad hos actus, non eſt iuſtis lex poſita, nec propriè quantùm ad actum prohibitionis. Actus tamen qui vocatur præcipere, cadit ſuper iuſtos; qui ſubiecti ſunt legi non coactè, ſed ſponte; non terrore poenæ, ſed amore iuſtitiæ; non ſubiectione ſeruili, ſed libera. Quantùm ergo ad hos poſteriores actus; non eſt poſita lex iuſtis, ſed iniuſtis. Quare diuus pater Auguſtinus de ſpiritu & litera, cap. 10., ait: *Tom. 2.* Iniuſtus ergo legitimè lege utitur, vt iuſtus fiat; quod cùm factus fuerit, ea iam non utatur tanquam uehiculo cùm peruenerit, vel potius, vt ſupradicta ſimilitudine Apoſtoli utar, tanquam pædagogo, cùm eruditus fuerit. Quomodo enim iuſto lex non eſt poſita, ſi & iuſto eſt neceſſaria, non qua iniuſtus ad iuſtificantem gratiam perducatur, ſed qua legitimè iam iuſtus utatur? Hæc ille. Falſa igitur ſunt omnia dicta Melanchthonis, quibus nitebatur oſtendere, gentes illas à diuo Apoſtolo inductas, facere iuſtitiam carnis.

Et quemadmodum ex illo loco diui Apoſtoli ad Romanos, colligebat ipſe libertatem uoluntatis ad faciendam iuſtitiam carnis, quia naturà faciebant quæ legis ſunt; ita & nos multò magis colligimus liberum uoluntatis arbitrium ad faciendam iuſtitiam ſpiritus, quia naturà ſanata per fidem IESV Chriſti, faciebant quæ legis ſunt.

Cæterùm legi apud Fontium, quòd cùm temporis ſucceſſu, ſuum intellexiſſet errorem, impiam hanc, abſurdamq́. ſententiam de libero hominis arbitrio, quam ex Luthero inſequebatur, in ſuis locis communibus, anno à Chriſto nato .1521. impreſsis, & in Commentarijs in .5. cap. ad Roma., quæ fuit eorum ſecunda editio, è ſuis libris funditus ſuſtulit;

Lutheriq́. maledicta reiecta opinione & hæreſi, liberum arbitrium in homine eſſe confeſſus eſt; quod Dei gratia fretum & adiutum, bona opera facere poſſet, Idq́. fecit Melanchon, quoniam ex illo dogmate peruerſo, Deum omnium ſcelerum authorem, omnino conſtituunt maledicti Lutherani. Eant ergo ipſi, & nos cum ſacroſancta Tridentina Synodo, hominem fateamur, liberum habere arbitrium. Et quia ſæpius diximus cum eadem ſancta Synodo, hominem per liberum arbitrium, auxiliante Dei gratia, quodlibet virtutis opus præſtare poſſe; nunc res poſtulat, vt ad id accingamur; deq́ue ipſius hominis ad gratiam præparatione agamus primò.

De diſpoſitione ad gratiam. *Cap. 29.*

DICEBAT Lutherus in ſuo articulo .36., quòd liberum arbitrium poſt peccatum, res eſt de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Primam partem reiecimus ſupra, cap. 26.; modò autem ſecunda uenit pertractanda, & agitanda, hoc ordine ſeruato; vt prius aliud eius dictum ex articulo .6. ſuperaddamus, deinde ſuas inducamus rationes. Ait ergo: Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, foeditatem, amiſsionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis. Hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem. Ita Lutherus. Cui manus dat Philippus Melanchon in Apologia confeſsionis Auguſtanæ; qui terrores illos, quibus perterrefiūt peccatores à Deo, & à prædicatoribus verbi Dei, vt confugiant ad fidem, dicit eſſe peccata, anteq̄ vincantur per fidem. Bucerus in ſuo libro quo nititur controuerſias componere, generalius dicit, peccata eſſe omnia opera præparationis, etiam contritionem ipſam, anteq̄ adſit fides; hoc eſt, anteq̄ adſit gratia. Vnde abhorrent audire diſpoſitionis nomen, & præparationis; quia inde exiſtimant extenuari gratiam Chriſti.

Addit Caluinus, aſſerentes huiuſmodi ad gratiam præparationem, Pelagianam ſectam renouare, multaq́. in ſuo Antidoto aduerſus huiuſmodi decretum conſcripta reliquit. Ne uerò tantū errorem mittamus intactū, commodum erit argumenta prius explicare, quibus ad hoc ſuadendū vtuntur.

Prima ratio. Hunc igitur in modum arguunt primò: Chriſtus dicit Ioānis .6.: Nemo poteſt uenire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum. Modò ſic: Hoc intereſt inter trahi & duci; vt dicatur trahi nolens, & duci uolens. Non enim trahitur, ſed ducitur, qui uolens fertur in aliquem locum. Deus autem pater, nos trahit ad Chriſtum. Non ergo uolentes & aſſentientes, ad Chriſtum uenimus; ſed nolentes & reluctantes trahimur; neque eſt neceſſaria noſtræ uoluntatis cooperatio, vt ad Chriſtum ueniamus.

2. Secundò: Priori ad Corinthios epiſtola, cap. 13., Apoſtolus ait: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cimbalū tinniens. Si habuero prophetiā, & cætera

quæ ſequuntur, citra charitatem, nihil ſum. Quicquid igitur fit extra charitatem, non fit ex toto corde; & ideo hypocriſis eſt; iuxta illud: Populus iſte labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Hac enim de cauſa, appellat eos Chriſtus hypocritas. Hypocriſis autem peccatum eſt. Ergo quicquid operis fit extra charitatem, eſt peccatum. Vnde nulla poteſt eſſe hominis diſpoſitio ad gratiam. Matt. 15.

Tertiò arguunt ex Concilio Arauſicano, cap. 4., vbi definitur, ꝙ Deus non expectat noſtram uoluntatem, vt nos conuertat. Non igitur expectat noſtram præparationem. .3.

Iuſtificatio impij eſt quædam regeneratio, & creatio quædam; iuxta illud: Cor mundum crea in me Deus. Et illud: Creati in operibus bonis, &c. Creatio autem non requirit præuiam aliquam diſpoſitionem. Quare nec iuſtificatio. .4. Pſal. 50. Ephe. 2.

Quintò: Dicit Dominus, Ioannis cap. 15.: Non uos me elegiſtis; ſed ego elegi uos. Et ad Ephe. 2., ait Apoſtolus: Gratia eſtis ſaluati per fidẽ, & hoc non ex uobis. Dei enim donum eſt. .5.

Sextò: Quæcunque recogitatio peccatorum ante gratiam, neceſſariò ingenerat odium legis, propter cuius prohibitionem, illa ſunt peccata. Lex enim ſubintrauit, vt abundaret delictum; ad Roma. 5. Apoſtolus ait: Et ideo peccator maiori odio habet legem, q̃ peccatum. Cùm ergo odiũ legis peccatum ſit, ſequitur, vt talis memoria peccatorum, magis faciat peccatorem. Quocirca niſi fides formata præcedat, pernicioſa eſt peccatorum cogitatio. .6.

Septimò: in præfatione pſalmi. 31., Auguſtinus inquit: Nihil boni feciſti, & datur tibi remiſsio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus Deus redderet, vtiq. damnaret. Stipendium enim peccati, mors. Si igitur meritis impij debetur poena, quomodo gratia? Et ſi non gratia, quomodo poteſt ſe ad illã præparare, atque diſponere? .7. Tom. 8. Roma. 6.

Octauò: Contra. 7. caput ſeſsio. 6. Conci. Tridentini, Caluinus ait in ſuo Antidoto: Qualem, obſecro, diſpoſitionem inueniet Spiritus Dei in cordibus lapideis? An non pudet eos diſpoſitionem fingere, vbi Spiritus ipſe, vbique in ſcripturis pronunciat omnia eſſe contraria? Et in cano. 4. ſubdit: Et qualis erit cordis ferrei à ſeipſo præparatio, donec mirabili conuerſione, carneum eſſe coeperit? .8.

Quæ aduerſus huiuſmodi decretum præter hæc attulit Martinus, in ſuperioribus adduximus, & ſoluimus, ob id de his non amplius.

Prænarrata hæreſis confutatur. Cap. 30.

OPPOSITVM & huic maledictæ hæreſi omnino contrarium decretum, annotauit Sacroſancta Tridentina Synodus, cap. 5. & cano. 4., ſextæ ſeſsionis; veluti ſupra notatum reliquimus. Ita ut ſit prorſus neceſſaria ad ſalutem, hominis adulti ad gratiam & iuſtificationem diſpoſitio, atque præparatio. Modus autem præparationis

deſcribitur ibidem cap.6.ſub his verbis: Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes uera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum, propitium fore; illumq́. tanq̃ omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouẽtur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eàm poenitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet; denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare nouam uitam, & ſeruare diuina mandata.
Heb.11. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet credere
Matt.9. re quia eſt, & quòd inquirentibus ſe, remunerator ſit. Et, Confide fili, re-
Eccle.1. mittuntur tibi peccata tua. Et, Timor Domini expellit peccatum. Et,
Act.2. poenitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque ueſtrum in nomine IESV Chriſti, in remiſsionẽ peccatorum ueſtrorum, & accipietis donum Spiri
Matt.vlt. tusſancti. Et, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti, docentes eos ſeruare quæcunque mã
1.Reg.7. daui uobis. Denique, Præparate corda ueſtra Domino.

Quæ autem dicit Martinus articulo .6. reijciuntur, atque damnantur ibidem cano.7. & .8.; necnon & ſeſsio .14. cap.4. Idq́. ſanctiſsimè; veluti diuina fauente Clementia, declarabimus. Cæterùm in gratiam iuniorũ noſtrorum, explicemus prius, quid in cap.5., in ſuperioribus à nobis citato, & modò in cap.6., illius ſextæ ſeſsionis, Chriſti fidelibus tradere intendit ſacrum Tridentinum Concilium. Primum itaque intentum eſt declarare, quòd duo concurrunt, & neceſſaria ſunt, vt adulti ad ſuam ſe præparent iuſtificationem; libertas nempe ipſorum, & gratia diuina. Quod quidem manifeſtum redditur, ſub finem ipſius cap.5., his verbis: Vnde in ſacris literis, cùm dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur. Vnde in his uerbis, triplicem refellerunt patres errorem. Primus eſt Lutheranorum, & aliorum omnium, negantium noſtrâm libertatem. Secundus eſt Lutheranorum & Caluiniſtarum, omniumq́. Proteſtantium, negantium neceſsitatem noſtræ diſpoſitionis, & præparationis ad iuſtificationem. Tertius eſt Pelagianorum, negantium neceſsitatem gratiæ, ad præparandum nos ad noſtram iuſtificationem.

Secundum intentum eſt, determinare, quòd non ex æquo concurrunt ad noſtram præparationem, libertas noſtra, & gratia diuina; ſed priorem & potiorem partem ſibi uendicat gratia diuina. Idq́. conſtat, quando in initio eiuſdem capitis dicitur, iuſtificationis exordium à Dei gratia præueniente ſumendum eſſe. Et etiam ex præcitatis uerbis ſub finem eiuſdem capitis.

Tertiò intendit tradere, quòd gratia diuina præueniens communi-

catur

catur peccatoribus, abſque ullis eorum meritis. Quod patet ex illis verbis, quibus aſſeritur, quòd peccatores nullis eorum exiſtentibus meritis uocantur.

Addunt quartò prudentiſsimi patres, quòd peccatores à Deo auerſi per peccata, per Dei excitantem & adiuuantem gratiam, liberè eidem gratiæ aſſentiendo, & cooperando, diſponuntur ad ſuam iuſtificarionem; neque poſſent, etiam diuina gratia præuenti, ſine ipſius adiutorio, ſe ad veram iuſtitiam mouere. Et ita in illo quinto cap., expoſita eſt à patribus præparatio adultorum in genere, ad ſuam iuſtificationem. Explicatumq. eſt, duabus rebus in genere, eos præparari; gratia nempe diuina, & eorum libertate; & declarata ſunt utriuſque partis munera.

Et quoniam non ſufficit hoc ad inſtructionem fidelium, mox in cap. 6. de diſpoſitionibus, & præparationibus noſtris in ſpecie agitur, quæ ſunt ſex; ſiue ſex ſunt opera, quibus adulti diſponuntur ad iuſtitiam; videlicet, fides, timor, ſpes, dilectio Dei, poenitentia, votum baptiſmi, & nouæ vitæ; ſiue obſeruationis mandatorum Dei. De horum quolibet per tractant doctiſsimi viri theologi; ob id ea miſſa facio, cùm non ſit hoc meum principale inſtitutum. Atqui in præſentiarum, in ſecundum errorem Lutheranorum & Proteſtantium animaduertere, mea eſt intentio; Neceſsitatem præparationis ad iuſtitiam demonſtrando. Iam enim primũ exploſimus. Negant enim Proteſtantes præparationem ad gratiam in adultis, quoniam liberum etiam negant arbitrium; Si enim caret homo libero voluntatis arbitrio, repugnat, inquiunt, quòd poſsit ſe ad gratiam præparare. Ex primo enim ſequitur ſecundum. Quoniam igitur probauimus nos, hominem eſſe liberi arbitrij, ex hoc etiam primo ſequitur ſecundum; nimirum quòd cooperatio noſtræ libertatis, neceſſaria ſit ad noſtram iuſtificationẽ; & ita neceſſaria eſt hominis præparatio ad gratiam. Id quod primò tali pacto declaratur.

Apocalypſis cap. 3. Dominus ait: Ego quos amo, arguo & caſtigo. Aemulare ergo, & poenitentiam age. Ecce ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & coenabo cũ illo, & ipſe mecum. Modò ſic: Niſi aſſenſum, liberiq. noſtri arbitrij cooperationem exigeret ipſe Deus, vt poenitentiam ageremus quid peteret? Quidúe ad oſtium cordis noſtri pulſare perſeuerat? Nónne qui totum vniuerſum, abſque eius aſſenſu ac nutu, de nihilo creauit, aeremq. illuminauit; vniuerſum genus humanum, gratia ſua ſubitò perfunderet, niſi ſpontaneam cooperatricem uoluntatem noſtram præſtolaretur? Optimè igitur doctiſsimus Haymo dicebat; Cùm Deus omnipotens ubique per præſentiam ſuæ diuinitatis & coelum & terram impleat, quid hoc loco per oſtium intelligere debemus, niſi intelligentiam cordis? Stat ergo Dominus ad oſtium & pulſat, quando cor hominis, ſiue per internam inſpirationem, ſiue per prædicatorum doctrinam illuminat. Pulſantem autem illum audit, quiſquis illius monita opere cuſtodit. Si quis ergo, inquit, audierit uocem meam, vel ipſe diuina eloquia legendo, vel ab alijs exponendo, & aperuerit mihi ianuam cordis ſui, vt ea quæ intelligit, opere Prima ratio.

perficiat,intrabo ad illum, ideſt, illuminabo ſecreta illius, & coenabo cū illo,& ipſe mecum. Si autem quærimus quid ſit cibus Chriſti, quo eum reficimus; ipſe utique manifeſtat,qui dicit: Cibus meus eſt,vt faciam voluntatem patris mei. Dicatur itaque: Si quis audierit vocem meam,& aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum,& coenabo cum illo,& ipſe mecum; ac ſi diceretur: Qui operando & amando,ſermones meos fuerit executus, & ad percipiendam meæ diuinitatis dulcedinem dilatatus; hunc per internam gratiam tangens, irradiabo & coenabo cum illo, & ille mecum; quia in faciendo uoluntatem patris,& ego illius,& ipſe meis compaſsionibus cõcorporatus,vterque delectabitur. Hæc ille,quibuſdam interpoſitis. Quorſum igitur hæc,ſi ad gratiam nulla eſt neceſſaria hominis præparatio, minuſq. noſtræ uoluntatis & libertatis, ad noſtram iuſtificationem cooperatio?

.2. Si, inſuper, liberum hominis arbitrium, faciens quod in ſe eſt, peccet mortaliter, qui fieri poteſt,vt toties in ſcripturis peccatores excitet Deus,vt ad ſe redire conentur? Siquidem illud aliàs induximus,quod ait Dominus, Ezechielis cap. 18.: Conuertimini,& agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris,& non erit uobis in ruinam iniquitas. Iohelis etiam cap.2.,inquit Dominus Deus: Conuertimini ad me in toto corde veſtro. Zachariæ quoque cap. primo dicitur; Conuertimini ad me,dicit Dominus Deus exercituum,& conuertar ad vos. Sed quid moror? Nonne huiuſmodi uocationibus referti ſunt omnes prophetarum libri? Quid igitur his verbis præcipitur, niſi ut reuerti peccatores enitantur, & faciant quantum in ſe fuerit?

.3. Id quod etiam legitur in nouo teſtamento; & præcipuè Matt. 11.,dicente Seruatore: Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis,& ego reficiam uos. Ad quæ diuus Anſelmus: Venite paſsibus fidei,qui laboratis in lege, ideſt, in iugo legis,quod neque vos,neque patres veſtri portare potuiſtis,& onerati eſtis pondere peccatorum; & ego reficiam vos; ideſt,non ſolùm exonerabo,ſed etiam in æternæ vitæ refectione ſaturabo. Sic ille. Quid igitur uocat,ſi reſpondere nequeunt? Quid ait,venite,ſi incedere non valent? Quid ait,eos peccatorum pondere oneratos, ſi vbi neceſsitas, nullum ibi peccatum? Nemo enim peccat in eo, quod nullo modo uitari poteſt; Auguſtinus ait.

.1. Retrac. cap. 9 to 1.

.4. Et Matt. 23. ait Dominus: Ieruſalem,Ieruſalem,quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt; quoties volui congregare filios tuos,quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti? Quaſi dicat, Anſelmus inquit, Cum quanto affectu gallina pullos ſuos conuocat & nutrit, cum tanto affectu uolui ego filios tuos congregare in fidei unitatem,& enutrire catholico dogmate,& tu tamen noluiſti,gratiæ uocanti ſcilicet cooperari. Hæc diuus Anſelmus. Si itaque non habet homo unde ad gratiam ſe præparet,ſiq. faciendo quantum in ſe eſt peccat mortaliter; quid eſt quod Hieruſalem Dominus redarguit, pro eo quod noluerit eius gratiæ uocanti cooperari? Inde profectò euenit, quia ubi eſt nolle,ibi quoque eſt uelle,& contra ſemper recurrit oratio,

Auguſtinus in ſuperioribus dicebat; & vbi hæc ſunt, ibi adeſt manifeſta libertas,& id quo poteſt homo ſe parare ad gratiam.

Item Matt.3.,prædicans Ioannes in deſerto Iudeæ,dicebat: Pœnitentiam agite;appropinquabit enim regnum coelorum.Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto; parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. In his verbis, tria mihi præcipuè ſeſe offerunt obſeruanda. Primum eſt initium prædicationis. Secundum,ratio,quam inducit.Tertium,ſuæ doctrinæ,atque prædicationis teſtimonium. Dicit ergo primò ſanctiſsimus Ioannes: Pœnitentiam agite. Vt autem de nomine pœnitentiæ illa mittamus, quæ generalius apud latinos dicuntur,omni dubio procul, hoc in loco accipitur pœnitentia,pro diſplicentia & dolore,ob peccatum cōtra Deum commiſſum. Vt idem ſit pœnitere,quod ante acta deflere,& deflenda nō committere. Ratio uerò quare pœnitentiā agere debeant,illa eſt,quia appropinquabit; ſiue,vt alij uolunt; appropinquauit regnum coelorum. Vt hîc rectè accipiatur regnum coelorum,pro eo regno quo Deus per Euangelicam doctrinam, & Spiritum ſuum cordibus fidelium infuſum, regnaturus erat in electis,fracta diaboli poteſtate; & electi ſimul cum Deo regnaturi in hoc mundo per fidem, ſpem, & charitatem,dominantes iam huic mundo,diabolo,& carni. Vnde rectè dicitur regnum coelorum,quia regnum coeleſte; quo modo regnum terræ,dicitur regnum terrenum; eo quòd omnia quæ ad huiuſmodi regnum pertinent, coeleſtia ſunt. Coeleſtis nanque Deus,qui regnat in eo,coeleſtis lex & ſpiritus per quem regnat, coeleſtes ſecundùm conuerſationem,qui regni huius ſunt conſortes. Addit ultimo loco,ſuæ prædicationis firmiſsimum teſtimonium; Iſaiæ nempe,qui ſuæ prophetiæ cap.40.,in perſona Ioannis loquebatur, dicens: Vox clamantis in deſerto; parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Quo fit,vt illud; parate viam Domini; quod dixit Iſaias, idem ſit cum eo,quod in Euangelio dicitur; pœnitentiam agite. Secus non rectum,nec firmum induxiſſet Ioannes,ſuæ prædicationis teſtimonium.

His ita conſtitutis,in hunc modum arguo: Dicit Ioannes: Parate viam Domini, pœnitentiam agendo,vt habitet, & cordibus veſtris infundatur Spiritusſanctus,& inde regnet Deus in uobis. Ex altera parte dicunt Proteſtantes, quod terrores illos quibus per Euangelicam prædicationem, corda noſtra perterrefiunt,anteq̄ per fidem uincamus, ipſi etiam peccata ſunt. Et quæcunque opera præparationis,etiam contritio ipſa,anteq̄ adſit gratia,peccata ſunt. Quibus ſtantibus,percuntor ego, nunquid in initio prædicationis Ioannis, gratia fuerit Spiritusſancti, & charitas diffuſa in cordibus audientium,vel non. Si detur primum,iam parauerant viam Domini,& ita incaſſum laborabat Ioannes. Secundum uerò ſi admittatur, præparatio illa non erat niſi per peccatum. Vnde via Domini non erit niſi peccatum,& intendens Ioannes tollere peccatum,peccatum inducit. Quod quidem cùm nihil ſit,quemadmodum de præparatione noſtra perperam dicebat Lutherus, mira præparatio, quæ fit per nihil; ita rectè de hac ſua ipſius præparatione poſſumus dicere, mira præparatio,

quæ fit

quæ ſit per peccatum & nihil. Cecidit igitur in Scyllam, cupiens uitare Charybdim:

Rectius igitur dicunt noſtri; qui uolunt, quòd quemadmodum ante [Gene. 41.] Ioſeph ibat præco, vt omnes genua flecterent; ſic Ioannes coram Chriſto præibat clamans, vt corda homines pararent, & Chriſtum adorarent Saluatorem; Saluatorem, inquam, non ſolùm Aegipti, ſed totius mundi; eiq́. obedirent, necnon & morem gererent. Præparabat igitur corda hominũ, vt Chriſtum ſuſciperent. Quid modò eſt viam in corde præparare? Noua inducere peccata? Abſit. Id enim ex rebus temporalibus cernimus, & cognoſcimus, quomodo ſternitur uia, & quomodo plana fiat; ita circa interiora noſtra idem agendum uenit; vt ſcilicet amoueamus peccatorum, malorumq́. affectuum ſcopulos, quò uia ſit Domino parata; hoc eſt, abſque ullo impedimento & moleſtia, Dominus ad nos uenire poſsit, & nos ire ad eum. Via itaque Domini ad homines uenientis, eſt uoluntas noſtra; ipſe homo eſt domus, in qua Deus habitat, quatenus iuſtificatur; & eſt uia quatenus diſponitur ad iuſtificationem. Et ſicut via eſt neceſſaria uenienti, ita diſpoſitio & uoluntas eſt neceſſaria ad iuſtificationem, vt Deus ueniat ad hominem. Vnde nullus adultus poteſt iuſtificari ſine propria uoluntate. Hæc autem uia paratur per uitam ſtudioſam, & poenitentiam; quæ quidem, virtus eſt faciens conſcientiam & animam componi cum recta ratione, quæ eſt regula humanæ vitæ; & quia homo cùm ſtudiosè uiuit, conformatur regulæ rectæ, dicitur via recta, & præparata. Ex quo igitur dicit Ioannes, parate uiam Domini; hominis libertatem inſinuat; quaſi dicere uelit, quòd in noſtra poteſtate eſt parare, vel non parare uiam Domino. Deus nanque nemini ſuam gratiam denegat, nec deſerit facientem quod in ſe eſt, ille qui paratus eſt omnibus ſubuenire. Vnuſquiſque igitur, ſuo benè utatur libero arbitrio, & paret cor ſuum Domino, vt iter faciat, & habitet in anima ſua. Quòd ſi repetant Proteſtantes, huiuſmodi peccatum eſſe; replicabimus & nos, quòd Ioannes & Apoſtoli, dum peccatoribus poenitentiam prædicabant; culpa ſe ipſi & crimine implicabant, plebem commouentes ad malum.

Sed confirmatur doctrina. Quandoquidem non dicit beatus Ioannes, quòd paremus quamcunque viam; ſed viam Domini. Sciſcitor modò, ſitné Dei & noſtri eadem via. Negatiuè reſpondeamus oportet; quoniã [Iſai. 55.] per Iſaiam Dominus ait: Non ſunt cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ. Quia ſicut exaltantur coeli à terra, ſic exaltatæ ſunt uiæ meæ à uijs ueſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus [Prouer 4] ueſtris. Sed quænam ſunt uiæ noſtræ? Reſpondeat ſapiens: Via impiorũ [Eccleſiaſtici 21.] tenebroſa; neſciunt ubi corruant. Via peccantium complatata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & poenæ. Viæ igitur noſtræ ſunt vitia & peccata. At uiæ Domini, non niſi virtutes; propterea dicebat re[Pſal. 118]gius pſaltes: Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. Nunc ſic: Via Domini eſt virtus; via autem noſtra uitium. Dicit uero Ioannes, vt ita uiam noſtram paremus, vt uia fiat Domini. Et Proteſtantes dicunt, quòd non niſi per peccatum parari poteſt. Per vitium

igitur paratur via uirtuti, & per peccatum iuſtitiæ, ac demum via tenebroſa, per tenebras illuminatur. Quid autem abſurdius? Cæterùm ad alia.

In Euangelio Lucæ, cap. 2., legitur quòd, Cùm factus eſſet IESVS annorum duodecim, remanſit in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter Diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regreſsi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum. Et poſt triduum inuenerunt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. In his quoque verbis, duo præcipuè obſeruo. Primum eſt, quòd parentes IESV illum quærebant. Secundum eſt, quòd quærebant dolentes. Modò ſic: Nónne ſapiens Virgo & mater optimè nouerat, quòd puer ideo venerat, vt in virili ætate, pro ſalute mundi crucifigeretur? Vtique. Cur igitur quærebat illum? Ne fortè aliquid pateretur? Minimè; quia nondum venerat hora eius. At nunquid ſciebat beatiſsima Virgo Maria, Chriſtum eſſe Deum, & proinde perdi non poſſe? Vtique. Cur igitur illum quærebat, quaſi non eſſet Deus?

Reſpondet diuus Apoſtolus Paulus, ad Roma., cap. 15., cùm ait: Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiã & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Vnde beatus Ioannes Chryſoſtomus, in cap. 13. Actuum Apoſtolorum, & homilia. 29. prope finem, inquit: Si quis ad noſtram admonitionem de omnibus diſſerit, attẽdamus ſicut conuenit attendere. Suorum quiſque vulnerum remedia ex diuinis ſcripturis eligat; & ſi non totum curat, partem ſaltem hodie, partem cras, deinde totum abluetis. Quin & de pœnitentia, & de confeſsione, & de eleemoſyna, & de iuſtitia, & de continentia, & de omnibus inueniet multa exempla. Hæc ille. Si igitur, quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; & ſuorum quiſque vulnerum remedia, ex diuinis ſcripturis eligere poteſt, ita vt de omnibus multa inueniat exempla; fit conſequens, vt ex hoc beatisſimæ Virginis Mariæ, & Sanctiſsimi Ioſeph quærentium Dominum, notando exemplo, remedium eligamus, quo vulnus ſanetur, negantium hominis præparationẽ ad iuſtificationem, & gratiam. Ex eo enim maniſeſtiſsimè conſtat, quòd vult Deus ipſe benedictus, ne ſimus ocioſi, neque in vanitatibus degamus vitam; ſed quod in nobis eſt, & in bonis operibus nos exerceamus; vnde quamuis cuipiam reuelatum eſſet, ipſum prædeſtinatum, electumq. eſſe ad gloriam, cum hac tamen certitudine ſuæ ſalutis, debet quantum in ſe eſt bona opera facere, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem. Deus enim qui prædeſtinauit fines, media quoque prædeſtinauit, ad hoc fines obtinendos. Etenim nullus adultorum adhuc cœlum ingreſſus eſt, quin prius in bonis operibus ſe exercuerit. Certus enim erat Paulus de ſua ſalute, ita vt Timotheo diceret: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex. Nihilotamenſecius Corinthios in hunc modum alloquitur;

Tom. 3.

2. Timo. 4

1. Cor. 9.

loquitur: Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo; ne fortè cùm
alijs prædicauerim,ipſe reprobus efficiar. Hoc ipſum eſt quod Apoſtolo-
2.Pet.1. rum princeps,beatus Petrus dicebat:Satagite ut per bona opera,certam
Ioſu.6. ueſtram uocationem & electionem faciatis. Præcepit, inſuper, Dominus
populo ſuo Iſrael,vt irrueret aduerſus Iericho,& expugnaret ciuitatem.
Præcepitq́.eis Dominus,vt ſepties eam circumirent,& clangerent tubis,
& circunduceretur arca Dei;& peractis diebus ſeptem,ceciderunt muri
Iericho,expugnaueruntq́.ciuitatem.Sed ut quid tot cærimoniæ,cùm abſ-
que omnibus ijs, vnico Dei nutu ruere potuiſſent muri ciuitatis? Hoc
vt cognoſcamus ita nobis operandum, ac ſi per eadem opera, ſit nobis
conferenda gratia. Taliter enim Deus operatur in nobis,quòd vult nos
1.Cori.3. ipſi cooperari. Hinc Paulus: Adiutores Dei ſumus.Sic etiam modò bea-
tiſsima Virgo,quamuis non ignoraret, filium ſuum perdi non poſſe, vt-
potè quia Deus erat; vt tamen faciat quod in ſe eſt, quærit illum. Sed
quomodo? Ait Mater IESV; Fili,dolentes quærebamus te. Non inter
oblectamenta & uoluptates mundi huius; ſed in moerore, & dolore. Ita
nos illum quærere debemus dolore, moerore, poenitentia, & aſperitate
mundi. Sic Moſes in rubo,& inter uepres illum reperit. Lacrymis & ge-
mitibus inquirebat eum Magdalena in domo Phariſæi, & ideo meruit
reperire. Ita beatus Petrus,ita & bonus Latro,illum inuenit in cruce; &
Canti.3. ſic omnes qui illum per peccatum amiſerunt. Sponſa quippe dixit: In
lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea; quæſiui illum,
& non inueni. Surgam,& circuibo ciuitatem; per uicos & plateas quæ-
ram quem diligit anima mea. Quæſiui illum; & non inueni. Inuenerunt
me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem; Num quèm diligit anima mea vi-
diſtis? Paululum cùm pertranſiſſem eos,inueni quèm diligit anima mea.
Non igitur inuenit eum in lectuli delicijs & uoluptatibus; non in plateis,
nec in congregationibus hominum,ſicut nec beata Virgo inuenit illum
in comitatu; ſed paululum cùm pertranſiſſet,inuenit illum. Omne quod
Eccleſia.1 ſub coelo eſt,ita eſt paruum, vt Sapiens dixerit: Vanitas vanitatum,& om
nia vanitas. Tranſeat igitur huius mundi paululum,quod in Dei collatio
ne,ferè nihil eſt, qui ipſum Deum inuenire cupit, & mox eum inueniet.
Vnde qui Chriſtum,eiusq́.gratiam amiſit,illum quærat cum dolore & moe
rore cum beatiſsima Virgine Matre; quæ omni culpa uacans, eum tali
pacto quæſiuit; tanto igitur meliori iure id facere debet,qui per peccatũ
eum amiſit. Illum, inquam, cum Moſe quærat in rubo & inter uepres; in
dolore cordis,poenitentia,& lacrymis cum Magdalena; in cruce cum Pe-
tro;& in contemptu mundi cum Sponſa. Quòd ſi hæc peccata ſunt, erit
Spiritusſanctus fons,origo,& nobis exemplum ad peccandum. Maledicti
igitur, & iterum maledicti, qui hæc in Sancta Dei Eccleſia ſeminarunt.
E regione uerò,benedicti ſemper in Domino, Sacroſancti Concilij Tri-
dentini Patres, qui homini ad gratiam præparationem neceſſariam eſſe
docuerunt, qui appetit in Domino iuſtificari.

.7. Idipſum quoque per Ezechielẽ,cap.18.,his uerbis Deus affirmat: Con
uertimini, & agite poenitentiam ab oĩbus iniquitatibus ueſtris; & non

erit

erit vobis in ruina iniquitas.Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras,in quibus præuaricati eſtis,& facite uobis cor nouum,& ſpiritū nouum; & quare moriemini domus Iſrael?Quia nolo mortem morientis,dicit Dominus Deus;reuertimini & viuite.Nolle ſe affirmat Deus mortẽ morientis;ſed contrà,velle vt conuertatur & viuat; proinde ſi non conuertitur, per ipſum non ſtat,quo minus conuertatur; ſed ſtat per impium,qui conuerti non vult,quamuis Deus ipſum conuerti velit,ac deſideret.Hortatur itaque illum ut conuertatur;ſignificans in eius poteſtate eſſe,vt ſaluetur à morte. Quare,inq.t,moriemini domus Iſrael? Cùm ego te viuere velim, & cupiam?Id quod etiam ibidem, cap.33.,iureiurando interpoſito,affirmat inquiens:Viuo ego,dicit Dominus Deus,nolo mortem impij,ſed ut conuertatur impius à via ſua,& viuat; Conuertimini à vijs veſtris peſsimis;& quare moriemini,domus Iſrael? Quorſum hæc,domini Proteſtantes,ſi nulla eſt homini ad gratiam neceſſaria præparatio,& ſi liberum arbitrium,dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter? His profectò verbis,Deus hominem hortaretur ad malum. Sed quid abſurdius?

Addo,ꝗ in dictis Spiritusſancti eſſet repugnantia manifeſta,admiſſa hu .8.
iuſmodi doctrina.Dicit enim Dominus Deus:Nolo mortem impij,ſed vt conuertatur impius à via ſua mala,& uiuat.Et diuus Apoſtolus ad Roma. cap.5., ait,ꝗ per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.Nunc ſic: Dicit Lutherus,ꝗ liberū arbitrium faciens quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Alia ex parte dicit Dominus Deus,ꝗ vult vt impius conuertatur à via ſua mala,& viuat.Non poteſt autem impius cō uerti à via ſua mala,niſi faciat quod in ſe eſt.Peccando ergo mortaliter inuenit vitam.Quare peccatum erit cauſa vitæ, per Ezechielem,& cauſa mortis per diuum Apoſtolum. Hæc autem adinuicem pugnant. Hæretica eſt igitur Lutheri & Proteſtantium doctrina.

Accedit quod Ioannes in ſuo Euangelio ait cap.primo:Quotquot au .9.
tem receperunt eum,dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Diuus autem Hilarius, libro primo de Trinitate, cap. primo, dicit, fieri filios Dei, non neceſsitatis eſſe,ſed voluntatis. Peccatoribus igitur hæc poteſtas oblata eſt,vt ſi faciant quantum in ſe fuerit ad gratiam conſequendam,Dei præſtò aderit auxilium.

Item, ſi non eſt requiſita noſtræ libertatis cooperatio ad noſtram iu .10.
ſtificationem,quid ait Iacobus Apoſtolus in ſua epiſtola catholica, cap. 4.? Subditi ergo,inquit,eſtote Deo,reſiſtite autem diabolo,& fugiet à vobis.Appropinquate Deo,& appropinquabit vobis.Emundate manus, peccatores,& purificate corda;duplices animo. Iſta profectò nequaq̄ dicerentur,ſi conatus peccatoris ad bonum,eſſet mortale peccatum,& niſi liberum eſſet in peccatoribus arbitrium. Ad hæc multa alia inducere poſſem,niſi grauiſsimi viri, pariterq́. doctiſsimi,omnia pulcherrimè pertractaſſent; ideo ad alia procedendo,hæc miſſa facio.

Proteſtantium rationes diluuntur. *Cap. 31.*

SVNT rationes Proteſtantium, quibus hominis ad gratiam, nituntur tollere præparationem, diluendæ. Quarum prima deſumitur ex Euangelio Ioannis, cap. 6.; quo loci, Dominus ait: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum. Quibus uerbis ſubdunt ipſi, quòd inter duci & trahi hoc verſatur diſcrimen, vt dicatur duci volens, & trahi nolens. Trahimur ergo nolentes, inquiunt, & ita non aſſentientes.

Et licèt in ſuperioribus ſit à nobis huiuſmodi authoritas exarata; nihilotamenſecius dicimus iterum, quòd prænducta ratio aduerſatur ipſi Caluino, Proteſtantium magiſtro. Quandoquidem admittit ipſe, hominem rectè operari voluntariè, non tamen liberè, ſed neceſſariò, ſemota quauis coactione; veluti in ſuperioribus declarauimus ſatis. Ratio autem vult, quòd homo credens in Chriſtum, vi trahatur à Patre, ita ut ui, & nō liberè, neque uoluntariè credat; quia trahitur nolens, inquiunt. Doctrina igitur, cùm non ſit eorum conſona magiſtro, nedum erit ſimpliciter falſa, at etiam ab illorum ſchola reijcienda.

Dicimus ſecundò, admittendo quòd trahimur inuiti, & ducimur uolentes; ſi propriè loquamur, & perſiſtamus in rigore ſermonis. Traho enim, ſuo primo ſignificato, idem ſonat quòd per uim duco. Vnde Seneca: Fata uolentem ducunt, nolentem trahunt. Aliquando tamen idem ſignificat quod excitare; hoc autem ad uolentes extenditur; Liuio atteſtante, qui libro primo ſic loquitur: Ob reſiduas bellorum iras maximè ſollicitati, ad defectionem uoluntarios traxere. Trahere igitur, aliquando idem eſt quod alicuius rei deſiderium inducere. Vnde Virgilius:

Torua Leæna Lupum ſequitur; Lupus ipſe capellam;
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella;
Te Corydon, ò Alexi. Trahit ſua quenq; voluptas.

Conſtat enim ꝙ ſi lupus ſequitur capellam, ꝙ capella ipſum trahit, non uim inferendo, ſed deſiderium inducendo; quoniam ea lubentiſsimè ueſcitur. Itē laſciua & petulans capella, dum cythiſum herbam, aut fruticem dulcem, & ſucci plenam ſequitur, ſimul atque Corydon Alexium; illa ab herba, iſte ab Alexio trahitur; quia trahit ſua quemque uoluptas; tractu quidem non propriè, ſed metaphoricè accepto. Eoq; vtimur, qm̄ verbo proprio caremus. Trahit igitur utrunq., nō cogendo, ſed deſideriū inducendo; Et ita Corydon & capella trahūtur uolentes. Ita Deus pater trahit ad Chriſtū peccatores, vt in eū credant, non cogendo, nō violentia, neq. poteſtatē vtendo premēte; ſed reuelando, docēdo, ſuadendo, excitando, animos mouendo, & in uoluntatibus agēdo. Hoc igitur pacto Chriſti prænducta verba ueniunt intelligenda. Quoniam cùm dixiſſet turbis: Panis enim Dei eſt qui de coelo deſcendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc. Dixit aūt eis IESVS; Ego ſum panis vitæ; qui

qui uenit ad me,non eſuriet;& qui credit in me,non ſitiet unq̃.Murmurabant ergo Iudæi de illo,quia dixiſſet,Ego ſum panis,qui de coelo deſcẽdi; & dicebant: Nónne hic eſt IESVS filius Ioſeph,cuius nos nouimus patrẽ, & matrem? Quomodo ergo dicit hic,Quia de coelo deſcendi? Reſpondit ergo IESVS,& dixit eis: Nolite murmurare inuicem; nemo poteſt venire ad me,niſi Pater qui miſit me,traxerit eum.

Hic enim duo præcipuè agit Dominus; primò corripit Iudæos murmurantes; ſecundò eos docet. Dicit ergo primò: Nolite murmurare,ſed potius quærite ueritatem dictorum meorum.Murmuratio enim peccatũ eſt, per quod nunq̃ poteritis uiam inuenire ueritatis. Non enim ex eo Chriſtum dominum offenderunt, quòd illum eſſe filium Ioſeph opinati ſunt,ſed ex eo ꝙ cùm opera coeleſtia faceret,& ſe de coelo deſcendiſſe diceret, maluerunt ad inuicem de illo murmurare, q̃ ab illo deſcenſus ipſius myſterium,intentione diſcendi,humiliter quærere.Eos tamen docet Dominus, inquiens: Nemo poteſt uenire ad me,niſi pater qui miſit me,traxerit eum.Dixerat enim ſupra:Ego ſum panis vitæ; qui uenit ad me,non eſuriet . Iudæi autem murmurabant, dicentes: Nónne hic eſt IESVS filius Ioſeph? Propterea dicit Dominus: Longè aberratis,credentes,me Ioſeph patrem habere; quandoquidem eſt Pater meus maior Ioſeph,& omnibus alijs. Et quia dixi,qui uenit ad me non eſuriet; hoc uos moneo,quòd nemo poteſt uenire ad hoc, vt non eſuriat,neque ſitiat,niſi Pater, non Ioſeph,ſed qui miſit me Deus, attraxerit eum. Nemo poteſt, hunc panem manducando, vitam æternam habere, niſi credendo amauerit,vel amando crediderit, non Ioſeph, ſed Deum, patrem meum eſſe, & ab illo me eſſe miſſum de coelo, vt naſcerer de matre virgine. Vnde nemo quenq̃ attrahere poteſt ad manducandum, ſicut manducari oportet, hunc panem viuum & verum, & in uanum prædicatores & doctores frangunt panem iſtum, niſi Deus in mentibus auditorum, ſanctum eiuſdem panis excitet deſiderium. Quoniam, Niſi Dominus Pſal.126
ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam . Ipſe enim ædificat, ipſe monet, ipſe terret, ipſe intellectum aperit, ipſe ad fidem applicat ſenſum ueſtrum. Reuelat ipſe coeleſtem ueritatem, docet, ſuadet, excitat, commouet, præuenit, deſideriumq́. inducit iuſtitiæ, & odium omnis iniuſtitiæ; non cogendo, ſed monendo & excitando. Hunc arbitrarer germanum ſenſum illius Domini ſententiæ. Propterea non uiolentus, nequidem coactus, ſed amoroſus eſt tractus iſte, atque ſpontaneus, ex diuina charitate procedens; quemadmodum etiam in ſuperioribus diximus ſatis. Non igitur uerbum, trahere, violentiam apud latinos indicat ſemper. Siquidem trahimur in aliorum ſententias, nõ demonſtrationibus, atqui perſuaſionibus probabilibus.

Id quod etiam confirmatur authoritatibus ſanctorum patrum . Diuus nanque pater noſter Cyrillus, in Ioannis Euangelium, lib.4., cap.5.6. & .7., ait: Gratia Dei cognitionem ſui haberi oſtẽdit, cùm dicat, neminem ad ſe venire poſſe, qui Patris monitionibus non trahatur. Non enim cùm dicat, nemine poſſe ad ſe uenire, niſi Pater traxerit eũ, vi quadã cogi, trahiq́;

credentes putandum eſt; ſed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta. Vbi enim auditus, diſciplina, doctrinaq; adeſt, ibi fides non ui, ſed perſuaſione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris, quod ex charitate dignis præſtatur, non ui, Chriſtum fideles agnoſcunt. Non enim poſſumus ſecundùm Eccleſiæ, veritatisq; dogmata, liberam poteſtatem hominis (quod liberum arbitrium appellamus) vllo modo negare. Sic ille.

Tom. 5. Et venerabilis Beda inquit: Trahit Pater ad Filium eos, qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant, patrem habere Deum. Deus enim Pater, æqualem ſibi genuit Filium; & qui cogitat, atque in fide ſua ſentit & ruminat, æqualem eſſe Patri eum, in quem credidit, ipſum Pater trahit ad filium. Qui enim de Chriſto dicit, Non eſt verus Deus; non trahit eum Pater; ſed peruerſa cogitatio trahit eum ueritati non conſentire. Ille tractus *Matt. 16.* eſt à Patre, qui ait: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Cui Dominus inquit; Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in coelis eſt. Iſta reuelatio, ipſa eſt attractio. Hæc ille.

Tom. 4. Et ſuper Cantica, cap. primo, quando Sponſa dicit Domino: Trahe me, poſt te curremus; ait: Ac ſi apertè dicat; Currere quidem in vijs tuis, tuorũ operum ſequi ueſtigia, quæ conuerſatus in terra ſignaſti, ad te in coelis præſidentem peruenire cuperemus; ſed quia ſine te nihil poſſumus facere, precamur ut nobis manum dare digneris; nos tuo ſubſidio ad te currentes adiuues. Sic enim ſolummodo, vel rectè currere, vel curſum conſummare ualemus, ſi te duce, ſimul & adiutore curramus. Vnde & Apoſtolus qui *2. Timo. 4.* gloriatur, dicens: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui; alio loco manifeſtè docet, vtrum ipſe per ſe greſſus dirigere poſſet, an Domino trahente curreret, dicens: Sed plus illis omnibus laboraui; non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Hactenus Beda. Miſſos facio diuũ Ioannem Chryſoſtomum, & alios, ne tædio lectorem afficiam.

Cæterùm dicet hæreticus, cur dixit Dominus: Nemo poteſt uenire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum; & non dixit, duxerit? Reſpondet *Tom. 7.* diuus pater Auguſtinus, libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 19., id Dominum feciſſe, ne illic aliquo modo intelligamus noſtram præcedere uoluntatem. Quis trahitur, inquit, ſi iam uolebat? Et tamen nemo uenit, niſi uelit. Ceſſat ergo prima obiectio.

Ad. 2. Secundam autem ut tollamus, Lutheriquè vera vel ſimulata appareat ignorantia, illud in primis à iuuenibus noſtris adnotari uolo; quòd nempe Lutheri fundamentum & baſis in hac ſua ratione, deſumitur ex eo, ꝙ hypocriſis dicitur & eſt, quando aliquid fit non ex toto corde. Quod aũt fit, inquit, extra charitatẽ, non fit ex toto corde. Quare eſt hypocriſis, & per conſequẽs peccatũ. Quò aũt ædificium corruat, fundamentũ tollatur oportet. Eſt igitur animaduertendum, ꝙ hypocriſis propria ſua ſignificatione, idẽ ſonat quod ſimulatio; cùm ſcilicet quis ſe aliũ videri cupit, q̃ eſt. Vnde hypocrita, idẽ eſt quod ſimulator. Simulator, inquam, alienæ perſonæ; veluti ſunt hiſtriones, & mimi planipedes. Per tranſlationem aũt, de illis quoq; dicitur perſonis, quæ aliud in pectore gerunt, aliud in ore; cumq; ſe probos, pioſq; videri cupiant, longiſsimè tamen abſunt ab ea perſona, quam

ſimulant.

ſimulant. Interpretatur enim hypocriſis deauratio, quod nomen latinum ſic à nobis intelligitur, vt res quælibet in ſuperficie colore lucens aureo, ſentiatur eſſe intus ſine auro. Veluti ſi quis in Sphæriſterio harpaſtum, ſiue pilam afferat clauariam, eandemq́. extrinſecus inauratam, diceretur hypocrita; hoc eſt, ſimulata. Quia in ſuperficie colore lucet auro, intus tamen eſt ſine auro. Ita pari paſſu, homo per opera exteriora oſtendens ſe eſſe iuſtum, & non exiſtens, dicitur hypocrita; ideſt, ſimulator. Vnde hypocrita non eſt dicendus, niſi qui ficto, ſimulatoq́. animo, quicq̃ facit, aut loquitur. Dicente Domino Matt. 6.: Cùm autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes. Vnde beatus Hieronymus: Demolitur autem, inquit, hypocrita faciem ſuam, vt triſtitiam ſimulet, & animo fortè lætante, luctum geſtet in vultu. *Tom. 6.* Et libro Iob, cap. 36. legitur, Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Sunt enim pictores diaboli, Simon Caſsianus ait, periti ſua doctrina in arte pingendi. *Lib. 10, cap. 36.* Non enim pictores cùm aliquam ex diuerſis ſubiectis coloribus, volunt formare imaginem, de interioribus curant; quomodo ſtomachus, cor, pulmo, iecurq́. locentur; aut qua ſerie inteſtina cætera diſponantur; ſed duntaxat qualiter exteriora intuentium oculis aptiora reddantur. Ita & ſimulator atque hypocrita, ſola exteriora attendens, interiora omnino relinquit, & minus curat; nempe dilectionem, charitatem, rectam intentionem, Deiq́. timorem. Hæreticus autem oppoſito modo ſe habet; quoniam ad ſola interiora aſpiciens, negligit prorſus exteriora. Quandoquidem ſola fide contentus, opera non curat. Atqui uerus Chriſti diſcipulus amplectitur utrunque; ſed prius interiora, poſterius uerò exteriora; edoctus à magno Propheta, qui ait: Cor meum & caro mea; exultauerunt in Deum viuum. *Pſal. 83.*

Quibus ita conſtitutis, qui fieri poteſt, vt ſit contritio hypocriſis, & recogitatio annorum ſuorum in amaritudine animæ ſuæ? Ait enim Propheta: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. *Pſal. 50.* Et alibi: Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Pſal. 31.* Quid enim vult ipſe Propheta in primis verbis, niſi oſtendere quòd ſacrificia interiora Deo ſunt accepta; ſicut eſt dolor & contritio de peccato; per quam non ſolùm homo affligitur mente, ſed etiam conſequenter & corpore? Per cor contritum ergo, notat Propheta interiorem contritionem, & peccati diſplicentiam. Et uerè ſacrificium Deo acceptum, eſt ſpiritus contribulatus; ideſt, ſimul de omnibus peccatis tribulatus. Vult enim Dei iuſtitia, vt per quæ peccauerit homo, per hæc & ſatisfaciat; modo uidelicet contrario. Veluti qui furatur aliena, ſatisfaciat etiã, propria dando. Et qui in peccato uanam habuit delectationem, ſatisfaciat dolendo, more Ezechiæ dicentis: Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. *Pſal. 38.* Ideſt, ad memoriam reuocabo cum dolore omnia, quæ feci tempore vitæ meæ. Quid igitur hoc, niſi contritio animam Deo reconciliet?

Id quod etiam in ſecundis uerbis clariùs exponit Propheta; quoniam nondum pronunciat, Auguſtinus ait, ſed promittit ſe pronunciaturum, & Deus peccatum dimittit. Et pſalmo.6.inquit: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Quæ quidem verba Caſsiodorus exponens, ait: Contritio flentes conſolatur, poenitentes emundat, diabolũ fugat, Chriſto reconciliat; amaritudo dulcis, lacrymæ felices, ſalutaris afflictio, in contritione conſiſtit. Ideo dicitur Iudith, cap.8.: Humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi, dicamus flentes Domino, vt ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum citò miſericordiam ſuam. Vnde magnus Baſilius in pſal.32., ita loquitur: Vult tui miſereri; ſcilicet Deus; modò poſt admiſſa humilem te factum, & poenitentem, & lugentem inueniat. Quid modò ait Martinus, contritionem hypocriſim eſſe, atque peccatum? Quid rurſus ait, quòd quicquid fit extra charitatem, & non ex toto corde, hypocriſis item eſt, atque peccatum? Nónne benè oſtendimus nos, quòd hypocriſis idem eſt quod ſimulatio, & per conſequens hypocrita idem quod ſimulator? Nomen igitur hypocriſis, eiusq́. ſignificatum, vel ignorauit Lutherus, vel ignorare ſimulauit. Id quod etiam uolumus de nomine atque ſignificato contritionis. Nam duo ſunt motus cordis, ſiue animi humani, quibus dolet homo, & peccata abominatur; nimirum contritio, & atttitio. Prima eſt dolor peccatorum propter Deum, vel quatenus ſunt Dei offenſa. Attritio autem eſt dolor peccatorum, nõ qua ratione ſunt offenſa Dei, ſed quatenus ſunt nobis nocua. Nimirum quia cauſa ſunt poenæ, aut in hoc, aut in futuro ſeculo. Vnde contritio eſt actus charitatis, attritio nequaq̃, ſed eſt rantùm initium poenitentiæ. Lutherus autem; vt ſui moris eſt; quò totam diſputationẽ inuoluat, alteram cum altera confundit; & neutram ait ueram eſſe, ſed ſimulatam, niſi fiat amore iuſtitiæ. Idq́. quoniam ipſe cum tota Lutherana ſchola, impietatem reputat, opus eſſe ullum naturale moraliter bonum, ita medium inter amorem & odium Dei, vt à neutro procedat. Atque adeò negat fidem extra charitatem, fidem eſſe. Vnde colligunt Lutherani, quodcunque peccatoris opus, quoniam ex amore non fit, ex odio procedere; ideoq́. peccatum eſſe. Contritionem itaque cum attritione confundendo, docet Lutherus, quòd ſicut attritio eſt extra charitatem, ita etiam contritio. Cùm autem inter Dei amorem & odium, nullum, inquit, ſit opus moraliter bonum; fit neceſſariò conſequens, vt attritio, cùm ſit extra charitatem, ſub Dei odio cadat, & ita ſit peccatũ. Id quod etiã dicitur de contritione, quoniam vnam cum altera confundit. Vnde articulo.6.ait: Primùm hoc nemo negabit, Contritionem quantumlibet magnam, niſi fiat amore iuſtitiæ, & (vt ipſimet dicunt) in charitate Dei, non eſt uera, ſed ſimulata. Sic Lutherus. Cæterùm quòd id ſit omnino falſum & hæreticum de cõtritione, iam ſatis commonſtrauimus. Quòd item ſit falſum & hæreticum de attritione, declarat Sacroſancta Tridentina Synodus, ſeſsio.6., cano. 8. his uerbis: Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus,

peccatum

peccatum eſſe,aut peccatores peiores facere; anathema ſit.

Sed probatur ratione: Nam ſi quis homicida ſit,pariterq́. impudicus, & dum horum eſt flagitiorum reus, hoſpitalis ſit erga pauperes,ſit beneuolus in ciues,ſi oret,ſi fidem corde & ore confiteatur, ac demum ſi man ducet,aut bibat;nunquid hæc omnia in odium Dei faciet? Minimè gentium.Ergo nec ſi perterritus iudicio diuino,cupiens ad Deum toto pectore reuerti, eleemoſynas diſtribuat in pauperes, inedia maceret carnem,aſsiduis orationibus inſiſtat apud Deum,& alia id genus operetur; quia ex amore Dei non fiunt, ob id non ſequitur quòd ex odio procedant;cùm ſint genere ſuo bona. Quare non ſunt peccata.

Adhuc: Quemadmodum poteſt quis citra charitatem,amicorum deflere amiſsionem, aut iacturam alicuius rei pretioſæ;ita poteſt peccator, mortem & damnationem animæ propriæ,coeleſtisq́.regni diſpendium, citra charitatem lugere. Quòd ſi uerè lugeat,& doleat ex corde,non eſt ob id cenſendus hypocrita.Quandoquidem non aliud foris ſimulat,quod non uerè ſentiat intus; atqui in vultu quem foris dolorem exhibet,eundem gerit intus in corde. Cuius oppoſitum facit hypocrita; veluti diximus.

Vnde ex his ſatis conſtare poteſt, id falſum eſſe & hæreticum,quod aſſerit Martinus; nimirum quod non fit ex toto corde, peccatum eſſe. Is enim peccator de quo eſt modò ſermo,ex corde dolet,quanq̃ non ex toto.Nam ſi non ex corde doleret,dolorem tamen in vultu prætexeret; iam rectè colligeremus, hunc dolorem hypocriſim eſſe. Huiuſmodi ergo doctrina rectè percepta, facile eſt Lutheri tollere rationem. Cùm enim ait: Quicquid fit extra charitatem,non fit ex toto corde; admittitur. At cùm infert: Eſt ergo hypocriſis. Negatur omnino. Cùm probat authoritate Domini dicentis: Populus hic labijs me honorat,cor autem eorum longè eſt à me; authoritas eſt contra Martinum. Quoniam aliud in ore, aliud in corde habebat populus ille.Qui autem ex corde orat,licèt non ex toto,non ita ſe habet; quoniam quod in ore habet,reſidet in corde. Non igitur quicquid fit extra charitatem, & non ex toto corde eſt peccatum. Nec diui Pauli authoritates oppoſitum inducunt,at magis propoſitum. Proptereaquòd in illis vult habere Apoſtolus,quòd licèt prophetia ſine charitate ſit bona in genere ſuo; non tamen meritoria vitæ æternæ; idcirco nihil eſt in iudicio & æſtimatione Dei ad vitam æternã. Siquidem illa Caiphæ prophetia,vera fuit & bona in genere prophetiæ; veluti conſtat Ioan.11.; nihil tamen fuit in conſpectu Dei,ad vitã æternam promerendam.Idem dicitur de fide.Licèt enim fides mortua & informis nihil faciat ad vitam æternam conſequendam;at ob id non ſequitur quòd ſit peccatum,ſed habet rationem, & ueram fidei ſubſtantiam. Quum igitur ait Martinus: Quod fit extra charitatem,non fit ex toto corde; & per conſequens nihil eſt ad vitam æternam conſequendam. Ergo eſt peccatum. Negatur prorſus illatio. Cùm probat authoritate diui Apoſtoli,patet quid dicendum. Et ita perit etiam eius ſecunda ratio.

Sed urgent hæretici ex Auguſtino; qui in .2. Epiſtola ad Sixtum,quæ Dub. Tom. 3.
eſt nu-

eſt numero .105., in hunc modum effatur: Et ideo percipiendæ huius gratiæ,merita nulla præcedunt; quoniam meritis impij, non gratia,ſed poena debetur.

Solutio Atqui facilè diluitur ex dictis dubitatio; quandoquidem loquitur.D. pater Auguſtinus de impio,ſub ea ratione qua impius eſt; non quatenus moraliter operatur. Quoniam bona moralia,ſiue opera moraliter bona, neque vitæ æternæ, neque ſupplicij merita ſunt. Vnum autem quod habeat homo peccatum mortale,mox ipſum reddit impium,& æterno ſupplicio dignum.Non igitur impius eſt homo propter opera moraliter bona,ſed propter lethale crimen. Ob id meritis eius non gratia,ſed poena debetur.

Ad 3. Tertiæ quoque rationis, ex Concilio Arauſicano deſumptæ, ex dictis facilè ſolutio conſtat.Verum ſiquidem eſt,quòd in noſtra conuerſione,Deus non expectat noſtram uoluntatem,ſuam ipſius uoluntatem præ *2.Corin.3* uenientem; quoniam,Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt, Apoſtolus ait. *Pſal.20.* Sed ipſe præuenit nos in benedictionibus dulcedinis. At ob id non ſequitur, quin cooperemur nos ſanctiſsimæ ſuæ uocationi. Illius igitur Concilij definitio,ad gratiam non iuſtificantem, ſed præuenientem eſt referenda. Vt enim iuſtificemur, ipſe Deus benedictus nos præuenit,vt velimus, & aſſentiamus, & ſuæ cooperemur uocationi.

Ad 4. Ad quartam rationem patet ex dictis in ſuperioribus. Aliàs enim ex D.Tho.expoſuimus quare iuſtificatio dicatur creatio.Quoniam ſcilicet ſicuti creatio fit ex nihilo,ideſt,nullo præſuppoſito ſubiecto; ita etiam iuſtificatio noſtra dicitur fieri ex nihilo, quia fit nullo præcedente merito noſtro.Eſt tamen diſcrimen inter utranque; quòd creatio nullum præſupponit ſubiectum.In iuſtificatione autem,aliquod præſupponitur ſubiectum,nempe anima noſtra, & hæc benè diſpoſita, & præparata; vt ſit verum illud Auguſtini:Qui fecit te ſine te,non ſaluabit te ſine te. Vnde inter creationem & iuſtificationem, quædam ſola ſeruatur proportio & analogia.

Ad 5. Quinta item ratio facilè tollitur,ſi ea attendamus,quæ aliàs diximus. Nimirum quòd quædam ſunt opera quæ facit Deus ſine nobis, quædam nos ſine Deo,quædam fiunt ab utroque ſimul.Prima ſunt uocatio,admonitio,inſpiratio,& id genus alia. Secunda ſunt peccata.Tertia ſunt,fides, ſpes,dilectio,poenitentia, & omnia opera concurrentia ad noſtram iuſtificationem,quæ affectum liberum cordis noſtri deſignant.Item in noſtra iuſtificatione requiruntur initium,medium,& finis. Initium eſt uocatio, finis,productio qualitatum ſupernaturalium, gratiæ ſcilicet & uirtutum, quibus completur iuſtificatio noſtra, & formaliter (quod aiunt) iuſtificamur.Medium,fides,ſpes,dilectio,& quæ tertio loco diximus. Modò principium & finis eſt à ſolo Deo; propterea optimè dixit Dominus: Non vos me elegiſtis. &c. Verum quoque eſt quòd gratia ſaluati ſumus per fidem, quoniam donum Dei eſt. Niſi enim Dominus uocaret nos ad fidem,in eum quomodo crederemus?Medium autem eſt ab utroque ſimul.

Quando-

Quandoquidem diuinæ uocationi aſſentimus,& ei cooperamur.

Dico ſecundò,quòd quando ſcriptura diuina ſoli Deo iuſtificationem noſtram tribuere uidetur;id propterea fit,quoniam Deus eſt omnium operum noſtrorum pricipalior cauſa;vt à nobiliori ſemper fiat denominatio, & ab eo, ſine quo impoſsibile eſt nos ſaluari.

Cùm poſtea ſequitur, quòd quæcunque recogitatio peccatorum ante gratiam,neceſſariò ingenerat odium legis; id omnino negamus. Cùm probat quia,Lex ſubintrauit ut abundaret delictum;non eſt ille Apoſtoli ſenſus, quòd lex fuerit impoſita, ſiue intenta, vt homines ad peccandum induceret; ſecus non eſſet lex ſancta,& mandatum ſanctum; quod ait Apoſtolus ad Roma.9. At ex eo quod prohibebat,concupiſcentiam tamen quia non extinguebat,occaſio erat, non uniuerſis, at ſenſualibus hominibus peccandi; tum multiplicando mandata, tum quòd hominis appetitus uehementiùs nititur in uetita. Coniunctio enim (vt) non eſt ibi poſita,vt rationem reddat;verùm ut quod accidiſſet indicaret. Quoniam data eſt non ut faciat abundare delictum, ſed ut nos ſeruet,& erudiat.Atqui non obſeruata,auxit peccatum;non quòd per propriam naturam peccatum augeat;ſed per ſocordiam eorum,& tranſgreſsionem,qui ipſam non obſeruant.Prima igitur oratione; quæ eſt baſis totius ratiocinij; exiſtente falſa,tota ratio ruit. *Ad.6.*

Septima quoque iam ex dictis eſt ſoluta. Quoniam ſenſus Auguſtini eſt,quòd in homine impio non ſunt merita ad gratiam habendam. Quoniam ſi unicum habeat peccatum mortale,dignus eſt ſupplicio æterno; veluti diximus. At ob id non ſequitur,quin poſsit ſe parare ad gratiam. Sunt enim quædam opera humana,quæ nec ſunt Deo grata ad vitam,nec odioſa ad poenam æternam;vtpotè opera moraliter bona. Per hæc autem præparat ſe homo ad gratiam. Quæ quidem, licèt non ſint merita gratiæ, non ſunt merita poenæ. Vnde ratio, vnum præſupponit omnino falſum. Nempe, quòd ſacroſancta Eccleſia Romana illud doceat, quòd in præparatione hominis ad gratiam, mereatur ipſam gratiam. Id quod tamen minimè admittitur. Quoniam opera & ſtudia bona,quæ præuenti adiutorio diuinæ gratiæ facimus,ſunt præparationes quædam,diuinitus nobis elargitæ,quibus efficitur anima noſtra apta & idonea ad gratiam iuſtificantem ſuſcipiendam,diuinitus miſericorditer infuſam;quam Deus in nobis,ſine nobis operantibus,non autem ſine nobis conſentientibus, operatur. Vnde iuſtitia noſtra non ex nobis, at ex Deo optimè dicitur. Quare ad Romanos cap.10. Apoſtolus ait: Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam uolentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Ad quæ diuus inquit Anſelmus: Iuſtitia Dei hic dicitur,non qua iuſtus eſt Deus, ſed quam dat homini,vt iuſtus ſit homo per Deum. Iuſtitia autem illorum erat,(ſubaudi, Iudæorum) quia de ſuis viribus præſumebant,& quaſi impletores legis ſeipſos ex ſua uirtute dicebant. Ignorabant ergo iuſtitiam Dei; ideſt, quam dat homini Deus,qui ſolus eſt iuſtus, atque iuſtificans;& uolebant conſtituere ſuam; ideſt, velut à ſe ſibi paratam, non ab illo impertitam;& ideo iuſtitiæ Dei non erant ſubiecti,quia ſuperbi erant, *Ad.7.*

de ſuo

de ſuo putantes,non de Dei,placere poſſe ſe Deo.Hactenus diuus pater Quemadmodum igitur, inquit doctiſsimus Medina, lutum ſe habet ad figulum in formatione vaſis, ita ſe habet impius ad iuſtificatorem Deum; in opere iuſtificationis. Lutum enim quamuis optimè præparatum,formam artis ex ſe non recipit, at ex uoluntate figuli. Et laborator inſcius artis figulinæ, molliens & præparans lutum, non inducit formam artis, nec ob id meretur ut à figulo introducatur. Ita & peccator,quantumlibet ſe ad gratiam præparet Dei adiutorio, credendo, operando, poenitendo,diligendo; nec illam ex ſe accipit,nec propria uirtute meretur; ſed ex uirtute & operatione Dei,intus abluentis,& gratiam infundentis. Et licèt fide,poenitentia,& dilectione ſe præparet ad ſuſcipiendam gratiam, atque iuſtitiam, & per conſequens dicatur cooperari ad ſui iuſtificationem; ob id tamen nulla eſt efficientia, ſiue gratiæ cauſalitas,neque eiuſdem aliquod meritum; at ſolùm dicitur homo cauſa præparatoria. Non magis q̃ præparans lutum, & aptans materiam uaſis formandis,dicitur cooperari in opere artis.Qui ratione formæ introducendæ,nec meritum,nec cauſalitatem habet,niſi præparatoriam.Huic ſimile docet Apoſtolus Paulus priori ad Corinthios epiſtola,cap.3.,cum ait: Ego plantaui,Apollo rigauit;ſed Deus incrementum dedit;ideſt,non Paulus plantans,neque Apollo rigans dedit uobis incrementum iuſtitiæ,ſed Deus. Ita peccator,fide & ſpe ſe conuertit ad Deum;diligit,poenitet,ſupplicat; ſed Deus eſt qui incrementum dat remiſsionis peccatorum & ſalutis. Proinde negamus quòd gratia iuſtificans cadat ſub merito actionis noſtræ. Vnde ceſſat Martini ſeptima ratio.

Ad 8. Ait demum octauo loco Ioannes Caluinus: Qualem,obſecro,diſpoſitionem inueniet Spiritus Dei in cordibus lapideis?

Cui dicimus,quòd peccatorum corda ſunt quidem lapidea,ſi abſolutè conſiderentur. Emolliuntur tamen à Deo, gratia ſua benedicta,accedente quoque ipſorum peccatorum aſſenſu. Propterea negamus,quòd Spiritus Dei ubique in ſcripturis dicat oppoſitum.Item cùm ait: Et qualis erit cordis ferrei à ſeipſo præparatio,donec mirabili conuerſione carneum eſſe coeperit? Dicimus, Caluinum vnum ſupponere maximè falſum; quòd nempe cum Pelagio uelimus,peccatorem ſuo mero libero arbitrio abſque diuino auxilio,ſe ad gratiam præparare,illamq́. promereri; quod abſit. Hæc autem cùm ex dictis optimè conſtent,finem huic capiti impono,& ad alia me accingo.

Nunquid diſpoſitio hac, humanis viribus fieri poſsit; ita vt ſit ibi meritum de condigno prima gratia. Cap. 32.

EX ijs quæ in ſuperioribus habuimus, id falſum & hæreticum eſſe optimè conſtat, quod uolebat Lutherus; nimirum quòd liberum hominis arbitrium, dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter, & quòd contritio facit hominem magis peccatorem. Reliquum eſt modò

vt videa-

vt videamus, an ualeat ſe homo præparare ad gratiam, abſque ſpeciali Dei auxilio. Quod quidem ut clarius præſtare ualeamus, quædam ueniũt præmittenda. Quia igitur in ſuperioribus diximus, quòd hominem facere quod in ſe eſt, non intelligitur ante auxilium Dei, ſed potius Deo præueniente; quia tunc homo facit quod in ſe eſt, quando Deo inſpiranti reſpondet cooperans, vt certiſsima lege conſequatur gratiam; vt nihilominus tollatur æquiuocatio omnis, quæ multoties præclara quoque decipit ingenia, illud in primis noto, quòd hominem facere quantum in ſe eſt, trifariam intelligi poteſt. Vno quidem modo, facere quantum in ſe eſt, eſt facere quantum ipſa natura poteſt ex ſe; ideſt, ex ſuis ſolius viribus, à conditore naturæ inſitis, non peculiariter attractis à Deo Patre; veluti ædificare domos, plantare vineas, diligere benefactores, honorare parentes, non furtum facere, non mentiri, non falſum teſtimonium dicere. Et ita faciens quod in ſe eſt, neque meretur gratiam, nec ad acquirendum gratiam ſeſe præparat; quia ad habendam gratiam, præparatur voluntas à Domino.

Secundò facere quantum in ſe eſt, eſt pro tempore & loco facere quãtum ipſa natura, abſque habituali gratiæ dono, facere poteſt, ex rationalis naturæ uiribus, peculiariter à Deo Patre ad initia fidei attractis. Et ſic facienti quod in ſe eſt, largitur Deus initium fidei; ex qua etiam orare, inuocare, quærere, atque Dei miſericordiam implorare ualeat. Et hic iam eſt primus rationalis animæ tractus, qui non tanq̃ Dei generalis influxus ponendus uenit, omnibus ſemper hominibus, ſecundùm conditionem humanæ naturæ, iam poſt lapſum Adæ debitus; quemadmodum ratiocinari, aut benefactores diligere; quod & iuxta Seruatoris noſtri doctrinam; ethnici faciunt; ſed eſt peculiaris & gratuitus tractus, ante quem rationalis animus neque orare poteſt ut trahatur, neque deſiderare gratiam, qua iuſtus efficiatur.

Tertio modo facere quantum in ſe eſt, eſt facere quantum natura adiuta fide deſuper data, poteſt facere pro remiſsione peccati, aut pro perſeuerantia gratiæ impetranda. Et ita Deus facienti quantum in ſe eſt dat gratiam. Sic autem facere quod in ſe eſt, non poteſt quiſq̃, abſque auxilio habitualis gratiæ. Siquidem nemo facit quicq̃ pro gratia deſuper impetranda niſi ex agnitione, fiducia, & gratiæ deſiderio. Agnoſcere autem & deſiderare gratiam, non eſt abſque dono habitualis fidei gratuitæ. Et his duobus poſterioribus modis, docent ſacri noſtri theologi, Deum illuſtrare, & gratiam facere ijs qui faciunt quod in ſe eſt; eos intelligentes facere quod in ſe eſt, qui uel ad impetrandam gratiam, vel ad perſeuerandum in gratia, faciunt quantum poſſunt, ex ijs quæ in ſe præſtò habent, vtcunque iam Dei tractum ſentientes. Ita docet grauiſsimus, pariterq́ doctiſsimus dominus Ioannes Driedo. Cuius quidem trimembrem diuiſionem, reducunt alij theologi non infimæ claſsis, ad bimembrem. Ita ut facere quod in ſe eſt dicatur poſitiuè, & priuatiuè. Sub ſecundo membro, clauditur primus quem diximus modus. Sub primo verò, duo poſteriores. Ita dominus Bonauentura, in 2. theologicarum

ſenten-

ſententiarum, diſtinct. 28., q. 2. ar. primo, in ſolutione quartæ rationis.

Bifariam quoque accipitur diſpoſitio ad gratiam; vt dicatur una remota, alia propinqua. Prima illa eſt, cùm operatur homo quodcunque opus moraliter bonum, proprijs viribus naturalibus, cum Dei auxilio generali, propter honeſtum, aut propter aliquas rationes, & neceſsitudines humanas, quæ bonæ ſunt genere ſuo. Et hæc diſpoſitio, impropria eſt & inſufficiens, nec eſt omnino neceſſaria. Quoniam opera illa naturalia, ſtatuta lege quaſi propriam diſpoſitionem, non ſubſequitur iuſtificatio. Secunda illa eſt, cùm homo ita ſe ad gratiam præparat, quòd certò ſemper, & infallibiliter ſubſequitur gratia. Iſta propria dicitur, & propinqua, ac omnino neceſſaria.

Geminus, inſuper, eſt trahendi modus, ſecundùm quem Deus trahit quos iuſtificare uoluerit. Vnus dum ad initium habitualis fidei excitat, ſuggerit, inſpirat; & ante hunc trahendi modum, orare non poteſt anima vt trahatur. Alius eſt, ſecundum quem excitat dormientem fidem, iam olim inſpiratam. Quamuis autem ante fidem, neque ſicuti oportet orare ualeamus, nequidem in nobis fidei ſumen; aut charitatis ignem immittere; vtique tamen poſſumus, diuinitus ad fidem & pœnitentiam tracti, atque adiuti, oſtium cordis noſtri aperire, & non reluctari Deo intus pulſanti, ac ſuggerenti. Et audientes Deum intus excitantem & loquentem, ab eo accipimus fidei & charitatis ſpiritum; etiam interdum in ipſo momento, quo primùm uocamur; quamuis crebrius motus quidam antecedant imperfecti, & inſufficientes ad gratiam iuſtificantem ſuſcipiendam. Vnde patet quòd fide qua credimus, ſemper eſt naturà prior gratuitus quidam tractus Dei, intus pulſantis & attrahentis; per quem tractum, poteſt homo aliquid facere, quo facto, Deus illuſtrabit eum. In qua ſanè illuſtratione, homo ipſe quod facit, non ex ſe ſolo facit, ſed adiutus & tractus à Deo; qui facit eum hoc facere, non inclinationis neceſsitate, ſed libera uoluntate. Et ita Deus dicitur aperire cor noſtrum & labia noſtra; quæ tamen, vt in ſacris legimus ſcripturis, nosipſi aperimus, quia ipſe facit vt hæc nos ei uoluntariè aperiamus. Ipſe facit ut uelimus, atque ita uelimus, vt deinceps eidem cooperemur uolentes. Quemadmodum languens, ſeu claudus, quamuis nequeat illuminare domum, neque immittere lumen oculis ſuis; vtique tamen poteſt innixus baculo, vel alicuius auxilio adiutus, erigere ſe, & aperire feneſtras; quo facto, illuminabitur domus, vt iam uideat oculis ſuis lumen Solis. Ita diſcurrit doctiſsimus Driedo, de captiuitate & redemptione generis humani, tractatu quinto, cap. 2., par. 2. Ex quibus omnibus facilè conſtat, qua ratione in tractatu 26. ſuper Ioannem dicat Auguſtinus: Si non traheris, ora ut traharis; cùm tamen orare non poteris, niſi & iam tractus fueris.

Tom. 9.

Noto etiam unum aliud, ad ea quæ diximus optimè conſequens; vt huiuſcæ noſtræ tempeſtatis hæreticorum uerſutia clariùs dignoſcatur. Apocalypſis enim cap. 3. dicit Dominus: Ego ſto ad hoſtium & pulſo; ſi quis aperuerit, ego intrabo, & cœnabo cum illo. Petrus Apoſtolorum

coriphæus,

coriphæus,in ſecunda ſua catholica epiſtola, cap.3., ait: Deus patienter agit,expectans,& nolens aliquos perire,ſed omnes ad poenitentiam reuerti . Vnde propter huiuſmodi, & alias conſimiles authoritates , concluſio quædam elicitur,quæ talis eſt:Deus adeſt omnibus,quantum in ſe eſt facientibus, paratus & uocare illos, & quæ ſaluti eorum ſunt neceſſaria reuelare, & intus trahere, atque ita inuitare, vt, ſi uelint, credere valeant. Hanc tamen irrident Proteſtantes, quia dicunt,omnem hominem quantum in ſe eſt facientem,peccare. Quoniam ſolam attendunt grammaticalem ſermonis ſignificationem . Penès quam dicitur ille facere quantum in ſe eſt, qui facit quantum facere poteſt, ex ijs quæ in ſe habet.At nec ſeipſos nec alios intelligunt. Quoniam tria poſſunt reperiri in homine,quibus liberum operatur arbitrium; primum natura; ſecundum peccatum in natura,ſiue in carne habitans,quod intrauit per Adæ peccatum; poſtremum eſt gratia per Chriſtum facta. Liberum arbitrium,neque per peccatum habitans in natura,neque per gratiam agit quicquam, quod non agat per naturam; quæ tam peccati q̃ gratiæ eſt ſubiectum,ſiue fundamentum. Atuerò aliud eſt,hominem facere quantum in ſe eſt; aliud autem,hominem facere quantum poteſt,ex ijs quæ à ſe habet . Et aliter ſentiendum eſt de homine, qui iam prorſus ſibi derelictus abſque Dei miſerentis gratia, ſed ſub ſolo Dei generali influxu,quantum in ſe eſt facit. Aliter de homine, qui nondum iuſtificatus, deſuper tamen attractus vt credat , incipit facere quantum in ſe eſt. Aliter de homine, qui iam iuſtificatus, quantum in ſe eſt facit. Quandoquidem homo in primo ſenſu acceptus, nondum ſcilicet credens, nondum fidem habens,ſed ſibi derelictus in ſolis naturæ iam uitiatæ talentis,faciens quantum in ſe eſt,ſeſe ad accipiendum fidei gratiam minimè præparat; vnde nec ſaluatur, nec à peccato liberatur. Quia abſque gratuito Dei auxilio, crucem, mortemúe Chriſti reuelantis, intusq́. docentis, atque trahentis, nemo incipit credere. Homo igitur nondum credens, non ſic attractus, ſed ſibi derelictus in ſolis naturæ uiribus, quantum in ſe eſt faciens, non ſeſe facit ad accipiendum fidem præparatum; quia ad accipiendum fidei gratiam, præparatur uoluntas à Domino . Nec obſtat inſtantia de Cornelio ; quoniam nec ipſe erat abſ- *Act.10.*
que omni fide, quando orabat, & dabat eleemoſynas. Initium enim fidei datur non petitum; vt homo iam incipiens credere, ex ipſius fidei petitione, cætera bona aſſequatur . Homo uerò in ſecundo ſenſu conſideratus, nondum uidelicet iuſtificatus, & nondum fidem habens, tamen ad accipiendum gratiam fidei attractus, ſi quantum in ſe eſt Deo adiuuante faciat; huic Deus ipſe benedictus non deeſt in neceſſarijs ad ſalutem. Quare ſe ad gratiam præparat. Homo denique in tertio ſenſu acceptus, qui ſcilicet iam eſt iuſtificatus; ſi faciat quantum in ſe eſt, non deeſt Deus ſuper his quæ ſunt illi ad permanendum in ſalute neceſſaria ; quia talis homo iam iuſtificatus, habet Spiritum Dei inhabitantem,paratum adiuuare imbecillitatem illius. Proinde talis pro ſalute ſua,ſeu perſeuerantia in gratia, quantum in ſe eſt faciens, non ex ſolis na-

turæ talentis, ſed etiam ex dono fidei & charitatis operatur. Vnde doctores cùm dicunt, Deum homini quantum in ſe eſt facienti non deeſſe ſuper his, quæ ſunt ei neceſſaria ad ſalutem; intelligunt de homine quantum in ſe eſt faciente, coelitus attracto, ad Dei gratiam accipiendam.

Luc.11. Quod & uerum eſt; quoniam dat Deus ſpiritum bonum petentibus ſe; *Pſal.144* propè eſt omnibus inuocantibus eum; aperit pulſantibus; illuminat *Pſal.33.* omnes accedentes ad ſe; Inuenitur ab ijs, qui fidem habentes in illum, quærunt eum in toto corde ſuo, in tota tribulatione animæ ſuæ. Hæreticus autem accipiens unum facere quod in ſe eſt pro alio, & omnia in vnum confundens, hominem dicit peccare, dum facit quod in ſe eſt. Vult enim omnia opera noſtra eſſe vel Deo grata, vel odioſa; ita vt nihil detur medium. Quo iacto fundamento, accipit deinde facere quantum in ſe eſt, iuxta grammaticalem ſermonis ſignificationem; quatenus ſcilicet ſignificat, hominem facere quantum poteſt, ex ijs quæ in ſe habet. Et ita vult eum ſemper peccare, dum facit quantum in ſe eſt. Catholici autem, Chriſtianiq. doctores, inter opera Deo grata & odioſa, media collocant opera moraliter bona, & naturalia, quæ nec grata ſunt, nec Deo odioſa. Manifeſtum eſt enim, liberum arbitrium ſine gratia, ſtante prouidentia Dei gubernantis, & cooperantis, poſſe benefactores diligere, non furtum facere, non falſum teſtimonium dicere, propter honeſtum & bonum ciuile; item poſſe ædificare domos, plantare vineas, comedere & bibere pro ſuſtentatione naturæ. Hæc autem cùm ſint bona in genere ſuo, quî fieri poteſt ut ſint peccata; & peccata mortalia? Hoc enim aduerſatur diuo Auguſtino, in ſuo Hypognoſticon. Sed de his inferius. Sine gratia igitur poteſt homo agere aliquid, & hoc ipſum faciendo non peccare. Sed ſic ſibi derelictus abſque Dei gratia, faciens quantum in ſe eſt, non idcirco ad gratiam præparatur, aut ſaluatur, aut à peccato liberatur. In hac igitur quæſtione ſermo eſt de præparatione, ſiue diſpoſitione propria, & ad iuſtificationem neceſſaria; & facere quod in ſe eſt, in ſecundo, & tertio accipitur ſenſu. Vt ſcilicet homo faciens quantum in ſe eſt iuſtificetur, & ſit ſufficienter ad gratiam præparatus; ita ut certiſsima lege ipſã conſequatur. Vnde iuxta hunc ſenſum, ad quem ſemper, in hac materia, doctores catholici loquuntur, hanc ponimus concluſionem.

Concluſio. Sine diuino adiutorio, non poteſt facere homo quod in ſe eſt, vt iuſtificetur, & ſit ſufficienter præparatus ad gratiam. Et idcirco cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt; dicitur, hoc eſt in poteſtate hominis, quatenus eſt motus à Deo.

Probatur primò concluſio ex eo quod Ioannis cap. 6. dicebat Dominus: Nemo poteſt uenire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Ex quo ſupra adnotauimus, duce beatiſsimo patre Auguſtino, quod non dixit Dominus, niſi Pater duxerit; ne intelligatur uoluntatem noſtram aliquando præcedere: Nemo enim trahitur qui prius uolebat; ſed trahitur ut uelit. Pſalmo quoque 77. ait magnus Propheta: Deus conuerte nos; & oſtende faciẽ tuã, & ſalui erimus. Et Ieremiæ cap. 31. legitur: Cõuerte me, Domine,

& conuertar; quia tu Dominus Deus meus. Et Thren.5.: Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur. Item pſalmo.20.: Quoniam præuenisti eũ in benedictionibus dulcedinis. Et pſalmo.58.: Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Et quando dicitur in ſcripturis: Conuertimini ad me *Iohel.2.* in toto corde veſtro; &, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; *Zacha.1.* noſtræ libertatis admonemur; vt ſciamus per nos ſtare, quò minus, à Deo iugiter ad oſtium pulſante, conuertamur.

Secundò probatur eadem concluſio. Quandoquidem non aliud eſt præ 2. parare ex parte Dei, q̃ hominis cor tangere, voluntatemq́. prauam aptare, vt opus bonum velle queat. Ad Hebræos autem cap.13., ait Apoſtolus: Deus autem pacis qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum; aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe per IESVM Chriſtum. Diſpoſitio igitur noſtra ad gratiam, Deum habet, liberum noſtrum arbitrium præuenientem. Vnde beatus Anſelmus, hæc diui Apoſtoli verba exponens, ait: Deus aptet vos, id eſt, aptos & voluntarios vos faciat, in omni opere bono: quia niſi ipſo in uobis operante, nihil poteſtis agere, quod oculis eius placeat. Hæc eſt gratia quæ mentem præuenit, & adiuuat, vt homo ſuæ uoluntatis & operationis obſequium ſubiungat. Et dictum eſt hoc, ne de liberi arbitrij ſui viribus præſumerent, & quaſi ex ſeipſis hæc poſſe benè agere putarent. Hæc ille.

Idem tertiò probatur, ex eo quòd niſi Deus in noſtra conuerſione, 3. ſeu iuſtificatione mentem noſtram præueniret, ad quid hominum reſiſtẽtiam, qua ſuæ monitioni, & uocationi ſæpius reſiſtunt, accuſaret, dicens: Vocaui & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſ- *Prouer.1* pexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; Ego quoque in interitu veſtro ridebo?

Hoc idem quartò declaratur, authoritate diui patris Auguſtini, qui li- 4. bro.3. Hypognoſticon, ita loquitur Vitiato ergo libero arbitrio, totus ho *Tom.7.* mo eſt vitiatus; per quod abſque adiutorio gratiæ, quod Deo placeat nec valet incipere, nec perficere ſufficit. Præuenitur autem medicina, id eſt, Chriſti gratia, vt ſanetur, & reparetur in eodem vitiata, atque præparetur voluntas: quæ ſemper indigens adiutorio, illuminante gratia Saluatoris, poſsit tam Deum cognoſcere, q̃ ſecundùm eius viuere voluntatem. Cùm enim dicit per Prophetã Dominus: Et dabo in vos cor nouum & ſpiritũ *Ezech.36* nouum; quid aliud ſignificat, niſi uoluntates hominum lapſas præuaricatione veteris hominis, per Chriſtum, nouum hominem reparari, & præparari ad Dei voluntatem, ſicut ſcriptum eſt, Præparatur voluntas à Domino? Hactenus beatus ille pater.

Qui poſtea ſubdit, quòd fidelis homo ſe cognoſcens à Deo tali pacto illuminatum, vt ad Dei ſemper ſit paratior uoluntatem, ſecurus clamat ad eum, dicens: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in *Pſal.50.* viſceribus meis. Et, Reuela oculos meos; & conſiderabo mirabilia de lege *Pſal.118* tua. Et, Notam fac mihi Domine viam, in qua ambulem. Et, Domine ad te *Pſal.142*

 confugi,

confugi, doce me facere uoluntatem tuam; quia tu es Deus meus. Quòd ſi vox iſta, inquit, iam credentis non eſt, quomodo inuocabunt in
Roma.10. quem non crediderunt? Non ergo homo uoluntate ſua, adhuc in vitio liberi arbitrij claudicante, præuenit Deum vt cognoſcat, & quærat eam gratiam, tanq̃ pro meritis accepturus; ſed præcedit, vt iam dixi, miſericordiſsima gratia ſua Deus, hominis ignorantis, & nondum ſe quærentis, voluntatem liberi arbitrij, vt eum ſe ſcire, & quærere faciat. Ita concludit Auguſtinus. Qui deinde proſequitur ad idem comprobandum, alijs ſacræ ſcripturæ authoritatibus; quas miſſas facio breuitatis ergo, & ad Cõcilia pedem conuerto.

.5. Quinto igitur loco, eadem probatur concluſio, authoritate Concilij
Tom.1. Arauſicani, cano.4.; quo loci ita notatum habemus: Si quis vt à peccato liberemur, contendit quòd Deus expectet uoluntatem noſtram, non autem vt & purgari uelimus per Spiritusſancti infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit Spirituiſancto, per Salomonem dicenti:
Prou.19 Preparatur uoluntas à Domino; & Apoſtolo prædicanti: Deus eſt qui ope-
iuxta.70. ratur in nobis & velle & perficere pro ſua voluntate.
Cano.6. Et iterum, Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, amantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, & pulſantibus, & quærentibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus vt credamus, vel hæc omnia ſicut oportet facere ualeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritusſancti in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? Et iterum: Gratia Dei ſum id quod ſum. Hæc ibi.

Item cano.12. dicitur; Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus merito noſtro. Et cano.14.: Nullus miſer de quacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur; ſicut
Psal 78. dicit Pſalmiſta: Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ. Et iterum: Deus
Psal.58. meus, miſericordia eius præueniet me.

Hoc idem confirmat ſacroſancta Tridentina Synodus, ſeſsio.6., cap.5.; cuius verba in præcedentibus retulimus. Noto nihiloſecius vnum propter iuniores; q; népe ſunt qui velint, quinque eſſe præparationes; quarum prima ſit, quam Deus ab æterno, anteq̃ homo eſſet, ſolus fecit; præparans electis bona opera, in quibus libero cum arbitrio ambularent. Secunda dicitur illa, quæ à Dei quoque prouidentia proceſsit; dum ſuo generali influxu, hominum voluntates excitando, propria bonitate omnia nobis tribuit, quæ hominibus conueniunt. Tertia, quando homo anteq̃ iuſtificetur, à Deo uocatur, & inſpiratur, ſpecialiq; motu à Spiritu Dei, ad diligendum Deum mouetur, in quem tanq̃ in finem, homo ipſe principio credit; itaque motus orat, ieiunat, & cætera facit eiuſdem generis. Quam præparationem, ea de re uolunt eſſe remotam, quia abſque vllo merito condigno, ſic hominem præparari Deus ipſe dat, vt ipſius deinde miſereatur. Quandoquidem homo ei placere non poſſet, niſi vnde placeret, Dei bonitas condonaret. Quartam animæ præparationem illam vocant, dum ipſa iuſtitia infunditur, quæ proxima nuncupatur. Ex his

quatuor

quatuor præparationibus, quinta accedit; quando homo cum gratià cooperando, multa operatur, adhuc ſe iuſtificans; quæ quidem, altera ab illa erit, quando impius fit iuſtus; vel à Domino poſt actualè aliquod peccatum, ad priſtinam gratiam reſtituitur. Quandoquidem hæc non ſolum vt plus ſe iuſtificet, verùm etiam ad ſuſcipiendum coronam fit, vt coronatus regnum coelorum intrare queat. Alij tres tantùm præparationes admittunt; illā nempe quam nos appellauimus impropriā, remotam, & minimè neceſſariam; illamúe quam tertio enarrauimus loco; ac demum illam quæ proxima nuncupatur & immediata.

Nos autem quò res faciliorem aditum habeat, illa duplici quam diximus, præparatione contenti ſumus; impropria videlicet, atque propria, & omnino neceſſaria. Quamuis prima uix hoc nomen mereatur, cùm ſit potius potentia paſsiua, quàm diſpoſitio in homine. Opus enim moraliter bonum, & quicquid homo facit ex facultate naturæ propriæ, non eſt diſpoſitio ad gratiam; at eſt ueluti ſiccitas in ligno, quæ propriè non eſt diſpoſitio, ſed potius potentia paſsiua. Diſpoſitio enim fit ab agente, qui ſuam formam conatur introducere in alium. Lignum autem per ſiccitatem non ſe diſponit ad formam ignis; idem igitur in noſtra iuſtificatione dicamus oportet. Ob id decretum eſt in Concilijs, quòd omne initium noſtræ iuſtificationis ſit ex Deo ipſo benedicto. Quare autem illa duplici animæ præparatione contenti ſimus, ea eſt ratio, quia hominis conuerſio ad Deum, eſt quidam motus. Motus autem, principium habet, medium, & finem; ita ut non dicatur propriè talis vel talis res acquiſita, niſi quando eſt in termino, non à quo, vt aiunt, ſed ad quem. Calefactio enim atque dealbatio non denominatur talis à termino à quo, ſiue à principio, nequidem à medio, ſed à termino ad quem, ſiue à fine. Vnde .5. phyſicorum libro, parte.48. dicebat Ariſtoteles, ꝙ motus denominatio magis eſt à termino ad quem, q̄ à termino à quo. Et Auerroës ibidem, commento.54. inquit, quòd motui contrariatur quies, quæ eſt in termino à quo; non quies quæ paulatim generatur per generationem motus; & eſt illa, quæ eſt in termino ad quem. Idem docet Ariſtoteles in textu. Ita pari ratione, cùm ſermo noſter in præſentia ſit de præparatione, ſeu diſpoſitione ad primam gratiam; illud pro comperto habemus, quòd huiuſmodi diſpoſitio non fit ordinariè in inſtanti, ſed in tempore; quia eſt motus quidam. Suum igitur habet initium, medium, & finem. A fine igitur, ſiue à termino ad quem, non à principio, ſiue à termino à quo, venit denominanda. Quare illa tertia diſpoſitio, quam remotam dicunt, magis erit diſpoſitionis initium, q̄ diſpoſitio. Tunc enim ſubiectum dicitur diſpoſitum, cùm in eo recipitur forma; ideo dicitur homo diſpoſitus, cùm in eo recipitur gratia. Sit igitur huius capitis concluſio pro catholica veritate, quòd præparatio & diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, eſt opus & Dei, & noſtrum. Eius videlicet præuenientis; noſtrum autem conſentientium, & cooperantium. Et ita erit concluſum aduerſus Pelagij impietatem, atque Lutheri. Ille enim vt aſſereret liberum arbitrium, gratiam Dei negauit. Iſte uerò ut Dei gratiam aſ-

ſereret, liberum negauit arbitrium. Sacroſancta autem Romana Eccleſia, media via incedens, confitetur gratiam Dei ſine meritis dari. Rurſus, confitetur ad hanc Dei gratiam habendam, liberum arbitrium eſſe Dei adiutorio diſponendum. Et hæc eſt via certiſsima, & veritas catholica; vt probauimus.

Suboritur nihiloſecius inter doctores catholicos quæſtio, non facilis ad ſoluendum. Num ſcilicet poſsit homo per ſuas vires, ſine auxilio gratiæ, ſe ad gratiam conſequendam præparare; ſic adeò vt talis præparatio ſit meritum de congruo primæ gratiæ coram Deo, licèt non de condigno. Et quamuis à grauiſsimis viris relinquatur agitata huiuſmodi quæſtio; quia tamen Lutherus & Caluinus imponunt Scoto, partem tuenti affirmatiuam, & propter Scotum omnibus alijs doctoribus ſcholaſticis, notam hæreſis pelagianæ; idcirco noſtrum adijciemus calculum, vt res omnibus ſuis numeris & partibus perfecta, expletaq. reddatur.

Num poſſit homo proprijs viribus, ſine gratiæ adiutorio, ita ſe ad gratiam præparare, vt primam gratiam de congruo mereatur. Cap. 33.

QVO faciliùs iuuenes noſtri, & theologiæ nouitij auditores poſſint omnia rectè percipere, placuit in fronte huius capitis, declarationem inducere atque differentiam, quæ eſt inter influxum quem generalem dicunt, & Dei ſpeciale auxilium. Eſt igitur generalis influxus, concurſus Dei generalis, quo Deus ipſe benedictus, vt eſt cauſa prima, concurrit cum cauſa ſecunda; & omni dubio procul, ad gratiam pertinet creationis, interq. naturalia bona recenſetur. Vnde ſuper Geneſim ad literam dicebat Auguſtinus, Deum ſic adminiſtrare res quas condidit, vt eas ſuos motus proprios agere ſinat. Eiuſdem autem Dei ſpeciale auxilium, eſt concurſus & ſubuentus Dei præuenientis, noſq. ad ſe conuertentis; & huiuſmodi concurſus, inter gratias gratis datas connumeratur; vt autem diſcernatur à generali, quem diximus, influxu, quo Deus res mouet, fouetq. naturales; nomen habet peculiare auxilij ſpecialis, ſeu gratuiti; quo ipſemet Deus nos euehit ſuper naturam. Et hoc auxilium ad gratiam pertinet redemptionis. Vnde magni intereſt inter modum quo Deus influit particularibus agentibus, aut concurrit cum illis generali influentia; & modum quo Deus agit ſuo particulari, ſeu ſpeciali adiutorio gratiæ. Etenim generalis influxus vt ſic, non vt præueniēs intelligitur, aut præparans agens particulare ad agendum; atqui intelligitur ſolummodo vt ſimul poſitus, ſimul coagens, ſimul cooperans. Generalis nanque influxus vt ſic, eodem modo datur omnibus agentibus creatis, quibus datur, concurrens & iuuans; non præueniens nec præparans. Quandoquidem eorum natura eſt determinata ad vnum, nec poteſt in oppoſita, nec eſt ad oppoſita indifferens, nequidem intrinſecus habet vnde impediatur, aut remoretur quò minus agat. Ignis

enim natura,in ſua non indiget actione,vt præueniatur, aut denuo præparetur; at indiget ut ad ſuam actionem adiuuetur à cauſa prima.

Dei autem adiutorium ſpeciale de quo modò eſt ſermo,& quod ad gratiam redemptionis pertinere dicimus, intelligitur vtique vt præueniens nos,atque præparans ad noſtram iuſtificationem;ob idq́. nullo modo poteſt habere rationem generalis influentiæ,aut generalis influxus.De hoc ſpeciali Dei adiutorio quo nos præuenit, de gratia & libero arbitrio, cap.16.ait Auguſtinus: Certum eſt nos mandata ſeruare ſi volumus;ſed *Tom. 7.* quia præparatur uoluntas à Domino,ab illo petendum eſt vt tantum velimus,quantum ſufficit vt volendo faciamus.Et cap.17.ſubdit: Quoniam ipſe vt velimus operatur incipiens,qui volentibus cooperatur perficiẽs. Propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum quoniam qui operatur in vobis *Philip. 1.* opus bonum,perficiet vſque in diem Chriſti IESV. Vt ergo uelimus,ſine nobis operatur;cùm autem volumus,& ſic volumus vt faciamus,nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo,vel operante vt velimus,vel cooperante cùm volumus,ad bona pietatis opera nihil valemus.Ita Auguſtinus Habet igitur ſpeciale Dei auxilium neſcio quid peculiare,ſupra generalem Dei influentiam; quod ſatis explicatur,ſi dicamus quòd eo non ſolùm Deus concurrit ad actionem cum homine,ſed ipſum præuenit hominem, atque præparat ad agendum;ita quòd fortius,ſeu abundantius nobiſcum concurrit,ꝗ concurrat,dum ſolam adhibet generalem influentiam. Siue hominem adiuuet Deus,aliquod donum creatum infundendo;ſiue immediatè per ſeipſum mouendo voluntatem ad benè volendum; ſiue quocunque alio modo ſpeciali Deus hominem iuuet. Et auxilium dicitur ſpeciale,non quia vni aut paucis detur; aut quia iis,& non aliis præſtetur; atqui dicitur tale,tum quia generalis influentia Dei, omnibus communicatur agentibus, etiam merè naturalibus,& quæ ex natura ſua determinantur ad vnum; hoc autem ſpeciale adiutorium,ſolis communicatur liberis agentibus,quæ ſunt ad oppoſita indifferentia. Tum ex modo quo Deus nos iuuat,ſeu nobiſcum agit.Omnibus enim hominibus adultis ſanæ mentis,ſuum ſpeciale adiutorium affatim communicat Deus; quia omnes vocat,omnes excitat,omnes præuenit,& omnes præparat ad bonum, quantum eſt ex parte ſua; nobis neceſſarium.

Id quod optimè conſtat ex illa parabola, Lucæ cap.14. deſcripta, vbi Dominus ait: Homo quidam fecit coenam magnam, & vocauit multos. Ideſt, omnes quibus eſt Euangelium prædicatum; fuit autem prædicatũ omnibus;iuxta illud Chriſti præceptum: Euntes in mundum vniuerſum, *Marc. 16.* prædicate Euangelium omni creaturæ. Vocat igitur oẽs Dominus Deus. Adhuc,in eadem parabola dixit Dominus ſeruo; Exi cito in plateas,& vicos ciuitatis,& pauperes ac debiles,& cæcos,& claudos introduc huc. Modò autem,hæc verba ad literam de prædicatione gentium veniunt intelligenda; Nam uidens Deus contumaciam,& Iudæorum infidelitatem, per ſuos prædicatores uocat omnes gẽtes. Vnde Petrus cùm vidiſſet in Iope *Actu. 10.* linteamina,& Cornelii couerſionẽ,dixit: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet eum,& operatur

iuſtitiam, acceptus eſt illi. Vocat igitur omnes Dominus Deus, primò vocatione generali, deinde ſpeciali.

Vocat enim nos, cùm primùm incipimus vſum rationis habere, quoniam ſtatim lux quædam de coelo deſcendit, quæ ad beatitudinem nos naturaliter inſtruit, & inuitat. Aſſerens, in hac miſerrima vita, neminem perfectam gloriam comparare poſſe, cùm ad alia maiora ſit creatus; quæ omnia adipiſcetur facillimè, ſi malum vitauerit, bonum autem ſequutus fuerit. Hoc autem quilibet infans, cùm primùm annos iudicij tangit, cognoſcit, nec eum latet, furari aut mentiri malum eſſe; obedire autem, cultúq. debitum præſtare parentibus bonum eſſe. Itaque cùm incipimus homines eſſe, illico à Domino Deo noſtro inuitamur. Idcirco interrogat in pſalmo eius. 4., inquiens: Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? Ipſe autem reſpondet: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Vocat autem nos ſpeiciali uocatione multis modis; nempe inſpirationibus, prædicationibus, infirmitatibus, tribulationibus, & alijs modis. Nec quomodocunque nos uocat, ſed cito & ſine ulla mora. Exi, inquit, cito in plateas & vicos ciuitatis. Nunq̃ enim Deus piger eſt, vt nobis benefaciat; ſed potius diligentiſsimus, valdeq. ſolicitus, vt nos vocet, gratiamq. ſuam concedat. Nullam moram in rebus nobis vtilibus patitur; ſed vult vt ſtatim ſine vlla mora, nuncius conuiuas vocatum exeat. Et ita Zachæo, vt eum iuſti-
Luc.19. ficaret, beneficioq. ſecum ad menſam diſcumbendi afficeret, dixit: Feſtinans deſcende. Quibus omnibus vidémus q̃ valde nos amet Deus; qui nos tanta diligentia & ſolicitudine uocat. Ex hoc itaque modo, quo Deus nos uocat, iuuat, & nobiſcum agit, eius adiutorium dicitur ſpeciale. De
Tom. 8. hoc, in pſalmo. 32., parte. 2., Auguſtinus ait: Aurum & ſi volueris, fortè nõ habebis, Deũ cùm volueris habebis; quia & anteq̃ velis venit ad te, & cùm auerſa uoluntate eſſes, vocauit te; & cùm cõuerſus eſſes, terruit te; & cùm territus confitereris, conſolatus eſt te.

Tom. 4. Et in libro. 83, quæſtionum, quæſtione. 68., inquit: Ad illam enim coenam quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui uenerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam vt venirent, vocati erant in libera uoluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Sic ille. Eſt igitur hoc, ſpeciale illud adiutorium, quod in capite præcedenti diximus neceſſarium eſſe ad noſtram præparationem. Contra Pelagium, qui volebat hominem poſſe ex facultate naturæ, ſe ad gratiam præparare; ita quòd illa præparatio eſſet meritum gratiæ, & gloriæ de condigno. Doctores autem catholici, & præcipuè ſcholaſtici quærunt nunquid poſsit homo per ſuas vires, ſine auxilio gratiæ, ſe præparare ad gratiam conſequendam, ita vt eiuſmodi præparatio ſit meritum de congruo primæ gratiæ coram Deo? Et qui partem tuentur affirmatiuam, inter meritum condigni & congrui ita diſtinguunt. Quòd nempe meritum de condigno illud eſt, quod ſecum adfert rationem debiti & iuſtitiæ; quemadmodum opus mercenarij, quo ſibi ius

facit

facit ad mercedem,quæ idcirco uerè ſibi debetur. Meritum autem congrui eſt opus,cui de iuſtitia non debetur merces,atqui ex quadam duntaxat congruitate.

His ita conſtitutis,ſupereſt vt ad quæſtionem ueniamus. Subtiliſsimus igitur Scotus, in .2. theologicarum ſententiarum , .d.7. ; q. vnica , ar.2., negat in poteſtate angeli mali eſſe meritoriè uelle; quia non eſt in poteſtate eius habere gratiam; nec per conſequens vti gratia,nec etiam vti voluntate ſua cum gratia iſta,ad actum ſuum eliciendum. Quibus cõclufis,ſequitur dubitando de principio diſpoſitiuo,ſiue actiuo ad diſpoſitionem , reſpectu principalis agentis. An ſcilicet habens uoluntatem , tanq̃ principale principium actiuum,poſsit ſe diſponere ad gratiam? Et ſi hoc,videtur ꝙ in poteſtate eius ſit benè uelle,ſicut in poteſtate peccatoris viatoris; non plus enim poteſt peccator viator malus,niſi ſe diſponere; & tunc dabitur ſibi gratia à Deo,qua benè poſtea agit. Vtrum autem viator poſsit habere aliquem motum attritionis ex puris naturalibus , exiſtente influentia generali , vel requiratur aliqua operatio ſpecialis,de hoc in .4. Sed ſuppoſito quòd ſic,negaret aliquis iſtam potentiam diſpoſitiuam ab angelo damnato;& diceret eam conuenire poſſe peccatori viatori. Ita Scotus. Qui manifeſtè fatetur,& ſupponit tanq̃ veriſſimum,quòd homo poſsit ſe ad gratiam præparare per ſuà naturalia,cũ generali influxu, reijciens lectorem ad .4. theologicarum ſententiarum, in quo hæc omnia pertractat. Siquidem diſtinctione .14. q.2. ar.2., ait: Sciendum quòd peccator in peccatis exiſtens, eo modo quo dictum eſt in præcedenti quæſtione, articulo primo, peccatum manere poſt actum, poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum vt offenſiuum Dei; & vt contra legem diuinam; & vt auerſiuum à Deo; & vt impeditiuum præmij; & vt inductiuum ſupplicij; & ſub multis talibus rationibus; & poteſt voluntas , ipſum ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis, illud peccatum ſic conſideratum deteſtari;& ille motus poteſt continuari & intendi,ante infuſionem gratiæ. Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circunſtationata circunſtantijs moralibus debitis. Non eſt enim uериſimile,quòd neceſſe ſit propter peccatum iſtud remanens,actum quemcunque circa peccatum commiſſum, eſſe defectiuum in aliqua circunſtantia morali. Iſte autem motus dicitur attritio;& eſt diſpoſitio,ſiue meritum de congruo,ad deletionem peccati mortalis;quæ ſequitur in vltimo inſtanti alicuius temporis; in quo tempore iſta attritio durauit. Hactenus Scotus.

Qui etiam in .2. ſenten. d.28., q. vnica,dum loquitur de his,quæ homo poteſt naturaliter circa diuina præcepta, . de præcepto dilectionis Dei ſuper omnia, inquit: Quandocunque autem uoluntas actum huius præcepti exequitur, licèt informis, diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem; cui oblatæ,vel reſiſtet, & peccabit mortaliter; vel conſentiet,& iuſtificabitur. His tria præcipuè habemus; quòd nempe diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, poteſt eſſe dilectio Dei ſuper omnia; quòd diſpoſitio poteſt fieri ex puris naturalibus; ac demum quòd talis diſpoſitio eſt me-

ritoria

ritoria de congruo. Ex his ſequitur quod habet in.4.; nimirùm ꝙ homo ex naturalibus, cum generali Dei influxu, attritionem habere poteſt, quæ ſit diſpoſitio & meritum de congruo, ad deletionem peccati mortalis. Doctor igitur iſte pro comperto habet, ꝙ Chriſtianus relapſus in peccatum mortale, retinens fidem chriſtianam, habeat ſecundùm illam ſufficiens auxilium, quo valeat ſe ad gratiam gratificantem præparare, & per veram poenitentiam à peccatis reſurgere. In .2. enim ſententiarum habuimus, illum tenere, voluntatem informem, ſola fide duce, naturæ viribus, & influxu generali, de congruo ad gratiam gratificantem ſe diſponere. Item in.4. vult ꝙ homo peccator, ex puris naturalibus poſsit ad gratiam ſe diſponere; quia poteſt cognoſcere, atque peccatum commiſſum vt Dei offenſiuum conſiderare, & ut contra legem diuinam; & ut auerſiuum à Deo; & vt impeditiuum præmij; & vt inductiuum ſupplicij; quibus habitis conſiderationibus, poteſt uoluntas, peccatum illud ſic conſideratum deteſtari.

At in .3. q. eiuſdem .14. diſtinctionis quarti ſententiarum, dicit, ꝙ in intellectu peccatoris poteſt eſſe duplex regula; vna quidem naturalis, quæ dictat, peccatum eſſe deteſtandum, vt eſt uitium quoddam. Alia uerò ſupernaturalis, quæ dictat, peccatum eſſe deteſtandum, vt eſt offenſiuum Dei, & impeditiuum præmij, necnon & inductiuum ſupplicij. Regula autem iſta eſt notitia habita ex diuina ſcriptura; quæ docet nos, peccatum eſſe Dei offenſiuum, & impeditiuum præmij, ex conſequenti deteſtabile ſub iſtis conditionibus. Hac igitur ſtante ſcripturæ diuinæ reuelatione, credit homo, peccatum eſſe deteſtandum ſub illis conditionibus; & poſtq̃ illud credidit, poteſt ex puris naturalibus nedum tale peccatum conſiderare, at etiam deteſtari. Ita ꝙ non eſt neceſſe ꝙ talis conſideratio ſit à Deo immediatè, licèt prima reuelatio fuerit à Deo immediatè. Iſte eſt germanus ſenſus ipſius Scoti; qui in ſua iſta præparatione ex puris naturalibus, ſemper donum fidei præſupponit; de qua loquitur diuus Apoſtolus ad Epheſios cap.2. in hunc modum: Gratia enim eſtis ſaluati per fidé, & hoc non ex uobis; Dei enim donum eſt. Et eius motiuum eſt, quia difficile eſſet ſaluare ꝙ Deus non eſſet acceptator perſonarum; cùm vnum iuſtificat per infuſionem gratiæ, alium non. Vel oporteret dicere, ꝙ aliqua attritio non moraliter bona, eſſet ſufficiens diſpoſitio de congruo ad iuſtificationem; quod non uidetur conueniens, neque uerum.

Gabriel Biel in.2. ſenten. d.27., q. vnica, ar.2., concluſione.4., hanc eandem ſequitur ſententiam, & opinionem. Atqui in .d.28. q. vnica, ar.1., notabili.2., dicit ꝙ per pura naturalia intelligitur animæ natura, ſeu ſubſtantia, cum qualitatibus & actionibus conſequentibus naturam, excluſis habitibus ac donis, ſupernaturaliter à ſolo Deo infuſis. Et in hoc non animaduertens, deuiat à Scoto; quem tamen ſequi intendit. Idem ſentit Durandus in primo theologicarum ſenten., d.17. q.2. ar.2. & alij. Rationes autem pro vtraque ſententia, mox cap. ſequenti adducentur. Sunt enim & rationes & authoritates notatu & conſideratione digniſsimæ, ne pij & chriſtiani lectores decipiantur, & quò Lutherani & Caluiniani facilè videant, ſcholaſticos iſtos doctores, & ſi errauerint, ob id non fuiſſe Pelagianos.

Quòd

Quòd viribus proprijs poſſit homo primam gratiam de congruo mereri, ratione & authoritate probatur. Cap. 34.

MAGISTER Soto de natura & gratia lib.2., cap.4. quæſtionem hanc de merito congrui elegantiſsimè pertractat; dicitq́., quòd ante iuſtificationem, quæ fit per gratiam gratum facientem, nihil humanis operibus ineſt meriti, ſiue condigni, ſiue congrui. Non modò, inquit, operibus moraliter bonis, quæ naturaliter fiunt; verùm neque illis quæ diuina ope diſpoſitio ſunt, præparatioq́. ad gratiam; ſaltem, inquit, ea ratione qua gratiam antecedunt. Et hæc duo membra dicit ſe habere uoluiſſe, quoniam ex eo quòd Lutherani, & huiuſce noſtræ tempeſtatis hæretici, tam malè audiunt hoc meritum congrui ex puris naturalibus, ſunt qui iam non afferant illud, niſi præueniente auxilio ſpeciali; & hanc opinionem uolunt Scoto applicare. At ipſe Soto, ex ijs quæ habuit Scotus in.4.theologicarum ſenten., d.14. q.2., &.2. eiuſdem voluminis, d.28., vult ipſum pro conſtanti ubique habere, ꝙ ex puris naturalibus, cum communi influentia, poſſumus diſponi de congruo ad iuſtificationem, nuſpiam de auxilio ſpeciali habita mentione. Atqui ea nõ uidit, (parcat mihi doctiſsimus pater) quæ inferius dixit Scotus; nimirum.q.3. eiuſdem.14.d. quarti ſententiarum, quæ nos retulimus. Ibi enim expreſsè vult, quòd homo ex puris naturalibus non poſsit cognoſcere peccatum ut offenſiuum Dei, & impeditiuum præmij, & inductiuum ſupplicij, quia ad hoc neceſſaria eſt diuina reuelatiô; qua credat, peccatum ſub illis conditionibus eſſe deteſtandum. Si itaque non valet homo ex puris naturalibus, peccatum cognoſcere ſub illis conditionibus eſſe deteſtandum; fit conſequens, vt nec ex puris naturalibus poſsit ſe diſponere; & ita nec primam gratiam de congruo mereri. Catholica igitur fide præſuppoſita, tanq̃ ſpeciali auxilio præueniente; poteſt homo, inquit Scotus, ex puris naturalibus, & abſque alio Dei auxilio, ad primam gratiam ſe diſponere, illamq́. de congruo mereri. Vnde vult, fidelem hominem peccatorem, naturæ uiribus & fide ad Dominum accedere. Eſt autem fides, non generalis influxus, non naturæ donum, at potius Dei ſpeciale donum, ſupra naturam homini collatum, veluti ex Apoſtolo Paulo diximus ſupra. Quid? Nónne .D.Tho. hanc eandem ſequutus eſt aliquando ſententiam? Siquidem in.2. theologicarum ſenten., d.28. ar.4., dicit quòd homo non poteſt ad gratiam ſe præparare, ſine gratia gratis data, quæ ſit quoddam uoluntatis excitatiuum, ipſiusq́. Dei adiutorium ſpeciale, quódcunque ſit illud; ſiue admonitio hominis, ſiue corporis ægritudo, ſiue aliquod huiuſmodi. In calce quoque eiuſdem articuli, .D.Tho. ita concludit: Et ideo alijs conſentiendo dicimus, quòd ad gratiam gratum facientem habendam, ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare. Faciendo enim quod in ſe eſt, gratiam à Deo conſequitur. Hoc autem ſolum in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrij

conſtitutum

conſtitutum eſt. Et in reſponſione ad .4. argumentum, ita loquitur: Ad fidem habendam, aliquis ſe præparare poteſt, per id quod in naturali ratione eſt. Vnde dicitur, quòd ſi aliquis in barbaris natus nationibus quod in ſe eſt faciat, Deus ſibi reuelabit illud quod eſt neceſſarium ad ſaluté; vel inſpirando, vel doctorem mittendo. Vnde non oportet q; habitus fidei præcedat præparationem ad gratiam gratum facientem; ſed ſimul homo ſe præparare poteſt ad fidem habendam, & ad alias uirtutes, & gratiam habendam. Ita ſanctiſsimus Aquinas.

Ex cuius uerbis, tria præcipuè elicio. Primum, q; non poteſt homo ad gratiam ſe præparare, ſine Dei ſpeciali auxilio, quod ſit excitatiuum voluntatis, quodcunque ſit illud. Secundum, quòd ex ſolo libero arbitrio poteſt ſe homo præparare, ad habendam gratiam gratum facientem. Tertium, quòd ad habendam fidem, poteſt aliquis ſe præparare, per id quod eſt in naturali ratione; & hac eadem præparatione præparat ſe ad gratiam gratum facientem; cùm ſit una & eadem præparatio. In his autem dictis, manifeſta uidetur contradictio. Quandoquidem ſi ſolo libero arbitrio, & eo quod eſt in naturali ratione, poteſt homo ſe ad gratiam præparare, quid ait .D. Tho. de ſpeciali auxilio? Et ſi neceſſariò requiritur huiuſmodi ſpeciale auxilium, qui fieri poteſt, vt id naturaliter valeat homo? Vt igitur à contradictione liberetur ſanctiſsimus Doctor, idem voluiſſe quod volebat Scotus, eum fateamur oportet. Quòd nempe ſtante aliqua diuina reuelatione, videlicet quòd Deus ſit trinus & unus, poteſt infidelis ſolo libero arbitrio illud credere, & abſque alio Dei auxilio, naturaliter ſe ad gratiam præparare. An autem huic præparationi aliquid inſit meriti, congrui vel condigni; in diſtinctione .27. eiuſdem ſecundi, ar.4., tum in corpore, tum in reſponſione ad .4. argumentum, dicit .D. Tho., quòd eſt ibi meritum de congruo. Inquit enim, quòd indignum poteſt ſumi dupliciter; vel negatiuè tantùm; & ſic Deus dat gratiam indignis; quia his qui non ſunt ſufficienter ad hoc digni, ſed tamen habét aliquam diſpoſitionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodo ex congruo gratiam mereri; nec ex hoc ſequitur quòd ſit iniuſtus, ſed liberalis. Quare idem ſenſit quod Scotus. Licèt poſtea in ſumma theologiæ, hanc abiecerit opinionem.

Tom.2. Cui tamen fauere uidetur diuus pater Auguſtinus, in .2. epiſtola ad Sixtum presbyterum, quæ eſt numero .105., cùm ait: Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque
Luc.18. enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus, propitius eſto mihi peccatori; & deſcendit iuſtificatus merito fidelis humiliatus; quoniam qui ſe humiliat exaltabitur.

Et ad Paulinum, epiſtola .106. inquit: Si quis autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus; immo uerò gratiſsimè confitemur.

Origenes quoque homilia .3. in Leuiticum ait: Sed & Dauid eodem ſpiritu loquitur in pſalmis, & dicit: Iniquitatem meam notam feci. & peccatum meum non cooperui. Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiá

meam,& tu remiſiſti impietatem peccati mei. Vide ergo quia pronunciare peccatum, remiſsionem peccati meretur.

Item Auguſtinus, de prædeſtinatione ſanctorum lib. primo cap. 7., ita loquitur: Solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat anteq̃ crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, cuius acceptæ ſunt eleemoſynæ, & exauditæ orationes, anteq̃ crediđiſſet in Chriſtum; nec tamen ſine aliqua fide donabat & orabat. *Tom. 7.* *Acto. 10.*

Diuus etiam Thomas in epiſtola Apoſtoli Pauli ad Hebræos, cap. 6., illud exponens: Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri; dicit, quòd ſi homo cadat poſt gratiam, & in malo perſeueret, tunc Deus omnes iuſtitias eius obliuiſcitur; iuxta Ezechielis prophetiam, cap. 18. Si verò poeniteat, tunc bonorum præcedentium recordatur, quia reputantur ſibi ad meritum. Vnde cadit ſub merito quòd reſurgat à peccato; & ita meretur gratiam; non quidem de condigno, ſed de congruo. Quia iuſtum eſt, inquit, ideſt congruum, quòd homo qui multa bona fecit mereatur.

Illud, inſuper, pro comperto habetur, quòd ad habendam gratiam ea eſt diſpoſitio & præparatio ſufficiens, cùm dolet peccator propter Deum de peccatis commiſsis. Quòd autem homo, huiuſmodi poſsit habere diſpoſitionem per vires liberi arbitrij, ex eo facilè conſtat, quoniam poſſumus dolere de offenſa amici propter amicum; ergo vehementius propter Deum. Quemadmodum enim poteſt homo ſibi placere quòd offenderit Deum; poteſt etiam dolere ꝙ eundem offenderit. Poteſt igitur per vires liberi arbitrij ad gratiam ſe diſponere, ita vt gratiam infallibiliter, & ex merito de congruo conſequatur. Ea eſt etiam omnium theologorum communis aſſertio, quòd facienti quantum in ſe eſt, Deus nunq̃ denegat gratiam. Eſt ergo ibi præparatio ſufficiens, & meritum gratiæ de cõgruo. Arguit deinde Gabriel Biel loco præcitato, ratione ſatis prolixa; verùm quia tum ex dictis, tum ex dicendis ſoluta relinquetur; idcirco illam omittimus, & pergimus ad alia.

Pranarrata reijcitur opinio. Cap. 35.

AD hoc vt faciliùs præxpoſitæ ſententiæ atque opinionis deceptio dignoſcatur, operæpretium erit, ſi quid nomina hæc, meritum, merces, & gratia, per ſe ſignificent aperuerimus. Nomen igitur meriti à mercede deducitur; vt ſit meritum opus cui debetur merces, & mereri quempiam eſt ius ſibi facere ad præmium; & ita meritum eſt opus iuſtitiæ. Vnde mereri eſt primò in ſeruitijs inuentum, quibus mercedem meremur; quare mercenarij dicti ſunt, qui vt mereantur, mercede ſeruiunt. A ſeruitijs autem ad obſequia extenditur, atque beneficia; vnde benefacientes & obſequentes, de nobis, ſeu de republica benemeritos appellamus. Idcirco meritum eſt opus bonum, liberum, cui de iuſtitia debetur merces. Id uerò merces dicitur, quod alicui recompenſatur, pro retributione operis, vel laboris, quaſi quoddam prætium

illius. Vnde ſicut teddere iuſtum pretium pto re ab aliquo recepta eſt actus iuſtitiæ; ſic etiam, .D.Tho.ait,reddete mercedem pro meritis,eſt actus iuſtitiæ.

Prima autem gratia, prima ſua ſignificatione & ratione, ita habet rationem gratuiti, vt nullo modo compatiatur rationem debiti; Si enim eſſet ex meritis,iā non eſſet gratia.Propterea .D.Tho.optimè ſentit,cùm ait,quòd bifariam conſiderari poteſt; quatenus ſcilicet rationem habet gratuiti doni,& prout eſt natura quædam; Neutroqúe modo cadit ſub merito. Tum quia ſi ex operibus,iam non eſt gratia; veluti ad Roma. .11.argutabatur Apoſtolus.Tum quia gratia excedit proportionem naturæ non habentis gratiam; qualis eſt natura noſtra,ante primæ gratiæ infuſionem.

His addo quod ait Biel in.2. theologicarum ſenten.d.27., q.vnica, at.primo;quòd ſcilicet meritum de congruo eſt actus liberè elicitus,acceptatus ad aliquid retribuendum,non ex debito iuſtitiæ,ſed ex ſola acceptantis liberalitate. Et hoc meritum,inquit,non coexigit æqualitatem dignitatis cum retributo, neque in operante, nec in opere, nec in retribuente.Poteſt enim præmians,aliquid retribuere operanti,intuitu alicuius actus,aliàs non daturus;non tamen tanq̄ digno in ſe,nec ratione operis condigni;ſed ex ſua liberalitate;etiam ei qui inimicus eſt. Huiuſmodi præmiſsis, quòd operibus humanis moraliter bonis, quæ naturaliter fiunt, non inſit hoc meritum de congruo, prius oſtendam, mox aduerſus eam quam diximus Scoti opinionem, inſurgam. Et ita utraque reiecta ſententia,ſimul quoque hoc meritum de congruo,tanq̄ ſanctorum patrū doctrinæ minimè conueniens, reijcietur.

11. Arguo itaque primò in hunc modum:Meritum & præmium,ſiue merces,ſunt relatiua. Quandoquidem à mercede meritum deducitur. Vbi ergo meritum,ibi merces & debitum.Id autem merces dicitur,quod alicui recompenſatur pro retributione operis, vel laboris,quaſi quoddam pretium illius.Et iſte eſt actus iuſtitiæ.Vbicunque igitur eſt meritum,ibi eſt aliquid retribuendum, ex debito iuſtitiæ. In faciente autem quod in ſe eſt,meritum adeſt reſpectu primæ gratiæ; iuxta horum placitum. Retribuitur ergo prima gratia tanq̄ merces & debitum, facientibus quod in ſe eſt.Quare ſimul erit donum gratuitum,& debitum;quod contradictionem inuoluit.

Solutio. Dicerent fortaſsis horum doctorum diſcipuli, rationem uim habere in merito de condigno;non autem in merito de congruo.Quoniam actus ille acceptatur ad aliquid retribuendum, non ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſola acceptantis liberalitate.

Impugna. Cæterùm vel nihil,vel parum valet huiuſmodi ſolutio.Quoniā meritū iſtud de congruo,vel habet propriam rationem meriti,vel non.Si detur ſecundū,iam ceſſat nomen meriti; & ita abutendo vocabulis,id meritum appellant,ꝙ nullam habet rationem meriti. Admiſſo autem primo,illud optimè ſequitur, quod in prima ratione reliquimus concluſum. Quoniā vbi eſt propria ratio meriti, ibi eſt propria ratio mercedis.

Dicerent fortaſsis adhuc, quòd licèt ibi non ſit propria & totalis ratio meriti; eſt nihilominus aliqualis & impropria. *Solutio.*

Veruntamen nec ex his ſubterfugitur difficultatis nodus. Vbi nanque eſt aliqualis ratio meriti, ibi eſt aliqualis ratio debiti & mercedis. In merito autem de congruo eſt aliqualis ratio meriti, reſpectu primæ gratiæ. Prima igitur gratia habebit aliqualem rationem mercedis. Qua autem ratione aliqualem habet rationem mercedis, eadem aliquid detrahitur de ratione gratiæ. Quoniam ad Romanos. 11., dicebat Apoſtolus: Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non eſt gratia. Quemadmodum igitur propriè debitum, totam tollit rationem gratiæ; ita pari paſſu, aliqua ratio debiti, ipſius gratiæ rationem minuit. Vnde velint nolint hæc opinantes, fateri coguntur, ꝙ ſi in merito de congruo eſt aliqua ratio meriti, ꝙ etiam in prima gratia ſit aliqua ratio mercedis; & per conſequens, quòd ſaltem ex illa parte, declinat à ratione gratiæ; quod eſt abſurdum. *Impugna.*

Rurſus, quòd huiuſmodi poſitio ſit ſimpliciter falſa, ex eo maximè conſtat; quòd duo inter ſeſe pugnantia manifeſtiſsimè claudit. Ex vna ſiquidem parte dicit, quòd hoc meritum de congruo non coexigit æqualitatem dignitatis cum retributo; neque in operante, nec in opere, nec in retribuente. Et ratio eſt, quoniam poteſt præmians aliquid operanti retribuere, intuitu alicuius actus; aliàs non daturus. Alia uerò ex parte ſubdit, quòd illud retribuit præmians operanti, non tanꝙ digno in ſe, nec ratione operis condigni, ſed ex ſua liberalitate. Hæc autem adinuicem pugnant. Quandoquidem ſi præmians, illud retribuit operanti, alicuius actus intuitu; ita quòd ni eſſet ille actus in operante, minimè retribueret; eſt vtique actus ille ratio, quare ei retribuat. Habet ergo ille actus rationem meriti; ſaltem aliquam. Quòd ſi habet rationem meriti, quomodo erit illa retributio ex mera præmiantis liberalitate? In dando enim & largiendo, liberalis officium, magis ꝙ in accipiendo verſatur; in 4. de moribus, cap. primo, Ariſtoteles ait. Qui quidem liberalis, in dando cum ſcopum ac finem ſemper ante oculos habeat neceſſe eſt, vt omnes eas circunſtantias ſeruet, quæ ad rectitudinem, mediocritatemq́. actionum requiruntur; hoc eſt, vt ijs quibus oportet largiatur, & tùnc quando opus eſt, & ea quæ debet, & quatenus debet, & cuius cauſa debet, cæteraq́. huiuſmodi; velut ibidem docet Ariſtoteles. Atqui circunſtantiæ iſtæ, nullum reſpiciunt actum meritorium, ſiue de condigno, ſiue de congruo; ſed honeſtum. Secus non eſſet ipſe largiens cenſendus liberalis, ſed iuſtus; & ſi non ſimpliciter & propriè, impropriè tamen, & (quod aiunt) ſecundùm quid. Quòd ſi largitio illa eſt actus iuſtitiæ, iam habet rationem debiti, & non gratiæ. Et ſi dicant quòd id non prouenit ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſola acceptantis liberalitate; ſtatim ceſſat ratio meriti. Vnde meritum appellant, quod nullatenus eſt meritum. .2.

Repugnat deinde huiuſmodi doctrina authoritatibus ſanctorũ patrũ; & præcipuè Auguſtini, qui de verbis Apoſtoli, ſermo. 15., ait: Nõ pùtes te promerendo accepiſſe, qui non promereres niſi accepiſſes. Gratia præ- .3. *Tom. 10,*

ceſsit meritum tuum,non gratia ex meriro,ſed meritum ex gratia. Nam ſi gratia ex merito,emiſti,non gratis accepiſti. Pro nihilo, inquit, ſaluos facies eos. Quid eſt, Pro nihilo ſaluos facies? Nihil in eis inuenis unde ſalues,& tamen ſaluas. Gratis das,gratis ſaluas. Omnia merita præcedis, vt dona tua conſequantur merita tua. Prorſus gratis das, gratis ſaluas, qui nihil inuenis vnde ſalues,& multum inuenis unde damnes, Sic ille. Qui quidem,ſi meritum iſtud de congruo agnouiſſet, non ita argumentatus fuiſſet; propterea quòd ſtante huiuſmodi merito, perit mox ratio ſua,& eſt fallacia à ſecundùm quid ad ſimpliciter. Vult enim demonſtrare quòd homo non promeruit gratiam, & arguit tali pacto: Gratia præceſsit meritum tuum; non igitur gratia ex merito,ſed meritum ex gratia. Id quod antecedit probat,quoniam ſi gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti. Quod tamen magno aduerſatur Prophetæ, qui ait: Pro nihilo ſaluos facies eos. Ad hanc autem rationem poſſet aduerſarius dicere,orationem antecedentem non eſſe omnino veram. Ad eius

Psal.55.

.3. probationem, adhuc poſſet conſequutionem inficiando, liber euadere. Quandoquidem dato & conceſſo merito de congruo, non ualet ita inferre: Si gratia eſt ex merito, ergo eſt empta. Currit enim illatio de merito de condigno,non de congruo. Et ita ratio Auguſtini redderetur nulla; quod eſt omnino abſurdum.

.4. Confirmatur doctrina, ex eo quod idem Auguſtinus dicit in epiſtola .2. ad Sixtum, quæ eſt numero .105. vbi ait: Quærimus autem meritum miſericordiæ,nec inuenimus, quia nullum eſt,ne gratia euacuetur; ſi non gratis donatur,ſed meritis redditur. Modò ſic iuxta placitum iſtius quã improbamus opinionis,datur meritum de congruo,quo poteſt homo viribus proprijs primam gratiam promereri. Falſum eſt igitur quod ait Auguſtinus; nempe nullum eſſe meritum miſericordiæ. Hoc autem eſt abſurdum; abſurdiſsimum igitur & illud ex quo emanauit.

Tom.2.

.5. Ad hæc: Meritum hoc de congruo, vel eſt bonum, vel malum. Non malum, quoniam ad illud nulla ſequeretur gratia. Eſt ergo bonum. Diuus autem Auguſtinus in memorato loco ait: Quod eſt ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum noſtrum, non in nobis faciat niſi gratia? Quinimmo addit, quòd cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quàm merita ſua. Modò autem, ſi omne bonum meritum noſtrum nihil in nobis facit niſi gratia, quomodo meritum de congruo præcedit gratiam? Re igitur uera, huiuſmodi meritum non agnouit ſanctiſsimus ille pater.

.6. Accedit Concilium Arauſicanum ſecundum, in cuius canone .25. ita legitur: Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, q in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedẽtibus bonis meritis, & fidem & amorẽ ſui prius inſpirat, vt & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmũ; cùm ipſius adiutorio, ea quæ ſibi ſunt placita implere poſsimus.

Tom.1.

.7. Sed & Sacroſancta Tridentina Synodus, ſeſsio. 6. cap. 5. ita deciſum reliquit: Declarat præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adultis, à Dei

per

per Chriſtum IESVM præueniente gratia ſumendum eſſe; hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vôcantur. Ex his itaque patet, meritum hoc de congruo eſſe repellendum omnino; tum iuxta eorum placitum, qui nullo præcedente diuino ſpeciali auxilio, illud admiſerunt; tum etiam penès illam viam, quam diximus eſſe ipſius Scoti. Id quod primò tali pacto probatur.

Licèt prænductæ rationes militent etiam aduerſus Scotum, eiusq. in hac parte ſententiam; quam & ipſe inſequitur Thomas ab Argentina, in .2. theologicarum ſenten., d.26. & .27., q.1. ar.3.; atuerò ad maiorem ipſius rei exaggerationem, addo quòd in epiſtola ad Roma. cap.11., Apoſtolus ait, videlicet: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quaſi dicat, nullus. Hoc autem uerum non eſſet, niſi illud pereat meritum de congruo. Quandoquidem dediſſet meritum, quod à Deo non habuiſſet, & pro eo recepiſſet gratiam. *Cõtra Scotum.*

Et hanc doctrinam confirmamus authoritate ſanctorum patrum. Ait enim diuus Anſelmus, illa verba exponens: Quis prior dedit illi quicq̃, & per hoc retribuetur ab ipſo? Nullus, quia ipſe præuenit omnes. Hoc probat inueſtigabiles eſſe vias eius; quia cùm ſit initium omniũ bonorũ, inueſtigari nõ poteſt cur ipſe alijs gratiam ſuam gratuito munere tribuat, & alijs non tribuat, ſicut cernimus factum in Iacob, & Eſau. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Ideſt, quis prior fecit aliquid boni ſine Deo, cuius bonitatis eſt etiam ꝙ ſumus, & viuimus? Nullus enim Deum meritis anteceſsit, vt tenere eum quaſi debitorem poſsit; ſed ipſe potius omnes (vt dictum eſt) ſua gratia præuenit, vt ſubſequi poſsint eorũ bona. Hæc ille. Ad idem pater ſanctus Hieronymus ait: Quis prior fecit aliquid boni, & nõ Dei miſericordiã glorificet, ſed ſuo ſe merito recepiſſe glorietur?

Item: Quod eſt debitum, non eſt gratuitum. Quod autem poteſt cadere ſub merito, ſub debito cadere poteſt. Id ergo quod quis poteſt mereri, poteſt etiam non gratuitum fieri. Gratia autem non poteſt fieri nõ gratuita; ſecus non eſſet gratia; Si enim ex operibus, iam gratia non eſt gratia, Apoſtolus ait. Nullus igitur primam gratiam promereri poteſt. Nec dicant ſubtiliſsimi Scotiſtæ, id habere locum in merito de condigno, non de congruo. Quoniam dicam & ego, aut in huiuſmodi merito de congruo redditur gratia pro operibus, aut ſimpliciter datur. Si primum, iam eſt debitum; veluti ex ſe optimè conſtat. Si autem detur ſecundum, iam ceſſat omnis ratio meriti, & induit rationem doni ſimpliciter gratuiti. *Rom.11*

Adhuc; In .2. theologicarum ſenten. d.28. q.1., Franciſcus de Mayronis ait, ꝙ gratia non eſt gratia, ſi de condigno meretur; ſed de congruo non remouetur. Modò ſic: Bonum meritum noſtrum, aut incipit à gratia, aut præcedit gratiam. Si præcedit gratiam, dummodo rationem meriti habeat aliquam; etiam gratia, aliquam habebit rationem debiti; vnde remouebitur ſaltem quod ad illam attinet rationem. Si uerò incipit à gratia, veluti ad Sixtum Auguſtinus ait, tunc nullum eſt meritum ante gratiam; & ex conſequenti perit omnino huiuſmodi meritum de congruo.

Addo, quòd ni velint prorſus abuti uocabulis, cùm aiunt meritum de

congruo, non dicunt congruitatem ſolùm in Deo; at opus in homine, cui aliquo modo debeatur gratia. Secus eſſet meritum & non meritum. Quare aliquo modo gratia habet rationem debiti. Concludamus ergo, quòd huiuſmodi hominis præparatio & diſpoſitio ad gratiam, cùm pertineat ad Dominum Seruatorem noſtrum, & ad eius gratiam, non poteſt ad ſolam gratiam creationis pertinere. Et quia ſancti patres, nec Sacroſancta Eccleſia Romana, diſtinctionem hanc inter meritum condigni & congrui nunq̃ agnouerunt; quoniam nuſquàm agnoſcunt rationem meriti, vbi non ſubſit ratio debiti & iuſtitiæ. Si quis tamen ſuis naturalibus benè utatur, Deus miſericorditer ſubuenit. Non quidem ſtatim infundendo gratiam; ſed per auxilium ſpeciale, illum ad ſe conuertendo, cui gratiam infundat. Vnde eſt ibi aliqua congruitas; non autem in nobis, ſed in Deo ipſo benedicto. Diuo atteſtante Anſelmo, proſolo. cap. 10.; qui cum Deo loquens, ait: Cùm punis malos, iuſtum eſt; quia illorum meritis congruit. Cùm parcis malis, iuſtum eſt; non quia illorum meritis, ſed quia tuæ uoluntati, & bonitati condecens eſt. Ex his itaque ceſſat parabola de filio prodigo, quam pro huiuſmodi merito congrui inducit Thomas ab Argentina, loco ſuperius citato. Sed huic determinationi fauent ex doctoribus ſcholaſticis, .D.Tho. prima ſecundæ, q.112.ar.2. ad primum argumentum .q.114.ar.5.; Aegidius Romanus, in .2. ſen.d.27.q.2.ar.1.; Ricardus de Mediauilla, ibidem .q.2.ar.1.; Gregorius Ariminenſis in .2. ſen.d.26.27.28.q.1.ar.1.; Capreolus in .4.ſen.d.14.q.2.ar.3. ad argumenta Henrici. Ferrarienſis autem in .3. contra gentiles, cap.149., ſub finem, dicit quòd homo non poteſt mereri gratiam uirtute naturæ; cùm ad quælibet opera bona, diuino præueniatur auxilio. At homo per opera facta, ab ipſo diuino auxilio, diuinaq́. motione inſtigatus, ipſam gratiam meretur, ſaltem de congruo. Idq́. dicit de mente .D.Tho. At contrà Dominicus Soto, de natura & gratia lib.2., cap.4. Idem docet abſolutè Gaſpar Caſalius, lib. primo primæ par. ſuæ quadripartitæ iuſtitiæ, cap.37.

Quid modò garriunt Lutherani, catholicis omnibus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ illam inurentes ignominiam, quòd meritum congrui in ſuis ſanctionibus admiſerit, atque docuerit? Nunq̃ enim confiteri intermiſit, nullis ſuis præcedentibus meritis, homines iuſtificari, per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum. Et ſi meritum de congruo, quidam ex doctoribus ſcholaſticis docuerunt, ob id pelagiani non ueniunt appellandi. Quoniam Pelagius dicebat, poſſe hominem primam gratiam mereri ex facultate naturæ, idq́. de condigno. Doctores autem iſti, quacunque diſpoſitione poſita ex parte liberi arbitrij, gratiam dicunt nobis gratiſsimè conferri. Item Pelagius dicebat, hominem ex facultate naturæ, ſine fide ſupernaturali, & ſine infuſione diuini amoris, gratiam conſequi poſſe, necnon & ipſam gloriam. Fatentur autem catholici doctores, quòd homini facienti quantum in ſe eſt ex facultate naturæ, eſt neceſſaria fides ſupernaturalis, & amor deſuper infuſus, ſine quo uiuit nemo; quæ quidē dona, facienti quantum in ſe eſt confert Deus ipſe benedictus, vt ad

gratiam diſponatur. Non igitur mirum ſi eorum dicta, veluti fidei catholicæ minimè repugnantia, admiſerit Eccleſia Sancta Romana; licèt non fuerint ſanctis Patribus omnino conſentanea. Quemadmodum eorum diluendo rationes conſtabit adhuc, quod in ſequentibus habebimus.

Rationes huiuſmodi deciſionem oppugnantes diluuntur. *Cap. 36.*

QVAMVIS illa quam diximus Scoti opinio, tantum ueluti alia non injiciat ſcrupulum, ob magnam nihilominus iſtius viri authoritatem, placet adhuc vt illud notent qui iurarunt in verbo magiſtri, quod apud Ezechielem prophetam legimus, cap. 33.; quando impij veluti à Deo propter peccata omnino deſpecti, aiunt: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus; quomodo ergo uiuere poterimus? Reſpondet Deus per Prophetam: Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed ut conuertatur impius à via ſua, & viuat. Conuertimini à vijs veſtris peſsimis; & quare moriemini, domus Iſrael? Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit; & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua; & iuſtus non poterit uiuere in iuſtitia ſua, in qua cunque die peccauerit. Etiam ſi dixero iuſto quòd vita viuet, & confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate ſua quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris; & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritq́. iudicium & iuſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamq́. reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniuſtum; vita viuet, & non morietur. Sunt hæc Domini verba. Quibus docet, ſermones ſuos abſolutos de iuſtis ſemper uicturis, & de impijs morituris, eſſe ſub conditione intelligendos; ſi videlicet vterque talis manſerit, qualis eſt cùm de illo ſermo diuinus loquitur. Conſimiles quoque ſententias habemus apud eundem Ezechielem, cap. 18., quando Dominus ait: Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuam uiuificabit. Conſiderans enim & auertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis quas operatus eſt, vita viuet, & nõ morietur. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris; & non erit uobis in ruina iniquitas. Proijcite à uobis omnes præuaricationes ueſtras in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum; & quare moriemini, domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; reuertimini, & viuite.

Ex his Domini verbis, duo præcipuè elicio; alterum eſt, liberum hominis arbitrium, tacita, virtute tamen incluſa gratia. Aliud uerò quòd Dominus Deus generaliter loquitur, cumq́. credentibus & non credentibus ſermonem habet. Primum ex illis hortationibus optimè conſtat; quæ quidem, vim indicant liberi arbitrij, tanq̃ in uniuſcuiuſque poteſtate ſit auertere ſeſe ab iniquitate, pœnitentiam agere, & conuertere cor

ſuum

ſuum ad Dominum Deum noſtrum; eius tamen accedente gratia, quæ ſemper præſtò eſt cuilibet facienti quantum poteſt; Id quod patet ex illis Dei verbis, quando dicit: Nolo mortem morientis; reuertimini & viuite. Tom. 4. Secundum declarat diuus pater Hieronymus, prima Ezechielis verba exponens, cùm ait: A ſpeciali commonitione, qua Iſrael domui loquebatur, ad generalem tranſit diſputationem; quòd & iuſtum præteritæ non ſaluēt iuſtitiæ, ſi nouis ſceleribus fuerit occupatus; & peccatorem vel impium antiqua peccata non perdant, ſi operibus iuſtitiæ, veteres emendarit errores; Deumq́. non præterita in utroquo iudicare, ſed præſentia. Sic ille. Qui etiam antea dixerat, Dominum Deum in cap. 18. cum ſperantibus ſalutem ſermonem habere; in cap. verò. 33. cum deſperātibus. Diuus autem Tom. 9. pater Auguſtinus in tractatu. 33. ſuper Euangelium Ioannis, ſub finem, de hominibus generatim verba faciens, inquit: Ex vtroque igitur homines periclitantur, & ſperando, & deſperando; contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Si igitur loquitur Dominus Deus ſperantibus & deſperantibus, credentibus & non credentibus, iuſtis & iniuſtis, pijs & impijs; omni dubio procul ſermo eius eſt generalis. Id quod optimè conuenit cū ijs quæ in ſuperioribus habuimus; capite videlicet. 33. huius quartæ ſectionis; quòd nempe Deus uocat omnes ad gratiam & gloriam.

Modò adſint ſubtiliſsimi Scotiſtæ; Si Dei ſermo ad Ezechielem eſt generalis, factus eſt etiam ad Eccleſiam credentium, cuius typus erat domus Iſrael; qui quidem credentes, iam fide nouerant inuocandum eſſe Dominum Deum, creatorem, ſaluatorem, ac redemptorem. Quibus & ipſe Deus ſecundùm temporum oportunitates aderat ſuis pulſibus, & inſtinctibus, vocans ad poenitentiam, ex fide intus habitante, inquiens: Conuertimini & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Si autem per ſolam fidem habent huiuſmodi credentes ſufficiens auxilium, quo ualeant ſe ad gratiam diſponere, illamq́. mereri de congruo, quid Deus ſolicitat peculiari tractu, & prænotato pulſu, quò excitet fidem dormientem, & trahat cor peccatoris, vt poeniteat prioris vitæ, concipiatq́. ex fide in IESVM propoſitum bonum, deſuperq́. accipiat ſpiritum charitatis, ſeu gratiæ iuſtificantis? Quòd ſi fides non ſufficit, vt per vires ſuas naturales valeat homo ſe ad gratiam diſponere, at requiritur alius Dei peculiaris tractus & pulſus, quo excitet fidem dormientem, quomodo poterit ſola fides primam gratiam mereri de congruo? Re vera non poteſt; licèt doctiſsimus Andreas Vega in oppoſitum clamet, ſuperq́. laboret ſatis; de quo infra.

Interim ad Scotum redeamus, qui dicebat, quòd ſublato eiuſmodi merito congrui, difficile eſt ſaluare quòd Deus non ſit acceptator perſonarum, cùm vnum iuſtificat per infuſionem gratiæ, alium non. In hoc ſentit cum Pelagio Scotus; qui quidem Pelagius, ponebat meritum primæ gratiæ, ne Deus videretur acceptor perſonarū. A Pelagio autem diſſentit Scotus, in hoc quòd optimè negat meritum condigni reſpectu eiuſdem primæ gratiæ, & aſtruit meritum congrui. Vnde quærenti cur Deus, hunc per infuſionem gratiæ iuſtificet, & non illum; reſponderet, quia ille de

congruo

congruo meruit,non autem iſte; quare Deus non eſt acceptor perſonarum. Verumenimuerò non ſubterfugit ex hoc ſubtiliſsimus Scotus (mea quidem cenſura) vim argutiei Pelagianæ. Propterea quòd adhuc vrgeret Pelagius in hunc modum: Acceptio perſonarum eſt vitium oppoſitum iuſtitiæ diſtributiuæ; veluti eſt apud omnes in confeſſo. In Deo autem, hunc & non illum per infuſionem gratiæ iuſtificante propter meritum cõgrui, non eſt acceptio perſonarum. Ex hoc igitur ſeruatur in eo ratio iuſtitiæ diſtributiuæ. Cuius quidem æqualitas in hoc cõſiſtit, quòd diuerſis perſonis diuerſa tribuuntur, ſecundùm proportionem ad dignitatem perſonarum. Modò ſic: Vbi eſt ratio diſtributiuæ iuſtitiæ, ibi eſt ratio debiti; quoniam datus ad iuſtitiam pertinens diſtributiuam, ille eſt quo aliquis dat alicui quod ei debetur. In collatione autem primæ gratiæ eſt ratio diſtributiuæ iuſtitiæ; quoniam eſt virtus oppoſita acceptioni perſonarum; ad dogmata Scoti. Eſt igitur in eiuſmodi collatione ratio debiti. Et ita gratia cadet ſub debito; vnde erit ibi meritum de condigno; Quod eſt intentum Pelagij.

Quò igitur omnis è medio tollatur dubietas, illud in primis eſt animaduertendum, Deum videlicet nihil agere, ſine ſumma, maximáq; ratione: ita vt minus rectè mihi ſentire videantur, qui omnes quæſtiones iſtiuſmodi, ex vna Dei voluntate reſoluunt; dicentes, illum vniuerſa quæ facit, facere, quia ita ſibi placitum eſt facere; quia ita vult, & voluit; voluntatis autem eius nequaquã quærendam priorem aliquam rationem, cùm rationem nullam habeat. Quod ſi verum eſt, quid ait Apoſtolus ad Roma. cap. 11.? O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Quid pſalmo .35. ait Propheta: Iudicia Dei abyſſus multa? Sed nunquid apud Ioannẽ cap. 9., quærentibus diſcipulis qua cauſa ille cæcus natus fuiſſet, peccatinẽ, aut ſui, aut parentum demerito; reſpondit Dominus: Vt manifeſtentur opera Dei in illo? Eſt ergo diuinæ diſpenſationis & voluntatis, ſi non cauſa, tamen ratio, ad quam reſpicit.

Eſt inſuper animaduertendum, quòd præter iuſtitiam diſtributiuam, eſt etiam in Deo iuſtitia liberalitatis. Et ſicut illa reſpicit meritum, ita iſta reſpicit honeſtum; veluti diximus ſupra. Vnde etiam iuſtitia hæc liberalitatis, acceptioni perſonarum maximè opponitur; ita optimè docente Alexandro de Ales, in .2. par. ſummæ, q. 119., membro .4.; & hæc iuſtitia deſcendit in omnes, & ratione ſexus, & ratione conditionis, & ratione ritus; propterea, Deus vult omnes ſaluos fieri, Apoſtolus ait. Non tamen ſine aliqua ſumma & maxima ratione. Vnde libro 1.Timo.2.
.83. quæſtionum, q. 68., ſanctiſsimus dicit Auguſtinus; Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſsimis meritis; Tom. 4.
quia & ipſi peccatores cùm propter generale peccatum vnam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione, & item præcedit in alijs peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.

ſione. Hæc ille. Qui per merita & dignitatem in propoſito, congruentiam ex parte Dei, & diſpoſitionem ex parte hominis intelligit; vt ſatis impropriè & extenſo vocabulo dicatur illa diſpoſitio meritum. Quoniam ibidem parum ſupra, inquit: Ipſa autem gratia quæ data eſt per fidem, nullis noſtris meritis præcedentibus data eſt. Voluntas igitur diuina ex ratione eſt. Cuius tamen rationis altitudinem ignorans Apoſtolus, ait: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.

Ad rationem Scoti

His itaque præintellectis, facilè dicitur ad rationem Scoti, cùm ait; Deus per infuſionem gratiæ unum iuſtificat & alium non; & nullum ibi adeſt meritum, nec de congruo, nec de condigno. Videtur ergo Deus acceptor perſonarum. Negatur ſiquidem illatio. Quoniam cùm infuſio illa gratiæ non proueniat ex diſtributiua, ſed ex liberalitatis iuſtitia, non exigit vt aliquod præcedat meritum; atqui recta ſufficit diſpoſitio, & diuino mediante ſpeciali auxilio, debita præparatio. Huic ergo & non illi dat gratiam; quoniam ille & non iſte eſt debitè præparatus. Quòd ſi nulla præcedente diſpoſitione, indifferenter conferret gratiam, argumentum fortaſsis aliquam haberet vim. Vnde quando apud Ezechielem prophetam dicit Dominus Deus: Quotieſcunque ingemuerit peccator, vita viuet, & non morietur; Lex eſt reſpiciens iuſtitiam liberalitatis, quæ iſtiuſmodi exigit diſpoſitionem, non meritum de congruo ex parte noſtri; quemadmodum arbitrabatur doctiſsimus Vega. Liberalitas enim reſpicit honeſtum, non meritum; veluti diximus.

Ad Auguſtinum.

Ad ea verò quæ diuus pater Auguſtinus ſcribebat ad Sixtum presbyterum, ſeipſum ibidem adeò exponit atque declarat, vt nulla requiratur alia reſponſio. Ait enim: Reſtat igitur vt ipſam fidem vnde omnis iuſtitia ſumit initium, propter quod dicitur ad Eccleſiam in Canticis canticorum, Venies & pertranſies ab initio fidei, non humano quo iſti extolluntur tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis; quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita; ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus. Hæc ille. Qui paulò ſuperius dixerat: Poſſunt quidem dicere, remiſsionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores? Deinde ſubdit, quod nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat.

Luc. 18.

Ex his modò verbis, tria præcipuè habemus. Primum, quòd remiſsio peccatorum eſt gratia, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quoniã nihil boni meriti eſt in peccatore. Secundum eſt, quòd remiſsio peccatorum non eſt ſine aliquo merito, ſi fides hanc impetrat. Quoniam eſt aliquod meritum fidei; veluti ex Publicano ſatis conſtat. Tertium quod dicit, illud eſt, quòd fides eſt initium omnis iuſtitiæ, & eſt gratuitum Dei donum, nullis præcedentibus meritis collatum; quia inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita. Duo autem prima dicta uidentur pugnare adinuicem. Quoniam in primo habet, quòd remiſsio peccatorum eſt gratia, quæ nullis præcedentibus meritis datur. In ſecundo uerò immediatè ſequenti,

quenti, vult quòd remiſsio peccatorum in fideli habeat aliquod meritum;quoniam eſt aliquod meritum fidei.Eſſe autem ex gratia & ex merito ſimul,contradictionem inuoluit. Non ſum autem inſcius, ſubtiliſsimos Scotiſtas reſponſuros, quòd nulla eſt in dictis Auguſtini repugnantia; quoniam in primo eius dicto vult habere, quòd remiſsio peccatorum eſt gratia,quia ibi nullum eſt meritum de condigno.In ſecundo autem aſſerit remiſsionem peccatorum, aliquod habere meritum, ſi fides illam impetrat; quoniam fides meretur primam gratiam de congruo; id quod ad vnguem intendebat Scotus.

At mox ego inſurgam, atque vrgendo ſciſcitabo, quid intelligat Auguſtinus, cùm poſtea in tertio dicto, habet quòd fides eſt initium omnis iuſtitiæ,& quòd inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita. Aut enim eſt initium meriti incluſiuè, ita vt & ipſa includat rationem meriti; aut excluſiuè, ita vt ſit & dicatur initium meriti, quia inde diſpoſitio ſumit initium,& præparatio ad meritum; ſiue ad gratiam, vnde poſtea ſequitur meritum. Si detur primum, illud ſequitur maximum inconueniens, quod fides informis (de hac enim eſt ſermo) rationem includat meriti condigni; quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita. Hoc autẽ aduerſatur primo dicto Auguſtini, & ad eum Scotiſtarum interpretationi. Si verò admittatur ſecundum, tunc remiſsio peccatorum dicitur habere aliquod meritum, quia impetratur à fide, quæ cùm ſit via ad meritũ, poteſt aliquo pacto dici meritum; quemadmodum & præuia diſpoſitio ad generationem, dicitur generatio apud Ariſtotelem.

Ad rationem igitur nullo penitus negotio patet; quoniam remiſsio peccatorum, quam impetrat fides, dicitur pro tanto aliquod habere meritum, quia præſupponit fidem; quæ quidem fides dicitur meritum, quia eſt initium meriti excluſiuè; ſiue via ad gratiam, vnde ſequitur meritum.

Hanc doctrinam ex eodem habemus Auguſtino, ad Simplicianum, libro primo, quæſtione .2. Quo in loco demõſtrare intendit, gratiam omnia merita bona præcedere, & bona merita eandem ſubſequi gratiam. *Tom. 4.* Vnde ait: De operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Iſraelitæ gloriari, quòd datæ ſibi legi ſeruiſſent, & ex hoc Euangelicam gratiam tanq̃ debitam meritis ſuis percepiſſent, quia legi ſeruiebant; vnde nolebant eandem gratiam dari gentibus, tanq̃ indignis, niſi iudaica ſacramenta ſuſciperent. Quæ orta quæſtio, in Apoſtolorum actibus ſoluitur. *Act. 15.* Non enim intelligebant, quia eoipſo quòd gratia eſt Euangelica, operibus non debetur; alioquin gratia iam non eſt gratia. Et multis locis hoc ſæpe teſtatur fides, gratiam præponens operibus, non vt opera extinguat, ſed vt oſtendat non eſſe opera præcedentia gratiam, ſed conſequẽtia; vt ſcilicet non ſe quis arbitretur ideo percepiſſe gratiam, quia benè operatus eſt, ſed benè operari non poſſe, niſi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem. Hucuſque Auguſtinus. Qui perquamclariſsimè aſſerit, gratiam præcedere omnia merita.

Eſt tamen

Eſt tamen dubitatio, inquit, quonam tempore gratia plenior & euidentior infundatur. Quandoquidem & cathecumeni credunt, & Cornelius credebat Deo, cum eleemoſynis & orationibus dignum ſe præberet cui angelus mitteretur. Nullo autem modo crediſdiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur. Ex quo ſequitur, quòd gratia Dei præcedit etiam in nobis actum fidei. At quando plenior infunditur? Reſpondet Auguſtinus his verbis: Sed in quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum coelorum; ſicut in Cathecumenis, ſicut in Cornelio, anteq̃ ſacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ. In quibuſdam verò tanta eſt, vt iam corpori Chriſti, & ſancto Dei tem- [1. Cor. 3.] plo deputentur. Templum enim Dei ſanctum eſt, inquit Apoſtolus, quod [Ioan. 3.] eſtis vos. Et ipſe Dominus: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spirituſancto, non intrabit in regnum coelorum. Fiunt ergo inchationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles; non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam. Nihil horum tamen ſine gratia miſericordiæ Dei; quia & opera ſi qua ſunt bona, conſequuntur, vt dictum eſt, illam gratiam, non præcedunt. Hæc Auguſtinus. Ex quibus duplicem colligimus gratiam; nempe gratiam fidei; quæ non ſufficit ad obtinendum regnum coelorum. Et hanc appellat inchoationem, ſimilem conceptioni. Vnde habemus, quòd poteſt homo recipere fidem ſine charitate, per auxilium ſpeciale; quod quidem dicitur gratia. Secunda verò gratia quam colligimus ea eſt, qua homines corpori iam Chriſti, & ſancto Dei templo deputantur. Fides igitur quæ inchoat meritum, ad dogmata Auguſtini, illa eſt quæ tempore per Dei ſpeciale auxilium poteſt præcedere gratiam gratum facientem. Non autem poteſt eſſe initium meriti incluſiuè; quoniam in præcedentibus dixit, gratiam omnia bona merita præcedere, & non aliqua tantùm. Relinquitur ergo quòd ſit initium & inchoatio meriti excluſiuè. Et ita quia eſt inchoatio meriti, & via ad meritum, ideo Auguſtinus appellat eam aliquando meritum. Eſt enim illa quæ oſtendit nobis à quo debeamus petere auxilium, eodem atteſtan- [Tom. 3.] te Auguſtino, de ſpiritu & litera, cap. 13. Quo fit, vt etiam dicatur impetrare iuſtificationem.

Sed quid dicendum ad Publicanum? Quòd diui Auguſtini intentio non erat aſſeuerare, per fidem ſimpliciter meruiſſe iuſtificationem & gratiam; ſed quod eſt initium iuſtificationis & meriti; excluſiuè tamen. Propterea dixit, quòd fide orabat, & deſcendit iuſtificatus.

In ſecunda uerò authoritate, nempe ad Paulinum, loquitur Auguſtinus de fide formata; quæ quidem, iuſtitiæ & ſanctitatis augumentum vtique promeretur. Et quòd ita ſit, attendatis, & videbitis. In præcedentibus nanque laborat Auguſtinus, vt commonſtret nullum eſſe meritũ gratiæ, [Luc. 15.] & præinducto exemplo de filio prodigo, adducit aliud poſtea de Dauide [Pſal. 58.] dicente: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Et ne hoc ipſum, quia cuſtodit, ſuis viribus arrogaret, cauſam adiunxit, vnde fiat idoneus cuſtodire, vel quo potius cuſtode ſeruetur. Quoniam Deus, inquit, ſuſceptor

meus es.

meus es. His præmiſsis, ſequitur Auguſtinus, inquiens: Recolat igitur iſte, ſi poteſt, merita ſua, vnde factum ſit, vt Deus dignaretur eius eſſe ſuſceptor, ac ſi Deus eſſet ſuſceptus. Recolat vtrum quæſierit, an quæſitus ſit, ab illo ſcilicet qui venit quærere, & ſaluare quod perierat. Nam ſi quærere *Luc.19.* voluerit ante gratiam quid meruerit vt acciperet eam, mala ſua poterit homo inuenire, non bona; etiam ſi eum vnus diei vitam habentem ſuper terram, gratia Saluatoris inuenerit. Quia ſi aliquid boni operatur homo, vt gratiam mereatur, non ei merces imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Si autem credit in eum qui iuſtificat impium, vt de- *Rom. 4.* putetur fides eius ad iuſtitiam. Iuſtus enim ex fide viuit; profectò anteq̃ gratia iuſtificetur, vt iuſtus efficiatur, impius quid eſt niſi impius? Quem ſi debitum ſequeretur, quid eius merito, niſi ſupplicium redderetur? Si ergo gratia, iam non ex operibus eſt; alioquin gratia iam non eſt gratia. *Roma.11.* Operibus enim debitum redditur, gratia gratis datur, vnde etiam nuncupatur. Hæc Auguſtinus. Qui de homine in fide, & ex fide ſimpliciter operante dicit, quod non eſt niſi impius; & propterea quòd eius merito non debetur niſi ſupplicium. Addit quoque, quòd ſi quærat homo quid meruerit ante gratiam ut acciperet eam, mala ſua inueniet, non bona. His itaque ſe habentibus, vbi relinquitur meritum de congruo? Nullibi certè. Idcirco cùm ſubdit Auguſtinus: Si quis autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus; immò uerò gratiſſimè confitemur; neceſſe eſt quòd id uelit ratione quam diximus; nempe quia eſt initium meriti excluſiuè, & uia ad meritum, vel ꝗ loquatur de fide formata, veluti diximus; ſecus eſſet in eius uerbis manifeſtiſsima cõtradictio. Sed ꝗ loquatur de fide formata, ex eius patet concluſione, cùm ait: Cùm ergo fides impetrat iuſtificationem, ſicut vnicuique Deus partitus eſt etiam ipſius menſuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante nõ ducente, pediſſequa nõ præuia uoluntate. Ita Auguſtinus. Vnde in ſecundo dicto, cuidam uidetur ſatisfacere tacitæ obiectioni. Quoniam dixerat, gratiam præcedere omnia merita noſtra bona; poterat quiſpiam dubitare, nunquid fides aliquid habeat meriti, quia & ipſa eſt *Ioan.6.* opus Dei. Reſpondet, ꝗ fides quidem formata meretur augumentum gratiæ. Informis autem nihil habet meriti incluſiuè, ſed tantùm excluſiuè; quia caret gratia iuſtificante, vnde prouenit omne meritum.

Ad illud uerò quod habet de prædeſtinatione ſanctorum facilè patet reſponſio, ſi attendatur ꝗ id non dixit Auguſtinus ex propria ſua ipſius ſententia, uerùm illud recenſebat quod vulgò dicebatur; quo quidem relato, mox idem redarguit. Declarat.n.quare .D. Apoſtolus Paulus fidẽ ab operibus diſtinguat, cùm & ipſa ſit opus Dei, & ait: Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus fidẽ, quemadmodũ in duobus regnis Hebræorũ diſtinguitur Iudas ab Iſrael, cùm & ipſe Iudas ſit Iſrael. Ex fide aũt ideo dicit iuſtificari hoĩem, non ex operibus; quia ipſa prima datur, ex qua impetrẽtur cætera, quæ propriè opera nũcupantur, in quibus iuſtè uiuitur. Et cur dicit Apoſtolus, ꝗ fides nõ eſt ex operibus? Quia donũ Dei eſt, & non ex

operibus; ne quis extollatur. Cæterùm cur hæc docuit Apoſtolus? Reſpondet Auguſtinus, quia ſolet dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat antequàm crederet. Vnde arbitrabatur vulgus, ſe ex operibus fidẽ habere. At minimè, inquit Apoſtolus, quoniam, Gratia ſalui eſtis facti per fidẽ, & *Act. 10.* hoc non ex vobis, ſed Dei donũ eſt. Sed dicet quiſpiam, Cornelij acceptæ fuerunt eleemoſynæ, & exauditæ orationes, antequam crediſſet in Chriſtũ. Fides ergo ex operibus. Reſpondet Auguſtinus, hoc minimè verũ eſſe; qm̃ licèt Cornelius tunc temporis fidem non habuerit formatã; non tamẽ ſine aliqua fide donabat & orabat. Quæ quidem fides, erat donũ Dei. Idq́. *Rom. 10* probat Auguſtinus, quoniam non poterat Cornelius inuocare in quẽ non crediderat. Ad rationem, negamus ꝙ ad habendam gratiam, ea ſit diſpoſitio ſufficiens & præparatio, vt doleat peccator propter Deum de peccatis commiſsis. At requiritur efficax dolor, & propter Deum ſummè dilectum, necnon & cum firmiſsimo propoſito cauendi in futurum. Atqui huiuſmodi opera non ſine Dei gratia haberi poſſunt. Nec valet ſimilitudo cùm dicitur: Quemadmodum poteſt homo ſibi placere ꝙ Deum offenderit; ob id poteſt dolere. Quoniam offendere Deum non excedit vires noſtras; atqui ſufficienter dolere de peccatis commiſsis, excedit vtique.

Et veriſsimum eſt, ꝙ facienti quantum in ſe eſt, Deus nunq̃ denegat gratiam. At non poteſt homo facere quod in ſe eſt, ita vt ſit ad gratiam ſufficienter præparatus atque diſpoſitus, eamq́. certa lege ſuſcipiat, niſi diuina gratia excitetur, & quidam accedat peculiaris impulſus; quemadmodùm oſtendimus ſupra. Propterea Dominus noſter ait: Sine me nihil poteſtis facere. Et diuus Apoſtolus: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Sed quid? Si quis ex facultate naturæ faceret quantum in ſe eſt, & Deus miſericorditer ageret cum eo; ob id eſſet inferendum, illum gratiam de cõgruo meruiſſe? Minimè gentium.

Verùm quid ad authoritates ſanctorum, & antiquiorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ patrum? Sunt enim eorum quamplurimæ ſententiæ claræ, quas libro. 8. de iuſtificatione cap. 6. inducit Andreas Vega; quibus innititur ad comprobandum, ꝙ doctores antiqui agentes cum catholicis, perſæpe aſſeruerunt peccatores, ſuam de congruo mereri iuſtificationem. Dicimus igitur, quòd Patres tunc acceperunt meritum ſatis impropriè, deoq́. ſunt extenſo vocabulo locuti; quatenus ſcilicet idem ſonat quòd decentia, conuenientia, non repugnantia, atque ſimplex congruentia, quæ nullam fundat rationẽ iuſtitiæ. Cùm enim de veritate conſtabat, non multum erant de vocabulorum proprietate ſoliciti. Id enim quod liberalitatis iuſtitia honeſtum appellat, ipſi Patres meritum impropriè dixerunt. Vnde Aegidius in. 2. theologicarũ ſenten. d. 27. q. 2. ar. 1., ait: Homo ergo non habens gratiam, nõ poteſt mereri eam; niſi accipiatur mereri largè ex benignitate, & liberalitate Dei; vt ſi homo faciat quod in ſe eſt, Deus tanq̃ benignus & liberalis facit quod in ſe eſt, & dat ſibi gratiam ſuam. Et ibidem, diſtinctione. 28., q. 1. ar. 3., dicit ꝙ homo ſine gratia præcedente, ſe non poteſt ad gratiam ſufficienter præparare. Item Ricardus

de Mediauilla,in .2.ſen.d.27.q.2.ar.1.,dicit quòd homo non habens gratiam, poteſt ſibi eam mereri, merito ſecundùm quid . Quod quidem meritum vocat ipſe obſequium,quod non eſt remunerabile illa re,habendo reſpectum ad opus & operantem; remuneratur tamen illa re, propter liberalitatem retribuentis.Vnde magis propriè dicitur dari gratia,q̃ pro operibus reddi. Sed & diſtinctione.28.eiuſdem voluminis,.q.1.ar.2., ait, quòd non poteſt liberum hominis arbitrium ad gratiam gratum facientem ſe diſponere,niſi per aliquam gratiam gratis datam. Impropriè itaq. loquebatur Origenes homilia.3.in Leuiticum, & alij Eccleſiæ Romanæ patres,ad ſenſum quem diximus. Sed .D.Tho. ſuper Pauli epiſtolas eam inſequebatur opinionem,quam in .2. ſententiarum communem appellauit. At verò accuratiùs re ipſa conſiderata,in ſumma theologiæ & mutauit ſententiam, & quia loquebatur in ſcholis, quæ vocum requirunt proprietatem, voce & nomine meriti eſt propriè vſus.

Verùm quid ait ſanctus Thomas in .3. par. ſummæ theologiæ, q.2.ar.11., quòd ex congruo meruerunt ſancti patres incarnationem, deſiderando & petendo? Optimè dicit ſanctiſsimus doctor. Nec id ijs aduerſatur,quæ à nobis in quæſtionem reuocata fuere. Siquidem negat .D.Tho. quòd quis poſsit ſibi mereri primam gratiam de congruo . Et hoc eſt quod cum eo & Auguſtino, alijsq́. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctoribus determinatum reliquimus. Non tamen negat beatiſsimus pater Aquinas, quin ille qui eſt in gratia, poſsit de congruo mereri primam gratiam alteri;merendo q̧ Deus ipſum diſponat per bonam inſpirationem,& motionem. Hoc fatetur ipſe prima ſecundæ,q.114.,ar.6.; quod quidem optimè conuenit cum ijs quæ habet in .3.parte,loco proximè citato. Propterea dicit,q̧ Sancti Patres de congruo meruerunt incarnationem filij Dei. Si.n. erant ſancti,iam habebant gratiam. His omnibus rectè ponderatis,atque maturitate conſideratis, ceſſabunt rationes per Andream Vegam erectæ, loco proximè adducto, cap.8.; quibus conatur probare dari hoc meritũ ex congruo. Et eas vnico præmiſſo fundamento,ſibi aſſumit. Meritum nanque diſtinguit condigni & congrui tali pacto. Ad meritum ex condigno,inquit,& dignitas requiritur operantis,& lex ſtatuta de conceſsione præmij, ſibi reſpondentis. Sed ad meritum ex congruo,alterutrum horum ſatis eſt. Nam nomine meriti ex congruo,tantùm intelligimus actionem, aliquam liberam,cui congruum ſit & par, reſpondere aliquod præmium. Hoc eſt fundamentum cui innituntur prætactæ rationes. Cæterùm deſtructo fundamento,totum corruit ædificium. Si enim ſola concurrit ſtatuta lex de conceſsione præmij, ad meritum ex congruo, & nulla adeſt dignitas in operante; profectò ceſſat omnino & ratio meriti,& ratio præmij; ſolaq́. liberalitatis iuſtitia habet locum; ni velimus coelum vocare terram. Illa ſiquidem lex qua ſtatuit Deus ſuſcipere peccatorem dolentem,non eſt de conceſsione præmij,ſed gratiæ. Vnde actioni illi liberæ non eſt congruum quòd reſpondeat aliquod præmium; ſecus eſſet ibi aliqua ratio debiti; ſed benè honeſtum eſt,vt ſic operanti,atque medio auxilio diuino ſe præparanti condonetur gratia. Sed de his hactenus.

Quotupliciter dicatur gratia diuina. Cap. 37.

DE diuina gratia verba facturus,illud in primis teſtatum relinquo, nihil me in præſentiarum agere de ſingulari quadam gratia, quam Dominus noſter quibuſdam electis ſic eſt elargitus,vt orbi vniuerſo fuerint miraculo; veluti in Dauide, Latrone, Paulo, Maria Magdalena, & alijs, diuina referente hiſtoria, didicimus ſatis. Verùm hîc ſermo mihi eſt de ea gratia,ſine qua liberum noſtrum arbitrium ſupremum optatæ felicitatis gradum attingere minimè poſſet,& eſſet omnino infirmum; cum ea verò ad omnia potens. Huiuſmodi autem diſputatio cùm obſcura ſit & perdifficilis,ne vocabulorum ignorantia fallamur, operæpretium eſt primùm explanare quid deſignetur nomine gratiæ, & quot modis in ſacris, diuiniſqúe eloquijs, eius accipiatur nomen.

Lato igitur & extenſo vocabulo nomen gratiæ accipiendo,gratia dicitur quoduis beneficium, non debitum ei cui datur. Siue id omne quod gratioſè conceditur, ſiue naturale illud ſit, ſiue ſupra naturam.
Tom. 8. Ad quod quidem reſpiciens diuus pater Auguſtinus, in pſalmo.144: inquit: Nos antequam eſſemus,omnino non eramus; & facti ſumus homines,cùm ante nihil eſſemus. Deinde iam ipſi homines ex traduce illius peccatoris & maligni eramus, & filij iræ naturà ſicut & cæteri. Attendamus ergo gratiam Dei,non ſolùm qua fecit nos,verùm etiam qua refecit. Cui ergo debemus quia ſumus,illi debemus,quia & iuſtificati ſumus. Nemo quaſi tribuat Deo quia eſt, & ſibi tribuat quia iuſtus eſt. Melius eſt enim quod tibi vis tribuere,q̃ quod illi. Melius eſt enim aliquid eſſe quia iuſtus es,q̃ quia homo es. Inferius aliquid das Deo,& ſuperius tibi. Totum illi da,in toto ipſum lauda,non cadas de manu artificis. Hactenus Auguſtinus. Qui & libro primo de prædeſtinatione ſanc-
Tom. 7. torum,cap.5.,dicit: Sit ergo gratia naturæ attributa,qua ſumus animantia rationabilia, diſcernimurq́. à pecoribus; ſit etiam gratia naturæ attributa,qua in ipſis hominibus,à deformibus pulchri,vel ingenioſi diſcernuntur à tardis,ac ſi quid eiuſmodi eſt. Sed non ſe ille quem coercebat Apoſtolus,aduerſus pecus inflabat,nec aduerſus hominem alterum,de aliquo naturali munere,quod ineſſe poſſet & peſsimo; ſed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam,ſibi non Deo tribuens inflabatur,quando audire meruit: Quis enim te diſcernit? Quid autē habes,quod non accepiſti? Vt enim ſit naturæ fidem poſſe habere,nunquid & habere? Non enim oĩum eſt fides,cùm fidem poſſe habere ſit oĩum. Non aũt ait Apoſtolus: Quid aũt potes habere quod non accepiſti,aut poſſes habere,ſed ait: Quid autem habes quod non accepiſti? Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem,gratiæ eſt fidelium. Illa itaque natura in qua nobis data eſt poſsibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine hominem; ipſa uerò fides diſcernit ab infideli fidelem. Hæc ille. Qui peroptimè nobis duplicem generali diuiſione aſsignat gra-

tiam;

tiam; creationis nempe, atque redemptionis. Et ita cum .D. Apoſtolo Iacobo vult habere, quòd, Omne datum optimum, & omne donum perfeẟum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ex gratia igitur creationis, inquit Auguſtinus, habet homo naturam ipſam rationalem, ingenium, pulchritudinem, ac ſi quid eſt huiuſmodi; pariter & facultatem habendi fidem, habendiqúe charitatem, credendi, atque ſperandi. Ex gratia uerò redemptionis, habet homo fidem & charitatem. Vnde ad gratiam creationis pertinet natura ipſa humana quam habemus; anima videlicet & corpus, totumq́. ex anima & corpore compoſitum. Item omnia bona quæ naturaliter habet homo, tam ratione corporis, q̃ animæ; tam ratione ſpeciei, q̃ indiuidui. Vtpotè naturales potentiæ, quæcunque ſint illæ; intelleẟiua, ſenſitiua, vegetatiua, augumẽtatiua, generatiua, ſecundùm locum motiua, & id genus alia, quæ ſunt homini naturalia. Etiam capacitas quam habet homo vt poſſit iuſtificari, beatificari, eſſe iuſtus, eſſeq́. beatus. Ad hanc etiam gratiam creationis pertinet generalis Dei influxus; qui ſemper adeſt omnibus agentibus creatis, & cuilibet cauſæ ſecundæ; vt cum eo ſuas exerceant aẟiones, quas cum illo exercere valent. Ex gratia verò redemptionis, habet homo omnia illa bona, quæ interuenientibus meritis Domini Seruatoris noſtri, ex Deo proueniunt. Nempe vocationem, fidem, ſpem, charitatem, gratiam gratũ facientẽ, ſacramenta, ac demum quicquid boni, circa vel propter Deum Trinum & vnum benè & virtuosè operamur. Hæc, cunẟaq́. alia ſimilia bona, interceſsione meritorum Seruatoris & Redemptoris noſtri, habemus à Deo optimo maximo. Quia profeẟò niſi noſtri Redemptoris affuiſſent merita, huiuſmodi bona à Deo nullo paẟo haberemus. Et ita optimè ſequitur, quòd appellatione gratiæ generatim acceptæ, notatur omne beneficium gratis impenſum; ideſt, nõ vt debitum. Vnde habita conſideratione ad ſignificationem nominis, ſecundùm rationem hanc generalem, complexus eſt Auguſtinus naturam ſub appellatione gratiæ. Sed tamen rariſsimè huiuſmodi prima ſignificatione gratiæ vtuntur ſacræ literæ. Propterea optimè colligebat Dominicus Soto, quòd quamuis naturalia beneficia, gratiæ etiam nomenclaturam habeant, vbicunque tamen ſimpliciter de gratia habetur ſermo; niſi contextus aliorſum peculiariter diuerterit; beneficium IESV Chriſti Saluatoris noſtri ſubauditur, in noſtram nobis ſalutem impenſum. De qua ait Paulus ad Ephe. 2.: Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur. Prætermiſsis igitur naturæ dotibus, quas à Deo patre, vt conditore naturam humanam inſtituente accepimus; de ea gratia proſequamur, qua Chriſtiani ſumus, vel ad chriſtianam fidem alios imbuimus; quæ eſt à Deo, vt redemptore, naturam humanam quæ perierat, à peccato liberante, ac eam liberatam, deinceps adiuuante. Hæc enim eſt illa de qua Ioannis primo ita legitur: Gratia & veritas per IESVM Chriſtum faẟa eſt.

Iac. cap. 1
Actu. 17.
Roma. 11.

KKKK 3 De hac

De hac itaque ſermonem habentes ſacræ theologiæ tractatores, eam in gratiam gratis datam,& gratiam gratum facientem, diſtinguere ſolent. Licèt enim omnis gratia ſit gratis data,ſecus non eſſet gratia;nam aduerbia gratuitò,ſeu gratis,& meritò,contrariè ſignificant;dicente Apoſtolo: Si ex gratia, iam non ex operibus; alioquin iam gratia non eſt gratia; quia tamen vna eſt ſpecialis gratia, qua nos ſibi Deus formaliter facit gratos; hæc ab effectu propriè denominatur gratia gratum faciens; reliquis retinentibus genericum nomen, vt dicantur gratiæ gratis datæ. De
Roma.3. prima dicit Apoſtolus: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. De ſecunda verò,ſiue de ſecundis, priori ad Corinthios epiſtola,cap.12., ita ſcribit idem Apoſtolus: Et nemo poteſt dicere: Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt,idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alij gratia ſanitatum in vno Spiritu; alij operatio virtutum, alij prophetiæ, alij diſcretio Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult. Huiuſmodi autem dona dat Deus ipſe benedictus, non vt per ea, habentes coniungantur Deo Spiritu charitatis, aut remiſsionem peccatorum aſſequantur; ſed vt hæc habentes, ſecundùm ipſa ad coniunctionem alterius cum Deo, & ad iuſtificationem aliorum cooperentur; vnde appellantur gratiæ gratis datæ. Et ita optimè dicebat Apoſtolus, quòd vnicuique datur manifeſtatio Spiritus, ad vtilitatem aliorum. Quapropter gratiam gratis datam, in hunc modum ſacri deſcribunt theologi: Gratia gratis data eſt donum datum alicui, ad deducendum alterum in fidem, & charitatem Dei. Non quidem, aiunt, illum intus mouendo, aut efficiendo fidem,ſeu charitatem iuſtificantem; quia hoc ſolius Dei opus eſt; ſed foris operando aliquid, in quo oſtendatur quòd fides Eccleſiæ Romanæ eſt vera & infallibilis. Ita vt plebs ipſa, verbo fidei audito, ad Spiritum fidei & charitatis accipiendum excitetur. Gratia verò gratum faciens, ea eſt ſecundùm quam rationalis Spiritus coniungitur Deo, ad participandum gloriam diuinitatis eius. Per hanc igitur gratiam ita Deo coniungimur, vt efficiamur diuinæ conſortes naturæ; fugientes eius, quæ in mundo eſt,
2.Pet.1. concupiſcentiæ corruptionem.

Hinc triplex oritur inter vtranque diſcrimen. Primum eſt, ꝙ gratia gratis data immediatè & propriè non datur in vtilitatem eius qui eam ſuſcipit, ſed in vtilitatem & commodum aliorum. Gratia autem gratum faciens, immediatè datur & propriè in commodum & vtilitatem eius qui iuſtificatur.

Secundum eſt, quòd gratia gratum faciens per quoduis lethale crimē amittitur; veluti conſtat in Ezechiele propheta, cap.18. At gratia gratis data non item. Vnde in priori ad Corinthios epiſtola, cap.13., ait

Apoſtolus; Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil ſum.

Tertium eſt, quòd gratia gratum faciens ſemper eſt quid inhærens animæ, vt probabimus; at gratia gratis data, aliquando eſt donum habituale; vt donum fidei & ſcientiæ; aliquando eſt poteſtas; vt poteſtas miraculorum, cõſecrandi, & huiuſmodi. Ob id ſacri noſtri doctores & magiſtri, docent, & volunt, quòd gratia gratum faciens ſit multò excellentior, quàm gratia gratis data. Siquidem gratia gratum faciens ordinat immediatè hominem ad coniunctionem finis. Gratiæ verò gratis datæ ordinant ad quædam præparatoria ad vltimum finem; ſicuti per miracula & prophetias, & ſimilia, homines inducuntur vt iungant ſe vltimo fini. Et ceſſet hic dubitatio atque difficultas de viſione beatifica, quæ eſt vita æterna, & de gratia vnionis in Chriſto Domino. Prima enim licèt perfectius nos coniungat Deo, q̃ gratia gratum faciens; atqui non eſt gratia gratis data, ſed conſummata; & gratia quæ in ſolo beatitudinis regno diſtribui ſolet & impartiri. Siq; eius naturam inquiramus rectè, videbimus ꝙ potius ad gratiam gratum facientem reducitur, q̃ ad gratiam gratis datam; quoniam ab ea ſeparari non poteſt. Ad eandem quoque gratiam gratum facientem reducuntur omnia gratiarum genera, quibus homo diſponitur ad ipſam gratiam, vt iuſtificetur, & placeat coram Deo dilectus & gratus. Quoniam diuinitus conferuntur in vtilitatem & commodũ eius qui recipit. Secunda verò, & ſi operetur vt homo ſit filius Dei naturalis, gratia verò gratum faciens vt ſit adoptiuus tantùm; non eſt tamẽ gratia creata, de qua eſt nobis ſermo; ſed increata. Eſt enim eſſe perſonale Verbi diuini, communicatum naturæ humanæ.

Quomodo autem diſtinguatur gratia in gratiam creatam & increatam, ſciant iuniores theologi, quòd gratia increata eſt ipſa Dei voluntas, qua nos dilexit ab æterno. Propterea Saluator noſter, Deus & homo, tempore quo nobis reconciliationem meruit cum Deo, tunc eoipſo meruit nobis gratiam Dei increatam & creatam; illam quidem primariò, hanc uerò ſecundariò. Meruit nanque Dei increatam beneuolentiam, qua nos Deus formaliter habet gratos ſibi, qua nobis formaliter vult, atque optat bona, qua nos formaliter ad bona acceptat; & quæ nos effectiuè bonos facit, iuſtos, ſanctos, beatos, & glorioſos. Quia igitur per merita Saluatoris ipſa gratia increata in nobis bona operatur, & ad bona nos acceptat; quodlibet horum bonorum nomen retinet gratiæ increatæ à qua eſt; quo quidem nomine, gratia appellatur; non quidem increata amplius, ſed creata. Quemadmodum effectus à cauſa, & hæc ab illo per metonymiam frequentiſsimè denominatur, veluti in ſuperioribus diximus ſatis. Doctrina eſt D. Apoſtoli Pauli, ad Ephe. cap. 1. & 2., cùm ait: Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in coeleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati, in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per IESVM Chriſtum in ipſum; ſecundùm propoſitũ voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ

gratiæ ſuæ, in qua glorificauit nos in dilecto filio ſuo. In quo habemus
redemptionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorum ſecundùm
diuitias gloriæ eius. Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto IESV
in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. In Chri-
ſto igitur IESV Domino noſtro elegit nos Deus ab æterno; quod ad gra
tiam pertinet increatam. Item in Chriſto creati ſumus in operibus bo-
nis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, atque in omni benedic
tione ſpirituali in coeleſtibus; id quod ad creatam pertinet gratiam. Quã
etiam diuidunt ſacri noſtri theologi, in operantem & cooperantem; ſiue in
præuenientem & ſubſequentem. Huiuſmodi enim (vt mea fert opinio)
differunt tantùm ſecundùm conſiderationem; re autem idem ſunt gratia
operans & præueniens, necnon & cooperans & ſubſequens. Diuiſione il-
la de gratia operante & cooperante vſus eſt diuus pater Auguſtinus mul
Tom. 7. tis in locis ſuorum operum; at præcipuè de gratia & libero arbitrio, cap.
.17. ſub his verbis: Et quis iſtam, & ſi paruam, dare coeperat charitatem,
niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operan-
do incipit? Quoniam ipſe vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus
Philip. 1. cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum quoniã
qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti IESV.
Vt ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus
vt faciamus, nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo vel operante vt veli-
mus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.
Tom. 7. Hæc ille. Qui & de natura & gratia, cap. 32., in hunc modum effatur: Vbi
quidem operamur & nos, ſed illo operante cooperamur, quia miſericor-
Pſal. 58. dia præuenit nos. Præuenit autem vt ſanemur, ſubſequitur vt glorificemur;
Ioan. 15. præuenit vt piè viuamus, ſubſequitur vt cum illo ſemper viuamus, quia
Pſal. 58. ſine illo nihil poſſumus facere. Vtrunque enim ſcriptum eſt, & Deus meus
miſericordia eius præueniet me, & miſericordia tua ſubſequetur me, per
omnes dies vitæ meæ. Sic ille. Eſt nihiloſecius vna & eadem gratia Dei
in ſeipſa, ſecundùm eſſentiam minimè diuerſificata; ſed quia multos ef-
fectus, multosq́. continet agendi modos, inde fit vt multa ſortiatur nomi
na; vna & maximè ſimplex ſemper exiſtens. Ipſa enim aliquando ope-
ratur in nobis, noſtram mouendo voluntatem, vt velit bonum, quæ prius
volebat malum; & tunc dicitur gratia operans. Aliquando etiam nos iu-
uat ad bonas actiones imperatas à voluntate, & interius voluntatem con
firmando, vt ad actum perueniat, & exterius facultatem operandi præ-
bendo. Et tunc dicitur gratia cooperans. Gratia quoque gratum faciens
habitualis dicitur operans, quatenus animam ſanat, vel iuſtificat, ſeu red-
dit Deo gratam; atque dicitur cooperans, inquantum eſt principium ope
ris meritorij, quod ex libero noſtro emanat arbitrio. Vnde diuiſio illa in
gratiam operantem & cooperantem, reperitur nedum in gratia gratum
faciente; verùm etiam in diuino auxilio, quo Deus nos mouet ad benè
volendum & agendum. Idem dicitur de gratia præueniente atque ſubſe-
quente. Deus enim nolentem præuenit, vt benè velit; & volentem ſubſe-
quitur, ne fruſtra velit, ſed perficere queat.

Gratia,

Gratia,item,præueniens duplex eſt; generalis nempe,& ſpecialis. Prima eſt bonus motus,& bona cogitatio; veluti cùm peccator,Deo inſpirante, ſuum peccatum agnoſcit,& cum terrore pœnæ conuertitur, contremiſcit,& de amittenda æterna beatitudine dolet. Secunda eſt,quæ huic & non illi homini donatur. Et tot habet ſpecies, quot ſunt ſpecies boni motus ad reſipiſcendum; quemadmodum ſunt auditio verbi Dei,immiſſio aduerſitatis,remotio occaſionis peccandi,ablatio,ſeu debilitatio tentationis,& huius generis alia. Illa generalis nulli hominum deeſſe dignoſcitur vnq̃; quoniam Deus ſtat ad oſtium & pulſat, initium noſtræ ſalutis,quæ eſt peccati cognitio,in nobis operari deſiderans. Illa verò ſpecialem,non omnibus peccatoribus Deus impartitur; & hoc non ex defectu ipſius Dei benedicti, ſed ex induratione prouenit ipſius peccatoris; qui gratiam illam negligit communem & generalem. Propterea optimè dixerunt magiſtri noſtri; quòd nempe Deus nos gratis vocat per gratiam Chriſti, præparat,excitat, pulſat, mouetq́. torpentes; atqui mox liberos nos relinquit; vt ſi voluerimus,ei conſentiamus,& cooperemur; ſin autem, minimè. Quapropter Matt.23. ait: Hieruſalem Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos,quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti? Modò clarum eſt,quòd gallina non cogit, ſed vocando allicit. Quia tamen diximus quòd gratia operans,noſtram mouet voluntatem vt velit bonum,quæ prius volebat malum; eſt modò difficultas emergens, nunquid ſcilicet quando Deus mouet voluntatem humanam ad aliquem actum interiorem, voluntas noſtra ſe habeat tantùm vt mota. Sed de his in ſequenti.

An cùm Deus mouet voluntatem humanam ad aliquem actum interiorem, voluntas noſtra ſe habeat tantum vt mota. Cap. 38.

RADIX iſtius difficultatis ex eo pendet,quod ſupra ex diuo patre Auguſtino habuimus; quòd ſcilicet vt velimus,in nobis ſine nobis operatur Deus; cùm autem volumus,& ita operamur vt volumus, nobiſcum cooperatur Deus. Vnde colligunt Sapientes quòd eſt quidam actus,ſeu motus voluntatis, in quem voluntas eſt mota tantùm,& non mouens. Eſt & alius voluntatis motus,in quem voluntas non ſolùm eſt mota,ſed etiam ex Spiritu Dei mouens ſeipſam ex amore,ſeu deſiderio finis concepti. Quamobrem D.Tho. prima ſecundæ,q.111.,ar.2.,ait: Gratia dupliciter poteſt intelligi. Vno modo diuinum auxilium, quo nos mouet ad benè volendum & agendum. Alio modo habituale donum,nobis diuinitus inditum. Vtroque autem modo gratia dicta,conuenienter diuiditur per operantem & cooperantem. Operatio enim alicuius effectus non attribuitur mobili, ſed mouenti. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota & non mouens,ſolus autem Deus mouens, operatio Deo attribuitur;& ſecundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu,in quo mens noſtra & mouet & mouetur,operatio non

ſolùm attribuitur Deo, ſed etiam animæ; & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans. Eſt autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis. Et quantum ad iſtum actum, voluntas ſe habet vt mota, Deus autem vt mouens; & præſertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo ſecundùm quòd Deus mouet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus eſt exterior, qui cùm à voluntate imperetur, conſequens eſt, quòd ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adiuuat, & interius confirmando voluntatem vt ad actum perueniat, & exterius facultatem operandi præbendo, reſpectu huiuſmodi actus dicitur gratia cooperans. Vnde Auguſtinus ait: Vt autem velimus operatur Deus; cùm autem volumus, vt perficiamus, nobis cooperatur. Hæc ille.

Quibus ſtantibus, mox ſuboritur difficultas; quo ſcilicet modo in actu primo volūtas ſe habeat vt mota tantùm, Deus aūt vt mouens. Nā ſi eſt tantùm mota, iam ceſſat in ea actio voluntaria, & per conſequens libertas; & ita redit hæreſis Caluiniana. Siquidem voluntarium eſt motus & actus à propria inclinatione, cuius principium eſt intra, cum additione ſcientiæ; veluti in ſuperioribus diximus ſatis. Si verò ſit mouens, iam Deus non ſe habet ſicuti mouens. Vnde perit gratia operans. Vel igitur nulla erit gratia operans; vel ſi datur, in eius effectu mens noſtra nihil agere videtur, at ſe habere veluti inanime organum & inſtrumentum, quod tantùm mouetur, & nullo modo mouet. Quòd autem huiuſmodi concluſio nimis abhorreat à veritate & ratione, ex iis quæ in ſuperioribus diximus optimè conſtat. Iam enim oſtendimus quòd voluntas humana eſt in ſuis actionibus libera, & quòd ſponte ſua eligit omnia.

Sed corroboratur doctrina ex eodemmet .D. Tho.; qui prima ſecundæ, q. 10. ar. 4., docet quòd cùm voluntas ſit actiuum principium non ad vnū determinatum, ſed indifferenter ad multa ſe habens, non neceſſariò à Deo mouetur, qui cuncta mouet ſecundùm propriæ naturæ diſpoſitionem. Ad prouidentiam enim diuinam, inquit, non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſeruare; vnde omnia mouet ſecundùm eorum conditionem; ita quòd ex cauſis neceſſariis per motionem diuinam conſequuntur effectus ex neceſsitate; ex cauſis autem contingentibus, ſequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam mouet, quòd non ex neceſsitate ad vnum determinat; ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter mouetur. Hæc ille. Qui & in reſponſione ad primum argumentum ait, quòd naturæ uoluntatis non competit moueri ex neceſsitate, ſed liberè. Et ibidem .q. 17. ar. 1. ad. 2. argu., fatetur quòd radix libertatis eſt uoluntas ſicut ſubiectum; ſed ſicut cauſa eſt ratio. Modò ſic: Actus interior voluntatis, quo incipit velle bonum, eſt actus liber; vt ex dictis planè conſtat. Voluntas igitur liberè elicit actum illum. Non ergo ſe habet vt mota tantùm. Item .2.2. q. 23. ar. 2. dicit: Non enim motus charitatis ita procedit à Spirituſancto mouente humanam mentem, quòd humana mens ſit

mota tãtùm,& nullo modo ſit principium huius actus;ſicut cùm aliquod corpus mouetur ab aliquo exteriori mouente. Hoc enim eſt contra rationem voluntarij,cuius oportet principium in ipſo eſſe; ſicut ſupra dictum eſt.Vnde ſequeretur,quòd diligere non eſſet voluntarium,quod implicat contradictionem;cùm amor de ſui ratione importet quòd ſit actus voluntatis.Similiter etiam non poteſt dici,quòd ſic moueat Spiritus ſanctus voluntatẽ ad actum diligendi,ſicut mouetur inſtrumentum; quod etſi ſit principium actus,non tamen eſt in ipſo agere, vel non agere. Sic enim tolleretur ratio voluntarij,& excluderetur ratio meriti;cùm tamen ſupra habitum ſit,ꝙ dilectio charitatis eſt radix merendi. Sed oportet quòd ſic uoluntas moueatur à Spirituſancto ad diligendum, ꝙ etiam ipſa ſit efficiens hunc actum. Hæc ille.

Si igitur actus interior voluntatis,vt,Volo amare Deum,eſt actus productus ab ipſa voluntate,tanq̃ à principio effectiuo;omni dubio procul ſe habet vt mouens,& non vt mota tantùm. Quare vel D.Tho.non ſibi conſtat,& beato Auguſtino repugnat; vel huiuſmodi doctrina aliquali indiget exaratione.

Sciendum eſt igitur,quòd nec D.patri Auguſtino,nec ſibi repugnat beatus Thomas; ſed mentem potius aperit Auguſtini. Nam huiuſmodi gratiæ partitionem in operantem & cooperantem excogitauit diuus pater Auguſtinus; beatus verò Thomas,eo,quem præmiſimus modo locutus eſt, non vt à voluntate ſecerneret, atque amoueret actiuitatem, vel circa ſuos actus interiores formales elicitos libertatem; ſed quò negotium declararet,oſtendendo quo modo diuina voluntas,dum voluntatẽ noſtram mouet ad bonum,dicitur gratia operans.Clarum ſiquidem eſt, quòd homo iam poſt lapſum Adami filius iræ natus,& in peccato conceptus,ex meris liberi arbitrij viribus,ſecluſa diuina gratia,neque morbum animæ ſuæ, neque propriam ſalutem, aut ſanitatem agnoſcere poteſt, neque deſiderare, neque medicum quærere, nequidem benè velle. Quia abſque Deo reuelante,non poteſt homo vniuerſam hanc totius generis humani calamitatem concipere,minuſq. mente percipere difficultatem,quinimmo & impoſsibilitatẽ benè viuendi,ob peccati damnationẽ eueniſſe,vniuerſumq.genus humanũ ita in Adam perijſſe,vt opus ſit Chriſto Domino gratis redimẽnte,omnemq.hominem naſci filium iræ,ac perditionis,vt opus ſit denuo renaſci ex aqua & Spirituſancto. Prima igitur ſalus eſt,vt homo ſemetipſum,ſuamq.miſeriam,& captiuitatem agnocat; incipiatq.ſibi diſplicere,& odio habere vetuſtatem calamitatis ſuæ. Id autem non poteſt,niſi diuina accedente gratia. Quæ quidem,motionibus quibuſdam, ac tractibus, hominum corda conuertit, vt incipiant credere,& diligere,vtq.ſanari deſiderent,& à quo ueniant ſanandi utique noſcant.Vt etiam incipiant habere fidem & charitatem; qui prius neque habebant huiuſmodi virtutes,neque ſic credebant,aut diligebant. Et in hoc iam Deus præuenit omnem bonum liberi arbitrij motum, dum interna quadam motione,excitatione,& ſuaſione tangit hominum corda, vt faciat eos iuſtos,& benè velle,qui prius malè volebant.Vnde quædam

in nobis

in nobis ſolus operatur Deus,& ſine nobis;veluti in mira vocatione Pauli optimè conſtat.

Deus enim operabatur ſolus,ſua gratuita motione,excitans,atque immittens cogitationē bonam,& immutans duram,rebellemq́.illius voluntatem in bonam.De qua quidem gratia loquebatur ipſe dicens: Gratia Dei ſum id quod ſum;miſericordiam conſecutus ſum,vt fidelis eſſem;non quia fidelis eram,inquit,ſed vt eſſem fidelis. Et hæc eſt illa gratia,quam præuenientem & operantem diximus. Secundùm quam anima rationalis ex improuiſo,diuina tangitur miſeratione,ſeu pulſatur,vt intus ad ſe reuerſa,ſeu compuncta,ſibi diſpliceat,& ad iam ſibi coelitus oſtenſam,miſerentis Dei gratiam confugiat;quam prius vel non cogitabat,vel etiam odiebat,vel prout opus eſt non diligebat. Et iſte eſt actus ille,ſeu motus voluntatis,in quem ipſa eſt mota tantùm, & non mouens. Non quidem ita mota,quòd in eo actu non ſit actiua & libera; ſed quia non poteſt incipere mouere ſeipſam, niſi ab alio moueatur. Quilibet enim actus primus ſupernaturalis & liber, dupliciter à theologis conſideratur; vno modo vt elicitus ab ipſamet potentia voluntatis, quantum ad ſubſtantiam operis. Alio modo vt excedens facultatem naturæ. In primo ſenſu,non eſt à gratia operante;ſed à voluntate,vel ex viribus naturæ productus. At in ſecundo ſenſu,eſt quidem à uoluntate efficienter; eſt enim voluntas quæ diligit. Verùm quia ad talē actum dilectionis,& ſi voluntas liberè diligat, non ſe applicat, neque determinat ex aliquo principio creato, ſed potius determinatur ex diuina motione;qua de re uocatur gratia operans; quia non eſt in nobis aliqua virtus, per quam operemur ante illam motionem. Quia tamen in huiuſmodi gratia diuina mouet,& operatio attribuitur mouenti,dicitur gratia operans; cùm nihilominus voluntas in omni ſuo velle operetur,& verè habeat operationem immanentem. Ob id conſultò dixit .D.Tho.,quòd voluntas quantum ad ſuum actum interiorem quo vult bonum,ſe habet vt mota,Deus autem vt mouens; præſertim cùm voluntas incipit bonum velle,quæ prius malum uolebat. Hæc pro huius difficultatis exaratione,tum propter iuniores theologos,tum propter hæreticorum importunitates,mihi dicta ſint ſatis.

Nunquid gratia gratum faciens ponat in homine grato aliquod donum Dei creatum. Cap. 39.

ERVDITISSIMVS, necnon & religioſiſsimus Albertus Pighius, vir cæteroquin vndequaque doctiſsimus, deq́. ſacra theologia benemeritus,in eius operis,cui titulus eſt,de libero hominis arbitrio & diuina gratia,libro quinto, apertiſsimè docet, quòd cùm Deus optimus maximus animam aliquam viuificat,ſanat,iuſtificat, de morte ad vitam transfert,ſibi gratam facit,eleuat, ſibi aſsimilat, in filiam adoptat,ſibi vnit,atque dignificat, nullum donum creatum ei præſtat; ita vt diuina gratia,quam gratum facientem appellamus,ſit qualitas aliqua,animæ noſtræ à Deo increata;quæ vel idem ſit cū charitatis habitu,vel diſtincta ab eodem.

ab eodem. Hæc enim, inquit, ſunt commentitia ex ſcholis deducta, doctorumq́. ſcholaſticorum imaginationes; quæ ex ſacris ſcripturis nullam habent auctoritatem. Quare, inquit, gratia Dei, qua nos ſibi charos reddit, eſt eius erga nos amor, & beneuolentia. Et ita gratia erit amor gratuitus, atque ipſa diligentis benigna affectio; non uerò ulla qualitas, aut habitudo in eo, qui hac gratia gratus dicitur. Id quod mox, hunc in modum reddit illuſtrius.

In primis certum eſt, hac locutionis figura, aliquem inuenire gratiam in oculis alicuius, aut habere gratiam coram aliquo, ſignificari, quòd ipſi acceptus, charus, gratusq́. ſit, & diligatur ab illo. Sic Abraham apparẽti ſibi Domino in conualle Mambre, Domine, inquit, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; hoc eſt, ſi tibi placeo, tibi gratus, acceptusq́. ſum. *Gene.18.*

Sic Iacob nuncios cum muneribus præmiſit ad Eſau, Vt inueniam inquit, gratiam in conſpectu tuo; hoc eſt, vt inueniam amicitiam tuam. *Gene.32.* Sic eidem, cùm iam ſibi veniſſet obuiam, & vrgeret vt munera ſua acciperet, Si inueni, inquit, gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis. *Gene.33.* Ita de Ioſeph affirmat Moſes, Inuenit, inquit, Ioſeph gratiam coram domino ſuo; hoc eſt, dilexit eum dominus ſuus, & charum habuit. *Gene.39.* Sic Dauid Ionathæ: Scit profectò pater tuus, quòd inueni gratiam in oculis tuis; hoc eſt, quòd me diligas. *1.Reg.20.* Sic Deus dedit Tobiæ gratiam in conſpectu Salmanaſar. *Tob.1.* Danieli quoque gratiam & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum. *Dani.1.* Et Holofernes Iudithæ: Bibe nunc & accumbe in iucunditate, quia inueniſti gratiam coram me; hoc eſt, quia placuiſti oculis meis. *Iudith.12*

Significat autem hic modus loquendi, inquit Albertus, amorem velut gratuitum; non qualis inter æquales ex mutuis officijs naſci ſolet, ſed qualis inter impares; hoc eſt, principem & ſubditum, ſeruum & dominum. Qui velut non ex mutuo debitò, ſed ex ultronea benignitate, & animi propenſione procedit. Vnde & gratia congruenter dicitur. Et modus ille loquendi, Si inueni gratiam in oculis tuis; aut, Vt inueniam gratiam in oculis tuis; ſubmiſsionis & humilitatis plenus eſt.

Eſt autem hæc gratia, inquit, non vlla, ſeu qualitas, ſeu habitudo, aut reſpectus in eo qui gratus, acceptus, charusq́. eſt; ſed ipſa diligentis benigna affectio; ipſe amor, ipſa gratuita dilectio. Quod indicat ſcriptura in Daniele, de quo dicit: Et dedit Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum. Certum eſt, in eodem eſſe, aut eiuſdem eſſe hanc gratiam de qua loquitur, in quo, aut cuius eſt miſericordia, quam eidem coniungit gratiæ. Eſt autem indubitatum, ſcripturam illam loqui, non de miſericordia Danielis, qua ipſe eſſet miſericors; ſed de miſericordia principis eunuchorum, qua ſingulariter erga Danielem mouebatur & afficiebatur. Itaque & ille ſapiens, Gratia Dei & miſericordia in ſanctos eius, & reſpectus ſuper electos illius. *Sapien.4.* Dei hæc eſt, & gratia & miſericordia, qua nos reſpicit, & erga nos miſericorditer & benignè afficitur, & ſua nos beneuolentia, & amicitia

Ephe. 1. dignatur. Idem quoque clariſsimè teſtatur Apoſtolus, in ea, quæ eſt ad Epheſios epiſtola; Qui prædeſtinauit, inquit, nos in adoptionē filiorum, per IESVM Chriſtum, in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo. Aut, vt clarior eſt lectio apud Chryſoſtomū: In dilectione prædeſtinans nos, vt adoptaret in filios, per IESVM Chriſtū in ipsū, iuxta propoſitū volūtatis ſuæ, vt laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos nos reddidit, in dilecto filio ſuo. Qua charos nos reddidit, hoc eſt, dilectos & amicos. Mihi autem, inquit Pighius, quid dilectum, amicum, & charum eſt, ex meo ipſius erga illum affectu, quia illum amore proſequor, non quia ille me ſimili affectu proſequitur; fieri enim poſſet, vt me amantem non redamarem. Gratia ergo Dei qua nos ſibi charos reddidit, eſt eius erga nos amor & beneuolentia. Hæc eſt ſententia & concluſio iſtius grauiſsimi viri; quæ in ſequentibus, diuino fauente numine, relinquitur examinanda.

Prænarrata opinio examinatur. *Cap. 40.*

NEGAT in primis doctor iſte excellentiſsimus, quòd Gratia gratum faciens ponat in homine grato aliquod donum creatum, gratis datum à Deo. Dicit ſecundò, quòd huius oppoſitum, nullam habet in ſacris eloquijs authoritatem. Addit tertiò, quòd huiuſmodi gratia nullo modo eſt qualitas. Ac demum vult, quòd aſſerere, diuinam gratiam gratum facientem eſſe qualitatem, ſeu aliquid huiuſmodi, figmentum ſit doctorum ſcholaſticorum. Prima itaque duo in præſenti examinabimus; reliqua verò in ſequenti capite agitabuntur.

.1. Quòd itaque primum ſit omnino reijciendum, primò tali pacto declaratur. Siquidem hoc apud omnes eſt in confeſſum, quòd diuina voluntas acceptando non afficitur, nec diuina veritas approbando fallitur. Ego enim Dominus & non mutor; Mala. 3. Neutra igitur illarum gratificando mutatur. Nunc ſic: Cùm incipit aliquis de nouo approbari, vel acceptari, neceſſe eſt quòd ibi ſit aliqua mutatio, vel in approbato & acceptato, vel in approbante & acceptante; ſecus non eſſet maior ratio cur hodie & non heri approbaretur, & acceptaretur. Non eſt autem mutatio in approbante, vel acceptante, veluti conſtat. Eſt igitur mutatio in approbato & acceptato. Id autem non eſt, quia aliquid ab eo auferatur. Eſt igitur, quia aliquod ei donum ab ipſo Deo confertur. Quare in ipſo acceptato & iuſtificato erit aliquis nouus effectus. Deum enim animam iuſtificare, nil aliud eſt, q̄ Deum facere animam de non iuſta iuſtam. Hoc autem non fit, niſi faciendo, vel efficiendo aliquid in ea. Alioquin Deus faceret animam de non iuſta iuſtam, nihil faciendo. At mirabilis iuſtificatio, quæ fieret per nihil.

Hoc igitur donum, homini, ſiue animæ iuſtæ ab ipſo Deo collatum, aut eſt quid creatum, aut increatum. Non ſecundum; quandoquidem increatum non eſt factibile, minusq́; de nouo producibile; ſolus quoque Deus eſt æternus. Erit ergo primum; & ita creatum. Aut igitur illud tale

creatum ſubſiſtit per ſe,aut in alio ab anima,aut in anima ipſa.Non da-
tur primum; quoniam non magis animam,q̃ aliquid aliud iuſtificaret.
Minuſq́. admittitur ſecundum; quandoquidem non animam ipſam,atqui
illud aliud iuſtificaret; quemadmodum albedo ſolum ſubiectum in quo
eſt facit album,& non aliud. Quòd itaque ſequatur tertium,pro comper
to habemus. Vnde ſi Deus aliquid efficit,quando aĩam humanã de nõ iuſta
facit iuſtam, profectò illud tale in ipſa anima producit. Verum eſt igi-
tur, quòd gratia gratum faciens ponit in homine grato aliquod donum
Dei creatum.

Id quod etiam ſecundo loco ad hunc modum comprobatur. Dignitas .2.
omnis,aliquid ponit in eo in quo eſt. Secus nullum eſſet diſcrimen inter
ſimplicem & popularem virum, & eum qui eſt in dignitate conſtitutus.
Gratia autem gratum faciente,efficitur quis dignus beatitudine æterna.
Dignitas ergo retributionis æternæ,aliquid in eo ponit,qui efficitur di-
gnus.Hoc autem non eſt niſi gratia ipſa gratum faciens.

Ad hæc: De iuſtificatione impij ſi loquamur ſecundùm Dei legem .3.
datam; quod eſt dicere,de potentia ſua ordinata; quæ vtique per legem
datam intelligitur,& regulatur;id eſt quod intendimus,nimirum quòd hu-
iuſmodi, peccatoris paruuli vel adulti iuſtificatio, non fit formaliter de
facto,nec poteſt fieri de potentia ordinata,(quicquid ſit de potentia,ſeu
de poſſe ſimpliciter & abſolutè) niſi per gratiam gratum facientem, do-
num ſpiritale, coelitus à ſolo Deo infuſum. Et ad hunc ſenſum cùm ſit
ſermo noſter ſemper accipiendus, hanc pro tertio loco erigimus ratio-
nem:Nullum nomen de nouo ex tempore,Deo conuenire poteſt,niſi ob
aliquam mutationem factam in creatura. Quando autem Deus optimus
maximus,aliquam iuſtificat animam,tunc ei de nouo ex tempore con-
uenit aliquod nomen,quod ante ei minimè conueniebat;quoniam dici-
tur actualis tunc eius animæ iuſtificator, qui ſic prius non dicebatur.
Tunc igitur facta eſt aliqua mutatio in ipſa anima.Non fit autem muta-
tio in eius naturalibus; quandoquidem ſiue ſit iuſta,ſiue non iuſta,ſem-
per eadem ſunt,& ſemper integra. Fit igitur conſequens,vt fiat mutatio
animæ in ſibi ſuperadditis.Hoc autem non eſt niſi per infuſionem gra-
tiæ gratum facientis.Ponit igitur ipſa in homine grato aliquod Dei crea
tum donum.

Culpa,inſuper, ex qua Deus glorioſus hominem odit & reprobat, po- .4.
nit aliquam deformitatem in eo,qui reprobatur.Siquidem de anima ini-
uſta legimus: Quàm vilis facta es nimis. Ergo pari ratione, gratia ob *Hiere. 2.*
quam Deus aliquem diligit & approbat,aliquid ponit in eo,qui accep-
tatur.Propterea de anima iuſta legimus:Tota pulchra es amica mea,& ma *Canti.4.*
cula non eſt in te.Pulchra es amica mea,ſuauis,& decora ſicut Ieruſalem. *Canti.5.*
Fortitudo & decor indumentũ eius.Quocirca id quod volumus habemus. *Prou.31.*
Nẽpe gratiam gratũ facientem,ponere in homine grato aliquod donum
creatũ,gratis datũ à Deo.Vnde primũ dictũ ipſius Pighij redditur falſum.

Quòdq́. ſecundum abhorreat à veritate, non eſt difficile videre. Diuus
nã que Apoſtolus Paulus,in ſua quam ſcribit ad Romanos epiſtola,cap.5.,

hæc quæ aliàs retulimus,apertiſsimè docet:Sicut enim, inquit, per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem,iuſti conſtituentur multi. Sed non ſicut delictum,ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt; multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis IESV Chriſti in plures abundadauit.Et non ſicut per vnum peccatum,ita & donum.Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ,& donationis,& iuſtitiæ accipientes in vita,regnabunt per vnum IESVM Chriſtum.

Ex his vtique habemus, quòd ſicuti in Adamo terreno iuſtitiam amiſimus ſingulis propriam,qua iuſti eſſemus;ita Chriſtus, & coeleſtis Adamus,ſuo bono merito eam nobis acquiſiuit.Vnde ſicut per vnius hominis peccatum,vitæ ſanctimoniam perdidimus,& peccatum omnes & ſingulos poſsidebat, & peccatores formaliter efficiebat; ita gratia Dei formam nobis hærentem, impertitur; qua reſtituitur nobis quod fuit ablatum.

Ad Titum quoque cap.3.ait idem Apoſtolus:Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei;non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos,ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritusſancti quem effudit in nos abundè per IESVM Chriſtum Saluatorem noſtrum. Modò autem clarum eſt, quòd vox, infuſio, donum aliquod deſignat,quod in nobis permaneat.

Item Hieremiæ cap.31.ita legitur:Ecce dies venient,dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda foedus nouum; non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum,vt educerem eos de terra Aegipti; pactum quod irritum fecerũt, & ego dominatus ſum eorum,dicit Dominus.Sed hoc erit pactum,quod feriam cum domo Iſrael,poſt dies illos,dicit Dominus. Dabo legem meã in viſceribus eorũ,& in corde eorũ ſcribam eam;& ero eis in Deum,& ipſi erunt mihi in populum.Vnde gentium ille in fide & veritate doctor,in poſteriori ad Corinthios epiſtola,cap.3.,legem illam,quam per Hieremiam promiſerat Deus,gratiam vocat,& gratiam legem,Spiritu Dei ſcriptam in cordibus noſtris,dicens: Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris,quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus; manifeſtati ꝙ epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non attramento, ſed Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis,ſed in tabulis cordis carnalibus.Ecce quòd ſi huiuſmodi gratia & lex ſcripta eſt in cordibus noſtris, non donum quoddam externum,ſed internum ipſius Dei eſt manens in cordibus noſtris.

In priori etiam ad Corinthios epiſtola,cap.15.,ait Apoſtolus: Et gratia eius in me vacua non fuit.Item in .2.,cap.9.: Propter eminentem gratiam Dei in vobis.Ad Romanos,rurſum,cap.12.: Habentes autem donationes,ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis differentes.

Ad Ephe.cap.4.: Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia,ſecundùm

menſuram

menſuram donationis Chriſti. Quamplurima alia diui Apoſtoli Pauli teſtimonia, præter quæ dicta ſunt proferri poſſunt, quibus ille de gratia ſic diſſerit, vt internum Dei donum; neceſſariò illam intelligamus.

Sed Dominum audiamus Seruatorem noſtrum; qui Ioan. cap. 14., ita loquitur: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quæ quidem verba exponens ipſemet Ioannes in ſua Canonica prima, cap. 3., inquit: Et qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo; & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. Et ibidem inquit Ioannes: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniã ſemen ipſius in eo manet. Notetur verbum, manet, quoniam donum Dei internum importat.

Adhuc, quando Deus animam iuſtificat, non fictè, nec falsè, ſed verè omnino dicitur animam viuificare, animam ſanare, animam illuminare, animam reformare, animam mundare, animam in filiam adoptare, & ſibi acceptabilem reddere. De his autem manifeſtè agit diuina ſcriptura. Quoniam Lucæ. 15. adoleſcentior ille filius, Mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt, Ioannis. 7. dicit Dominus: Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato? Hieremiæ. 17.: Sana me Domine, & ſanabor. Iſaiæ. 1.: Lauamini mundi eſtote. Ezechiel. 36.: Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos. Ad Epheſios. 5.: Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Cant. 4.: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Ad Romanos. 8.: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Per huiuſmodi autem mirabiles effectus, quos facit Deus in anima, quando illam iuſtificat, fit quidam eius tranſitus de morte ad vitam, de infirmitate ad ſanitatem, de tenebris ad lucem, de foeditate ad pulchritudinem, de immunditia ad munditiam, de inimicitia ad adoptionem, de fragilitate ad fortitudinem. Qui quidem tranſitus, eſt de contradictorio negatiuo, ad contradictorium affirmatiuum. Et hunc tranſitum ſignificamus, cùm dicimus, hominem factum eſſe de non ſano ſanum, aut de non calido calidum, aut de non frigido frigidum. Non fit autem huiuſmodi tranſitus, niſi aliqua res acquiratur de nouo. Quemadmodum non eſt tranſitus de contradictorio affirmatiuo, ad contradictoriũ negatiuum, niſi perdita aliqua re, quæ prius erat. Profectò igitur in iſto tranſitu, aliquid reale poſitiuum acquirit anima, quod prius non habebat. Et ita cùm anima de iuſta fit non iuſta, aliquid perdit; & cùm de non iuſta fit iuſta, aliquid de nouo acquirit. Id quod ex ſacris, diuiniſq́. eloquijs, iam ſatis aduerſus Pighium relinquimus probatum. Quare pergamus ad alia.

Nunquid illud Dei donum gratis datum, creatum, quod eſt gratia gratum faciens, ſit ſubſtantia, vel accidens. Cap. 41.

QVOD huiuſmodi creatum donum, homini iuſto, Deoq. grato, ab ipſo Deo benedicto gratis datum, quod eſt gratia gratum faciens, non ſit ſubſtantia, ita deducunt Sancti Patres; & præſertim diuus Bonauentura, in ſuis ſententijs; quo loci in hunc modum arguit: Si gratia gratum faciens eſt ſubſtantia, aut eſt corporalis, aut ſpiritalis. Non ſecundum; quia tunc vel eſſet Deus, vel Angelus, vel anima rationalis. Neutrum autem iſtorum eſt; veluti conſtat, tum ſimpliciter, tum etiam ad hominem. Quare nullo modo poteſt dici ſubſtantia ſpiritalis. Nequidem corporalis. Quandoquidem huiuſmodi ſubſtantia rectè diuiditur in materiam, formam, & compoſitum. Quòd autem gratia gratũ faciens non ſit materia, ex eo facilè conſtat, quia informat & non informatur, actuat, & non actuatur. Nec eſt forma ſubſtantialis; quoniam ex ea tunc & anima rationali fieret vnum per eſſentiam, & vnum per ſe; quod non eſt. Minusq. eſt ſubſtantia compoſita; quia non eſſet tunc animæ vnibilis; & ita vnum non facerent, niſi per aggregationem; veluti multi lapides, vnum conſtituunt aceruum. Cùm igitur non ſit ſubſtantia, nec ſpiritalis, nec corporalis; relinquitur quòd ſit accidens. Tùm quia omne quod eſt, ſubſtantia eſt, vel accidens. Tum quia conditiones habet accidentis. Aduenit enim animæ rationali, quæ eſt ens in actu; veluti conſtat. Adeſt & abeſt ſubiecto, præter ſubiecti corruptionem. Multi namque iuſti efficiuntur peccatores, & contra recurrit oratio. Recipit, item, magis & minus. Quoniam remiſsiorem quidam, alij verò intenſiorem gratiam habent. Et in eodemipſo ſecundùm diuerſa temporum curri-
1.Cor.15 cula, intenditur & remittitur. Vnde vnus differt ab alio, ſicuti ſtella differt à ſtella in claritate. Cùm itaque gratia gratum faciens ſit accidens, ad quodnam genus accidentis pertineat, videamus oportet; vt inde habeamus, quantum ueritatis in ſe contineat Alberti. Pighij dictum tertium.

Si de ſex ultimis accidentium generibus loquamur, nulla eſt difficultas; quoniam ad neutrum illorum pertinet; veluti conſtat. Nequidem ad genus relationis. Proptereaquòd non poteſt eſſe per ſe motus ad illam; atqui benè ad ejus terminum, vel fundamentum. Ad illud autem accidens, quod eſt gratia gratum faciens, eſt per ſe motus; quoniam ſicuti Deus producit calorem, ſi lignum de non calido faciat calidum; ita quãdo animam de non iuſta iuſtam reddit, accidens illud per ſe producit, quod eſt gratia gratum faciens. Quæ quidem, cùm neque ad genus pertineat relationis, quòd ad quantitatem vel qualitatem pertineat, neceſſariò conſequitur. Ad primum genus minimè attinet; cùm nec quantitas ſit continua, nec diſcreta; nec talis quantitas, quæ ad huiuſmodi genus reduci poſsit. Quare ſit conſequens, vt ad illud genus pertineat, quod

qualitas nũcupatur. Verùm non eſt in quarta ſpecie qualitatis; quia non pertinet ad corpus, veluti forma, & circa aliquod conſtans figura; quæ eſt quarta ſpecies qualitatis. Neque eſt paſsio vel paſsibilis, ſiue paſſiua qualitas; quæ eſt illius generis tertia ſpecies; quoniam hæc eſt in parte animæ ſenſitiuæ; vt probatur phyſicorum libro. 7. Minusq́. eſt in ſecunda ſpecie; quæ eſt potentia vel impotentia naturalis; tum quia gratia eſt ſupra naturam, tum quia non ſe habet ad bonum & malum, ſicut potentia naturalis. Reliquum eſt igitur, quòd ſit in prima ſpecie, quæ eſt habitus vel diſpoſitio. Vnde ſequitur oppoſitum eius, quod tertio loco dicebat Pighius. Quod quidem non eſt figmentum doctorum ſcholaſticorum; atqui doctrina ſanctorum patrum.

Diuus enim pater Auguſtinus, de peccatorum meritis & remiſsione libro primo, cap. 9., inquit: Sicut ergo ille in quo omnes viuificabuntur, præterq̃ quòd ſe ad iuſtitiam exemplum imitantibus præbuit; dat etiam ſui Spiritus occultiſsimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis. Sic & ille in quo omnes moriuntur, præterq̃ quòd eis, qui præceptum Domini voluntate tranſgrediuntur, imitationis exemplum eſt, occulta etiam tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ, tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes. Tom. 7.

Item de Trinitate, lib. 15., cap. 8., de intellectu, ſeu de ratione humana agens, dicebat: Hæc eſt imago in qua homines ſunt creati, qua cæteris animalibus præſunt, quæ creatura in rebus creatis excellentiſsima, cùm à Deo iuſtificatur, à deformi forma, in formoſa mutatur formam. Tom. 3.

De peccatorum, rurſum, meritis & remiſsione, lib. primo, cap. 10., ait: Nempe legimus iuſtificari in Chriſto qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritalis; qua quiſquis hæret Domino vnus Spiritus eſt, quamuis eum & imitentur ſancti eius. Hæc Auguſtinus.

Diuus quoque pater Hephrem, in ſermone de timore animi, huic ſubſcribit ſententiæ, inquiens: Succurrite ergo qui timetis Dominum, preces veſtras pro me peccatore fundite; vt diuina gratia in anima mea reſplẽdeat, mentemq́. tenebris circumfuſam illuminet, promptusq́. ac dignus efficiar, precibus veſtris mediantibus, qui poenitentiam agam, & veniam merear. Et adueniente diuina gratia, dulceſcat omnis amaritudo mea. Gratiæ enim præſentia, ſimul cum cordis compunctione, animi dulcedinem, & tranquillitatem affert. Exhilarant vndæ diuinæ gratiæ, iubarq́. Sancti Spiritus, noſtra pectora, faciuntq́. vt anima repente omnium rerum terrenarum, cupiditatumq́. carnalium, ac noxiarum obliuiſcatur. Fouent igitur vndæ diuinæ gratiæ, intellectum ſimul & animam. Similisq́. eſt gratia Dei in anima noſtra, horto regio, pulchris arboribus, & fructibus bonis pleno; qui tum ſapore, tum odore, tum iucunditate, & pulchritudine ſua, mirificam cunctis ſenſibus delectationem, ac recreationem afferunt. Ita & diuinæ gratiæ fructus ac medicamenta, nobis ſplendorem, dulcedinem, lætitiamq́. præbent. Hæc ille. Qui igitur fieri poteſt, vt hæc de diuina gratia dicantur, niſi qualitas ſit à Deo creata in anima noſtra?

Cæterùm

Cæterùm Dionyſius libro Eccleſiaſti. hierar. cap. primo, idem confirmat, hanc vocans gratiam deificationem; quæ, cùm acceſſerit ſimilitudo, creaturam creatori amabilem, & dilectam reddit.

Gregorius Nyſſenus, libro de perfecta hominis forma, hanc eandem gratiam puritatem appellat, à fonte Chriſto in nos deriuatam. Vel eſt, iuxta Baſilij dogmata, libro de Spirituſancto, eiuſdem Spiritusſancti participatio.

Chryſoſtomus in pſal. 118., illam appellat bonitatem infuſam. Euſebius in corpore & ſanguine Domini, illam dicit puritatem occultam.

Cyrillus noſter, ille Alexandrinus, lib. 11. theſau. c. 3. & . 5., illam vocat ſanctitatem à Chriſto communicatam.

Proſper, virtutem & Deum ipſum in nobis habitantem.

Demum concludamus cum magno Auguſtino, qui in epiſtola ad Conſentium, quæ eſt numero. 85., & libro de ſpiritu & litera, cap. 15., hanc vocat interioris hominis pulchritudinem, & pignus, donumque Spiritus per quod operamur iuſtitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur.

Tom. 2. *Tom. 3.*

His omnibus & alijs adhærens Concilium Vienenſe, doctrinam de forma hærenti, veritati plauſibiliorem eſſe adiudicauit, inquiens: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, (quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam, quæ dicit, tam paruulis, quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum, ac doctorum modernorum theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam.

Clement. De summa Trinitate, & fide catholica.

Et ſacroſancta Tridentina Synodus, ſeſsio. 6., cap. 7., ita concludit: Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem, iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Et infra: Quanquam enim nemo poſsit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſsionis Domini noſtri IESV Chriſti cõmunicantur, id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdẽ ſanctiſsimæ paſsionis merito, per Spiritumſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret; vnde in ipſa iuſtificatione, cùm remiſsione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per IESVM Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem. In Canone quoque. 11. ita ſtatuit: Si quis dixerit hominem iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſsione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritumſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, Anathema ſit.

Videat modò Pighius, an huiuſmodi doctrina ſit doctorum ſcholaſticorum inuentum, & commentitium. Nihil tamen in huiuſmodi Concilijs, ab ipſis Patribus ſub certitudine fidei firmatum eſt, quod ad ipſius gratiæ

inhæren-

inhærentiam attinet & ſpectat. Non enim eſt de certitudine fidei,gratiam gratum facientem,habitum eſſe, & inhærentem qualitatem;ſed ipſis patribus viſa eſt huiuſmodi opinio,veritati plauſibilior. Temerarium igitur eſſet modò oppoſitum aſſeuerare.

His ita conſtitutis,reliquum eſt,vt ex multorum ſanctorum doctorum dictis,vnam ipſius gratiæ gratum facientis colligamus definitionem,quæ talis eſt: Gratia gratum faciens eſt habitus,ſeu qualitas animæ ſpiritalis, à Deo gratis data,qua anima formaliter & intrinſecùs viuificatur in eſſe ſpiritali,ſanatur,à peccatis iuſtificatur,in filiam Dei adoptatur,Deo ſimilis fit,& ad gloriam regni coelorum acceptatur. Eſt hæc definitio,inquit Caſalius, in forma conuenientiſsima bonæ definitionis; quia aliquid habet loco generis; vt eſt illud,habitus, ſiue qualitas animæ ſpiritalis;& aliquid habet loco differentiæ;vt eſt totum illud,quod deinde ſequitur.

Definitio Gratiæ gratum facientis.

Ex his igitur omnibus conſtat, Albertum Pighium toto coelo,(quod aiunt) totaq. terra,in hac ſua opinione aberraſſe. Cæterùm proximum eſt, vt in ſequenti capite,eius rationes diluamus.

Alberti Pighij rationes diſſoluuntur. Cap. 42.

PRO ſuæ opinionis fundamento,illud in primis aſſumebat Pighius, quòd habere gratiam coram aliquo,nil aliud ſignificat,niſi quòd ipſi acceptus,charus,gratuſq.ſit,& diligatur ab illo. Aſſumebat ſecundò,quòd huiuſmodi amor eſt amor gratuitus;non qualis inter æquales ex mutuis officijs naſci ſolet,ſed qualis inter impares; hoc eſt, principem & ſubditum,dominum & ſeruum. Qui velut non ex mutuo debito, ſed ex vltronea benignitate,& animi propenſione procedit. Vnde & gratia congruenter dicitur.

Optima quidem doctrina,at propoſito noſtro minimè conducens. Etenim fatemur & nos,quòd qui habet gratiam coram aliquo,diligitur ab eo,& eſt ei gratus. Fatemur,inſuper,quòd talis amor poteſt eſſe gratuitus,& ex ultronea benignitate procedens, vnde gratia congruenter dicatur. At cùm infert Pighius,hanc eſſe gratiam iuſtificantem,ſeu gratum facientem;mox id quod conſequitur imus inficias. Huiuſmodi enim gratia ſtat pro fauore,benignitate,& beneuolentia. In hoc ſenſu accipitur gratia apud Ciceronem,cùm his vtitur locutionibus;redire in gratiam, aucupari gratiam,& alijs huiuſmodi. Sed & diuus Apoſtolus,in ſua,quam dedit Timotheo epiſtola prima,cap.2.,ita notatum reliquit: Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes,orationes,poſtulationes,gratiarum actiones pro omnibus hominibus;pro regibus,& omnibus,qui in ſublimitate conſtituti ſunt,vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt,& acceptum coram Saluatore noſtro Deo,qui omnes homines vult ſaluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire. Ex his autem diui Apoſtoli verbis,noto ego,quòd obſecrat

ipſe,vt pro omnibus ſupplicent ſacerdotes;deprecantes pro regibus huius ſeculi,vt ſubiectas habeant gentes,vt in pace poſiti, in tranquillitate mentis & quiete,Deo noſtro ſeruire poſsimus.Orantes etiam pro ijs,quibus ſublimis poteſtas eſt credita,vt in iuſtitia & veritate gubernent rem publicam,ſuppeditante rerum abundantia; vt amota perturbatione ſeditionis,ſuccedat lætitia,& quies; vt placita Deo reddantur obſequia;qui omnes homines vult ſaluos fieri,&ad agnitionem venire veritatis. Modò ſic: Obſecrat Apoſtolus,vt ſupplicent ſacerdotes pro omnibus,tam dominis & principibus,q̃ ſeruis & ſubditis. Cur autem hoc? Vt diligantur à Deo? Minimè; quoniam eos iam diligit,qui vult omnes homines ſaluos fieri.Saluos fieri,inquam,non in hoc ſeculo,ſed in futuro; quoniam vult eos ad agnitionem veritatis peruenire;in qua conſiſtit beatitudo no-

Ioan. 17. ſtra. Hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum Deum verum,& quem miſiſti IESVM Chriſtum; Saluator ait. Id ergo fit,vt & ipſi homines velint ſaluari,ad ipſum Deũ accedentes, eiusq́. gratiam gratum facientem,& charitatem,qua ipſum diligunt, in ſe recipientes. Vnde Ioannes in ſua prima canonica,cap.4.,inquit: In hoc eſt charitas;non quaſi nos dilexerimus Deum,ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filiũ ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.Et Ioan.3.dicit Dominus: Sic enim Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum,non pereat,ſed habeat vitam æternam. Prius igitur dilexit hominem Deus,q̃ homo diligeret eum. Atqui ob id non erat iuſtificatus homo;ſed requirebantur fides in eo, ſpes,& charitas,qua Deum

Roma. 5. diligeret. Propterea dicebat Apoſtolus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritumſanctum, qui datus eſt nobis. Expreſsè enim loquitur Apoſtolus de charitate, qua nos ipſum Deum diligimus. Vnde

Tom. 3. libro de ſpiritu & litera,cap.3.dicit Auguſtinus,quòd charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris,non qua nos ipſe diligit;ſed qua nos facit dilectores ſuos. Inquit enim:Vt autem diligatur,charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris;non per arbitrium liberum quod ſurgit ex nobis,ſed per Spiritumſanctum,qui datus eſt nobis.Cùm igitur Deus prius diligat nos, q̃ diligatur à nobis, omni dubio procul, amor iſte eſt amor gratuitus,quo ſumus ei chari & grati; vnde congruenter dicitur gratia. Non eſt tamen gratia gratum faciens;ſed eſt fauor,& beneuolentia quædam,ex vltronea Dei benignitate procedens. Non enim gratia gratum faciens,ob id ſolùm dicitur gratia,quia gratis; vt reliqua omnia chariſmata;donatur nobis; ſed quia nos formaliter Deo gratos reddit.

Sumitur ergo gratia aliquando in diuinis eloquijs, pro fauore, benignitate,& beneuolentia.Eapropter diuus Apoſtolus ad Hebræos.4., loquens de Pontifice noſtro Chriſto,ait:Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius. Ac ſi diceret: Adeamus ad ſedem Pontificis clementiſſimi,ad cathedram beneuolentiæ,ad ſolium benignitatis.Nam ad cathedram Pontificis legalis accedebant homines cum timore, ob legis ſeueritatem; atqui ad cathedram Chriſti, qui è coeli faſtigio ad terram deſcendens,humanam induit formam,vt nobis faueret, & pro nobis mortẽ

ſubiret;

ſubiret; quò nos ad vitam duceret immortalem,accedendum eſt cum fiducia,qm̃ ſolium eius,thronus eſt gratiæ;& lex eius eſt Euangeliũ,amoris & pietatis pleniſsimũ.Ecce igitur ꝙ gratia hoc in loco pro beneuolentia ſumitur,fauore,atque benignitate.Ita etiã in illis,quas pro ſe induxit Pighius authoritatibus.Siquidem Abraham in ſuis verbis,hunc habuit ſenſum: Si apud te,Domine,fauorem inuenero,& ſi tibi gratus ſum, vtere, quæſo,hac erga me benignitate, vt maneas in hoſpitio meo. Quòd ſi hoc de Deo dicitur,quantò magis de hominibus? Aliæ igitur authoritates, eundem habent ſenſum. Vnde nil mirum ſi effecerat Deus vt Daniel eſſet gratioſus & charus magiſtro palatij,inueniretq́. apud eum fauorem & beneuolentiam. Quocirca huic veritati debet credere Pighius, & Notandū. iuuenes noſtri eius occaſione,duo obiter adnotare. Primum,quòd diuus Apoſtolus in ea ad Timotheum authoritate, innuit, beatitudinem noſtram conſiſtere in actu intellectus; veluti inter ſcribendum adnotatum reliquimus. Secundum eſt,quòd idem Apoſtolus in illa ad Hebræos authoritate,innuit,Chriſtum Pontificem eſſe,ſimul atque Regem; & ita vtranque habere poteſtatem.Inquit enim: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius.Thronus autem, inquit Eutymius, ſymbolum eſt,& ſignificatio Regis.Fuit igitur Chriſtus rex & ſacerdos; ſatis in Melchiſedech adumbratus,qui fuit rex Salem,& ſacerdos Altiſsimi; iuxta illud diuini Vatis: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Quem Gene.14. locum, diuus Apoſtolus ad Hebræ.6.& .7. de Chriſto interpretatur. Quòd ſi Chriſtus vtranque habuit poteſtatem,cur non etiam Papa? Sed hæc inſinuaſſe ſufficiat. Quibus notatis, progrediamur vlterius.

Aduerſus ea quæ diximus, nonnullæ adducuntur difficultates, ſimul atque diluuntur. Cap. 43.

DICEBAT Pighius, diuinam gratiam, qua redditur homo Deo gratus, in ſola Dei amicitia conſiſtere; in eum autem nos animaduertentes,illam oſtendimus,donum eſſe Dei, animæ noſtræ increatum; eandemq́.,habitum & qualitatem eſſe demonſtrauimus. Quibus præmiſsis,mox difficultas emergit. Nam ſi gratia eſt quid creatum in anima,tunc ſequitur ſacramenta illam creare; quoniam virtute paſsionis Domini noſtri IESV Chriſti, in nobis gratiam cauſant,augent,conſeruant,& continent. Atqui nulla creatura poteſt creare; veluti conſtat. Vel igitur gratia non creatur, vel ſacramenta illam in nobis non cauſant. Hoc falſum,ergo & illud unde originem traxit.

Deinde; Anima rationalis de ſe eſt ſubſtantia ſpiritalis, gratia autem gratum faciens eſt accidens ſibi adueniens. Nunc ſic: Per gratiam gratum facientem, fit anima rationalis magis digna Deo, magisq́. Deo ſimilis, q̃ per ſuam propriam ſpiritalem, & ſubſtantialem naturam rationalem. Erit igitur hoc pacto accidens nobilius, atque dignius ipſa ſubſtantia.

Ad hæc: Diximus quòd gratia gratum faciens, ex eo quòd eſt accidẽs,

adeſt &

adeſt & abeſt ſubiecto, præter ſubiecti corruptionem; quia hæc eſt vna ex conditionibus accidentis. Quo quidem ſtante, quòd ipſa gratia ſit corruptibilis, ſit neceſſariò conſequens. Id quod tamen ſatis à veritate abhorrere uidetur. Siquidem corruptibili exiſtente gratia, aut corrumperetur à Deo, aut à libero arbitrio, aut à peccato. Non primum; quoniam gratiam corrumpere eſt malum. Nec ſecundum; quandoquidem nullum ſubiectum corrumpit ſuam perfectionem. Minuſq́. tertium; quia peccatum eſt pura priuatio; & etiam modica gratia poteſt ſuper omnem culpam. Cùm itaque nihil habeat corrumpens, quòd ſit incorruptibilis, ſatis clarum eſſe videtur.

Et augetur difficultas; quoniam ſi corrumpitur gratia, aut in aliquid, aut in nihil. Si primum, aſsignetur illud. Non enim poteſt aſsignari in quod corrumpatur; cùm non ex aliquo, ſed de nihilo producatur. Si verò admittatur ſecundum; non eſt tuta reſponſio. Propterea quòd nihil quod corrumpitur cedit omnino in non ens. Si itaque gratia eſt accidens inter omnia nobiliſsimum, Deuſq́. non permittit alia accidentia cedere in non ens, videtur quòd nec id de gratia permittere velit.

Ad primã Caietani ſolutio. Pro ſolutione primæ difficultatis, dicit Caietanus in prima ſecundæ, q. 112., ar. 1., negando quòd gratia propriè creetur; quia creari eſt propriè ſubſiſtentium. Gratia autem, inquit, licèt non educatur de potentia ſubiecti, ſicut nec anima intellectiua; differt tamen ab ea in hoc, quòd non ſubſiſtit ſicut anima; & ideo non propriè fit; & conſequenter nec creatur. Sed dicitur creari, quia non educitur de potentia ſubiecti, nec datur ex meritis; propriè enim homo fit gratus ex aliquo, ſcilicet ex homine non grato. Idem docet 3. par. q. 62. ar. 1. ; quoniam, inquit, cùm gratia definit eſſe, non annihilatur. Creatio enim cùm ſit ex nihilo, ſi gratia crearetur, oporteret quòd cùm defineret conſeruari, eius deſitio eſſet annihilatio. Deum autem, inquit, credimus nunq̃ aliquid annihilare. Gratia igitur cùm non propriè creetur, ceſſat obiectio apud Caietanum; quòd videlicet ſacramenta creent gratiam.

Solutio Medinæ. Bartholomæus à Medina idem docet, hoc inſuper addendo, quòd gratia educitur de potentia animæ obedientiali; propterea non creatur. Illa enim forma, inquit, educitur de potentia ſubiecti, ad phyſicorum dogmata, quæ dependet in eſſe & conſeruari à ſubiecto. Huius autem generis eſt gratia; quæ accidens cùm ſit, ab anima dependet tum in fieri, tum in ſui conſeruatione. Sic Medina, in prima ſecundæ Angelici Doctoris, q. 112. ar. 1.

Impugna. Cæterùm quia hæc aduerſantur ijs, quæ in ſuperioribus decreuimus, meritò iureq́. optimo rurſum aſſumimus reijcienda. Siquidem gratiæ eſt animam recreare, reformare, viuificare, illuminare, aſsimilare, vnire, ſtabilire, acceptum facere, ſurſum leuare, ſanare, mundare, eamq́. Deo in filiam adoptare. Hæc ſupra tetigimus, & ex diuinis ſcripturis demonſtrauimus. Huiuſmodi autem effectus & actus, aut comparantur ad gratiam ſicuti ad principium effectiuum, aut ſicut ad formam. Primum non poteſt admitti; quoniam oppoſitum in ſuperioribus demonſtrauimus. Admittamus igitur

mus igitur ſecundum oportet.Quo quidem admiſſo,mox ſeſe offert quæ
ſtio,nunquid ſcilicet huiuſmodi forma educatur de potentia naturali ip-
ſius ſubiecti,necne?Si detur primum,tunc illud ſequitur incommodum,ꝙ
forma ſupernaturalis,educatur de potentia formæ naturalis. At hoc idem
optimè negat ipſe Caietanus. Secundum igitur admittendum venit .Vnde
neceſſariò ſequitur creatio.Nec dicat excellẽtiſsimus Pater,ꝙ dicitur crea
ri,quia non datur ex meritis;quoniam id affirmatur de corde hominis,&
ſimilibus,quæ aliàs diximus.Vnde Pſaltes: Cor mundum crea in me Deus; *Pſ. 50.*
& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.Non quaſi nouum aliquid in
ſtitue,dicere voluit,inquit Auguſtinus,quaſi peteret Propheta,ſibi nouum *Tom. 8.*
creari intellectum,nouamq́. produci voluntatem,veluti docebat Caluinus;
ſed petebat vt Deus in eo crearet mundos cordis affectus,cogitationes,&
voluntates pudicas,ne vltra ad immunditiam cor eius declinaret . Et ita
reformationem,& cordis nouitatem,& ſpiritus inſtaurationem petebat à
Deo ipſe regius Vates. Hæc autem fiunt per gratiam,cùm iuſtificatur ho-
mo.In cuius quidẽ iuſtificatione, cùm nihil ſupponatur ex parte noſtra,
& non ex præcedentibus meritis ipſa fiat; meritò iureq́. optimo creatio
nuncupatur . Hoc tamen verſatur diſcrimen inter creationem vniuerſi &
cordis hominis iuſti,ꝙ in illa nihil omnino ſupponitur;in hac autem præ
ſupponitur ſubiectum,ipſa nimirum anima rationalis . Ex quo ſequitur,ꝙ
cor iuſti dicatur creari,quia in eo gratia creatur diuina . Hanc igitur ob
cauſam,diximus ꝙ non gratia dicitur creari quia gratis datur;ſed cor ho
minis iuſti dicitur creari,quia gratia in eo à ſolo Deo creatur; vt ab ipſa
forma creata,tota fiat denominatio.Quare ex ratione ipſius Caietani,no
ſtrum ſequitur intentum.

Cæterùm adhuc vrgeo;Nam cùm Deus hominem iuſtificat,aut aliquid
ponit in iuſtificato,aut nihil . Si ſecundum; mirabilis iuſtificatio,quæ fit
per nihil . Sed hoc iam probauimus eſſe falſum . Ponit igitur aliquid,
quod etiam probauimus. Et hoc quod ponit non eſt actus,ſed habitus;
vt etiam probauimus . Modò autem perſpicuum eſt & clarum, huiuſmodi
habitum non educi de potentia paſſiua ſubiecti . Venit ergo deforis; &
ita creatur.

Dicit Medina,ꝙ educitur de potentia obedientiali ipſius ſubiecti . Id
quod tamen mihi nunq̃ arriſit. Quoniam potentia obedientialis eſt ipſa
natura ſubdita Deo,vt in ea,& de ea faciat quod voluerit. Doctrina eſt
ipſius Medinæ,prima ſecundæ,q. 3.ar. 8.Modò ſic: Gratia gratũ faciens,ſi
de potentia educitur obedientiali ipſius animæ rationalis ; aut in ea,aut
de ea fit.Si de ea,fit ergo de ſubſtantia eius ; quemadmodum patet in ſa-
cramento altaris;ibi enim panis eſt in potentia obedientiali,vt fiat tran
ſubſtantiatio.Hoc autem de ipſa gratia minimè aſſeuerandum venit; quo
niam in anima recipitur immediatè ; veluti etiam ipſe Medina fatetur,
in proximè citato loco.Fit igitur in ea; non educta de potentia naturali
ipſius ; neceſſe eſt ergo ut creetur.

Addo,quòd cùm dicitur,animam rationalem eſſe in potentia obedien-
tiali , vt de ea fiat quicquid ordinauerit Deus; hoc eſt, vt de ea pro ſuo

Mmmm beneplа-

beneplacito diſponat Deus;ob id non ſequitur,quòd gratia educatur de eius potentia obedientiali,& ideo non creetur; quemadmodum etiam pueri ſatis viderent.

Ad hæc:Idem Medina in memoraro .D.Tho.volumine,q.51.,ar.4.,dubio primo,& vltimo dicto,ita loquitur Ex his definitionibus ſacri Concilij apertè colligitur,quòd charitas ſit aliquid inhærens,& creatum in animis eorum qui iuſtificantur;ſed non eſt actus;vt patet in paruulis iuſtificatis.Ergo habitus.Hæc ille.Ex quibus ſtatim inſurgo:Charitas nanque eſt aliquid inhærens,& creatum in animis eorum qui iuſtificantur; & non eſt actus,ſed habitus. Huiuſmodi autem conditiones habet etiam ipſa gratia gratum faciens. Si igitur charitas eſt quid creatum in animis eorum qui iuſtificantur; non eſt cur hoc idem de diuina gratiâ inficiari velimus.Eſt enim hinc inde eadem omnino ratio.

Confirmatur doctrina;quandoquidem definitiones,quas ex ſacro Concilio inducit ipſe Medina,ſunt definitiones Concilij Tridentini,ſeſsio.6. cap.7.,& cano.11.;quo loci,idem de gratia,quod de charitate ſtatuit; illamq́.definitionem,ſub his verbis citat ipſe Medina: Si quis dixerit,hominem iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola remiſsione peccatorum,excluſa gratia,& charitate diffuſa in cordibus noſtris,& illis inhærente; vel gratiam qua iuſtificamur,eſſe ſolum Dei fauorem; anathema ſit. Idem igitur cùm ſtatuat ſacrum Concilium de gratia & charitate, quòd nempe vtraque inhæreat cordibus noſtris; cur velit Medina charitatem eſſe aliquid creatum,& non gratiam, nulla profectò viget ratio.

Rurſum:In proximè citato loco ait Medina, quòd noſtra tempeſtate, non ſolùm eſt temerariũ & periculoſum,ſed ferè hæreticum,habitus infuſos negare.Idemq́.aſſerit & confirmat inferius,q.110.ar.2.;vult enim vtrobique,gratiam & charitatem eſſe qualitates,diuinitus infuſas,in anima inhærentes. Idq́.probat tum ratione,tum authoritate. Modò autem ſi ſunt qualitates diuinitus infuſæ, in anima inhærentes; qùi fieri poteſt, vt vna ſit creata,& altera non?

Amplius:Dicit idem Medina,ꝙ gratia gratum faciens dependet ab ipſa anima rationali, in fieri & conſeruari,hac vnica ratione, quia eſt accidens. Quòd ſi verum eſt,fateamur oportet,eſſentiam ipſius gratiæ, eiusq́. naturam cauſari ab ipſa anima. Siquidem accidentia naturalia dicuntur cauſari ab ipſa ſubſtantia,quia naturaliter pendent in fieri & conſeruari à ſubſtantia,ſiue à ſubiecto. Propterea Ariſto.7. Sapientiæ libro,dicebat,ꝙ accidens eſt ens,eo,ꝙ taliter eſt entis; ideſt,ſubſtantiæ.

Et confirmatur ratio; quia eo admiſſo,fit conſequens vt forma ſupernaturalis,dependeat in fieri & conſeruari à forma naturali; quod non videtur admittendum.

Ac demum, ſi gratia dependet ab anima in fieri & conſeruari, tunc educitur de potentia paſsiua naturali ipſius animæ; quandoquidem phyſicorum ea eſt doctrina, quòd illa forma educitur de potentia ſubiecti, quæ dependet in eſſe & conſeruari à ſubiecto. Hoc autem eſt educi de potentia naturali, minimè autem obedientiali, ipſius ſubiecti. Quod ſi

ita eſt,

ita eſt, qùi fieri poteſt, vt gratia & chatitas ſint qualitates diuinitus infuſæ, in anima inhærentes? Videtur igitur quòd huiuſmodi doctrina, nedum quaſdam patiatur anguſtias, verùm etiam quòd contradictionem inuoluat. Quòd enim forma dependeat in eſſe & conſeruari à ſubiecto, & nõ educatur de eius potentia naturali, ſed obedientiali, duo videtur claudere contradictoria.

Solutio rationum Caietani & Medinæ.

Cæterùm quid dicendum, cùm aiunt doctiſsimi viri, quòd creari eſt propriè ſubſiſtentium? Dicimus id verum eſſe de facto; quoniam illud propriè dicitur creari & fieri, cui propriè & ſimpliciter conuenit eſſe. Vnde formæ & accidentia magis dicuntur concreata, q̃ creata. Ita docebat. D. Tho. prima par. ſummæ theologiæ, q. 45. ar. 4.; quod & nos libenti animo fatemur. De poſsibili tamen, non inconuenit ſi dicamus, accidentia poſſe alia produci actione, ab illa qua producitur ſubſtantia, & actionem illam ad ea per ſe terminari. Qualitas enim producitur per alterationem, & quantitas per augumentationem; quæ ſunt aliæ actiones, ab ipſa ſubſtantiali generatione. Huius autem ratio eſt, quia accidentia propriam habent exiſtentiam, reapſe ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam. Nulla enim forma eſt in aliquo, quin ei communicet ſuum effectum formalem. Quoniam forma, eiusq́. formalis effectus ſunt inſeparabiles. In Petro autem ſi ſit albedo, cuius effectus formalis eſt eſſe album; proculdubio dabit illi eſſe album. Quis modò non videt, eſſe album & eſſe hominem, reapſe diſtingui? Vnum enim poteſt eſſe ſine aliò.

Nouimus, vlterius, quòd exiſtentia eſt actus, quo formaliter vnaquæq. res exiſtit. Et quòd ſubſtantia eſt per ſe intenta à natura; accidentia verò propter complementum ſubſtantiæ. Vnde ſubſtantia habet eſſe per ſe, accidens verò in ſubſtantia; ita vt exiſtentia accidentis dependeat ab exiſtentia ſubſtantiæ. Quare cùm idem actus non poſsit eſſe dependens & independens à ſubiecto; fateamur oportet ꝙ exiſtentia ſubſtantiæ & accidentis non ſunt idem. Exiſtentià enim accidentis, ex ſui natura eſt actus dependens à ſubiecto; exiſtentia autẽ ſubſtantiæ, eſt actus independens. Non igitur ſunt idem actus. Et huiuſmodi dependentia conuenit actui ſecundùm ſuam (quod aiunt) entitatem, & ex eius prouenit imperfectione. Eſt igitur diuerſitas in ipſa entitate; vbi affirmatur & negatur huiuſmodi dependentia. Id quod maximè confirmari poteſt, ex eo ꝙ exiſtentia proportionatur eſſentiæ, & eſt eiuſdem ordinis cum illa. Multa autẽ accidentia ſunt, quæ ſecundùm ſuam naturam intrinſecam ſunt ordinis ſupernaturalis. Vnde neceſſe eſt ꝙ etiam habeant eſſe ordinis ſupernaturalis. Atqui nulla ſubſtantia creata eſt ordinis ſupernaturalis. Nulla igitur ſubſtantiæ exiſtentia, eſt exiſtentia ipſorum accidentium.

Gratia itaque diuina, ſecundùm ſuam naturam intrinſecam cùm ſit ordinis ſupernaturalis; nunquid & eius eſſe erit ordinis ſupernaturalis? Eius igitur exiſtentia non poteſt dependere ab exiſtentia animæ. Quare erunt omnino diuerſæ. Per diuinam ergo potentiam ſeparetur gratia ab anima; tunc ipſa gratia exiſtet, veluti etiam exiſtunt accidentia panis in ſacratiſsima Euchariſtia. Non autem exiſteret per exiſtentiam

animæ; quemadmodum dicunt nonnulli, accidentia in ſacramento altaris exiſtere per exiſtentiam panis; quoniam anima non eſt ordinis ſupernaturalis. Exiſteret ergo diuina gratia per propriam ſuiipſius exiſtentiam. Quid igitur mirum ſi dicamus ipſam creari?

Verùm huiuſmodi creatio eſt per modum influentiæ; vnde poteſt comparari diuina gratia influentiæ luminis, & eius principium ipſi Soli. Vocatur enim Chriſtus ipſe benedictus in diuinis eloquijs Sol iuſtitiæ. Propterea ſicut ab iſto Sole materiali influit lumen corporale in aerem, per qđ aer formaliter illuminatur; ſic à Sole ſpirituali, qui eſt Deus ipſe, influit lumē ſpirituale in animam; à quo anima formaliter illuminatur, reformatur, necnon & gratificatur, ſimul atq. viuificatur. Quocirca magis propriè poſſet dici increatio, q̄ ipſius gratiæ creatio; vt potius dicatur increari animæ, q̄ creari in anima. Ob id autem non eſt abſolutè negandū, ipſam creari.

Quando verò vlterius Caietanus ait, ꝙ cùm gratia deſinit eſſe, non annihilatur; id omnino inficior. Cùm probat, quia credimus Deum nunq̄ aliquid annihilare; dico ꝙ à Deo minimè annihilatur, ſed deficit in ſeipſa. Hæc ſufficiunt pro ſolutione iſtius rationis. Verùm infra agendo de tertia difficultate principali, hæc latiùs aperiemus.

Solutio propria. Interim igitur dicamus ad primam, iuxta ea, quæ nobis magis probantur. Cùm enim dicitur, quòd ſi diuina gratia eſt quid creatum in anima, tunc ſequitur ſacramenta eam creare, quia conferunt gratiam; conſequutio eſt nulla, itidem & eius probatio. Siquidem ſacramenta non attingunt gratiæ creationem, atqui ſunt inſtrumenta quibus homo eſt Deo gratus. Quemadmodum enim naturale agens non pertingit creationem animæ, ſed infuſionem, vt totum compoſitum ſit homo; ita neque ſacramēta ſunt cauſa gratiæ, ſed infuſionis eius, vt homo ſit gratus. Virtus enim ſeminis, hominis generatrix dicitur & eſt; nihiloſeciustamen non eſt animæ generandæ cauſa, ſed hominis. In ſacramentis igitur ea eſt virtus, ꝙ propterea homo qui baptizatus eſt, vel ſacramentaliter abſolutus, reconciliatur Deo. Non enim opus eſt dicere, huiuſmodi virtutem, qualitatem eſſe, diſtinctam ab aqua & verbis. Doctrina eſt ſubtiliſſimi Dominici Soto, de natura & gratia lib. 2. cap. 9. quæ mihi ſemper ſummoperè placuit. Et ita patet ad primam difficultatem.

Ad 2. Ad ſecundam dicimus, ꝙ omne accidens animæ, ſecundùm quid eſt ea nobilius; quatenus ſcilicet comparatur ad ipſam vt forma eius. Gratia igitur cùm ſit accidens animæ, quid, ſi ſit ſecundùm quid nobilior ea?

Sit & alia reſponſio; quòd nempe diuina gratia ſub ea ratione qua eſt aliquid creatum, non eſt nobilior ipſa anima; at quatenus eſt quædam ſimilitudo diuinæ bonitatis, expreſſior q̄ ſimilitudo naturalis, quæ eſt in anima. Doctrina eſt beati Tho. de Verita. q. 27. ar. 1. ad 6. argumentum. Cui ſubſcribit Alexander de Ales 3. par. ſummæ, q. 69. Memb. 2. arti. 3. quo in loco & ipſe concedit quòd gratia gratum faciens comparatur ad animam in qua eſt, vt perfectio ad perfectibile; ſed quidem vt perfectio diſponens, non vt perfectio complens; talis autem perfectio non eſt ſuo perfectibili ſimpliciter perfectior, aut nobilior.

Et hæc ſufficiunt pro diſſolutione quæſtionis. Ad quam apertiùs dicant iuuenes Carmelitani, quòd anima rationalis eſt perfectior q̃ gratia gratum faciens, in eſſe naturali; quia anima eſt ſubſtantia, & gratia eſt eius accidens. At nihiloſecius gratia perficit animam ſecundùm quid, & per accidens, ac diſpoſitiuè; ſicut lux perficit aerem, luce ipſa in eſſe naturæ; valde nobiliorem. Item gratia perficit animam, non ex natura rei, ſed ex diuina ordinatione, & acceptatione; nõ quaſi magis perfecta ſit gratia q̃ anima; ſed quia magis perfecta eſt anima cum gratia, q̃ ſine illa; & perfectior eſt anima iuſta, q̃ anima non iuſta, grata q̃ non grata, beata q̃ non beata. Sic ergo accidentia perficiunt animam, non quia in ſeipſis ſecundùm naturam rei ſint perfectiora q̃ ipſa anima quam perficiunt; ſed quia anima ipſa perfectior eſt cum illis, q̃ ſine illis; vt dicatur anima perfectior ſecundùm quid cum illis, q̃ ſine illis. Et ita ſunt omnia clara & aperta.

Cùm rurſum dubitatur quòd gratia ſit corruptibilis, ex eo quia diximus illam eſſe accidens; iam ceſſet quæſtio ex dictis. Fatemur enim, ipſam gratiam eſſe corruptibilem; nec illud eſt à veritate alienum. Et cum quæritur à quonam corrumpatur, vel à Deo, vel à libero arbitrio, vel à peccato; dicimus quòd à nullo iſtorum propriè corrumpitur, ſed deficit in ſeipſa; veluti ſupra tetigimus. Gratia enim cùm ſit accidens, non eſt præter ſubiectum in quo creatur; minusq́. in eodem ſubiecto in quo eſt, poteſt ſimul cum culpa ſubſiſtere. Adueniente igitur culpa, quòd gratia corrumpatur fit neceſſariò conſequens. Cumq́. ex aliquo materialiter ipſa gratia minimè producatur, ſed ſit ſimpliciter donum gratuitum, & omnino deſurſum deſcendens à Patre luminũ; ſicuti ex nihilo producitur, neceſſe eſt cùm corrumpitur, in nihilum redigi. Omne enim quod corrumpitur, in id cedit vnde producitur. Quare talis modus corruptionis & interitus, diuinæ gratiæ competit ratione ſui initij. Atuerò nedum ratione iſtius, verùm etiam ratione ſui eſſe, & modi exiſtendi. Quoniam cùm gratia non cauſetur ex principijs eius in quo eſt, ſed aliud habeat pro ſubiecto, aliud pro cauſa, nec habeat eſſe in materia per modũ naturæ, ſed per modũ habitus; quemadmodũ dictũ eſt; quando corrumpitur, non corrumpitur illud in quo eſt, nec ad illud redit, à quo eſt; at quantum eſt de ſe, in nihil cedit. Et propterea peccatum, in quo ſit ipſius gratiæ corruptio, dicitur eſſe nihil. Et quò iuniores minus mihi ſuccenſeant, ſit hoc exemplum; ad omnia exaranda vtique aptiſsimum. Quemadmodum enim cùm lumen corrumpitur, vel ſimilitudo in ſpeculo, vel ipſa ſpecies in anima, non corrumpitur illud in quo eſt, nec redit ad illud à quo eſt; veluti ex ſe optimè conſtat; atqui mox in nihil cedit. Ita pari paſſu de ipſa diuina gratia dicendum venit. Quam quidem diximus tunc deficere in ſeipſa; quoniam cùm non ſaluetur niſi ex continuatione influẽtiæ à diuina bonitate ſuper faciem mentis noſtræ, quãdo anima diuertitur à Deo per peccatum, non continuatur influentia, & ex conſequenti corrumpitur gratia, & deficit in ſeipſa. Vnde ratio iſtius defectus prouenit ex auerſione mentis humanæ. Quocirca ſi dixe-

Ad. 3.

rimus, gratiam per peccatum quodammodo corrumpi, non erit omnino ineptum. Non ꝙ peccatũ agat in gratiam; ſed quia anima per peccatum ſe auertente, Deoq́. ceſſante influere, neceſſe eſt gratiã in ſeipſa deficere.

Ad aliud admittimus ſecundum. Cùm improbatur, dicimus id verum eſſe de accidentibus, quæ habent eſſe naturæ, & cauſantur ex principijs ſubiecti; quoniam cùm accidentia corrumpuntur, manent nihilominus & ſaluantur illa principia. Et idcirco cùm talia accidentia corrumpuntur, non annihilantur omnino. Non tamen veritatem habet in accidentibus illis, quæ habent eſſe habitus; ſicuti ſunt ſimilitudo in anima, & lumen in aere. Similitudo enim hominis mortui quæ eſt in anima tua, ſi deleatur & corrumpatur, non redit ad hominem illum, nec lumen cùm corrumpitur per corporis interpoſitionem, redit ad Solem. Gratia igitur diuina cùm ita ſe habeat, propoſitio illa non habet in ea veritatem. Nec mirum quòd tam nobile accidens corrumpatur; quoniam etiam Deus magis diligit animam iuſtam, q̃ coelum & terram; nihilominus eam permittit à ſe ſeparari; minimè autem coelum & terram corrumpi. Hoc enim cur ſui rerum maximè congruit, vt eas Deus proprios motus agere ſinat. Vnde quia theſaurus gratiæ habetur in vaſis fictilibus, quamuis ſit valde nobilis, de facili nihiloſecius amittitur, quando procellis tentationum concutitur. Ita placuit ſanctiſsimo domino Bonauenturæ; quem libenti animo inſecutus, modo acquieſco, & ad liberum hominis arbitrium rurſus pedem conuerto.

Quòd nec liberum hominis arbitrium ſine gratia, nequidem gratia ſine libero arbitrio, ſui iam compotes ſaluare poteſt. Cap. 44.

HABET definitio eccleſiaſtica, & orthodoxa fides catholicæ, Romanæq́. Eccleſiæ, datum homini liberum voluntatis arbitrium; ſeu ad bonum, ſeu ad malum, illud flectere voluerit. Hoc ipſum tamen ſibi, nec ad ſalutem, nec ad vitam ſanctè iuſtèq́. ſecundùm Dei mã data peragendam ſufficere; atqui opus habere adiutrice diuina gratia, qua & præueniatur, & deducatur, confirmeturq́., quò perduret in finem; ita vt in his omnibus neceſſaria ſit coniugatio liberi arbitrij, & diuinæ gratiæ; veriſsimumq́. ſit, nec gratiam ſine libero arbitrio ſaluare ſui iam compotes, nec liberum arbitrium ſine gratia. Id quod Diuinus Spiritus vbique in ſcripturis ſacris diligenter exprimit. Vnde beatiſsimus pater

Tom. 7. Auguſtinus, de gratia & libero arbitrio, cap. 4., inquit: Nos ergò ad benè operandum, ſpem non habeamus in homine, firmantes in carnem bra-

Pſal. 26. chij noſtri, nec à Domino diſcedat cor noſtrum, ſed ei dicat: Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus. Proinde, chariſsimi, ſicut ſuperioribus teſtimonijs ſcripturarũ probauimus ſanctarum, ad benè viuendum, & rectè agendum, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium; ſic etiam de gratia Dei, ſine qua nihil boni agere poſſumus, quæ ſint diuina teſtimonia videamus. Hæc ille. Cui verò

iſtorum,

iſtorum, in opere noſtro bono, primus competat locus, declarat idem pater, libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 21., ſub his verbis: Manet *Tom. 3.* itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, ideſt, rationalis voluntas; ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem; vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis; hoc eſt, inſpiratione Dei. Vt autem conſequatur quod eligit, vel quod ſequitur, vel occaſione agit, Dei eſſe, liberè confitemur. Initium ergo ſalutis noſtræ, Deo miſerante habemus; vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt; vt adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris; vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ eſt, & cœleſtis pariter adiutorij; vt labamur, poteſtatis noſtræ eſt & ignauiæ; non tamen ad obtinendam ſine illo, qui quærentes facit inuenire, qui pulſantibus aperit, qui petentibus donat. Sicut ergo initium ſalutis noſtræ, Deo miſerante, & inſpirante habere nos credimus; ita arbitrium naturæ noſtræ ſequax eſſe diuinæ inſpirationis, liberè confitemur. Sic Auguſtinus. Ex quo quidem (quod etiam aliàs diximus) hanc habemus concluſionem, quòd gratia ſemper eſt præuia, & opus meritorium incipit; vt homo ſua voluntate pediſſequa, liberè cum ea operetur. Id quod optimè exponit diuus Apoſtolus, cùm ait: Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in *1. Cor. 15* me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Præter ea quæ ad hæc verba ex diuo patre Anſelmo & alijs in ſuperioribus habuimus, liceat modò hæc duo tantummodo annotare; quòd nempe ait primò Apoſtolus: Abundantius illis omnibus laboraui. Secundò ſubiungit: Non ego autem, ſed gratia Dei mecũ. In primo igitur dicto, notatur hominis opus. In ſecundo verò, diuinæ gratiæ auxilium. Cui quidem diuinæ gratiæ, primum locum aſsignat Apoſtolus, cùm ait: Gratia autem Dei ſum id quod ſum. Ipſa enim incipit, ipſa virtutem præſtat, & ſimul operatur, vt homo ſimul cum ipſa cooperetur. Vnde beatus Auguſtinus de gratia & libero arbitrio, cap. 5., ait: Sed *Tom. 7.* gratia Dei ſum id quod ſum. Atque vt oſtenderet & liberum arbitrium, mox addidit: Et gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum; ideſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Ita Auguſtinus, paucis interiectis. Quid modò ait Caluinus, quòd editio græca habet: Non ego autem, ſed gratia Dei in me? Hoc enim noſtro non officit inſtituto. Quoniam id negari non poteſt, quin Paulus de ſe dixerit: Abundatius illis omnibus laboraui. Non ſolus, ſed gratia Dei in me; vt id etiam admittamus, quod vult ipſe Caluinus. Vt ſit ſenſus, præſtitit Deus ſanctiſsima gratia ſua, vt ego laborando cooperarer. Palam igitur fatemur & nos, gratiam eſſe, quæ in nobis per operationem & virtutem, bonum opus agit; liberum verò arbitrium, per conſenſum, & cooperationem.

Atqui audiat Caluinus Sapientem, qui ait: Mitte illam de cœlis ſanc *Sapien. 9.* tis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, & mecum ſit, & mecum laboret. Audiat iterum Paulum ad Coloſſenſes cap. primo, dicentem: Vt exhibeamus

omnem

omnem hominem perfectum in Chriſto IESV. In quo & laboro, certando ſecundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute. Notet modò Caluinus, quòd Chriſtus operatur in Paulum in virtute; & tamen ipſe laborat, certando ſecundùm eius operationem. Vnde non obſtat illa ſua editio græca.

.2. Addo ſecundò pro principali noſtro inſtituto, quòd Dominus Seruator noſter dixit Matt.26. diſcipulis ſuis: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Quibus verbis, optimè liberum arbitrium cum gratia adiuuante exprimitur. Si enim dixiſſet: Vigilate, ne intretis in tentationem; admonuiſſe videretur tantummodo hominis voluntatem; cùm verò addidit, & orate; oſtendit Deum adiuuare, ne intretur in tentationem. *De gratia & libero arb. cap. 4* Homo igitur; concludit Auguſtinus; gratia iuuatur, ne ſine cauſa voluntati eius iubeatur. Vnde Prouerbiorum.3. dictum eſt libero arbitrio: Diſciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias cùm ab eo corriperis. Et Lucæ.22. Dominus dicit; Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.

.3. Ad hæc: Ad Philippenſes cap.2., diuus ait Apoſtolus: Itaque, chariſſimi mei, (ſicut ſemper obedíſtis;) non vt in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore, veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Audiat modò Caluinus; niſi Apoſtolus in his verbis liberum claudat arbitrium, ſimul atque diuinam gratiam, ſibi apertiſsimè contradicit. Siquidem primo loco ait Operamini ſalutem veſtram. Secundo verò loco ſubdit: Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere. Modo ſic: Si Deus operatur in nobis velle & perficere, omni dubio procul, noſtram operatur ſalutem. Non igitur poſſumus nos illam operari. Quid ergo ait Apoſtolus: Operamini ſalutem veſtram? Ex eo enim quòd nos inuitat ad operandum, fatetur nos poſſe operari. Ex eo verò quòd dicit, Deum operari in nobis velle & perficere; id manifeſtè negare videtur; quare contradictio in dictis eius. Quam quidem euadere Caluinus minimè poteſt, niſi prius notet illud, operamini vos. Deinde illud; Operatur Deus. Quibus notatis, mox ea ſimul iungat; quibus iunctis, nullo penitus negotio, ſibi Dei & hominis cooperationem oſtendent. Propterea Paulus illa verba ſubiunxit: Deus operatur in vobis velle & perficere; ne propter verba, quæ præmiſerat, inquiens: Veſtram ſalutem operamini; ſolius hominis eſſe propriam ſalutem operari putarent; eamq́; ob *Tom. 7.* cauſam, vel vileſcerent, vel ſuperbirent. Vnde Auguſtinus de Natura & gratia, cap.27., ait: Cætera enim vitia tantùm in malefactis valent, ſola autem ſuperbia etiam in rectè factis cauenda eſt. Vnde admonentur illi, ne dona Dei ſuæ poteſtati tribuendo, ſeſeq́; extollendo, grauius pereant, q̃ ſi nil operarentur boni, quibus dicitur; Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Deus enim eſt qui operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate. Quare ergo cum timore & tremore, & non potius cum ſecuritate, ſi Deus operatur; niſi quia propter voluntatem noſtram, ſine qua benè non poſſumus operari, cito poteſt

ſubrepere

ſubrepere animo humano, vt quod benè operatur, ſuum tantummodo exiſtimet, & dicat in abundantia ſua, non mouebor in æternum? Hæc ille.

Ad Philippenſes iterum, cap.4., inquit Apoſtolus: Scio & humiliari, 4.
ſcio & abundare; (vbique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati; omnia poſſum in eo, qui me confortat. At quid per verbum: poſſum: oſtenditur, niſi liberum arbitrium? Quid verò per verbum: confortat: niſi gratia demonſtratur? Idem eſt ergo ac ſi dixiſſet Apoſtolus: Non ſolùm ſcio, ſed poſſum exequi, eo confortante qui docuit. Et omnia poſſum facere per eius auxilium, & in eo Chriſto, qui mihi poſsibilitatem tribuit. Sic Gloſſa interlinearis.

Caluinus nihiloſecius, illa diui Apoſtoli verba exponens, ita loquitur: Reſponſio Caluini.
Hoc teſtimonio, & alijs ſimilibus, ad ſtabiliendum liberum arbitrium, Papiſtæ abutuntur; non quidem, quid valeant homines viribus naturæ, Paulus docet; ſed quid pro homine gratia Dei agat.

At contra diuus pater Ambroſius, qui eadem verba exponens, ait: Non Impugna. Tom.3.
ſe ſui cauſa in hoc eorum opere gaudere, ſed in profectu eorum ipſorũ ſe ante omnia contentum, Deo adiuuante teſtatur. Hæc ille. Si igitur teſtatur Apoſtolus, ſe ante omnia contentum, in profectu eorum, Deo adiuuante; ad opus ergo vterque concurrit.

Propterea in priori ad Corinthios epiſtola, cap.3., idem ait Apoſtolus: Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores. Audi, Caluine, adiutorné dicitur is, qui ſuapte voluntate non cooperatur? Minimè quidem. Si enim quid valeant homines viribus naturæ non docet Paulus, quando verba illa vera eſſe poterunt: Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem? Non igitur negamus nos, gratiam efficere, ac virtutem præſtare, vt velimus, atque operemur. Sed vbi proprius labor, ſi non cooperamur? Quis adiutor Dei? Num gratia pro ſe meritum accipiet, non autem ipſe homo, ſecundùm proprium laborem?

Audi, Caluine, Auguſtinum, quem dicis eſſe tuum. Is enim de Eccleſiaſ- Tom.3.
ticis dogmatibus, cap.32., ait: Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumq́; virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitemur authorem. Et non dubitamus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum. Sic ille.

Atqui huiuſmodi librum eſſe Auguſtini, Caluinum negaſſe, neſcij nõ ſumus. Propterea quò eius magis confundatur verſutia, eundem Auguſtinum, libro 3. Hypognoſticon audiamus, qui ait: Rectè nanque arbitror, Tom.7.
comparari liberum arbitrium iumento; vnde & dictum eſt: Velut iumentum factus ſum apud te; gratia verò ſeſſori. Quia ſicut iumentum animal viuacisſimũ, vt dometur ad opus homini neceſſarium, de armento vagũ apprehenditur, & incipit per curam domantis ſe, ad eius proficere volũ- Pſal.72.

tatem;

tatem; ita & liberum arbitrium, quod vulneratum viuit in homine, gratia Dei apprehenditur de armento luxuriæ ſeculi, in quo ſub paſtore Diabolo vagabatur per incongruas voluntates. Paſtorē Diabolū dixi ſecundùm
Zacha.11 Zachariam prophetā, de eo dicentem: O Paſtor & Idolum. Apprehenditur ergo gratia, vt dixi, ad domandum liberum arbitrium, vt & malæ conuerſationis depoſita feritate humilietur, & vt ad obediendum in opus Domino neceſſarium corrigatur, & ita per eius ſemper curam, incipiat in Dei proficere voluntate. Sicut enim iumentum illud dum in via dirigitur, ſeſſoris manu regitur, vt iter rectum, ſiue leniter, ſiue curſim, ſecundùm ſedentis in ſe voluntatem poſsit incedere, quoadusque ad locum perueniat deſtinatum; ita & liberum arbitrium, dum in via, ideſt, in Chriſto,
Ioan.14. quia ipſe ait: Ego ſum via, veritas, & vita; coeperit eſſe, gratiæ regimine regitur, vt in ſemitis Domini recto corde, ſiue patientia charitatis, ſiue
1.Cori.12 feruēte ſpiritu, ideſt, ſecundùm diuiſiones gratiarum Spiritus, qui per gratiam diuidit ſingulis prout vult, poſsit ambulare, quoadusque ad promiſ-
Pſal.143 ſum regnum coelorum perueniat. Ideo & in pſalmis ait: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et vt illud cùm aliquotiens ſub ſeſſore paſtum largioribus cibarijs incumbens freno, curſu extollitur, ſeſſoris flagello cæditur, vt ſecundùm eius ambulet voluntatem; ſimiliter & liberū arbitrium, dum homo gratiæ Dei immemor in proſperis efficitur, & tanq̄ de ſui poſsibilitate gloriatus extollitur, eius flagello corripitur, cùm in varijs tribulationibus & afflictionibus paululum ſubiugatur, vt humiliatus homo, in ſua humilitate ad gratiæ recurrat auxilium. Sicut ergo homo ſedens in iumento, dum peregerit iter quod inceſsit, dicit, Feci hodie, vt puta, triginta milliaria; cùm illo ſedente, iumentum cucurrerit triginta milliaria; ſed non ea cucurriſſet, niſi à ſeſſore tam directum in via, quàm gubernatum fuiſſet. Rectè ergo ſeſſor, quem gratia figurat, dicit: Feci triginta milliaria. Ipſe enim fecit, qui iumentum facere fecit; & tamen vtriſque labor itineris imputatur. Ita & gratia & liberum arbitrium peragit ſine dubio iter fidei liberum, dum Dei Chriſtianus facit præcepta; ſed non, vt ſupradixi, ſine gratia dirigēte, vel gubernante; propter quod
Pſal.36. dicitur in pſalmis: Dirige in conſpectu tuo viam meam; & à Domino greſſus hominis diriguntur. Itaque nec gratia ſine libero arbitrio, facit hominem habere beatam vitam; nec liberum arbitrium ſine gratia. Et tamen paruulos ſine vſu liberi arbitrij, facit gratia habere beatam, & perpetuam, æternamq́. vitam. Eos autem qui iam rationis capaces ſunt, præuenit atque docet, vt bonum velint & poſsint. Hactenus Auguſtinus.

5. Conformis dictis Iſaiæ cap. 26., cùm ait: Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera noſtra operatus es nobis. Notet Caluinus: opera noſtra: Notet & illud: Operatus es tu. Quomodo ſunt opera noſtra, niſi adſit voluntatis aſſenſus? Quomodo operatus eſt Deus, ſi ſunt opera noſtra? Declarat Apoſtolus. 2. ad Corin. cap. 3., inquiens: Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Non enim dixit: Sufficientia ad benè operandum, ſolius Dei in nobis operantis eſt; ſed, ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Noſtram vocás

ſufficientiam,

ſufficientiam,quam Dei gratia obtinemus. Vnde Marci.16. legitur; Illi autem profecti, prædicauerunt vbique; Domino cooperante,& ſermonẽ confirmante,ſequentibus ſignis. Quid hæc,niſi dicere,gratiam Dei in nobis operari,cùm virtutem præbet;atque ſuapte voluntate hominem cum operante gratia cooperari?

Id quod etiam perquamclariſsimè conſtat, ex ijs quæ habemus Prouerbio.cap.16. Ibi enim Dominus ait: Hominis eſt animam præparare; & Domini gubernare linguam. Ex hoc cum Pelagianis non dicimus,ſolum hominem ſe præparare. Atqui cum Auguſtino dicimus, hominem proprium cor præparare, non tamen ſine Dei adiutorio. Dicit enim ipſe lib.2. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap.8.; Ideo quippe ſcriptum eſt: Hominis eſt præparare cor,& à Domino reſponſio linguæ; quia homo præparat cor,non tamen ſine adiutorio Dei qui tangit cor. 6. Tom. 7.

Hoc autem eſt quod pro ſeptima ratione inducere volumus; quàm ſcilicet diuinæ ſcripturæ,varijs,diuerſiſq. in locis idem oſtendant. 7.

Quod niſi admittatur,ipſas contradictionem inuoluere fateamur oportet. Siquidem Ioan.6.dixit Veritas. Nemo poteſt venire ad me,niſi Pater, qui miſit me,traxerit eum. Matthæi autem .11.,ait: Venite ad me omnes, qui laboratis,& onerati eſtis,& ego reficiam vos. Et Lucæ.9.: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Item Ioan.14.; Creditis in Deum,& in me credite. At Ioan. 6.,ait: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum,quem miſit ille. Pſalmo quoque .93. ait Propheta; Intelligite inſipientes in populo;& ſtulti aliquando ſapite. Pſalmo autem .118. inquit: Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua. Item pſalmo .50.: Domine labia mea aperies; idem ait Propheta. At pſalmo.80. dicit Dominus; Dilata os tuum,& implebo illud. Pſalmo rurſus.84. dicitur: Deus tu conuerſus viuificabis nos. Et pſalmo.79.: Deus virtutum conuerte nos; ad eum nos clamamus. Contra clamat & ipſe Iſaiæ.45.: Conuertimini ad me,& ſalui eritis. Sunt quidem huiuſmodi opera ſecundi generis,quæ in ſuperioribus enarrauimus. Primi enim generis illa ſunt, in quibus nullam penitus voluntas noſtra partem habet,nec cõſenſum,minuſq. cooperationem; veluti ſunt,prædeſtinatio,vocatio,admonitio, pulſatio, aſpiratio, atque illuminatio. Secundi verò generis opera ſunt illa, quæ ſic in nobis Deus exercet, vt & noſtrum etiam aſſenſum nos illis præbeamus. Ea ſunt omnia, quæ motum quempiam liberum animi noſtri deſignant. Hæc non prius tempore à Deo, q̃ liberè à nobis; ſed ſimul à Deo, & à nobis fiunt. A Deo tamen prius natura.

Vnde in memorato loco Auguſtinus ait: Quamuis enim niſi adiuuante illo,ſine quo nihil poſſumus facere,os non poſſumus aperire; tamen nos aperimus illius adiumento & opere noſtro; implet autem illud Dominus,ſine opere noſtro. In ſententia ergo illa vbi dicitur: Aperi os,& adimplebo illud, quaſi vnum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum. In hac autem vbi dicitur: Ego aperiam os tuum,& inſtruam te, vtrunque ad Dominum. Quare hoc? Niſi quia in vno iſtorum cooperatur

homini facienti,alterum ſolus facit. Quapropter multa Deus facit in homine bona,quæ non facit homo; nulla verò facit homo,quæ non facit Deus,vt faciat homo. Ita Auguſtinus,quibuſdam interpoſitis. Et quoniam in ſuperioribus, multis varijsq́. in locis hoc idem ſparſim demonſtrauimus,volo vt modò his contenti ſimus.

Prænarrata doctrina, authoritatibus ſanctorum Patrum confirmatur. *Cap. 45*

Cyrillus. PRO confirmatione præmiſſæ Spiritusſancti,atque Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinæ, accedit primo loco beatiſsimus pater noſter,Cyrillus Alexandrinus; qui in ſuo volumine de adoratione in ſpiritu & veritate ad Palladium,lib.4.ad initium,ita notatum reliquit: Periculoſum quidem eſt,Palladi,nimium,atque etiam ſi dicere liceat,ſceleſtum maximè, & in primis facinoroſum, nolle aduerſus nequitiam ac peccatum fortiter gerere; ſed animo indecoris voluptatibus eneruato, & ad muliebrem mollitiem deiecto,à virtutis conatu refugere; quamuis in promptu ſit poſſe Chriſti ope, ad quodcunque rerum laudandarum genus aſcendere; ad eamq́. rem hortetur nos illis verbis beatiſsimus Pau-*Ephe. 6.* lus: De cetero confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. In Chriſto nanque faciemus virtutem; nec tamen, opinor, vlli contingit,vt ſine labore aduerſus vitia fortiter ſe gerat,ad eamq́. rem animum erigere poſsit. Hæc ille. Qui homines redarguendo,qui à virtutis conatu refugiunt,cùm tamen illam proprio labore, Chriſti ope conſequi valeant; liberum hominis arbitrium, diuina Chriſti accedente gratia, fatetur vitam poſſe æternam habere, ad quodcunque rerum laudandarum genus aſcendendo.

Ephræm. Beatus quoque Ephræm de vita ſpiritali,ita loquitur: Et quis ita perfidus eſt & iniquus,vt præceptori,ruinæ ſuæ cauſam adſcribat,ac non potius improbæ voluntati ipſius diſcipuli? Libero enim arbitrio Deus hominem donauit,vnde & præmia & ſupplicia ei ſunt propoſita; ac legitimè quidem hìc certantibus,honor atque corona; tranſgreſſoribus autem & contemptoribus, ſupplicia atque tormenta. Sic ille. Qui & in quadam ſua confeſsione cum oratione,folio mihi. 266.,in hunc modum effatur:
Psal. 80. Per Prophetam tuum dixiſti,Domine: Dilata os tuum,& implebo illud. Ecce igitur apertum iam eſt vnà cum corde,os ſerui tui; Diuina tua illud reple gratia,vt in omni tempore benedicam tibi,Chriſte Deus Saluator meus. Perfunde cor meum amator hominum optime,rore diuinæ tuæ gratiæ. Quemadmodum enim terra,licèt ſeminata,nequit à ſeipſa fouere germina,ſine tuæ bonitatis viſitatione; ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi,beneficio gratiæ tuæ,niſi per ipſam fructificauerit iuſtitiæ fructum. Ita beatus pater. Qui in primo ſuiipſius dicto,hominem eſſe liberi arbitrij,fatetur clariſsimis verbis. In hoc autem ſecundo, ita eum cum diuina iungit gratia, vt ſine illa nil boni operati valeat. Quòd verò gratia non ſine hominis aſſenſu, in eo aliquid operetur,

declarat

declarat ipſe,in primo de compunctione ſermone,inquiens:Iccirco fratres, nullam penitus ibi excuſationem habituri ſumus, quoniam ſcienter ac ſponte peccamus cuncti. Diuinam itaque prouidentiam,& in nos munificentiam,quantaq. nobis quotidie pro ſua bonitate largiatur Deus,ſedulo conſideremus vniuerſi. Semper eius gratia corda noſtra viſitat; & ſi locum ſibi paratum inuenerit, ingreditur; ſemperque in anima noſtra quieſcit; ſed ſi cor immundum offenderit,illico recedit. Hæc ille. Qui claruit anno à Chriſti incarnatione, 380.

Gennadius, Maſſylienſis Eccleſiæ presbyter, libro de eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 44., his omnibus ſubſcribit, dicens: Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquid quod ad ſalutem pertinet vitę æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, ſiue ſalutari (ideſt, euangelizanti) prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritusſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & in credendo veritatem; hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio, dicentis: Sine me nihil poteſtis facere. Et illud Apoſtoli; Non q. idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Hæc ille. Cuius verba ſunt in Canone. 7. Concilij 2. Arauſicani. Et claruit anno redemptionis noſtræ, 490.

Gēnadius — *Ioan. 15.* — *2. Cor. 3.* — *Tom. 2.*

Beatus item Hieronymus, aduerſus Iouinianum, lib. 2., ait: Liberi arbitrij nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur. Alioquin, vbi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt. Sicut in bonis operibus perfector eſt Deus; non eſt enim volentis, neque currentis, ſed miſerentis, & adiuuantis Dei, vt peruenire valeamus ad calcem; ſic in malis, atque peccatis, ſemina noſtra ſunt incentiua, & perfectio Diaboli. Sic beatus ille pater.

Hieronymus. — *Tom. 2.* — *Roma. 9.*

Fulgentius in libro de incarnatione & gratia Chriſti, cap 20., ait: Gratia humanum non aufertur, ſed ſanatur; non adimitur, ſed corrigitur; nō remouetur, ſed illuminatur; nō euacuatur, ſed adiuuatur atq. ſeruatur arbitrium; vt in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat ſanitatem. Quo errabat, eodem in via redeat. In quo cęcus fuit, in eo accipiat lumen. Et vbi fuit iniquus ſeruiens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præuentus atque adiutus, ſeruiat iuſtitiæ in ſanctificationem. Hæc ille. Qui floruit anno Domini. 500.

Fulgētius

Accedit diuus Ambroſius; qui in procem. Euange. Lucę, ad illa verba: Viſum eſt & mihi, &c. ita ſcribit: Poteſt etiam non ipſi ſoli viſum eſſe, quod viſum ſibi eſſe declarat. Non enim voluntate tantum humana viſum eſt; ſed ſicut placuit ei, qui in me, inquit, loquitur Chriſtus; qui, vt id quod bonum eſt, nobis quoq; bonum videri poſſit, operatur. Quem. n. miſeratur, & vocat. Et ideo qui Chriſtum ſequitur, poteſt interrogatus cur eſſe voluerit Chriſtianus reſpondere: Viſum eſt mihi. Quod cùm dicit, non negat Deum viſum. A Deo enim pręparatur voluntas hominum. Vt enim Deus honorificetur à ſancto, Dei gratia eſt. Denique plurimi voluerunt ſcribere Euangelium, ſed quatuor tantummodo, qui diuinam meruerunt gratiam, ſunt recepti. Sic Ambroſius. Qui

Ambroſius. Tom. 3. — *Prouer. 8.*

Nnnn &epiſto-

Tom. 5. & epiſtolarum lib. 4., ad Demetriadem, epiſtola 33., circa medium, inquit: Nam quæ contradictio admitti poteſt in eo quod ipſa veritas diſcipulis ſuis per Euangelium Ioannis dixiſſe narratur? Sicut palmes, inquit, non poteſt facere fructum niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Nonne conuincitur palmes elatus, quòd omni fertilitate vacuatur, ſi vitis vbertate non alitur? Quis enim ſine auxilio gratiæ, fructum poteſt afferre iuſtitiæ? Aut quis audet dicere, ſe à Chriſto non diuidi, qui Chriſtum in ſe diffitetur operari? An fortè verendum eſt, ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaquam eſſe conſequens veritatis oſtenditur. Operante enim Spiritu Dei, iuuatur arbitrium, non aufertur; & hoc agit gratia, & voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus ſuis; ſed per opem miſerantis medici curata, reualeſcat, & gaudeat ſe non interrogantem edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam. Hæc ille. (Ioan. 15.)

Leo. Leo magnus, ſermone quinto de quadrageſima, inquit: Quamuis ædificium noſtrum ſine opere ſui non ſubſiſtat artificis, nec fabrica noſtra poſſit eſſe incolumis, niſi ei protectio præfuerit conditoris; tamen quia rationabiles lapides ſumus, & viua materies, ſic nos authoris noſtri extruxit manus, vt cum opifice ſuo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia ſe humana non ſubſtrahat, nec ab illo bono, ſine quo non poteſt bona eſſe, deficiat.

Bernardus. De gratia quoque & libero arbitrio ſub finem inquit Bernardus; Ipſa liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum, ſanat cùm immutat affectum, roborat vt perducat ad actum, ſeruat ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur. Ita tamen, quod à ſola gratia coeptum eſt, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim nō ſigillatim, ſimul non viciſſim, per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa.

Proſper. Beatiſſimus Proſper, epiſtola de libero arbitrio ad Rufinum, ait: Cùm tamen cōſtet, regnum cœlorū omnes ingreſſuros bonos, hoc eis donante Dei gratia; & nullos ingreſſuros malos, hoc ipſorum merente nequitia: Nimium verò ineptè, nimiumq́. inconſideratè ab aduerſantibus dicitur, ꝙ per hanc Dei gratiam, libero nihil relinquatur arbitrio Quamuis enim in paruulis baptiſmum tranſeuntibus, manifeſtiſſimè nullum opus, nulluſq́ appetitus eorum voluntatis exiſtat, & pleroſq́. venientes quidem libero arbitrio, ſed auerſos à vero Deo, vitamq. in flagitijs exigētes, liberatrix regeneratio in ipſo exhalandi Spiritus ſine ſanctificet, tamen ſi eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reſeruatur, pio conſideramus intuitu,

nónne in eis non peremptum inueniemus liberum arbitrium, ſed renatum? Quod vtique cum ſolum eſſet, ſibiq́. permiſſum, non niſi in ſuam perniciem mouebatur. Ipſum enim ſe excæcauerat, & ipſum ſe illuminare nõ poterat. Nunc autem idem arbitrium conuerſum eſt, non euerſum. Et donatum eſt ei aliter velle, aliter ſapere, aliter agere, & incolumitatem ſuam non in ſe, ſed in medio collocare. Quia nec dum tam perfecta vtitur ſanitate, vt ea, quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere; aut ab inſalubribus poſsit iam viribus ſuis temperare. Proinde homo, qui in libero arbitrio fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus; ſed per ſe malus, per Deum bonus. Qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformauit, vt ei non ſolùm culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, ſed etiam benè uelle, benè agere, atque in his permanere donaret. Omne enim, inquit Iacobus Apoſtolus, datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. *Iacob.1.*

Et cõtra collatorem, ſic inquit: Manens enim liberum arbitrium, quod vtique cum ipſo homine Deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus ſuis, in quas neglecta Dei lege fluxerat, non à ſeipſo, ſed à creatore mutatur, vt quicquid in eo melius reficitur, nec ſine illo ſit qui ſanatur, nec niſi ab illo ſit qui medetur; cuius ſumus noua creatura, nouumq́. figmentũ, creati in Chriſto IESV in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Hactenus beatus Proſper.

Gregorius in Moralibus, lib.22., cap.5. circa illud: Si oſculatus ſum manum meam ore meo, Iob.31., dicit: Sancti autem viri ſciunt poſt primi parentis lapſum, de corruptibili ſtirpe ſe editos, & non virtute propria, ſed præueniente ſuperna gratia, ad meliora ſe vota, vel opera commutatos; & quicquid ſibi mali ineſſe cognoſcunt, de mortali propagine ſentiunt meritum; quicquid uerò boni in ſe inſpiciunt, immortalis gratiæ cognoſcunt donum; eiq́. de accepto munere debitores fiunt, qui & præueniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, & ſubſequendo conceſſit bonum poſſe quod uolunt. *Gregorius Tom. 1.*

Et homilia .9. ſuper Ezechielem, circa illud: Fili hominis ſtà ſuper pedes tuos, Ezechiel. cap.2., ait: Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iuſsit, vt ſurgeret; ſed ſurgere omnino non poſſet, niſi in hunc omnipotentis Dei Spiritus intraſſet; quia ex omnipotentis Dei gratia, ad bona opera conari quidem poſſumus, ſed hæc implere non poſſumus, ſi ipſe non adiuuat, qui iubet. Hæc ille. *Tom. 1.*

Anſelmus de concordia gratiæ & liberi arbitrij, inquit: Nemo certè ſeruat rectitudinem hanc acceptam, niſi volendo; velle autem illam aliquis nequit, niſi habendo; habere verò illam nullatenus valet, niſi per gratiam. Sicut ergo illam nullus accipit, niſi gratia præueniente; ita nullus eam ſeruat, niſi eadem gratia ſubſequente. Sic Anſelmus. *Anſelmus*

Ioannes Damaſcenus in ſuo opere orthodoxæ fidei, lib.2. cap.30., dicit: Cæterùm virtus ex Deo naturæ data eſt, & ipſe omnis boni principium & cauſa eſt; & ſine eius cooperatione & auxilio, impoſsibile eſt, *Damaſcenus.*

nos aut bonum velle, aut agere. At in nobis eſt, immanere virtuti, & ſequi Deum, nos ad illam vocantem; aut deſerere virtutem, quod eſt in malum prolabi, & ſequi diabolum, ad illud vim non inferendo vocantem. Hactenus Damaſcenus.

Hugo. Tom. 3. Hugo de ſancto Victore, de ſacramentis lib. primo, par. 7., cap. 35., dicit: Anima rationalis corpori humano infuſa niſi per gratiam adiuuetur, neque cognitionem veritatis perſpicere, neque concupiſcentiæ carnis ſuæ reſiſtere poteſt.

Iſidorus. Iſidorus in lib. differentiarum, cap. 30., Dei eſt, inquit, bonum quod agimus, propter gratiam præuenientem, & ſubſequentem; noſtrum verò eſt; propter ſubſequentem liberi arbitrij voluntatem ſuam. Nam ſi Dei nō eſt, cur illi gratias agimus?

Et cap. 46. ſequitur, dicens; Sciant liberi arbitrij defenſores, nihil poſſe in bonum ſua prævalente virtute, niſi diuinæ gratiæ ſuſtentetur iuuamine. Sic ille.

Chryſoſtomus. Tom. 4. Chryſoſtomus homilia. 5. de laudibus Pauli, ait: Nihil eſt quod nos Pauli ſimiles vetet fieri. Ille enim non ſolùm gratia Dei, ſed etiam ſua voluntate talis effectus eſt; & idcirco grata illius opera, quia etiam de propria voluntate.

Adhuc, in homilia. 8. ſuper ad Timotheum epiſtolam 2., inquit: Liberi arbitrij conditi ſumus à Deo; qui alia quidem operatur, alia quidem permittit, & non ex ſola illius voluntate fiunt omnia, ſed ex noſtra quoque fiunt aliqua. Mala omnia ex noſtra tantummodo fiunt; bona omnia ex voluntate noſtra, ſimul & illius adiutorio: Hæc Chryſoſtomus.

Multas alias poſſem tum latinorum, tum græcorum patrum, coacervare præclariſsimas authoritates; verùm quia in ſuperioribus non deſunt, propterea ad concludendum accedat iterum Auguſtinus, quem

Auguſtinus. Tom. 7. Caluinus ſuum eſſe dicit, & tunc ſatis. Libro igitur de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 11., ſic ait: Omnia autem hæc operatur vnus atque idem

1. Cor. 12 ſpiritus, diuidens propria unicuique prout vult. Inter quæ omnia, ſicut ſcitis, nominauit & fidem. Sicut ergo quamuis donum Dei ſit, facta carnis mortificare; exigitur tamen à nobis propoſito præmio vitæ; ita donum Dei eſt & fides, quamuis & ipſa cùm dicitur: Si credideris ſaluus eris, propoſito præmio ſalutis, exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, vt intelligatur quòd & nos ea faciamus, & Deus facit vt illa faciamus; ſicut per Prophetam Ezechielem apertiſsimè dicit; quid enim apertius quàm ubi dicit: Ego faciam ut faciatis? Locum ipſum ſcripturæ, fratres chariſsimi, attendite & uidebitis illa Deum promittere facturum ſe, vt faciant, quæ iubet ut fiāt. Ita Auguſtinus.

Memini quoque eorum quæ in ſuperioribus ex Tertulliano habuimus, tum lib. 2. aduerſus Marcionem, cap. 5., tum libro de anima, cap. 21.; verùm quia ſufficit ea ſimul induxiſſe, poterit pius lector ad placitum inſpicere. Valeant interim Magdemburgenſes, qui Patres de

libero

libero arbitrio contraria ſcripſiſſe aiunt; pereatq́. Galaſius,qui in Irenæum,catholicorum Patrum conformem ſententiam, Pelagianiſmi accuſare non ueretur. Concilium nanque Tridentinum, ſeſsio.6. cano.2. oppoſitum in hunc modum decreuit: Si quis dixerit, ad hoc ſolum diuinam gratiam per Chriſtum IESVM dari, vt faciliùs homo iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſsit, quaſi per liberum arbitrium ſine gratia, vtrunque, ſed ægrè tamen & difficulter poſsit, anathema ſit.

Quòd Dei præſcientia non tollit liberum arbitrium. Cap. 46.

TEMPVS modò expoſtulat & res, vt id præſtemus quod ad initium huius ſectionis polliciti ſumus; nimirum quo modo Dei præſcientia & liberum hominis arbitrium adinuicem conueniant. Multa ſiquidem diximus de conuenientia diuinæ præſcientiæ, & aliorum contingentium. Supereſt igitur, vt & de contingenti libero agamus. Cui quidem, optimè conducunt quæ in ſuperioribus dicta fuere. Et quoniam cum philoſophis quantum ſufficit ſermonem habuimus, ſit modò res inter nos & Proteſtantes. Qui hoc valde mirantur, quomodo non ſint contraria, & omnino repugnantia, quòd ſit Deus omnium futurorum præſcius, & nos non neceſsitate, ſed voluntate peccemus. Si enim preſcius eſt Deus, inquiunt, peccaturum eſſe hominem; neceſſe eſt vt peccet. Si autem neceſſe eſt; non ergo eſt in peccando voluntatis arbitrium; ſed potius ineuitabilis & fixa neceſsitas. Impoſsibile nanque eſt, falli aut mentiri Deum; qui tamen quodlibet prænouit eſſe futurum. Quod ſi non euenerit, ipſe aut falſus, (quod abſit) aut mendax eſſe videretur. Videtur ergo diuina præſcientia rebus & actionibus humanis neceſsitatem inferre; & ita perire videtur liberum hominis arbitrium.

Pro huius ratiocinij confirmatione, multa alia inducere poſſemus; verùm quia ſupra ſatis diximus & abundè, propterea intra limites liberi arbitrij & diuinæ præſcientiæ ſat erit perſiſtere. Tota igitur vis & radix dubitationis, ſicut ex eo deſumitur quod recenſuimus ratiocinio, ita quoque totum fundamentum & baſis oppoſitæ veritatis, ex altero oppoſito ratiocinio deſumendum venit. Quo benè perſpecto, omnis ceſſabit fallacia & impiorum iniquitas.

Adſit ergo Caluinus, Proteſtantium princeps & magiſter, rationemq́. audiat, in hunc modum erectam: Nouit Deus voluntatem tuam cras fore bonam vel malam. Ergo tantò magis præuidet quid de iuſtis, impijsq́. facturus ſit. Si enim tuorum operum præſcium Deum dicis, multò fidentius eum dices præſcire opera ſua, & quid ſit facturus, certiſsimè præuidere. Si itaque ſtante illa Dei præſenſione, voluntas tua eſt bona vel mala neceſsitate abſoluta; quòd etiam eadem neceſsitate fiant quæcunque de iuſtis, impijsq́. facturus eſt Deus, ſit meritò conſequens.

Quibus ita conſtitutis, progrediamur vlterius, quærendo ex te, Caldine, num in deſiderio ſis beatitudinis? Proculdubio reſpondebis affirmatiuè. Quo quidem habito reſponſo, pono per caſum, te poſt annum beatum fore. Poſt igitur annum, te beatum facturus eſt Deus. Iam ergo præſcit hodie, quid poſt annum facturus eſt. Quòd ſi iſta prænotio neceſsitatem inducit abſolutam, non voluntate, ſed tali neceſsitate in te fiet beatitudo tua, Deo faciente; quare inuitus beatus eris. Iam enim dicis, huiuſmodi præſenſionem liberum tollere hominis arbitrium, & poteſtatem. Quòd ſi dicas, te adhuc velle eſſe beatum, ſed non es quia non tu, ſed ille te beatum facit; audi Auguſtinum dicentem: Nihil tàm in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt. Et ideo rectè poſſumus dicere, non voluntate viuimus, ſed neceſsitate; aut non voluntate morimur, ſed neceſsitate; & ſi quid aliud huiuſmodi. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere? Quamobrem quamuis præſciat Deus noſtras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur, vt non voluntate aliquid velimus. Vnde maxima dementia eſt dicere: Si præſciuit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter poteſt fieri, quàm præſciuit, neceſſe eſt vt velim quod ipſe præſciuit. Si autem neceſſe eſt, non iam voluntate, ſed neceſsitate id me velle fatendum eſt. Vbi ergo voluntas?

Si dicatur quòd eſt voluntas, at non in noſtra poteſtate; contradictio in verbis. Quoniam, Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis, Auguſtinus ait. Cuius hæc eſt doctrina & ratio aduerſus Euodium, lib. 3. de libero arbitrio, cap. 3. Quo loci demum ita concludit: Non igitur per Dei præſcientiam mihi poteſtas adimitur.

Tom. 1.

Et ibidem cap. 4., ait: Sicut itaque non ſibi aduerſantur hæc duo, vt tu præſcientia tua noueris quod alius ſua voluntate facturus eſt; ita Deus neminem ad peccatum cogens, præuidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non iudicet iuſtus, quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta eſſe quæ præterierunt, ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam quæ feciſti meminiſti, nec tamen quæ meminiſti omnia feciſti; ita Deus omnia quorum ipſe author eſt præſcit; nec tamen omnium quæ præſcit, ipſe author eſt. Quorum autem non eſt malus author, iuſtus eſt ultor. Sic ille. Ex cuius quidem doctrina, illud habemus fundamentū, quòd diuina præſcientia non tollit voluntatem noſtram; quæ cùm ſit ſemper libera, eodem atteſtante Auguſtino, libro de gratia & libero arbitrio, cap. 15.; quòd etiam non tollat liberum hominis arbitrium, relinquitur concluſum. Et ita ab omni veritate abhorret, diuinam præſcientiā liberum tollere hominis arbitrium, illudq́. impedire, ita ut omnia neceſſitate veniant abſoluta.

Tom. 7.

Quapropter non ab re admonet ſcriptura per omnem locum, vt uigilemus & oremus, ne intremus in tentationem. Matt. ſiquidem .26., dixit IESVS diſcipulis ſuis: Suſtinete hìc, & uigilate mecum. At ueniens inuenit eos dormientes; ob id dixit Petro: Sic? non potuiſtis una hora uigilare mecum?

mecum? Modò clarum eſt, Chriſtum ab æterno, illorum prænouiſſe dormitionem. Ex qua quidem, ad Caluini dogmata, ſequebatur neceſsitas abſoluta; vnde neceſſariò dormiebant. At ſi hoc verùm eſt, cur eos redarguit Dominus? Et ſi vigilare non poſſunt, cur eis dicit: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem?

Rurſus, nouerat ab æterno Saluator noſter, cæcum ſibi dicturum: IESV fili Dauid miſerere mei; Lucæ. 18. Quòd ſi huiuſmodi præſenſio inferebat illi neceſsitatem abſolutam ita clamandi, cur Dominus eius requirit voluntatem, dicens: Quid tibi uis faciam? Iam enim oſtendimus, ꝙ vbi voluntas, ibi libertas.

Prænouerat quoque Saluator noſter, ſe vitam daturum hominī triginta & octo annos habenti in infirmitate ſua; Ioan. 5. Nihiloſecius eius requirit conſenſum, inquiens: Vis ſanus fieri? Nulla ergo ibi neceſsitas abſoluta. Si enim prænotio tolleret voluntatem, eam vtique non exigeret Chriſtus Dominus. Qui & inferius dixit: Ecce ſanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vel enim Chriſtus prænouerat illum peccaturum, vel non. Si primum, fruſtra eum hortatur ad non peccandum, & iniuſtè aliquid ei deterius contingeret. Si etiam ſecundū, adhuc incaſſum laborat Chriſtus, eum adhortando; quoniam in oppoſitū venire non poteſt. Vbi enim eſt neceſsitas, ibi ceſſant omnino monitiones, hortationes, diſciplinæ, & ſimilia. Stat igitur cum Dei præſcientia libertas arbitrij.

Id quod etiam confirmatur exemplo Ezechiæ; cui dixit Iſaias: Hæc dicit Dominus: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non viues. Fleuit tamen Ezechias fletu magno, & orauit. Quare propter orationem adiecti ſunt quindecim anni, ſupra annos vitæ ſuæ conſtitutos. Nunc ſic: Prænouerat Deus Ezechiam moriturum, iuxta naturæ curſum, & diſpoſitionem ſecundæ cauſæ. Non moritur tamen. Quis igitur tam heberis ingenij eſt, vt non videat, Dei præſcientiam rebus humanis nullam inferre neceſsitatem abſolutam? *Iſai.38.*

Confirmatur adhuc Niniuitarum exemplo, quibus clamauit Ionas, inquiens: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Ipſis autem poenitentiam agentibus, miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuērat vt faceret eis, & non fecit. At cur non fecit? Propter eorum poenitentiam. Quid iſta poenitentia notat, niſi mutationem in illis populis? Vbi autem eſt neceſsitas abſoluta, ibi nulla poteſt eſſe mutatio. Liberam igitur habebant voluntatem; quam Dei præſcientia minimè ſuſtulerat. *Ionæ.3.*

Item, in libro Sapientiæ, cap. 4., legitur de iuſto: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Quid autem hoc, niſi ꝙ prædeſtinatio non infert neceſsitatem abſolutam? Quòd ſi non prædeſtinatio, nec præſcientia.

Confirmatur demum huiuſmodi doctrina, authoritate Eccleſiaſtici, cap. 31.; vbi ſic legitur: Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula; & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia, & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo,

& perfec-

& perfectus eſt, erit illi gloria æterna; qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit; Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. Modò autem, verba hæc dicta ſunt de prædeſtinato. Non ergo prædeſtinatio ponit neceſsitatem abſolutam in rebus humanis. Quare nec præſcientia. Multa alia eſſent inducenda ſcripturarum exempla; at non ſunt multiplicanda entia ſine neceſsitate. Procedamus igitur ad concordiam diuinæ præſcientiæ, & liberi hominis arbitrij; vt ea habita & concluſa, finem imponamns huic quartæ ſectioni.

Concordia liberi arbitrij & diuinæ præſcientiæ.

Sunt itaque ad memoriam ea reuocanda, quæ de ſcientia & præſcientia in ſuperioribus habuimus. Diximus enim quòd ſcientia habet pro obiecto præſens, præſcientia verò futurum; & quòd nulla iſtarum eſt cauſa ſui proprij obiecti, at contra optimè currit oratio; quoniam ſcibile eſt prius ſcientia, ex conſequenti cauſa quoque ipſius. Nam priora illa eſſe dicuntur, quæ ipſa quidem perempta, res alias tollunt; ipſa verò illata atque conſtituta, ſimul res alias non inferunt; veluti patet in exemplo de duobus & vno. Interempto enim vno, duo quoque pereunt. Vnde enim eſt vnius in duobus geminatio, ſi vnus intereat? Conſtituto verò atque poſito vt ſit vnus, nondum duo ſunt. Nondum enim facta eſt vnius geminatio. At poſitis duobus, iam adeſt vnus. Item, deſtructo animali, deſtruitur pariter & homo; at conſtituto animali, non conſtituitur homo. Poſito nihiloſecius homine, ponitur & animal. Quare & vnus eſt prior duobus, & animal prius homine. Scibile ergo & ſcientiam non eſſe ſimul, illa res probat, quòd ſi quis rem ſcibilem tollat, ſcientiam quoque ſuſtulerit. Nulla enim poteſt ſcientia permanere, ſi res quæ ſciri poſsit, intereat. At ſi ſcibile eſſe conſtituas, non omnino ſcientia conſequitur. Infantibus enim ea nobis, quæ nunc nouimus erant, & in ſua naturæ ſubſtantia permanebant; ſed eorum apud nos ſcientia non erat.

Vnde Ariſtoteles libro prædicamentorum, cap. de Relatiuis, ait: Non autem in omnibus relatiuis verum videtur eſſe, vt ſint ſimul naturà. Scibile enim ſcientia prius naturaliter eſſe videtur. Namque vt plurimum, prius rebus ſubſiſtentibus, ſcientias accipimus. In paucis autem, vel nullis, hoc quis reperiet, ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam.

Amplius, ſcibile quidem ſublatum, ſimul aufert ſcientiam; ſcientia verò ſimul non aufert ſcibile. Nam ſi ſcibile non ſit, non eſt ſcientia; ſcientia verò ſi non ſit, nihil prohibet eſſe ſcibile; veluti circuli quadratura, ſi modò eſt ſcibilis. Scientia ſiquidem eius nondum eſt, ipſa verò ſcibilis eſt. Hæc ille.

Cuius quidem doctrina, veritatem quoque habet in ipſa præſcientia; cùm in hoc tendant de pari. Siquidem data præſcientia, datur & futurũ. At non contra recurrit oratio. Quòd nempe dato futuro, detur ſimul & præſcientia. Multa enim ſunt futura, quæ ignorantur à nobis. Quemadmodum igitur ſcibile præſens, quod eſt obiectum ſcientiæ, prius eſt ipſa ſcientia, ſimul atque ipſius cauſa; ita ſcibile futurum, quod eſt obiectum præſcientiæ, eſt prius ipſa præſcientia, & cauſa ipſius. Non igitur

præſcientia cauſat futurum, ſed futurum cauſat præſcientiam. Propterea huiuſmodi non valet conſecutio: Quia Aſtrologus eſt præſcius Decliuij in Luna, idcirco Decliuium erit. At contra, Quia Decliuium in Luna futurum eſt, ob id Aſtrologus eſt præſcius eum.

Illud inſuper adnotãdum venit, ad memoriamq́. reuocandum, ꝙ in Deo nulla eſt propriè præſcientia, niſi ratione noſtri. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius; & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. *Hebr. 4.* Et vocat ea quæ non ſunt, tanq̃ ea quæ ſunt. *Rom. 4.* Apud Deum igitur futurum nihil eſt, ante cuius oculos, præterita vel præſcita nulla ſunt; præſentia non tranſeunt, futura non veniunt. Quippe cùm omne quod nobis fuit & erit, in eius proſpectu præſtò eſt. In illo igitur nec præterita, nec futura inueniri queunt; ſed cuncta mutabilia immutabiliter perdurant; & quæ in ſeipſis ſimul exiſtere non poſſunt, illi ſimul omnia aſsiſtunt; nihilq́. in illo, quod tranſit, præterit; quia in eius æternitate, modo incomprehenſibili, cuncta ſeculorum volumina tranſeuntia manent, & currentia ſtant. Sed dum circa nos quædam proſpera, & aduerſa variantur, in eo ꝙ nos mutamur, quaſi eius circa nos mutatum animum ſuſpicamur. Omnia igitur quæ ſunt in tempore, ſunt ipſi Deo ab æterno præſentia; quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate; veluti in ſuperioribus ſatis abundè oſtendimus. Quare contingentia prout ſecundùm ſuam præſentialitatem ſubduntur diuino conſpectui, infallibiliter cognoſcuntur à Deo. Ob id volumus, nullam eſſe in Deo præſcientiam, niſi ratione noſtri. Quoniam præſcientia non eſt niſi futurorum; in Deo nihil futurum; quare nec vlla præſcientia. Quia tamen quæ ſunt nobis futura Deus optimè nouit, idcirco ſicuti cognitio futurorum in nobis dicitur præſcientia, hac vnica ratione in Deo etiam ponimus præſcientiam; ſiue huiuſmodi cognitionem, præſcientiam appellamus.

His igitur ita conſtitutis, deſcendamus modò ad particularia, vt omnia clariora reddantur; & ſumamus exemplum à Iuda proditore, quò faciliori methodo omnes intelligant. Sint ergo quinque temporis inſtantia, quæ vocentur, a. b. c. d. e.; & in his ponatur curſus vitæ ipſius Iudæ, vt in inſtanti .a. ſit natus in mundo, in inſtanti .b. ſit factus iuuenis, in inſtanti .c. ad virilem ætatem ſit peruentus, in inſtanti .d. ad Chriſti diſciplinam accedat, ac demum in inſtanti .e. ipſum tradat in manibus peccatorum. Modò autem, illud perſpicuum eſt & clarum, ꝙ omnia hæc temporis inſtantia, ex conſequenti omnes huiuſmodi actiones, ſubduntur ab æterno diuino conſpectui, & ſunt ei præſentia in vnico nunc æternitatis. Et ita ſimul omnia nouit. Præſciuit ergo Deus, Iudam proditurũ Chriſtum; non quidem in inſtanti .a., neque in inſtanti .b., neque in inſtanti .c., nequidem in inſtanti .d., ſed in inſtanti .e.; quod licèt fuerit nobis futurum, erat tamen Deo pręſens. Et quemadmodum illud inſtans temporis erat Deo pręſens, ita pari paſſu erat etiam eidem pręſens illa Iudę proditio. At cur erat ei pręſens, quia illã uidebat? Minimè gentium. Verùm quia Iudas illam committebat, & ſecundùm eam operabatur, propterea illam Deus ſibi pręſentem uidebat. Quemadmodum ſi videam ego Platonem ſe-

nem ſedentem,non quia video,ille ſedet; ſed quia ſedet,ipſe video.

Modò autem Iudas in illo inſtanti .e.,quo prodit Chriſtum,eſt profectò cauſa contingens & libera;quare & eius effectus erit contingens & liber.Veluti etiam Plato,reſpectu illius ſeſsionis eſt cauſa contingens & libera, vnde illa ſeſsio eſt effectus contingens & liber. Quia igitur nouit Deus Iudam,Chriſtum proditurum in inſtanti .e.,quod erat nobis futurũ, idcirco dicimus,Deum præuidiſſe Iudam proditurum Chriſtum; cùm tamen ſint ei omnia & ſingula præſentia.Et quia ille actus Iudæ erat Deo præſens,ita vt eius voluntatem in illam partem deliberatam,atque determinatam cognoſceret,ideo eius cognitio dicitur & eſt infallibilis.Quemadmodum cognitio mea reſpectu Platonis ſedentis,eſt infallibilis,quia actu ſedet.Et vnumquodque dum eſt,neceſſe eſt eſſe.

Seſsio igitur illa Platonis,eſt neceſſaria & contingens. Neceſſaria ſecundùm modum eſſendi;contingens ſecundùm eſſenriam & naturam.Neceſſaria quia eſt in actu;contingens,quia eſt à cauſa libera.Neceſſaria ſecundùm quid; contingens ſimpliciter. Neceſſaria neceſsitate conſequentiæ,non conſequentis.Neceſſaria in ſenſu compoſito,non in ſenſu diuiſo. Neceſſaria neceſsitate conditionata, non abſoluta. Hæc enim omnia idẽ ſonant;veluti in ſuperioribus diximus ſatis.Idem dicitur de proditione illa Iudæ; eſt enim neceſſaria, quatenus eſt in actu in illo inſtanti .e.; eſt autem contingens,quia eſt à cauſa libera.Vnde eſt neceſſaria ſecundùm quid,ſed contingens ſimpliciter. Et eſt neceſſaria neceſsitate conditionata,non abſoluta. Quia Iudas cùm eſſet cauſa libera,poterat tradere & non tradere Chriſtum.Cùm itaque dicimus ratione noſtri:Deus præſciuit,Iudam,Chriſtum proditurum.Ergo Iudas neceſſariò tradidit Chriſtũ. Dicamus rurſum ex parte Dei: Deus videt Iudam tradentem Chriſtum. Ergo Iudas neceſſariò tradit Chriſtum.Vera eſt huiuſmodi ſecunda conſequentia, de neceſsitate conditionata, non abſoluta, Quoniam vnumquodque quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Eadem ratione eſt etiam vera prima conſequentia; quia nulla eſt præſcientia in Deo,niſi ratione noſtri; vt diximus.Quod diximus de Iuda præterito,dicatur etiam de Antichriſto futuro. Deus enim præſciuit Antichriſtum fore. Ergo erit. Neceſſe nanque eſt ipſum eſſe, neceſsitate conditionata, non abſoluta. Et ceſſet obiectio, ꝙ illud antecedens,ſit neceſſarium abſolutè; quoniam in ſuperioribus omnia perquamclariſsimè diſcuſsimus.

Optimè igitur Doctores ſancti,cùm aiunt:Non quia Deus vidit Iudã proditurum Chriſtum,ideo prodidit.Sed quia Iudas erat proditurus,Ideo Deus uidit. Nec ob id ſequitur,ꝙ diuina cognitio dependeat à creatura. Quoniam eas Deus,non niſi conſecutiuè cognoſcit. Si enim eas terminatiuè cognoſceret,& ueluti principale obiectum, ratio haberet uim. At id nos conſtantiſsimè negamus; prout in his,quæ ſupra diximus ſatis conſtat; idcirco ad ea lectorem reijcimus.

Et interim videamus, qua ex dictis facilitate,corruat obiectio ad initium tacta, & oẽs aliæ conſimiles; quæ in ore ſolent eſſe omni populo, imperitæ plebi, indoctisq́. mulierculis, metientibus abyſſum diuinæ præ-

ſcientiæ,

ſcientiæ,ac voluntatis immenſæ,ſecundùm vanas ſuas cogitationes.

Erat igitur obiectio talis: Si præſcius eſt Deus peccaturum eſſe hominem,neceſſe eſt vt peccet. Currit quidem illatio,de neceſſitate conditionata,non autē de neceſſitate abſoluta. Currit in ſenſu compoſito,non in ſenſu diuiſo. Cum prima neceſſitate,& cum primo ſenſu,ſtat libertas arbitrij.

Attendant tamen iuuenes noſtri,compoſitionem iſtam duobus modis accipi poſſe,multúq. intereſſe,vtro accipiatur. Quod vt facilius reddatur, ſint exempli gratia,duo pronūciata examinanda;quorum primū ſit hoc: Neceſſe eſt Petrum,dum à præſtanti forma trahitur moueri. Alterū verò: Neceſſe eſt Petrū,dum à gigante trahitur moueri. Vtrunque pronunciatū verum eſt in ſenſu compoſito;at in priori Petrus mouetur liberè;in poſteriori verò,nō niſi coactus. Quid ita? Quoniam licet in priori dū trahitur, neceſſe ſit eum moueri;nihilo tamen ſecius facere poteſt,ne trahatur. Non enim præſtans forma vires trahendi habet niſi conſentiētem. Ideoq. cùm antecedens,ideſt,tractio ex ipſius voluntate,non ex neceſſitate proficiſcatur;fit etiam,vt abſolutè non ex neceſſitate, ſed ex libera voluntate ipſum quoque conſequens,ideſt,motus proficiſci cenſeatur. At in poſteriore,antecedens ipſum violentiam coniunctam habet. Non enim Petro ſuppetunt vires reſiſtendi giganti. Quare conſequens etiam ipſum violentum. Primam itaque compoſitionem amplectimur; poſteriorem autem, cum doctiſſimo Flaminio Nobilio,omniumq. catholicorum doctorum ſchola repudiamus. Et quoniam de diuina prouidentia, atque prædeſtinatione inferius agendo,multa alia ad hoc dicendi genus ſpectantia dicturi ſumus,hæc nobis dicta ſufficiant,pro defenſione decreti Sacroſancti Concilij Tridentini, ſeſſio. 6. cap. 5. & cano. 4.; quemadmodum ad initium huius ſectionis polliciti ſumus.

Vnde ad totius doctrinæ complementum,cum doctis hoc ſatis exploratum ſit,diuinam præſcientiam non afferre vim,neque neceſſitatem abſolutam voluntati noſtræ. Ex quo iam perijt Lutheri,& Caluini,aduerſus liberum hominis arbitrium maledicta hæreſis. Id quod eis accidit,quoniam elati,tumidi,inflati,irati,atque ſuperbi,noluerunt captiuare intellectum in obſequium IESV Chriſti. Sed voluerunt eſſe ſapientes apud ſemetipſos, non timentes Deum, nec recedentes à malo. Sanctos patres noluerunt habere magiſtros, & præceptores, nec Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ decretis credere, minusq. obedire. Eo non obſtante,quod canendo dicebat Dantes: [2.Cor.10 Prouer.3] [Pur. Ca. 3.]

State contenti humana gente al quia,
Che ſe poſſuto haueſte veder tutto,
Meſtier non era partorir Maria.

DE PROVIDENTIA DEI
LIBRI QVARTI ET VLTIMI FINIS.

ERRATA, QVÆ INTER IMPRIMENDVM obrepſerunt, ita corrigi poterunt.

Pag.	Lin.	Errata	Correctiones
30	24	ſieri	fieri
30	27	ſecuuda	ſecunda
31	37	inferioribhs	inferioribus
39	40	Inttinſecis	intrinſecis
61	2	fortuxum	fortuitum
10	1	modium	medium
70	4	ſa tus	ſactus
81	43	effectum	effectum
74	43	ſruſtrante	fruſtrante
83	17	opoteret	oporteret
100	1	infinitas	infinitas
106	21	Quòd	quod
125	27	omniuum	omnium
125	27	auctem	autem
113	45	ſcit	ſit
115	40	iu.entio	intentio
121	30	Deo	Dei
121	31	Dei	Deo
125	45	contradicto	contradictio
129	8	cooperatus eſt	coopertus eſt
142	12	Nequide	Nequidem
89	32	Neceſſariam	Neceſſarium
172	11	volutas	voluntas
202	45	Neceſſariò	neceſſariò
211	26	ſimpliciter	ſimpliciter
208	44	furmaliter	formaliter
228	14	effectus	effectus
235	30	contradictionis	contradictionis
232	6	conuertiur	conuertitur
243	22	proptia	propria
262	45	n ſua	in ſua
265	37	diecte	dictet
282	20	eſſe	eſſet
283	35	quærerent	quæreret
283	i marg.	Baccone	Ioannes de Baccone
283	44	Ioannis	Ioannes
289	35	ex	eſt
305	22	moribus	morbis
312	30	Parer	Pater
313	42	noluut	nolunt
327	30	verſatus	verſatur
327	45	qaum	quam
329	41	Congere	congerie
336	25	niſi	niſi
346	5	figillis	ſigillis
355	7	Lnnates	Lunares
356	28	philoſopus	philoſophus
378	8	in differentia	indifferentia
381	44	miauiam	minutam
405	32	ſimulq;	ſimusq;
416	32	eſſe	eſſet
421	1	ſe	ſed
426	28	perfeſta	Perfecta
458	7	concripta	conſcripta
460	9	additum	aditum
467	23	At ſi ſcientiæ	At ſi ſcientiæ mediæ
487	9	Nunc	Nec
512	11	enarratio	enarratione
518	6	ad aliquo	ad aliquod
579	14	contextu	contextu
673	16	reliquir	reliquit
729	34	i ſe	ipſe
730	31	in linatio	inclinatio
763	10	diſſenſire	diſſentire
767	27	iniciamur	inniciatur
772	36	conſequen	conſequens
790	36	quean	queant
794	1	declauit	declarauit
834	2	&	ei
907	27	Pppulus	Populus
909	36	operarur	operatur
909	41	ſabaudi	ſubaudi
932	9	vtroquo	vtroque
945	10	illa	illam
952	5	abundadauit	abundauit
962	2	monſtruoſum	monſtroſum.

R E G E S T V M

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iij Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiij Kkkk Llll Mmmm Nnnn.

Tabula per ſe patet.

VERONAE, Apud Hieronymum Diſcipulum, Impreſſorem Epiſcopalem. M D X C V I. Superiorum permiſſu.